This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

21C 18
(IX.)
Sac. VI/2

ANNO

F E A P

P L

1713

Digitized by Google

Národní knihovna ČR
Historické fondy
21C.18/9. Sac.6/2
Národní knihovna
1002622726

XXI
C 18

B. 3.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ACTA SANCTORUM ORDINIS S. BENEDICTI

IN SÆCULORUM CLASSES DISTRIBUTA.

SÆCULUM VI.

QUOD EST AB ANNO CHRISTI M. AD MC.

Colligere cœpit Domnus LUCAS D'ACHERY, Congreg. S. Mauri Monachus; D. JOHANNES MABILLON & D. THEODERICUS RUINART, ejuſdem Congreg. illuſtrarunt, ediderunt que cum Indicibus neceſſariis.

PARS SECUNDA.



LUTECIÆ-PARISIORUM,
Sumtibus CAROLI ROBUSTEL, via Jacobea, ſub Arbore Palma.

M. DCCI.

CUM PRIVILEGIO REGIS, & PERMISSU SUPERIORUM.

Digitized by Google

…THECA MONASTERII PLASSENSIS ORD. CISTERCIENSIS COMPA…

Digitized by Google

PRÆFATIONIS
IN SÆCULUM NOSTRUM SEXTUM
PARS ALTERA.

1. IN poſteriori hujus Sæculi Præfatione quædam haud levis momenti nobis tractanda reſtant, cum de monaſticis, tum de eccleſiaſticis rebus, quatenus hæ ad noſtrum propoſitum pertinent. In primis agendum de ſchiſmate Græcorum, per Michaëlem Cerularium in Romanam eccleſiam excitato, & de objectis Græcorum in Latinos. Dein de Berengario, ejuſque hæreſi; necnon de multiplici ejus condemnatione, ac reſipiſcentia; & de variis auctoribus, qui contra eum ſcripſerunt. Sub hæc de geſtis Gregorii VII. Poſtremo de variis Ordinibus ſeu Congregationibus in eccleſia Latina ſæculo undecimo inſtitutis, ſcilicet de Camaldulenſibus, Vallumbroſanis, Grandimontenſibus & Cartuſienſibus: quæ omnia in totidem ſectiones diſtinguemus. His omnibus quam breviſſime licebit pertractatis, ſuccedent Obſervationes quædam eccleſiaſticæ & monaſticæ, quæ in priori Præfationis noſtræ parte deſiderantur. Præfationis argumentum.

§. I.

De ſchiſmate Græcorum per Michaëlem Cerularium in Romanam eccleſiam excitato, & de eorum objectis in Latinos.

2. JAm anni fere ducenti à ſchiſmate Photiano effluxerant, cum, necdum bene obducta cicatrice, aliud non minus pernicioſum, & hactenus inſanabile exortum eſt. Poſt mortem quippe Alexii patriarchæ Conſtantinopolitani, quæ anno milleſimo quadrageſimo-quarto, menſe Februario accidit, ſubrogatus eſt in ejus locum Michaël, cognomento Cerularius, qui à Johanne germano Græcorum ſchiſmatis origo & progreſſus.

Digitized by Google

Michaëlis imperatoris in exſilium actus fuerat ob tyrannidem affectatam, teſtante Johanne Curopalata. Hinc neophytus ad patriarchale evectus faſtigium, Alexandrino & Antiocheno patriarchis ſuas prærogativas detrahere conatus, demum in Romanum Pontificem, totamque Latinam eccleſiam ſe convertit, ſpecie quidem, ut cum Romano Pontifice & Latina eccleſia communionem ſarciret; ſed re ipſa, ut cauſas utrique conviciandi quæreret, ac prætexeret. Tunc Romanæ eccleſiæ præerat Leo IX. Damaſo ſecundo ſuffectus anno milleſimo quadrageſimo-nono. quo tempore Græci in Apulia contra imperatorem rebellaverant. Hac occaſione Cerularius litteras ſcripſit ad Leonem papam, *cum multa*, ut ipſe [a] aïebat, *humilitate*: tum ut Leo cum Græcis eadem ſentiret, removeretque ſcandala, quæ de Latinis circumferebantur circa orthodoxam fidem: tum ut ipſum ſibi benevolum redderet, quo per eum Francorum auxilium contra Græcos rebelles imperatori procuraret. Eodem tempore Petrus patriarcha novus eccleſiæ Antiochenæ, quæ, uti & Alexandrina, quamdam ſemper communionem cum Latinis retinuerat, litteras cum fidei catholicæ profeſſione miſit ad Leonem pontificem, qui ejus promotionem laudavit, confirmavitque. Non tulit hanc Petri Antiocheni moderationem Cerularius, magnopere improbans, quod Romanum pontificem in ſacris diptychis commemoraret. Quin etiam, adjunctis ſibi Leone Acridano archiepiſcopo Bulgarorum, & Niceta Pectorato, variis ſcriptis Leonem papam & Latinam eccleſiam exagitavit. Reſpondit ad Cerularii litteras Petrus [b] Antiochenus ea, qua præditus erat, moderatione, & objectiones in Latinos ab eo factas partim inſuper habuit. Et alia quidem, inquit, viſa ſunt deteſtanda, qualis eſt particulæ *Filioque* adjectio ad ſanctum Symbolum: alia vero ſanabilia; quædam denique digna, quæ diſſimulentur. Ubi autem nec circa Deum, nec circa fidem periculum eſt, propendendum ſemper ad pacem & fratrum amorem. Denique multa itidem apud orientales tolerari, quæ poſt multum laboris ac ſtudii non potuerint exſcindi. Quod ſi eorum, inquit, qui ſub nobis degunt, ſuperiores evadere non valemus; quo pacto illam gentem, ſuperbam altæque cervicis, à ſuis conſuetudinibus revocare poterimus? Ceterum non facile aures præbendas inanibus calumniis, nec ſuſpicionibus temere habendam fidem. Demum epiſtolam ita concludit: Atque hoc divinam tuam beatitudinem admittere exhortor: ne, dum omnia requirimus, omnia amittamus. Hæc epiſtola ſcripta eſt poſt mortem Leonis papæ, quæ anno MLIV. accidit, cujus ſucceſſori ſcribendum monet Petrus, ut objecta vel neget, vel excuſet.

[a] *Cerul. epiſt. ad Petr. Antioch.*

[b] *Coteler. to. 2. Monum. p. 145. & ſeqq.*

3. Verum Leo papa, urgenti malo præſens remedium adhibiturus, legatos cum litteris direxerat ad Conſtantinum Monomachum imperatorem, ſcilicet Humbertum Cardinalem & epiſcopum, Pe-

Digitized by Google

trum Amalphitanum archiepiſcopum, & Fridericum ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cancellarium; qui, viſitato primum Caſinenſi monaſterio, ut ſuæ legationis ſucceſſum Deo commendarent, in urbem regiam profecti ſunt. Hos benigne & honorifice excepit imperator, contra quam Cerularius, quem legati in errore obfirmatum anathemate perculerunt. Humbertus primum Mediani-monaſterii in Tullenſi diœceſi monachus, indeque Romam profectus cum Brunone electo Pontifice, atque ab eo creatus cardinalis & epiſcopus Silvæ-candidæ ſeu ſanctæ Rufinæ, præcipuas hoc in negotio partes habuit, iſque unus voce ac ſcriptis, quæ exſtant, Cerularii objecta & errores refutavit, & Nicetam Pectoratum ad reſipiſcentiam adduxit. Petrus Amalphitanus archiepiſcopus à Cerulario fruſtra culpatur, tamquam ob facinora è ſede ſua pulſus, quem *piæ memoriæ* virum vocat Petrus Damiani [a]. unde redarguas putidum impoſtorem Bennonem, qui eum ob malas, ut ipſe nugatur, artes infamare conatur, ut Gregorio VII. ejus diſcipulo labem adſpergat. Tertius è Legatis Fridericus, Godefridi Tuſciæ ducis frater, Leonis papæ & Henrici imperatoris propinquus erat; poſtea Caſinenſis monachus & abbas, dein cardinalis, ac demum ſummus Pontifex ad breve tempus ſub nomine Stephani X.

[a] *Petr. Dam. init. opuſc.* 34.

4. Objectionum capita, quæ Cerularius Latinis exprobrabat, partim eadem, partim alia erant ab iis, quæ Photius ſæculo nono jam oppoſuerat. Hæc in ſumma refert Cerularius in epiſtola ad Petrum Antiochenum: nimirum quod Latini particulam *Filioque* Symbolo adjeciſſent; quod azymo pane in ſacrificio utantur: quod feria quarta carnem, paraſceve caſeum & ova edant, ſabbato jejunent; ſuffocata & polluta comedant; quod monachi adipe ſuillo utantur, eorumque infirmi carnibus veſcantur. Ad hæc quod ſacerdotum nuptias prohibeant Latini; & in Miſſa tempore communionis unus miniſtrantium azyma comedat, & reliquos ſalutet. quod anulos in manibus epiſcopi gerant ut ſponſi; inſuper quod baptiſmum unica merſione peragant; denique quod omnes barbam radant. Quid ad hæc reſponderit Humbertus, ſingillatim exponere otioſum fuerit. Illud unum obſervare licet, quod negat, Latinos ſuffocato & ſanguine ad id tempus uſos fuiſſe. Preſſius objecta ipſa refellit in multis Petrus Antiochenus in epiſtola [b] ad Cerularium; excuſatque Latinos, quod barbam radant, & quod epiſcopi anulos gerant. Quod autem polluta manducent ipſi Latini, eorumque monachi edant carnem & adipem porcinum; illa quoque invenies, inquit, modo indagaveris, apud quoſdam è noſtris fieri. quod Magni Baſilii teſtimonio probat, & exemplo ſancti Pachomii, quem in ſuo ſancto monaſterio ſues è micis ac menſæ reliquiis paviſſe dicit: quibus mactatis, carnem quidem hoſpitibus in cibum præbebat: interanea vero ac extremitates pedum capitiſque ſenibus monachis & infirmis apponebat. Egregium vero ſcilicet ac ſuave ob

Objectiones in Latinos.

[b] *Cotelr. ubi ſupra p.* 149.

Digitized by Google

„ ſonium, inquit, lentem & fabam defectu boni olei, cum adipe „ ſuillo coctas comedere! Ex illa nihilominus Cerularii objectione in monachos, quod carnibus infirmi veſcerentur ex Regulæ ſancti Benedicti indulgentia, occaſionem forte ſumſit ſanctus Bruno Cartuſianorum auctor, ut carnium eſum ſuis, etiam infirmis, interdixerit. tametſi in ſtatutis Guigonis non fiat diſerta illius abſtinentiæ mentio cap. XXXVIII. ubi propter ſolos infirmos emendorum piſcium facultas conceditur. at in prima parte compilationis ſtatutorum antiquorum ſæculo XIII. factæ, *eſus carnium*, *cui Ordo renuntiavit*, nulli infirmorum, ne quidem leproſis, conceditur cap. XLIV. qualem abſtinentiam venerabilis Stephanus, Grandimontenſis Ordinis auctor, ſuis etiam diſcipulis diſertis verbis interdicit in Regulæ ſuæ cap. LVII. Quod vero nonnulli Græcorum Latinis objiciebant, quaſi honorem ſacris reliquiis & imaginibus detraherent: id falſum revincit[a] Petrus Antiochenus, tum ex cultu, quem Romani reliquiis ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli exhibebant: tum ex eo „ quod videmus, inquit, Francos peregrinos in noſtra omnino vene- „ randa templa intrare, omnemque honorem ac reverentiam ſacris „ imaginibus impertiri. Itaque rogo, ſubdit ille ad Cerularium, ſup- „ plico, obteſtorque mente tuos ſacros pedes amplectendo, ut de „ eo quod exactius eſt remittens divina tua beatitudo, rebus ſeſe ac- „ commodet. Metuendum enim eſt, ne, dum vult diſciſſum ſarcire, „ pejorem ſciſſuram faciat; dumque prolapſum erigere contendit, „ majorem efficiat caſum. Utinam hanc moderationem Græci omnes „ ſemper in animo habuiſſent, vel modo ſaltem haberent!

a *Ibid. p. 158. & ſeq.*

Leonis IX. obitus & conſequentia.

5. Interim moritur Leo papa: quo nuntio accepto, Legati Romam reditum parant. Hos donis muneratos dimiſit imperator, eiſque munera haud exigua beato Petro offerenda præbuit. Eorum inſuper precibus annuum cenſum, id eſt binas auri libras, Caſinenſi monaſterio[b] quotannis perſolvendas inſtituit. Verum eos in reditu Traſimundus Theatinus comes intercepit, ſpoliavitque. Invidiam nihilo minus apud Henricum Germaniæ regem paſſus eſt Fridericus cancellarius, quaſi pecuniis ac donis ſuffarcinatus rediiſſet, ob id regi inviſus, quod frater ipſius Godefridus in eum rebellaſſet. Hac pulſatus calumnia Fridericus, Richerium Caſini abbatem, qui tunc Romæ aderat, convenit, ſeque in monachum admitti poſtulavit. Annuit facile Richerius, præmiſſoque cum ſuis Caſinum Friderico, ipſe poſt paucos dies ſubſecutus eſt cum Henrici regis nuntiis ad principes miſſis: quibus præſentibus, ille abjecta, qua tunc utebatur, pretioſiſſima veſte, ſacræ religionis habitum induit; poſtea factus abbas, dein cardinalis à Victore II. ac demum poſt Victoris obitum pontifex ſub nomine Stephani X. anno MLVIII. Ubi primum iniit pontificatum, nihil antiquius habuit, quam ut Græcos ad Eccleſiæ communionem revocaret. quapropter legationem decrevit in orientem ad urbem Conſtantinopolitanam, deſignato ad id inu-

b *Chron. Caſin. lib. 2. c. 89.*

Digitized by Google

neris Deſiderio [a] Caſinenſi abbate, cui collegas duos adjunxit, Stephanum cardinalem, & Mainardum poſtea Silvæ-candidæ epiſcopum, dato eis mandato, ut, quam citius fieri poſſet, reverterentur. Verum quominus hæc legatio ſuum conſequeretur effectum, pontificis obitus brevi ſubſecutus intercesſit. Tentata ſubinde Græcorum ad Eccleſiæ communionem reductio: ſed hactenus, quod magnopere dolendum, exiguo, & fere nullo fructu.

[a] Ibid. lib. 3. c. 8.

6. Illud obiter obſervandum quod Leo IX. habet in epiſtola ad Cerularium, ubi eccleſiæ Conſtantinopolitanæ exprobrat levitatem in ordinandis eunuchis ejus epiſcopis, aïens loco unius ex eis ordi- „ natam fuiſſe feminam ferri. quod ſane Leo Cerulario haudquaquam „ exprobraturus fuiſſet, ſi fabula de Johanna papiſſa vulgata fuiſſet, quam à Cerulario in Leonem ipſum, adeoque in Romanam eccleſiam facile regeri poſſe præſenſiſſet. Verum hæc fabula jam demum apud eruditos ſic male olet, ut de ea plura dicere vetet pudor. tametſi heterodoxi quidam eam propugnare pergant, ut ridiculo commento ſuos aſſeclas paſcant. Tantum addo, quod à nemine hactenus notatum, in veteri carmine de Romanis pontificibus, quod in Eugenio III. deſinit, nullam de fabuloſa illa Johanna fieri mentionem, uti nec in carmine Frodoardi. ſic enim habet poſt Valentinum poëta ille anonymus nondum editus.

Fabula de Johanna papiſſa.

Gregorius quartus, & Sergius, & Leo quartus
Pontifices dicti: poſt quos legimus Benedictum.
Hinc, Nicolaë, tuo tua gaudet Roma decore.

Ex quo intelligitur, hanc fabulam medio ſæculo duodecimo necdum inventam fuiſſe, quam Martino Polono plerique tribuunt. tametſi in nonnullis ejus exemplaribus, quale eſt unum apud clariſſimum abbatem Franciſcum de Campis, nihil ſimile habetur. Fatendum eſt tamen, illam tunc temporis, id eſt ſub finem ſæculi tertii-decimi, vulgatam fuiſſe, eamque apud Johannem Iperium reperiri.

§. II.

De Berengario, ejuſque hæreſeos ortu & progreſſu; necnon de variis ejus confeſſionis formulis, ac multiplici condemnatione.

7. DE Berengariana hæreſi dicturis primum de ejus auctore agendum. Etſi enim complures hoc de argumento dedita opera ſcripſerint, nonnulla tamen de eo adhuc illuſtranda ſuperſunt, ex quibus ea, quæ nobis in manus venerunt, hoc loco præmittere viſum eſt.

8. Berengarius, ſeu, ut paſſim veteres ſcribunt, Beringerius, domo Turonenſis, ſub initia ſæculi undecimi natus eſt parentibus non

Berengarii vitæ initia.

Digitized by Google

omnino obſcuris, Walterii Martinianæ baſilicæ præcentoris nepos. E ſcholis Martinianis, ubi prima litterarum elementa didiciſſe videtur, ad Carnutenſes ſe contulit adoleſcens. In his condiſcipulum præ ceteris habuit Adelmannum, poſtea Brixienſem epiſcopum, teſtante ipſo Adelmanno, ſub Fulberto magiſtro: qui morti proximus futuros Berengarii errores prædixiſſe [a] fertur; eumque à conſpectu ſuo expelli juſſiſſe, viſo prope eum dæmone, qui blanditiis ſuis multos corrumpere tentabat. Certius eſt id, quod de eo refert Adelmannus in epiſtola ad ipſum Berengarium, cui in memoriam revocat lacrymas illas, quibus ambos obteſtabatur piiſſimus magiſter, ut per viam rectam graderentur, *ſanctorum patrum veſtigiis inhærentes, ut nullum prorſus in diverticulum, nullam in novam & fallacem ſemitam deſilirent, ne forte in laqueos & ſcandala inciderent.* Adelmannus ait ſe tum *majuſculum*, Berengarium vero *adoleſcentulum* ſeu natu-minorem exſtitiſſe; ſatiſque principio innuit, tunc ſenem fuiſſe *venerabilem* illum ſuum, ut vocabat, *Socratem*, id eſt Fulbertum, qui ad ſedem Carnotenſem promotus anno MVII. deceſſit IV. Idus Aprilis anno MXXIX. non anno præcedente, ut multi, etiam veterum, ſcribunt. De Adelmanno intelligenda videtur Fulberti epiſtola LVI. ad R. id eſt Reginardum Leodicenſium epiſcopum ſcripta, in qua eum ſecurum eſſe jubet *de illa ove, quæ in noſtris*, inquit, *paſcuis obverſatur* *. *Fratrem A. ſubdiaconum loquor, quia Dei gratia bene ruminat, & luporum inſidias ſagaciter cavet.* Hunc apud ſe remorari poſtulat Fulbertus in pignus mutuæ inter ſeſe caritatis. Hæc autem epiſtola ſcripta non eſt ante annum MXXIV. quo anno Reginardus Durando Leodicenſium epiſcopo ſucceſſit. atque adeo ſub finem vitæ Fulberti Adelmannus in ejus ſchola cum Berengario adoleſcentulo verſabatur. Per id tempus apud Aurelianos *cruda nimium & inſolens hæreſis*, ut Glaber [b] Rodulfus loquitur, circa divinam Euchariſtiam, alioſque fidei articulos detecta eſt, invecta per mulierem Italam, tum per Liſoïum & Heribertum propagata, qui demum convicti ac flammis traditi ſunt anno MXXII. non MXVII. ut ex Glabro male intellecto plerique opinantur; & quidem abſente Fulberto, qui tum Romæ verſabatur. Poſt quatuor annos conſimiles hæretici, omnes Manichæorum erroribus affricti, in ſynodo Atrebatenſi itidem convicti à Gerardo epiſcopo, & tandem ad reſipiſcentiam adducti ſunt. In eo errore non verſabatur Leuthericus præſul Senonenſis, qui ob id tantum à Roberto rege, uti Helgaldus ſcribit, increpitus fuit, quod corpus Domini, in ſalutem hominum inſtitutum, ad probationem, adeoque ad pœnam nocentium præberet. quod probationis genus tunc uſitatiſſimum erat.

[a] *Vvillelm. Malmeſb. lib. 3. de reg. Angl. & Bibl. Floriac. part. 1. p. 518.*

* *in ed. obſervatur.*

[b] *Glab. lib. 3. c. 8.*

9. E Carnutenſibus ſcholis domum reverſus Berengarius, clero adſcriptus eſt vivente adhuc Roberto rege, quo tempore Ulgerius decanus & Sulpicius archiclavis eccleſiæ ſancti Martini Vvalterio præcentori

præcentori *ad manum firmam*, ut vocant, *quartas tredecim de terra arabili, & tres, quas comparavit de Ernaldo de Inſula, ex voluntate & conſenſu fratrum, quæ fuit manus firma* BERINGERII CLERICI, *ſub ſua auctoritate conceſſerunt*, ſub annuo cenſu XXXII. ſolidorum, ad Miſſam ſancti Martini perſolvendo. quæ terra ſita erat in pago Turonico, *in poteſtate ſancti Spani*, cujus villa *ſuper rivum Eſmanciæ* poſita dicitur. His litteris, quas in bibliotheca Martiniana vidimus, ſubſcribunt *Vlgerius decanus*, *Sulpicius archiclavis*, *Vualterius præcentor*, *cujus & hæc manus firma eſt*; *Adam magiſter-ſcholæ*, & poſt alios *Raginaldus ſacerdos ſubmagiſter ſcholæ*. quæ charta *data eſt* VIII. *Idus Februarii in capitulo ſancti Martini*, *regnante Rotberto rege*. Hanc terram SUO NEPOTI BERINGERIO *donavit cantor Vualterius*, ut in alia charta legitur, *ſub audientia cleri in capitulo ſancti Martini, & pretio accepit ab ipſo eas res, de quibus chartæ continebant, eo jure, quo ipſe eas poſſidebat, vel poſſeſſurus erat, quamdiu viveret*. Non dubitamus quin is ſit Berengarius ſcholaſticus, quem poſtea Magiſtrum ſcholæ, nimirum poſt Adamum mox laudatum, factum legimus in litteris concordiæ, inter canonicos ſancti Martini & quoſdam bonos viros initæ ſuper quadam terra, ſita in area ſancti Martini: cujus rei cauſa homines iſti adierunt *Radulfum decanum*, *Raginaldum theſaurarium*, qui ſubmagiſter ſcholæ ſuperius dictus eſt, *Gaufridum præcentorem*, BERINGERIUM SCHOLÆ-MAGISTRUM, *Chriſtianum ſubdecanum*, *Joſcelinum cellerarium*, & reliquos ſancti Martini canonicos. quæ charta, uti & præcedens, deſtituta eſt chronicis notis. Has omnes in quodam codice bibliothecæ Martinianæ reperimus cum fragmento epiſtolæ ejuſdem Beringerii ad W. theſaurarium, & alia ejuſdem epiſtola ad Lanfrancum, de quibus mox acturi ſumus. Quam celebres fuerint hæ ſcholæ, poëtico more prædicat Baldricus, ſcilicet,

Tota Latinorum facundia marcida floret,
Dum Berengario Turoni floruere magiſtro.

10. Qualis fuerit Berengarius, unus omnium optime expreſſit Guitmundus initio libri primi, ubi hominis ingenium & mores deſcripſit his verbis. *Is ergo*, inquit, *cum juveniles adhuc in ſcholis ageret annos, ut aiunt qui eum tunc noverunt, elatus ingenii levitate, ipſius magiſtri ſenſum non adeo curabat, condiſcipulorum pro nihilo reputabat, libros inſuper artium contemnebat. Sed cum per ſe attingere Philoſophiæ altioris ſecreta non poſſet, (neque enim homo ita acutus erat, ſed & tunc temporis liberales artes intra Gallias pæne obſoleverant) novis ſaltem verborum interpretationibus, quibus etiam nunc nimium gaudet, ſingularis ſcientiæ laudem ſibi arrogare, & cujuſdam excellentiæ gloriam venari, qualitercumque poterat, affectabat. Factumque eſt, ut pompatico inceſſu, ſublimi* Berengarii genius.

præ cæteris ſuggeſtu, dignitatem magiſtri potius ſimulans, quam rebus oſtendens, profunda quoque incluſione intra cucullum, ac ſimulatione longæ meditationis, & vix tandem ſatis deſideratæ diu vocis lentiſſimo quodam quaſi plangore incautos decipiens, doctorem ſeſe artium pæne inſcius profiteretur. Hoc Berengarii ſpecimen ex Guitmundo præmittere hoc loco viſum eſt, ab eo, quod Hildebertus exhibuit, longe diverſum, cujus veritatem ſequentia ejus facta comprobabunt.

Ejus error quando propalatus. II. Berengarium apud Turonos primum hæreſim ſuam propalaſſe teſtis eſt inter alios Gozechinus ſcholaſticus in epiſtola ad Vvalcherum itidem ſcholaſticum, ſuum olim diſcipulum: qua in epiſtola poſtquam ſcaturientes ſuo tempore errores peſtiferos luxit, de Berengario ejuſque academia ita [a] loquitur. *Vide, ſi placet, quam ſanæ doctrinæ, quam ſalubris diſciplinæ theologi de Turonenſi emergant academia, cui præſidet ille apoſtolus ſatanæ Berengarius. Vide, inquam, quam peſtilentes, immo letiferi ſcorpiones & reguli de cavernis erumpant totius noſtri temporis Babyloniæ. qui hæreſiarchæ ſui muſto ebrii & veneno delibuti, de ſacris ſacrilegas introducunt novitates quæſtionum, ad nihil utiles, niſi ad ſubverſionem audientium: quorum ſermo ut cancer ſerpit: quia ſcientia quæ inflat, non ædificat, ſed ſubvertit.* Gozechinus iſte ſcholis præfuerat in Leodicenſi academia, relictoque magiſterio Moguntiam ſe receperat, unde hanc epiſtolam ſcripſit poſt mortem [b] Henrici ſecundi imperatoris, quæ anno MXXXIX. accidit, & Liutboldi Moguntinæ ſedis pontificis anno MLIX. defuncti. qua in epiſtola ſui temporis vitia & mala deplorat, ex Berengarii maxime erratis conſecuta. Verum *hæc omnia*, inquit [c] ille, *ſapienter deſpexit Herimannus Remenſis, Drogo Pariſienſis, Spirenſis Huoremannus, Bavenbergenſis Meinhardus, & præterea multi, & præſtantes, & præcipuæ auctoritatis viri, qui, præciſis ſpeciebus*, id eſt ſtipendiis & emolumentis, *& abdicatis laboribus, ſtudiis vale fecerunt, & ſapienti conſilio uſi, in theologiæ otium conceſſerunt.* quorum exemplo ſeceſſum itidem ſuum probat Gozechinus. Hi omnes ſcholarum inſignes magiſtri eo tempore erant, atque uno animo à Berengariano errore cum Lanfranco, aliiſque penitus abhorrebant. Hunc porro errorem jam à duobus luſtris diſſeminatum fuiſſe tradit idem [d] auctor. *A diebus*, inquit, *domini Notgeri noſtræ urbis*, id eſt Leodicenſis, *epiſcopi, eorum Pontificum, qui ei contemporales in eccleſia florebant præcipui, uſque ad hæc, quæ jam in miſeria defluxerunt, duo luſtra, miſericordia & veritas obviaverunt ſibi, juſtitia & pax oſculatæ ſunt. Nunc autem de terra ſublata eſt, & juſtitia in cælum receſſit, & repentino quodam fortunæ impetu, & monſtruoſa rerum perturbatione inverſa & perverſa ſunt omnia.* Itaque jam *duo luſtra* ſeu decem anni tum effluxerant, ex quo Berengarius errorem ſuum reſperſerat, cum Gozechinus hanc epiſtolam ſcribebat, poſt mortem ſcilicet Liutboldi Moguntini archiepiſcopi, quem anno MLIX. de-

[a] Analect. to. 4. p. 383.
[b] Ibid. p. 387.
[c] Ibid. p. 385.
[d] Ibid. p. 386.

Digitized by Google

ceſſiſſe jam diximus. Ex quo intelligitur id factum eſſe ante annum milleſimum quinquageſimum, quo anno Berengarianus error primum in concilio Romano à Leone IX. damnatus eſt, occaſione ſcilicet epiſtolæ, quam Berengarius paullo ante ad Lanfrancum Beccenſem tunc monachum ſcripſerat, in qua errorem ſuum primum ſcripto prodiderat. Certe Hugo Lingonum epiſcopus, qui contra Berengarii errorem primus ſcripſit, anno MLI. mortuus eſt, ut poſtea [a] videbimus.

[a] *Infra n.* 54.

Archidiaconus factus Andegavenſis.

12. Longe ante prædictum annum jam archidiaconus Andegavenſis eccleſiæ erat Berengarius, quo nomine litteris Theoderici Carnotenſis epiſcopi, anno MXL. ipſa die conſecrationis eccleſiæ Vindocinenſis datis, *Beringerius archidiaconus* cum aliis, qui *ex civitate Andegava erant*, ſubſcriptus occurrit: ne quid dicam de alia charta Gaufridi comitis pro eodem Vindocinenſi monaſterio, cui chartæ Berengarius eodem nomine anno ML ſubſcripſit. Alius eodem tempore fuiſſe videtur Beringerius grammaticus, ſubſcriptus litteris Fulconis Nigri comitis & Hildegardis ejus uxoris pro Andegavenſi ſancti Martini eccleſia, cujus ille clericus erat. Berengarius itaque, accepta archidiaconi dignitate, nihilo minus apud Turonos docere perſeveravit: ubi Euſebium, cognomento Brunonem, qui poſtmodum Andegavorum epiſcopus anno MXLVII. factus eſt, diſcipulum habuiſſe videtur, Berengariani erroris nota poſtea infamatum: non autem Brunonem ſacri Cartuſienſis Ordinis inſtitutorem, ut in priori hujus Sæculi Præfatione dictum eſt, iterumque inferius [b] dicturi ſumus.

[b] *Num.* 75.

Lanfrancus ejus adverſarius.

13. Paullo ante quam Berengarii error ſparſus eſſet in vulgus, id eſt ſub annum XL. ex Italia in Franciam acceſſerat Lanfrancus ſeu Lanfrannus, litteris apprime inſtructus: quas poſtquam apud Abrincas per biennium docuiſſet, Becci factus eſt monachus, ubi litterarum ac pietatis academiam inſtituit, Prioriſque officium geſſit. Illic tanto plauſu ac ſucceſſu litteras docuit, ut ex univerſis Galliæ partibus diſcipuli ad eum confluerent. Tunc Berengarius *deſertam ſe à diſcipulis dolens*, ait [c] Guitmundus, *ad eructuanda impudenter divinarum ſcripturarum arcana*, quibus *adoleſcens*, & *aliis eatenus detentus ſtudiis*, *nondum adeo intenderat*, *ſeſe convertit*; & *ea*, *quorum novitate omnium corda permoveret*, *atque omnium ad ſe oculos traheret*, *ſtudioſe perquirens*, *maluit eſſe ſub aliqua hominum admiratione hæreticus*, *quam ſub oculis Dei privatè vivere catholicus*. Hinc legitima connubia, & baptiſmum parvulorum impugnavit, ut idem Guitmundus cum Deoduino Leodicenſi epiſcopo teſtatur, ſed maxime catholicam de Euchariſtia fidem, extollendo Johannem Scottum, & reſpuendo Paſchaſium. Hoc intellecto, Lanfrancus mox errorem abhorruit, dictiſque palam improbavit. quod ubi reſcivit Berengarius, litteras ſcripſit *Fratri Lanfranno*, tunc Beccenſi priori, directas; in quibus ait ſe accepiſſe, diſplicere ipſi; immo hæreticas

[c] *Guitm. init. lib.* 1.

" haberi ſententias Johannis Scotti de Sacramento altaris, in quibus " diſſentit à Paſchaſio. Id vero indignum eſſe ejus ingenio, quod Deus " illi *non aſpernabile* contulerat; nondum porro ſatis verſatum eſſe in " ſcriptura divina, ut ita ſentiret. Ceterum optare ſe cum eo, tametſi " adhuc rudi, hac de re coram arbitris diſputare. Interim deſineret hæ- " reticum habere Johannem, niſi Ambroſium, Hieronymum & Au- " guſtinum pro hæreticis habere vellet. Ante has litteras Berengarius ad Lanfrancum alias, ut videtur, priores perferendas tradiderat cuidam nuntio, qui, Lanfranco in Normannia minime reperto, eas aperuit, & quibuſdam legendas præbuit. Hinc, ut ſunt proni ad ſiniſtra judicia mortales, non deterior de Berengario ipſo, quam de Lanfranco orta opinio, quaſi hic eadem cum illo ſentiret. quod prædictæ epiſtolæ convenire non poteſt, in qua Lanfrancus à Berengario diſſentire aperte dicitur: adeoque neceſſe eſſe alias admittere Berengarii ad Lanfrancum priores litteras, in quibus amice cum eo de ſuo errore agebat. Ita vero prævaluit hæc de Lanfranco ſiniſtra opinio, ut Romæ coram Leone IX. hac de re ſe purgare compulſus fuerit. quod is facile præſtitit.

Concilium Romanum contra Berengarium.

14. Id factum anno M L. quo anno Romæ concilium habitum eſt medio menſe Aprili, ad quod tempus à Leone papa indictum fuerat hoc concilium in ſynodo Remenſi, anno ſuperiori habita, in qua *novi hæretici*, qui in *Gallicanis partibus emerſerant*, excommunicati ſunt. Forte Manichæorum, ut tunc vocabant, Aurelianenſium & Atrebatenſium reliquiæ, qui per hæc & ſubſequentia tempora his in partibus exſtitiſſe referuntur. Niſi id intelligere malueris de Berengario, ejuſque aſſeclis recens exortis. Jam enim notus erat Berengarii error, contra quem Hugo Lingonum præſul jam tum ſcripſerat. Ad hoc Romanum concilium non parva convenit multitudo epiſcoporum, abbatum, diverſique ordinis & ex diverſis regionibus religioſarum perſonarum, ut ſcribit Lanfrancus [a] ipſe, qui præſens adfuit. Tunc delatus eſt Berengarii error ad apoſtolicam ſedem cum epiſtola ad Lanfrancum ſcripta, quam, Lanfranco forte necdum notam, Remenſis quidam clericus Romam detulerat. Ea lecta, prolata in auctorem damnationis & excommunicationis ſententia eſt, ob id ſcilicet, quod Johannem Scottum extolleret, damnaret Paſchaſium; injunctumque Lanfranco, ut fidem ſuam exponeret, ſicque pravi rumoris à ſe maculam abſtergeret. quod ille palam viva voce præſtitit, aſſentientibus omnibus, ſcriptiſque poſtea luculenter confirmavit.

[a] *Lanfr. de euch. c. 4.*

Synodus Vercellenſis.

15. In eodem concilio indicta eſt Vercellas ſynodus in proximum menſem Septembrem, juſſuſque adeſſe Berengarius, non tamen comparuit: adfuit vero Lanfrancus, qui *precepto* [b] *ac precibus* ejuſdem Leonis pontificis uſque ad ipſam ſynodum cum eo remanſit. Habita re ipſa prædicto anno & menſe ſynodus, præſidente Leone, in qua Johannis Scotti liber de Euchariſtia lectus, damnatus, flammiſque traditus: expoſita quoque ac damnata denuo Berengarii

[b] *Ibid.*

Digitized by Google

ſententiâ, aſſertaque Eccleſiæ fides, quam Lanfrancus cum Paſchaſio tenebat; denique duo clerici, qui ſe à Berengario miſſos dicebant, primo ſtatim congreſſu defecerunt, & comprehenſi ſunt. Porro hanc ſynodum eodem anno, quo concilium Romanum, id eſt anno ML. habitam fuiſſe ex Lanfranco facile conficitur, probatque Hermanni tunc ſcribentis auctoritas, ac rerum à Leone geſtarum conſequentia & ſeries, qui Roma ſub autumnum digreſſus, denuo Alpes poſt celebratam Vercellenſem ſynodum trajecit, ac Tullum profectus, ſancti Gerardi epiſcopi corpus è tumulo extulit, & in cathedrali eccleſia, ubi ſepultus fuerat, in altari ab ſe conſecrato repoſuit. Eodem tempore privilegium ſancti Manſueti monaſterio conceſſit, datum *Tulli in majori eccleſiâ anno incarnationis Domini milleſimo quinquageſimo, indictione* IV. XI. *Kal. Novembris.* Hinc confirmatur epocha concilii Vercellenſis, quod alii ad annum MLIII. differendum cenſent. quo anno pontifex tota æſtate uſque ad reditum ſuum in urbem Romam, ubi uſque ad mortem remanſit, in Apulia contra Normannos detentus eſt. Non audiendi proinde illi, qui Durandi Troarnenſis abbatis freti auctoritate, ſynodum Vercellenſem colloquio Berengarii cum Ansfredo abbate Pratellenſi, quod anno MLIII. habitum fuiſſe dicit, atque adeo ſubſequenti conventui Brionenſi poſtponunt. Nec audiendi, qui erratum putant eo loco eſſe vel amanuenſis, vel lectoris: ſiquidem in codice Bigotiano, qui auctoris ætate ſcriptus eſt, annus tertius poſt quinquageſimum, non numericis notis, ſed integris litteris, decurtata dumtaxat prima ſyllaba, expreſſus eſt. Verum forte dici poſſit, Durandum rerum ordinem invertiſſe, & colloquium quidem Pratellenſe, uti & Brionenſe, adeoque Pariſienſe Concilium, retuliſſe ad annum MLIII. poſt ſynodum Vercellenſem, tametſi ſubdat, quod poſt conventum Brionenſem *inſtabat conſtituta dies concilii, poſtmodum Vercellis habiti*, idque per incogitantiam ſubrepſiſſe Durando, qui longe poſt iſtud tempus librum ſuum ſcribebat, mortuus anno MLXXXVIII. Orderico [a] teſte. Ut ut ſit, præferenda eſt Hermanni auctoritas, cujus chronicon in anno MLV. deſinit in optima editione Caniſiana, utpote cui plane conſentit Lanfrancus, qui ſynodo Vercellenſi interfuit. Porro ut concilium Pariſienſe, quod poſt colloquium Pratellenſe & conventum Brionenſem, auctore Henrico rege, celebratum eſt, referente Durando, eodem anno, quo ſynodus Vercellenſis, habitum exiſtimemus, illud nos movet, quod Deoduinus Leodicenſis præſul in epiſtola ad Henricum Francorum regem, in qua mentionem facit de Pariſienſi concilio à rege indicto, ſuadet illud ſuſpendi, *donec, accepta Romanæ ſedis auctoritate, illos hæreticos damnandi poteſtatem haberet.* Quod ſane non videtur moniturus fuiſſe, ſi Romani concilii anno ML. habiti notitiam habuiſſet.

[a] Orderic. l. 8. p. 676.

16. Certius itaque videtur & exploratius, Berengarium, dum cau-

Berengarii colloquium cum Anſfredo abbate.

a *Durand. cap.* 9.

ſam ventilari ſuam à Leone pontifice accepiſſet, pertentaſſe quos potuit viros quoſque doctiſſimos & potentes, ut illos in ſuas partes pertraheret. Et primo quidem, ut Durandus [a] ſcribit, Normannorum finibus irrepſit, appulitque ad cœnobium Pratellenſe diœceſis Lexovienſis, quod ante annum MXXXV. inſtauratum fuiſſe conſtat; aggreſſuſque eſt catholicum & eruditum ejus loci abbatem, Anſfredum nomine, quem Gradulfus Fontanellæ abbas primum novi monaſterii rectorem inſtituerat. Illic humaniſſime exceptus Berengarius: aſt, ubi ſui erroris venenum abbati propinare tentavit, ſtatim ab eo, tamquam *blaſphemus & perfidus*, rejectus eſt. quod Durandus ex ore ipſius abbatis ſe reſciviſſe tradit. Inde digreſſus peſtilentiſſimus magiſter, Willelmum Normannorum principem adiit, quem, vix dum adoleſcentiæ annos prætergreſſum, facile ſe in partes ſuas inclinaturum exiſtimavit.

Brionæ conventus.

17. Verum aſſenſionem ſuam in re tam difficili & lubrica ſuſpendens prudentiſſimus & catholicus adoleſcens, conventum *ad mediterraneam regni ſui ſedem*, id eſt Brionam, (quod opidum eſt diœceſis Rotomagenſis prope Beccum ad Riſelam fluvium) convocari curavit: ubi, coactis undique catholicis & ſapientibus viris, Berengarii novum dogma ventilatum, rejectum; confutatuſque eſt ejus auctor cum alio quodam, quem ſecum adduxerat, clerico, in cujus eloquentia ſpem victoriæ repoſuerat. Sic imperatum Berengario ſilentium, extortuſque ab eo in catholicam fidem aſſenſus: ſed, quia utrumque fictum erat, non diu promiſſum tenuit. nam inde Carnotum profectus, hæreſim ſuam rurſus in frequenti clericorum conſeſſu aſſerere & propugnare perrexit: à quibus digreſſus, litteras veneni & ſummæ in Leonem papam irreverentiæ plenas eis miſit.

Berengarii epiſtola ad Aſcelinum.

18. Ubi hæc in cognitionem Henrici Francorum regis venerunt, concilium in proximum menſem Octobrem Pariſios indixit, ad quod Berengarium adeſſe juſſit. Interea Berengarius epiſtolam ſcripſit *fratri Aſcelino*, qui Brionenſi conventui cum Willelmo abbate interfuerat. In hac epiſtola Berengarius ait, „ſe animo conſtituiſſe nullum habere cum quibuſvis de euchariſtia ſermonem, priuſquam ſatisfeciſſet epiſcopis, (nempe in concilio Pariſienſi) ad quos contendebat; ideoque factum eſſe, ut nihil pæne oppoſuerit Aſcelino, ejuſque ſequacibus; nihilque conſenſerit in colloquio illo, ad quod illi indigne convenerant. quod de conventu Brionenſi intelligendum putamus. Dein ſubdit ille falſo jactitare Willelmum, *quod negare nequiverim*, inquit, *hæreticum eſſe Johannem Scottum*; illum vero impie dixiſſe, *omnem hominem ad menſam dominicam debere in paſcha accedere.* Ad has litteras reſpondet Aſcelinus, vindicatque tum Willelmum, tum ſeipſum & Arnulfum cantorem, quem etiam Berengarius ſibi quodam modo aſſenſiſſe falſo aſſerebat. Aſcelinus non eſt ille monachus Uticenſis, ſive ſenior, ſive junior, quos Ordericus [a] laudat, qui ambo ſæculo decimo vixere; ſed potius Aſce-

a *Orderic. lib.* 6. *p* 623. *& ſeqq.*

Digitized by Google

linus Beccenſis monachus, qui inter primos Herluini abbatis diſcipulos recenſetur: uti & Willelmus monachus, Lanfranci amicus, qui poſtmodum Cormelienſis abbas factus eſt. Eidem forte Willelmo jam abbati ſcripſit epiſtolam illam *frater Anaſtaſius*, quæ apud Acherium [a] noſtrum *domno Geraldo abbati, olim filio, nunc venerabili patri* inſcripta eſt. nam in codice Joliano hæc epiſtola inſcribitur *domino W. abbati, &c.* In hac vero epiſtola catholicam de Euchariſtia fidem adſtruit Anaſtaſius monachus, idem, ut videtur, cujus rogatu Robertus de Tumbalenia commentarium edidit in Cantica canticorum, quem Ansfrido Pratellenſi abbati nuncupavit. [b] Et forte is eſt Anaſtaſius, ex monacho ſancti Michaëlis factus Cluniacenſis, cujus vitam hoc in volumine [c] damus.

a *Not. in vit. Lanfr. p. 21.*

b *Analect. t. 1. p. 125.*

c *Hic pag. 487.*

Deoduini epiſtola ad Henricum regem.

19. Interim Deoduinus ſeu Theoduinus Leodicenſis epiſcopus, ubi reſcivit indictum fuiſſe Pariſios concilium ab Henrico rege, litteras ad eum hac de re gratulatorias ſcripſit, quas Baronius perperam tribuit Durando epiſcopo, quem ante natam Berengarianam hæreſim, & quidem anno MXXIV. Henrico necdum regnante, deceſſiſſe conſtat. In hac epiſtola, quæ integra edita eſt in tomo quarto [d] Analectorum, ſcribit Deoduinus, quod fama, ſupremos Galliæ fines prætergreſſa, totam Germaniam pervaſit, Brunonem Andegavenſem epiſcopum, itemque Berengarium Turonenſem magiſtrum, antiquas renovaſſe hæreſes, adſtruendo, corpus Domini in Euchariſtia non tam corpus eſſe, quam umbram & figuram corporis ejus; eoſdem etiam legitima conjugia deſtruere, &, quantum in ipſis eſſet, baptiſmum parvulorum evertere. quos omnes errores poſtea Henriciani tempore ſancti Bernardi denuo renovarunt. Dein regem laudat Deoduinus, quod ad revincendos & confutandos illos errores concilium indixerit: at deſperare ſe ait id fieri poſſe ob Brunonem epiſcopum citra Romani Pontificis auctoritatem, cujus injuſſu epiſcopum judicari ſit nefas. Quamquam hujuſmodi homines nequaquam audiendos eſſe, neque tam pro illis concilium convocandum, quam de illorum ſupplicio exquirendum: utpote qui ſanctorum Patrum conciliis ac clariſſimis ſententiis aperte contraria docerent.

d *pag. 396.*

Adelmanni epiſtola ad Berengarium.

20. Eodem tempore Adelmannus ſcholaſticus Leodicenſis, tunc in Teutonicis partibus degens, poſtmodum Brixienſis epiſcopus, Berengario ſcripſit, quem dilectum in Chriſto fratrem, conſcholaſticum & collactaneum vocat, ob commune contubernium in academia Carnotenſi ſub Fulberto epiſcopo. In hac epiſtola ſe *ante biennium* rumore vulgato accepiſſe dicit, Berengarium ab unitate Eccleſiæ ſe divulſiſſe, *& de corpore & ſanguine Domini aliter, quam fides catholica tenet, ſentire.* quem ad reſipiſcentiam hortatur, & tamen ſanctum fratrem dicit. quod argumento eſt, hanc epiſtolam ſcriptam fuiſſe ante Berengarii damnationem. Idem Adelmannus aliam ſcripſit epiſtolam ad Paulinum Metenſem primicerium, quem vulgatus Sigebertus [e] Paulum vocat, monens eum, ut Berengarium

e *Sigeb. de ſcript. c. 153.*

communem amicum ab errore ſuo revocaret. Hujus epiſtolæ & ipſius Paulini meminit Adelmannus in ſuperiori epiſtola ad Berengarium, qui, eodem Sigeberto [a] referente, Almanno ſeu Adelmanno reſcripſit *faſtuoſo ſtilo, non agnoſcens amici corrigentis benevolentiam, ſed defendens ſuam de myſteriis Chriſti ſententiam*. quæ epiſtola ad nos non pervenit.

a Id. c. 154.

Pariſienſe concilium.

21. Etſi Henricus rex Deoduini epiſtolam ante habitum concilium forte acceperit, celebratum eſt nihilo minus hoc concilium XVII. Kal. Novembris apud Pariſios, ubi frequens conventus præſulum, clericorum, necnon nobilium laïcorum habitus eſt: at *Berengarius*, inquit Durandus, *malæ conſcientiæ perculſus timore, ut juſſus erat, eo venire diſtulit, ſeque cum Brunone ſuo, videlicet epiſcopo Andegavenſi, ſub quo archidiaconi fungebatur honore, pro eo maxime continuit, quia eodem errore, utpote tanti viri credulus, & ipſe noſcebatur involvi*. Inter ea, abſente Berengario, in ſynodo Pariſienſi præſul Aurelianenſis, ſcilicet Iſembertus, litteras Berengarii, ſcriptas ad quemdam familiarem ſuum Paulinum, qui Mettenſis primicerius [b] erat, & ab ſe interceptas, in conſpectu omnium ipſiuſque regis protulit, ac legi curavit. quæ epiſtola omnibus prorſus diſplicuit, utpote nequiſſima hæreſi infecta. Quare damnato communi ſententia talium auctore, damnatis ejus erroris conſciis cum codice Johannis Scotti, ex quo ejuſmodi errores ſumti videbantur, concilio ſoluto diſceſſum eſt, ea conditione, ut, niſi reſipiſceret ejuſmodi perverſitatis auctor cum ſequacibus ſuis, adhibita militari manu, præeuntibus clericis cum eccleſiaſtico apparatu, ubicumque conveniſſent, eo uſque obſeſſi tenerentur, donec aut fidei catholicæ conſentirent, aut mortis pœnas luituri caperentur. *Quam ob rem territi*, ait Durandus, *non multo poſt in concilio ſuper fidei ſuæ ſtatu conventi, ita ſe ſicut Eccleſia tenet catholica, credere fideliter & ſapere publice profeſſi ſunt; delatiſque ſanctorum pignoribus ut omnibus ſatisfacerent, atque de veritate fidei, quam profeſſi fuerant, eos qui aderant certos facerent, ſacramentum dederunt*. Verum eoſdem poſtea ad apoſtaſiam & priorem vomitum rediiſſe idem auctor tradit. quod non intelligendum de Brunone ſeu Euſebio Andegavenſi epiſcopo, qui ob id tantum ſuſpectus quibuſdam viſus eſt, quod faveret Berengario potius, quam ejus errori, quem in prædicta ſua epiſtola ad Berengarium quodam modo refutavit, ut inferius videbimus.

b Adelman. epiſt. ad Bereng.

Berengarii epiſtola ad Richardum.

c Spicil. tom. 2. p. 510.

22. Poſt concilium Pariſienſe, adeoque poſt Vercellenſe, Berengarius ſcripſit epiſtolam [c] *dilecto fratri Richardo*, quem rogat, ut pro ſua apud regem familiaritate eum moneat, injuſtiſſime damnatum fuiſſe Johannem Scottum, injuſtiſſime quoque aſſertum Paſchaſium in concilio Vercellenſi; & clericos Carnotenſes falſa de ſe regi retuliſſe. Hic videtur eſſe R. abbas, cujus meminit Frollandus Silvanectenſis epiſcopus in epiſtola [d] ad Berengarium, cui plus æquo tribuit, dum morbo gravi & letali decumbens, ſe ejus præſentiam

d Ibid. 509.

tiam avide cupere ait, ſeque ejus precibus commendat. Quis vero ſit ille Richardus abbas (nam multi eo nomine tunc abbates erant) difficile eſt definire. Certe ante ventilatum Berengarii errorem, adeoque ante ſynodum Pariſienſem, ex hac vita deceſſerant Richardus ſancti Vitoni, & Richardus alter Corbeïæ abbates. Quod attinet ad Frollandum epiſcopum, mortuus eſt ante annum MLXXIV. quo Ivo ſecundus, ejus ſucceſſor, dedicationi eccleſiæ ſancti Quintini interfuit. Poſt ſynodum Pariſienſem, cum Berengarius in errore contumaciter perſiſteret, pœna quadam, forte proventuum eccleſiaſticorum reditu, multatus à rege eſt, uti colligimus ex fragmento quodam epiſtolæ, quod ex bibliotheca ſancti Martini eruimus in hæc verba. *Domino ſuo W. theſaurario B. fidelia ſervitia. Si vos loqui cum Rege contingeret, vellem, dilecte domine, verbum aliquod pro me faceretis, ſi forte humanitatis, liberalitatis, dignitatiſque regiæ atque Chriſtianitatis reputatione, aliqua munificentia compenſaret damnum, quod mihi clerico eccleſiæ ſuæ injuſtiſſime à regia majeſtate indigniſſime tantum intulit. Quod ſi facit, ab immodica culpa, ſe modica expenſa non modicum exſolvit.* Ubi *eccleſia ſua* nomine ſancti Martini baſilicam intelligit, cujus à tempore Roberti Fortis Reges Francorum tertiæ ſtirpis nomen ac dignitatem abbatis tulerunt.

23. Poſt mortem Leonis IX. quæ anno MLIV. contigit, congregatum eſt anno inſequente Florentiæ concilium ſub Victore II. qui deceſſoris ſui ſtatuta, *ſua atque omnium conciliorum ſuorum* [a] *auctoritate firmavit*; eodemque anno alterum Turonis, præſidentibus ſedis apoſtolicæ legatis: in quorum præſentia ille hæreſim ſuam ejuravit, teſtantibus Lanfranco, qui præſens [b] aderat, & Guitmundo. Legati iſti fuere Gerardus cardinalis, & Hildebrandus tunc ſubdiaconus, necdum archidiaconus, ut Guitmundus putavit, qui unius Hildebrandi hoc loco meminit. Legatos vocat Lanfrancus: cui ſuffragatur Euſebius epiſcopus Andegavenſis in epiſtola ad Berengarium, in qua ait, querimoniam, *quæ in præſentia domini Geraldi tunc legati apud Turonum tunc emerſit*, ſedatam fuiſſe; & tumultum, *qui in audientia domini Eldebranni in eadem civitate efferbuit*, ſopitum. His duobus conciliis acceſſit tertium Rotomagenſe eodem anno habitum, ut ſcribit Laurentius Bochellus, præſidente Maurilio archiepiſcopo, quo in concilio actum eſt de caſtitate & ceteris Patrum inſtitutis ſervandis. In eo etiam condita videtur formula profeſſionis fidei de Euchariſtia contra Berengarii hæreſim, vulgata in tomo ſecundo [c] Analectorum ſub hac forma. *Corde credimus & ore profitemur, panem in menſa Dominica propoſitum, panem tantummodo eſſe ante conſecrationem; ſed in ipſa conſecratione ineffabili potentia divinitatis converti naturam & ſubſtantiam panis in naturam & ſubſtantiam carnis; carnis vero non ullius alterius, ſed illius, quæ concepta eſt de Spiritu-ſancto, nata ex Maria Virgine; quæ etiam propter nos & propter noſtram ſalutem flagellis cæſa, jacuit*

Concilia contra ejus errorem.

a Lanfr. c. 4.

b Orderic. lib. 4.

c Analect. t. 2. p. 461.

in ſepulcro; tertia die reſurrexit à mortuis, & ſedet ad dexteram Dei Patris. Similiter vinum, quod aquæ mixtum in calice ſanctificandum proponitur, vere & eſſentialiter converti in eum ſanguinem, qui per lanceam militis de vulnere Dominici lateris in redemtionem mundi feliciter emanavit. Anathematizamus autem contra hanc ſanctam & apoſtolicam fidem ſuperbe atque hæretice ſentientes, & impia temeritate garrientes. Hæc confeſſio denuo renovata fuit in altera ſynodo poſt mortem Maurilii archiepiſcopi, ut colligimus ex eo, quod *venerabilis memoriæ* titulo honoratur [a] in hæc verba. *Oportet etiam, fratres cariſſimi, ut fides veſtra de corpore & ſanguine Domini, quam præſidente huic ſanctæ ſedi venerabilis memoriæ Maurilio, communi aſſenſu contra ſpurciſſimas Berengarii, ejuſque ſucceſſorum voces diffiniviſtis, iterum recitetur. Corde credimus*, &c. ut ſupra. Conſimilem confeſſionem eodem tempore profeſſi ſunt piiſſimi quique viri & epiſcopi, ut naſcentem hæreſim ſe averſari & abhorrere palam teſtarentur, quales ſunt Gervaſii Remorum archiepiſcopi & ſancti Brunonis Cartuſianorum inſtitutoris confeſſiones, de quibus inferius.

[a] *Ibid. pag.* 460.

Concilium Romanum ſub Nicolao II.

24 Mortuis Victore II. & Stephano IX. ejus ſucceſſore, Romanam eccleſiam rexit Nicolaus II. cujus mandato alterum Romæ concilium centum & tredecim epiſcoporum anno MLIX. habitum eſt, in quo Berengarius adfuit: ſed non auſus [b] defenſare perverſam ſententiam, poſtulavit à Nicolao papa ejuſque concilio, fidei formulam ſibi tradi, quam teneri oporteret. Injuncta hujus rei cura Humberto epiſcopo cardinali. Formulam jurejurando confirmavit Berengarius, eique propria manu ſubſcripſit. Tum Nicolaus pontifex admodum lætus de ejus converſione, illius ſcripti exempla miſit per urbes Italiæ, Galliæ, Germaniæ, & ad quæcumque loca fama ejus hæreſeos pervenire potuerat. Verum brevis fuit hæc lætitia. nam ſimul atque à conſpectu concilii regreſſus eſt hæreſiarcha, ſacramento firmatam fidem ſcripto edito rurſus abnegavit, multis laceſſens injuriis Humbertum ejus formulæ auctorem, quem Burgundum per deridiculum inepte vocat: ſiquidem non Burgundus, ſed Lotharingus erat, teſte Lanfranco, qui hanc fidei formulam refert [c] in hunc modum.

[b] *Lanfr. c.* 2.

[c] *Ibid.*

Ego Berengarius, indignus diaconus eccleſiæ ſancti Mauricii Andegavenſis, cognoſcens veram, catholicam, & apoſtolicam fidem, anathematizo omnem hæreſim, præcipue eam, de qua hactenus infamatus ſum, quæ adſtruere conatur, panem & vinum, quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem ſolummodo ſacramentum, & non verum corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu-Chriſti eſſe, nec poſſe ſenſualiter, niſi in ſolo ſacramento manibus ſacerdotum tractari, vel frangi, aut fidelium dentibus atteri. Conſentio autem ſanctæ Romanæ & apoſtolicæ Sedi, & ore & corde profiteor de Sacramentis Dominicæ menſæ eam fidem tenere, quam dominus & venerabilis papa Nicolaus, & hæc ſancta ſynodus auctoritate evangelica & apoſtolica tenendam tradidit, mihique firma-

vit ; ſcilicet panem & vinum, quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem non ſolum ſacramentum, ſed etiam verum Corpus & Sanguinem Domini noſtri Jeſu-Chriſti eſſe ; & ſenſualiter, non ſolum Sacramento, ſed in veritate manibus ſacerdotum tractari, frangi & fidelium dentibus atteri : jurans per ſanctam & homouſion Trinitatem, & per hæc ſacro-ſancta Chriſti evangelia. Eos vero qui contra hanc fidem venerint, cum dogmatibus, & ſectatoribus ſuis, æterno anathemate dignos eſſe pronuntio. Quod ſi ego ipſe aliquando aliquid contra hæc ſentire, aut prædicare præſumſero ; ſubjaceam canonum ſeveritati. Lecto & perlecto ſponte ſubſcripſi. Et tamen perfidus ille tam ſacro-ſancti propoſiti violator, contra ſuum ipſius ſacramentum, *contra prædictam ſynodum, contra catholicam veritatem, contra omnium eccleſiarum opinionem*, ait Lanfrancus ; *ſcriptum poſtea condidit ;* quod Lanfrancus ipſe refutavit. Quo vero ſenſu hæc formula intelligenda ſit, poſtea videbimus.

Alexandri II. epiſtola ad Berengarium.

25. Poſt biennium à concilio Romano, id eſt anno MLXI. Alexander II. Victori ſucceſſit, qui Berengarium ad officium revocare cupiens, eum litteris *amice præmonuit*, ut à perverſa doctrina reſipiſceret, nec amplius Eccleſiam perturbaret, at *ille ab incœpto deſiſtere noluit ; hocque ipſum Apoſtolico remandare non timuit*, inquit Anonymus à Chiffletio editus.

Andegavenſis conventus.

a *Labbe bibl. nova to. 1. p. 288.*

26. Poſtero anno, ſcilicet MLXII. apud Andegavos pridie nonas Aprilis dedicatum eſt [a] monaſterium novum in honorem Salvatoris per venerabiles præſules, Hugonem Veſontionenſem archiepiſcopum, Euſebium Andegavorum, Wlgrinum Cenomannorum, & Quiriacum Namnetenſium epiſcopos. quo tempore id contigiſſe videtur, quod Euſebius epiſcopus refert in epiſtola ad Berengarium, cujus *rediviva peſtis, quæ neſcio quorum improbitate exagitata caput extulerat, domini Biſonticenſis archiepiſcopi, & eruditorum, qui interfuerunt, auctoritate calcata eſt*, & quidem *in capellula principis*, ſcilicet Gaufridi Martelli comitis Andegavorum. Id factum refert Euſebius poſt concilium Turonenſe ſuperius memoratum, profiteturque, ſe ipſum deinceps ejuſmodi turbis & controverſiis nolle immiſcere, nec quibuſvis hac de re conventibus aut diſputationibus intereſſe, quippe qui ſatis ſuperque fidem ſuam probaſſet in eadem epiſtola : in qua relatis verbis Chriſti Domini pro inſtitutione divini Euchariſtiæ ſacramenti, hanc ſubdit confeſſionem. *Hujus Verbi, per quod omnia facta ſunt, virtute & effectu, panem poſt conſecrantis in hæc verba ſacerdotis ſacrationem, verum corpus Chriſti ; & vinum eodem modo verum ſanguinem eſſe credimus & confitemur. Quod ſi quis, qualiter hoc fieri poſſit, inquirat, non ei ſecundum naturæ ordinem, ſed ſecundum Dei omnipotentiam reſpondemus ; & hoc, & omnia quæcumque voluit, fecit Deus in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis.* qua confeſſione ſe purgavit utcumque Euſebius, quem deinceps nemo Berengariani erroris ſuſpectum habuit. Hæc autem epiſ-

Euſebii confeſſio.

tola reſpondet ad eam, quam Berengarius ad Euſebium ſcripſerat adverſus Gaufridum Martini, clericum Andegavenſem ſibi infeſtum, rogans, ut ſe & ipſum Gaufridum *audiri faceret* ſuper libro beati Ambroſii de ſacramentis, experturus, uter melius hunc librum interpretaretur: quod Euſebius recuſavit, nolens amplius, ut mox dicebamus, his controverſiis ſe immiſcere, Berengarium amice monens, ut ſuæ fidei profeſſioni tandem acquieſceret. Poſt annos quinque, id eſt anno M LXVII. Gervaſius Remorum archiepiſcopus, cum morti proximus eſſet, *fratres & canonicos* convocari juſſit, iiſque præſentibus, *credulitatem ſuam aperuit, &, ut vere catholicus, confeſſionem ſuam fecit, ſicque poſtea communicavit de ſacrificio altaris Domini; nobis quoque, ut ei ante Dominum teſtes fuiſſemus, quod idem vere Corpus & ſanguinem credidiſſet, injunxit & poſtulavit.* Ita ſcriptum legitur in veteri codice, quem Odalricus præpoſitus, qui huic rei interfuit, Remenſi eccleſiæ conceſſit.

Gervaſii archiepiſcopi confeſſio.

Pictavenſis ſynodus.

27. Alexandro II. ſuffectus eſt anno M LXXIII. Gregorius VII. cujus anno ſecundo Pictavis coacta eſt ſynodus epiſcoporum, præſidente Gerardo cardinali & epiſcopo Oſtienſi atque Gregorii legato, ubi agitata eſt denuo eadem cauſa tanto animorum æſtu, ut Berengarius, qui præſens aderat, fere interemtus ſit, teſtante chronographo Maxentiano ſeu Malliacenſi, qui *Idibus Januarii* id contigiſſe tradit.

Duo concilia Romana.

28. Poſt hæc Gregorius pontifex, ut fidem facit Anonymus Chiffletianus, *iterum eidem Beringerio audientiam in duabus ſynodis generalibus Romæ conceſſit. Sed, cum ipſe ſectam ſuam catholicæ fidei contrariam denegare non poſſet; iterum ſub juramento eam abdicare, & fidem catholicam profiteri delegit, ſicut in ſuperioribus conciliis fecit.* Prior ex his duabus ſynodis Romæ habita fuit in eccleſia Lateranenſi, ſeu *in templo Salvatoris*, ut loquitur Lanfrancus, anno M LXXVIII. & quidem *in feſto omnium Sanctorum*, teſte ipſo Berengario, non X *Kal. Decembris*, ut vult Bertholdus, qui Berengarium, „ ut ab hæreſi ſua reſipiſceret, ſynodaliter conventum fuiſſe, ob id- „ que inducias ad proxime futuram ſynodum obtinuiſſe teſtatur. Poſterior hæc ſynodus celebrata eſt anno ſequenti M LXXIX. ut ſcribit Anonymus Chiffletianus, qui huic ſynodo præſens interfuit. Habitam fuiſſe *in quadrageſima* diſcimus ex ipſo Berengario, hoc eſt *menſe Februario, indictione ſecunda*, ex ejuſdem ſynodi actis. In duabus illis ſynodis ſingulas fidei profeſſiones admiſit, quarum priorem ipſe in libello, quem poſt alteram ſynodum compoſuit, retulit in hunc modum. *Profiteor panem altaris poſt conſecrationem eſſe verum corpus Chriſti, quod natum eſt de Virgine, quod paſſum eſt in cruce, quod ſedet ad dexteram Patris; & vinum altaris, poſtquam conſecratum eſt, eſſe verum ſanguinem, qui manavit de latere Chriſti. Et ſicut ore pronuntio, ita me in corde habere confirmo. Sic me adjuvet Deus, & hæc ſacra.* Hæc formula brevior eſt Humbertina, & non multum

Digitized by Google

diſſimilis illi, quam Euſebius edidit in laudata modo epiſtola ad Berengarium: qui hanc ipſe concinnaſſe videtur, tum quia nemo præter eum hujus profeſſionis meminit, tum quia explicatiorem aliam in poſteriori ſynodo ſubſcribere compulſus eſt, tum denique quia in prædicto libello hanc formulam ſuum ipſius ſcriptum vocat. Certe vero haud abſimile eſt, Berengario, poſtquam primam fidei formulam, ab Humberto cardinale compoſitam, tam atrociter ſcripto laceraſſet, datam fuiſſe ex Pontificis indulgentia poteſtatem ſuis verbis explicandi propriam de Euchariſtia mentem, ut vel ſic omnis cauſandi ac tergiverſandi occaſio ei præcluderetur. quod ipſe præſtiterit edita hac ſecunda formula fidei ad Euſebii epiſcopi mentem, in qua ſubdolis *veri corporis* ac *veri ſanguinis* verbis catholicam fidem profiteri videbatur, tametſi ſub ejuſmodi ſpecioſa larva hæreſim ſuam paſſim occultare ſoleret.

29. Unde, cum hæc confeſſio minus ſufficiens viſa eſſet, alia in poſteriori concilio Romano formula ipſi propoſita eſt, quam ille publice legit, confirmavit, ſed non ſincere, ac ſubſcripſit. Sic autem à Lanfranco [a] & ab ipſo Berengario refertur. *Ego Beringerius corde credo, & ore confiteor, panem & vinum, quæ ponuntur in altari, per myſterium ſacræ orationis & verba noſtri Redemtoris, ſubſtantialiter converti in veram & propriam ac vivificatricem carnem & ſanguinem Domini noſtri Jeſu-Chriſti; & poſt conſecrationem eſſe verum Chriſti corpus, quod natum eſt de Virgine, & quod pro ſalute mundi oblatum in cruce pependit, & quod ſedet ad dexteram Patris; & verum ſanguinem Chriſti, qui de latere ejus effuſus eſt, non tantum per ſignum & virtutem ſacramenti, ſed in proprietate naturæ & veritate ſubſtantiæ, ſicut in hoc brevi continetur, & ego legi, & vos intellexiſtis *. Sic credo; nec contra hanc fidem ulterius docebo. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſacra Evangelia.* Hæc fidei profeſſio, uti & Humbertina, paſſim occurrit in editis libris, in collectionibus conciliorum & in decreto Gratiani, nedum apud Lanfrancum: at media illa, quæ ab ipſo Berengario fabricata videtur, non ab alio, quam ab ipſo relata eſt, utpote non admiſſa, ſed rejecta. In poſtrema hac Romana ſynodo Bruno monachus è noſtris, qui poſtea Signienſis epiſcopus fuit, & Albericus Caſinenſis monachus, contra Berengarium diſputarunt, de cujus hæreſi Wolphelmus abbas epiſtolam ſcripſit ad Meginhardum abbatem, à Conrado monacho relatam in ejus vita, quæ hoc in volumine edita eſt.

a *Lanfr. c. 2.*

* *al.* intelligitis.

30. Abſoluta poſtrema ſynodo Romana, Gregorius ex Urbe dimiſit Berengarium, quem erroris ſincere pœnitentem exiſtimavit, conceſſis ei litteris [b] ſalvi conductus, *omnibus beato Petro fidelibus* inſcriptis, quibus anathema intentat iis omnibus, qui eidem Berengario aliquam in ejus perſonam vel poſſeſſiones injuriam facturi, vel qui eum vocaturi eſſent hæreticum. Addit Pontifex ſe ei comitem adjunxiſſe fidelem ſuum, Fulconem nomine, quem Berengarius

Gregorii litteræ pro Berengario.

b *De Roye p. 76.*

Digitized by Google

tranſmontanum clericum, & domini Papæ convictorem vocat. Alteras idem litteras [a] ſcripſit Gregorius *Radulfo Turonorum archiepiſcopo, & Euſebio Andegavorum pontifici*, quos monet ſuo nomine præcipere Fulconi comiti Andegavorum, ut Berengarium vexare deſinat, & contra omnes ejus inimicos ei opem ferat.

a *Ibid.* p. 75.

Berengarii iterata perfidia.

31. Verum Pontificem brevi poſtea fefellit homo verſipellis. Vixdum enim in Galliam reverſus erat, cum fidei profeſſionem, in ultima ſynodo Romana ſacramento ab ſe firmatam, iterum violavit, ſcriptoque edito refutavit. Hoc ſcriptum olim invenimus in bibliotheca Gemblacenſi, quæ ante paucos annos, non levi reipublicæ litterariæ detrimento, incendio conſumta eſt.

Burdegalenſis ſynodus.

32. Anno ſequenti M LXXX. convocatum Burdegalæ concilium, in quo Berengarius denuo *reddidit fidei ſuæ rationem*, ut legitur in chronico Maxentiano. Hujus concilii fit mentio in quodam inſtrumento à nobis relato [b] in Obſervationibus præviis ad vitam ſancti Geraldi Silvæmajoris abbatis: cui concilio Amatus & Hugo ſedis apoſtolicæ legati cum Goſcelino Burdegalenſi, Rodulfo Turonenſi & Willelmo Auſcienſi archiepiſcopis, aliiſque epiſcopis interfuiſſe memorantur. Ad hoc concilium adductus eſt Berengarius à Rodulfo metropolitano ſuo, ut in eo confeſſionem Romæ factam denuo confirmaret, forte etiam ut revocaret poſtremum ſcriptum ſuum, ſi tamen jam notum erat, in quo poſtremam fidei profeſſionem Romæ factam violaverat. Ab eo tempore altum de Berengario ſilentium, qui demum ſub finem vitæ reſipuiſſe videtur, ut certe viſum eſt illius temporis ſcriptoribus, qui ejus pœnitentiam laudant, eumque in catholica fide obiiſſe tradunt. quod utinam ille aliquo publico monumento poſteris teſtatum reliquiſſet.

b *Hic pag.* 868. *V. Diplom.* p. 587.

Placentina.

33. Poſt mortem Berengarii habita eſt anno M XCV. Placentiæ ſynodus, teſte Bertholdo, in qua *hæreſis Beringeriana, jam ab antiquo ſæpiſſime anathematizata, iterum damnata eſt, & ſententia catholicæ fidei contra eamdem firmata, videlicet quod panis & vinum, cum in altari conſecrantur, non ſolum figurate, ſed etiam vere & eſſentialiter in corpus & ſanguinem Domini convertantur.* Hæc de rebus contra Berengarium, ejuſque errorem ſæculo undecimo geſtis retuliſſe ſufficiat.

§. III.

An Berengarius veram Chriſti in Euchariſtia præſentiam ſincere admiſerit.

34. Cum hæc omnia, quæ mox retuli, ſimul confero & mente recogito, dubius hæreo, utrum amplius mirer, an obfirmatam Berengarii in ſuo errore contumaciam, an Romanorum Pontificum, aliorumque Galliæ epiſcoporum ac principum in eum indulgentiam, quos ille toties ludificavit. Quis enim non miretur, hominem per annos amplius triginta, toties convictum, ſed non vic-

Digitized by Google

tum, poſt toties recantatos errores, toties fere in eoſdem relapſum, eoſdem impune defendiſſe, fidem ſacramento firmatam toties violaſſe; Pontificibus & epiſcopis, totique Eccleſiæ quodam modo inſultaſſe, nedum adverſariis ſuis, quos paſſim *erraticos*, & *cum inſaniente Paſchaſio* inſanos vocat, & ſcriptis ſuis traducit? Id vero amplius mirandum videri poſſit, quod eodem tempore, qui contra ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum male ſenſerant Aurelianenſes hæretici, ne quid de Attrebatenſibus dicam, tametſi pro ſanctis à vulgo habiti, juſſu Roberti regis, ſtatim flammis traditi ſunt. Hæc, inquam, dum mente revolvo, tanti diſcriminis non alia mihi occurrit cauſa, quam quod non ita pernicioſus viſus ſit Berengarii in Euchariſtiam, quam illorum error, ſed forte uno ſaltem gradu minor: quod nimirum realitatem admittere viſus ſit, ſolamque impugnaſſe tranſſubſtantiationem.

35. Utrumque vero diſerte adſtruit harum rerum curioſus indagator Guitmundus paullo poſt initium libri primi adverſus Berengarium, ubi varias Berengarianorum ſectas diſtinguit in hunc modum. *Berengariani omnes quidem in hoc conveniunt, quia panis & vinum eſſentialiter non mutantur: ſed, ut extorquere à quibuſdam potui, multum in hoc differunt, quod alii nihil omnino de corpore & ſanguine Domini ſacramentis iſtis ineſſe, ſed tantummodo umbras hæc & figuras eſſe dicunt. Alii vero, rectis Eccleſiæ rationibus cedentes, nec tamen à ſtultitia recedentes, ut quaſi nobiſcum aliquo modo eſſe videantur, dicunt ibi corpus & ſanguinem Domini re vera, ſed latenter contineri, &, ut ſumi poſſint, quodam modo, ut ita dixerim, impanari. Et hanc ipſius Berengarii ſubtiliorem eſſe ſententiam aiunt.* Duas alias Berengarianorum ſectas refert Guitmundus, quorum alii, non jam quidem Berengariani, ſed acerrime Berengario repugnantes, putabant panem & vinum ex parte mutari, & ex parte remanere: alii ex toto quidem mutari concedebant, ſed, cum indigni ad communicandum accederent, iterum in panem & vinum reverti. Verum, his duobus generibus omiſſis, ex aliis duobus prioribus cenſet Guitmundus, Berengarii hanc fuiſſe *ſubtiliorem ſententiam*, corpus quidem Domini in Euchariſtia re vera *latenter contineri, ſed, ut ſumi poſſet, quodam modo impanari: ut quaſi nobiſcum*, inquit, *ſentire videantur*. Et hæc ſine dubio cauſa fuit, ut jam dixi, quod in Berengarium, poſt tot lapſus & relapſus, mollius actum ſit, quod nimirum cum catholicis idem fere ſentire videretur, admiſſa præſentia corporali; videreturque facilius reducendus ad admittendam tranſſubſtantiationem, quam aperte negabat contra receptam, ut ipſe fatebatur, Eccleſiæ fidem. Sed ex ipſius Berengarii ſcriptis diſpiciendum porro eſt, an hæc genuina fuerit Berengarii cum de realitate, tum de impanatione ſententia.

36. Atque ut à realitate incipiam, illud maxime pro ea facere videtur, quod Berengarius conſtanter verum Chriſti in Euchariſtia

Berengarius realitatem admittit.

corpus & ſanguinem agnoſcat ; quod ſolam in Euchariſtia Chriſti corporis & ſanguinis nudamque figuram & umbram ſe docere perneget : quod nullum contra realitatem argumentum proferat, ſed omnia ejus argumenta impugnandæ transſubſtantiationi militent : denique quod Chriſti Domini in Euchariſtia adorationem, quam noſtri temporis hæretici catholicis improperare ſolent, nuſquam objecerit. Hæc ex ordine expendamus.

37. Primo in ſecunda illa fidei ſuæ confeſſione, quam Berengarius in ſynodo Romana anni MLXXVIII. firmavit, profitetur, *panem altaris poſt conſecrationem eſſe verum corpus Chriſti, quod natum eſt de Virgine, quod paſſum eſt in cruce, quod ſedet ad dexteram Patris; & vinum altaris, poſtquam conſecratum eſt, eſſe verum ſanguinem, qui manavit de latere Chriſti.* quam confeſſionem ſi Berengarius ipſe non compoſuit, certe ex animo profeſſus eſt, nec illam umquam, ut alias duas, retractavit, aut revocavit, immo ei conſtanter adhæſit, eamque pro ſua agnoſcit in poſteriori ſcripto, quo tertiam fidei profeſſionem refellit.

38. Deinde in quadam ejus epiſtola ad Adelmannum, ubi non coacte, ſed ſponte ſuam ipſius mentem expreſſit, contra objectiones adverſariorum, qui contrariam ei ſententiam imputabant, ita ſe purgat. *Quod dicis audiſſe te quia dixerim, non eſſe verum Chriſti corpus & ſanguinem; vel panem & vinum altaris non eſſe à conſecratione verum Chriſti corpus & ſanguinem; noveris me numquam Manichæorum admiſiſſe ſententiam*, (hic Aurelianenſes & Atrebatenſes hæreticos notare videtur.) *Illi enim phantaſticum; ego verum & humanum corpus Chriſti fuiſſe & tenui, & teneo. Ego certiſſimum video, cum concedam dari aliquid ut corpus Chriſti fiat, concedendum mihi eſſe omnino (cum Chriſtus nonniſi verum corpus habuerit) ut etiam verum Chriſti corpus fiat.* Nihil hoc loco expreſſius ad probandum quod intendimus, ſcilicet Berengarium verum Chriſti corpus & ſanguinem, & quidem humanum in Euchariſtia confiteri viſum fuiſſe. Pergit ille. *Concedo autem panem & vinum altaris per conſecrationem, ſecundum ſcripturas, Chriſti fieri corpus & ſanguinem; ac per hoc non concedere nullus poſſum, poſt conſecrationem ipſum panem & vinum facta eſſe fidei & intellectui verum Chriſti corpus & ſanguinem.* Quomodo autem intelligat, panem eſſe Chriſti corpus *fidei & intellectui*, in alio ſcripto, quo fidem ſuam poſt Romanam ſynodum poſtremam expoſuit, ita explicat, nempe eſſe Chriſti corpus *oculo cordis, non manui vel denti*, quaſi eſſet adſpectabile & palpabile, quod nimirum ſentiret, panem & vinum cum Chriſti corpore & ſanguine in Euchariſtia ſupereſſe, & ſub illis verum Chriſti corpus & ſanguinem latere, id eſt *latenter contineri*, ut pro eo loquitur Guitmundus.

39. Hinc eſt quod in eadem epiſtola mox ſubdit, non nudam eſſe in Euchariſtia Chriſti corporis figuram, ſed figuram ſimul & veritatem. *Corpus ergo Chriſti & ſanguinem res dico ipſas ſacramentorum menſæ*

menſæ Dominicæ, non ipſa ſacramenta, nuſquam ſcripturarum appellatas inveni, nuſquam appellavi figuram, ſimilitudinem. Sacramenta autem ipſa, ſicut ſacramenta, ita etiam ſigna, figuram, ſimilitudinem, pignuſque appellari, utrum de præſumtionis meæ opinione afferam, ipſe dijudica. Hic manifeſte diſtinguit figuram à re ſacramenti, id eſt à corpore Chriſti, uti & in prædicto ſcripto, ut poſtea videbimus; & utrumque in Sacramento altaris admittit.

40. Denique in omnibus ſcriptis ſuis totus eſt Berengarius, non ut realitatem impugnet, ſed tantum converſionem ſubſtantiæ panis & vini in Chriſti corpus & ſanguinem. Id patet ex ejus epiſtola ad Aſcelinum, in qua quid in Paſchaſio Radberto arguat, his verbis aperit. *Sapis contra omnis naturæ rationes, contra evangelicam & apoſtolicam ſententiam, ſi cum Paſchaſio ſentis in eo, quod ſolus ſibi confingit, ſacramento Dominici corporis decedere panis omnino ſubſtantiam.* Duo præcipue in libro ſuo docet Paſchaſius, nempe veram Chriſti corporis & ſanguinis præſentiam in Euchariſtia, & veram panis & vini in illa duo converſionem. Hanc dumtaxat in Paſchaſio carpit Berengarius: illam proinde admittere, & ſilentio ſaltem ſuo probare viſus eſt. Unde cum, teſte Aſcelino, Johannis Scotti commentarium in Gregorianam de ſacramentis altaris orationem *ipſa veritate conſtrictus improbavit*, in eo ſcilicet, quod Scottus ille iſtius orationis poſtrema verba, *ut quæ nunc ſpecie gerimus, rerum veritate capiamus*, ita expoſuit, *ſpecie, inquit, geruntur iſta, non veritate.* quod cum Berengario, qui Scottum illum tantopere præ Paſchaſio prædicabat, objectum fuiſſet in colloquio Brionenſi, reſpondit, *ſi quid in illo* Scotto *videret non ſatis delimatum, facile ſe improbaturum.* quibus verbis illius Scotti gloſſema ſatis ſuperque improbare viſus eſt. Accedit quod receptam Chriſti corporis & ſanguinis in Euchariſtia adorationem à Chryſoſtomo, Cyrillo, Ambroſio, Auguſtino, aliiſque antiquis Patribus, ut eruditus vir [a] demonſtravit, aſſertam, nuſquam improbavit, quam ſæculo undecimo itidem viguiſſe teſtatur Algerus [b] his verbis. *Hac fide ipſum ſacramentum quaſi divinum quiddam adoramus, quaſi vivum quiddam & rationabile alloquimur & rogamus:* AGNUS DEI QUI TOLLIS, *&c. quia non quod videtur, ſed quod vere eſt, Chriſtum ibi eſſe credimus.*

[a] *Boileau de Adorat.*

[b] *Alger. lib. 2. c. 3.*

41. Erunt fortaſſe qui Berengariani erroris gradus ac progreſſus quoſdam diſtinguere velint, cenſeantque Berengarium primum quidem realitatem ſimul & tranſſubſtantiationem aperte negaſſe: poſtmodum vero adverſariorum ſcriptis compulſum & convictum, ſubdole de ſola tranſſubſtantiatione litigaſſe. Id autem eo probabilius efficitur, quod Lanfrancus utrumque contra eum aſſerat, ac pro confeſſo ponat, præſentiam realem, uti & veram converſionem, ab eo pernegari.

42. Certe Lanfrancus, uti & Durandus, ſub duplici hac conditione Berengarium impugnavit: ſed tamen in primo illo Berenga-

rii ſcripto, quod Lanfrancus refellit, non pauca occurrunt quæ reali præſentiæ in ſpeciem favent. Hoc ſcripto Berengarius refellit confeſſionem fidei ab ipſo admiſſam in ſynodo Romana ſub Nicolao II. compoſitam à cardinale Humberto, quem temere *Burgundum* vocat. Sed vide quid in Paſchaſio & in illo pſeudo-Burgundo arguat hæreticus. *Erat autem Burgundus*, ait ille, *in ſententia, immo vecordia vulgi, Paſchaſii atque Lanfranci, minime ſupereſſe in altari poſt conſecrationem ſubſtantiam panis atque vini.* Vides quo tendat iſtud convicium, in quo nihil contra realem præſentiam. Proſequitur ille. *Quam ſententiam*, inquit, *ſuperioribus ſuis verbis ille ipſe dejecit, nec attendit.* Quo pacto? *Qui enim dicit, Panis & vinum altaris ſolummodo ſacramenta ſunt; vel, Panis & vinum altaris ſolummodo ſunt verum Chriſti corpus & ſanguis; modis omnibus panem & vinum ſupereſſe conſtituit.* Hoc ergo unum in illa confeſſione arguit Berengarius, quod *ſolummodo* verum Chriſti corpus & ſanguinem in ſacramento altaris admittat abſque ſubſtantia panis & vini, quam ille ſupereſſe contendebat, ut ratio ſacramenti ſimul cum ipſa veritate conſiſteret. quippe *per conſecrationem altaris*, ſubdit ille, *fiunt panis & vinum ſacramentum religionis, non ut deſinant eſſe quæ erant; ſed ut ſint quæ erant, & in aliud commutentur, quod dicit beatus Ambroſius in libro de ſacramentis.* Hic aperte ſolam converſionem ſubſtantiæ panis & vini rejicit Berengarius: ut nimirum in ipſius ſententia conſtet ratio ſacramenti, quod *duobus conficitur*, inquit, *viſibili & inviſibili, ſacramento & re ſacramenti: quæ tamen res, id eſt Chriſti corpus, ſi eſſet præ oculis, viſibilis eſſet.*

43. Video quid huic ſententiæ opponi poſſit, ſcilicet quod Berengarius ſubdit, » corpus Chriſti elevatum in cælum, ſedenſque ad dexteram Patris, » cælo devocari non poſſe. Unde in conſequentibus Lanfrancus[a] objicientes ſibi inducit Berengarianos. *Si panis in veram Chriſti carnem convertitur: aut panis ſuſtollitur in cælum, ut illic in Chriſti carnem transferatur: aut caro Chriſti ad terram defertur, ut iſtic in eam panis commutetur. Atqui nec panis ſuſtollitur, nec caro defertur. Non eſt igitur vera caro, in quam panis convertitur.*

[a] Lanfr. c. 21.

44. Hanc objectionem ex Berengarianorum dictis & principiis recte conficiebat Lanfrancus; hincque probatur, Berengarium & Berengarianos non ſatis ſibi conſtitiſſe; Berengarius ſiquidem in Euchariſtia verum Chriſti corpus & ſanguinem, & quidem *humanum* ex dictis[b] agnoſcebat, ſicque nudam in ſacramento Chriſti corporis & ſanguinis figuram eſſe negabat, remque ipſam cum figura admitti volebat, *ut quaſi nobiſcum aliquo modo eſſe videretur*, ut loquitur Guitmundus: at in modo explicandi ſententiam ſuam, deſtruebat quod adſtruere velle videbatur. Etſi enim verum corpus, verumque ſanguinem, & quidem humanum, in ſacramento confiteretur, veram tamen ac propriam Chriſti carnem eſſe negabat, quod ſcilicet caro Chriſti cælo *indevocabilis* eſſet. At quo modo verum cor-

[b] Num. 38.

Digitized by Google

pus? quod ſcilicet *Chriſtum* in Euchariſtia impanari vellet, ut mox videbimus, id eſt Verbum ſubſtantiæ panis & vini abſque anima uniri: Verbo autem mediante, panem & vinum corpori Chriſti in cælo ad dexteram Patris exſiſtenti uniri; ſicque, remanente utriuſque elementi ſubſtantia, corpus & ſanguinem Chriſti quodam modo fieri. Verum quia hæc non ita diſerte explicabat, ſed ſpecioſis veri corporis & ſanguinis nominibus involvebat; non mirum ſi Pontificibus & epiſcopis de realitate recte ſentire viſus eſt, tametſi in modo eam explicandi, ut jam dixi, deſtruebat, quod adſtruere velle videbatur. Quam rectius Lanfrancus, ubi præmiſſam ſibi objectionem propoſuiſſet, reſpondit, in tanta rerum profunditate orandum « eſſe Deum, ut aut intelligamus, quæ pro humana capacitate intel- « ligi poſſunt; aut patienter & humiliter ferendum, & tamen creden- « dum, quæ in tanto arcano humani ingenii vires excedunt, & intel- « ligi in hac vita minime poſſunt; idque longe ſatius eſſe, quam litem « movere, ab univerſali Eccleſia diſſentire, novum ſchiſma verbis & « ſcriptis contra ſanctorum Patrum ſcripta inferre. «

45. Prædictam porro contradictionem Berengario recte objecit Hugo Lingonenſis epiſcopus, qui primus in eum ſcripſit. *Quapropter*, inquit, *neceſſe eſt, ut aut panem omnino à ſua natura dejicias, aut ipſum Chriſti corpus dicere non præſumas.* Idem auctor initio libri ſui, paullo ante hæc verba, quæ ex eo retulimus, conſimilem Berengario contradictionem objicit, ubi ſic ejus ſententiam exponit. *Dicis enim, nimis extenſe loquens, in hujuſmodi ſacramento corpus Chriſti ſic eſſe, ut panis & vini natura & eſſentia non mutetur; corpuſque quod dixeras crucifixum, intellectuale conſtituis. In quo evidentiſſime patet, quod incorporeum confiteris. Qua in re univerſam Eccleſiam ſcandalizas, ipſumque tuum offendis auctorem, qui palpabile obtulit, quod incorporeum affirmas.* Ex his Hugonis verbis duo inferre licet; unum, Berengarium initio ſuæ hæreſeos, quo tempore Hugo hæc ſcribebat, verum Chriſti corpus in Euchariſtia ſuo modo agnoviſſe: alterum, negando veram converſionem ſubſtantiæ panis in corpus Chriſti, conſequens fuiſſe, ut corpus tantum *intellectuale* & *incorporeum* admitteret. Ex quo conſequi ait Hugo, ut omnino *impotens* futurum eſſet ſacramentum, utpote conſtans ex egenis elementis. *Quod ſi forte dixeris*, inquit, *&* *ſuam naturam retinere, &* *tamen non eſſe impotens ſacramentum; contra rationem loqueris, ſi cui naturam confers, inhærentiam negas*, id eſt inhærentem & inſitam impotentiam. Verum ut huic objectioni occurreret Berengarius, Verbum ſubſtantiæ panis & vini intime uniri, id eſt impanari, atque, ut ita dixerim, invinari poſtea docuit.

46. Id patet ex retractatione ab eo facta ultimæ fidei profeſſionis, quam ille in poſtrema ſynodo Romana ſub Gregorio VII. ſacramento firmaverat. Cum enim in illa profeſſione conteſtatus eſſet, *panem & vinum ſubſtantialiter converti in veram & propriam*

Berengarius qui impanationem doceat.

ac vivificatricem carnem & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti; in retractatione ſua id ait ſe ita dumtaxat admittere, ut panis, *ſalva ſubſtantia ſua, ſit corpus Chriſti, id eſt non amittens quod erat, ſed aſſumens quod non erat.* quod in eodem ſcripto clarius explicat in conſequentibus, ubi ſuam cum catholica ſententiam comparat in » hunc modum. *Quod autem ſcripſerunt, panem & vinum, quæ po-* » *nuntur in altari, converti in veram ac propriam ac vivificatricem car-* » *nem & ſanguinem Domini noſtri Jeſu-Chriſti; non me latebat, eos ita velle accipi, ſicut dixi, ut putet quis deeſſe in ſacrificio altaris ſubjecta panis & vini per corruptionem ſui; & adeſſe carnem Chriſti & ſanguinem, nunc primum inſtituta, per generationem ſubjecti ſui.* Sic catholicam ſententiam exponit Berengarius: quid vero ille? Ex iſtius confeſſionis verbis ait conſequi, ſupereſſe panem & vinum poſt conſecrationem. *Conſecrari enim*, inquit, *panem & vinum in altari, non eſt deſtrui ſubſtantiam panis & vini per corruptionem ſui. Quodcumque enim conſecratur, non amittit quod erat, ſed in melius quam erat provehitur.*

Catholicorum ſententia de tranſſubſtantiatione.

47. Ex hoc loco manifeſtum eſt, qualis tunc temporis fuerit, ipſo Berengario teſtante, catholicorum de tranſſubſtantiatione ſententia: nimirum corpus & ſanguinem Chriſti Domini in Euchariſtia fieri *per deſtructionem panis & vini, & per generationem ſui.* quod amplius idem ille explicat in epiſtola nondum edita ad Almannum ſeu Adelmannum, ubi denuo ſuam cum catholicorum ſententia comparat his verbis. *Adverſarii ergo, vulgus, & cum vulgo inſaniente Paſchaſius, Lanfrannus & quicumque alii, ita cauſam intendebant, panem & vinum uſque ad conſecrationem conſtare in altari: urgente conſecratione, panem & vinum per corruptionem vel abſumtionem ſui in portiunculam carnis Chriſti ſenſualiter tranſire & ſanguinis. Mea, vel potius Scripturarum cauſa ita erat, panem & vinum menſæ dominicæ, non ſenſualiter, ſed intellectualiter; non per abſumtionem, ſed per aſſumtionem; non in portiunculam carnis, ſed, ſecundum Scripturas, in totum converti Chriſti corpus & ſanguinem.* Nihil clarius ad adſtruendam catholicorum de tranſſubſtantiatione fidem, quæ nimirum ea etiam tunc erat, panem & vinum fieri corpus & ſanguinem Chriſti *per corruptionem & abſumtionem,* ſive per deſtructionem panis & vini. At quis ex illis verbis etiam non inferat, Berengarii eam fuiſſe ſententiam, panem & vinum *per aſſumtionem* vere *in totum converti corpus & ſanguinem?* Non itaque mirum, ſi ſpecioſis illis verborum involucris catholicos nonnullos fefellit, quaſi veram Chriſti corporis & ſanguinis præſentiam re ipſa admitteret, ſolamque negaret tranſſubſtantiationem. Ita enim opinatus eſt Guitmundus, qui hanc *ſubtiliorem* dixit fuiſſe Berengarii *ſententiam, ut quaſi nobiſcum aliquo modo eſſe videretur:* ita etiam ſenſiſſe videtur Algerus in prologo ſuo, ubi ait, quorumdam, id eſt Berengarianorum, hanc fuiſſe mentem, *in pane Chriſtum quaſi impanatum fuiſſe, ſicut Deum in carne perſonaliter incarnatum.*

Digitized by Google

48. Verum ingenue fatendum eſt, fucatam, ſubdolam, & minime ſinceram fuiſſe hominis verſipellis confeſſionem, nec ex animo realitatem, uti neque tranſſubſtantiationem admiſiſſe. Unde verum Chriſti corpus in altari verbis quidem agnoſcit, at re vera negat, cum veram carnem ſacramento ineſſe diffitetur. Hic nimirum fuit, eritque ſemper hæreticorum genius, ut principio ad avitam Eccleſiæ fidem verbis quam propius accedant, ne catholicorum animos offendant, & à ſe prorſus abalienent: at mente re ipſa recedant. Hinc factum eſt, ut de verbis, verborumque ſenſu tanta fuerit Arianorum cum catholicis vitilitigatio: quam etiam in recentioribus Arianis, uti & in aliis hæreticis, advertere licet. Verba quidem ſubinde mutant, ſed raro mentem. quod quidem in Berengario maxime patuit, qui, mutatis pro loco & tempore verbis, quoſdam, ut ita dicam, gradus ad catholicam doctrinam feciſſe viſus eſt: (quid enim propius ad realis præſentiæ fidem, quam dicere, panem & vinum *non per abſumtionem, ſed per aſſumtionem, in totum converti Chriſti corpus & ſanguinem?*) at rem ipſam privatim interpretando, eumdem ſemper errorem mente retinuit.

49. Ex his conficitur, longe falli heterodoxos pleroſque, qui novum in Eccleſia transſubſtantiationis dogma eſſe, nec ante concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. invectum contendunt: cum, fatente ipſo Berengario eorum anteſignano, ita ſenſerint ejus tempore fideles omnes, quos vulgi inſanientis nomine impie traducit Berengarius. Pulcre & appoſite ad hunc locum Guillelmus[a] ſancti Theoderici abbas in epiſtola ad quemdam monachum, ſcilicet Rupertum Tuitienſem. *Panis ſubſtantiam poſt conſecrationem in altari ſupereſſe ſemper horruit pietas Chriſtiana, nuperque damnavit in Berengario Turonenſi, ejuſque ſequacibus. nam, ſi hoc admitteretur, jam Verbum non incarnatum tantum, ſed etiam, ſi dici poſſet, diceretur impanatum: ſi, ſicut ille dicebat, panis ſic in corpus Domini tranſiret, ut tamen panis eſſe non deſiſteret.* Hic duo docet Guillelmus, nempe catholicæ Eccleſiæ perpetuum fuiſſe dogma de transſubſtantiatione, cujus contrarium *ſemper horruit pietas Chriſtiana:* & Berengarium ſenſiſſe panem ſic *in corpus Domini tranſire, ut tamen panis eſſe non deſiſteret;* atque adeo præſentiam quamdam realem ſuo modo cum impanatione compoſuiſſe.

Catholicorum hac de re dogma.

a *Bibl. Ciſtete. tom. 4, p. 130.*

50. Quod ſpectat ad id, quod ait Berengarius, catholicos ſenſiſſe, panem & vinum fieri corpus & ſanguinem Chriſti *per abſumtionem* & deſtructionem eorum ſubſtantiæ; id ita fieri recte docet[b] Algerus, ut forma ſenſibilis panis non mutetur, ſed ipſa ſubſtantia, contra nonnullos, qui formam illam panis in corpus Chriſti etiam mutari autumabant. quæ opinio fuit quorumdam non modo ſæculo nono, ut alias oſtendimus, ſed etiam ſæculo undecimo, teſte Algero. qua in ſententia fuiſſe videtur Abbaudus ille abbas, cujus libellum de fractione corporis Chriſti alias[c] vulgavimus, conteſta-

Concilii Romani formula expenditur.

b *Alger. lib. 1. c. 7.*

c *Analect. t. 3. p. 444.*

Digitized by Google

tus ſe corde credere & ore confiteri ad ſalutem, *quia veraciter corpus Chriſti manibus frangitur ſacerdotis.* Id nimirum ita ſenſit Abbaudus ob formulam confeſſionis Berengario in ſynodo Romana propoſitam, & ab eo aſſertam, in qua damnatur illa hæreſis, quæ adſtruere conatur, *corpus Chriſti in altari non poſſe ſenſualiter, niſi in ſolo ſacramento, manibus ſacerdotum tractari vel frangi, aut fidelium dentibus atteri.* quod *non ſolum in ſacramento, ſed in veritate* fieri formula illa docet. Hujus formulæ duplex catholicorum olim fuit interpretatio. Alii enim volebant, fractionem re ipſa fieri in ipſo Chriſti corpore, quæ ſententia fuit Abbaudi, & Walteri abbatis ſancti Victoris contra Abaëlardum. Unde Petrus [a] Pictavenſis ait, pleroſque ſentire, idque colligere ex confeſſione Berengarii, *quod ipſum corpus Chriſti eſſentialiter frangatur, dentibus atteratur.* Alii vero, & rectius quidem, hanc fractionem fieri in ſpecie tantum viſibili & forma panis. Unde Jacobus [b] à Vitriaco: *Si autem*, inquit, *aliquando reperiatur, quod corpus Chriſti frangitur, vel in tres partes dividitur, vel dentibus atteritur, quæ notant corruptionem: non ad corporis ſubſtantiam, incorruptibilem & impaſſibilem referenda ſunt, ſed ad formam: ea vero quæ notant ſumtionem, corpori Chriſti proprie conveniunt. Quod autem reperitur Berengarius dixiſſe coram papa Nicolao, corpus Chriſti manibus ſacerdotis tractari, frangi, & dentibus atteri; referendum eſt ad formam.* Porro hæc formula ad hoc tantum ſic expreſſa fuit, ut fractio illa fieri non crederetur in ſubſtantia panis, quam Berengarius poſt conſecrationem ſupereſſe volebat. Hac de re latius ſcribit Guitmundus in libro primo.

a *Petr. Pict. parte 5. c. 12. & 13.*

b *Jac. à Vitr. hiſt. occid.*

51. At quid ſibi voluit hæreticus, cum tribuit catholicis hanc ſententiam, panem & vinum poſt conſecrationem *in portiunculam carnis Chriſti ſenſualiter tranſire, & ſanguinis?* Nemo enim catholicorum umquam hoc dixerit. At nimirum id de ſuo commentus eſt Berengarius. Panem enim & vinum non *in portiunculam* carnis Chriſti & ſanguinis, ſed in totum corpus & ſanguinem vere converti catholici omnes ſemper confeſſi ſunt: ſed eorum dogma hoc modo expreſſit, ut id abſurdum redderet, ſcilicet ſub modica panis & vini ſpecie totum Chriſti corpus & ſanguinem contineri.

52. Ex his omnibus ſatis manifeſtum eſſe puto, qualis fuerit Berengarii de divino altaris ſacramento doctrina: quam etſi variis diverſiſque in ſpeciem verbis & ſententiis expreſſerit, eadem ſemper mente retinuit uſque ad annum M LXXX. Erunt fortaſſe qui malint cum Guitmundo dicere, eum rectis tandem Eccleſiæ rationibus ante id tempus ſaltem ex parte ceſſiſſe, & admiſſa realitate, ſolam demum tranſſubſtantiationem negaſſe, aut certe pro locorum & hominum conditione verba & ſententiam mutaſſe. Ita ſit vero: at recte illum urgebat Guitmundus ipſe, cujus hæc verba ſunt in libro tertio. *Diligenter ſane, ſi daretur locus, cum ipſo Berengario diſcutere vellem, cum aliquos doceat, nihil in cibo altaris Domini corporis & ſanguinis*

Chriſti niſi umbram tantum & figuram haberi; aliquibus vero, tamquam ſubtilius quærentibus, ſatisfaciens, ipſum ibi corpus Chriſti eſſe reſpondeat, ſed impanatum latere: quid ſibi in priore ſententia diſpliceat, ut ſatisfacturus quærentibus tranſmigret ad alteram; aut quid in poſteriore abhorreat, ut redeat ad priorem? Migrando enim ad ſecundam, priorem reprobat: redeundo ad priorem, alteram damnat. quo fit ut utramque defenſando, neutram teneat. Unde conſequitur, ut cum reliquas ſententias omnes oderit, de his Dominicis ſacramentis quid debeat credere penitus nihil ſciat. Exinde quoque id accidit, quod certiſſime novimus, quod Berengarius & ſui, ſi ab eruditis catholicis de ſua fide diſcutiantur, id quod de corpore Domini tenent, aut territi denegant, aut, ſi profitentur, defendere non valent. Et poſt multa ibi præclare: *Quam ob rem palam eſt,* inquit, *quia non ſunt iſti defenſores veræ fidei, nec filii, ſed adverſarii Chriſti Eccleſiæ.*

53. Hæc fuſius fortaſſe proſecutus videar: ſed ad id cauſæ non parum, ut mihi quidem videtur, graves me impulerunt. Prima eſt ut accuratior habeatur Berengarianæ hiſtoriæ ac doctrinæ cognitio ex ſcriptis & monumentis nondum vulgatis. Altera, ut ratio appareat, cur tam diu hæreticum hominem toleraverint, & mollius, ut videtur, tractaverint Eccleſiæ paſtores, qui eum poſt tot lapſus & relapſus non cohibuerint. nimirum quod veri corporis & ſanguinis ſpecioſis nominibus videretur propius accedere ad catholicam fidem, tametſi ab ea mens ejus longe abeſſet. Tertia denique eſt, ut ex ejus confeſſione conſtet, qualis tunc fuerit catholicorum de transſubſtantiatione fides, cujus novitatem recentiores hæretici temere ac falſo nobis objicere non dubitarunt. Certe qui ſolam transſubſtantiationem à Berengario negatam fuiſſe putarunt catholici doctores, ut Guitmundus, eum non impari zelo impugnarunt, quam ſi realem quoque præſentiam rejeciſſet. Adeo inſitum eorum animis erat, utrumque ex æquo pertinere ad catholicam fidem. In hunc porro errorem impegit Berengarius, quod nimium philoſophicis ratiunculis, ut obſervavit Lanfrancus, tribuerit: quem ejus aſſeclæ infeliciter imitantur, cum plus ſenſuum teſtimoniis & humanæ rationi tribuunt, quam divinæ auctoritati & Eccleſiæ traditioni, qua catholica de Euchariſtia fides manifeſtiſſime continetur.

§. IV.

De propagatione Berengarianæ hæreſeos, deque variis auctoribus qui contra eam ſcripſerunt.

54. AD abſolvendam hanc de Berengariana hæreſi tractationem, de auctoribus inſignioribus, qui eam dedita opera impugnarunt, hoc loco diſſerere juvat. Hi ſunt Hugo Lingonum præſul, Lanfrancus, Guitmundus, Durandus, Albericus, Algerus, præter Jotſaldum Cluniacenſem monachum, qui calamum adver-

Digitized by Google

ſus Berengarium ſtrinxiſſe dicitur in veteri catalogo bibliothecæ Cluniacenſis; præterque Wolphelmum, Goffridum Vindocinenſem, Guibertum, & Guillelmum ſancti Theoderici abbates, alioſque nonnullos. Omnes illi ut rem certam & exploratam ponunt, Berengarii de Euchariſtia errorem totius orbis chriſtiani fidei orthodoxæ oppoſitum fuiſſe. Unde eum monet Hugo [a] epiſcopus, ut ne præſumat *ſingulariter ſentire, quod univerſitas non aſſentit*, immo *commune* habeat *judicium ſecundum catholicos & canonicos ſenſus, quos extra* ipſe ſentiebat. *Si verum eſt*, inquiebat Lanfrancus [b] ad Berengarium, *quod de corpore Chriſti tu credis & adſtruis; falſum eſt quod ab Eccleſia ubique gentium de eadem re creditur, & adſtruitur. Omnes enim, qui chriſtianos ſe & eſſe, & dici lætantur, veram Chriſti carnem, verumque ejus ſanguinem, utraque ſumta de Virgine, in hoc ſacramento ſe percipere gloriantur. Interroga univerſos, qui latinæ linguæ, noſtrarumve litterarum notitiam perceperunt. Interroga Græcos, Armenios, ſeu cujuſlibet nationis quoſcumque chriſtianos homines, uno ore hanc fidem ſe teſtantur habere.* Nihil hoc teſtimonio luculentius & efficacius ad probandam etiam orientalium nobiſcum hac in fide conſenſionem, quæ inviciſſimis argumentis nuperrime * denuo aſſerta eſt. Non minus diſerte Guitmundus [c] hanc veritatem probat. *Fides*, inquit, *quam de corpore & ſanguine Domini ſemper Eccleſia univerſa tenuit, multis inſuper conciliis generalibus roboravit, ex apoſtolica auctoritate tradita rectiſſime creditur. Nam ſi illud, quod ſemper Eccleſia tenuit, nullis munitum conciliis, apoſtolicum eſt: quanto magis illud, quod & ſemper tenuit, & multis eſt, ut dixi, conciliis generalibus confirmatum, ex apoſtolica auctoritate traditum eſſe credendum eſt? Sed panem & vinum altaris Domini in corpus & ſanguinem Chriſti ſubſtantialiter commutari, non, ſicut delirat Berengarius, corporis & ſanguinis Domini figuras tantum eſſe & umbras, aut intra ſe latentem Chriſtum tegere, univerſalis Eccleſiæ conſenſione roboratum eſt. Secura igitur voce, gubernante Domino Deo noſtro & Salvatore Jeſu-Chriſto, id à nobis aſſeri poteſt.* Itaque *abſit*, ut cum Durando [d] loquar, *ut tam perverſis, & à veritate ipſa tantum averſis, pari jungamur perfidia, atque in ſancta Dominici corporis ac ſanguinis communione minus aliquid fateamur, quam quod catholica per univerſum orbem prædicat Eccleſia.*

[a] Hugo in fine.
[b] Lanfr. c. 22.
* Perpet. de la foy.
[c] Guitm. lib. 3.
[d] Durand. parte 2.

Pauci Berengarii ſectatores.

55. Contra hanc totius orbis in una fide conſenſionem pauci admodum rebelles fuere, ut novam hæreſim ſectarentur. Unde *Berengarianam plebeculam* [e] vocat Guitmundus. Quippe, ut idem [f] ait, *ſi quis qualitatem vel flagitioſam vitam eorum, per quos utcumque pullulavit, aſpiciat; ſi quis nullum ſinceræ vitæ hominem, nullum penitus ſapientem fautorem ejus attendat; ſi auctoris ejus perjuria; ſi denique non ſolum concilia ſupra dicta, ſed etiam totum orbem terrarum contradicentem penſet: tacente noſtra diſputatione, quid magis tenendum ſit, ſatis, ut arbitror, judicabit.* Vis ſcire quo pacto hæc hæreſis ad illam plebeculam propagata ſit? audi quid de Berengario, ejuſque aſſeclis dicat idem [g] Guitmundus. *Aucupatis ergo nonnullis velut ratiunculis, (neque enim ulla um-*

[e] Guitm. lib. 3.
[f] Id. lib. 5.
[g] Ibid.

quam

Digitized by Google

quam hæreſis ſine aliqua veri ſimilitudine rationis invaleſcere potuit) adhibitis quoque paucis male intellectis à ſe capitulis ſcripturæ ſacræ, quæ multis errantibus laqueus eſt mortis; per egenos ſcholaſticos jam per alimoniam, qua ſuſtentabat eos, & per ſuos dulces ſermones corruptos, quaquaverſum potuit, clanculo hujus tanti mali nefandiſſimum virus effudit. Si qui autem prætereà aliquo modo receperint eum, hi ſunt, qui ex apoſtolica ſententia territi, qua dicitur, Qui manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit; communionem ſacram, quam pro eccleſiaſtico more ſumere coguntur, mallent aut nullam, aut non tantam eſſe, quam ejus metu ſe à flagitiis aliquatenus temperare. Ita igitur, & per tales execranda peſtis paullulum adolevit.

56. Non mirum itaque ſi nulli dignitate aut doctrina præſtantes viri eam receperint, immo eam impugnaverint docti quique illius temporis homines. Horum primus fuit Hugo Lingonenſis epiſcopus, frater Waleranni, ex comite Brituliensi monachi, dein abbatis ſancti Vitoni, in ſynodo Remenſi anno MXLIX. à Leone papa ob ſimoniam exauctoratus: qui Papam nihilo minus Romam uſque ſecutus, plenam ſynodum, cui præſidebat Pontifex, nudus & excalceatus ingreſſus cum virgis, quibus cæderetur, ita Pontificem & ceteros præſules ad commiſerationem flexit, ut eum Pontifex abſolverit, & in gradum reſtituerit, ſi tamen ejus eccleſia, aut quælibet alia eum recipere vellet. Verum ille, dum patriam repetit, in morbum incidit: habitum monachi ſub nomine cœnobii ſancti Vitoni, cui ipſius frater præerat, à comitibus itineris ſui monachis Cluniacenſibus accepit, ſicque vita functus fratrum ſancti Vitoni defunctorum numero adſcriptus eſt. quæ omnia narrat Laurentius de Leodio [a] in continuatione hiſtoriæ epiſcoporum Virdunenſium. In necrologio ſancti Benigni notatur XVII. Kal. Aprilis *depoſitio domni Hugonis Lingonenſis epiſcopi*, referenda proinde ad annum MLI. ſiquidem menſe Aprili anni præcedentis interfuit concilio Romano, ut mox diximus. Cum hæc ita ſint, ante exauctorationem ſuam ſcripſit Hugo contra Berengarium, cui necdum ab Eccleſia damnato librum ſuum ita inſcripſit: *Hugo Lingonenſium epiſcoporum minimus, Berengario, in quibuſdam reverentiſſimo ſacerdoti, Deum ſapere.* Ex hoc ſolo, ni fallor, auctore patet, Berengarium fuiſſe ſacerdotem, quem *in cunctis aliis* præter errorem *reverentiſſimum virum* vocat. In colloquio, quod cum eo habuerat, dicere auſus eſt Berengarius, ſe *extra communes oculos* de ſacramento altaris videre. *Expertus loquor*, inquit Hugo, *audiſſe contigit. nam non crederem. Abjecta unitate, de parte extolleris.* De Aſcelini, Deoduini, & Adelmanni epiſtolis ſuperius [b] egimus.

57. Poſt Hugonem adverſus Berengarium ſcripſit Lanfrancus, tum abbas monaſterii ſancti Stephani Cadomenſis anno MLXIV. exſtructi, cui primus rector præfectus eſt. Epiſtolam vocat Lanfrancus ſcribens [c] Alexandro II. diſcipulo quondam ſuo, qui hanc ab eo

Primus in eum ſcripſit Hugo epiſcopus.

a *Spicil. to. 11. p. 282. & ſeqq.*

b *Num. 18. & ſeqq.*

Lanfrancus ſecundus.

c *Lanfr. ep. 3.*

Digitized by Google

epiſtolam petierat. *Epiſtolam*, inquit ille, *quam Berengario ſchiſmatico, dum adhuc Cadomenſi cœnobio præeſſem, tranſmiſi, paternitati veſtræ, ſicut præcepiſtis, tranſmittere curavi.* Hæc proinde ad Berengarium epiſtola ſcripta eſt ante annum MLXX. quo Lanfrancus creatus fuit archiepiſcopus Cantuarienſis; adeoque non multo poſt concilium Romanum anni MLIX. ſub Nicolao II. in quo profeſſio fidei à Berengario ſubſcripta eſt, mox ab ipſo refutata ſcripto, quod Lanfrancus edito hocce libro, quem epiſtolam vocat, refellit. Ejus inſcriptio ſic habet: *Lanfrancus, miſericordia Dei catholicus, Berengario catholicæ Eccleſiæ adverſario.* In hoc libro Lanfrancus Humbertum ut mortuum laudat, quem ante annum MLXIII. obiiſſe Ughellus exiſtimat. In illo itaque temporis intervallo, quod ab eodem anno ad annum MLXX. effluxit, hic liber ſcriptus eſt. Ex his intelligitur, ea, quæ de concilio Romano ſub Gregorio VII. in capite 2. editionis Acherianæ dicta ſunt, ab eodem Lanfranco, cum jam archiepiſcopus eſſet, adjecta & inſerta fuiſſe. Certe in veteri editione, quæ Lovanii anno MDLXI. excuſa eſt, & in quibuſdam aliis, capitis ſecundi tres illæ de concilio Romano ſectiones deſunt.

Guitmundus tertius.

58. Guitmundus ſeu Witmundus monachus primum Crucis ſancti Audoëni ſeu ſancti Leutfredi in diœceſi Ebroïcenſi, poſtmodum epiſcopus Averſanus, ab Anonymo Chiffletiano Chriſtianus dictus & in vita Gregorii VII. diſcipulus fuit Lanfranci, quem magiſtrum [a] ſuum dicit. Nullus de eo accuratius ſcripſit Orderico [b] Vitali, apud quem Guitmundus in Angliam juſſu Willelmi regis trajeciſſe perhibetur, & inſigni conſtantia epiſcopatum recuſaſſe. Reverſus in Neuſtriam cum in monaſterio ſuo remaneret, defuncto Johanne Rotomagenſi archiepiſcopo, in ejus locum electus fuit; aſt, invidis reclamantibus, qui eum preſbyteri filium eſſe objiciebant, ab Odilone abbate ſuo facultatem peregrinandi obtinuit: quem Gregorius VII. Romam advectum benigne excepit, cardinalem ſanctæ Romanæ eccleſiæ creavit, eumdemque non multo poſt Urbanus II. archiepiſcopum Averſanum inſtituit. Hæc carptim ex Orderico, ex quo ſolvi poteſt Ughelli [c] dubium, an idem ſit Guitmundus Averſanus archiepiſcopus, qui factus eſt cardinalis, [illegible] tamen hac in re Orderici certa eſt auctoritas. Libros tres contra Berengarium ſcripſit Guitmundus dialogi more, interlocutore Rogerio monacho, medicinæ [d] arte prædito, cujus rogatu hoc opus aggreſſus eſt. In his libris adverſarium preſſius urget, in quibus Baronius id carpit, quod ſpecies ſacramentales corruptioni obnoxias eſſe negare videatur. Scripſit hos libros, dum adhuc in Neuſtria verſaretur, Gregorio VII [e] pontifice, ante ſynodum Romanam anni MLXXVIII. At poſt concilium Romanum [f] ſub Nicolao II. de quo mentionem fecit. Nemo illo accuratius Berengarii, ejuſque aſſeclarum varias opiniones indagavit.

a *Guitm. lib. 1.*
b *Order. lib. 4. pag. 524. & ſeqq.*
c *Ital. ſacr. t. 1. p. 550.*
d *Guitm. lib. 1.*
e *Ibid.*
f *Id. lib. 3.*

Durandus quartus.

59. Poſt Guitmundum Durandus in Berengarium itidem opus

Digitized by Google

elaboravit, in novem partes diſtributum, quod Acherius noſter in calce Lanfranci operum una cum libro Hugonis Lingonenſis epiſcopi typis vulgavit. Durandus ab infantia monachus, ac demum abbas primus Troarnenſis in Neuſtria monaſterii, quod anno MLIX. ab Odone Bajocenſi epiſcopo dedicatum legitur, grandævus obiit, Orderico [a] teſte, anno MLXXXVIII. Hoc opus aggreſſus eſt, cum vigeret

a Order. lib. 8. p. 676.

Jam per Francorum fines & caſtra vagantum,
Schiſmaticorum hereſis, per quos cœpit nova noſtris
Temporibus, veneranda negans myſteria Chriſti,

ut Durandus ipſe canit in verſibus operi ſuo præfixis. Mirum eſt eum nullam neque de Lanfranci, neque de Guitmundi opere facere mentionem, quos ſibi notiſſimos fuiſſe facile perſuadet locorum vicinitas.

Algerus quintus.

60. Id minus mirandum de Algero, homine extraneo. Hic quippe ab infantia in urbe Leodicenſi educatus & litteris informatus, ab Otberto epiſcopo in majori eccleſia ſanctæ Mariæ ſanctique Lamberti canonicus factus eſt; ſub quo & ſub Friderico epiſcopo, qui Otberto anno MCXVIII. ſucceſſit, annis fere viginti pro eccleſiaſticis negotiis multas ſcripſit epiſtolas, duoque opuſcula, unum de miſericordia & juſtitia, alterum de ſacramento altaris tribus libris: denique poſt mortem Friderici epiſcopi, quæ anno MCXXI. accidit, factus monachus Cluniacenſis ſub Petro venerabili, qui eum mortuum luget in epiſtola [b] ad Adalberonem II. Leodicenſem epiſcopum, anno MCXLVI. fato functum: ubi eum *humilitate, puritate, vitæ totius ſinceritate* maxime præditum fuiſſe dicit: *qui & librum*, inquit, id eſt opuſculum trium librorum, *de ſacramento altaris, auctoritatibus ſanctorum Patrum invincibiliter munitum, nobis in fidei ſuæ teſtimonium, & contra quorumdam modernorum vel imperitiam, vel errorem, ſingulare præſidium dereliquit.* His verbis videri poſſet Algerus hunc librum jam monachus compoſuiſſe: at Nicolaus Leodicenſis canonicus, qui ejus elogium [c] contexuit, hoc opuſculum, uti & aliud de miſericordia & juſtitia, ab Algero adhuc canonico fuiſſe compoſitum tradit: non proinde contra Petrobruſianos vel Henricianos, qui forte necdum exorti erant, ſed contra Berengarianæ ſectæ reliquias. Adverſus alios duos, id eſt Petrobruſianos & Henricianos, inſigne opuſculum edidit Petrus Venerabilis, in quo Lanfranci, Guitmundi, & Algeri libros laudat: *quorum alter*, inquit, *archiepiſcopus Cantuarienſis, alter epiſcopus Averſanus, tertius autem canonicus & magiſter Leodienſis, dehinc noſtro tempore monachus & preſbyter in monaſterio Cluniacenſi, ubi etiam liber ejus habetur, puræ ac devotæ converſationis exſtitit.* Jam ergo tum, cum hæc ſcriberet Petrus, obierat Algerus, qui anno decimo ab ingreſſu in monaſterium obiiſſe dicitur in brevi chronico Cluniacenſi, apud Poſſevinum

b Petr. Ven. lib. 3. ep. 2.

c Analect. t. 1. p. 303.

Digitized by Google

relato: adeoque anno circiter M CXXXI. deceſſiſſe cenſendus eſt.

Guibertus & Guillelmus ſancti Theoderici, abbates.

61. Non omittendi hoc loco Guibertus Novigenti, & Guillelmus ſancti Theoderici clariſſimi abbates, ex quibus ille, ſcilicet Guibertus, in epiſtola [a] quadam ad Priorem & monachos ſancti Nicolai in Silva, diœceſis Laudunenſis, de veritate dominici corporis agens: *Si umbra eſt*, inquit, *& non corpus, in umbram de umbra decidimus; immo in deteriora valde devenimus.* quod in conſequentibus recte probat. Idem argumentum denuo retractat in libro 2. de Pignoribus ſanctorum. Guillelmus vero ſancti Theoderici abbas, ejus æqualis, ſed paullo junior, librum ejuſdem argumenti ſcripſit, quem [b] ſancto Bernardo abbati Claræyallenſi nuncupavit. In hoc libro cum multa præclare dicta ſunt, tum illud in primis obſervandum videtur, quod ait Guillelmus cap. XI. ubi expendens, cur diverſæ in ſpeciem ſanctorum Patrum de hoc ſacramento legantur ſententiæ, hanc reddit rationem. *Quia ab initio ſanctæ Eccleſiæ uſque ad noſtra pæne tempora, hæc ab omnibus quæſtio intacta relicta eſt, ſancti Patres quod non impugnabatur non defendebant: niſi quod aliquando in tractatibus ſuis hoc inde proferebant, quod res poſtulabat, quæ in manibus habebatur. Quod quia quæſtionibus non reſpondebat, quæ nondum erant; parum modo ſufficere videtur ad eas, cum exſurgunt, compeſcendas. Contra quas, quia tunc non vigilabat intentio eorum; plurima de ſacramentis ſanctis* (ſic ſacramentum Euchariſtiæ ob duas ſpecies plurali modo tum vocabant) *in ſcriptis ſuis reliquerunt, quæ ſuo loco, ſuo ſenſu bene dicta, ab eis, qui contendere, vel errare amant, eruta de locis ſuis, aliud per ſe videntur ſonare, quam ibi ſonent unde ſumpta ſunt, & quam ſenſerit qui ſcripſit. Sed & multa de eadem re ab eis relicta ſunt, quæ bene dicta, vel obſcurius, utpote ab eis, qui, ut homines, venturas omnes errorum calumnias non poterant prævidere, male intellecta, materiam errandi, vel contendendi perditis videntur præſtare.* quod ſancto Auguſtino in materia de gratia contigiſſe idem auctor recte obſervat. Hunc locum, quia non levis momenti viſus eſt, nec facile cuivis occurrit, integrum referre quoddam operæ pretium duxi. Idem Guillelmus alterum libellum [c] ejuſdem argumenti ſcripſit occaſione operis Ruperti abbatis de divinis officiis, quo ex libello inſignem locum ſuperius [d] retuli. In fine hujus libelli idem Guillelmus proteſtatur, ſe haud dubitare *de integritate fidei* Ruperti abbatis, nec cenſoriam in eum tuliſſe ſententiam, ſed *fraterna caritate & ſollicitudine amica* optare, ut ejus opus exquiſitum & circumſpectum reddatur, *priuſquam exiret in manus eorum, qui foris ſunt: ut qui rodere illud vellet, non inveniret ubi dentem poſſet infigere.* Atqui Rupertus ipſe fidem de Euchariſtia ſuam ſatis ſuperque vindicavit, maxime in epiſtola ad Cunonem, præfixa ipſius commentariis in Johannem, ubi refellit quoſdam Berengarianos, qui ſanctum Auguſtinum ſuo errori favere aſſerebant. quod *omnino falſum* eſſe dicit. *Ego autem*, inquit, *verum corpus Chriſti, quod pro nobis traditum*

Ruperti abbatis integra fides.

[a] Guib. p. 283.

[b] Bibl. patr. Ciſt. to. 4. p. 132.

[c] Ibid. p. 130.

[d] Num. 49.

eſt, & verum eſſe decerto ſanguinem, qui pro nobis fuſus eſt, ſicut Eccleſia catholica tenet. Et infra. *Tribus eſſentiæ modis corpus & ſanguis Chriſti eſt, quarto autem differt. Eſt etenim nomine, re, & effectu: differt vero ſpecie.* Denique ita concludit. *Credamus fideli Salvatori Deo in eo quod non videmus: ſcilicet panem & vinum in veram corporis & ſanguinis tranſiſſe ſubſtantiam; & comedentes atque bibentes vivamus in æternum.* Sed præſtat legere Apologiam, quam noſter Gabriel Gerbero pro Ruperto compoſuit.

62. Supereſt agendum de Wolphelmo abbate & de Alberico monacho Caſinate, qui ambo contra Berengarium itidem ſcripſerunt. Wolphelmus, Brunvvillarenſis in Colonienſi pago monaſterii abbas, qui anno M X C I. deceſſit, epiſtolam adverſus Berengarium ſcripſit Meginhardo abbati Gladbacenſi, quam Conradus monachus in ejuſdem Wolphelmi abbatis vita retulit. De Alberico monacho ac diacono Caſinate agit Petrus Diaconus in continuatione chronici [a] Caſinenſis, ubi eum virum diſertiſſimum vocat, variaque ejus ſcripta recenſet; in his librum de corpore Domini adverſus Berengarium, quem in ſynodo Romana, cui interfuit, cum nullus Berengario reſiſtere valeret, *idem Albericus, hebdomadæ unius accepta licentia, adverſus eumdem diaconem*, ſcilicet Berengarium, edidit, *ſanctorum Patrum teſtimoniis roboratum, in quo omnes aſſertiones ejus deſtruxiſſe, æternæque oblivioni tradidiſſe* dicitur. Hoc *nimis glorianter ac mendaciter* ſcriptum ait Baronius, id interpretans de concilio Romano anni M LIX. in quo Berengarius errorem ſuum ſponte damnaverit. Et quidem Petrus nonnumquam res nimium effert, ut forte hoc loco accidit: at ſynodus illa, cui Albericus vocatus interfuit, non illa, quæ ſub Nicolao II. ſed alia poſterior anni M LXXIX. intelligenda eſt, Romæ itidem habita ſub Gregorio VII. in qua Albericus inſtitit, ut profeſſioni fidei Berengario propoſitæ vox *ſubſtantialiter* adderetur. Hujus rei auctorem habemus Berengarium ipſum, qui in quodam ſcripto, quod præ manibus habemus, Albericum in primis hac de re acriter reprehendit. *Si erravit*, ait ille, *qui dixit*, PANIS *ſacratus in altari eſt panis Chriſti, pro eo quod non addidit* SUBSTANTIALITER; *erravit ipſa Veritas quæ dixit*, HIC *panis eſt meum corpus.* Et poſt multa, ubi Apoſtolum, Ambroſium, Auguſtinum, alioſque Patres pro ſe teſtes adducit, hæc ſubdit. *Non* REALITER *eorum quiſquam, non* SUBSTANTIALITER, *quia nec ipſa Veritas, addendum eſſe putavit. Erravit potius, facilius plane erravit Caſſinus ille non monachus, ſed dæmoniacus Albericus* (hæ ſunt hæretici hominis amœnitates) *qui mentis acie perſpicuam mecum intuens veritatem, ... in veritate tamen non perſtitit, ... mentituſque eſt errare me de menſa dominica, niſi, cum dicerem*, PANIS *ſacratus in altari eſt corpus Chriſti, adderem* SUBSTANTIALITER: *ut in eo ſibi conciliaret, & quaſi victores conſtitueret errantes de ſacrificio Eccleſiæ, ſi effectum daret, ut ego enuntiationi de Chriſti ſacrificio meæ*

Wolphelmus abbas & Albericus.

[a] *Chronic. Caſin. lib. 3. c. 35.*

Digitized by Google

demerem aliquid forte, vel adderem. Sic deſinit ſcriptum illud Berengarii, ex quo intelligimus, Albericum contra eum diſputaſſe in Romana ſynodo anni MLXXIX. in qua hæc vox *ſubſtantialiter* profeſſioni fidei inſerta eſt. An Albericus ſcriptum illud, quod unius hebdomadæ ſpatio compoſuiſſe dicitur, vulgaverit, an viva tantum voce protulerit, nobis incompertum. Neque enim illud quiſquam noſtro tempore, aut vidiſſe, aut citaſſe invenitur. Hactenus de auctoribus, qui contra Berengarium, ejuſque hæreſim ſcripſere: quos omnes, aut fere omnes noſtri Ordinis fuiſſe conſtat. His adde Goffridum Vindocinenſem abbatem, cujus primum opuſculum eſt tractatus de corpore & ſanguine Domini, *omnibus chriſtianis* inſcriptus, in quo quid de hoc divino ſacramento credendum ſit, paucis recte explicat.

§. V.

De Berengarii reſipiſcentia & pœnitentia.

63. POſt varios caſus, variamque fortunam Berengarius à ſua tandem hæreſi reſipuiſſe traditur ſub finem vitæ, & ex illis tempeſtatibus, quas temere & præfracte ſibi ipſe accerſierat, ad portum ſilentii & quietis ſe recepiſſe erroris pœnitens, quem vel ſera pœnitentia expiare conatus eſt. Id factum videtur poſt concilium Burdegalenſe, anno MLXXX. ut ſuperius vidimus, convocatum: in quo cum fidei ſuæ rationem reddidiſſet, quam poſteriori ſcripto ſuo prave expoſuerat, Romanæ tandem poſtremæ ſynodi formulæ profeſſionis acquievit, ſicque demum convictus & victus in communione & fide Eccleſiæ in luctu, ceteriſque pœnitentiæ officiis reliquum vitæ exegit, ad annum ſcilicet MLXXXVIII. quo ejus obitum reponit chronicon ſancti Martini Turonenſis, quod Johannes Majoris monaſterii monachus ad annum MCCXXVI. produxit. Sic enim in illo chronico legitur. *Anno Domini* MLXXXVIII. *obiit magiſter Berengarius Grammaticus, fidelis & vere catholicus, ſuper cujus tumulum tale epitaphium eſt inſertum:*

Quem modo miratur, ſemper mirabitur orbis,
Ille Berengarius non obiturus obit.
Quem ſacræ fidei veſtigia ſumma tenentem,
Jani quinta dies abſtulit, auſa nefas.

Hoc epitaphium pluribus verſibus compoſuit Hildebertus, in Berengarii laudes poëtico more profuſior, ubi eum *Jani quinta die*, uti habet Willelmus Malmeſburienſis, non *prima*, ut in quibuſdam editis legitur, obiiſſe dicit, id eſt quinta die Januarii in ſextam deſinente. nam ipſo die Epiphaniæ, ſeu VIII. Idus Januarii, fere nonagenarium deceſſiſſe conſtat. Hildebertus porro de ejus beatitudine,

adeoque de ejus reſipiſcentia (quod Baldricus etiam cenſuit) ita certus erat, ut non aliam ſibi ſortem, quam illius optaret. Sic enim claudit ejus epitaphium.

Vir vere ſapiens, & ſorte beatus ab omni,
Qui cælos anima, corpore ditat humum.
Poſt obitum vivam ſecum, ſecum requieſcam:
Nec fiat melior ſors mea ſorte ſua.

Addit Johannes monachus, eum uſque ad finem vitæ in inſula ſancti Coſmæ feliciter converſatum, in clauſtro beati Martini Turonis ſepultum fuiſſe. qua de re infra.

64. Sane Berengarium catholicum, & in catholica communione deceſſiſſe probant Clarius monachus, Willelmus Malmeſburienſis ejus fere æquales: idque confirmant non modo profuſæ laudes Baldrici & Hildeberti, qui ambo ejus epitaphium condiderunt, ſed etiam Matthæus Pariſius, Vincentius Bellovacenſis, chronicon ſancti Martini, & membranæ Lauriacenſes. Scribebat Clarius monachus ſancti Petri Senonenſis ſub Daimberto archiepiſcopo [a] anno decimo poſt mortem Berengarii, de quo hæc commemorat. *Anno* MLXXXIII. *Berengarius, Turonenſis magiſter & admirabilis philoſophus, amator pauperum effloruit. Hic compoſuit orationem illam, quæ ſic incipit,* JUSTE JUDEX JESU-CHRISTE. *Poſt hæc fidelis & vere catholicus vitam finivit: ſuper cujus tumulum hujuſmodi epitaphium eſt,* QUEM *modo, &c.* Hoc epitaphium compoſuit Hildebertus tunc archidiaconus Cenomannenſis, nondum epiſcopus, vivente Clario, qui præmiſſos ejus epitaphii verſus retulit.

65. Idem epitaphium retulit Willelmus Malmeſburienſis, æqualis Hildeberti, qui in his verſibus *laudis modum* non immerito exceſſiſſe dicitur ab ipſo [b] Willelmo. Hic tamen Berengarii reſipiſcentiam & pœnitentiam agnoſcit, quæ ea fuit, ut nullam ſuo conſpectui feminam pateretur admitti. *At, quamvis ipſe ſententiam ſuam correxerit,* inquit Willelmus, *omnes tamen, quos ex totis terris depravaverat, convertere nequivit. Adeo peſſimum eſt alios exemplo vel verbo à bono infirmare: quia fortaſſis peccatum te gravabit alienum, cum deletum fuerit tuum.* Tum relata Fulberti de eo, futuraque ejus hæreſi prophetia, hæc ſubdit Willelmus. *Quin & ipſe die Epiphaniorum moriens, gemituque producto, recordatus, quot miſeros quondam adoleſcens primo erroris calore ſecta ſua infecerit: Hodie, inquit, in die apparitionis ſuæ apparebit mihi Dominus meus Jeſus-Chriſtus, propter pœnitentiam, ut ſpero, ad gloriam; vel propter alios, ut timeo, ad pœnam.* quod haud ſcio an acceperit Willelmus ex fragmento quodam veteris membranæ, relato in Bibliotheca [c] Floriacenſi, ubi eadem leguntur. Willelmo de pœnitentia Berengarii ſubſcribit Matthæus Pariſius in Guillelmo ſecundo, ſcribens, eum, licet primum

[a] *Spicil. t. 2. p. 748.*

[b] *Willelm. Malmeſb. lib. 3. de reg. Angl.*

[c] *Bibl. Floriac. part. 1, p. 518.*

Digitized by Google

juventutis calorem aliquarum hæreſum defenſione infamaverit, ævo tamen maturiore ita reſipuiſſe, *ut citra controverſiam à quibuſdam ſanctus habeatur, utpote in multis operibus bonis, & maxime humilitate & eleemoſynarum largitionibus approbatus.* Eadem fere verba exſcribit Vincentius Bellovacenſis, qui eadem de Berengario, atque Willelmus ſcribit, eum videlicet conſpectum feminarum omnino refugiſſe.

66. Hildeberti æqualis fuit Baldricus, ex monacho & abbate Burgulienſi archiepiſcopus, ut tum dicebatur, Dolenſis, qui in epitaphio Berengarii de ejus reſipiſcentia & beatitudine non obſcurum teſtimonium reddit, quod epitaphium, utpote brevius, hoc loco integrum afferre lubet ad claudendum Berengarii elogium.

Tota Latinorum facundia marcida floret,
Dum Berengario Turoni viguere magiſtro.
Porro Latinorum facundia florida marcet,
Invida ſors Turonis ubi tantum lumen ademit.
Clauditur in Jano tibi, Doctor, janua vitæ:
Vel magis in Jano patuit tibi janua vitæ.
En tua, magne ſenex, jacet hoc ſub fornice gleba,
Ad reditum propriæ ſuſpirans conditionis.
Promittatque licet veniam tibi ſpes meritorum,
Hanc tamen acceleret lector pia vota vovendo.

In necrologio cathedralis eccleſiæ Andegavenſis hæc de eo leguntur: VIII. *Idus Januarii obiit Berengarius iſtius eccleſiæ archidiaconus.* ubi certe locum non habuiſſet, ſi in catholica communione non deceſſiſſet. Non ergo audiendus Bertholdus Conſtantienſis, homo extraneus, qui Berengarium hæreſim, abjuratam licet atque anathematizatam, non tamen poſtea dimiſiſſe ſcribit.

67. Eum porro in inſula ſancti Coſmæ prope Turonos ſupremum vitæ tempus exegiſſe conſentiunt omnes: at de loco ejus ſepulturæ non una eſt omnium ſententia. In hanc inſulam vir piiſſimus Herveus, eccleſiæ ſancti Martini theſaurarius, antea ſeceſſerat, ibique parvam eccleſiam in honorem ſanctorum Coſmæ & Damiani exſtruxerat: quam poſt ejus mortem Martiniani canonici ſub annuo cenſu Majoris-monaſterii monachis *gratia refocillandorum fratrum* conceſſerant; at, lite deinde ſuborta, denuo receperunt. In hanc inſulam Berengarius pœnitentiæ cauſa ſe recepiſſe traditur: quo mortuo, canonici regulares eam obtinuerunt, anno ſcilicet M C II. Fallunt membranæ Lauriacenſes, in quibus Berengarius in illa inſula *per viginti octo annos* Domino militaſſe dicitur. Ad ſummum legendum *per octo annos*, nimirum poſt concilium Burdegalenſe, quo peracto, penitus reſipuiſſe videtur, ut jam diximus.

68. Vulgaris traditio eſt, eum in clauſtro ſancti Coſmæ humatum fuiſſe,

fuiſſe, & quidem ad oſtium capituli, ſub nigro lapide, ubi Martiniani canonici quotannis feria tertia paſchæ convenientes, pſalmum *De profundis* abſque collecta ſeu oratione recitant, ſed nulla mentione facta Berengarii, quem Johannes monachus chronographus in clauſtro ſancti Martini ſepultum fuiſſe dicit. De Berengarii vita, hæreſi, & pœnitentia librum ſingularem edidit Franciſcus de Roya anteceſſor Andegavenſis. *Utinam autem*, ut cum Eraſmo [a] finiam, *qui Berengarium ſecuti ſunt errantem, ſequantur & pœnitentem; atque horum etiam error Eccleſiæ cedat feliciter.*

a *Eraſm. ep. in Alger.*

§. VI.

De geſtis Gregorii VII. contra inveſtituras & ſimoniam, & pro cælibatu clericorum.

69. GRegorium VII. magnum virum fuiſſe, & magnos in exiguo corpore geſſiſſe ſpiritus, etſi non conſentirent omnes, certe ſatis ſuperque conteſtarentur præclara facta, quæ pro inſtauratione eccleſiaſticæ diſciplinæ aggreſſus eſt, & maxima ex parte perfecit. Quod ſi in quibuſdam videtur exceſſiſſe modum, ut difficile eſt eum in rebus arduis & difficillimis ſemper tenere; excuſare ipſum debent tantorum factorum merita, quæ in rem publicam Chriſtianam redundarunt, à nemine jure improbanda. Quid enim probabilius, quid vero difficilius, quam eccleſiaſticarum inveſtiturarum abuſus, tanto temporum decurſu, tanta ſæcularium Principum auctoritate obfirmatos, penitus evellere; ſimoniam fere ubique graſſantem exſtirpare; cælibatum clericorum pæne ab interitu revocare? Et tamen (quod Leo IX. ceterique poſt eum Romani Pontifices, nullo propemodum fructu tentaverant) hæc omnia præſtitit ſtrenuiſſimus Pontifex, renitentibus paſſim ſæculi principibus, obſtrepentibus undique inſultantibuſque adverſariis, id eſt Nicolaïtis & Simoniacis, qui Principum animos in eum accendebant, in primis Heinrici imperatoris, cujus partibus adhærebant, ut ipſos adverſus Gregorium, ejuſque decreta tutaretur. Sane Gregorium ſuopte genio potius ad indulgentiam, quam ad immoderatum fervorem propenſum fuiſſe probant tum ea, quæ pro reſtitutione multorum epiſcoporum [b] geſſit, tum litteræ, quas principio ad Heinricum imperatorem [c] ſcripſit. Verum Pontificis animum exaſperavit illius pervicacia ſimul & inconſtantia: pervicacia quidem in reſiſtendo Gregorii piiſſimis ac neceſſariis ſtudiis pro reformandis clericis: inconſtantia vero, quippe qui toties datam fidem fefellit. His acceſſit quod Pontificem ipſum Romæ in cuſtodiam retruſit, Guiberto antipapa in locum ejus intruſo. In his porro aliiſque ita modum ſemper tenere, ut in aliquo non excedatur, impoſſibile eſt. At Gregorium, ſi qui conviciis laceſſiverunt ejus adverſarii, ſatis ſu-

b *Greg. VII. lib. 5. ep. 17.*
c *Id. lib. 3. epiſt. 7. & 10. &c.*

Digitized by Google

perque vindicarunt illius temporis haud ignobiles auctores, ad quos lectorem remittere præſtat, quam de re trita & lubrica plura dicere.

70. Jam anni amplius centum effluxerant, ex quo clericorum cælibatus ſacer, ad id tempus intaminatus, tot ſæculorum uſu, tot tantorumque virorum pudicitia & auctoritate conſecratus, ab incontinentibus quibuſdam & corruptis Eccleſiæ miniſtris attentatus fuerat, cum nimirum indigni Romanam ſedem Pontifices occuparent: eoque res devenerat, ut quoſdam preſbyteros publice uxores ducere non puderet. Ejus rei unum è primis exemplum habemus in quodam preſbytero [a] parochiæ Catalaunenſis in Gallia, nomine Angelrico, qui feminam quamdam coram parœcianis ſuis deſponſaverat. Hanc autem cum ducere domum pergeret, *reſtiterunt nequiſſimo conatui ejus boni & pii fideleſque homines*, qui eum apud Mantionem epiſcopum accuſarunt. Citatus ille ad epiſcopi præſentiam in ſynodo, nonis Maii Catalaunis habita, culpam conſeſſus eſt, miſſuſque ab epiſcopo ad Fulconem metropolitam, incerto ac dubitante, qua *correptione* & pœna novam illam *ac malam præſumtionem* multaret. Quid hac de re Fulco reſcripſerit, non liquet: ſed tamen ex Mantionis epiſtola intelligimus, novum illud facinus fuiſſe, & ad id temporis inauditum. Verum ſenſim eo proceſſit abnormis hæc licentia, ut ſæculo undecimo publicæ infamiæ meritum dedecus pæne exuiſſet. Tanto Eccleſiæ probro Nicolaus II. occurrendum cenſuit, conſtituto edito in concubinarios clericos: & quia in clero Mediolanenſi maxime vigebat hæc peſtis, eo direxit Petrum Damiani cardinalem & epiſcopum Oſtienſem cum Anſelmo Lucenſi epiſcopo, ut eam emendare, ſimulque Simoniacam labem, quæ illius eccleſiæ miniſtros infecerat, tollere conniterentur. Convenere ad ſynodum clerici coram legatis tanto tumultu, ut vix manus ab eis abſtinuerint: ſed tandem Petri Damiani oratione ac prudentia compoſita ſeditio eſt, juratumque à clericis, ut deinceps caſtius ac purius viverent. quæ omnia fuſe proſequitur Petrus Damiani in epiſtola ad Hildebrandum, tunc Romanæ eccleſiæ archidiaconum, cujus ſine dubio inſtinctu & conſilio id factum eſt. Verum ubi is ſummus Pontifex evaſit, rem utcumque cœptam ubique promovit, ac demum perfecit, frendentibus in eum impudicis clericis, & calumnias in ejus pudicitiam jactantibus, ſed tam vano conatu, *ut nec minimam ſiniſtri rumoris maculam converſationis ejus ſublimitas admitteret*, inquit Lambertus Scafnaburgenſis. Certe adeo portentoſa & extra omnem fidem viſa eſt etiam Bennoni ſchiſmatico cardinali, & Gregorii hoſti infenſiſſimo hæc calumnia, ut, licet multa in eum confinxerit, hoc crimen numquam illi objecerit. De his plura dicere ſuperſedemus, cum omnibus obvia ſint.

[a] *Analect. t. 3. p. 438.*

71. Ad inveſtituras quod attinet, diu cum imperatoribus luctandum fuit, ut tandem utr que imperio, ſacro & profano, ſua jura ſervarentur. Sed tandem poſt multas altercationes, in quibus ad extre-

ma, non ſine utriuſque partis culpa ventum eſt, tandem ſub Calliſto II. res ita compoſita fuit, ut Imperatores loco anuli & baculi, quos novis epiſcopis dare conſueverant, eos ſceptro tantum tradito inveſtirent: quo ſignificaretur, eos temporalia jura accipere ab Imperatore, quod ille per inveſtituras ſibi vindicare contendebat; & ſpiritualia non recipere, quod Pontifices merito ipſi denegabant. quæ hujus litis componendæ ratio ſi ab ipſo principio inita fuiſſet, multis & maximis ſcandalis, bellis ac cædibus obviam itum eſſet. Breve, ſed eruditum ac ſolidum hac de re opuſculum edidit Goffridus abbas Vindocinenſis, in quo recte jura Eccleſiæ ac regni diſtinguit. Morti proximus Gregorius, rogantibus Cardinalibus conſilium dedit, ut, ſi vellent hominem in ſæculo potentem, eligerent Deſiderium abbatem Caſinenſem, qui violentiam Wiberti antipapæ infringeret: ſin eccleſiaſticum & eloquentem, acciperent epiſcopum Oſtienſem Odonem. *Ita obiit vir apud Deum felicis gratiæ, apud homines auſteritatis fortaſſis nimiæ*, inquit Willelmus [a] Malmeſburienſis.

[a] *Willelm. lib. 3. de reg. Angl.*

§. VII.

Gregorius VII. à calumnia Berengarii & Bennonis vindicatur.

Gregorius VII. vindicatur.

72. TRia accuſationis in Gregorium capita ſuggerit Berengarii poſtremum ſcriptum, in quo ultimam fidei profeſſionem refutavit. Unum, quod ſecundam fidei confeſſionem ab ipſo Berengario, ſi non editam, ſaltem ſponte admiſſam, qua panem & vinum poſt conſecrationem eſſe verum Chriſti corpus & ſanguinem Berengarius pronuntiaverat, ad fidem catholicam ſufficere dixiſſet Gregorius. Alterum, quod igniti ferri judicium ad probandam Berengarii fidem in poſtrema ſynodo Romana ſtatuiſſet. Tertium, quod religioſum quemdam virum jejuniis & orationibus operam dare juſſiſſet, ut per eum cæleſti oraculo diſceret, quid de vulgata controverſia definiendum foret. tum ab eo homine id reſponſi acceptum, nihil de ſacrificio Chriſti cogitandum, nihil eſſe tenendum, niſi quod haberent authenticæ ſcripturæ, contra quas Berengarius nihil ſentiret: ac demum juſſiſſe Pontificem, Berengarium bono animo eſſe: ſed tamen poſtea quorumdam Cardinalium improbitate ab eo conſilio dejectum, aliam à Berengario fidei confeſſionem, quæ numero tertia eſt, exegiſſe.

73. Eadem fere accuſationum capita in Gregorium affert Benno cardinalis ſchiſmaticus in ipſius vita. nempe Gregorium indixiſſe jejunium Cardinalibus, *ut Deus oſtenderet quis rectius ſentiret de corpore Domini, Romana-ne Eccleſia, an Berengarius: & miſiſſe duos Cardinales, Attonem & Cunonem, ad ſanctam Anaſtaſiam, ut cum Suppone ejuſdem eccleſiæ archipreſbytero triduanum jejunium peragerent, & illic tribus diebus ſinguli per dies ſingulos pſalterium & Miſſas de-*

cantarent, ut ſupradictum ſignum eis Chriſtus oſtenderet. quod minime contigit.

74. Hinc traducendi Papæ occaſionem arripientes ſchiſmatici Epiſcopi, numero triginta, anno M.LXXX. conventu Brixiæ apud Noricos facto, Pontificem abjecere, varias in ipſum calumnias invehentes: in his quod catholicam & apoſtolicam fidem de corpore „ & ſanguine Domini in quæſtionem poneret, & hæretici Berengarii „ antiquus eſſet diſcipulus. Neque vero mirum videri debet, quod tanti Pontificis fama his injuriis obnoxia fuerit, cum multos ſuſtinuerit adverſarios infenſiſſimos, qui ipſum calumniis opprimere conati ſunt. Cauſæ fuerunt, ut jam diximus, diſcidia cum Henrico Imperatore, ſtatuta contra Simoniacos & concubinarios clericos, ac retinendæ eccleſiaſticæ diſciplinæ invicta conſtantia.

75. Quam vero alienus fuerit Pontifex à Berengarii errore, facile demonſtrari poteſt, tum ex eo quod Gregorius ante pontificatum Turonenſi Concilio præfuit, ubi in Berengarii errorem lata ſententia eſt: tum ex duabus ſynodis Romanis eo Pontifice convocatis, in quarum poſteriori, *dominus Papa*, ut acta Concilii teſtantur, *Berengario præcepit ex auctoritate Dei omnipotentis & ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, ut de corpore & ſanguine Domini numquam ulterius cum aliquo diſputaret, vel aliquem docere præſumeret, excepta cauſa reducendi ad fidem hanc eos, qui per ejus doctrinam ab ea receſſerant.* quæ de verbo itidem Lanfrancus[a] refert: tum denique ex Gregorii epiſtola ad Mathildem Comitiſſam, in qua Pontifex de hac Romana ſynodo agens, ait controverſiam in ea habitam fuiſſe de corpore & ſanguine Domini, multis aliter, atque aliter nonnullis ſentientibus. *Maxima ſiquidem pars, panem & vinum, per ſacræ orationis verba & ſacerdotis conſecratio*[illegible]*, Spiritu ſancto inviſibiliter operante,* CONVERTI SUBSTANTIALITER *in corpus Dominicum de Virgine natum, quod & in cruce pependit; & in ſanguinem, qui de latere ejus militis effuſus eſt lancea, aſſerebat, atque auctoritatibus ſanctorum Patrum, tam Græcorum, quam Latinorum, modis omnibus defendebat. Quidam vero, cæcitate nimia & longa perculſi, figuram tantum; ſubſtantiale illud corpus in dextera Patris ſedens eſſe; ſeque & alios decipientes, quibuſdam cavillationibus conabantur adſtruere. Verum ubi cœpit res agi, prius etiam quam tertia die ventum fuerit in ſynodum, defecit contra veritatem niti pars altera. nempe ſancti Spiritus ignis ſuperflua palearum conſumens, & fulgore ſuo falſam lucem diverberando obtenebrans, noctis caliginem vertit in lucem. Denique Berengarius hujus erroris magiſter, poſt longo tempore dogmatizatam impietatem, erraſſe ſe Concilio frequenti confeſſus, veniamque poſtulans & orans, ex apoſtolica clementia meruit.* Ex his manifeſte confutatur putidum conciliabuli Brixienſis convicium in Gregorium, qui neque Berengarii diſcipulus, neque ejus erroris ſectator, ſed ſtrenuus expugnator fuit. Quamquam facile crediderim, Ponti-

[a] Lanfr. c. 2.

Digitized by Google

ficem in priori ex duabus poſtremis ſynodis Romanis cenſuiſſe mitius tractandum Berengarii ingenium, utpote qui realitatem admittere videretur, ne homo turbulentus novas in Eccleſia factiones pergeret excitare. Quæcumque enim de Gregorii in ſe favore prædicat Berengarius, eo facile reducuntur. Gregorium autem humanius nonnumquam in ejuſmodi nocentes egiſſe patet ex ejus epiſtola 17. lib. v.

76. Quod vero igniti ferri judicium Pontifex hæretico homini ad vomitum toties relapſo indixiſſe dicitur; id ſi verum eſt, eo animo fecit, non ut fidei catholicæ veritatem huic probationi ſubjiceret, ſed ut experiretur, an confeſſionis Berengarianæ ſincerum eſſet juramentum. Quippe toties aliud animo, aliud ore gerens Berengarius, datam fidem violaverat, ut quod in dubiis cauſis etiam tunc temporis uſurpari mos erat, id etiam in Berengarii negotio adhibendum Gregorius exiſtimaret.

77. Verum, hac probatione rejecta, ad aliud conſilium ſe convertit, nempe ad preces, triduanumque jejunium, quod Supponi archipreſbytero & quibuſdam Cardinalibus injunxit, non quaſi dubius de rei veritate, ſed ut futuri Concilii exitum Deo his modis commendaret, & præfractam Berengarii mentem tandem emolliret. Et tamen Berengarius ac Benno cardinalis aſſerunt id eo conſilio factum, *ut Deus oſtenderet, quis rectius ſentiret de corpore Domini, Romana-ne Eccleſia, an Berengarius.* quaſi vero aliquid inſolitum hac in re fecerit Gregorius, indicendo preces & jejunium ante Concilii celebrationem, quod alii Pontifices in ſimilibus cauſis non præſtiterint. Sed ut videas quam parum mendaces inter ſe cohæreant; addit Benno cardinalis, Deum nullo ſigno patefeciſſe Pontifici, quid tenendum aut definiendum eſſet. Berengarius vero aſſerit à beata Maria id oraculo acceptum, *nihil de ſacrificio Chriſti cogitandum, nihil eſſe tenendum, niſi quod haberent authenticæ ſcripturæ, contra quas Beringerius nihil habebat.* Sic mutua comparatione utriuſque mendacium confutatur. Neque vero ulla fides habenda eſt ſive Bennoni, Gregorii hoſti infenſiſſimo; ſive Berengario, qui cum toties fidem datam violaverit, omnino indignus fide eſt, dum in tuenda hæreſi perſeveravit. Et certe ſi cæleſti oraculo probata fuiſſet Berengarii fides, cur tamen Gregorius in ſubſequenti Concilio Romano Berengarium ejuſque dogma damnavit, eique *præcepit ex auctoritate Dei omnipotentis & ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ut de corpore & ſanguine Domini numquam ulterius cum aliquo diſputaret, vel aliquem docere præſumeret, excepta cauſa reducendi ad fidem hanc eos, qui per ejus doctrinam ab ea receſſerant?* ut ſuperius ex actis Concilii & ex Lanfranco retulimus.

78. Et tamen hujuſmodi impoſturæ à Berengario, ejuſque aſſeclis ſparſæ in vulgus, materiam conviciandi Pontificis ſubminiſtrarunt, ut eum hoc nomine, tamquam Berengarii fautorem, laceſſerent,

Acceſſit & alia cauſa. nimirum Gregorius poſt ultimam ſynodum Romanam, ratus ſinceram fuiſſe Berengarii confeſſionem, quam homo verſipellis pravo ſenſu, non eo quem intendebat Pontifex animo ediderat; litteras ſalvi conductus ei conceſſit, eccleſiaſticas cenſuras comminatus *omnibus, qui injuriam aliquam Beringerio, Romanæ Eccleſiæ filio, facere præſumerent, vel qui eum hæreticum vocarent.* Cum enim poſtea Berengarius datam fidem ejuraſſet, teſtatus ſe in neganda panis & vini in Chriſti corpus & ſanguinem converſione perſeverare; factum eſt, ut Gregorius qui eum ab hæretico nomine abſolverat, in conſortionem erroris veniſſe diceretur, tametſi ideo abſolverat, quod exiſtimaſſet hominem bona fide id credere, quod verbis, ſacramento, & ſigno ſuo confirmaverat.

§. VIII.

De variis Congregationibus & Ordinibus monaſticis ſæculo XI. *inſtitutis.*

Ordinis monaſtici diviſio.

79. POſt Congregationem Cluniacenſem, quæ ſuperiori ſæculo cum magno Eccleſiæ fructu & ornamento inſtituta fuit, duæ aliæ Ordinis noſtri Congregationes in Italia hoc ſæculo undecimo excitatæ ſunt, Camaldulenſis & Vallumbroſana: duo quoque monaſtici in Gallia Ordines, Grandimontenſis & Cartuſianus, qui an à principio Regulæ ſancti Benedicti addicti fuerint, mox diſquirendum. Ex hac Congregationum & Ordinum diſtinctione factum eſt, ut Ordo monaſticus, qui eatenus unum dumtaxat conſtituerat corpus, in diverſa genera diviſus ſit, nec facilis eſſet, uti antea, ex uno in aliud tranſlatio. Unde Stephanus, Grandimontenſis Ordinis auctor, alienæ religionis [a] monachos admitti vetat. Hæc autem diſtinctio alteri diviſioni longæ majori viam præbuit, id eſt inſtitutioni quatuor aliorum Ordinum, quos vulgus Mendicantes vocat, tanto intervallo ab aliis monaſticis Ordinibus diſparatum, ut citra diſpenſationem ſummi Pontificis ex aliis ad alios tranſmigrare minime liceat.

[a] *Steph. reg. cap.* 40.

Camaldulenſis Congregatio.

80. Verum ut in propoſito noſtro ſiſtamus, prior ex duabus illis Congregationibus cenſenda eſt Camaldulenſis, quæ auctorem ſanctum Romualdum habet, ſic dicta à Camalduli ſeu Campi-Malduli eremo, ubi vir ſanctus ſub finem vitæ ſuæ eremitorium conſtituit. Fuit is primum monachus apud Nigros, ut vocant, monachos in cœnobio Claſſenſi prope Ravennam; dein poſt varias tum in Italia, tum in Gallia locorum mutationes, novum vitæ genus inſtituit ſub Regula ſancti Benedicti, & quidem duplex, cœnobitarum ſcilicet ac eremitarum, quibus atrum colorem in candidum vertit. Quo præciſe anno vel tempore hæc Congregatio cœperit, non facile eſt definire. Si ejus exordium repetas ab eo tempore, quo Claſſenſis

Digitized by Google

abbatiæ regimen abdicavit Romualdus; id factum paullo ante annum milleſimum: ſi ab eo tempore, quo Campi-Malduli ſolitudinem incolere cœpit; id non contigit ante annum M XXIII. quo anno Aretinæ eccleſiæ ſedem iniit Thedaldus epiſcopus, qui primus locum illum Romualdo conceſſit. Hujus rei argumenta habes in Obſervationibus præviis [a] ad vitam ejuſdem ſancti, ex qua formam vivendi ab eo præſcriptam facile intelliges. In illa eremo, quinque tantum cellulæ erant vivente Romualdo, quæ ſenſim ad quadraginta excreverunt, præter monaſterium Fontis-boni, in ſubjecta valle ſitum, olim cœnobitarum, nunc eremitarum infirmorum & adventantium hoſpitium. Viguit ad noſtrum uſque tempus eremitarum abſque ulla reformatione religio præ cœnobitis: ex quo intelligitur, quantum conferat ad conſervandam vitæ monaſticæ integritatem ſeceſſio à ſæculi commercio, & accurata ſolitudo. Nunc tres ſunt ejuſdem inſtituti Congregationes eremitarum, videlicet Camaldulenſis, Veneta, & Montis-coronæ, præter Gallicanam: cœnobitarum monaſteria non pauca. Utriſque antiquitus unus præerat præpoſitus generalis, à quo receſſerunt eremitæ, qui ſuos Majores habent. In eamdem Camaldulenſium congregationem coaluit alia, Fontis-Avellani dicta, quæ eodem fere tempore exorta, maxime inclaruit per ſanctum Petrum Damiani, qui de ejus inſtitutis ſcripſit, ut in Obſervationibus præviis [b] ad ejus vitam hic dicturi ſumus.

a *Hic pag. 277. & ſeq.*

b *Hic pag. 245.*

Vallumbroſana.

81. Non multo poſt erecta fuit Congregatio Vallis-umbroſæ, auctore Johanne Gualberto Florentino, qui vitam monaſticam in ſancti Miniatis monaſterio, Florentiæ vicino, profeſſus erat. Inde in Vallem-Umbroſam ſeceſſit, ubi novæ ſuæ Congregationis fundamenta jecit. Hujus ſeceſſus cauſam Atto epiſcopus in Johannis vita refundit in ſimoniæ vitium, quo Florentinum epiſcopum & ſancti Miniatis abbatem notatos fuiſſe dicit, quibus aſſentari & connivere Johanni religio fuerit. At non alia fuit Johannis ſeceſſus cauſa, quam ſolitudinis amor & ſtudium majoris profectus; idque patet tum ex eo quod toto illo tempore, quo Johannes ſancti Miniatis cœnobium incoluit, Florentinæ eccleſiæ religioſiſſimi præerant antiſtites: tum ex litteris Ittæ ſancti Hillari abbatiſſæ, quæ Vallem-Umbroſam Johanni incolendam conceſſit, quem *vitæ meliorandæ gratia* illuc ſe recepiſſe dicit. Hæ litteræ datæ ſunt [c] *anno dominicæ incarnationis triceſimo-nono poſt mille.* quo tempore ſedem Florentinam obtinebat Atto [d], *præſul æterna memoria dignus*, cujus præceſſores Ildebrandus & Lambertus magna cum pietate & prudentia Florentinam eccleſiam rexerant. Non minus religioſus fuit Gerardus Attonis ſucceſſor, qui *ob rariſſimas* [e] *animi dotes probitatiſque famam* ad apoſtolicam ſedem conſcendere meruit, dictus Nicolaus II. & nihilo minus Florentinam eccleſiam adminiſtravit uſque ad annum M LXI. quo deceſſit. Tunc per ſimoniam in illam eccleſiam intruſus eſt Petrus, quem ob eam cauſam multum exagitavit Johannes Gualbertus, cum jam

c *Hic pag. 267.*

d *Ital. ſacr. t. 3. p. 71.*

e *Ibid. p. 83.*

per annos viginti duos Vallem-Umbroſam incoluiſſet. Ex his patet, quam longe à vero aberret Atto ejus vitæ ſcriptor, cum hanc Johannis ſeceſſus cauſam affert. Quid vero Johannes cum ſuis ad debellandam ſimoniam fecerit, ex ejus actis hic editis [a] quivis addiſcere poterit. Novam hanc Congregationem laudat Anſelmus Havelbergenſis epiſcopus in libro 1. dialogorum, ubi de variis religionibus, adeoque de Camaldulenſium & Vallumbroſanorum origine agit, laudato ſancto Benedicto, qui *in religione* [b] *ferventiſſimus, Regulam ſuis, dictante Spiritu-ſancto, præſcripſit, & Ordinem monaſticum, jam tunc vacillantem, renovavit & firmavit: qui etiam, tum per ſe, tum per Regulam ſuam, multa monachorum monaſteria inſtauravit.* Tum ſubdit Anſelmus. *Surrexit etiam modernis temporibus in Thuſcia, in loco, qui vocatur Gamaldula* ſeu Camaldulo, *vir religioſus, nomine Johannes,* (lege Romualdus) *ſub monaſticæ profeſſionis titulo, novo fervore novum habitum cum fratribus ſuis monachis induens, & multos diſcipulos ſuæ formæ ſequaces habens. Nec diu eſt, quod in alio loco, qui vocatur Vallis-Umbroſa, juxta Peruſinos montes, ſurrexit Congregatio monachorum valde religioſa, à ceteris, qui vocantur monachi, novo ordine, & novo habitu differentes.* Hactenus Anſelmus, qui medio ſæculo duodecimo, Eugenii III. pontificatu hos dialogos ſcribebat. Porro habitus ille Vallumbroſanorum, principio ferruginei coloris, ab uno ſæculo in nigrum mutavit. His duabus congregationibus Italicis ſubjicienda fortaſſe videbatur Hirſaugienſis in Germania, auctore Guillelmo abbate, qui Germaniæ pleraque [c] monaſteria reformavit, non pauca etiam nova excitavit. Verum non tam nova cenſenda eſt illa congregatio, quam propagatio congregationis Cluniacenſis, ex qua leges & conſuetudines ſuas ille accepit Idem dicendum de Willelmo Divionenſi, Richardo Virdunenſi, Poppone Stabulenſi, & aliis Ordinis noſtri per id tempus reformatoribus.

[a] Hic pag. 282. & ſeqq.

[b] Spicil. to. 13. p. 112.

[c] Hic pag. 710.

§. IX.

De Ordine Grandimontenſi, ejuſque regula & inſtituto.

Stephani vitæ compendium.

82. PRæter duas illas Congregationes, quæ in Italia ſub Regula ſancti Benedicti inſtitutæ ſunt, duo eodem ſæculo inſignes Ordines in Gallia ſurrexere, Grandimontenſis & Cartuſianus, de quorum origine & inſtituto modo nobis agendum; & primo quidem de Grandimontenſi, qui novem circiter annis Cartuſianum præceſſit. Grandimontenſis Ordinis auctor Stephanus, nobilis Arvernus, in opido inferioris Arverniæ Tierno ſeu Tigerno, patre Stephano ejuſdem loci vicecomite, & Candida matre natus eſt. Beneventum cum patre profectus adoleſcens, ad inviſendum conterraneum ſuum Milonem ejus urbis archiepiſcopum, in morbum incidit, curanduſque apud Milonem à patre interim relictus eſt. Florebat

bat tunc temporis in Calabria quædam religioſa congregatio, cujus alumnos archiepiſcopus ſuis commendare ſolitus erat. Horum vitæ genus & mores imitari cupiens Stephanus, mortuo Milone, cum Romæ quatuor annis degiſſet, à Romano Pontifice obtinuit, ut conſimilem Ordinem in Gallia inſtitueret. id quod anno MLXXVI. ætatis triceſimo exſecutus eſt Mureti, qui locus eſt pagi Lemovicenſis, maxime ſolitarius, quatuor leucis ab urbe Lemovica diſtans.

83. Illic diſcipulis initio paucis Regulam præſcripſit, in qua omnem eſum carnium, tam ſanis quam infirmis, curam ac conſortium mulierum, ſubſtantiam pecorum ſeu animalium, proprietatem quoque terrarum extra eremi ſuæ metas perpetuo interdixit. quam Regulam Innocentius IV. poſtmodum in multis laxavit. Hunc Ordinem, qui poſtea Grandimontem Mureto vicinum migravit, multum deprædicant Stephanus Tornacenſis, qui ejus alumnos Bonos-homines, loca Bonihominias vocat; Johannes Sareſberienſis, Petrus Cellenſis, & Jacobus à Vitriaco. Hic Ordo clericis & converſis conſtat: clericis ſola ſpiritualium rerum cura; converſis temporalium adminiſtratio commiſſa. quod rixarum inter utroſque ſeminarium fuit, ut Jacobus à Vitriaco teſtatur, propterea quod converſi ob creditam ſibi procurationem ſeſe efferrent ſupra clericos, qui hos dominos pati non ſubſtinebant. Ceterum apud Grandimontenſes magna ſolitudinis religio, ita ut nullis, niſi magnæ auctoritatis viris, ad eos pateret ingreſſus; at ſilentii non ita. *Silentium*, inquit idem [a] auctor, *in eccleſia, quamdiu divinis interſunt officiis, & in refectorio, & in dormitorio tantum obſervantes; in aliis locis & ceteris horis, quandocumque placuerit, loqui poſſunt, invicem inſtruentes & mutuo conſolantes, ſecundum quod eis Dominus inſpiraverit.* De his quidam ſæculi duodecimi poëta ineditus ita luſit.

Regula ejus & inſtitutum.

[a] Jacob. à Vitr. hiſt. occid. c. 19.

Grandimontanam vitam cum veſte profeſſus
Si fuero, vereor aſperiora pati.
Hi cum nil habeant, nec ſe patiantur habere,
Ex nihilo ſemper ſufficienter habent.
Abdita clauſtra colunt, & nulla ſilentia ſervant.
Neſcit ſigna manus: libera lingua manet.

Stephani tamen Regula [b] ſilentium *à completorio uſque mane finito capitulo* præſcribit. De iſtius Ordinis origine ſcripſit Bernardus [c] Guidonis, qui & ſyllabum Priorum Grandimontenſium uſque ad ſuum tempus retulit. In his Petrus Lemovicanus, Mureti poſt beatum Stephanum Prior, de loco Mureti ad locum Grandimontis fratres tranſtuliſſe dicitur. Geraldus Iterii ſeptimus Prior geſta ejuſdem Stephani ſcripſit, quem in ſanctorum numerum referri curavit. Guillelmus Ungres, tertius-decimus Prior, eſum carnium introduxit. Johannes papa XXII. primum Grandimontis abbatem inſtituit Guil-

[b] Reg. Steph. c. 47.

[c] Labbei. 2. bibl. p. 275. & ſeqq.

lelmum Pellicerii de Albenca diœceſis Caturcenſis. Annales Ordinis ſcripſit Johannes *Leveſque* Trecenſis, Prior Villamedianus.

An Ordinis S. Benedicti.

84. An Ordo Grandimontenſis ſub Regula ſancti Benedicti principio militaverit, non una eſt omnium ſententia. Affirmant è noſtris Trithemius, Yepeſius, Haeftenus, aliique; ex aliis Volaterranus, Azorius, Miræus, &, ut alios omittam, Choppinus. Negant alii, ex antiquioribus Johannes Sareſberienſis, cujus hæc verba [a] ſunt: *Alii Baſilium, alii Benedictum, hi Auguſtinum: at iſti*, ſcilicet Grandimontenſes, *ſingularem magiſtrum habent Dominum noſtrum Jeſum-Chriſtum*. Certe Stephanus ipſe in prologo Regulæ ſuæ, inquirentibus, *cujus profeſſionis vel cujus Regulæ, cujuſve Ordinis* ſe dicerent Grandimontenſes, reſponderi jubet: *Chriſtianæ religionis, primæ ac principalis regulæ, Evangelii ſcilicet, quod omnium Regularum fons eſt atque principium*. Attamen Jacobus à Vitriaco tradit, quod *Regulam & inſtituta Ciſtercienſis Ordinis*, adeoque Regulam ſancti Benedicti, *in aliis omnibus pæne obſervant, excepto quod numquam carnes, poſtquam profeſſionem fecerunt, de cetero licet eis manducare, quantacumque ægritudine prægraventur*. Idem habet Johannes Iperius, qui Grandimontenſium habitum deſcribit. Et quidem jejunium præſcribit Stephanus ab Exaltatione ſanctæ Crucis uſque ad Paſcha, omnino ad mentem ſancti Benedicti. Verum, quod omnem omnino dubitandi rationem excludit, Gregorius VII. in diplomate, quo novi Ordinis inſtituendi facultatem Stephano indulget, teſtatur eum poſtulaſſe *poteſtatem auſpicandi conceptum Ordinem monaſticum juxta Regulam beati Benedicti, quam diu expertus es*, inquit, *inter fratres de Calabria*. quod Pontifex indulget, cognito, quod apud Milonem archiepiſcopum Beneventanum, *cum frequentatione filiorum & fratrum noſtrorum Benedictinenſium de Calabria, virtutis tirocinium ſine habitu poſueris*. Ex quibus conficitur, Stephanum ſaltem *ſine habitu* tirocinium poſuiſſe ſub Regula ſancti Benedicti *cum frequentatione fratrum Benedictinenſium*; eique à Gregorio VII. Regulam ſancti Benedicti ad novum Ordinem inſtituendum impoſitam fuiſſe: tametſi poſtea id diſſimulaverit Stephanus, qui aliam ſuis Regulam præſcripſit, ne ipſius Ordo Benedictinis ſubeſſe videretur. Et quia hoc Gregorii diploma, necdum editum, non levis hanc in rem momenti eſt, illud integrum hic apponere operæ quoddam pretium eſt.

Gregorius ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Dilecto filio Stephano vicecomiti Tierneo, ejuſque fratribus regularem vitam profeſſuris, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quoniam religioſam vitam inſtituentes apoſtolico oportet uti judicio & conſilio, ne quidam poſt ſuum proprium ſentire abeuntes, cum temeritate & inexpertis viribus aggrediantur pænitentiæ iter, quod non poſſint perficere, ac deficiant in eo, ita ut à propoſito reſilire cogantur, ad confuſionem & injuriam Ordinis eccleſiaſtici: Nos vero cognito, quod apud venerabilem fratrem noſtrum Milonem Ar-

[a] Johan. Sar. Polyc. lib. 7. c. 23.

chiepiſcopum Beneventanum cum frequentatione filiorum & fratrum noſtrorum Benedictinenſium de Calabria virtutis tirocinium ſine habitu poſueris, & ſumto de ſolido tui deſiderii fervore experimento, per quatuor annos in aula pontificali ſanctiſſimi Patris bonæ memoriæ Alexandri divina providentia Papæ hujus nominis ſecundi prædeceſſoris noſtri, dum coram ipſo Beatiſſimo Pontifice archidiaconum Cardinalem ageremus: cum tuis viribus à natùra delicatis diffideremus, non tam cito manus ſuper te impoſuimus; ſicut nos cum Timotheo docuit Apoſtolus, ad cujus tumbam conſiſtimus. Verum cum indeſinenter ac indeficienter à ſancta ſede, in qua ſedemus, licet indigni & inviti, poſtules poteſtatem auſpicandi conceptum Ordinem monaſticum juxta regulam B. Benedicti, quam diu expertus es inter fratres de Calabria: Nos nolentes exſtinguere ſpiritum, eo promtius ac benignius inclinati nunc tibi concedimus & annuimus, quo majori Spiritus-ſancti flamma accenſi deſideramus agrum Dominicum tam ſanctis virtutum ſeminariis ditari. Benedicat ergo tibi Dominus corona juſtitiæ, mons ſanctus; adſciſcat te tuoſque futuros bonæ vitæ ſodales in filios æternus Pater: recipiat vos in fratres æternus Filius, & porrigat tibi latus apertum, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ reconditi: accendat in te tuiſque æternus Spiritus-ſanctus ignem ſui amoris & flammam æternæ caritatis; tuque, tuique in ingreſſu per profeſſionem & in egreſſu per mortem benedicantur à Deo virtutum ex alto, qui cœpit in te opus bonum perficiat, ſolidetque, confirmet illud, & corroboret amodo & uſque in ſempiternum; concedat tibi ſanctum Angelum ſuum de cælis: quorum ſanctorum vitam proponis imitari, ipſorum patrociniis confortare. Adducantur tibi ſocii innumeri, ſicut ſtellæ cæli, quæ præ multitudine numerari non poſſunt; ſint docibiles Dei in ſolatium mortalis tuæ peregrinationis. De plenitudine itaque poteſtatis decernimus, ut nulli omnino hominum liceat quæ poſtmodum electurus es loca tuæ pœnitentiæ temere perturbare, ſeu quibuſlibet vexationibus te aut tuos aggravare, ſed nec fatigare. Si quæ igitur ſæcularis aut eccleſiaſtica perſona contra hanc noſtræ ordinationis præſentis paginam venire tentaverit, ſciat ſe ream pro perpetrata iniquitate (quia nullo medio vos volumus ad ſanctam ſedem pertinere) ipſoque ſuo attentatu indigno privari omni honoris ſui dignitate, & divino ſubjacere maledicto. Agri quos colueritis, ſint agri primitiarum: beatus Pater Benedictus benedictiones pro te impetret in ſpiritualibus & temporalibus. Confortare & eſto robuſtus in nomine Patris & Filii & Spiritus-ſancti, Amen. Datum Romæ in præſentia cariſſimæ filiæ Agnetis Auguſtæ Imperatricis, & ſex fratrum noſtrorum Cardinalium, Kalendis Maii, Pontificatus noſtri anno primo. Hoc diploma itaque datum eſt anno Chriſti MLXXIII. quo Grandimontenſis Ordinis prima incunabula collocant illius Ordinis Annales, tametſi ejus inſtitutionem ad triennium differunt. Haud ſcio an hoc pontificium diploma viderat Annaliſta, qui ad prædictum annum refert *primam apoſtolicam confirmationem futuri Ordinis Grandimontis, factam à Gregorio VII. ſummo Pontifice, qui ſanctum Stephanum, multis oblatis beneficiis eccleſiaſticis, ſibi notum retinere volebat.* Obſervatione

dignum eſt, quod Pontifex hoc diploma inſcribit *Stephano viceco-miti Tierneo.* quo ex loco id confirmatur, quod Bernardus Guidonis patrem ejus Tierni vicecomitem vocat. Ex his manifeſtum eſt, non ſine fundamento ſancti Benedicti Ordini à noſtris adſcribi Grandimontenſem, quem Stephanus inſtituere meditabatur *juxta Regulam beati Benedicti, quam diu inter fratres de Calabria,* quos Gregorius fratres noſtros *Benedictinenſes* vocat, *ſine habitu expertus* erat.

§. X.

De inſtitutione ſacri Ordinis Cartuſienſis per ſanctum Brunonem.

85. DE ſacro Cartuſianorum Ordine, ejuſque ſancto inſtitutore Brunone, etſi nihil ad nos proprie pertineret, nonnihil dicere ſuadet hic locus. Tantum enim ſplendoris & ornamenti toti Eccleſiæ, nedum Ordini monaſtico, ex eo acceſſit, ut, data hac occaſione, de eo ſilere penitus ſit nefas. Bruno ex urbe Colonia haud obſcuris parentibus natus, ibidemque clericus factus, Remos acceſſit adoleſcens, ibidemque *conſedit.*

Quem tenerum docuit mater Remenſis alumnum.

ut ſtatim poſt ejus obitum teſtati ſunt ſanctæ Mariæ Remenſes canonici [a] in carmine, quo ejus funeri parentarunt. Deinde in eadem eccleſia, Gervaſio tunc pontifice, canonicus & ſcholarum magiſter ſeu *magnorum ſtudiorum rector*, teſte Guiberto, atque cancellarius factus eſt. quo nomine inſtrumento fundationis [b] ſancti Martini Gemellorum apud Ambianos anno MLXXIII. *Bruno cancellarius* ſubſcripſit; idemque poſt tres annos quaſdam litteras [c] Manaſſe archiepiſcopi, eo nomine primi, pro ſancti Baſoli monaſterio *Bruno cancellarius ſcripſit, ac ſubſcripſit.* Biennio poſt eodem munere [d] fungebatur Godefridus, Brunoni in ſcholarum magiſterio ſuffectus. Hunc Godefridum viventem ac mortuum laudavit Baldricus abbas, qui eum Remis genitum, litteriſque inſtitutum cum Brunone fuiſſe dicit. Ita enim canit ille in carmine nondum edito *ad Godefridum Remenſem.*

a Marlot t. 2. p. 135.

b Ibid. p. 154.

c Ibid. p. 171.

d Ibid. p. 173.

Nobilis urbs, Romæ ſoror, inquam, & Roma ſecunda
Te genuit, peperit, promeruitque ſibi.
Hæc te doctrinæ totius nectare fultum
Adſcivit ſtudiis, præpoſuitque ſuis.
Gallia tunc etiam ſtudiis florebat opimis,
Florebatque tuo Gallia plus ſtudio.
Ad te currebant examina diſcipulorum,
Et refovebantur melle parentis apes.
Et tunc Remis erat, Remis quoque Bruno ſtudebat,
Bruno Latinorum tunc ſtudii ſpeculum.

Ipſis temporibus ſtuduitque ſenex Herimannus,
Et mundo ſtudii clara lucerna fuit.
Tu fueras juvenis, fueras & acutior illis.
Tertius ergo venis, jam quoque primus eras.
Gervaſio princeps, princeps tuus ille Manaſſes
Succeſſit, qui te promovet [a] ad ſtudium. [a] *V. Marlot ibid. p. 136.*

Ex his intelligitur quod in priori Præfatione oſtendimus, Brunonem Remis operam litteris dediſſe, non Turonis ſub Berengario magiſtro, ut quidam ex chronico Malliacenſi male intellecto perſuadere volunt; & quidem non ſolum cum prædicto Godefrido, ſed etiam cum Herimanno ſeniore, quem Gozechinus [b] ſcholaſticus primum laudat inter illius ſæculi ſapientes & auctoritate præſtantes, qui, relictis inferioribus ſtudiis, in theologiæ otium conceſſerant. Cum vero Bruno perverſos prædicti Manaſſæ archiepiſcopi mores nec ferre, nec corrigere poſſet; de ſuo ſeceſſu agere cœpit cum Radulfo Viridi eccleſiæ Remenſis præpoſito, poſtmodum archiepiſcopo, vovitque cum eo, ſe quamprimum fugitiva ſæculi bona relicturum, « ut æterna captaret; ob idque monaſticum habitum induturum. Eo « animo ex urbe Remorum diſceſſit cum ſociis ſex, conſulto in itinere magni nominis eremita, quem Stephanum Tiernenſem eſſe puto, tunc Mureti ſolitarie degentem; & ad Hugonem Gratianopolitanum epiſcopum ſe recepit, qui eis aſperos Cartuſiæ montes incolendos, fundum concedente Seguino Caſæ-Dei abbate, aſſignavit. Non aliam, ab ea, quam modo retulimus, Brunonis ſeceſſus cauſam affert Guibertus [c] abbas, qui fuſe & accurate de hoc ſeceſſu, & de Cartuſianorum prima inſtitutione agit. Aliam alii afferunt cauſam vulgo notam ex occaſione excitati apud Pariſios (ut ferunt) ac damnati clerici, quam hiſtoriolam ſub finem ſæculi tertii-decimi vulgari cœptam fuiſſe colligimus ex veteri codice Cartuſiæ Montis-Dei, anno M CCC XXII. ſcripto in quo hæc reperitur. Eamdem refert Johannes Iperius abbas Sithienſis, qui eodem fere tempore chronicon ſuum ſcripſit.

[b] *Analect. t. 4. p. 385.*
[c] *Guibert. lib. 1. vitæ ſuæ c. 11.*

86. Brunonis ſeceſſum, atque adeo Cartuſiæ fundationem alii anno M LXXXIV. alii anno M LXXXV. alii anno inſequente contigiſſe volunt. Baronii poſtrema hæc ſententia eſt, quam Jacobus Sirmundus, vir numquam ſine laude memorandus, propugnat in epiſtola [d] ad Severum de Neapoli Cartuſianum, qui ipſum hac de re conſuluerat. Hæc ſententia, uti & præcedens, fundamentum habet in libro de vita ſancti Hugonis Gratianopolitani epiſcopi auctore Guigone Cartuſiæ quinto Priore, ſcribente, Brunonem ad eum veniſſe anno ſexto epiſcopatus Hugonis, quem in concilio Avenionenſi epiſcopum renuntiatum fuiſſe conſtat ex Hugone Flaviniacenſi. Hoc autem concilium anno M LXXX. celebratum fuiſſe colligitur ex epiſtola [e] Gregorii VII. Kalendis Martiis anni ſuperioris ſcripta ad clerum & populum

Cartuſiæ origo.

[d] *Sirm. to. 4. p. 676.*
[e] *Greg. VII. lib. 6. ep. 21.*

Digitized by Google

Arelatenſem ad eligendum archiepiſcopum, qui in eodem concilio deſignatus eſt. Verum Brunonis ſeceſſum & Cartuſiæ fundationem anno M LXXXIV. contigiſſe antiqua Ordinis traditio eſt, cui multa ſuffragantur. In primis occurrit charta Hugonis epiſcopi, ipſo anno ſcripta presbyteris & laïcis ſui epiſcopatus, in qua præcipit, ut ne » feminæ tranſeant per terram fratrum Cartuſiæ, qui Deo placere cu- » pientes mundum & turbas fugiebant; & ne quiſquam intra termi- » nos ipſorum poſſeſſionis piſcationem aut venationem exerceat, & » ſua animalia paſcenda deducat. *Datum menſe Julii, anno* M LXXXIV. id eſt vix uno integro menſe poſt Brunonis illuc acceſſum, quem circa nativitatem ſancti Johannis Baptiſtæ contigiſſe docet libellus [a] de inſtitutione Ordinis Cartuſienſis, deſinens in Guigone Priore quinto, ubi articulo quarto de Johanne Tuſco id legitur. In eodem libello ſanctus Bruno deceſſiſſe dicitur *undecimo plus minus anno* poſt egreſſum è Cartuſia, quam ſex annis rexit. Itaque anno ſeptimodecimo à primo in eam ingreſſu obiit, & quidem anno M C I. ut omnes conſentiunt. quo ex numero ſi annos ſeptemdecim ſubduxeris, annum M LXXXIV. qui annus ejus ingreſſus erit, habebis. Idem conficitur ex obitu Guigonis Prioris quinti, anno M CXXXVII. defuncti, *cum ab exordio Cartuſienſis eremi annus quinquageſimus-tertius ageretur*, ut legitur in eodem libello, qui paullo poſt ejus obitum ſcriptus eſt. Denique id ipſum probat ſancti Brunonis epitaphium, è veteri codice deſcriptum in hæc verba.

a Labbe t. 1. bibl. p. 638.

Anno milleno quarto quoque, ſi bene penſes,
Ac octogeno ſunt orti Cartuſienſes.
His ortum tribuit excelſus Bruno magiſter, &c.

Secundum hanc ſententiam Guigonis de annis Hugonis epiſcopatus calculus non ita rigide, ſed commode interpretandus eſt. Non omittenda hoc loco præclara confeſſio, quam vir ſanctus inſtante morte edidit, in qua nominatim [b] profitetur, *quod conſecratur in altari, verum corpus eſſe, veram carnem & verum ſanguinem Domini noſtri Jeſu-Chriſti.*

b Analect. t. 4. p. 400.

Regula S. Benedicti.

87. Nunc locus poſtulat, ut de prima Regula Cartuſienſium agamus, quam ſanctus Bruno eis præſcripſit, antequam prima illius Ordinis ſtatuta à Guigone in ſcripta redigerentur. Hanc autem Regulam ſancti Benedicti fuiſſe multis conſtat argumentis. Primo Guigo ipſe ſtatuta ſua edidit ad mentem hujus Regulæ, ut docet inſcriptio eorumdem ſtatutorum in codice Portarum, in quo illa habentur ſub hoc titulo: *Statuta Guigonis Cartuſiæ Prioris & aliorum Patrum juxta Regulam ſancti Benedicti.* Unde Guigo ipſe in præfatione ſua hæc ſtatuta ſcribere ſe diſtuliſſe ait, *quod vel in epiſtolis beati Hieronymi, vel in Regula beati Benedicti, ſeu in ceteris ſcripturis authenticis, omnia pæne, quæ hic religioſe, inquit, agere*

Digitized by Google

conſuevimus, contineri credebamus. Certe non aliam in capite 23. formulam profeſſionis, quam Benedictinam proponit. Deinde Eugenius III. in privilegio [a] Cartuſiæ Montis-Dei conceſſo ſtatuit, *ut Ordo monaſticus ſecundum beati Benedicti Regulam, normam quoque & inſtitutiones fratrum Cartuſienſium, perpetuis ibi temporibus inviolabiliter conſervetur.* Ad hæc Paſchalis II. Lanuino Squillacii, poſt ſanctum Brunonem Priori indulget, ut in quadam eccleſia juris Eremi, quæ apud Squillacium ſita erat, monaſterium conſtituat, *ut fratres, auſteritatem Eremi ferre non valentes, juxta beati Benedicti Regulam illic poſſint omnipotenti Deo deſervire: quam nimirum habitationem per Præpoſitum & decanum*, inquit, *gubernari, diſponique præcipimus: ſic tamen ut Eremi præpoſitus ſemper præferatur, & Major habeatur; & ſicut idem monaſterium Eremi diſpoſitioni ſubjaceat, item ejuſdem loci Præpoſitus & Decanus ſubjiciatur magiſtro Eremi. Data Lateranis VI. Kal. Februarii.* Ex quibus intelligitur, duplex illic Cartuſienſium genus fuiſſe, anachoretarum & cœnobitarum, ut apud Camaldulenſes; & utriſque Priorem Eremi præfuiſſe ſecundum Regulam ſancti Benedicti, qui utroſque in Regula ſua inſtituit. Hoc autem diploma intelligitur de monaſterio Mentauri, quod Squillacio tribus millibus diſtabat, ut fuſius in Annalibus noſtris exponemus, ubi utrorumque, ſcilicet anachoretarum & cœnobitarum Squillacenſium, conſtitutiones referemus. Denique Cartuſienſes ante ſancti Brunonis canonizationem ſanctum Benedictum in ſua confeſſione Patrem ſuum dicebant, retinentque etiam nunc diſpoſitionem officii divini ex Regula ſancti Benedicti, cujus feſtum ſollemni pro more ſuo ritu ſemper obſervarunt.

88. De primariis Cartuſienſium inſtitutionibus legendus, præter ſtatuta Guigonis, Guibertus abbas loco [b] jam citato, ubi mirum eſt, nullam fieri de perpetua eorum à carnibus abſtinentia, quam Poëta ille, cujus in ſuperiori articulo aliquot verſus retulimus, aliaſque eorum conſuetudines pluribus laudat, ex quibus hæc referre ſufficiat.

Contenti propriis, nec divitibus, nec egenis
Eſſe volunt oneri cras, hodie, nec heri.
Non licet augeri numerum pecorum vel agrorum:
Taxatur certo canone quidquid habent.
Carnis in æternum cuncti prohibentur ab eſu,
Præter eum, ſi quem tabida lepra tenet.

Ita ſerio poëta, in aliis non ſemper ſerius. *Verumtamen eſus carnium, cui Ordo renuntiavit, nulli noſtrum*, ait Rifferus [c] Prior in ſua compilatione ſtatutorum *conceditur, etiamſi ſit leproſus.* Unum addere lubet ex Guiberto, qui Cartuſienſium ſtudium in conſcribendis libris deprædicat his verbis. *Cum in omnimoda paupertate ſe de-*

a Marlot t. 2. p. 314.

b Guibert. lib. 1. de vita ſua c. 10.

c Part. 1. Stat. c. 44.

Digitized by Google

primant, ditiſſimam tamen bibliothecam coaggerant. Quo enim minus panis hujus copia materialis exuberant, tanto magis illo, qui non perit, ſed in æternum permanet, cibo operoſe deſudant. Unde Nivernenſis comes, cujus argentea munera reſpuerant, *boum tergora & pergamena plurima eis tranſmiſit, quæ pæne inevitabiliter ipſis neceſſaria eſſe cognovit*, ut idem Guibertus tradit. Præclare Guigo in cap. 28. *Libros, tamquam ſempiternum animarum noſtrarum cibum, cautiſſime cuſtodiri; & ſtudioſiſſime volumus fieri: ut, quia ore non poſſumus, Dei verbum manibus prædicemus. Quot enim libros ſcribimus, tot nobis veritatis præcones facere videmur.* Longe plura de ſacro illo Ordine dicenda eſſent, ſed hæc in præſens ſatis ſuperque ſatis.

§. XI.

De origine & inſtituto fratrum Converſorum & eorum, quos Donatos & Oblatos vocant.

Converſi duplicis generis.

89. UT Ordo monaſticus ſæculo undecimo in diſparatos Ordines diſtingui cœpit, ſic etiam inſtitutus in monaſteriis peculiaris Ordo fratrum laïcorum, quos Converſos vocant. Hoc nomine donabantur olim, quotquot ex adultis *ad converſionem*, ut ſanctus Benedictus[a] loquitur, veniebant, quo nomine ab *oblatis* & *nutritis* pueris diſtinguebantur: at ſæculo undecimo hoc nomine donati ſunt illi, qui exterioribus miniſteriis peculiari voto adſtricti ſunt, apud Cartuſienſes dicti fratres *barbati*; aliis *laïci*, aut, *illitterati*. Primis illis temporibus, etſi illiterati, nonnumquam in cœtum monachorum adlegerentur, rebuſque externis, paſcendis ovibus, hortis excolendis, aliiſque ejuſmodi corporalibus humilibuſque officiis occuparentur; non ſic tamen his addicti erant, ut diſtinctum ab aliis vitæ genus ac ſtatum conſtituerent; poterantque ad ſacros Ordines, cum litteris informati eſſent, promoveri: quod recentioribus Converſis paſſim denegatur. De utriſque egimus in Præfatione prima ad Sæculum noſtrum tertium.

a S. Bened. c. 58.

Converſi laïci.

90. Poſterioris hujus generis Converſos primi admiſiſſe videntur Vallumbroſani noſtri, ut ex actis ſancti Johannis Gualberti hoc in volumine editis[b] colligere licet; dein noſtri Hirſaugienſes, tum Grandimontenſes, Cartuſiani ac Ciſtercienſes. Eorum munia egregie præſcripſit Willelmus[c] abbas Hirſaugienſis, qui primus id genus hominum religioſorum in Germania inſtituit. Apud omnes ſollemnem profeſſionem ab eo tempore faciebant, qualis eſt *profeſſio laïci* in ſtatutis[d] Guigonis Cartuſiæ Prioris, omnino eadem cum ea, quam fratres choro addicti faciebant, hoc tantum addito, quod ſi aliquando è monaſterio aufugiſſent, *plena auctoritate* à ſervis Dei requiri poſſent, & *coacte ac violenter in ſuum ſervitium revocari.* Hinc eſt quod *Converſi profeſſi* in Concilio Remenſi ſub Eugenio tertio,

b Pag. 268.

c Hic pag. 735.

d Guigo cap. 73. & 74.

tertio, quod veluti generale Concilium erat, adeo religioſi cenſentur, ut, non ſecus ac monachi, ſi quando propoſitum transgreſſi eſſent, & uxores ſibi copulare præſumſiſſent, eorum matrimonium nullum eſſe declaretur, utpote copulatio illicita, *quam contra eccleſiaſticam auctoritatem conſtat eſſe contractam.* Ad hæc electioni[a] abbatis intererant apud Ciſtercienſes; & quidem apud Grandimontenſes æquali numero cum clericis, numero ſex, in electione Prioris. Attamen apud Ciſtercienſes ſeparatum in eccleſia locum, uti & apud Cartuſianos, habebant, habentque etiamnunc, & diſtinctum olim refectorium.

[a] *Bernard. epiſt.* 306. *n.* 2.

91. Ex his omnibus evincitur, ejuſmodi Converſos, qui ſollemnem ſcilicet profeſſionem emiſerint, cenſendos eſſe vere ac proprie religioſos, quos Trithemius etiam monachos vocat, id eſt monaſticis votis addictos: tametſi à monachis paſſim diſtinguantur, quippe qui ex peculiari ſtatus ſui lege exterioribus deputati & addicti miniſteriis, tam accuratæ ſolitudini, quæ monachos decet, adſtricti eſſe non poſſunt. Unde eos à monachis diſtinguunt[b] Ciſtercienſes, immo & Innocentius II. in quodam privilegio[c] ſancto Bernardo conceſſo. *Converſos veſtros*, inquit, *qui monachi non ſunt, poſt factum in cœnobiis veſtris profeſſionem, nullus archiepiſcoporum, epiſcoporum, vel abbatum, ſine veſtra grata licentia ſuſcipere, aut ſuſceptum retinere præſumat.* Hæc de Converſis laïcis obſervare hoc loco viſum eſt opportunum, quod religioſorum hominum genus utiliſſimum eſſe conſtat, modo conditionis ſuæ memores humilia non aſpernentur, atque ad res ſibi injunctas religioſe, ſtudioſe & fideliter ſeſe applicent, & non ut dominos ſe gerant, quemadmodum contigit non ſemel in Ordine Grandimontenſi. Quod quidem eo facilius exſequi poterunt, ſi de eorum ſalute & ſpirituali informatione ſolliciti ſint ſuperiores; ſi eos in officio & humilitate continere, & non arbitrio eorum permittere curent, non magis rigidi operum, quam pietatis ac virtutis exactores. Nemo itaque, niſi temere eos religioſi ſtatus expertes, votiſque religioſis haud obnoxios dixerit: (de his loquor, qui ſollemnem profeſſionem emiſerint) cum & *Converſi profeſſi* agnoſcantur, ob idque ad matrimonium contrahendum inhabiles declarentur in generali concilio Remenſi[d] ſub Eugenio III. non ſecus ac monachi; & pro veris religioſis habeantur in Ordinibus & Regulis maxime approbatis, puta Cartuſienſi, Ciſtercienſi, Grandimontenſi, aliiſque, & ab auctoribus[e] graviſſimis tales cenſeantur.

Religioſi vere cenſendi.

[b] *Exord. Ciſt. c.* 15.
[c] *Bernardi ep.* 352.
[d] *Conc. Remenſ. can.* 7.
[e] *Haeften. to.* 1. *lib.* 3. *diſq.* 8. &c.

92. Aliud hominum genus in monaſteriis etiam tunc erat, rebus quoque exterioribus omnino addictorum, qui vulgo Donati ſeu Oblati appellantur. Hi nulla profeſſione facta, habitu paullulum à ſæcularibus diverſi, ſe ſuaque omnia in monaſterii uſus conferunt, ad omnia ſuperioribus obedientes, & conjugii expertes, hac in re differentes à ſervis, de quibus in conſequentibus agemus. Præter fratres Converſos Johannes Gualbertus Vallumbroſanæ congrega-

Donati & Oblati.

tionis inſtitutor, & Willelmus abbas Hirſaugienſis, quorum acta hoc in volumine referuntur, ejuſmodi Oblatos ſeu Donatos in monaſteriis ſuis admiſerunt. De his plura Cangius, vir percelebris apud litteratos memoriæ, in Gloſſario, ubi de Oblatis, & noſter Acherius in Notis ad Guibertum, ubi Donatos eos eſſe putat, quos abbas ille *Deonandos* vocat. Guiberti [a] locum fere integrum, quia nonnulla ſcitu digna continet, huc afferre juvat. Erat in Flaviacenſi apud Bellovacenſes monaſterio ſenex quidam monachus, genere nobilis, totus lacrymis, orationi ac pietati deditus, qui ob infirmitatem corporis in cella infirmorum verſabatur. Huic in lecto decumbenti, necdum plene ſopito, *duo dæmones inſtar religioſorum illorum, quos Deonandos vulgo appellant*, aſſidere cœperunt. Horum primus *erat capite retecto, barbâ non promiſsâ, ſed torſulâ rufus, &, ut ſolent hujuſmodi circumcelliones, nudipes incedens, cœno* quaſi recenti ſordidus. *Alter birro talari & nigro capite adoperto.* Talium perſonarum inſolita ſpecie attonitus ſenex, cui ſæpe in capitulari conventu inculcatum fuerat, *ne quis clauſtralium in cellam infirmorum ſine certa ratione intrare præſumeret;* ignotas ſibi perſonas cum grandi animadverſione increpat: *Cum ſitis laïcæ,* inquiens, *& ignotæ perſonæ, unde vobis tanta temeritas, ut hac hora, hunc in locum veneritis, in quem ſine re aliquivis clauſtralium monachorum venire non audeat?* Illi cauſa addiſcendæ religionis, quam illic florere audierant, ſe acceſſiſſe reſpondent. at ſenex ab iis, qui in clauſtro erant, addiſcendam eſſe reponit: moxque eos loco extrudit. Cetera, quæ in præſens nihil attinent, prætereo. *Deonandos* illos, quorum perſonam & habitum gerebant duo illi dæmones, quominus Donatos ſeu Oblatos eſſe putem, illud obſtat, quod Guibertus *religioſos* vocet, & religioſo habitu indutos exhibeat, nudipedes ac gyrovagos, quod Donatis illis competere non videtur. At quinam ejuſmodi religioſi? Conjecturam hac de re meam ſupprimo, dum lux mihi major affulgeat. Interim obſervo, ſervos olim vernacula noſtra lingua dictos fuiſſe *Dienars*, ancillas vero *Deernes*, ut Borellus [b] in Gloſſario notavit. quæ quidem appellatio non male Donatis competeret, ſi cetera convenirent.

[a] *Guib. lib. 2. de vita ſua c. 5.*

[b] *Borell. p. 587.*

§. XII.

Obſervationes quædam eccleſiaſticæ & monaſticæ.

Summis Pontificibus nomina mutata.

93. HAs obſervationes honoris cauſa ordiri par eſt à Pontificibus Romanis, quibus electis ab hoc ſæculo undecimo nomina mutari conſueverunt. Id quidem jam factum erat ſub finem ſæculi noni in Hadriano III. qui antea dictus Agapitus; tum ſæculo decimo in Sergio III. Johanne XII. & Johanne XIV. Gregorio V. & Silveſtro II. At inſequente ſæculo undecimo res in morem vertit

ſaltem à Benedicto IX. quo ex tempore vix quemquam reperias, qui nomen non mutaverit, præter Marcellum II. qui proprium nomen retinuit.

94. Altera obſervatio erit de Chorepiſcopis, qui fere uſque ad finem ſæculi undecimi perſeverarunt. In charta [a] Widonis Remorum archiepiſcopi pro archimonaſterio ſancti Remigii anno M XL. data, mentio fit de Guntramno chorepiſcopo, qui inter ſubſcriptos reperitur. In necrologio Remenſis eccleſiæ, quod Odalricus tunc præpoſitus ſcribi curavit, laudatur XIII. Kal. Februarii *Aderoldus chorepiſcopus & canonicus*, ſed quo tempore vixerit, nobis incompertum. Denique, *habebat quondam Dorobernenſis archiepiſcopus chorepiſcopum quemdam, qui in eccleſia ſancti Martini extra Cantuariam manebat: qui, advenientе Lanfranco, deletus eſt, ſicut ubique terrarum factum audivimus*, inquit Gervaſius Dorobernenſis monachus, qui anno M CC. florebat. In privilegio, quod Leo IX. altari ſancti Arnulfi Mettenſis monaſterii [b] conceſſit, ad miſſas in eodem altari celebrandas quoſdam tantum ſacerdotes *de domo ſancti Stephani* admittit, ſcilicet *primicerium, decanum, & chorepiſcopum primum:* quo nomine primicerius cantorum deſignari videtur.

Chorepiſcopi abrogati.

a *Marlot to. 2. p. 85.*

b *Meuriſſe p. 355.*

95. In Concilio Compoſtellano, quod anno M LVI. habitum eſt, ſancitum reperitur, *ut ſacerdotes omnes, epiſcopi atque preſbyteri, Miſſam quotidie celebrarent.* quod antiquitus nonniſi pii & ſancti viri facere conſueverant. Hæc prima hac de re conſtitutio legitur. Et quidem id maxime probandum, ſi modo ſacerdotum omnium mores tanti myſterii dignitati ac ſanctitati reſponderent, abſitque ſordidus quæſtus, & lex conſuetudinis, quæ in trivialem uſum degenerat. Atque utinam ita comparati eſſent omnes ſacerdotes, qui quotidie ſacra celebrarent. Sed quam metuendum ne pauci. Inter varia monita, quæ Petrus Damiani Deſiderio Caſinenſi abbati piiſſimo tradit, eum hortatur, ut ad dæmonem reprimendum, *ſacrificii ſalutaris hoſtiam frequenter*, non quotidie, offerre ſatagat. Apud noſtros Cluniacenſes tunc non tam frequens, neque paullo poſt apud Ciſtercienſes, Miſſarum privatarum uſus. Apud Cartuſianos una Miſſa diebus tantum dominicis & feſtivis. Feriales Miſſas de Angelis feria ſecunda, ſexta de Cruce, ſabbato de beata Maria cum ejus officio apud eremitas Fontis-Avellani, tunc inſtitutas fuiſſe auctor eſt Petrus Damiani. Eodem etiam tempore horariæ beatæ Mariæ preces non ſolum à clericis, ſed etiam à laïcis frequentari cœptæ ad ſacram expeditionem Deo commendandam; recitata quoque ad certum numerum ſalutatio Angelica, qua de re in Præfatione [c] ad præcedens Sæculum fuſe actum eſt; & de abſtinentia à carnibus in ſabbato tunc quoque inſtitui cœpta, ſed forte non ita ſtricte tunc præcepta, ut eam omnes rigide ſervaverint. Unde Baldricus abbas carmen edidit de quodam, qui ſabbato carnem edere recuſaverat, eumque carpit quod Judaïcas leges revocaret.

Miſſæ quotidianæ & feriales.

c *Num. 116. & ſeqq.*

Digitized by Google

Sabbata cuſtodis tamquam Judæus apella,
Cum tamen alterius legis iter teneas.

qua in re non probandus Baldricus, maxime quod ait id factum in conventu fratrum ſeu Burgulienſium ſuorum, qui ex Regulæ præcepto abſtinentiam à carnibus ſervare debebant.

Viaticum ſub utraque ſpecie.

96. Obſervatu dignum eſt id, quod in libello de miraculis, in Majori monaſterio tunc temporis editis, legitur de quodam laïco [a] converſo, qui in eodem cœnobio pſalmos didicit, & per annos quinquaginta in ipſo monaſterio religioſe converſatus, *numquam ad cellas exteriores exire ad manendum voluit. Jacebat autem in eccleſia, luminaria concinnans, verrenſque pavimenta, parietes extergens, & quibuſcumque ſanctis miniſteriis poterat, ſedulus inſiſtebat: Pſalterium ex Ordine quotidie decantabat: poſt matutinos numquam quieti lectuli indulgebat.* Denique, facta ſibi de imminente ipſius obitu per ſanctum Martinum revelatione, rem abbati narrat: qui ſomniis non habendam fidem reſpondit, ſed tamen *imperat ſuper licentiam, ut inungatur. quo facto, Dominicis etiam munitus myſteriis, ſanus & incolumis cum ceteris in conventu verſatus, nocte inſequente circa Laudes viribus corporis cœpit repente deſtitui; nec jam valens ſubſiſtere, ad manus in cellam infirmorum deducitur. Mane adveniente, pro bona iterum devotione Dominici corporis & ſanguinis Sacramenta percepit: ubi, cum poſt ſanguinem vinum ebibiſſet, inter manus ſeſe bajulantium exſpiravit.* Ubi vides primo unctionem necdum infirmo conceſſam, poſtea communionem: deinde prima luce inſequente Viaticum eidem laïco fratri ſub utraque ſpecie cum vini ablutione datum. Huc ſpectat quod Petrus Damiani retulit de quodam preſbytero, qui poſt adminiſtratum ſub utraque etiam ſpecie cuidam infirmo Viaticum, cum *aliquantulum Dominici ſanguinis* ſupereſſet in calice, in eccleſiam reverſus, in labrum marmoreum impie effudit, moxque quod effuſum fuerat è calice, in ſanguineum ruborem converſum eſt.

a *Hic pag. 399. n. 14.*

Communio ſub unica ſpecie.

97. De communione ſub unica ſpecie loqui videtur Humbertus in diſputatione de azymo & fermentato, ubi Græcis ritibus Jeroſolymitanæ & Latinæ eccleſiæ conſuetudines opponens, de Jeroſolymitanis hæc habet: *Cochlear autem, cum quo communicent, ſicut in eccleſia Græcorum, minime habent: quia non ita commiſcent ſanctam communionem,* id eſt ſpeciem panis, *in calice, ſed* SOLA COMMUNIONE, id eſt ſpecie panis, *communicant populum.* quod amplius in conſequentibus explicans: *Si quid,* inquit, *ex ſancta & venerabili Euchariſtia in Jeroſolymitanis eccleſiis ſuperfuerit, nec incendunt, nec in foveam mittunt, ſed in pyxidem mundam recondunt; & ſequenti die ex ea communicant populum, quia quotidie communicant ibi, eo quod conveniunt illuc ex diverſis provinciis Chriſtiani, qui propter*

Digitized by Google

fidem & maximum amorem Filii Dei communicari ibidem deſiderant. ubi vides reſervatam Euchariſtiam in communionem peregrinorum, qui proinde ſub unica ſpecie ſaltem extra ſacrificium communicabant. De Latinis id non ita clarum apud eumdem auctorem. *Tenues oblatas, ex ſimila præparatas, integras & ſanas, ſacris altaribus nos quoque ſuperponimus, & ex ipſis poſt conſecrationem fractis cum populo communicamur; & tunc demum calice meri & liquidi cruoris potamur.* an etiam cum populo, non ita dilucide apparet. De hac ſive puerorum, ſive infirmorum, ſub unica ſpecie communione præclarum eſt teſtimonium Gilberti Porretani Pictavenſis epiſcopi in notis Acherianis.[a] ad Guibertum. a Guibert. p. 564.

98. Ad hoc uſque tempus mos obtinebat, de quo alias non ſemel diximus, ut ſæculares homines, in extremis poſiti, habitum monaſticum induerentur, cum eo, ut, ſi revaluiſſent, monaſticæ profeſſioni obnoxii remanerent. Ex his unus fuit, Roberto Francorum rege, Ludovicus comes Alemannorum, qui ad montem ſancti Michaëlis orationis cauſa profectus, in reditu apud Senonas morbo correptus, in ſuburbano ſancti Petri cœnobio monachus factus eſt, nec multo poſt è vita migravit, ut Clarius[b] monachus refert. Multa id genus exempla non modo ſæculi undecimi, ſed etiam duodecimi refert Ordericus Vitalis: ex quibus Guillelmus[c] comes Flandriæ, in prœlio graviter vulneratus, *ſcelerum pænitens monachatum petiit, & Dominici corporis perceptione cum confeſſione munitus obiit*, ſcilicet anno M XXVII. ubi Viaticum ſub unica ſpecie datum videtur. Id vero etiam preſbyteri, immo ipſi quoque epiſcopi non raro faciebant. Unicum huc affero ex initio ſæculi duodecimi exemplum de Roberto[d] Lingonenſi epiſcopo, qui graviſſimo correptus morbo, à Widone Moliſmenſi abbate monaſticum habitum accepit, & Viatico accepto vitam finivit. Hunc morem propugnat Petrus Damiani in Opuſculi XV. cap. 2. *Dum ergo*, inquit, *monachum fieri hoc ſit utique converti; & converſionis remedium nulla hora reſpuit, nullum tempus excludit: conſtat procul dubio, quia in ægritudine conſtitutus, ſicut converti cum vult, nullius auctoritatis obſtaculo præpeditur; ita etiam ut monachus fiat, abſque ulla refragatione jure conceditur.* Et infra. *At forſitan, inquies, non quidem prohibetur in corporali moleſtia poſitus ad portum monachici Ordinis repente confugere: ſed licet, ſi convaluerit, ad priſtinæ converſationis habitum remeare. Sed clamat, immo reclamat ipſa Veritas tam perſpicuæ falſitati, cum dicit: Nemo mittens manum ad aratrum*, &c.

Habitus monaſticus acceptus in extremis.

b Spicil. to. 2. p. 740.

c Orderic. lib. 12. p. 886.

d Spicil. to. 1. p. 641.

99. Ultima obſervatio erit de liberis hominibus, qui ſe in ſervitutem & obſequium monaſterii perpetuo devovebant. quod maxime iis in locis fiebat, ubi ſancti inſigniores colebantur, quorum gratia id agebant. Hæc autem obligatio variis modis ac teſſeris fieri ſolebat. Alii enim fune ſigni ſeu campanæ cervici circumpoſito, alii denariis ſuper caput impoſitis, alii denique capiti ipſo

Servi monaſteriorũ.

Digitized by Google

altari impoſito hanc ſervitutem profitebantur. In chartario Vindocinenſi quidam *quatuor denarios de capitagio ſuo, ſicut mos ſæcularis eſt talibus facere, ſuper altare Dominicum prædicti loci gratanter imponens, funem quoque collo ſuo devote circumplicavit.* In Majori-monaſterio exſtat vetus codex traditionum de ſervis monaſterii, in quibus Bertrannus quidam & uxor ejus Ermentrudis cum alio *in parlatorium* ſeu auditorium veniſſe dicuntur, *& ibi poſitis ex more quatuor denariis ſuper capitibus ſuis, tradiderunt ſe toti tres ad ſervos priori noſtro domno Oddoni, & omnem poſteritatem ſuam.* Hoc auditorium, quod ſæcularium erat, ſitum fuit ante oſtium clauſtri, ut ex alio conſimilis traditionis inſtrumento patet, in quo quidam Fulcredus Dobellus & Galterius ejus frater anno ab incarnatione Domini MXCIII. veniſſe perhibentur ambo *in locutorium, quod eſt ante oſtium clauſtri*, ibique recognoviſſe ſe ſervos eſſe ſancti Martini. Tertii generis exempla refert Arnolfus ex comite monachus ſancti Emmerammi, cui multi, impoſito ſuper altare capite, ſe ejuſdem ſancti Martyris ſervos ac cenſuales fore proteſtati ſunt. Plura de his apud virum percelebris memoriæ eruditum Cangium, ubi de Oblatis.

Recluſi & recluſæ.

100. Hic quædam ſubjicienda eſſent tum de recluſis utriuſque ſexus, quales quam plurimi ſæculo undecimo in monaſteriis noſtris exſtitiſſe inveniuntur, exemplo ſanctæ Wiboradæ, ejuſque ſequacium, quæ ſæculo præcedente apud ſanctum Gallum hoc vitæ inſtitutum amplexæ ſunt: tum de feminis devotis, quæ in cellis non clauſis prope monaſteria noſtra eodem tempore pie degebant: qualis fuit in Flaviacenſi monaſterio Guiberti abbatis mater, cujus ille pia facta tribus de vita ſua libris inſeruit: qualis fuit etiam nobilis ac venerabilis matrona Hildeburgis, cujus acta hic [a] habentur, quæ prope monaſterium ſancti Martini Pontiſarenſe tempore Theobaldi abbatis habitabat. Verum finienda eſt hæc Præfatio, quæ jam modum exceſſit.

a Hic p. 833.

Digitized by Google

CHRONOLOGIA BREVIS
AD SECUNDAM PARTEM SÆCULI SEXTI BENEDICTINI.

SUMMI PONTIFICES.

ANNO

MXLIX. S. LEO IX. ſedit annis 5. menſibus 2. diebus 7.

MLV. VICTOR II. annis 2. menſ. 3. dieb. 15.

MLVII. STEPHANUS IX. aut X. menſ. 7. dieb. 27.

MLVIII. BENEDICTUS X. *Johannes Mincius antipapa menſ. 9.*

MLIX. NICOLAUS II. annis 2. menſ. 6.

MLXI. ALEXANDER II. annis 11. menſ. 6 diebus 22.

HONORIUS II. *Cadalous Parmenſis epiſc. antipapa.*

MLXXIII. GREGORIUS VII. annis 12. menſe 1. diebus 3.

MLXXX. CLEMENS III. *Guibertus Ravennenſis epiſcopus antipapa.*

MLXXXVII. VICTOR III. menſibus 5. diebus 27.

MLXXXVIII. URBANUS II. annis 11. menſ. 4. diebus 8.

MXCIX. PASCHALIS II. annis 18. menſ. 5. diebus 8.

IMPERATORES.

MXXXIX. HENRICUS III. Niger annis 17. menſibus 4. die 1.

MLVI. HENRICUS IV. annis 49. menſib. 10. dieb. 2.

MLXXVII. RODOLFUS *dux Suevia Rex electus contra Henricum an. 3. menſ. 7. dieb. 2.*

MLXXXI. HERMANNUS *Comes, Rex electus contra Henricum annis 7.*

MXCIII. CONRADUS *Henrici Imp. filius electus Rex Italia contra patrem annis 8.*

FRANCORUM REGES.

MXXXI. HENRICUS I. à morte patris annis 29. diebus 15.

MLX. PHILIPPUS I. à morte patris annis 48. menſ. 11. diebus 6.

BRITANNIÆ INSULÆ REGES.

MXLIII. EDUARDUS Confeſſor annis 23.

MLXVI. HAROLDUS II. menſibus 10.

GUILLELMUS Conqueſtor annis 21.

MLXXXVII. GUILLELMUS II. Rufus annis 13.

MXCIX. ROBERTUS, præcedentis frater & ſequentis, ab iſto victus an. MCVI.

HENRICUS I. ad annum MCXXXV.

REGES SCOTIÆ.

MXL. MACBEDUS annis 17.

MLVII. MALCOLMUS III. annis 36.

MXCIV. DONALDUS, paullo poſt occiſus.

EDGARDUS annis circ. 10.

CASTELLÆ, &c. REGES.

MXXXVIII. FERDINANDUS I. Magnus, Caſtellæ, Legionis & Aſturiarum rex, annis 40.

MLXV. SANCIUS I. Caſtellæ annis 6. menſ. 6.

MLXXII. ALFONSUS jam Legionis VI. tum Caſtellæ I. rex, Imperator dictus annis 36.

Digitized by Google

ARAGONIÆ REGES.

ANNO	
MXXXV.	RAMIRIUS annis 32.
MLXVII.	SANCIUS I. annis 27.
MXCIV.	PETRUS I. annis 10.

NAVARRÆ REGES.

MXXXV.	GARSIAS IV. ad annum MLIV.
MLIV.	SANCIUS IV. annis 20.
MLXXIV.	SANCIUS V. jam Aragoniæ I. rex, ad an. MXCIV.
MXCIV.	PETRUS ſimul Aragoniæ rex annis 10.

DANIÆ REGES.

MLXVIII.	SUEIN III. annis 26.
MLXXIV.	HEROLDUS annis 2.
MLXVI.	CANUTUS IV. Martyr annis 2.
MLXXVIII.	OLAUS annis 10.
MLXXXVIII.	ERICUS annis 13.

POLONIÆ REGES.

MXLI.	CASIMIRUS Monachus annis 18.
MLVIII.	BOLESLAUS Sævus ad MLXXXI.
MLXXXI.	ULADISLAUS ad an. MCIII.

HUNGARIÆ REGES.

MXLVII.	ANDREAS annis 15.
MLXI.	BELA I. annis 2.
MLXIII.	SALOMON annis 11.
MLXXIV.	GEISSA II. annis 3.
MLXXVII.	LADISLAUS I. annis 8.
MXCV.	COLOMANNUS ad an. MCXIV.

SANCTI & MONASTERIORUM ORIGINES.

ANNO	
MLI.	BARDO cognomento CHRYSOSTOMUS ex abbate Herveldenſi archiepiſcopus Moguntinus, monaſterii Montis-ſpecioſi conditor.
MLII.	HALINARDUS ex abbate ſancti Benigni Divionenſis archiepiſcopus Lugdunenſis.
MLIII.	PROCOPIUS abbas in Boëmia, ejus gratia Bretiſlaus condit monaſterium S. Johannis-Baptiſtæ.
MLIV.	LEO IX. Romanus Pontifex, antea Bruno Tullenſis epiſcopus.
MLV.	TRUDO miraculis coruſcat.
MLVI.	ARDAGNUS ſeu ARDANUS abbas Trenorchienſis.
MLVII.	ENECO abbas Onnienſis in Hiſpania.
MLVII.	GURLOESIUS abbas Kemperlegienſis in Britannia-minori.
MLVIII.	PATERNUS incluſus Paderbornæ.
MLVIII.	LEUVINA virgo & martyr ex Anglia transfertur in monaſterium Bergenſe ſancti Winoci in Flandria.
MLVIII.	THEODERICUS primus, poſt monaſterii reſtaurationem abbas Uticenſis.
MLIX.	MEGINHARDUS ſeu MEGINHERUS abbas Hersfeldenſis.
MLXI.	GOSLINUS primus abbas S. Solutoris prope Taurinum.
MLXII.	DOMINICUS Loricatus S. Petri Damiani diſcipulus.
MLXIII.	RODULFUS epiſcopus Eugubinus, & PETRUS ejus frater, monachi Fontis-Avellanæ.
MLXV.	ANSUERUS & alii monachi martyres Raceſburgi, & JOHANNES epiſcopus Megalopolitanus.

VITA SANCTI BARDONIS ARCHIEPISCOPI MOGUNTINI.

ANN. CH. MLI. JUNII X.

Auctore ANONYMO æquali.

Ex cod. mſ. Bibliothecæ Cæſareæ à V. C. Dan. Papebrochio eruta.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *VITAM ſancti Bardonis, diu multumque à viris eruditis fruſtra quæſitam, invenit tandem V. C. Daniel Papebrochius in codice mſ. Bibliothecæ Cæſareæ Viennenſis, eamque ad diem decimam Junii Bollandiani retulit, unde eam deſcripſimus. Auctoris nomen ignotum eſt, ſicut & ejus vitæ genus. at eum ætate Bardoni proximum fuiſſe ex multis ipſius Vitæ locis patet, quæ huc referre nihil juvat, cum legenti cuique obvia ſint. Hoc autem opus tres in libros diviſum fuiſſe colligit Papebrochius ex cap. 24. ubi auctor de beati viri ſermonibus ait ſe* eos in tertium libellum differre. *unde vir eruditus infert, ſecundum librum fortaſſe de miraculis, tertium de ſermonibus beati Bardonis aliquando exſtitiſſe, ſed qui exciderunt, ſi tamen umquam exſtiterint. nam forte ille auctor morte, aut aliquo alio impedimento præventus eos libros, quos ſcribere animo conceperat, numquam edidit. Id unum ſcimus, illos ſcilicet ad nos uſque minime perveniſſe. Bardonem vero & miraculis claruiſſe, & eloquentia præditum ex aliis quoque auctoribus compertum eſt. Certe ejus profundam in evolvendis ſacræ Scripturæ myſteriis eruditionem ſatis ſuperque probat ſermo ab eo factus, quem vitæ auctor integrum fere retulit. ſed quæ de hoc ſancto viro alii paſſim auctores habent, paucis expendenda ſunt.* Vitæ ſcriptor.

2. *Bardonem Adalberto patre, quem Vitæ auctor Adalberonem appellat, in opido Veteravia cui nomen eſt Oppershofen, natum fuiſſe teſtantur vulgati Germanicæ hiſtoriæ ſcriptores, quibus antiqua ejuſdem opidi traditio favet. Ibi enim, ut ex litteris reverendiſſimi abbatis ſancti Jacobi de Monte-ſpecioſo didicimus, paterna domus beati Bardonis, in qua natus dicitur, rudera hodieque commonſtrantur. at mirum eſt quam in varias ſententias abierint illi auctores circa ea quæ à beato Bardone ante adeptam Moguntinam ſedem geſta ſunt. Trithemius in veteri Chronici Hirſaugienſis editione ſcripſit ad annum* MXXXI. *Bardonem abbatem fuiſſe Herfeldenſis monaſterii; at ad eumdem annum in nova ejuſdem Chronici editione, apud ſanctum Gallum procurata,* certam ea de re ſententiam *haberi non poſſe fatetur*, ob multiplicem ſcriptorum diverſitatem; quorum alii Alii laudatores.

Digitized by Google

An. Chr. MXLI. Junii X.

aſſerunt *abbatem* fuiſſe Fuldenſem poſt Richardum, alii Herſfeldenſem poſt Arnolfum, & alii Augienſem poſt Bernonem. *quamvis, uti proſequitur,* major pars Fuldenſem abbatem fuiſſe poſt Richardum confirmet. *In libro autem de viris illuſtribus ordinis ſancti Benedicti eumdem* Virdunenſem, ſeu Herſfeldenſem abbatem *fuiſſe ſcribit. quo in loco errore ſcriptoris* Virdunenſem *pro* Wirthunenſem *irrepſiſſe cenſemus. Idem auctor ad annum* MXLI. *Chronici laudati editionis ſancti Galli, retractans, quæ ea de re in aliis libris, & paullo ſuperius ad annum* MXXXI. *ſcripſerat*, diligentiori inquiſitione certificatus *concludit*: Conſtat nunc manifeſte *Bardonem* monachum Fuldenſis exſtitiſſe cœnobii, non abbatem. Nam Richardo in abbatia ſucceſſit Sigibertus, poſt quem Roſingus, poſtea Bardo, ſed non iſte de quo loquimur; deinde Egcebertus, poſtea alius Bardo, ac deinde Siffridus, qui poſt Lutpoldum Moguntinæ ſedis magnus fuit archiepiſcopus. *Ex quo Trithemii teſtimonio & aliis paſſim locis duo colligenda ſunt. primo hunc auctorem in hac ſecunda Chronici Hirſaugienſis editione non ſolum multa retuliſſe, quæ in priori deſiderabantur, verum etiam ea quæ antea ſcripſerat, accuratius, conſultis etiam veteribus inſtrumentis, retractaſſe. ſecundo, eos qui Bardonem noſtrum Fuldenſem abbatem fuiſſe crediderunt, ipſum non ſatis ab alterutro è junioribus Bardonibus hîc à Trithemio memoratis diſtinxiſſe.*

Abbas fuit Herſfeldenſis.

3. *Verum hos omnes Trithemii aliorumque auctorum ſcrupulos omnino elevat Anonymus auctor Vitæ, quam hunc proferimus. cui plane ſuffragatur Chronographus Saxonicus in noſtro codice mſ. ubi* Bardo vir ſimplex & rectus, Herveldenſis abbas, *Ariboni Moguntino ſucceſſiſſe memoratur anno* MXXXI. qui Deo provehente in brevi ad culmen ſummæ perfectionis feliciter proceſſit. *Ibidem, ſicut & in Chronico Hildesheimenſi, idem vir ſanctus* Wirthunenſis cœnobii procurator *fuiſſe dicitur, priuſquam monaſterio Herveldenſi* imperatricis Giſlæ ſuggeſtione, *Arnulfo abbati exauctorato fuiſſet ſubrogatus. Ad annum vero* MLI. *ubi idem Chronographus Bardonis obitum commemorat, eumdem* in Fuldenſi monaſterio ſub monachica profeſſione enutritum *fuiſſe ſcribit*; indeque pro vitæ merito ad pontificalem dignitatem provectum *claruiſſe. Habemus item ex Lamberto Schafnaburgenſi monacho, qui ſæculo XI. ſcripſit, Bardonem ex Herveldenſi abbate archiepiſcopum factum fuiſſe. ſic quippe habet ad annum* MXXXI. Arnoldus abbatiam Herveldenſem perdidit, cui Bardo ſucceſſit. Sed is poſt dimidium annum Ariboni archiepiſcopo Moguntino defuncto ſucceſſit; Rudolfus vero abbatiam Herveldenſem ſuſcepit. *His addendi veteres catalogi abbatum Vverthinenſium, qui inter ceteros Bardonem noſtrum recenſent, ut videre eſt apud Bucelinum in Germania ſacra.*

Fit archiepiſcopus.

4. *Una videtur omnium eſſe ſententia, ſi Marianum Scotum excipias, qui annum ſequentem aſſignat, Bardonem anno* MXXXI. *thronum Moguntinæ eccleſiæ conſcendiſſe, quem annis viginti, unum addit vitæ auctor, obtinuit. Hac auctus dignitate vir ſanctus nihil prætermiſit, ut ea quæ ſui muneris erant ſtrenue & utiliter adimpleret. Tanta vero erat ejus in divini verbi prædicatione facundia, ut inde* CHRYSOSTOMI *nomen ei tributum fuerit. quod non ſolum Chronographus noſter Saxonicus aut Trithemius teſtantur; verum etiam Vvolferus vitæ ſancti Godehardi Hildesheimenſis epiſcopi auctor & diſcipulus, cujus hæc ſunt verba:* Unum perfectionis ejus privilegium dicam, quod ei in noſtris confiniis à ſanum ſapientibus clericis honoris gratia oblatum eſt; ſcilicet ut æquivocato cum beato Johanne epiſcopo cognomine, propter dulciſonam prædicandi melodiam, BARDO-CHRYSOSTOMUS diceretur. *Uno verbo, ut Trithemius ait,* in pontificali dignitate ad quam pro vitæ merito provectus fuerat, ſpiritu prophetiæ, multiſque virtutibus & miraculis clarus effulſit.

Henrico regi acceptus eſt.

5. *Anno* MXLIII. *Henricus III. rex Agnetem Guillelmi Pictavenſis comitis filiam, duxit uxorem, eamque poſtea in reginam ungi voluit, quod apud Ingelnheim beati Bardonis miniſterio factum fuiſſe memorant vulgati auctores. qua occaſione, uti ex Chronographo Saxonico noſtro mſ. & ex Trithemii chronico fuſiori diſcimus, enituit ſumma Regis in pauperes propenſio, quam Bardoni noſtro acceptam referri debere non dubitamus. Cum enim, ut Trithemius ad annum* MXLIV. *ſcribit, ad has nuptias infinita propemodum hiſtrionum & joculatorum multitudo conveniſſet, hos omnes non ſolum muneribus, ſed etiam cibo & potu vacuos Rex abire præcepit; cibaria vero quæ manducantibus invitatis ſuperfuerant, non hiſtrionibus & mimis, ſed Chriſti pauperibus, quorum aderat maxima multitudo, juſſit diſtribui. Bardonis opera idem Henricus uſus eſt non ſemel in expeditionibus bellicis, ut in Chronico mſ. ſæpius laudato legitur. Ibi quippe ad annum* MXL. *Bardo noſter, cum Ekkehardo Marchione & parva militum manu, Bohemiam* divina comitante protectione *devaſtaſſe dicitur, quam expeditionem victor factus pace coronavit. Aliam item ejus expeditionem refert idem auctor ad annum* MXLII. *Magis ad rem pertinet, quæ ibidem habentur de muniis ejus Paſtoralibus. Nam tres ab eo epiſcopos fuiſſe conſecratos idem auctor teſtatur: Burchardum ſcilicet Halberſtadenſem, die feſto ſancti Stephani anno* MXXXVII. *apud Helingeſtadium: Thietmarum Hildesheimenſem, ſancti Godehardi ſucceſſorem, apud Laureſheim,* XIII. *Kal. Septembris, anno ſequenti; ac denique Suitgerum Babembergenſem Mimigardevordo anno* MXLI. *Addit cenſuram ejus timuiſſe Severum Pragenſem antiſtitem, quod deſtructis Poloniæ eccleſiis, earum ſpolia cum ſancti Adalberti reliquiis in Bohemiam tranſtuliſſet. Hæc ex Chronico Saxonico.*

Digitized by Google

6. *Ejuſdem in ſacris locis amplificandis & dotandis cura merito laudatur. Majorem ſuæ ſedis eccleſiam, quam à Vvillegiſo archiepiſcopo incœptam perfici curaverat, ſollemni pompa, anno* MXXXVII. *aut ſequenti, ut vult Marianus Scotus, Deo ſub ſancti Martini titulo conſecravit, cui ſollemnitati, teſtis eſt Trithemius Conradum Imperatorem, Henricum tertium regem, cum multis Epiſcopis, Principibus & abbatibus interfuiſſe. Epiſcopos numero ſeptemdecim ad hanc ſollemnitatem conveniſſe legitur in codice mſ. quem Serrarius laudat. Ex quo item codice diſcimus eccleſiam ſancti Johannis, quæ ob ſedis in novam eccleſiam tranſlationem, deſtituta ab omni clero remanebat, à beato Pontifice dotatam fuiſſe. Hæc ſunt ejus verba:* Sancti Johannis baſilica collegiata juxta Metropolitanam Moguntiæ poſita non modicæ devotionis exſtat, quam idem Bardo ſanctus epiſcopus pro remedio animæ ſuæ dotavit. Veteribus ejus rebus cum dote & congregatione in novam ſancti Martini tranſlatis, & in hac veteri ſancti Johannis, de qua priorem congregationem tranſtulerat, prædiis ſua induſtria acquiſitis, novam congregationem reſtituit. *Huic item ſancto Antiſtiti tribuenda ſunt celebris monaſterii ſancti Jacobi in Monte-Specioſo initia, cujus fundamenta jecit anno* ML. *in monte juxta urbem, qui olim Mons-Druſi, aut, ut aliis placet ab antiquo Martis fano Mons-Martius dicebatur. Vix cœpta erant monaſterii ædificia, cum inſtante ſibi morte pius antiſtes Bardoni ſuo ex fratre nepoti, qui tunc ſancti Albani monaſterio præerat, mandavit ſuum ut moneret in archiepiſcopatu ſucceſſorem, ne opus à ſe incœptum prætermitteret. Paruit beati viri monitis Luitpoldus, ipſius ex monacho, ut volunt, Fuldenſi, & præpoſito Bambergenſi in Moguntina ſede ſucceſſor, qui monaſterium multis opimiſque proventibus dotatum anno* MLV. *ſollemni ritu in honorem ſancti Jacobi-majoris conſecravit, cui advocatis ex ſancti Albani, ſive, ut autumant nonnulli, ex Herfeldenſi monaſterio, Benedictinis monachis Vvalterum abbatem præfecit. Obiit Luitpoldus anno* MLX. *die* 7. *Decembris, atque in monaſterio ſancti Jacobi ſepultus eſt, cujus oſſa, ut refert Trithemius in fuſiori chronico Hirſaugienſi ad annum* MLX. *poſt multos annos levata, & in capſula lignea depoſita fuerunt in extrema chori parte ſupra januam in feneſtra ſubtus altare ſanctæ Helenæ imperatricis. Hodie, ut ex jam laudatis Reverendiſſimi Martini abbatis litteris diſcimus, ad dextrum latus majoris altaris juxta preſbyterium repoſita in ligneo ſarcophago aſſervantur. Porro celeberrimi iſtius monaſterii, quod hactenus ſub regula Benedictina perſeverat, abbatum catalogum exhibet Gabriel Bucelinus tomo* I. *Germaniæ ſacræ, quem ſi lubet, conſule; nos vero beati Bardonis geſta proſequimur.*

Ann. Ch. MLI. *Junii* X. — Eccleſias ornat & dotat. — Monaſt. S. Jacobi initia.

7. *Anno* MXLIX. *Bruno ex Tullenſi epiſcopo factus Romanorum Pontifex, ſub Leonis* IX. *nomine, Remis concilium celebravit, cui & præfuit: inde in Germaniam profectus, alteram apud Magontiam ſynodum habuit, cui quadraginta epiſcopi cum Henrico Romanorum imperatore interfuerunt, inter quos Adam Bremenſis, Albertus Stadenſis abbas, & Chronographus noſter Saxonicus recenſent Bardonem Moguntinenſem, Eberhardum Trevirenſem, Hermannum Colonienſem, Adalbertum Hammaburgenſem & Engelnhardum Magdeburgenſem archiepiſcopos. His accenſendus Sigebotho, ſeu, ut alii ſcribunt, Sibicho, Spirenſis epiſcopus, qui ſimoniæ aliorumque criminum accuſatus, ſe ipſum judicio communionis corporis & ſanguinis Domini expurgavit. In eadem ſynodo Bardo Moguntinus antiſtes* legatus ſacro-ſanctæ Romanæ eccleſiæ declaratus eſt, *ut teſtatur Trithemius in fuſiori Chronico Hirſaugienſi, ubi ad annum* ML. *hanc ſynodum cum aliis auctoribus pleriſque revocavit, quamvis nonnullis magis arrideat Adami Bremenſis & Vviberti vitæ Leonis* IX. *ſcriptoris ſententia, qui eamdem ſynodum anno præcedenti celebratam fuiſſe litteris mandarunt.* — Fit legatus apoſtolicus.

8. *Bardonem prophetiæ dono illuſtratum fuiſſe jam ex Trithemio diximus: ſed id ipſum teſtantur quoque vetuſtiores ſcriptores. Prophetiæ ſpiritu donatum fuiſſe ex Haſenrietano diſcimus apud Gretſerum, ubi Bardo Gebhardum Eiſtetenſem epiſcopum Romanæ ſedi aliquando præficiendum prædixiſſe memoratur. Vide Menolog. Bened. die* X. *Jun. & Gretſer. de SS. Eiſtetenſibus. Narrant veteres hiſtorici hunc eumdem beatum Pontificem, mortem ſibi imminentem divinitus prævidiſſe. cum enim Imperator cum multis principibus (addit Trithemius Leonem papam, ſed jam Henrico valedixerat) feſtum Pentecoſtes apud Paderbornam celebraret, ſanctus Bardo habita inter Miſſarum ſollemnia concione obitum ſuum inſtare clara voce prædixit, atque veniam & pacem ab omnibus petens, ſeſe orationibus adſtantium commendavit. Beati viri prædictionem veram fuiſſe probavit ipſe rei eventus. Etenim paullo poſt ineunte Junio menſe è vivis exceſſit. ſepultus eſt in majori eccleſia, quam ipſe, uti ſupra diximus, in honorem ſancti Martini conſecraverat.* — Futura prædicit.

9. *Sancti Bardonis obitum anno* MLI. *conſignant ſcriptores omnes ipſi coævi, Lambertus Schafnaburgenſis, Marianus-Scotus, Hermannus-Contractus, & qui deinceps ſecuti ſunt, auctor Chronici Saxonici mſ. Trithemius, aliique paſſim. nec diſſentiunt recentiores. Sigebertus eum ad annum* ML. *an errore librarii, revocat. Ab his tamen omnibus receſſit Papebrochius in Junio Bollandiano, quod illorum ſcriptorum calculus componi nequeat cum vitæ auctore, qui Bardonem vix quinquagenarium Mogontinam ſedem conſcendiſſe ſcribit, ac poſt ter ſeptem regiminis annos ſeptuagenario majorem,* III. *Idus Junii feria ſexta ad cælos convolaſſe. Cum autem feria ſexta die* XI. *Junii anno* MLIII. *contigerit, concludit vir eruditus Bardonis obitum ad eum diem revocari debere. At tamen movet me tot ſcriptorum æqualium, & data opera ea de re, etiam in Germania ſcribentium, auctoritas. Nonnihil etiam difficultatis eſt in aſſignando Bardonis obitus die, quem quidem undecimo* — Annus & dies mortis.

Digitized by Google

ANN. CH. MXLI. JUNII X.

Junii die, ſeu III. *Idus notant Vitæ ſcriptor & Hermannus-Contractus; at Martyrologia quæque diem præcedentem aſſignant, ſed id factum fuiſſe dicit Papebrochius, quod dies* XI. *ſancti Barnabæ apoſtoli ſollemnitate impediretur. verum eadem quoque fuiſſet ratio ceteros ſanctos, quos hac ipſa die memorant faſti ſacri, in præcedentem aut ſubſequentem diem rejiciendi. Deinde Marianus-Scotus in chronico, ubi nulla ſollemnitatum ratio valere poteſt, Bardonem* IV. *Idus Junii obiiſſe ſcribit. Non itaque poſſibile eſt illorum auctorum verba ſimul in unam ſententiam conciliare. Quinam vero ex illis ſcriptoribus ſint ceteris præponendi, definire non auſim. quare propoſitis, quæ ex utraque parte occurrunt, ambagibus, rem in medio relinquere viſum eſt. quam forte aliquando viri eruditiores ſolvent. at interea Bardonis obitum anno* MXLI. *ut veteres Chronographi habent, die* X. *Junii ex faſtis eccleſiaſticis ita in margine conſignabimus, ut Papebrochii ſententiam, qui ex vita auctoritate beati viri obitum ad diem* XI. *Junii anni* MXLIII. *revocavit, rejicere, aut impugnare nolimus*

Miraculis claret.

10. *Bardonis Sanctitatem miracula, quæ ad ipſius tumulum frequenter patrata fuerunt, luculenter probant. Hujus rei teſtem omni majorem exceptione habemus Pontificem ſanctiſſimum, Annonem Colonienſem epiſcopum, qui, ut refert ejus Vitæ auctor lib.* 2. *cap.* 11. *ſic de beati Symeonis, & noſtri Bardonis tumulis ſuos Sigebergenſes monachos allocutus eſt.* Symeon ille nominatiſſimus, quo Treviris inclito gloriatur patrono; ſed & Bardo ſanctiſſimus, urbis Moguntinæ decus, revera ſanctitatis ſuæ meritum plurimis indiciis commendantes, omni quidem reverentia ſunt jure colendi: verum quia magni prædicantur & ſunt, donariis amplis honorari ſatagunt: at mihi, &c. *Eumdem Hermannus Contractus anno* MXXXI. *Ariboni Moguntino ſucceſſiſſe dicit* vita & habitu monachum venerandum. *Ad annum vero* MXLI. Eadem æſtate Bardo venerabilis Moguntinæ ſedis ex monacho archiepiſcopus, omni pietate & ſanctitate mirabilis III. Idus Junii ab hac vita ſubtractus, multis poſt obitum claret miraculis. *quæ contractius habentur in editione Piſtoriana. & Sigebertus de eodem habet:* cujus ſanctitas per multam miraculorum gratiam patuit.

11. *Sed ex jam laudata beati Annonis Vita lubet hic deſcribere miraculum inſigne, quod ejuſdem ſancti pontificis interventu ad beati Bardonis tumulum patratum fuit. Sic autem refertur cap.* 12. Apud Mogontiam, Germaniæ nobiliſſimam & populoſam civitatem, magnam cujuſdam nominatæ feſtivitatis celebritatem regni principibus & eccleſiarum præſulibus juſſio regalis effecerat; qui diverſis ex provinciis illic adunatis curiæ præſidebant. In eo conventu ſicut meritis intus, ſic & auctoritate foris ſingularis præeminens Anno, ſummus Colonienſium præſul, quadam die populorum frequentia denſiſſime circumfuſus, ad immolationem immortalium ſacramentorum ex more ſtetit in atrio principalis eccleſiæ, prope tumulum ſancti Bardonis archiepiſcopi, ejus nimirum ſanctitate delectatus; quæ recentibus interim miraculis commendabatur. Cumque multam cordis contritionem habens, totus lacrymis flueret (nam quoties idem exſequebatur miniſterium, non ut plerique coactis, ſed ſponte currentibus infundebatur lacrymis, ut crederes ex aliquo fonte venas vivas proſilire) mundiſſimis labiis orationes ſolitas complens, ab altari deſcendit. Cernens autem quemdam toto corpore miſerabiliter contractum adhærere tumbæ beati præſulis, iſque quis eſſet non ignorans, (fuerat enim à progenitoribus mancipium, ſuper hæc & eleemoſynarius illius, cujus cineribus ob cuſtodiam aſſidebat) ſuo more uſus contra ſepulcrum ſtans loquebatur: Ignotos & prope nullius devotionis ope celerrima reſpicis: hunc vero tuis innitentem ſemper obſequiis, tui juris famulum, te diligentem, te precibus aſſiduis inquietantem, tanta hactenus obſtinatione contemnere potuiſti? Si non tuis meritis adſcribere vis, quod in aliorum curationibus hic actum eſſe fama confirmat, in hujus reparatione contracti, nobis cernentibus, declara tuæ virtutis efficaciam. Hæc multis audientibus cum dixiſſet, nulla intercipiente mora, æger in pedes repente conſtitit, incolumitatem ſuam, & alio memorabili ſigno comitante, quod abſque fluore ſanguinis, abſque dolore nervorum integræ ſoſpitati momento redditus eſt. Quod factum Anno Dei ſervus mira lætitia ſuſcipiens, magnoque præconio ſancti Bardonis nomen & meritum extollens, hymnum *Te Deum laudamus* altæ vocis modulatione inchoavit, tam populo quam clero pariter eadem devotione conſonante, ſigniſque ſollemniter concrepantibus. Rumor totam mox civitatem pervolavit, ædes regias intravit: unum proceres, unum reliquæ multitudines perſonabant, Annonis fide virtutem Bardonis emicuiſſe, meritis utrorumque ſanitatem homini applauſiſſe: quam tamen ſi lingua conticuiſſet Annonis, nec tunc quoque ſanctitas annuiſſet Bardonis.

Ejus memoria.

12. *Martyrologia quæque tum monaſtica, tum Germanica beati Bardonis memoriam celebrant die decima Junii; conſentit Ferrarius in catalogo generali Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non habentur, ubi obſervat hunc beatum virum nullo officio publico in eccleſia Moguntina coli. quod quidem mirum videtur, cum ejus ſanctitatem non ſolum ſcriptores veteres & recentiores, ſed ipſa etiam opera & miracula atteſtentur. Quin & Marianus-Scotus, Trithemius in vulgato Hirſaugienſi Chronico ad annum* MXXXI. *& paſſim alii auctores* ſanctum Bardonem *abſolute nuncupant. Immo Trithemius eumdem non ſolum* ſancti *nomine donat, ſed etiam hæc de illo ſubjungit,* qui fuit vir doctus & ſanctiſſimæ converſationis, atque poſt mortem ſanctorum catalogo in-

Digitized by Google

ſertus eſt. *Bardonem tamen in opido Opershoven antiquitus cultu publico honoratum fuiſſe didicimus ex epiſtola jam laudata Reverendiſſimi abbatis ſancti Jacobi, ubi ſic habet:* Illud, *inquit*, quod ſubjungo ex relatione habeo illuſtriſſimi domini Adolphi Godefridi Voluſtz, ex ſacræ Theologiæ doctore & eccleſiaſte metropolitano glorioſiſſimo, epiſcopo Domitianopolitano & ſuffraganeo Moguntino, qui ante annos octo fatis ceſſit, ſua memoria eccleſiam in Opershoven Weteraviæ, ubi de facto adhuc monſtrantur rudera paternæ domus, in qua ſanctus Bardo natus, igne exuſtam, ſalva ſolum imagine ſancti Bardonis, quæ ſuper ligneam tabulam ad vivum effigiata, cujus imaginis poſſeſſionem benefatus epiſcopus nactus, ſe eamdem monaſterio noſtro legare reſolvit: ſed à neſcio quo, ſummo amborum dolore clanculum ſublata, ſpem tanti theſauri irritam reddidit. ANN. CHR. MLI. JUNII X.

13. *Sed etſi verum eſſet Ferrarii tempore, quod quidem non credimus, Bardonis officium nullum in eccleſia Mogontina fuiſſe celebratum, fatendum eſt paullo poſt fuiſſe in ea inſtitutam beati antiſtitis feſtivitatem. Nam ex Adolphi Overhami, qui & ipſe monachus fuit Vverthinenſis cœnobii, diſcimus in proprio ſanctorum Mogontinenſium die undecima Junii feſtum ſancti Bardonis ſub ritu duplici præceptum inveniri. quamvis in officii lectione quinta dicatur* IV. *Idus ejuſdem menſis obiiſſe. De eodem agunt Faſti Verthinenſes, ut ipſe ait Overhamus, tum vetuſti tum recentes, in quibus Bardonis nomen tertio Idus Junii conſignatur. Quam vero celebris ejus fuerit memoria etiam paullo poſt ipſius mortem, ex Vvolfero vita ſancti Godehardi auctore ejuſque diſcipulo diſcimus, qui de Bardone noſtro agens ſuperfluum eſſe cenſuit,* pietatis ejus vitam & actus plenius ſcribere: quia, *inquit*, Moguntiæ pro ſanctitatis ſuæ merito, inter apoſtolicos ſacerdotes magnifice celebratur. *Sane Leo* IX. *ſanctiſſimus pontifex, cui probe Bardo notus erat, hunc vivæ vocis oraculo canonizavit. Cum enim mortis ejus nuntium accepiſſet*, Nunc, *inquit*, Bardo ædificat, ſi ante neglexerat. *Tum de ejus patientia ſubjunxit:* Quis umquam hujus ſancti viri patientiam adſcriberet miſericordiæ, & non potius ſocordiæ? Cultus.

14. *Ejus porro ſepulcrum, quod ob miraculorum frequentiam adeo celebre fuerat, temporis proceſſu ita obſcuratum eſt, ut nullum penitus ejus indicium ſuperſit. Habuit Serarius codicem mſ. in quo vir beatus dicitur ſepultus* in eccleſia Mogontina in crypta, quæ tum in medio eccleſiæ fuit: nunc autem ibidem per Johannem archiepiſcopum altare ſancti Martini conſtructum eſt, Epitaphii autem illius lapis in latere ipſius altaris cernitur. *Fatetur idem Serarius ſe illum lapidem quæſiviſſe quidem, ſed à ſe minime fuiſſe inventum. At illud epitaphium, quodcumque tandem fuerit, vetuſtum non fuiſſe ex eo conſtat, quod nullus Johannes Mogontinus antiſtes exſtiterit ante ſæculum* XIV. *primus enim hujus nominis fuit Johannes Luxemburgius ex Argentinenſi eccleſia ad Mogontinam tranſlatus anno* MCCCXXI. *alter è Naſſaviorum gente eodem ſæculo labente ſedem iniit, ſequentis initio mortuus. Unde conjicit Papebrochius epitaphium à Serario laudatum diſſipatum fuiſſe anno* MDLII. *quo Albertus Brandeburgius, Lutherana hæreſi infectus, Moguntiæ præcipua templa flammis violavit ac pæne conſumſit.* Sepulcrum.

INDEX CAPITUM.

I. *De infantia ſancti viri.*
II. *Quod Monachus effectus eſt.*
III. *De benignitate ejus, & quomodo fratrum obedientias accepit.*
IV. *Prophetia ejus prima de Epiſcopatu.*
V. *Quod Decanus electus eſt: & quod acetum fratribus negatum juſſit effundi.*
VI. *Quomodo abbas Richardus novum monaſterium ædificatum noviter commendaverit ei.*
VII. *De adventu Conradi Regis ad Fuldam, & de benedictione à ſancto viro accepta.*
VIII. *Quod abbas Verdenſium conſtituitur.*
IX. *Quod abbas Herveldenſium conſtituitur.*
X. *Secunda Prophetia de Epiſcopatu.*
XI. *De morte Aribonis Maguntini Epiſcopi.*
XII. *De viſione abbatis Richardi, & quod prophetaverit hunc ſanctum virum futurum Epiſcopum.*
XIII. *Ubi convenientes in diverſorio alter alterius intellexerit præſcientiam.*
XIV. *Ubi Epiſcopus ordinatus eſt.*
XV. *De reprehenſione invidorum.*
XVI. *Sermo ſancti viri in natale S. Johannis Evangeliſtæ declamatus.*
XVII. *Moraſticon de eo.*
XVIII. *Quomodo reprehendentem ſe ſcutella aurea donarit.*
XIX. *De ignotis volucribus ad eum venientibus.*
XX. *De lumine ante eum cælitus accenſo.*
XXI. *Ubi carnem mutavit in piſcem.*

Digitized by Google

Ann. Ch. MLI. Junii X.

XXII. *De adverſis virtutibus ejus. Quomodo Papa Leo, & ipſe ſanctiſſimus, eum in exemplum aſſumpſerit: & quomodo homicidam à ſententia abſolverit.*
XXIII. *De humilitate ejus, & viſu Fuldenſis cujuſdam.*
XXIV. *Quomodo in Pentecoſte ad Regem veniens, per ſermonem omnibus de obitu ſuo prophetaverit.*
XXV. *Ubi infirmatus eſt.*
XXVI. *Quam lætus ſanctam animam reddiderit.*
XXVII. *De arida arbore, quæ aquas ſalubres emanat illa feria, qua infuſa eſt lavacro ejus ſancti corporis.*
XXVIII. *Ubi ſepultus eſt in eccleſia S. Martini.*
XXIX. *Capitulum de libro Job.*

CAPUT I.

[a] Bardonis patria & parentes.

BARDO, qui & BARDON, id eſt filius Dei interpretari poteſt, ex opido Germaniæ [Wederovia [a]] ſecundo Ottone Romanam monarchiam adminiſtrante; bonis ex parentibus optimus natus eſt filius: cujus pater ADALBERO, mater vero [Chriſtina] quantæ ſanctitatis fuerint, abſque meo labore loquuntur mirabilia, quæ ad eorum ſepulcra fiunt inenarrabilia. Igitur fratres ejus HELIZO, barbariſmaticè vero, ab eo quod Heliſeus eſt, credimus mutatum, & Harderath [b], omniſque illa proſapia & in catholica fide probatiſſima & expers omnis ſuſpicionis maculæ & tantæ virtutis habita eſt, ut ſi aliquid generi demas, id virtutibus addas. Fortes in armis, in fide præcipui, quod Regi debebant, adminiſtrabant ſtrenue; quod Deo debebant, optime. Tali ex radice palmes ortus eſt, qui accepto fervore veriſſimi ſolis, in uvas virtutum intumuerit, omnique ſitienti ſalutem poculum vitæ poſtmodum effuderit: eo quod ſeipſum ſibi abnegaverit, & arrepta cruce mortificandi terrena ſua membra, Dominum ſecutus ſit. Secundum catholicam igitur religionem ſacro-ſancti ſanguinis Chriſti tinctum baptiſmate, quidam compater ejus admirabili donavit munere, galea, agno, pſalterio. Per quæ dona materialia adverti poſſunt ejus facta ſpiritalia: ſcilicet ut in primordio ſecundæ nativitatis, nobis reſplendeat prodigium totius ſequentis ætatis. In galea quidem, quomodo ſeptus armis ſpiritalibus numquam deſerviebat voluptatibus carnalibus; & in agno præfigurata patientia, quæ multa eum comitata eſt à prima adoleſcentia. In pſalterii præfiguratione, quantum poſtmodum profecit pſalmodiæ meditatione. Parentes ſiquidem ejus & in divina ſapientes, & in humana prudentes, poſt ablactationem puerorum cum ipſo pſalterio, in loco cuidam vetulæ, nomine Benedicta, tradebant ad erudiendum litteras. Illa vero vetula, in infantulo ſuum ſolata ſenium, quidquid novit docuit eum, in gremio ſuo poſitum: & inter pie deſipiendum ſuſurrum, brevi illum totum edocuit pſalterium. Ipſe vero horum non immemor, poſt factus epiſcopus jam gerontæ * nutricis factus eſt nutriculus, inopiamque ejus multis ſolabatur largitionibus.

A Patrino munera accipit futuri præſaga.

* *i.* ſenis.

II.

[c] Fuldæ educatur.

Non multo poſt, cum didiciſſet pſalterium, à parentibus Fuldam deportatus eſt, ibique ſub ARCHANBALDO [c] abbate ſcholaribus aliis appoſitus mirum in modum tenera ætas ſapienti utebatur conſilio: cum quidem ſpretis humanæ philoſophiæ phaleris, fragilitatem meditabatur vitæ præſentis; & quamquam in ſcholari facundia deſudaret magiſtri timore, in eccleſiaſtica tamen ſimplicitate toto mentis verſabatur tenore in pſalterio, Ambroſiano, Evangeliis & talibus ceteris. Quare juſto divino judicio in utroque ditatus eſt amodo, & intus eum informante Spiritus-ſancti magiſterio, ſuo defraudatus non eſt deſiderio, ſed ſitienti pectore ſapientiæ fluenta hauriebat, & ſatis firma memoria hauſta dirigebat. Poſtquam autem

Monachum induit.

[a] Papebrochius addidit ex Bruſchio, *Wederovia*, & infra matris nomen, quæ in mſ non habebantur. De opido ubi natus eſt, diximus in obſervationibus præviis.

[b] Hac voce *conſilium cordis* exprimi obſervat Papebrochius.

[c] Is anno 983. factus eſt abbas Fuldenſis, & anno 1011. archiepiſcopus Moguntinus. Obiit anno 1031. ex Monumentis Fuldenſibus Serarii.

Digitized by Google

ætatem juvenilem conſecutus eſt, piæ mortificationis libens aſſumſit habitum, monachicum ſcilicet indutus veſtitum, & quod ejuſmodi profeſſus eſt indumento, virtutum non negavit emolumento: ſed ſicut cucullam accepit, in qua pia Chriſti ſignatur infantia; & ſcapulare, quod quadratura ſui perfecta deſignat opera; ita ſecundum Apoſtolum Petrum, quaſi modo genitus infans rationabilis ſine dolo lac ſimplicitatis concupivit, ex quo lactatus, virtutum ætatem acquiſivit. *1. Petr. 2. 2.* BRANTHOLIO etiam Præpoſito Fuldenſi adhærens, affinis ſui ſimplicitate dilectus eſt nimis. quare in ea diſceptatione qua Archanbaldus [a] Maguntinæ ſedis epiſcopus contra Brantholium abbatem, ſcilicet in Fulda ſubrogatum, deſæviit, & eum ſine divino humanoque judicio ab Henrico imperatore ſua dignitate deſtitui fecit [b], exeuntibus cunctis ingenuis & liberis, hic ſanctus vir, non fortunæ ſed virtutis amicus, Brantholium ſecutus eſt; *Cum abbate deſcedit.* & cujus lætis communicavit, ejus nec triſtia recuſavit: tantoque tempore permanſit cum eo, uſque dum calumnia illa interventu ſolaminis ſedaretur [c], ſicque ſub abbate BOBBONE, ad nidum ſuæ rediit profeſſionis; *Revertitur.* & pauper rebus, dives vero ſpiritu incoluit dilectæ locum habitationis.

III. Suæ saluti vacans, fratrum ſtuduit utilitati, totuſque deditus erat inedicibili benignitati, & ex parvo quod valuit, ex toto fratribus prodeſſe voluit; *Fratribus ſuis prodeſt.* pro eis ſerviendo, legendo, & cetera quæ monaſterialis uſus novit agendo. Ita quoque circumquaque illis collectis fratribus, (quoniam enutriti ibi pæne omnes exierunt) brevi complacuit, ita ut prius innoteſceret beneficio, quam reditus ſui ſpatio. Viſa igitur in fratres ejus benignitate, quamvis voluntatem ſæpe fruſtrante paupertate, aliquoties in conventiculis ſuis privatis, verum illi dantes teſtimonium benignitatis, querebantur inopiam ejus ſpontaneæ paupertatis, & piis ejus primoribus dignum eum muſſitabant, qui imperaret ſenioribus. Quod & factum eſt. Nam vir Dei ſimul cum gradibus ætatis ſcandens etiam gradus dignitatis, opinioni eorum nequaquam ſe minorem, ſed centuplicato fœnore majorem admodum [oſtendebat], ut gratulantibus Electoribus ejus ſingulis, multi eum dicerent ſuis primitus eſſe electum conſiliis. Fuit etiam in ſcala provectionis ejus quoddam admirabile, omniumque memoratu probabile, *Ejus profectus.* quoniam in monaſterio nulla fuit obedientia, quæ non adminiſtraretur ejus diligentiâ: qui incipiens à minimis, finem ſcandendi fecit in maximis. Nam frugalitati deditus fraternæ, lucratus eſt ſibi nomen dignitatis paternæ. Quemcumque enim fratrum angebat alicujus rei neceſſitas, evadendi neceſſitatem ſolatium primum ſancti Patris fuerat largitas: nec fefellit aliquem ſpes ejuſmodi, quia nec habuit, nec acquirere potuit, quod petebatur, ſi negabat alicui. Quod tamen quia accidere inevitabile eſt, ſi aliquando evenit, pie conſolatus petentem, anxietatis ejus curas ademit: & ſi aliquem vacuum dimiſit dono, non tamen ſermone bono, memor illius: Sermo bonus ſuper datum optimum. Vir itaque mellifluæ dulcedinis, nihil aliud agens ſtudenſque quam moribus conſeneſcere, & è contra benefaciendi voluntate ſemper juveneſcere, nullum tempus laſciviæ, nullum dedit otio: ſed quod agi oporteret ſerio, & didicit legendo, & inculcavit faciendo. Quare mundus corde & corpore, ſicut ſcriptum eſt: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum vi-* *Matth. 5. 8.*

[a] Is eſt qui ſupra Fuldenſis abbas dicitur, cui in ſedem Moguntinam evecto ſucceſſit in abbatia ipſe Brantholius.

[b] Ea de re Dithmarus libro 6. *B. abbas Fuldenſis deponitur, & ſuccedente ſibi Poppone converſo, & tunc Lauriſſamenſi paſtore, hoc monaſterium confratribus late diſcedentibus à priori ſtatu mutatur.* Id S. Henrici *concilio* nonnullorum *depravati* opera factum fuiſſe obſervat Chronographus Saxonicus ad ann. 1013.

[c] Non quidem Brantholii reſtitutione, ſiquidem Poppo, ſeu, ut hîc dicitur, Bobbo abbas remanſit, ſed ad epiſcopatum promotione, quem hunc ipſum eſſe conſtat, qui à Trithemio ſub Brandonis nomine laudatur in Chronico Hirſaugienſi, ubi *Brando* ſeu *Branho*, ut habet nova editio, *ex abbate Fuldenſi decimus epiſcopus Halverſtatenſis* factus fuiſſe dicitur. Ceterum is Brantohus dicitur apud Brovverum, qui hic Brantholius, an ſcriptoris vitio.

Digitized by Google

ANN. CH. MLI. JUNII X. *debunt*, ſancti Spiritus factus ſacrarium, illum inhabitatorem promeruit, qui ait: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Filicem carnalis cogitationis penitus eradicans falce ſpiritalis operationis, quidquid offendere poſſet oculos convivantis amici ſollicitus abſtulit; & quo illum advocari & delectari crederet, providus intulit. Illum amavit, illum ſuſpiravit: & quia carne gravidatus, quo ſpiritu eum ſecutus eſt, corpuſculo non potuit aſſcendere: illum, etiam cum præſens eſſet, ad ſe invitavit deſcendere.

Johan. 14. 23.

IV. Unde, ut ſcriptum eſt: *Ibunt de virtute & virtutem*; jam illum divini conſilii conſortem cæleſtis novit curia, & amicum Dei in terra degentem implevere cæleſtia ſancti Spiritus oracula, ita ut in eum divinitus conferretur prophetiæ gratia. Nam inter cetera ſanctæ ſcripturæ flumina, quæ ſitibundus bibebat, & bibendo ſitiebat, pius Domini diſcipulus Paſtoralem curam [a] maxime diligebat, eamque ſine intermiſſa ſedulitate legebat. Quod familiares ejus fieri videntes, non ſine divina voluntate, quamvis caſu, ut dicitur, operante, quadam die illum percunctati ſunt, quanam cauſa hoc ageret, ut hunc librum præ omnibus tanta cum diligentia legeret. Quibus ſanctus Pater jucunde, &, ut ita dicam, ridiculoſe reſpondit: Adhuc, inquit, cum Rex ſtultus veniet & nullum antiſtare volentem inveniet, forſitan me conſtituet antiſtitem, ad quod neceſſe eſt me provideam ſcientem. Tunc omnibus ſecum ridentibus, nihilque minus ſuſpicantibus quam ridendo, declaravit quod ipſe noverat, futurum ac ſi poſſibile enunciavit. His etiam pollens virtutibus, cum perfecta mente perfectam ſimul ætatem arripuit, jamque quartam annorum ſeptimanam, juventutem ſcilicet, egreſſus, quintam ſeptimanam, quæ etiam ad virile robur ducitur, ingreſſus eſt.

Pſal. 83. 8.

Se epiſcopum fore prædicit.

V. Memor igitur cæleſtis Sponſus amici ſui, ſummus Rex militis ſui, & corona gloriæ coronavit indutum, & circumſepſit armis virtutum, muniens eum clypeo humilitatis, galeatum patientia ſimplicitatis, & circumcinctum gladio diſcretionis adornavit ſagittis prædicationis; & protectum thorace juſtitiæ ſalutaris, ſuperinduit eum chlamyde caſtitatis, humilemque propter ſe, divina Majeſtas exaltavit apud ſe. Videntes enim cœnobitæ militem Chriſti ſine fatigatione in procinctu poſitum, concedente abbate RICHARDO [b], unanimes Decanum elegerunt, & conviatores anguſtæ viæ, quæ ducit ad vitam, ducem fecerunt, qui nec ad dexteram declinaret, nec ad ſiniſtram; ac ſi diceret ad eum Dominus: Amice aſcende ſuperius. Qualis tunc eſſet, adhuc viventes multi teſtantur, qui etiam in ſervo carnis tantam libertatem ſpiritus umquam deveniſſe mirantur. Memorem enim eum illius, Judicem te conſtituerunt, nolli extolli, ſed eſto cum illis quaſi unus ex illis; cum dignitate gradus & morum maturitate, cunctos humilitate ſubſequi vel invitus fateri deberes. Inter magnos maximus, & inter parvos minimus: majoribus formidabilem, minoribus ſe dedit amabilem. Minores ad eum, ut ad patrem accedebant, quem majores ut judicem attendebant: quia quod caritas jubebat, negligere neſciebat. Nullum condemnavit, nullum judicavit; & cum interrogat Petrus utrum dimittat uſque ſepties, hic ſeptuplicavit ſeptuageſies ſepties. Quod ſi etiam à quoquam aliquando putredinem vulneris ferro correptionis abſcidit, illico ſe hominem eſſe memor, fomentum indulgentiæ ſuper ægrotum linivit. Quidquid in monaſterio erat, omnium, ut debuit, eſſe docebat; nec obedientias habentes, non habentibus; ſed non habentes, præpoſuit habentibus. Unde cum quidam cellarius ibi cubam [c] aceto plenam haberet, unde negaret fratribus, mittentibus ad ſe ſæpius quam daret, proprietas hæc ſervatoris ad Patrem delata eſt: qui memor olei, quod

Fit Decanus.

Auctoris ætas.

Eccli. 32. 1.

[a] Hic addit Papebrochius *ſancti Gregorii*, ut deſignet celebre S. Gregorii Paſtorale.

[b] Fuldæ præfectus eſt anno 1015. aut ſequenti, ut videtur Papebrochio. Obiit autem anno 1039.

[c] Etiam & nos Galli dicimus *une cuve*.

negatum

Digitized by Google

negatum Diacono [a] beatus pater Benedictus foras juſſit projici, eadem ſancti Spiritus benedictione benedictus: Ex hac, inquit, maledictione non guſtabitur ulterius; & ſine dilatione totum juſſit effundi.

VI. Interea prædictus bonæ memoriæ Richardus abbas, regionem loci ejuſdem Fuldæ, ordinemque baſilicarum in circuitu poſitarum mente rationeque circumiens, invenit aliquid addere ſe poſſe, quod & placeret rationi & aptum fieret divinæ benedictioni. Verſus enim ſeptemtrionem oppoſitus, in loco, qui dicitur Mons-epiſcopi [b] eamdem plagam ſuſtinenti, ſemper Virginis Mariæ vidit oratorium; altrinſecus autem ſanctorum Johannis-Baptiſtæ & Evangeliſtæ baſilicam ad auſtrum; in partibus orientis, ubi in loco Vveſbergh beato Petro templum dedicatum invenit: [cumque] ad occidentem reverteretur, & hanc cæli plagam tali videret benedictione vacaſſe, intellexit vir Domini meritis ſuis augendis divinam providentiam hanc plagam reſervaſſe. Dilatans ergo trigonum, dico tres eccleſias in latus triangulum in partibus occidentis ſitas, [ad] Longum-pontem ad ripam aquæ Fuldæ tetragrammum integravit quadrangulum; & conſtructo in occidentis partibus cœnobio in honore ſancti Andreæ indidit vocabulum, ut Novum diceretur monaſterium [c]; in quo pii Patris meritum eſt laudabile, & ingenium annumerabile, qui hoc excogitavit, ut à ſeptemtrione ad meridiem virgo reſpiceret virginem, & ab ortu ſolis in occaſum apoſtolus fratrem. Habito ergo conſilio, teneram filiam abbas ſancto viro commendavit, ut & temporibus infantiæ lacte paſceretur, & ſine auſteritate diſciplinata doceretur. Cum vir perfectæ vitæ pie ſe conformaret infantiæ, nutricum more; etſi aſſueſcebat ad pedes Domini vitæ theoreticæ, gnarum tamen ſe oſtendebat & practicæ, imitans illum qui cum tantæ claritatis eſſet, ut deſiderarent in eum angeli proſpicere, aſſumta obſcuritate carnis noſtro inventus eſt in corpore. Quantum ſe in hoc gradu fecerit ſpectabilem, mihi opus non eſt declarare, quod tot teſtari videntur, quot adhuc ejus exemplis illuminati reguntur.

Novum monaſterium conſtruitur. *Cui Bardo præficitur.*

VII. Appropinquavit interim quod ſcriptum eſt: Ecce intelliget ſervus meus, exaltabitur & elevabitur & ſublimis erit valde: quia quem ſanctus accendebat Spiritus, abſcondere non potuit modius. Venit enim iiſdem diebus rex CONRADUS Fuldam, & à beato patre Richardo ad novellam adductus eſt filiam, ubi tum nutricius ejuſdem filiæ, vir ſcilicet prædictus, obviam illis egreſſus eſt, & ut erat mitis & urbaniſſime educatus, congruo honore ſuſcepit eos. Sed quia non inaniter venit, quem divina miſit providentia, poſtquam oratione petita eccleſiam egreſſus eſt, ſingula de hoc loco percunctatus, quæ illi eſſent ſervitia, qui fratres, quis Pater; cum omnia reſciret, hunc etiam patrem ex nomine audiret, ſubito repletus ſummo gaudio, quod eum videret, quem dudum ſibi diu multumque fama loquebatur, iterato ſalutatum, amplexatum, oſculatum, promiſit ſe, cum primum nanciſceretur copiam aut tempus, non dimitteret ſe, niſi redderet exaltatum. Erat quoque hic Dei ſervus Reginæ [d] conſanguineus; & exinde promiſſionis facilior fiebat acceſſus. qui ſatisfaciens regiæ dignitati, quod etiam ipſe potuit, non prætermiſit: ſed dedit videlicet κliotetram [e] regio decore præparatam, quam illuc venturo juſſu & permiſſu ſui abbatis Richardi, præparavit. Tunc denuo exhilaratus Rex, accepta benedictione, erat enim dulce etſi non neceſſarium quod dedit caritas, lætus egreſſus [eſt] multum affirmata promiſſione.

Iſai. 52. 3. *Conrado fit notus.*

a In lib 2 Dialog. S. Gregorii cap. 28. ubi tamen id ab Agapito ſubdiacono petitum dicitur.

b Montem S. Mariæ appellari ex Serario obſervat Papebrochius; ſequentem vero, monaſterium montis S. Johannis Baptiſtæ.

c Dicitur monaſterium novi-montis S. Andreæ. De his omnibus conſulendus Serarius in Hiſtoria Moguntina.

d Eam Vvippo in Conradi vita Giſelam appellat, quæ patrem habuit Herimannum Alemanniæ ducem, matrem Kerbirgam filiam Conradi Burgundiæ regis.

e Id eſt ſellam plicatilem, ſeu faldiſtorium, ut interpretatur Papebrochius, alias chliotedmus dicitur. Vide Gloſſarium Cangianum.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLI. Junii x. VIII. Memor autem Imperator promiſſi, non multo poſt miſſo nuncio ad Richardum abbatem, præfatum ſanctum virum ſibi mitti præcepit. Fama vulgatum eſt ilico, pium Patrem à Rege vocari. flentibus ergo diſcipulis nuper congregatis, aliiſque familiaribus, quos & monitis illuſtrabat & exemplis ſuſtentabat, Regi miſſus eſt. Quem honorifice ſuſcipiens Imperator, circumſtantibus amicis eum oſtendit, dicens: Audiſtis, ait, de Bardone Fuldenſe aliqua? Aïunt illi, Multa. Quænam, inquit? Qui dixerunt, Optima quæque. Et Rex, Si, inquit, audiſtis, credite quia vera ſunt. Hic eſt ille ipſe, ait, quem veraciter laudamus, aut quis ſit laudabilis ignoramus. Deinde expoſito beneficio quod à pio Patre ſuſceperat, omnibus amabilem & honorabilem reddidit. Poſt hæc promovit eum Imperator inter amicos, fecitque eum abbatem Vverdinenſium [a], dicens: Sicut audivimus de te, ſic videamus. Tunc ſatis benevole tractatum, ad commiſſum ovile cum honore dimiſit eum de conſpectu regiæ aſſiſtentiæ. Audito autem diſcipuli & amici ejus, quia magnificavit ejus [abſentiæ] triſtitiam eventus lætitia, ſolabantur, ſecuri de moribus, certi de vita: quia quem bene ſubditum videbant, bene etiam præeſſe poſſe ſciebant.

Fit abbas Vverthinenſis.

IX. Ipſe vero quod dicitur potentia contemnens, & quod paternitas attendens, ad conſuetos mores converſus, nec aliquid immutans, niſi forte ut ſcriptum eſt: Ibunt de virtute in virtutem, illud ſibi dicebat ſedulus: Quanto magnus es, humilia te in omnibus. Qua de re impleta eſt in illo ſcriptura dicens: *Super quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem & quietum & trementem ſermones meos?* Sed & illud: *Ecce ſervus meus, ſuſcipiam eum; electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea.* Quaſi enim nulla eſſent quæ fecit ſibi Deus, ita viſa ſunt datori parva, ut, ad oſtendenda dilecti ſui merita, pro nihilo ducerentur beneficia præterita. Ergo opus erat novis honoribus, ut rurſus & poteſtate creſceret, qui novis ſemper creſcebat virtutibus, unde ac ſi monogamus paupertate premeretur, digamus ſubito factus eſt, tradita ei à Rege Herveldia [b], paſtoris ſui morte viduata. Servus autem Dei videns, quia caritas exigit, non tantum quæ ſibi proſunt, ſed quæ magis alteri, quæ caritatis ſunt cogitavit, loquebatur & fecit; ut quocumque divina voluntate paſtor ſtatueretur, nihil umquam [niſi] dulce videri à ſubditis etiam diceretur. Qua de re tamen argumentari poteſt vita ejus omniumque communiter: quia qui placuerit his in quos habet poteſtatem, neceſſario placebit his in quos privatus ſolam exhibet caritatem. Illam diaboli adinventionem, dico detractionem, illud irremediabile vitium, aut potius veneficium, fraternam in invicem accuſationem, ac ſi fieret inde reus homicidii, penitus abhorruit, abjecit & reſpuit, illud memorans ſedulo: *Quoniam projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum.* Si quis adulando ad eum abſconſe clamque venerat, & hoc & illud, ſi forte negligentias aliquas viderat, enarraverat: Vos, inquiens, neſcitis quanta ſurgat noſtro periculo protervia, quanta inſolentia, arrogantia, neminem juventus reveretur, pro nihilo reverentia ſeniorum habetur. patienter ille parumper audiens; Quid? inquit, quid ait Decanus? illo diſſimulante omnemque in partem accuſationem temperante, Decanum, inquit, habent: ille magiſter eſt, Pater ego. quod ipſe me celaverit, ſcire fas non eſt. ſic itaque ut prudens apicula, circumquaque collectis virtutum floribus, in alveario ſuorum cœnobiorum, quocumque manſitabat, & memoriam dulcedinis & fructum reliquit pinguedinis. Dicat nunc aliquis de hoc famulo Dei, utrum illi Dominus largiens largior, an hic foret humilior? Reſpondebimus majus quidem nos

Iſai. 66. 2. — Ibid. 42. 1. — Tum Herveldenſis. — Detractionem abhorret. — Apoc. 12. 10. — Gratia Dei in illo.

[a] Trithemius, & poſt eum recentiores quidam, Virdunenſem abbatem fuiſſe Bardonem ex hoc loco male intellecto putarunt. Vverthinenſis abbatia ſita eſt in inſula Cæſaris prope Coloniam, in cujus abbatum Catalogo Bucelinus Bardonem locat poſt Heidanricum.

[b] Herveldenſis, Fuldenſi contermina, eumdem cum illa fundatorem agnoſcit S. Bonifacium.

Digitized by Google

non noviſſe, magnum tamen utrumque noſſe, & quam largus Dominus, humilis erat famulus, & quam humilis famulus, largus erat Dominus. quidquid tamen hoc erat, Dei erat gratia, ut hic humilis eſſet in promerendo, & ipſe largus in reddendo. Sed quid dicimus, reddendo, cum ſcriptum ſit? aut *quis prior dedit ei, & retribuetur ei? quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, ipſi honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.* Qui tranſgreſſorem præcepti ſui non rejicit, ſed revocat; non perdit ſed reparat; qui promerenti mala reddidit bona, qui ſeductum revocavit, jacentem erexit; qui filium iræ fovit miſericordia, ſervum peccati libertatis gratia; cujus opus pietas, flagellum caritas, miſericordia juſtitia, juſtitia miſericordia; cujus voluntas opus, imperium ſalus, præmium ineffabile, conſilium admirabile; qui ſalvat gratis, illi gratis qui ſervit: ſervire ei regnare eſt. Et quis ſerviet? Ecce in iſto ſervo Dei quam largus eſſet non comprehendimus. Et quid dicemus? Non tantum ſufficiebat ei, ut hic carne in terra gravidatus, cælum inhabitaret ſpiritu, niſi etiam ipſe clementiſſime deſcendens, ejus inhabitaret Spiritum, ut impleret quod ait: *Ego ſto ad oſtium & pulſo; ſi quis audierit vocem meam & aperuerit mihi intrabo ad eum & cœnabo cum illo.* Vere enim ad hunc, & potius in hunc intravit, quem ſecreti ſui conſcium faciendo lætificavit, ut quia non multum eum lætificavit poteſtate terreſtri, lætificaret, ut dignum erat, præſcientia cæleſti.

Ann. Chr. MXLI. Junii x. — *Rom. 11. 35.* — *Apoc. 3. 20.*

X. Rurſum ſpiritus prophetiæ reddidit eum clarum; rurſus quod electus eſſet & præelectus apud ſe, etſi obſcure, fecit planum. Abbas enim duorum locorum cum ſollemnitate quadam ad Regem veniſſet, ſtans juxta primos, utpote archipræſulem Maguntiæ ARIBONEM, contigit eum ferulam optimam in manu portare, ut hæc ſolet poteſtas. Cui ait Epiſcopus temere, erat enim Noricus genere, Heus abbas! hæc ferula convenientius imperaret manu noſtra, quam veſtra. Ille autem, ut erat filius caritatis, è contra placide reſpondit: Et ſi placet vobis non multum difficile eſt ut acquiratis, & tacuerunt ambo. Cumque veniſſet abbas ad caminatam, ſumta ferula, & ferro mire cælato, in quo Miſſales oblatæ coquebantur, & quodam ſarcile [a] ex lana Græco facto opere per manus ROHINGI [b], qui tunc ſecum commanens poſtea ad Fuldam imperabat, hæc omnia ſupradicto miſit epiſcopo. Illi autem revertenti ait ſervus Dei: Quonam modo accepta eſt noſtra oblatio? Illi hæſitanti ait ipſe: Quonam modo? eia dic? Qui ait: Satis bene, & ſatis, inquit. movenſque caput ait denuo: Quid ſi hæc omnia nobis ſervata quandoque reddentur? Et iterum: Non multum, ut credo, tempus intererit, & erunt rurſus hæc omnia noſtræ ditionis. quod ita factum eſt. Factus enim in Maguntia non multo poſt epiſcopus, omnia hæc in camera, ſicut prophetaverat, invenit, &, Deo gratias, recepit.

Et propheticus ſpiritus.

XI. Neceſſe fuit quandoque venire quod toties prophetaverat, ut fieret quod ait etiam alter propheta: Quia propheta cum prophetaverit, veneritque verbum ejus & implebitur, ſcietur propheta ille quod verax eſt. Defunctus enim non multo poſt eſt præfatus epiſcopus [c], & virga poteſtatis ejus ad regem [miſſa] ubi tunc manebat. Tempore eodem congregati ſunt fideles orthodoxi, habitumque concilium in eodem loco cum iiſdem eccleſiæ Patribus. quibus ait Rex: Quia nobis divina vox ſcriptis innumerabilibus, & terrorem ſuum & honorem loquitur, eſtiſque divini conſilii ſecretarii & præcones: non meam voluntatem, ſed ſempiternam po-

Jerem. 28. 9. — *Aribone mortuo.*

[a] Hac voce veſtem aliquam deſignari cenſet Papebrochius, à ſarciendo derivatam. Cangius in Gloſſario dubitat an pannus, aut veſtis lanea ſit.

[b] Rohingus Fuldenſi monaſterio præfuit ab anno 1040. ad 47.

[c] Defunctus eſt Aribo anno 1031. ex Vita S. Godehardi.

Digitized by Google

ANN. CH. MLI. JUNII X.

tius majeſtatem [ſequi cupientes volumus] ut à vobis eligatur, in quem firmiſſimus ſanctæ Eccleſiæ paries ſecure innitatur: admoniti quippe conſultius agemus. Nunc hunc, nunc illum alter & alter nominabat quem eſſe idoneum exiſtimabat: diu multumque fruſtratis, fuit aliquis ibi qui diceret, ex Privilegii cenſura Fuldenſem exigi paſtorem, eo quod tertium antiſtitem ſedis Maguntinæ mittere Fuldenſe deberet ovile [a]. Placuit itaque Regi differre concilium, quouſque congruum de hoc caperent conſilium. Conſulta igitur privilegia eadem loquebantur, & priorum Regum in hoc conſenſum teſtabantur. Communi vero conſilio, ſenatus ſuper hoc habendus dilatus eſt: quoniam adhuc homo non invenitur quem vellet Deus.

XII. *Ricardus abbas monitus in ſomno.*

Igitur & abbas Richardus adductus ex privilegiis, eadem ratus ventura, diſpoſitâ domo ſuâ, multorum ibidem eum lacrymis proſequentibus, curtim pergere iter aggreſſus eſt. Ibat quidem gravis meditationibus & anxius, ſpe biformi in incerta raptatus, anne fieret ex decretis epiſcopus: ſed parum cupidus terrenæ poteſtatis, exſpectabat tantum velle divinitatis. Quare ſicut ait Pſalmiſtes egregius, *In te Domine ſperavi, non confundar in æternum*; (*Pſal.* 30.) de incertis cito certus factus, eo quod inviolata ſpe omnibus ſuis Dominum advocaret ſedulus, de his quæ ad ſe non pertinebant prægravari diu permiſſus non eſt. Tempore enim umbrifero, cum ſole inferius mundi hemiſphærium emetiente, terræ diameter ſui obſiſtentia tenebras in cælum funderet, quod nox dicitur; ſomnus etiam oblivionis miniſter ad diurnas curas ingenii reparator, virium quoque pridie laſſentium in craſtinum redintegrator, ægris ſe mortalibus infunderet; prædictus abbas, poſt vigiliarum hoſtias lecto redditus, ſecundum quod dictum eſt: *Juvenes veſtri viſiones videbunt, & ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt*, (*Joël* 2. 28.) ſomnium vidit. Experrectus igitur aurora procedente, jam certus divinæ voluntatis, quis futurus eſſet epiſcopus, poſt iteratas orationis victimas, coram ſtantibus ait: Ne multum contriſtemini, fratres, de me, quia abſtrahar à vobis epiſcopatus cauſa: divina largiente [gratia, noſtrum] nobis ſufficiat ſolium. nam Maguntinum exſpectat alium. Et divinam præſcientiam admiratis: Hac, inquit, nocte, in quodam fui campo, ubi è contra ſtantem miræ celſitudinis vidi montem, in cujus cacumine, quo ego aſſcendere non valebam, fratrem Bardonem ſtare videbam, ſub cujus pede fons puriſſimi fluenti ſaliebat. Quem, quia me celſiorem videbam, diligenter intuitus, virgam in manu ejus quaſi oves minantem aſſpiciebam, ipſaſque oves circumquaque paſcentes. Cujus interpretationem ſubjiciens, continuo ait: Mons quidem principatus eſt ſublimitas, virga correptionis ſubtilitas; fons doctrina quam congeret in eo ſapientia divina; oves autem populi paſcendi gramine cæleſtis pabuli. Ille, ait, electus eſt, ſummæ voluntati volentes cedamus. Qua in re admirandi ſunt ambo tanti Patres, quos in terra poſitos cæleſte non latuit conſilium, qui in corpore ſejuncti ſpiritu ſpiritale junxere collegium.

Bardonem ſucceſſorem declarat.

XIII. *Ipſi Bardoni.*

Ivit quoque & hic famulus Dei, de quo loquimur, etiam & ipſe ad Regem, non anxius quidem quis epiſcopus fieret, ſed qui fieret, qualis fieret. Ergo hi duo columbi in quodam diverſorio convenientes, invicem reſalutant datis complexibus; ad capellam quæ ibidem erat, ibant junctis comitatibus: cumque ad januam eccleſiæ perveniſſent, ambo conſtiterunt, & alter alteri ingreſſum præbuerunt. Hic ut antiquo ma-

[a] Ut ſcilicet alternis ſaltem vicibus archiepiſcopus è Fuldenſi monaſterio aſſumeretur. quod factum fuiſſe probat Papebrochius. Nam *Lullo* per S. Bonifacium conſtituto ſucceſſit Riculfus, & ei *Haiſtulfus* abbas, poſt Autgarium *Rabanus* abbas, poſt Carolum *Luitbertus*, qui monachus fuiſſe creditur, poſt hunc *Suzo* Fuldæ educatus. Poſt Hattonem abbatem Augiæ *Heringerus* abbas Fuldæ, tum Hildebertus, Fridericus, Guillelmus, dein *Hatto II.* abbas Fuldenſis; Megingaudum excepit *Arkambaldus* abbas item Fuldenſis, Ariboni autem ejus ſucceſſori debebatur Fuldenſis alumnus.

Digitized by Google

giſtro, ille ut ei quem noverat electum in Chriſto: diu illis alternantibus, ait Richardus: Quod ultra faciendum eſt, hic habeat initium: præcedat ille quem divinum elegit beneficium. Ille vero ac ſi vota audiret, nihil hæſitavit; ſed pede currens obedientiæ, celer intravit. Ante igitur divinum intuitum merito præceſſit, quem æſtimatio divina prapoſuit. Egreſſi vero poſt orationem eccleſiam, pius conſervus pio conſervo narravit quod piiſſimus eorum Dominus ſibi revelavit. Pernoctantes ibidem, craſtino uterque commeatu ſuo adjuncto, ambo quo volebant ſigillatim pergebant. Præcedens autem hic pietatis amator, prior venit ad currum: quem cum aliqui viderent qui cognoſcerent, muſſitantes invicem: Hic eſt, aïunt, ille, quem nobis percunctantibus de paſtore Imperatrix prædixit. Circumquaque enim conſiliantes Rex & Regina poſt priorem conventum, nullum ſe talem noſſe fatebantur, qualem hunc Dei famulum teſtabantur. Ann. Ch. MLI. Junii x.

Erat ergo menſis Junius, & appropinquavit ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli feſtivitas. Venit ergo Principum paſtorum vigilia, & perſonuit fama, Maguntinæ ſedis quemcumque futurum die craſtina: præſto enim fuit quem Dominus in hoc ipſum elegit. Altera autem die, cum mundi oculus ſol confinium ſeptemtrionis & Orientis aſſpirando ſerenaſſet, & mortis imaginem ſomnum horroreſque tenebrarum pepuliſſet, Rex ex cubili ſui penetralis egreſſus, cum Regina primo diliculo eccleſiam ingreſſus eſt: fuſa ergo precum oblatione, divinas aures pulſabant intenti, ut oſtendere dignaretur, quem ipſe ſciret in hoc officium congruentis meriti. Egreſſi deinde, pia fidelium turba congregatâ, reſederunt, pariter conſulturi de præſenti cauſa. Mira populi muſſitatio, hoc illudque dicentis, & famam diverſis confabulationibus laceſcentis. At ubi erant hi, de quibus ait Apoſtolus, Dei adjutores ſumus, & nos ſpiritum Dei habemus, alius de patientia, alius loquebatur de continentia, iſte de ſobrietate, ille de humilitate; hic de proximorum condeſcenſione, ille agebat de ſuprema omnium contemplatione; & quemcumque his præditum aliquis noverat, de hoc ſecundum conſcientiam teſtimonium dederat. Quibus vero Regis patuit voluntas, verba cujuſque ex induſtria ſuſpendentes, verbum Regis exſpectabant, ipſi conſentire volentes. Aliquantulum diei proceſſerat, cum res adhuc fluctuabat. Petito ergo ſilentio, poſt tot horas incipiens Imperator: Quod audivimus, inquit & probavimus, Patres & fratres, annunciamus vobis. Virum ſcio magnificæ virtutis, perfectæ ſanctitatis, ingenii ſingularis, vaſculum caſtitatis, ſapientiæ filium, corporis dominum; magnum humilitate, præcipuum caritate, mundo pauperem, Deo divitem; cui noſtra favet auctoritas, ſi quid digne judicare novit mortalitas. Verbum Regis omnes majores loquebantur, & quod ille teſtatus eſt omnes teſtabantur. quia autem quem diceret celato nomine neſciebant, quemque, ut erat proximus, quem diceret perquirebant. Auribus ergo eorum benevole præoccupatis, tandem vocans eum Imperator ex nomine dixit: Pater, ſimulque digito innuens præcepit ut accederet. Qualem tunc eum videres! quam conſtanti animo, quam immutabili facie, & quam moderatum greſſu! Dum incederet, Palatinis cunctis eum invicem adnotantibus, hic, hic eſt ille: oculi omnium ad pium Patrem, aures intendebant ad Regem. Cum ergo jam ſtaret ante ſolium: Novimus, ait Rex, Fuldenſe privilegium, nec infringimus ſtatutum prædeceſſorum noſtrorum. ſed quia non deſunt qui noverint, qua cauſa non promoveamus abbatem; te ejuſdem ovilis antiſtitare ſtatuimus ſecundum piorum voluntatem. Commiſſa igitur ſibi plebe Maguntina cuncti lætabantur, ductumque cum laude Dei ad eccleſiam promoverunt, eum conſecrantes in epiſcopatus gradum. Tunc vere potuit ad eum dicere Dominus: Amice, aſſcende ſuperius. In-

XIV. Concilium ea de re.

1. Cor. 3. 9.

Bardo declaratur archiepiſcopus.

Luc. 14. 10.

ANN. CH. MLI. JUNII X. duit ergo ſe anulum ſecundum, tertio menſe [a], & cingulo caſtitatis præcinxit ſe, indutus ſtola juſtitiæ. Seniores igitur filiorum Eccleſiæ verum Aaron conſecraverunt, ut eſſet ei teſtamentum ſempiternum ſimul & ſacerdotium magnum. Inter hæc ergo nec divina caruit conſecratione, quoniam ditatus eſt omnium gentium benedictione: non enim dereliquit eum Dominus, donec afferret illi ſceptrum Regni. Conſecratus igitur pontifex verus cuſtos vaſorum pæne quinquageſimo ætatis ſuæ anno, poſt [b] feſtivitatem ſanctorum Apoſtolorum ad commiſſum ovile cum honore dimiſſus eſt. Senator ergo curiæ cæleſtis, cui cum Apoſtolo datæ ſunt claves regni cælorum, poteſtas ſiquidem ligandi & ſolvendi terræ ac cæli, nequaquam poteſtate uſus, ut luderet in avibus cæli aut in beſtiis terræ, ſed cum piſcatoribus Apoſtolicis, in omni piſcatus monte, ſecundum prophetam, & in omni colle, quodcumque ſuperbum invenit rete circumdedit humilitatis; quod pro peccatis humile invenit, ſpe irretivit conſolationis. hoc ſemper cupidus ut ante conſpectum ſummi Patris familias non appareret vacuus. Deinde theſauri non parcus, quem vigiliarum acquiſivit mercimonio, ærarium ſapientiæ aperuit; pauperes ſpiritu, hoc eſt puſillanimes, conſolatione pavit; nudos peccatis pœnitentia induſiavit, cæcos illecebris, monitis cæleſtibus illuminavit; claudos item itinere quod ducit ad cælum, ſuo ducatu præviavit; ut eſſet carnaliter ac ſpiritualiter, quod beatus Job ait, *Oculus fui cæco, & pes claudo*.

Conſecratur. — *Jer. 16. 16.* — *Job. 29. 15.*

XV. Venit dein ad Regem in Nativitate Domini & Salvatoris noſtri, & honorifice ſuſceptus eſt: erat autem tunc [Goſlariæ [c].] Die ergo Nativitatis Domini, ſecundum primatum dignitatis ſuæ, Miſſas die prima cœpit agere, ſtanſque poſt Evangelium in gradibus, ſermonem declamavit verbis non pluribus [quam ordinabatur [d]] ad veſperam. cumque ad altare regrederetur, fuerunt ibi aliqui, qui quaſi aditu invento, invidiæ ſuæ fel evomuerunt; cauſantes tantæ ruſticitatis homunculum, tam præcelſæ ſedis factum epiſcopum; re autem vera invidentes eum eſſe monachum. Doluit quoque etiam Imperator tanta eum laude ſe coram omnibus extuliſſe, pœnituitque umquam eum antiſtitem feciſſe celeberrimæ [ſedis.] Igitur die illa auditi ſunt qui dicerent: Monachus eſt, aliquid eſſe potuit in ſuo monaſteriolo, nequaquam tali congruit ſolio: & quicumque aliquod in eum jaculabantur convicium, hoc in prima parte linguæ jacuit, ut dicerent eum Mo, ut aperte intelligi poſſet, quidnam in illo ſibi maxime diſplicuiſſet. Rex pene impranſus eſt, nullas quæſivit delicias ciborum, quoniam ipſe amaris morſibus carpebatur lacerantium. Dies venit altera, & Mettenſis epiſcopus DIODERICHUS Miſſas celebrans, quidquid novit prodigus effudit. Laudatur ille ab omnibus, dicentibus: Hic eſt epiſcopus. Vir autem [ſanctus] qui non neſcivit, Totum ſpiritum ſuum profert ſtultus, ſapiens autem reſervat in poſterum; nec aura favoris elatus, nec invidiæ morſibus inclinatus patienter ſuſtinuit, certiſſimus quid ipſe facturus ſit.

Ob concionem deſpicitur.

XVI. Venit dies tertia, miſſumque eſt ad pium Patrem, quis deberet Miſſas agere. qui ſe profeſſus [eſt acturum] divina comitante gratia. Averterunt eum amici ejus callide, quaſi cauſa laboris magni, hortantes ut ſuper hac re juberet alicui, re autem vera verecundati ſuper ſermone, quem

[a] Id eſt menſe Maïo. nam anulum, quem ſecundum hic appellat, quoniam abbas unum antea geſtabat, recepit die Pentecoſtes, ut infra dicitur cap. 24.

[b] Ex hoc loco infert Papebrochius Bardonem Dominica infra Apoſtolorum octavam conſecratum, non ipſo eorum feſtivitatis die; at cum ex præcedentibus pateat, id ipſo feſtivitatis die fuiſſe factum. quod diſertis verbis repetitur infra cap. 24. non dubitamus has voces *poſt feſtivitatem* ad ea quæ ſequuntur revocari debere, quas vir eruditus præcedentibus adjunxit. ideoque comma quod poſt vocem *apoſtolorum* appoſuit, expunximus.

[c] Hanc vocem in codice vix apparentem ſupplevit Papebrochius ex Chronico Hildesheimenſi, ubi anno .032. Conradus natale Domini, quod erat anni initium, Goſlariæ celebraſſe dicitur.

[d] Et hæc quoque ſupplevit Papebrochius ob codicis legendi difficultatem.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLI. Junii X.

declamavit pridie. Ille vero cogitans intra ſemetipſum : Gloriam meam alteri non dabo ; ait humiliter, Unuſquiſque onus ſuum portabit. Qui cum cauſarentur laborem ; Quid, inquit, mihi utilius eſt, agendis dare ſtudium, an negligentiæ aditum ? Paratus itaque cum timore divino ad altare ingreſſus eſt. Poſt Evangelium vero, repræſentatus in gradibus, hanc ſermonis telam orditus eſt : *Præ fulgore*, inquit, *in conſpectu ejus nubes tranſierunt.* Levatiſque parumper oculis cum gemitu, ac ſi ſuum advocaret amicum, rurſuſque in terram defixis humili habitu, & voce humillima, ſic locutus eſt populis.

Iterum concionatur. *Pſal.* 17. 13.

Sermo S. Bardonis de S. Johanne.

1. Super ſermone Pſalmigraphi conſultus præco divinus, Johannes Evangeliſta, cujus hodie feſta colimus, magna ex parte aperiet nobis quæ involuta ſunt obſcuriſſimis ſenſibus ; ſed prius videamus hic Johannes quis, qualis, quantuſque ſit, an & auctoritati ejus credendum ſit. Hic eſt Johannes, natura homo, virtute virgo, officio Evangeliſta, dignitate apoſtolus. Memoratur Johannes homo fuiſſe, ut eo laudabilius ſit, fragilitati carnis obnoxium tantum robur virtutum acquiſiviſſe : virgo, ut notum ſit, quanti mercimonio laboris conſecutus ſit honorem virginei decoris. Quadam enim ſingularitate præcellit ejus virginitas, quoniam inter nuptiales epulas, & ante titillationem thalami, ſponſam ſeminudam reliquit, ut eſſet fortitudinis majoris, matrimonia relinquere in flamma connubii proximioris. Quare hoc ? Quia in Galilæa guſtato vino ex aqua producto, ſecundum conſequentiam ordinis, relicta inſapora littera Legis, ad vineam dulcedinem tranſmigravit Evangelicæ nativitatis ; ad illam cui ait Sponſus cæleſtis in Canticis : *Sub arbore malo ſuſcitavi te, ibi corrupta eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua.* Ad ipſam quippe arborem mali punici, roſeam cruore Dominicæ paſſionis, virtutibus, fœcundam ſpiritualibus, idem ipſe Johannes ſtabat, ubi corrupta & violata eſt ſynagoga Judaïcæ ſectæ, ſeditioniſque, quæ eſt ſynagoga ſatanæ, & ſuſcitata eſt virgo Evangelica, in qua non eſt macula neque ruga, ei nupta qui [ipſam] lateris ſui dedicavit ſanguine, in lacrymis deſponſata & in gaudio conjugata. Cujus ejuſdem virginis idem ipſe diſpenſatorius præfiguratur [ante crucem] ejus, [quando] ſcilicet matrem Domini ſecum ad eamdem arborem ſtantem, in ſuam tutelam virgo virginem ſuſcepit, maxima affinitate, gratiſſima ſocietate. Virgo, inquam, ſuſcepit Virginem, quæ prima cum ſigillo virgineæ integritatis fructum meruit maternæ fœcunditatis : virgo virginem, Dominam ſervus, matrem-familias vernaculus, ſervus Domini matrem Domini. ut quid hoc ? ut pareret dominæ voluntati, obſequeretur neceſſitati, domum Domini adminiſtraret, familiæ imperaret. Quam domum ? cui familiæ ? Domum [intelligo] mundum, familiam populum. Totum enim mundum adminiſtravit cum annunciavit, annunciavit cum imperavit, imperavit ut de multis aliquid proferamus, cum ait : *Fratres, non diligamus verbo nec lingua ; ſed opere & veritate.* Quantus eſt iſte ſervus Domini, dominus mundi, creatura creatoris, creaturæ dominus præpoſitus, ut Apoſtolus cælitus diſpenſans apoſtolica auctoritate cæleſtia.

Quis fuit S. Johannes. — *Cant.* 8. 5. — 1. *Johan.* 3. 18.

Ejus auctoritas. *Johan.* 15. 24. *Johan.* 1. 1.

2. Quoniam, inquit, audivimus, quis, qualis & quantus ſit, videamus an & auctoritati ejus credendum ſit. Ait Evangelium : *Et qui vidit teſtimonium perhibuit, & ſcimus quia verum eſt teſtimonium ejus.* Quærimus quid viderit, quia ſcimus quid teſtificatus ſit. Ait enim : *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum : hoc erat in principio apud Deum*, & poſt aliquanta ; *& Verbum caro factum eſt & habitavit in nobis :* quorum ſi quid viderit, quærimus ; etſi vidit, quia verax eſt credimus. Et ſi non vidit, quomodo verum eſt teſtimonium ejus ? ſed vidit & credimus, & verum eſt teſtimonium ejus. Quid vidit ? Quis audeat dicere,

Digitized by Google

ANN. CH. MLI. JUNII X. » vidiſſe Johannem quod ait : In principio erat Verbum ? ſed ſi hoc non vi-
» dit, nec hoc vidit quod ſequitur, quomodo Verbum caro factum ſit, &
» habitet in nobis. ſed quid vidit ? Ambulantem Dominum aut paſſum. ſed
» non dixit, cum claudit Evangelium : Et qui vidit ambulantem Dominum
» aut paſſum ; ſed tantum, Qui vidit teſtimonium perhibuit : ut credatur
» tantum vidiſſe, quantum dixiſſe. Et quid mirum, ſi aliquid acutius Jo-
» hannem dicimus vidiſſe ? cum inter animalia cæleſtia in forma aquilæ cre-
Sublimitas doctrinæ. » datur viſus fuiſſe. Noviſtis aquilam, quomodo veteribus pennis depoſitis
» novis elevetur, cæli emetiatur altitudinem, in ſolis radium attendat, in-
» de lumen recipiat. Noviſtis & Johannem, quomodo vetuſtatem litteræ
» depoſuerit, pennas evangelicas acceperit, verum Solem petierit ; inde
» acutiore viſu inflammatus, altiore clangore jubilaverit, ita connectens ;
» In principio erat Verbum. Quid mirum, ſi aliquid acutius vidit, qui cor-
» pore terram, ſpiritu cælum inhabitavit ? Nam quid de Johanne ſcriptum
Apoc. 1. 9. » eſt ? *Ego Johannes frater veſter, particeps in tribulatione, regno, & patientia in*
» *Jeſu, fui in inſula, quæ appellatur Pathmos, propter verbum Dei & teſtimonium*
» *Jeſu ; fui in Dominica die in ſpiritu, & audivi poſt me quaſi vocem dicentem mihi :*
» *Quæ vides ſcribe.* Cumque multa vidiſſet, quæ etiam ſcripſit, audita ſunt ſe-
» ptem tonitrua loquentia voces ſuas, ſicut & in pſalmo, *Intonuit de cælo*
Pſal. 17. 14. » *Dominus, & Altiſſimus dedit vocem ſuam.* Scripturus etiam illa, vocem au-
» divit dicentis : Noli ea ſcribere, ut non tam admirabilis ſit, quod aliis
» audienda viderit, quam quod nulli videnda vidit. Et quid mirum, ſi nulli
» vidit videnda, qui etiam nulli audienda audivit ? Et hoc dicimus, non
» quod doceamus Johannem illam inacceſſibilem lucem proſpexiſſe, cum
1. Johan. 3. 7. » ipſe dicat : *Deum nemo vidit unquam* ; ſed more aquilæ acutius attendiſſe ;
» Et qui vidit teſtimonium perhibuit, & ſcimus quia verum eſt teſtimonium
» ejus. Ergo ſi verax eſt, credi ei oportet : quare conſulamus eum ſuper
» ſermone Pſalmigraphi, ut involuta nobis enodet ſapientiâ ſuâ. Fratres ſer-
» mo difficilis eſt, attentionem noſtram exſpectat.

» 3. Poſtquam hic magnus Domini diſpenſator theſaurum lucrandum ac-
» cepit, ut puto non in tribus talentis, aut quinque, vel etiam in decem,
» ſed credo mille commiſſis ſibi, conſervis largus, magnum ſtatim ſenſum
» profudit, dicens : In principio erat Verbum & Verbum erat apud Deum,
» & Deus erat Verbum, & hoc erat in principio apud Deum. Et poſtquam
» de hoc divino fulgore aliqua ſubnexuit, ut quantæ æſtimationis fuerit ali-
» qua ſimilitudine declararet, poſt pauca quamdam magnam nubem vel
» potius lucem introduxit, quam in collatione hujus fulgoris nullam eſſe
» dixit : ait enim, Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Johannes ; &
Johan. 5. 35. » deinde : Non erat ille lux : ſcriptum quippe de Johanne eſt, *Erat lucerna*
» *ardens & lucens*, ſed Johannes Evangeliſta : Non erat, inquit, lux. Et ſi
» hic non eſt lux, qui inter natos mulierum nullus major eſt, nec minor ali-
Chriſtus lux. » quis in natis mulierum lux eſt : ſi enim major non eſt, multo minus mi-
» nor eſt. Expoſuit Johannes ſententiam Pſalmiſtæ, qui dixit : Præ fulgore
» in conſpectu ejus nubes tranſierunt. Quis eſt hic fulgor ? quæ nubes ?
Matth. 17. » Evangeliſta ait, Quia refulſit vultus Jeſu cum ſe transfiguraret in monte,
Iſai. 60. 8. » & reſplenduit ſicut ſol. Ecce fulgor. Et de nubibus Iſaïas : *Qui ſunt hi*
» *qui ut nubes volant ?* Fulgent, inquit, ſanctorum cœtus ut nubes ; immo
» ſuper nubes, ut ſcriptum eſt : *Fulgebunt ſicut ſol in regno patris eorum.* Ful-
Matth. 13. 43. » gent alius caſtitate, alius ſimplicitate, alius paupertate ſpiritu, alius
» admodum pacificus, ut dici mereatur Dei filius ; alius ſanguine laureatus,
» alius virginitate dealbatus, alius mitis, ut ne quemquam noceat, alius ſa-
» piens, ut ignorantes doceat ; & ut concludam generaliter, aliquis ali-
» qua virtute fulget ſpecialiter : ſed quantum hoc eſt, totum pariter in Deo
» eſt. Fulgor enim ille, Lux de Luce, Deus de Deo. Patris Dei Deus filius.

Fulgor

Digitized by Google

Fulgor inquam ille, de quo iſte Johannes ait: *Erat lux vera, quæ illuminat* ANN. CHR.
omnem hominem venientem in hunc mundum. Virtutum omnium ſeminator, MLI.
totius pietatis largitor, totius ſanctitatis auctor, quod in ſingulos partitus JUNII 11.
eſt, ipſe totum habuit; quod in partibus ſeminavit, in hoc totus abundavit:
cujuſcumque bonitatis eſſet aliquis, nequaquam ad eum comparari potuit qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus.
Non eſt enim homo qui non peccet, nec unius noctis infans, ſi ſit vita ejus ſuper terram: cæli enim non ſunt mundi in conſpectu ejus, quanto magis homines qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum conſumentur velut à tinea? Cujuſcumque claritatis aut ſanctitatis electi ſint, cum illo divino fulgore comparari nequeunt: quoniam in ejus collatione nullius momenti ſunt. Sancti illi, ille ſanctificans; lucidi illi, ille illuminans; participantes illi, ille diſpertiens. Quidquid illi ſunt, eſt etiam ille; ſed non quod ille, illi. Unde bene ſcriptum eſt in
Job: *Et innocentem & impium ipſe conſumet.* Quod impium conſumat, in Job 9. 22.
propatulo eſt: quod etiam innocentem conſumat, etſi in dubio eſt, æque tamen verum eſt. Innocentem conſumit, quia eum in ſe vertit: quia qui innocens eſt, in Deo innocens eſt; ut nemo de ſuis meritis præſumat, ſed qui gloriatur in Domino glorietur. Aut innocentem conſumit, quia ſui
comparatione ad nihilum deducit, unde ſcriptum eſt: *Numquid juſtificabi-* Job 4. 17.
tur homo compoſitus Deo, aut factore ſuo purior erit vir? Et Pſalmiſta: *Non juſti-* Pſal. 142.
ficabitur in conſpectu tuo omnis vivens. Vivens, inquit, ſive enim vir, ſive vivens non juſtificabitur: quia clarus virtute non comparabitur. Non ait: Non juſtificabitur in conſpectu ſuo omnis homo: ſed omnis vivens, nihil enim definit: ſed ſic hoc, quod nemo dubitavit, ſuperflue appoſuiſſet, dicens, Non juſtificabitur in conſpectu ſuo omnis homo. ſed quod voluit apte appoſitum definivit, dicens, omnis vivens: Vivens, inquit, ſimplex, innocens, caſtus, mitis, modeſtus, pauper ſpiritu, humilis aut aliqua ſan-
ctitate vividus, non comparabitur. Quare? Quoniam, *quis in nubibus æqua-* Pſal. 88.
bitur Domino, aut ſimilis erit Deo in filiis Dei? Deus qui glorificatur in conſilio ſanctorum, magnus & terribilis ſuper omnes qui in circuitu ejus ſunt. Quis, inquit, in nubibus æquabitur Domino? Nemo.

4. Ecce nubes, ſed præ fulgore in conſpectu ejus tranſierunt: hoc eſt, illuminanti fulgori nubes illuminatæ æquari non valuere. Tolle quod illuminat, & illuminatum obſcurum eſt. Tolle ſolem, & nubes ſunt in tenebris: adde ſolem, & nubes ſerenantur. Tolle divinum, & nihil eſt humanum: adde divinum, & magnum eſt humanum. Nec nos, ait, moveat quod
ſcriptum eſt, *qui enim ſanctificat & qui ſanctificantur, ex uno omnes.* Aliud enim Heb. 2. 11.
eſſe adoptivum, aliud ſubſtantivum. Multi quippe filii Dei dicti ſunt, ut
de pacificis: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Et multi dii, ut dictum Matth. 5. 9.
eſt: *Ego dixi, Dii eſtis, & filii excelſi omnes;* ſed adoptive non ſubſtantivè. Pſal. 81.
Filius Dei ſubſtantivè unus, adoptivè plures; nec adoptivè unus, nec ſubſtantive plures. Adoptivi quidem participant ſubſtantivo; ſubſtantivus autem diſpertit adoptivis: nec ille participat, nec illi diſpertiunt; ſed illi participant, ille diſpertit. Eadem eſt Apoſtoli ſententia, quamvis aliud
contra ſonare videatur; in eo quod ait: *Dilexiſti juſtitiam & odiſti iniquita-* Heb. 1. 9.
tem, propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exſultationis præ participibus tuis. Præ participibus, inquit, quod ita ſonare videtur, ac ſi participet Deus, id eſt partem capiat: quod minime ita ſe habet, cum ſecundum Apoſto-
lum in eo habitet omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Sed attenda- Col. 2. 9.
mus priora, ut plene intelligamus poſteriora. ait enim: Dilexiſti juſtitiam; & poſt pauca, Unxit te Deus præ participibus tuis oleo lætitiæ: & Pro-
pheta, *Oleo ſancto meo unxi eum, nihil proficiet inimicus in eo.* Cum enim di- Pſal. 88.
lexerit Filius Dei juſtitiam, dono ejus dilexerunt & alii, erantque dili-

[Ann. Ch. MLI. Junii x.] » gentis participes : ſed ille præ omnibus unctus eſt, quia nihil proficit ini-
» micus in eo. Si autem amplius placet, ut in aſſumta humanitate participet,
[Heb. 2. 13. & 14.] » (ſecundum quod ait Apoſtolus : Non confunditur fratres eos vocare, di-
» cens, Ecce ego & pueri mei, quos mihi dedit Deus ; & iterum : Quia
» pueri communicaverunt carni & ſanguini, & ipſe ſimul participavit iiſ-
» dem) in idem revolvamur. Quia in eo habitat omnis plenitudo divinitatis
» corporaliter : illis vero, alii datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ, alii ſer-
» mo ſcientiæ, alii diſcretio ſpirituum, alii gratia curationum, alii aliud,
» dividiturque ſingulis prout ipſe vult ; ſicque illi participant, ille diſpertit.
[Math. 5. 14.] » Quare etſi de ſanctis dicitur, *vos eſtis lux mundi* ; ſed participaliter, non
» ſubſtantialiter. Participant namque de illo, qui eſt lux vera, illuminans
» omnem hominem venientem in hunc mundum. Nam etſi de Johanne Bap-
» tiſta ſcriptum eſt. Ille erat lucerna ardens & lucens ; & hic tamen adop-
» tive, non ſubſtantive : unde & ex quadam parte detexit infirmitatem ejus
» Evangeliſta, cum Dominum de Johanne loquentem inducit, ita connec-
» tens : Et voluerunt ad horam exſultare in luce ejus. Voluerunt, inquit,
» & tacuit. feciſſent ne : ut quodammodo taciturnitate ſui innoteſceret,
» quod exſultare voluerunt, ſed non valuerunt : erat enim lucerna ardens &
» non incendens, lucens & non illuminans. Et hæc nubes tam magna &
» lucida, in conſpectu divini fulgoris pertranſiit, quia comparari non potuit.
[Marc. 1. 7.] » Ipſe enim ait : *Non ſum dignus ſolvere corrigiam calceamentorum ejus.*

[Aliæ luces pertranſierunt in conſpectu fulgoris Christi.] » 5. Magnæ nubes, & magnanimiter lucentes à principio mundi fuerunt :
» ſed quantæcumque in conſpectu divini fulgoris pertranſierunt. Omitto
» enim dicere, quid ſit inter hoc quod eſt ſine initio, & quod terminatur ex
» tempore, cujus proportio nec momentalis eſt, illa dico æternitate, animo
» omnia terminante incomprehenſibili, quando non dicam non erat homo,
» ſed nec Angeli. . . . unde ſcriptum eſt : In principio erat Verbum ; Ver-
» bum in dicente, lumen de lumine, in æternitate æternitas, in ſapiente
» ſapientia, principium in principio, Deus in Deo, Filius in Patre. de quo
» dici non poteſt, nec quantus, nec qualis, nec cui, niſi Pater Filii & Filius
» Patris. Aut unitas Trinitatis & trinitas unitatis ; nec ubi, nec quando,
» nec ſitus aliquis, nec quomodo, nec actus cujus in actum motus eſt ; nec
» aliqua paſſio, ſed incommixta & ſinceriſſima ſimplicitas, indeterminabilis
» æternitas, illabilis ſtabilitas ; aut, ut breviter totum comprehendam, quod
» dici de eo credimus, quidquid & eſt. His inquam omiſſis ; omiſſa unitate
» illa, in qua Dei Verbum totum quod factum eſt excellens, ſoli omnia fa-
» cienti conſubſtantivum & coæternum apud eumdem idem eſt ; de quo
» Evangelium, & Verbum erat apud Deum, omiſſa etiam dignitate, cui
» quidquid illud eſt quod creatura dicitur, ſive hoc ſpiritus immortalis, ſive
» mortalitati obnoxius, ſed tamen rationi deditus ; dico ſive hoc Angelus,
» ſive homo eſt, aſpirare non valet, cui ſola Evangeliſtæ ſententia appro-
» pinquat, cum dicit, & Deus erat Verbum : omiſſaque illa indeterminabi-
» litate, quod hoc Verbum, hoc eſt, hic fulgor divinus, immo ipſe Deus,
» in ſeipſo, in Deitate ſua, in principio, in Patre, apud ſeipſum, in unita-
» te Theologica permanens, ut in Evangelio, Hoc erat in principio apud
» Deum ; in cujus contextu illa prima propoſitio eſt æternitatis, ſecunda
» theoricæ unitatis, tertia incomparabilis dignitatis, quarta ſimplicis
» ſtabilitatis.

» 6. Omiſſo, inquam, hoc, cui nubes nullæ, quantalibet luce ſplen-
» deant, appropinquant ; illud docere conemur, ille de quo ſcriptum eſt :
[Iſai. 53.] » *Non eſt ſpecies ei neque decor, & vidimus eum & non erat aſpectus ; & deſideravimus*
» *eum noviſſimum virorum, virum dolorum & ſcientem infirmitatem : & quaſi abſcon-*
» *ditus vultus ejus & deſpectus, unde nec reputavimus eum* ; quomodo hic & ful-
[Angeli.] » gor ſit & in conſpectu ejus nubes tranſierint. Primo de primis ſunt Angeli,

Digitized by Google

Archangeli, Throni, Dominationes, Principatus, Poteſtates, Virtutes, « ANN. CH. MLI.
Cherubica incendia, Seraphim ardentia: magnæ nubes, ſemper in lumine, « JUNII X.
ſemper de lumine, ſemper cum lumine: non tamen ipſi lumen; & ſi lu- «
men, non incircumſcriptum, non incomprehenſum. De his ſcriptum eſt: «
Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis. De illo fulgore « *Heb.* 1. 7.
ſcriptum eſt: *Qui cum ſit Splendor gloriæ & figura ſubſtantiæ ejus.* Illi facti, « *Ibid.* 1. 3.
ſubſtantivus ille; illi innumerabiles, ille unus; magni illi, major ille, ut «
ſcriptum eſt, *Portanſque omnia verbo virtutis ſuæ*, verbo portans omnia & «
Angelos & cetera. Dixit enim, Et facta ſunt. De illis aliquibus dictum «
eſt: *Et qui ſerviunt illi, non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit pravitatem;* « *Job* 4. 18.
& peccato violatum eſt nomen illud univerſale Angelus. De illo *purga-* « *Heb.* 1. 3.
tionem peccatorum faciens, & ſi non Angelorum peccantium. De illis: *Sunt* «
omnes adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hereditatem « *Heb.* 1. 14.
capiunt ſalutis. Sed de illo: *Sedens ad dexteram Majeſtatis in excelſis.* Unde « *Ibid.* 3.
Pſalmiſta de eo: *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam* « *Pſal.* 109.
inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Et, ut pateat quod nubes iſtæ, quæ «
cæli cælorum dicuntur, in conſpectu illius fulgoris, quaſi nil ſint, per- «
tranſeant, Apoſtolica auctoritate, de illa comparatione fulgoris & nu- «
bium, dicamus: Tanto melior Angelis effectus quanto, differentius præ « *Heb.* 1.
illis nomen hereditavit. Nomen differentius, ut ſint illi Angeli admi- «
niſtratorii; ille, Angelus magni conſilii. Et quoniam patet ex ipſo ſtilo «
apoſtolico, in quo hic fulgor his nubibus major eſt & melior, ſcilicet quia «
differentius præ illis nomen hereditavit: & in hoc etiam, quod nulli An- «
gelorum dictum eſt: Ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in Filium; «
quoniam, inquam, in hoc collatio tota concluſa eſt, adjiciamus nos, quo- «
modo ſit Angelis melior effectus, cum non ſit factus. A facio quidem »
efficio, ab efficio effectus, & tamen eſt effectus qui non eſt factus. Con- «
ſiderata enim illa æternitate, quod ſolus eſt ille & non eſt alter, quoniam «
ſeipſo nec major eſſe poteſt; nec magis bonus eſt, nec optime bonus, ſed «
ſumme bonus; conſiderata autem univerſitate ſui operis à ſe diverſa, diſ- «
tantia illa quæ inter efficientem & factum eſt, melior effectus eſt. Cum «
enim infra Deum eſt aliquid quod bonum eſt, collatione illa Deus melior «
eſt; melior quidem effectus eſt occaſione alterius minoris boni efficiente, «
non aliquo majore faciente. Cum enim ſolus ſit Deus, ſumme bonus eſt, «
nec melior, nec optimus: cum ſit Angelus bonus, melior eſt Deus: adde «
etiam hominem bonum, cui ſit melior Angelus, & Deus eſt optimus: un- «
de Apoſtolus, Tanto, inquit, melior effectus. Sed quid deprimimus An- «
gelicam dignitatem per illam indeterminabilem Majeſtatem? De illo «
comparemus, cui ſpecies non eſt neque decor. Ait apoſtolus: *Et cum ite-* » *Heb.* 1. 6.
rum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli «
Dei. Quis eſt iſte primogenitus? An ille de quo dicitur, *Proprio filio ſuo non* « *Rom.* 8. 32.
pepercit? Deus vere ipſe eſt, *vere languores noſtros ipſe tulit, & peccata noſtra ipſe* « *Iſai.* 53. 4.
portavit: diſciplina pacis noſtræ *ſuper eum:* vere *cum iniquis reputatus eſt*, & «
tamen de illo dicitur: *Et adorent omnes Angeli Dei.* Ubi nunc quæſo illa nu- «
bes eſt? Præ fulgore in conſpectu ejus pertranſit. Aſcendamus nunc, «
fratres, quæ ſurſum ſunt ſapiamus, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſe- «
dens; dicamuſque plana voce & plena Spiritu-ſancto: *Quia nemo poteſt di-* « 1. *Cor.* 12. 3.
cere Dominus Jeſus, niſi in Spiritu-ſancto, quia hic ille fulgor eſt, à vero ſole «
paternæ majeſtatis procedens, & illuminans omnem hominem venientem «
in hunc mundum, de quo Pſalmiſta: *Et permanebit cum ſole ante lunam.* Cum « *Pſal.* 71. 5.
ſole, inquit, iſte permanebit: quoniam nullus alius invenitur, qui non in «
fulgore in conſpectu ejus pertranſierit: præ fulgore enim in conſpectu «
ejus nubes tranſeunt. Sol cum ſole permanet, & permanebit cum ſole: «
dicitur enim: Deſcendet ſicut pluvia in vellus. Ut oſtenderet ita eum ele- «

Ann. Ch. » giſſe de terra matrem, quatenus cæleſtem non reliquerit Patrem : præ-
MLI. Junii x. » miſit, & permanebit cum ſole. ideoque ſubdidit : Orietur in diebus ejus
» juſtitia. In diebus ejus, in ſanctis ejus ; ut ſint non tantum nubes, ſed
» etiam dies : quorum dierum ſol ipſe ſit, ut non ſit ſimilis ei inter filios Dei.
» Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius ad illum : hic adinvenit
» omnem viam diſciplinæ, & dedit eam Jacob puero ſuo, & Iſraël dilecto
» ſuo ; poſt hæc in terra viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt : de quo
Matth. 3. 17. » vox paterna : *Hic eſt*, inquit, *Filius meus dilectus, in quo mihi complacui :* Et
Epheſ. 1. 6. » Apoſtolus ad Epheſios : *Qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per Jeſum-*
» *Chriſtum in ipſum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ,*
» *in qua gratificavit nos in Dilecto.* Dicamus, Jeſus, non enim aliud nomen ſub
» cælo datum eſt hominibus in quo oportet nos ſalvos fieri. In nomine Jeſu
» omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua
» confiteatur, quia dominus Jeſus eſt in gloria Dei Patris. Ergo præ fulgore
» in conſpectu ejus nubes tranſierunt. Tranſierunt, inventæ non ſunt nubes,
» omnes filii Dei in conſpectu, in comparatione præ fulgore, præ Deitate, in
» nomine enim Jeſu omne genu flectitur cæleſtium, terreſtrium & inferno-
» rum. Hic eſt ille panis Angelorum quem manducavit homo, qui ipſe ait :
Johan. 6. » *Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendi.* De quo Johannes : *Qui de cælo venit*
Johan. 3. » *ſuper omnes eſt.* Quantus eſt iſte, in cælo Dominus, in terra ſervus, ſicut
Phil. 2. 7. » ſcriptum eſt : *Exinanivit ſemetipſum, formam ſervi accipiens* ; in cælo Creator,
Iſai. 45. 8. » in terra creatus ; ut ſcriptum eſt : *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant juſtum,*
» *aperiatur terra & germinet ſalvatorem, & juſtitia oriatur ſimul.* Statimque : *Ego*
» *Dominus creavi eum.* Quis ſimilis tui in fortibus Domine, quis ſimilis tui ?
» magnificus in ſanctitate, terribilis, laudabilis, faciens mirabilia. Nonne tu
» percuſſiſti impium, vulneraſti draconem ? Numquid non tu ſiccaſti mare,
» aquam abyſſi vehementis ? qui poſuiſti profundum maris viam, ut tranſi-
» rent liberati. Qui ſperant in te mutabunt fortitudinem, aſſumentes pennas
Iſai. 40. 1. » ſicut Aquilæ, current & non laborabunt ; laborabunt, & non deficient. Quo
» current ? ad habitaculum ſanctum tuum, quod firmaverunt, Domine, manus
» tuæ, aſſumti in expanſas alas tuas, ut portarent eos in fortitudine tua.

» 7. Quod cum ſanctus declamaſſet Epiſcopus, ingemuit : & ſuffuſis ocu-
Pſal. 27. 25. lis paulliſper rore lacrymarum terrenamque habitationem faſtidiens : *Quid*
enim, inquit, *mihi eſt in cælo, & à te quid volui ſuper terram ?* Et rurſum :
Pſal. 72. 28. » *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam, ut an-*
1. Johan. 3. 2. » *nunciem omnes prædicationes tuas in portis filiæ Sion. Dilectiſſimi*, inquit, *nunc*
» *filii Dei ſumus, & nondum apparuit quod erimus : ſcimus autem quoniam cum ap-*
» *paruerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* Videbimus eum.
Nemo » Quem ? illum divinum fulgorem, ſive ipſum verum ſolem, de quo ſcrip-
Chriſto » tum eſt : *Timentibus nomen meum orietur ſol juſtitiæ*, & nos fulgebimus ſicut
æqualis. » ſol in regno ejus. Ejus, ex quo omnis paternitas in cælo & in terra. Orto
Malac. 4. 2. » hoc ſole ſuper omnes, qui in perfectum diem creverunt ab initio mundi
» Patres noſtri, qui meruerunt dici ſtellæ, dederunt lumen ſuum ; vocatæ
» ſunt, & dixerunt, adſumus : & luxerunt ei cum jucunditate qui fecit
» illas : nullus inventus eſt qui exceſſerit in aliquo eum qui noſtri cauſa fa-
» ctus eſt homo. ita ut inter glorioſos ſit glorioſior, & inter depreſſos humi-
Non Abel » lior. De Abel quidem ſcriptum eſt, quoniam propter innocentiam ejus,
Geneſ. 4. 10. » poſtquam interfectus ſit, ſanguis de terra clamaverit ad cælum. mira res,
» ut tacentis ſanguis tacens clamaverit ! ſed quid Apoſtolus de Jeſu ? *Ac-*
Heb. 12. 24. » *ceſſiſtis ad teſtamenti novi mediatorem Jeſum, & ſanguinis aſperſionem melius lo-*
Non Noë. » *quentem quam Abel.* Noë, vir juſtus atque perfectus in generationibus ſuis,
» ambulavit cum Deo, cui poſt mitigatum diluvium dixit Deus : *Terror tuus*
Geneſ. 9. 2. » *ac timor ſit ſuper cuncta animalia, cum his quæ moventur in terra :* ſed Pſalmiſta
Pſal. 8. » de Jeſu. *Omnia*, inquit, *ſubjeciſti ſub pedibus ejus* ; non ſolum quæ in terra,

Digitized by Google

ſed etiam quæ in cælo, & ipſam terram, & ipſum cælum, & quæ ſupra « ANN. CH. MLI.
cælum, ut Apoſtolus ad Epheſios: *Secundum operationem virtutis Dei quam* « JUNII X.
operatus eſt in Chriſto, ſuſcitans illum à mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam « *Eph.* 1. 20.
in cæleſtibus, ſupra omnem principatum, poteſtatem & virtutem & dominationem, «
& omne nomen quod nominatur, non ſolum in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro. «
ABRAHAM pater noſter, ad eum dixit Dominus: Benedicam benedicen- « Neque Abraham.
tibus te, ut ſit dignus benedictione, qui Abraham in benedictione rece- « *Gen.* 12. 3.
pit; ſed de Jeſu Evangeliſta: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſta-* « *Johan.* 1. 12.
tem filios Dei fieri. Magna poteſtas eſſe filium Dei, benedictio maxima. «
Eidem dictum eſt: *Exi de terra & de cognatione tua, & veni in terram quam* « *Geneſ.* 12. 1.
monſtrabo tibi. De terra, inquit, in terram exi. Exiit, & propter obedien- «
tiam in alienis ditatus eſt; de iſto dictum eſt: *In propria venit, & ſui eum* « *Johan.* 1. 11.
non receperunt. ISAAC filius ejus, paternæ virtutis heres, interroganti ei: « Iſaac.
Pater ecce ligna & ignis, ubi eſt victima holocauſti? pater reſpondit: « *Geneſ.* 22.
Dominus providebit ſibi victimam, fili mi. Intelligens puer voluntatem «
patris, obedivit uſque ad colligationem & ſtrictum enſem. Chriſtus au- « *Philip.* 2. 8.
tem factus eſt Patri obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. «
Cum diceret, Mortem autem crucis, ſeparavit eum in ignominiam & im- «
properium crucis; unde & alio loco: *Propter quod & Jeſus, ut ſanctificaret* « *Heb.* 13. 12.
populum, extra portam paſſus eſt. Exeamus igitur ad eum extra caſtra, imprope- «
rium ejus portantes. Quod eſt hoc improperium? Maledictus qui pendet in «
ligno. de quo Apoſtolus: *Verbum enim crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt;* « 1. *Cor.* 1. 18.
his autem qui ſalvi fiunt, id eſt nobis, virtus Dei eſt. Igitur Iſaac à juſto juſte «
oblatus, ad occiſionem colligatus eſt in gloria: Jeſus autem à juſto juſte «
oblatus, ab injuſtis injuſte occiſus, paſſus eſt in ignominia. Fuit enim «
obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod Deus «
exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. «
Filius gaudii JACOB primogenita quæ natura non habuit, acquiſivit « Jacob.
merito, ut primatum primogenitorum ſuis relinqueret nepotibus. De Jeſu «
Apoſtolus: *Ut ſit primogenitus in multis fratribus.* Et Johannes: *Primogenitus* « *Rom.* 8. 27.
mortuorum, & princeps Regum terræ. Et iterum Paulus: *Qui eſt imago Dei in-* « *Apoc.* 1. 5.
viſibilis, primogenitus omnis creaturæ. Et rurſus: *Idem qui eſt principium, primo-* « *Coloſſ.* 1. 15. *Ibid.* 18.
genitus ex mortuis. Idem Jacob benedictionem Iſraëlitici nominis à ſuo col- «
luctatore conſecutus, juxta nominis interpretationem temperans vocem: «
Vidi, ait, *Dominum facie ad faciem.* Et Apoſtolus ad Philippenſes: *Hoc ſen-* « *Philip.* 2. 6.
tite in vobis quod & in Domino Jeſu, qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam ar- «
bitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo. JOSEPH venditus triginta argenteis, « Nec Joſeph.
dominus factus eſt terræ Ægypti. Jeſus autem triginta argenteis vendi- «
tus, ſecundum Pſalmiſtam, *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.* « *Pſal.* 109.
Quo exaltabit? Ipſe ait alio loco ad Patrem: *Nunc exaltavit caput meum* « *Pſal.* 26.
ſuper inimicos meos. Et Apoſtolus: Videmus Jeſum propter paſſionem mor- «
tis gloria & honore coronatum. Ille ſua providentia Salvator mundi ab «
Ægypto appellatus eſt: Jeſus ſua clementia, Salvator mundi à toto mun- «
do verius appellatus eſt, cum dicitur JESUS. Hoc enim nomen Angelica «
dignitas expoſuit: ait namque ad Mariam: *Ecce concipies & paries filium, &* « *Luc.* 1. 31.
vocabis nomen ejus Jeſum: ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum. «
De Joſeph in benedictione ait Jacob: Filius accreſcens Joſeph, filius ac- « *Gen.* 49.
creſcens, & decorus aſpectu; Daniel de Jeſu ad Nabuchodonoſor: . . . . . «
& David de pulcritudine: *Specioſus forma præ filiis hominum.* Et ſponſa: *Pul-* « *Pſal.* 44.
cher es, inquit, *dilecte mi, & decorus* aſpectu; unde in alio loco pulcritudi- « *Cant.* 1. 15.
nem ejus deſcribens, dicit: *Dilectus meus candidus & rubicundus.* « *Cant.* 5. 10.

8. Tranſeamus ad MOYSEM, de quo dictum eſt: Erat Moyſes vir mi- « Non Moyſes.
tiſſimus in omni terra. O virum laudabilem, cui nemo de terra comparari « *Num.* 12. 3.
poteſt! ſed quid dixit ille qui venit de cælo: Venit, inquit, Filius Dei, «

Digitized by Google

ANN. CH. MLI. JUNII X. » *non ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum:* O virum incomparabilem! venit Filius hominis quærere & ſalvum facere. Quid? quod perierat. Tempore enim quo nullus excuſari potuit, Filius Dei non judex, ſed interceſſor venit; unde Apoſtolus: *Jeſus novi Teſtamenti mediator eſt, ut morte intercedente, in redemtionem earum prævaricationum quæ erant ſub priore Teſtamento, repromiſſionem accipiant qui vocati ſunt æternæ hereditatis.* Dicturus enim: *Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem*, mutata ſententia ait mitiſſime: *Venite ad me qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos*: & in domo Publicani: *Non eſt opus ſanis medicus, ſed male habentibus*: Et ad Paralyticum: *Fili, remittuntur tibi peccata.* Dicturus remittuntur tibi peccata, mitiſſime præmiſit, fili; & ad languidum juxta piſcinam ſanatum: *Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat.* Innoteſcens quod vulneratus reatibus, ante jacebat languidus. Et ad illam mulierem, illam meretricem, illam in adulterio deprehenſam: *Mulier, ubi ſunt qui te accuſabant? Nemo te condemnavit. Quæ dixit, Nemo Domine. Et ille ait: Nec ego te condemnabo, vade, jam noli peccare.* Meretricem enim adhuc pollutam, adhuc rubentem labiis, attritam immundis baſiis, vitta ſemicincto capite dependentem, ſuam recognoſcens Salvator, quam homines, puto ſimillimi, trahebant ad ſe judicem, defenſam ad domum remiſit. Ecce judex in loco defenſoris. Quid de illa dicimus, quæ pedes Domini lacrymis lavit, & capillis terſit; cujus cognomentum non ex uno vitio, ut diceretur meretrix: ſed ex multis, ut diceretur peccatrix? Abhorruit? reſpuit? rejecit? expulit? judicibus tradidit? accuſatoribus commendavit? minime, Quid de illa judicavit? *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ecce peccatrix, ecce judex, ecce ſententia: *Filia, fides tua te ſalvam fecit, vade in pace.* Deus judex juſtus, fortis, patiens, numquid iraſcitur per ſingulos dies? de quo Habacuc: *Cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.* Et Apoſtolus: *Concluſit Deus omnia ſub peccato.* Ad quid, ut perderet? non, ſed ut omnium miſereatur. Quis, quæſo, mitior eſt, Moyſes an Chriſtus? Core, Dathan, Abiron, & On [a] inſurrexerunt in Moyſem tantum levi quodam murmurio, moti humanitus in hominem; ſtantibuſque illis in ſacrificii probatione, Moyſes maledixit eis, dicens ad Dominum: Domine ne reſpicias ſacrificia eorum; & deſcenderunt in infernum viventes. Maria ſoror Aaron, quia murmuravit paulliſper in eumdem Moyſen, lepra percuſſa eſt. Quid enim magnum poteſt homo in hominem? ubi ille vir mitiſſimus? Jeſus autem contra ſe Deum à diabolo commotis mitis, quid dixit: *Pater, ignoſce illis, non enim ſciunt quid faciunt.* Qui Moyſem ultus eſt, ſuas oblitus eſt injurias. Sed magnum aliquid de Moyſe ſcriptum eſt: Quia loquebatur ei Dominus ore ad os, ſicut loqui ſolet homo ad amicum ſuum. Si autem ſermonem ipſius Veritatis meminerimus, in collatione alterutra Moyſes peccator eſt, ait enim: *Ego & Pater unum ſumus.* Et rurſus: *Pater in me manens ipſe facit opera.* Ad Philippumquoque: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem: an neſcis quia ego in Patre, & Pater in me eſt.* Ergo vir iſte laudabilis; Jeſus eſt incomparabilis. AARON excelſus in gloria ſua, ſtatuit illi Dominus teſtamentum ſempiternum, & dedit illi ſacerdotium magnum: ſed numquid ſimile illi ſacerdotio, de quo dicit Pſalmiſta: *Tu es ſacerdos in æternum?* Quamquam magnus Aaron, unxit tamen eum Moyſes. ſed quid ait Petrus de Jeſu: *Vos ſcitis verbum quod factum eſt per univerſam Judæam, incipiens à Galilæa poſt baptiſmum quod prædicavit Johannes, Jeſum à Nazareth, quomodo unxit eum Deus Spiritu-ſancto & virtute.* O unctio magna! unde propheta: *Spiritus Domini ſuper me, propter quod un-*

Margin references: Luc. 19. 10. — Heb. 9. 15. — Matth. 11. 28. — Johan. 5. 14. — Johan. 8. 10. — Luc. 7. 47. — Hab. 3. 2. — Gal. 3. 22. — [a] Num. 16. — Num. 12. — Johan. 10. 30. — Exod. 33 11. — Johan. 14. — Non Aaron. — Pſal. 109. — Act. 10. 38. — Iſai. 61. 1

[a] Papebrochius legit Or, quam vocem interpretatur de Ur Moyſis ſororio, miraturque eum cum facrilegis recenſitum. at fallor niſi hic deſignetur Hon, qui cum tribus aliis hic recenſitis adverſus Moyſen rebellavit.

xit me, ad annunciandum manſuetis miſit me, ut mederer contritis corde, & prædi- Ann. Ch.
carem captivis indulgentiam, & clauſis apertionem. De Aaron ſcriptum eſt, MLI. Junii X.
quia poſt interfectionem contra ſe & Moyſem murmurantis populi, appre- Num. 16.
hendit turibulum, & ſtans gemebundus inter vivos & mortuos oravit, &
plaga ceſſavit. Sed quid Apoſtolus de Jeſu? *Qui in diebus carnis ſuæ preces* Heb. 5. 7.
ſupplicationeſque ad eum, qui poſſet illum à morte ſalvum facere, cum clamore va-
lido, & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia.

9. SAMUEL poſt mortem mirabiliter prophetavit, rurſuſque vir fuit Samuel.
mortis. Amplius Jeſus poſt mortem reſurrexit, ambulavit, locutus eſt, 1. Reg. 28.
manducavit, ultra numquam moriturus eſt, ut ait ſcriptura: *Chriſtus re-* Rom. 6. 9.
ſurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur: quod enim vi-
vit, vivit Deo. Et alio loco: *Decebat eum propter quem & per quem omnia, qui* Heb. 2. 10.
multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſumma-
re. Item alibi: *Chriſtus ſemel pro peccatis mortuus eſt, juſtus pro injuſtis, ut nos* 1. Pet. 3. 18.
offerret Deo, mortificatos quidem carne, vivificatos autem ſpiritu. Item: *Si con-* Rom. 10. 9.
fitearis Dominum Jeſum in ore tuo, & in corde tuo credideris quod Deus ſuſcitavit
illum à mortuis. De quo propheta: *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates* Iſai. 53.
noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra, & Dominus poſuit in eo iniquitates om-
nium noſtrûm. Introducamus DAVID, de quo ſcriptura: *Inveni David filium* David.
Jeſſe, virum ſecundum cor meum. Magnus iſte, ut ante ſubtilitatem divini exa- Act. 13. 22.
minis nihil & auferatur nihil addatur, ſed ſit ſecundum cor divinæ per-
fectionis. ſed Jeſus major eſt. Dixit enim David: *Ecce enim in iniquitate* Pſal. 50.
conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. Ad matrem autem Jeſu in-
terrogantem, *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Angelus ait:
Spiritus-ſanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi. De illo di- Luc. 1.
citur: *Juravi David ſervo meo, uſque in æternum præparabo ſemen tuum, & ædifi-* Pſal. 88.
cabo in generationem & generationem ſedem tuam. De Jeſu dicitur: *Erunt Reges* Iſai. 49. 23.
nutricii tui, & Reginæ nutrices tuæ, vultu in terram demiſſo adorabunt te, & pul-
verem pedum tuorum lingent. Et iterum: *Gens enim & regnum quod non ſervie-* Iſai. 60. 12.
rit tibi, peribit. Et in Pſalmo: *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hereditatem* Pſal. 2.
tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ; reges eos in virga ferrea, & tamquam
vas figuli confringes eos. Et alibi: *Thronus tuus, Deus, in ſæculum ſæculi; virga* Pſal. 44.
æquitatis, virga regni tui. De exercitu vero Jeſu ſcribitur: *Et vocabuntur* Iſai. 61. 3.
in eo fortes juſtitiæ, plantatio Domini ad glorificandum. Et, *Sapientia, fortitudo,* Prov. 31.
& decor indumentum ejus..... Lætabuntur coram te ſicut qui lætantur in meſſe, Iſai. 9. 3.
ſicut exſultant victores captâ prædâ, quando dividunt ſpolia. SALOMON filius Salomon.
ejus, qui ſapientia & dignitate ſupergreſſus eſt omnes Reges, qui fuerunt
ante ſe, videamus an non tranſeat præ fulgore in conſpectu fulgoris Jeſu.
De illo refert Scriptura: quia in diebus ejus abundavit pax in Iſraël; de 3. Reg. 4.
Jeſu, Propheta: *Quam pulcri, inquit, ſuper montes pedes annunciantis & præ-*
dicantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis ſalutem, dicentis Sion: Regna-
bit Deus tuus. Et, ut omnem magnificentiam ejus depromamus, audiamus
in Evangelio loquentem: *Regina auſtri ſurget in judicio cum generatione hac,* Matth. 12.
quia venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis; & ecce plus quam Salomon 42.
hic, natus in diverſorio, poſitus in præſepio; ecce quid dixit, ecce plus
quam Salomon hic.

10. ELIAS in turbine raptus in cælum, dignitatis ſuæ magna præfert Elias.
indicia: conferamus & hunc. Oratione ſua cælum clauſit, ne plueret 3. Reg. 17.
annis tribus & menſibus ſex. De Jeſu ſcriptum eſt: *Qui ligat aquas in nu-* Job 26. 8.
bibus, ne erumpant pariter deorſum. Et iterum: *Si continuerit aquas, omnia ſic-* Job 12. 15.
cabuntur; ſi emiſerit eas, ſubvertent terram. Et rurſus: *Qui pluit ſuper juſtos &* Matth. 5. 45.
injuſtos. Elias in Sarepta miſſus ad viduam: *Hæc,* inquit, *ait Dominus: Hy-* 3. Reg. 17.
dria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur uſque in diem, qua daturus eſt
Dominus pluviam ſuper faciem terræ. Sed ſi ad quinque millia, quinque pani-

Digitized by Google

Ann. Ch. MLI. Junii x.

» bus & duobus piſcibus ſaturata, & ad fragmenta duodecim cophinorum reſpicias, nihil eſt quod in hydria aut lecytho laudes. De Elia dictum eſt, quia aſſcendit inaurigans currum igneum, & vectus eſt in cælum, infirmitate ejus in adjumento alieno oſtenſa. De Jeſu Pſalmus: [Pſal. 46. 6.] *Aſſcendit Deus in jubilatione, & Dominus in voce tubæ.* Elias quo vectus ſit neſcimus; de Jeſu certum habemus, quia aſſcendit ſuper cælum cæli ad Orientem. [Eliſæus.] Eliſæus vir magnus & incomparabilis, in eo ſpiritus Eliæ duplus requievit. De Jeſu autem dicit Apoſtolus: *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi.* [Coloſſ. 2. 3.] Super illius ſepulcrum projectus eſt mortuus, & revixit. Jeſu autem ſepulto & reſurgente, ſcimus quia multa corpora ſanctorum, qui dormierant, reſurrexerunt. Quid multa dicemus? Magnæ iſtæ nubes ſunt, ſed præ fulgore in conſpectu ejus tranſierunt.

Alia interpretatio.

» 11. Patet & alia via hujus ſermonis exponendi, ſcitis ſolem, ſcitis radios, ſcitis nubes. nubes quidem à longe radiis ſolis oppoſitæ, quamdiu in conſpectu ſolis ſunt fulgeſcunt; accedunt quandoque propinquiores, tanto clarius luceſcunt: ſi vero in eumdem punctum & ſol & nubes concurrerint, ita ut ubi ſol eſt ſupra, nubes ibi ſint infra; nec nubes vocantur nec ſunt, ſed tota illa claritudo ſolis eſſe dicitur. Quid hoc eſſe dicimus, fratres mei, niſi quamdam ſimilitudinem cæleſtis regni? Quid nubes quæ à nubilo vocantur, id eſt ab obſcuritate, niſi genus humanum, peccatorum nocte obnubilatum, deſignant? Quid ſolis claritas, niſi divinæ claritatis lucem inſinuat? quid autem radii, niſi illuminantia opera Chriſti? Nubes ergo, ſui natura obſcuræ, radiis ſolis aſſpiratæ fulgeſcunt: quia parvitas humana, Chriſti operibus illuminata, reſplendet: quæ quanto propius ad Solem verum acceſſerit, tanto clarior erit; & virtutes quas ſui natura non habuit, illuminatione veri ſolis Chriſti recepit. quæ ſi in eumdem punctum operationis deificæ ſucceſſerit, quod eſt perfecte mundum relinquere, ſolamque divinam voluntatem ſedula contemplatione reſpicere, & cum Apoſtolo dicere: [Philip. 3. 20.] *Noſtra autem converſatio in cælis eſt*, jam Deitatis nomini participat, ut non homo, ſed etiam Deus dici debeat. Unde Dominus in Evangelio, cum pro diſcipulis oraſſet, ait: [Johan. 17. 20.] *Non pro his autem rogo tantum, ſed & pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me; ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te: ut & ipſi in nobis unum ſint.* Non tantum in nobis unum dicantur, quod magnum eſt, ſed unum in nobis ſint, quod maximum eſt. Unum, inquit, in nobis ſint, hoc eſt nubes iſtæ, mihi ſoli ſuccedentes in noſtra claritate eſſe nubis perdant, & ſol ſint. Ergo nubes à ſolis conſpectu in tenebris ſunt, peccatores etiam ab operibus divinis recedentes tenebreſcunt: nubes igitur in conſpectu ſolis fulgeſcunt, & homines in ſtudio divinorum operum accenſi virtutum lumine clarent: quanto autem nubes ſoli approximant, tanto clariores ſunt; & in deificis operibus ſtudentes, quanto efficaciores, tanto meliores ſunt. Si vero in eamdem catabibazon [a] ſol nubeſque convenerint, nulla fiet mentio de nubibus, ſed tantum de ſolis ardoribus: & homines mundum penitus deſpicientes, ſolique acumini contemplationis intenti, participare merentur divino vocabulo, ut dici mereantur dii. Sive enim à ſolis conſpectu nubes remotæ, ſive in [locum] ſolis ſucceſſerunt, perdunt ne nubes ſint, tantum in conſpectu ſolis nubes tranſeunt: ibi enim potius tenebroſum quiddam ſunt, ubi corpus lucidum. Et homines ergo cælitus accenſi, præ fulgore in conſpectu ejus, id eſt illuminantis fulgoris, tranſeunt, ne natura filii ſint iræ, ſicut & ceteri, ſed in Deo, Dei Filio unum ſint, vero participantes ſoli.

Omnes Bardoni applaunt.

Multis ergo talibus diſputans, poſtquam eos rore ſcientiarum perfudit, ad confeſſionem inducens, lavacro lacrymarum eos infudit, mactanſque

a Papebrochius legendum eſſe ſuſpicatur *catabibaſin*, à καταβιβάζω, deſcendo.

illos

Digitized by Google

illos in ara ſpiritalis contritionis, obtulit Deo holocauſtum ſuaviſſimi odoris. Sic ergo ad altare regreſſus, omnium ora convertit in ſtuporem: quoniam qui paullo ante tantum viluit ut ruſticus, voce omnium prædicabatur dignus eſſe, qui ſummus fieret Epiſcopus. Detractorum vero vultus ſuperfuſi rubore, ore tacito conſcientiam accuſabant, confuſi vultus confeſſione. Poſtquam ergo ad menſam Regis ventum eſt, Rex hilari vultu: Hodie, inquit, Natalis Domini mihi eſt agendus, quoniam confuſus conticuit lacerantium nos chorus. Rurſuſque ex nimia lætitia quaſi deſipiens: Ubi ſunt, inquit, detratores noſtri? Et juſſit Epiſcopo priori aquam in manibus dari. Epiſcopus autem nec pridie triſtior, nec hodie lætior, ſicut tunc de vituperantibus, ſic & nunc tacuit de laudantibus: qua ex re magis ac magis admirabilis ex illa die effectus eſt magnus nimis. ANN. CH. MLI. JUNII X.

Multo igitur habitus apud Regem honore, cum recordaretur, quia maritatum ſuæ decet domui providere, regio honore proſecutus Maguntiam repedavit, ibique vitam ſuam, ſecundum veriſſimam agricolarum ſectam, inſtituit ad exemplum ejus, de quo ait æterna Dei Sapientia: *Pater meus agricola eſt.* Sic enim agricola galli ſuccentu excitatus, diurnum laborem nocturna ſollicitudine prævenit, domeſticos inclamat, heſterni caloris favillam explorat, inventam ſcintillam flatu ſuſcitat, ſarmentis educat, diſponit quid quiſque agat; mane primo agrum petit, terram proſcindit, ſemina jacit; jamque ſole acrius incendente, domum repetit, ſuavem ex labore panem guſtat cum ſuis, propter intolerabilem meridiei fervorem æſtum declinat, dormiens in umbra culminis; ſurgenſque repetit reliquias imperfecti operis: die decedente, labori decedit; aſſidenſque prunis, poſtquam potu maduerit, aliquid dulce percinit, ſequuntur pueri. ſicque omni hora certus quid jamjamque agat, laborem ſine labore reſumit ex conſuetudine. Ita hic piiſſimus Pater, ad omne hoc opus ſimul acceſſit, niſi quod ille in ſpiritu operatur carnaliter, hoc egit iſte in carne ſpiritaliter. Numquam enim gallum cantantem ipſe non cantans exſpectavit; quia, ut ait Pſalmiſta, media nocte ſurgebat ad confitendum Deo. Semper de nocte mundana conſurgens, ad divinam lucem ſollicitus anhelabat; nec hoc ſolus, ſed quemcumque invenit ſecum invitabat, compellebat, trahebat, juxta illud: Et qui audit, dicat: Veni. At vero, ſi quem favillâ delicti alicujus ſopitum invenit, ſcintillam in eo pœnitentiæ explorans, flatu conſolationis in flammam perduxit lacrymarum, ſicut ſcriptum eſt: Aqua comburit peccatum. Diſpoſuit quod quiſque ageret, illum ſuadendo ad pœnitentiam, illum ad continentiam, illum ad humilitatem, illum ad caritatem & cetera talia. Semper mane primo exiit, ſequens eum, qui ait: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum & tollat crucem*, & exiet poſt me. Mane autem, ſicut ſcriptum eſt: *Mane adſtabo tibi*, terram cordis ſui ſpiritu proſcidit contritionis, ſeminans eam Patrum exemplaribus, unde ſibi virtutis, & aliis creſceret fructus ſalutis. Si quando autem acrius in eum incendebantur humanæ moleſtationes, quia ſcriptum eſt: *Omnes qui piè volunt vivere in Chriſto Jeſu perſecutionem patiuntur*; ad humilitatis regreſſus refrigerium, quaſi ſub umbra patientiæ humanos declinabat æſtus: & rurſus, quaſi ſurgens, exaltatus divino judicio, toto corde reddebat quod debebat pro divino beneficio. Ergo ſive decedente ſive accedente die, ſemper ille integer ad Dei accedebat penſum. Tota nocte inter cæleſtes convivatores epulatus, ad prunas cæleſtis incendii ſedebat, potuque lacrymarum debriatus, Davidicum poëma cum ſuis pueris intentus & frequens canebat: ſicque laborem ſemper reſumſit ex conſuetudine, ac ſi nulla premeretur ſollicitudine. Aliquid modo dicendum eſt de hoc ſancto viro; quod, quia parumper acceſſit, reticere cupio: ſed tantæ auctoritatis pondus ſilere non audeo. Quare autem hoc loquar invitus, ſi placet, audite.

Marginalia: XVII. In diœceſim revertitur. — Johan. 15. 1. — Suis muniis intentus. — Pſal. 118. — Apoc. 22. 17. — Luc. 9. 23. — Pſal. 5. 5. — 1. Tim. 3. 12.

Digitized by Google

Ann. Chr. MLI. Junii x. Prætoris in eum invidia.

Amarum eſt quod dicendum eſt, & Bardo noſter dulciſſimus eſt; nollemque de dulciſſimo quidquam niſi dulciſſimum loqui. Quis enim umquam Bardonem niſi dulciſſimum expertus eſt? Vultu hilaris, verbis amabilis, moribus ſuavis. Quis coram Bardone triſtis, quis illius conſolatione non eſt effectus lætus? Pauper coram illo nullius indiguit, dives apud illum nihil perdidit. Idem ipſe Bardo, & dominus ditione, & frater voluntaria conditione. Parvipendebat timeri, agens magnopere diligi. Talibus ejus ſtudiis invidens diabolus, etſi vincere illum non valebat, ſed tentabat. Incitavit in eum diſcordiam Prætoris urbis Maguntinæ, qui magnum aliquem arbitrabatur ſe futurum, ſi præ ceteris negligeret Epiſcopum. patientia enim Epiſcopi, hoc ſibi viſum eſt poſſe fieri: & unde miſer debuit melior, inde factus eſt deterior. Obſervans igitur diu noctuque Epiſcopum, ſi forte aliquid illicitum admitteret, cum in omnibus eum inveniret irreprehenſibilem, ad commenta fallaciæ converſus, qua ex re neſcio, majeſtatis reum finxit apud Regem. Sed cum talis mendacii ſtipula veritatis igne citiſſime conſumeretur, cum etiam Epiſcopum adhuc patientem vidit, quem credidit totis ſe viribus velle ulciſci, deſpexit eum, ſua ſe poteſtate defenſum credidit; jamque per ſe ipſum in Epiſcopum conari non diſtulit. Igitur quemcumque amplius familiarem Antiſtiti vidit, ſibimet finxit contrarium, ut ſi in Pontifice nullum haberet ſubſidium, vi & armis & arte offenderet in Epiſcopum. Ergo res proceſſit longius, ulciſcenda ſeverius. Comprehendit autem ficto mendacio quemdam diſpenſatorem Epiſcopi; eumque nullo modo dimittere diſpoſuit, niſi in purgamento judicii. Sed ſanctus Epiſcopus videns eum abſque ratione abuti ſua patientia, itemque quanta ſine cauſa paterentur in ſua ſtudioſi ſervitia, ſemel ſæpiuſque rogavit tanta Prætorem ceſſare moleſtia, ut etiam hic qui falſo criminabatur, evaderet abſque injuria. Prætor autem lætus effectus eſt, quod aliquid invenerit, quo cor Pontificis doloris vulnere tetigerit, quod penitus invulnerabile credidit; & jam omni amoto dubio judicium exquiſivit. Ergo ad judicium ventum eſt. Tunc vir Dei patienti compaſſus, juſtum fieri judicium Dei petiit, ut eventus probaret, non tantum de eo qui paſſus eſt, ſed & de eo qui fecit injuriam. nam & ille qui moleſtabatur, Deo adjuvante, ſancti viri precibus inculpabilis; & ille judicio divino præventus, abſceſſit inſanabilis. Etſi enim non ſtatim ſenſit, ſed ſtatim tamen præventus fuit: quia qui contra virum Dei judicium paraverat, paratum judicium minime evaſerat; & qui longo jam tempore virum Dei moleſtaverat, ab hinc & deinceps uſque ad diem obitus infirmitatis moleſtiam non evaſerat. Igitur amara relinquentes, de dulciſſimo dulciſſima loquamur.

Qui punitur divinitus.

XVIII. Patientia. 1. Cor. 4. 13.

Multa de ejus patientia dicere poſſumus; patientiam enim ejus ſecundum antiquorum patientiam novimus, qui cum Apoſtolo dicebant: *Blaſphemamur & obſecramus, tamquam purgamenta hujus mundi* facti ſumus *omnium peripſema uſque adhuc.* Cum horum, inquam, patientia fulget patientia Bardonis; æqua vere, niſi forte major. quia cum multi eorum ulciſci ſe non valebant, neceſſitatem in voluntatem laudabiliter convertebant: is autem cum ſe poſſet ulciſci, voluntatem ſuam ſibi neceſſariam faciebat, ut non quæcumque vellet ſequeretur, ſed cum multa valeret, multo plura vellet ex parte qua Spiritus hortaretur. Quis ergo, vivente Bardone in carne, audiens quid deriſori ſuo fecerit, non etiam ipſe factum derideret; & hoc non potius vanum, quam effectu niti crederet? Nunc autem quam planum eſt, quam recto ſtamine quæque texuerit, omne factum Bardonis amatur, cum delectatione narratur, auditur cum ſuſpirio, ſine controverſia laudatur, cum gaudio rememoratur; ſed quid deriſori fecerit, dicamus. Sedens aliquando ad menſam, infirmitati corporis ſatisfacturus,

Digitized by Google

inter ciborum alimoniam cunctis convivantibus, eructavit ſpiritus ebrietatem ſobriam : quia illi Chriſtus ſemper in corde, ſemper erat in ore, aſſumenti conſilium dicentis : *Si quis loquitur quaſi ſermones Dei.* Docente ergo illo omni affectione conſedentes, juvenis quidam, carnalibus titillationibus intentus potius quam divinis illius ſermonibus, cœpit ridere quod tam inania garriret Epiſcopus : *Animalis enim homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei.* Injecto igitur caſu in eum vultu Epiſcopus, deridere ſe juvenem comprehendit, furtivi cachinni & ſuſurri motibus ; motoque capite, ſedit paulliſper tacitus, viditque jam omnis conviva, quod deridentem ſe comprehenderet, ejuſque rei cauſa taceret. Omnes igitur expalluerunt, illi miſero infenſi, quia tantæ poteſtatis virum graviter ſe ulturum crediderunt. Intelligens autem vir prudens, quoniam dandi exempli tempus eſt, ut quæ paullo ante de patientia docuerat verbis, nunc etiam confirmaret exemplis, ſumta aurea ſcutella, quæ coram eo ſtabat, plena carnium fruſtis, deriſori ſuo cibum vaſque dari præcepit cauſa mercedis. Quo facto, non ſolum peccantem ad pœnitentiam, ſed & omnes lucratus eſt ad amplectendam patientiam.

Ann. Ch. MLI. Junii ix. — 1. Pet. 4.11. — 1. Cor. 2.14.

XIX. Miracula.

Potuimus aliquid dicere de eo, mirabile quidem, ſi tantæ admirationi ſunt quæ creduntur auditui, quam quæ ſubjecta ſunt viſui ; niſi forte ſua magna miracula minora faciamus indigno relatu noſtro. Dicemus tamen ut poſſumus, quoniam melius judicamus utcumque admiranda agnoſci, quam digna memoratu memoria tabeſcente obliviſci. Quoties ſanctus Pater Adeldeville, quoniam ad ſuam diœceſim pertinuit, devenit, ſemper mirabiles hoſpites habuit, volucres ſcilicet quaſdam, forma nominibuſque ignotas omnibus, à quibus ſeu comitabatur ſeu viſitabatur epiſcopus. quæ numquam ante eum venientes, numquam poſt abſcedentem remanentes, ſolum eo veniente turmatim in obviam congregatæ in arboribus conſederunt, & quamdam ſuæ modulationis harmoniam concinuerunt : ſatagentes cunctis eſſe pro miraculo, quod irrationabiles rationis utebantur conſilio. Sed pius Pater cantoribus ſuis non minimum lætatus, caritatem exhibentibus non apparuit ingratus : & quos in ſua coronari vidit obſequia, quotidiano porco ſatisfecit pro illorum alimonia ; & carne impoſita ſcutis, quotidianum ſumtum providit hoſpitibus ſuis. De volucribus iſtis quid dicamus, dubitamus. utrum formam inſpicientes, ſimplices eas volucres credamus ; an rationem intendentes, aliquos ſpiritus fuiſſe dicamus. Nam quoniam ſolis ſpiritibus ratio ineſt, ratione utentia melius eſt ut ſpiritus credamus, quam ut irrationabile ratione uti concedamus. Quid autem has volucres niſi ratione uſas eſſe dicimus ? Et quidem cum veniente venerunt, & cum abeunte abierunt : ad hunc unum ſine errore venerunt, ſoli uni concentum ſuæ modulationis concrepuerunt : ad intuitum ejus homines non fugerunt, cibum ab hominibus imperterritæ ſuſceperunt ; & ſilveſtres, ut videbantur, blandientium motus manſuetæ ſuſceperunt. Hæc enim agere rationis conſilium eſt. Si autem hoc aliquis abhorret, ne ſpiritus fuiſſe videantur, quoniam corporeo paſtu alebantur, nonne horum exempla multis in locis inveniuntur ? Ad Abraham nonne ſpiritus Angelici venerunt, & de cælo deſcendentes feſtivati, qui numquam eſurierunt, cum ipſo comederunt ? Idcirco, inquit, declinaſtis ad ſervum veſtrum. Medicus Tobiæ Raphaël, nonne diebus aliquantis viſus eſt cum hominibus pranſiſſe ; qui tamen reverſurus dixit : Videbar quidem manducare vobiſcum, ſed ego cibo inviſibili & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, utor. Videbatur comedere, & non comedebat ; & tamen cibus illi appoſitus non eſt inventus amplius : ut vere credatur talis comeſtio potius aliqua diſpenſatione conſumta eſſe, quam ſpiritalem levitatem, aliquam corpoream gravitatem inſumſiſſe. unde & ille ſpiritus,

Volucres ignotæ ipſi adſunt. — An angeli. — Geneſ. 18. — Tob. 12. 19.

ANN. CH. MXLI. JUNII X. *Judic. 6. 21.*

cui Gedeon coxit pulmentum, cum jus ſuper petram effunderetur, manum extendit, cibos virga tetigit, & pulmentum illud flamma præcedente conſumſit. Ab his ergo volucribus, quî ſcimus utrum ille comeſtus ſit cibus, an aliqua incomprehenſa virtute conſumtus? Nam ſi tantopere carnali victu indiguere, cum ab illo aberant, quid comederunt? aut cur apud hunc, & non etiam apud alios comederunt? Aut ſi volucres erant, numquid creduntur ſemper ſimul fuiſſe? ſi autem diſperſæ, quis credimus, congregavit eas, nuncians Epiſcopum Adeldeville futurum eſſe? Et quare nuſquam alio viſæ? & ſi viſæ, cur nulli agnitæ? Cur autem harum volucrum cantus Pontifici plus aliarum vocibus placuerunt? Aliquid igitur hinc ſpiritale conjectamur; quod utrum verum ſit omnino, non probamus. Locus ille à vulgo Adeldeville, vero autem nomine, Alta-villa vocatur. Ibi ſive volucres in ſuperioribus volantes, ſive aliqui ſpiritus ſancti in ſuperioribus habitantes, ſanctum virum viſitabant: quia qui ſe in altitudinem contemplationis erigunt, Angelorum viſitatione digni ſunt. Ergo juxta quod credimus conjectamur, quidquid autem hac in re veritati innititur, quia ſpiritale credimus, veneramur. Dubitanda forſitan hæc viderentur, ſi nullius perſpicacioris miraculi certitudine faverentur: ſed quoniam patent adhuc in eo, magna cum delectatione ac veneratione dicenda, certioris rei mirabilia, quæ obſcuriori diſpenſatione facta conjicimus, fiunt credibilia.

XX. Vir Dei aliquando iter agens per ſubjecta abbati Rohingo Fuldenſi, ipſo abbate præbente diverſorium & ſervitium, tranſegerat in quodam loco nocturni temporis ſpatium. poſtquam vero tranſacto prandio, ad receſſum pauſandi ſeceſſit, duo tantum cum eo gradiebantur, unus camerarius, qui lucernam coram eo portabat, alter quidem familiaris ejus, qui & ipſe hoc nobis narrabat. Cum ergo portitor lucernæ coram eo extracto lumine ſtaret; caſu accidente, ut ſæpe fit, lumen exſtinctum eſt. Turbabatur Camerarius, greſſuque veloci candelam reaccendere feſtinabat, & uſque ad fores caminatæ pervenit: cumque jam altera manus candelam portaret, altera januam citius aperiendam corriperet, ſubito candela inflammata eſt, amboſque illos admiratio circumdedit ultra quam credi poteſt. Tremens ergo Camerarius feſtine regreditur, poſitoque lumine ad pedes ejus ſanctiſſimos paravit procidere. Vir autem Dei compeſcuit eum, dicens: Stato, ne cadas. ſed age Deo gratias; & me vivente in corpore, cave ne umquam alicui dicas. commonuitque eum per juſjurandum ſuper his verbis, ut ne alicui quod factum eſt dixeris, quouſque me viam hujus carnis ingredi videris. quod ſi aliter feceris à conſortio meo in æternum ſeparaberis. Ergo ſi factum iſtud intendimus, ſatis juſto judicio Dei hoc eveniſſe perpendimus; utque numquam peccatorum tenebras admitteret, præter quod inevitabile eſt humanitati, nec ad momentum felici careret luce, cæleſti lumine ſe illuſtrante.

Lucerna exſtincta reaccenditur.

XXI. Senuit ergo jam vir Dei, qui niſi majora præmia in morte laturus, pietatis ſuæ merito numquam eſſet moriturus. Ergo & ex ætatis acceſſione & infirmitatis ſenium conſequentis ſucceſſione, corporis moleſtia gravi præventus eſt. Qui viſitatus à ſancto viro LEONE papa [a], ut recuperandæ ſanitatis gratia eſu carnium reficeret, rogatus eſt. Obedivit, & comedit. ſed quoniam oſtium ejus ſemper patuit viatori & peregrino veſpere, ſero & mane primo, quidam peregrinus monachus ad eum venit, & ſuſceptus eſt, & ad menſam ductus. Cumque piſces ibi deeſſent, eo quod Epiſcopus carne veſceretur, Monacho illi carnis pulmentum, Epiſcopo jubente, appoſitum eſt. Qui oblitus ſententiam Salvatoris, quâ ait: *Manducate quæ*

Monachorum abſtinentia.

Luc. 10. 8.

[a] Leo ſcilicet IX. Hic porro notandum venit monachos, etiam ad epiſcopatum promotos, à carnibus abſtinuiſſe. quod multis aliis exemplis certum eſt.

Digitized by Google

apponuntur vobis, carnes horruit, monachumque ſe ſignis & nutibus quibus potuit Pontifici innotuit. Quem in ſeipſo provocans Epiſcopus, & ſeipſum oſtendit monachum fore, & tamen carnes comedere, dixitque: Frater, piſces nobis deſunt, noſtra licentia manducate quæ apud nos ſunt. Sed ille neſcius obedientiam ſummam eſſe vitæ monaſticæ, ſtudioſus continentiæ, ſecurus fuit obedientiæ. Videns autem antiſtes eum non acquieſcere, manu extenſa, ſanctæ & individuæ Trinitatis nomine, ter ſanctæ crucis ſignum fecit: & natura jus ſuum obliviſcente, mirabiliter carnem convertit in piſcem, pulpam ſcilicet carnis in fragmen ſuaviſſimi eſocis. Expaveſcentem igitur monachum, & ad pedes ejus procidere parantem, prout tempus permiſit, aſpere increpavit; docens totius divini ſervitii ſummam eſſe obedientiam: propter quod, inquit, & Chriſtus factus eſt obediens Patri uſque ad mortem. Requirimur fortaſſis inter dona Dei in eo aliquid etiam de ipſo dicere, eſſetne jejuniis deditus necne, ceteraque talia. ſed Deo teſte pæne nihil ſingulare de eo potui inveſtigare; niſi forte in eo magis ſit laudabilis, quod meritum ejus inveſtigabile ſit paucis, aſſumentis conſilium ejus qui dixit: *Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua.* Qualis ſit, omnes modo ſcimus, ſed qualiter ad hoc pervenit, omnes neſcimus. Quæ de ceteris ſanctis ſcripta ſunt, quia aut jejunaverunt, aut homines fugerunt, aut cetera ſimilia, niſi alio ordine nulla in eo inveniri poſſunt. Primum enim jejuniis dediſſe operam, numquam audivimus, niſi forte hoc jejunium jejunavit, quod divinum judicium magis probavit, ubi ait: *Nonne hoc magis eſt jejunium quod elegi? Diſſolve colligationes impietatis, ſolve faſciculos deprimentes: dimitte eos qui confracti ſunt liberos, & omne onus diſrumpe. Cum videris nudum operi eum.* Vitiis jejunavit, & neceſſitate manducavit, & omnibus egenis panis ſui buccellam communicavit. Immunis fuit eorum, qui ad hominum intuitum runcantes ſive grunnientes, ſibi tantum vacant ſolitarii, quia cæcorum, claudorum, aridorum ſemper eum ſequebantur centenarii; ita ut pæne non eſſet claudus aut cæcus, quem ex nomine non ſciret Epiſcopus. Oſtium ejus, ut & ante diximus, viatori patuit, & cum ab egenis inclamaretur, ut moris eſt multis, intus clauſus non latuit: ſed totis apertis foribus exſiliens, cum omnibus profuiſſet, lætabatur regrediens.

> Ann. Ch. MLI. Junii x.
> Caro in piſcem vertitur.
> *Philip.* 2. 8.
> Ejus jejunia.
> *Matth.* 6. 3.
> *Iſai.* 58. 6.

XXII. Semper hilaris & lætus, ſemper pacificus & quietus, comitantes & advenientes ſemper hilares reddidit & lætantes: ſi talibus non placuit neſcio quibus placuit. Fruſtra ergo mihi videtur dicere, eum miſericordem, compatientem, humilem, niſi aliquod eorum indicium exempli cauſa ponamus. Omnia ejus pæne omnibus ſuperflua videbantur, ita ut etiam aliqui dicerent, quia ejus negligentia in epiſcopio multa fierent inconvenientia. Quod etiam in exemplum ſumens ſanctus papa Leo: Quis, inquit, umquam hujus ſancti viri patientiam adſcriberet miſericordiæ, & non potius ſocordiæ? Cumque populi multitudinem ad ejus ſepulcrum cum votis & oblationibus concurrentem vidiſſet: Nunc, inquit, Bardo ædificat, ſi ante neglexerat. Erat enim proverbium populo, quoniam Bardonis ædificium fornax eſſet, quam cum ceciderit, tribus lapidibus reædificaſſet. Ergo compatientiæ ejus aliquod ponamus exemplum. Paſchali tempore cum alicubi iter ageret, quidam ei obviam factus eſt, qui reatus homicidii ſuſcepta ſententia, paſchalibus diebus fuit in pœnitentia. ad quem Epiſcopus: Tu, inquit, cujus reſpicis imperium? Reſpondit: Veſtrum. cui ille, Quis ergo te vinculis evinculationis tempore vinculavit. ait Ruſticus: Peccatis meis inſtigantibus feci homicidium, & ideo libens hoc patior judicium. Non tulit hoc ultra Epiſcopus, ſed ait ad capellanum ſuum: Depone ab eo ſententiam. Et ad ruſticum: Tu, inquit, ad tuum vade ſacerdotem, & dic ei ex me, ut unum de duobus deliberet:

> Ejus benignitas.
> Compaſſio.

ANN. CH. MLI. JUNII X. aut ipſe ſententiam tuam impleat, aut te ſecum ſuis orationibus redimat.

XXIII. Humilitas. Aliquod etiam humilitatis ejus indicium proferre placet. Fuit Fuldæ quidam monachus, nomine Luydmandus, moribus gravis & maturæ ætatis, huic ſancto viro valde familiaris. Hic ergo quadam nocte vidit ſe in via profundiſſima, nigerrima & lutulentiſſima. cumque ibi diu viæ neſcius cum magno labore pererraret, ſubito in margine laci adſpexit quemdam juvenem ætatis florentiſſimæ & veſtis candidiſſimæ, qui ait ei: Quo tu miſerrime graderis? Erras, inquit, neſcis quo devenies. Ait monachus: Ita eſt, domine, miſer ego unde & quomodo huc venerim ignoro, & quo deventurus ſim neſcio. & addidit: Rogo te, adjuva me. Miſertus ejus juvenis, extenſa manu attraxit eum ad ſe; ducenſque eum per pratum viridis graminis & diverſorum florum, oſtendit ei magnæ dignitatis ſedile, duoſque juvenes in eodem eminenti loco ſtantes, illud ſedile cuſtodientes: & ait ad monachum juvenis: Noſti hæc cujus ſint? Qui reſpondit: Non, domine. Ait juvenis: Archipræſulis Bardonis hæc ſedes eſt, quam in tanta dignitate, ſola meruit humilitate: qui adſtant, eam ſibi cuſtodiunt uſque dum exutum corpore in eadem ſede recipiant. His dictis monachus expergefactus, ſomnium hoc nobis cum magna dulcedine narravit.

XXIV. Celebrat Pentecoſt. Padebornæ. Poſt hoc ejus ſtudium & opus, cum divina benevolentia cenſeret eum transferendum ex temporali inconſtantia & labore ad ſtatum & quietem felicitatis æternæ; ipſe quoque conſcius ſecretorum divinorum, multis orationibus & aliquanto attentioribus ſancto Martino ſe commendavit; aggreſſoque itinere ad Paderbrunum properavit. Die ergo ſanctiſſima Pentecoſtes agens ibi Miſſarum in publico ſollemnia, poſt ſancti Evangelii lectionem, ſtabat locuturus ad plebem. Sed quoniam nos in hoc libro non profundum navigavimus, modo feſtinamus ad hujus thematis litus, ut ne ſaturato lectori tædii pituitam proponamus; ſermones autem ejus omni humana divinaque [eloquentia] præcellentes, legere volentes, in tertium libellum differimus in cujus campo ſtudioſo lectori nos ſatisfacturos credimus, & digni ſunt non obliviſci, quoniam & [eum] hunc ſermonem quem modo differimus, declamavit. Spiritum-ſanctum per os ejus loquentem, dicere voces omnium incitavit. Ergo poſtquam ſermonis finem fecit, interjecta paullulum ſilentii mora, ſuſpiravit ex intimo corde, dixitque prophetica voce: Iter acturus ſum, Patres & fratres, ad quod minus cautè paratus ſum. Longum eſt iter, ſed ſumtum brevem habeo, & quid faciam æſtuo. Ad caſtra enim Regis æterni vocor, ubi in me totum bellum vertetur, totus æſtus prœlii; ubi ſi victus fuero, meritis enim meis ſtare non valeo, quid placandi cauſa judici offeram neſcio. Veſtras igitur preces præcedere me precor & ſubſequi, quatenus ante maximum Judicem ſine judicio merear ingredi: non enim juſtificabitur in conſpectu ejus omnis vivens. Et vos, inquit, ſi quid boni à me audiſtis umquam, rogo, ſervate vos dignos regno, ad quod vocati ſumus. Properate; tempus enim breve eſt. Nunc ergo vos commendo, dixit, ei, qui vos mihi commendavit, Deo Patri omnipotenti, & Verbo ejus Jeſu-Chriſto Domino, & Spiritui-ſancto, in quo dies iſta celeberrima eſt, ut ab omni hoſtili incurſu protecti, ingredi mereamini ſemitam operis recti. Ne ergo, filii, contriſtemini, quod ultima dico de me: quoniam amplius taliter non audietis me. Tum vero ejulatum non populi, ſed eccleſiæ, audires: quoniam alii exanimes obriguerunt, alii in fletus reſoluti graviter gemuerunt; omnibus uno ore dicentibus: Hei nobis, quando te tali carebimus. Sic ergo eadem die qua ſummi præſulatus anulum ſuſcepit, eadem die ultra audiri depoſuit: quamquam enim in feſtivitate ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli conſecratus ſit, die tamen ſanctæ Pentecoſtes anulum accepit [a]. Tranſactis igi-

Mortem ſuam prædicit.

[a] Anno ſcilicet 1032. altero poſt conſecrationem. nam anno 1031. ipſo die feſti Apoſtolorum 29. Junii electus fuit & conſecratus.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLI. Junii x. Moguntiam redit.

tur diebus ſollemnibus, accepta Regis licentia Maguntiam redire aggreſſus eſt, corpore quidem poſitus in itinere, ſed cælo [intentus] agebat jam cum Domino cauſas ſuas, judicii diſtrictionem, conſolationis ſpem. ita quidem, ut jamjamque vultus ejus teſtaretur, quam alienus ſibi mundus haberetur. Erat ergo vultum ejus præter ſolitum diſparem videre, nunc pro carnalibus gementem, nunc pro ſpiritualibus lætantem; ut omnibus manifeſtum fieret indicium, quod cor ejus inter ſpem ageret & judicium. Sæpe quoque Primates eum comitantes cauſa conſilii ad eum acceſſerunt, & bis terque aliquid proponentes, cum toties ejus ſententiam ſuper hac eadem re ſciſcitarentur, ille quid vellent percunctatus eſt. Illis vero iterum iterumque multotieſque eadem proponentibus, ac ſi nuſquam ibi præſens eſſet, tacitus permanſit. Quem cum excitandi gratia, ut fieri ſolet aliquando, veſte traherent, quaſi de ſomno excitatus, ſive ab extaſi reverſus ſubito contremuit; & quid vellent, ac ſi nihil ante dicerent, requiſivit: ita ut monſtro ſimillimum cenſeretur, quod vultu motuque vigilans, ſenſu dormire videretur. corpore enim ſolum inter homines poſitus extra humana corde conſpicabatur, & amplius de [futuris] quam de præſentibus meditabatur.

XXV. [a] Ægrotat.

Cum interim in locum, qui Nemus-ſpinarum, vulgo autem Dorneloch [a] dicitur, devenit: ibidem caſu colliſus, corporali moleſtia præventus eſt. Dolore vero ex hora in horam creſcente, manifeſtum factum eſt quod letum non evaderet. Miſit ergo ſub omni celeritate ad ſuffraganeum ſuum, Abellinum epiſcopum, qui eo tempore Fuldæ morabatur, ut pote vocatus illuc à venerabili patre Egberdo abbate, ut ad ſolemnitatem dulciſſimi & ſanctiſſimi patroni Bonifacii, ut ſi eum vivum vellet videre, non tardaret ad eum venire. Iiſdem etiam verbis ad æquivocum ſuum Bardonem [b] juniorem, filium fratris ſui, monachum prænominati loci miſit, ut quantocius venire properaret ad eum. Qui ambo arripientes iter, cito venerunt ad eum. Utrique igitur ante eum præſentati, cum ambos in lecto jacens ſolita dulcedine ſalutaſſet, inſuper etiam æquivocum ſuum cauſa conſolationis dulcius compellaſſet, tandem ejectis omnibus præter epiſcopum, hujuſmodi ad eum aggreſſus eſt eloquium. Dies vocationis meæ prope eſt, ſæpe mihi optatus, ſemper formidatus. Et nunc non eſt meum populum Chriſti deſolare, quaſi mortem non ſim evaſurus; cum certiſſime ſciam quod ſim moriturus. Tu vero mecum, quod mihi certum eſt diſſimula: & ſi te quiſquam interrogaverit, nec hoc ſcire te aſſimula: quia gemitum populi ferre non valeo. Jam nunc ergo ut filius ſapientiæ, ſcias quid facias, ut populo dolenti conſolatione faveas; mihi vero ſecundum orthodoxæ fidei religionem ſacri Olei exple unctionem. certum enim habeo, quod infirmitatis hujus moleſtiam evadere non debeo. Qui tanti viri verba non ferens, cum ex imo cordis traheret ſuſpirium: Quid, inquit ſanctus vir, facis affligens cor meum? Quæſo de lætitia mea lætare, & tantum hujuſmodi gratia ingemiſce, ut in conſpectu Domini lætus merear intrare. Sic expletis ſermonibus, expleta ſunt omnia quæ mandavit epiſcopus.

Unctionem extremam petit.

XXVI. Et in cilicio deponi.

Venit igitur hora multos gemitus motura, multas lacrymas roratura, & ille vir Dei pæne oblitus infirmitatem propter inſtantem lætitiam, quaſi jam propinquans ad gloriam, cilicium in terra juſſit ſterni ſibi, ſeque ſuper illud levari. Quod ut factum eſt, ex animi dolore cunctis obrigeſcentibus, uſque ad effuſionem oculorum lacrymis effluentibus, ſanctus

[a] Hodie *Dornhagen* appellari monet Papebrochius, quem una leuca Paderborna diſtare verſus Maguntiam dicit.

[b] Hic poſtea, uti notat Papebrochius ex Serario, abbas fuit S. Albani, cui Goſvvinus prologum in alteram S. Albani vitam nuncupavit. In priori prologo hæc habentur: *Bardo Bardonis noſtri magni tam propinquus genere, quam non diſſimilis ſanctitate & nomine.*

ANN. CH. MLI. JUNII X. Pater pie commotis ſuper illis viſceribus graviter ingemuit; & quidquid rideri potuit cauſa obliviſcendi mæroris audientibus pertulit. Ridens ergo ore, flenſque corde: Eia, inquit, quando etiam tantæ duritiæ ſtratum incubui? Et omnibus humido vultu ridentibus, & invito corde mirantibus etiam in tanta eum moleſtia poſſe ridere; intellexerunt hæc omnia fieri gratia conſolationis movendæ. Quidam autem ex illis accedentes ad eum, aïunt ei: Spem tuam, Pater, firmiter in Deo pone, ac de ejus immenſa bonitate præſume; certus quia non derelinquet te: cauſa enim humanæ infirmitatis eum fluctuare putabant, & ideo ſalubris admonitionis ei verba miniſtrabant. Ille vero verbis hujuſcemodi commotus: Ecquid, inquit, omnibus diebus vitæ meæ egi, ſi hoc non egi? Ipſe novit an ſperem in eum, & ſi umquam in alio ſpem meam poſuerim, non in eum. Opus ejus ego, ille ſpes mea eſt. Quod placeat Domino operetur in ſervo. ſicque verſis ad cælum oculis, inſtante termino, jam ægrius dixit: Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos, quemadmodum ſperavimus in te. Deinde non tantum dolore carnis coactus, quantum inſtantis anguſtiæ conſcius, ipſe ſibi oculos reverenter clauſit, ceteraque ſibi membra compoſuit; ſoluſque lætus, triſtibus omnibus, ſolus ſecurus, ſollicitus dudum, mundo mortuus, tandem vitæ redditus, lætus relictis carnalibus exuviis obdormivit, ſociis lætabundus Angelicis. Quo viſo cuncti quaſi tum primitus gementes: Hei, pater, inquiunt, cui nos dereliquiſti? Et rurſus: Pro parte, inquiunt, noſtra, reddat quod tibi debet Dominus: quia quem contriſtaveris ex nobis non eſt unus ex omnibus. Poſtquam ergo dolori cordis multo planctu ſatisfecere, tandem omnia quæ de ſancto corpore facerent deliberavere; & tunc depoſitis in ejuſdem loci eccleſia pietatis viſceribus, quoniam quidem mediæ fuit æſtatis temporibus (utpote III. idus Junii) ipſum corpus feretro impoſuere, ut ad Maguntiam deportaretur humandum honorifice.

In Deum ſperans.

Pie obit.

XXVII. Sed interrupto hic ordine, antequam de hoc loco egrediamur, beneficia quæ ibi Dominus operatur per ſancti Confeſſoris ſui merita proſequamur. Sexta fuit feria cum ſancta illa anima ſancto egrederetur de corpore. [Quod] cum eodem die lotum [eſſet] aquam in qua abluebant eum, fuderunt ad radicem arboris aridæ, quæ ibi ſtabat in æquore. Ipſi quidem quem laviſſent non attendebant, ſed hominem alicujus tantum bonitatis præſumebant: ſed quantæ fuerit æſtimationis apud Deum innoteſcunt mirabilia, quæ propter ejus merita operatur ibidem divina benevolentia. Nam eadem feria, eodemque momento, quo aqua fuſa eſt ad radices arboris aridiſſimæ, omni eadem feria ſexta, eodemque momento, ex arido ligno in ſalutem multorum, Deo gratias, fluunt aquæ pleniſſimæ. ſed ad ordinem revertamur.

Arbor arida revireſcit.

XXVIII. Igitur exſequiarum obſequia circa viri Dei corpus ambitioſe celebrantes, levatum tandem cum feretro & equis ſuper perrexere, ſecum illum deportantes [Maguntiam;] ubi cum deveniſſent & miſeras congregationes vultu ſqualidas & geſtu lugubres obviam inveniſſent, oritur utrimque clamor, fletus, & multi ululatus; ita ut pſalmodia & cetera quæ canebantur, vix exhiberi potuiſſet. Crederes enim unumquemque patrem, matrem, fratrem, aut aliquem ſibi maxime neceſſarium, deplorare: ita cum irremediabili anhelitu non ceſſabant lacrymas rorare, pupilli & orphani, cives & advenæ, juvenes & ſenes, viri & feminæ. Omnium vox erat unanimis: Heu, heu, pater amabilis! Judæi etiam, quibus nulla bona curæ ſunt, ei obviam facti, ut venerandi viri feretrum viderunt, terræ conſternati caput pulvere conſperſerunt; & dixerunt: Heu, heu, pie Pater! heu pie Pater! addebantque, ſi Chriſtiani anima umquam requiem meruit, merito tua requieſcere poterit. Talis clamor & luctus numquam viſus eſt noſtris temporibus. Nullus

Maguntiam defertur.

Digitized by Google

lus alium conſolabatur, nullus conſolari recordabatur; unicuique certum & proprium incommodum erat quod defleret, ne dum alius alium conſolantem haberet. Tandem ad oratorium ſancti Martini pervenerunt, quo ingreſſi, ſancti viri corpus in medio eccleſiæ ante ſanctam Crucem depoſuerunt. Providentes ergo poſt hæc, ne forte corpus aliqua tabeſceret corruptione, cum ad loculum ſecretius accederent pro hac eadem re, ſolutis quadam ex parte his, quibus innexus erat tergoribus, non ſolum incorruptum eum invenerunt, ſed inſuper fragrantem thureis odoribus. Res tam magna pro nihilo habita eſt: quia multis ejus ignoratis virtutibus, putabant odorem illum thuris eſſe, quod accendebatur humanitus. Igitur die undecimo poſtquam ad omnia oratoria eum circumduxerunt, poſt ſacrificia ſollemnis oblationis, & ſupplicationes Eccleſiaſticæ interceſſionis, tandem deportaverunt in locum depoſitionis. Horret mihi nunc mens, tabeſcit cor, deficiunt verba lamenta populi explanare debentia. Quam lividæ eorum facies, quam ſanguineæ acies, quam incomti crines, quam incompoſitæ veſtes! Taceo deflenda, ſupprimo gemenda. Ad lætiora veniam, ut quid tum ibi fecerit divina benignitas proferam. Multis igitur populi fletibus immolatis, quos illi peperit miſeratio, quæ cum illo ex matris egreſſa eſt utero, cum in Oratorio ſancti Martini, ante crucem ſepulcro eum impoſuere; tales odores, qui facile cuncta vincerent aromata, perſenſere; ut in tanta ſuavitate daretur intelligi, odorem illum fluxiſſe ex paradiſi amœnitate. Requievit igitur anno ætatis ſuæ pluſquam ſeptuageſimo; nequaquam illum expertus laborem, de quo Pſalmiſta dicit: *Si autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor,* ſed in ſenectute bona & vita jucunda, deponens temporalem, ſine dilatione invenit lætitiam æternalem, anno epiſcopatus ter ſepteno, numero myſterii pleno. Nunc autem clareſcit ſignis & virtutibus, quæ per illum operantur divinitus.

[Margin: ANN. CH. MLI. JUNII X. — Ejus ætas. *Pſal. 89.*]

XXIX. Pauca de Bardone diximus, ſi verba noſtra cum factis ejus conferre cupimus, ſed quis verbis comparabit Bardonem. Ergo non tantum noſtra prævalet infirmitas, quantum ipſius meretur dignitas; ideoque noſtræ concedet devotioni, quod minus congrua ſuo diximus honori. Hic eſt Bardo, quem auris audiens beatificabat, & oculus videns teſtimonium reddebat ſibi, eo quod liberaſſet pauperem vociferantem, & pupillum cujus non erat adjutor. Benedictio perituri ſuper eum veniebat, & cor viduæ conſolatus eſt. Juſtitia indutus eſt, & veſtivit ſe ſicut veſtimento & diademate, judicio ſuo. Oculus fuit cæco, & pes claudo. Pater erat pauperum, & cauſam quam neſciebat, diligentiſſime inveſtigabat; conterebat molas iniqui, & de dentibus illius auferebat prædam. Radix ejus aperta eſt ſecus aquas, & ros morabitur in meſſione ejus. Gloria ejus ſemper innovabitur, & arcus ejus in manu ſemper inſtaurabitur. Qui eum audiebant, exſpectabant ſententiam ejus, & intenti tacebant ad conſilium ejus: verbis ejus addere nihil audebant, & ſuper illos ſtillabat eloquium ejus; exſpectabant eum ſicut pluviam, & os ſuum aperiebant quaſi ad imbrem ſerotinum. Si voluiſſet ire ad eos, ſedebat primus; cumque ſederet quaſi rex circumſtante exercitu: erat tamen mœrentium conſolator, flebat ſuper eum qui afflictus erat, & compatiebatur anima ejus pauperi. Non contemſit ſubire judicium cum ſubjectis, non negavit quod volebant pauperibus, & oculos viduæ exſpectare non fecit. Non comedit buccellam ſuam ſolus, ſed ſemper comedit pupillus ex ea. Non deſpexit prætereuntem eo quod non haberet indumentum, ſed benedixerunt ſibi latera pauperum, & de veſtimentis ejus calefacti ſunt. Quis loquitur hæc? numquid ego? Non, ſed totus mundus. Loquitur terra, loquitur cælum, loquitur Deus in multis quæ per eum operatur mirabilibus. Ergo non recedet memoria ejus, & nomen ejus requiretur à generatione in generationem.

[Margin: Miraculis claret. — Laudatur. *Job 29.*]

Digitized by Google

VITA V. HALINARDI

EX DIVIONENSI ABBATE ARCHIEPISCOPI LUGDUNENSIS.

Auctore Anonymo ejus diſcipulo, in Chronico S. Benigni.

Tomo I. Spicilegii.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *RESTAURATA per beatum Vvillelmum in Divionenſi ſancti Benigni monaſterio regulari diſciplina, iſthuc ex vicinis longinquiſque regionibus viri nobilitate & doctrina illuſtres convolarunt, ut ſub tam ſancti patris regimine vitam monaſticam amplecterentur. Ex his fuit noſter Alinardus ſeu Halinardus, qui primo ſub eodem beato patre prioris officio functus, poſtmodum ei in abbatis dignitate ſucceſſit, ac tandem Archiepiſcopus Lugdunenſis factus, toti Eccleſiæ ob vitæ ſanctitatem, & doctrinæ celebritatem præluxit.* **Vitæ auctor.** *Res ejus geſtas accurate deſcripſit Anonymus auctor Chronici ſancti Benigni Divionenſis, qui cum ſe fateatur ab eo in monaſterium ſuſceptum fuiſſe, atque in regularis diſciplinæ exercitiis eruditum, fidem omnimodam meretur: utpote qui ea ſcripſit, quæ aut ipſe viderat, aut ab iis, qui rebus geſtis fuerant præſentes, acceperat. De hoc auctore jam egimus Sæculo 4. parte 2. ad annum* DCCCLXXVIII. *ubi de Bertilione abbate Divionenſi, cujus corporis inventionem ſub noſtro Halinardo factam, & ibidem relatam, deſcripſit.*

Alia geſta. 2. *Aliquot item Halinardi geſta colligere licet ex variis donationibus, quas Benigniano monaſterio ejus tempore factas recenſet Perardus in Collectione chartarum Burgundicarum. Nonnulla ex his memorantur infra à Chronographo num.* 10. *& ſeqq. In Charta Gerardi ducis pro Vvulfereicurte anno* MXXX. *cœnobium ſancti Benigni* religioſæ monaſticæ ſtatu noſtris temporibus famoſiſſimum ſub Halinardo abbate *dicitur. In charta Hugonis epiſcopi Lingonenſis* eccleſia ſancti Petri in villa Mora, monaſterio cognomento Pulchrada vel Saxonis-fontanæ *redditur*, ut iſdem locus monachili dignatione reformandus meliorandusve Halinardo tradatur. *Bruno Tullenſis epiſcopus, poſtea Leo IX. Bertiniacicurti duo altaria dedit in eccleſiæ dedicatione, quam Halinardo & Vvidrico abbate ſancti Apri præſentibus fecit. Idem Halinardus Johanni Romano pontifici ſcripſit, & ſacri Palatii Veſtarario, contra canonicos Divionenſes, qui jus cœmeterii è ſancti Benigni burgo in caſtellum Divionenſe transferre conabantur. Has litteras, & alias videſis apud Perardum.*

Cultus. 3. *Halinardi nomen in Faſtis ſacris locum nondum invenit, ideoque* Venerabilem *appellaſſe ſatisfuit; nec alio titulo à Bucelino donatur in Menologio Benedictino die* 29. *Julii. Eum vero inter prætermiſſos memorant Bollandiani, ad diem* 26. *Aprilis, quod ea die à Ferrario laudetur. Obiit tamen quarto Calendas Auguſti, ut ex Chronographo noſtro certum eſt. Et quidem ea die in Libro obituum eccleſiæ Lugdunenſis notatum eſſe teſtem habemus Severtium in hiſtoria Archiepiſcoporum Lugdunenſium, cui vetus noſtri monaſterii ſancti Germani à Pratis Necrologium conſentit. Severtii aliorumque, qui res Lugdunenſes ſcripſerunt, errata in aſſignando Halinardi regiminis tempore refellere non vacat, cum ad hoc ſufficiat hujus vitæ ſcriptoris textum, quem non viderant, proferre. Meminit Halinardi Hugo Flaviniacenſis abbas in Chronico Virdunenſi, ubi ordinationem ipſius anno* MXXXVI. *conſignat. De eodem agit auctor Chronici Beſuenſis, quem tamen non laudat, eo quod propagata ex Benigniano monaſterio ad Beſuenſe regulari diſciplina, iſtud ſibi Halinardus tum Divionenſis abbas, ſibi ſubjicere tentaſſet. Sed jam auctorem noſtrum audiamus ex tomo* I. *Spicilegii Acheriani, ubi Chronicum integrum ex codice mſ. deſcriptum habetur.*

Digitized by Google

INCIPIT VITA.

Halinardi genus & patria.

1. DOmnus HALINARDUS in hoc loco Prioris agebat officium; qui ſequenti tempore etiam abbatis ac paſtoris aſſecutus eſt nomen & meritum. Cujus memoriam dignum eſt nos aſſignare litteris, qui nos dulcibus ac paternis monuit inſtitutis. Hic fuit oriundus Burgundia, nobilium virorum exortus proſapia. Nam pater ejus Lingonum, mater vero Heduorum civis exſtitit. Ab ipſis infantiæ rudimentis ſtudiis litterarum traditus, ſuperna providentia gemina ſcientia efficaciſſime claruit. Amabatur paterno affectu à venerabili præſule Heduæ civitatis, VVALTERIO nomine, cujus filius erat in baptiſmate; ac ideo educabatur ab eo majori diligentia, ut poſt aptaretur in domo Dei lucerna. Proceſſu vero temporis, decurſa pueritia, cum eum jam ſibi vindicaret adoleſcentia, à Patre ſuo eſt traditus domno BRUNONI Lingonum præſuli. qui eum liberali cernens ingenio valere, Canonicorum ſtuduit collegio copulare. In ea itaque urbe cum philoſophos, viroſque audiret eccleſiaſticos, divina inſpirante gratia, nulli ſodalium erat inferior in ſapientia. Fœcunditas eloquentiæ gravitate componebatur ſapientiæ. Ex materia hujuſce compoſitionis vas eſſe cœpit electionis. Cumque foret animi ad cuncta capacis, nihil intentatum, nihil denique liquit inhauſtum. Cum jam veſtiri cœpiſſet vernantibus juventutis floribus, ita ſuam adoleſcentiam bonis inſtruxit moribus, ut eo tempore jam videretur monachus, integrum ſe & ſincerum omni cuſtodia ab his obſervabat vitiis, quibus contaminari ſolent homines hujus ætatis. Is enim imbui timebat, ne tenera in ætate his infectus eſſet, quibus cum vellet carere non poſſet, juxta illud quod ſcriptum eſt: *Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit non recedet ab ea.* Bonorum virorum & maxime prudentium contubernio potitus, turpitudinis ſectatores exoſus.

Fit Canonicus Lingonenſis.

Prov. 22. 6.

Tum Monachus.

2. Igitur cum pro ſua omnibus cara benevolentia diligeretur à domno LAMBERTO Lingonum præſule, cuperetque eum idem Pontifex collatis eccleſiaſticis gradibus exaltare, ille reſpuens labilem & caducam mundi gloriam, hoc ſtuduit opere adimplere, quod Dominus præcepit ſermone: *Qui vult*, inquit, *poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Spretis itaque omnibus terrenæ poſſeſſionis ſtipendiis, ob ſpem futuræ repromiſſionis, habitum ſanctæ converſationis ſumſit. ſed non ibi defuit probatio tribulationis. Parentes namque ejus inſequentes eum, atque ab hoc monaſterio per conſenſum Epiſcopi vi abſtrahentes, nudatum habitu monachi, per publicum ita deduxerunt, ut pro hac verecundia odiret, quod tantopere amplectebatur. Sed nihil proficit callida ars maligni contra doctrinam ſancti Spiritus: nullo modo quippe valuerunt eum revocare à ſua intentione. Verum parvo tranſacto tempore, fugam iniit, ut vel extra patriam poſſet perficere, quod in patrio ſolo non permittebatur adimplere. Sed iterum inſecutus & captus, ad Epiſcopum eſt reductus. qui eum multis promiſſionibus & blanditiis demulcebat, ſi quo modo poſſet animum ipſius ab hac intentione revocare. At ubi vidit eum in ſua perſiſtere ſententia, vix tandem permiſit ei quod vellet agere. Sic itaque quod cupierat aſſecutus, deinceps alieno vixit imperio, & in nullo quantum potuit, deviaret à ſanctæ inſtitutionis propoſito. Is enim procul à ſe remotis hebetudine & murmure, ſingularis præ ceteris obedientiæ præeminebat virtute, implens illud in fratribus, quod dicit ſanctus Benedictus: *Obedientia bonum non ſolum Abbati exhibendum eſt, ſed etiam ſibi invicem obediant fratres.* Enimvero beati Benedicti, cujus ſubjacebat diſcipulatui,

Matth. 16. 24. Luc. 9. 23.

Reg. c. 71.

Digitized by Google

ANN. CH. MXLII. JUL. XXIX imitator exſiſtens, ſapientem Dei ſtultitiam eſt adorſus, juxta quod præcipit Apoſtolus: *Si quis vult inter vos ſapiens eſſe in hoc mundo, ſtultus fiat ut ſit ſapiens.* (1. Cor. 3. 18.) Haud ſecus enim ac Philoſophi, ad ſillogiſmorum argumenta tota ſe conferunt mentis inſtantia; ita ſe contulit ad ea diſcenda, quæ quotidianum per uſum in monaſterio ſunt explenda. Quibus omnibus ſollerter ſibi cura cognitis, & experimento memoriæ commiſſis, videri jam cœpit doctior cunctis.

Et prior. 3. Hunc ergo, ut in monachico ordine ita prudentem jam dictus pater VVILLELMUS intellexit, congregationi fratrum præficiens, animarum curam eidem commiſit. Quod miniſterium tanta auctoritate, tantaque adimplevit ſollicitudine, ut omnibus ſecum converſantibus & exemplo fuerit & terrori. Regulari quidem contentus converſatione, ſic ſtudebat parcimoniæ, ut differre nullatenus videretur à ſocietate communis menſæ. Aliquorum vitia dum conſpiceret reprehendenda, prius in unoquoque laudanda canebat; dehinc velut gnarus reprehendenda carpebat. Cunctos tamen ſæpius admonebat, ut tales ſe Deo exhiberent interius, quales humana opinio pro religionis habitu ferebat exterius. Per cuncta ergo monaſterii probatus officia, omniumque miniſteriorum obſequiis non ſegniter adimpletis, primum Præpoſiti ſub ipſius abbatis imperio quatuor annis adminiſtravit officium, ad ultimum poſt præfati Patris obitum paſtoralem ſuſcipere curam, doctrina id exigente juſtitiæ, ab omni coactus eſt (Tum abbas.) fratrum congregatione. Quod licet invitus & reluctans acceptum miniſterium, cum cultui vineæ manciparetur divinæ, ut hujus ſe adſignaret colonum, commune utile multorum magis quærebat, quam proprium. Cunctis benignus, omnibus æquus; nemini nocebat, quibus poterat prodeſſe ſtudebat. Sana quippe doctrina ei inerat, quia ſuæ conditioni quod competebat, illud ſollerter agebat, propter illud Apoſtoli: *Nemini dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium noſtrum: ſed in omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros.* (2. Cor. 6. 4.) Sanctis etiam & modeſtis ſermonibus inditus, obſcœnis & turpibus omnino intercludebatur auditus, propter illud quod ſcriptum eſt: *Sepi aures tuas ſpinis, & noli audire linguam nequam.* (Eccl. 28. 28.) Adeo lectioni erat deditus, ut in itinere poſitus libellum ſæpius geſtaret in manibus: itaque in equitando reficiebatur animus legendo. (Lectioni deditus.) Philoſophos vero ſæculariſque ſapientiæ libros cum legebat, illud ſagaci ſectabatur induſtria, quod per Legiſlatorem divina vox præcipit de captiva. Hæc quippe quæ in Philoſophorum libris reperiebantur utilia, hæc ſua dignabatur memoria: quæ vero ſuperflua, de amore ſcilicet rerumque ſæcularium cura, hæc quaſi venenata radebat & mortifera. Hic calvitium inducebat, hæc unguinum more ferro acutiſſimo deſecabat. Ex lectionis ergo aſſiduitate ſcripturarum informabatur auctoritate. Ita in canonicis ac monaſticis valebat inſtitutis, ut nulli videretur ſecundus in legum decretis, ac philoſophicis argumentis. Tum virtute & ſapientia compoſitus, fandi quoque honeſtiſſime copia ditatus, ita ſe coaptabat ſingulis, ut omnibus eſſet diligendus, implens illud Apoſtoli: *Omnibus omnia factus ſum, ut omnes facerem ſalvos.* (1. Cor. 11. 22.) Quidquid loquebatur, ſapientiæ gravitate componebatur. Sermo ejus ſale conditus, quo virtutis pondere brevis & rarus, ea prudenti ſuavitate habebatur pretioſus. Ideoque quotieſcumque ad ædificationem moralem faciebat ſermonem, ut diſertiſſimus, ita habebatur gratiſſimus. Gregem ſibi commiſſum provida regens pietate, adverſus peſſimum ſanctis omnibus inimicum concordi ſanctoque certamine admonebat pugnare, & eorum quiſque quod poſſit operari bonum non deſiſtere; ne tunc vellet, quando non liceret. Illis etiam beati Johannis * ſæpius inferebat monita, qui in ſua ait Epiſtola: *Pacem ſequimini cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum.* (* f. Pauli. Heb. 12. 14.)

4. Diligebatur quam plurimum à regibus Francorum ROBERTO & HENRICO. Sed & CONRADUS imperator, & ejus filius HENRICUS Cæſar, illum nimio venerabantur affectu, unde factum eſt ut Lugdunenſis ſedis vacante antiſtite, ab ipſo Henrico imperatore, eo quod olim ſibi cognitus, & pro religioſa converſatione ac fama ſanctitatis erat valde dilectus, oblatus eſt ei illius epiſcopatus honor. Ipſe vero grave pondus proceloſi culminis per cuſtodiam refugit humilitatis, obtendens ſe monachum, ad tantum onus nequaquam fore idoneum. Erat tunc in clero Lingonenſi quidam clericus, nomine ODALRICUS, ætate pariter ac ſancta converſatione provectus, litteris apprime eruditus, qui tunc in palatio Regis aderat, ſed tamen Principi non plene cognitus. Hunc domnus pater noſter Halinardus ſuaſit expetendum: quem & ſapientiæ ubertas, & ſenectutis commendabat dignitas. His renunciatis Regi verbis, miratus vel quod oblatum honorem ſacerdotii tam vilipenderet, vel quod in ſe denegabat, pro alio tam ſollicite expetebat, aſſenſit; & epiſcopatus dignitatem memorato domno Odalrico conceſſit. quem ipſe pater uſque ad ſedem deduxit: & quæque in obſequio illius competebant, ac ſi unus ex familia ipſius, procuravit. Qui rexit Lugdunenſem eccleſiam per annos quinque, verbo & exemplo bonorum operum inſtruens animos ſubditorum. Poſtmodum à quibuſdam malivolis & invidis perpeſſus inſidias, quem ferro non potuerunt, veneno perimere non detrectaverunt. Sicque occiſus, ceteris ſanctis Pontificibus ibidem quieſcentibus eſt aggregatus. ANN. CH. MLII. JUL. XXIX. Archiepiſcopatum Lugdun. ſuſcipere renuit.

5. Tum demum vox totius cleri cum conſenſu populi, ut ad hoc culmen ſuſcipiendum colla ſubmittat, hortatur: utque paſtoris curam in iis gereret, deprecatur. Ad Imperatorem legationem mittunt, ut domnus Halinardus Pontifex eis detur, expoſcunt. Imperatoris præceptum mittitur, ut domnus Halinardus introniſetur, præcipitur. Sed ejus animus robore firmatus divino, nequaquam ad hæc flectitur, quouſque apoſtolici Papæ conventus eſt litteris. JOHANNES, cognomento Gratianus [a], tunc reſidebat in ſede Apoſtolica. Hic ut comperit eum nolle adquieſcere deprecantium votis, miſit ad eum, præcipiens auctoritate pontificali, ut obediret precibus cleri & populi. Factus igitur Apoſtolici compos & compar honoris, duxit apoſtolicam factis & nomine vitam. Eadem virtus manſit humilitatis, opere multiplicato caritatis. Omnia quæ agebat virtutum ſapore condiebat: ut ſpeculi fieri ſolet inſpectione, ita ſe interius divina conſiderabat lectione, & ex hac mentis ornatus componebatur; deformitatis vero ſi quid deprehendebatur, juſtitiæ moderamine corrigebatur. Diſertis viris quoties jungebatur, & de Scripturis, fieri ut aſſolet, aliquid proponebatur, libenter audiebat, prudenter & verecunde reſpondebat. Prava vero ſi qua proponebantur, non acriter, ſed ingenuo pudore confutabat; non callida argumentatione contra ſe diſputantem ſuperando, ſed per venerabilium doctorum exempla benigne docendo. Tunc dicta Orthodoxorum tradebat ad medium, cum evangelicis auctoritatibus: atque in hunc modum & eruditiſſimus declarabatur, & elationis vel eruditionis jactantiam fugere videbatur. Jurare omnino cavebat, ne forte perjuraret: unde quid in palatio Imperatoris egerit ſilendum non eſt. Quem cogitur ſuſcipere.

6. Henricus tertius imperator Burgundiæ regnum gubernabat, RODULFUS enim Burgundiæ rex ſine liberis exſiſtens, HENRICUM ſecundum Cæſarem heredem regni fecit. poſt quem ad Conradum pervenit Imperium; hic ſororem prædicti Regis, nomine GISLAM habuit conjugem, de qua genuit tertium HENRICUM, cui ex ſucceſſione paterna jure prove-

[a] Hic Gregorii VI. nomen accepit, qui anno 1046. cum Benedicto IX. & Silveſtro III. de Romana ſede pulſus fuit, iiſque ſubſtitutus eſt Suidgerus Bambergenſis epiſcopus ſub Clementis II. nomine, ut infra dicetur.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLII. Jul. xxix. nit regnum Burgundiæ. In cujus regni termino ſita eſt Lugdunum civitas, quam Lotharius Francorum rex dedit in dotem ſorori ſuæ Mathildæ reginæ, quam deſpondit Conrado Burgundiæ regi, patri ſupradicti regis Rodulfi. Igitur propter donum epiſcopatus domnus Halinardus ad hoc electus, Henrici Cæſaris curiam adiit, & cum eo epiſcoporum, qui erant ſuffraganei, legati archidiaconi, atque ipſum paſtorem quærentes Lugdunenſes clerici. Imperator, ut moris eſt, propter datum honorem epiſcopii, requiſivit ab eo fidei ſibi debitæ ſacramentum. Horum verborum domnus Hugo archiepiſcopus Chryſopolitanus erat ſequeſter ac mediator. Ille his auditis verbis, reſpondit: Si Regis æterni, & Regulæ, quam jurejurando promiſi, præcepta poſtpoſuero, quæ mihi fides erit, ut Imperatoris juramentum cuſtodire debeam? Dominus enim dicit in Evangelio: *Non jurare omnino*. Et Regula patris Benedicti præcipit monacho *non jurare*, & *à ſæculi actibus ſe facere alienum*. Hæc renunciata Regi, miratus & amplectens animo ejus conſtantiam, volens tamen probare perſeverantiam, dixit nequaquam ſe illi dare pontificatum, ſi non obediret ſuis præceptis. At ille ait: Melius eſt mihi numquam accipere ſacerdotium, quam tranſgredi Dei mandatum. Ad hæc Epiſcopi illarum partium, & maxime Sigebaudus epiſcopus Spiræ, ubi hæc gerebantur, inſiſtebant dicentes: Quis eſt hic, qui præſumſit in palatio principis, mandatis ejus non obedire, quod noſtrum nemo umquam facere auſus fuit? Aut juret fidem Regi, aut abjiciatur. Verum Theodericus epiſcopus Mettenſis, & Bruno Leucorum epiſcopus, ac Richardus epiſcopus Verdunenſium, ipſius amici exſiſtentes, ſuadebant Principi non debere pro hoc moleſtiam inferre religioſo viro, cujus animum in fide & ceteris virtutibus conſtantem ſcirent. Ad hæc Imperator ait: Suadete illum, ſi non vult ſacramentum facere, vel ad hoc ſe proferat, ut videatur feciſſe, ne mos patriæ noſtræ annuletur. Reſpondit ille: Tantumdem eſt ſi ſimulavero, ac ſi fecerim. Abſit hoc à me. Imperator videns eum ſic firmum, noluit amplius inquietare illum, ſolummodo verbo & promiſſis ipſius fidem aſſentiens, dedit ei quod petebatur; ac in ſua præſentia fecit illum ordinari, dans ei quæcumque fuerunt ſacerdotali benedictioni neceſſaria. Et non ſolum ipſi, vel ceteris epiſcopis, ſed etiam levitis ac miniſtris altaris ita præparabat omnia, ſcilicet veſtimenta, libros, linteamina, ac quæque neceſſaria, ac ſi eſſet non princeps ſed famulus. Erat enim idem religioſus Rex valde eccleſiaſticus, & circa divinum cultum devotiſſimus.

Jurare renuit.

Matth. 5. 34.

Cap. 4.

Ordinatur. 7. Ordinatus eſt autem venerandus pater Halinardus per manus domni Hugonis archiepiſcopi Chryſopolitani, in loco, qui vocatur Herbreſtinc lingua Teutonica, quod in noſtra Bonas-manſiones ſignat, anno ab Incarnatione Domini milleſimo quadrageſimo-ſexto. Eodem anno perrexit memoratus Princeps Romam, ibique tunc ſuſcepit coronam Imperii, die Natalis Domini per manus Clementis papæ, quem ipſe Imperator ordinari juſſit, & fecit deponi Johannem, qui tunc cathedræ præſidebat, & Benedictum atque Silveſtrum, qui in concilio tunc habito, examinata eorum culpa, inventi ſunt non ſolum ſimoniaci, ſed etiam pervaſores Eccleſiæ Chriſti. Huic concilio interfuit ipſe domnus Lugdunenſium Archipræſul, atque memoratus Hugo archiepiſcopus, aliique plures ex diverſis partibus coadunati Epiſcopi. Fuerat ei conſuetudo Romam orationis gratia frequenter pergere, ut ſanctorum Apoſtolorum ac Martyrum, qui urbem illam protegunt, patrocinia imploraret. Erat namque ejus voluntas, ut ſi fieri poſſet, ibidem Deo animam redderet. Quapropter non eſt fraudatus à deſiderio ſuo, ſed ut voluit, ita Dominus ei conceſſit. Defuncto memorato papa Clemente, Romani petierunt eum ab Imperatore. Hoc namque à Romanis Imperator, data pecunia non par-

Digitized by Google

va exegerat, ut ſine ejus permiſſu Papa non eligeretur. Ille cognita voluntate Principis ac populi, diſſimulavit ire ad curiam, donec tardante eo alter eligeretur. Diligebant enim eum valde Romani propter facundiam oris ſui, & affabilitatem ſermonis. ita enim proferebat vernaculum ſonum loquelæ uniuſcujuſque gentis, quouſque Latina penetrat lingua, ac ſi eadem patria eſſet progenitus.

Ann. Chr. MLII. Jul. xxix.

8. Domno igitur Leucorum epiſcopo Brunone, qui appellatus eſt Leo papa, ordinato [a], evocatus eſt ab ipſo Romæ ad concilium domnus archiepiſcopus Halinardus, ſimulque omnes epiſcopi Galliæ, ad pertractandum inibi de ſtatu & correctione ſanctæ Eccleſiæ. In ipſo anno ipſe domnus Papa perrexit Franciam, & Remis habuit concilium epiſcoporum, ibique fuit cum eo prædictus Pater noſter: tuncque fuit tranſlatum corpus ſancti Remigii ab ipſo domno Apoſtolico & epiſcopis, qui ibi adfuerunt; & ipſa eccleſia ſacrata. Tertio prædictus Papa habuit concilium in urbe Roma, quo affuit præfatus Præſul, indeque iterum in Galliam properanti comes individuus exſtitit. Veniens vero ad civitatem Lingonas, ordinavit ibi in præſentia papæ domnum Arduinum epiſcopum, pro illo qui fuerat ejectus. Rurſum ſequenti anno Romam pergens, cum ipſo domno Apoſtolico properavit Beneventum & Capuam, Montem-Caſinum, atque Montem-Garganum ad ſanctum Michaëlem archangelum. Ideo namque prædictus Papa perrexit illas in partes, ut habitatores terræ illius, ſi poſſet, aliquo modo relevaret ab oppreſſione, qua nimirum erant gravati à Nortmannis. At quia domnus præſul Halinardus præpotens erat in verbis, & ad ſuadendum quodlibet lingua ſufficiebat, propter hoc, ut mediator & legatus pacis inter prædictos Nortmannos & ipſum eſſet, domnus Apoſtolicus ſecum duxit eum. Inde regreſſus, quoniam ad colloquium Imperatoris, qui tum forte erat in finibus Ungariæ, properabat: juſſit eum prædictus Papa Romæ reſidere, donec ipſe rediret. Erat in ejus comitatu dictus Lingonenſis epiſcopus Hugo. Is pœnitens eorum quæ haud ſecus * egerat, domnum expetiit Papam, ut de commiſſis modum pœnitentiæ, & abſolutionem delictorum imploraret. Ipſe vero Apoſtolicus, ſicuti erat miſericors, & benignus animo, ut vidit eum vere pœnitentem & afflictum, condolens ei ſtatim indulſit, dicens ſufficere ad pœnitentiam ea quæ paſſus fuerat; abeuntem quoque, poſt abſolutionem delictorum, muneravit ampliſſime, dans inſuper licentiam recipiendi epiſcopatus.

Leoni IX. adſiſtit.

* *al.* cæcus.

9. Venientes ergo Romam, domnus Halinardus valefacturus ipſi & ceteris ſociis, diſcubuit cum eis ad menſam, ubi oblatus eſt ei piſcis à quodam falſo amico, veneno infectus. Ex quo omnes qui perceperunt, tam ipſe quam ceteri, vel infra octo dies mortui ſunt, vel poſt longam ægritudinem conſumti obierunt. Duo monachi ex hoc loco, qui cum eo erant, hoc cibo interfecti ſunt. Obiit quarto Kalendas Auguſti, anno ab Incarnatione Domini milleſimo quinquageſimo-ſecundo, peractis in pontificio annis ſeptem, in regimine hujus loci annis viginti. Præcepit ſe poni ad ſanctum Gregorium ad Clivum-Scauri. illum enim locum domnus Papa conceſſerat ei ad manendum. Sed nobiles Romani, qui ad viſitandum eum venerant dum viveret, ad ſanctum Paulum juſſerunt deferri corpus, ibique honorifice traditus eſt ſepulturæ, ad lævam partem eccleſiæ, & arcus ſuper tumulum ejus ædificatus [b]. Omne ornamentum, quo utebatur ad ſacrum miniſterium, tranſmiſit ſancto protectori ſuo Benigno, cum non parva auri quantitate, & vaſis argenteis, quæ erant in ejus officio. Auxit ornatum hujus eccleſiæ maxima ex parte, inter quæ crucem auream gem-

Veneno perit Romæ.

Ubi ſepelitur.

[a] Leo ſedem iniit anno 1049. quo item anno Remenſe concilium habitum fuit.

[b] Ejus epitaphium laudat Bucelinus in Menologio, duobus his verſibus expreſſum.

Factus Apoſtolici conſors & compar honoris,
Duxit Apoſtolicam factis & nomine vitam.

Ann. Ch. MLII. Jul. XXIX.

mis ornatam fabricari fecit. Libros etiam plures conſcribi juſſit. officinas hujus monaſterii renovavit, & quamquam omnibus eruditus eſſet artibus, tamen in Geometria & Phyſica plurimum ſtudebat. Quæ vero in hoc loco augmentata ſunt in terris & poſſeſſionibus in diebus ejus, non eſt ſilendum.

Donationes factæ monaſterio Benigniano.

10. Hugo Chryſopolitanæ ſedis archiepiſcopus, ipſius valde familiaris amicus, dedit eccleſiam ſitam in burgo, Salinis dicto, quam ſui genitores à fundamentis exſtruxerant; & eſt ſacrata in honore ſanctorum Symphoriani & Agathæ martyrum; ſanctuſque Anatolius confeſſor inibi quieſcit. Cujus loci donationem poſuit ſuper altare ſancti Benigni, die natalis ipſius Martyris ibidem Miſſas celebraturus, atque coram omni populo qui convenerat, obligavit excommunicationis vinculo, qui illum locum ſubtraheret à dominio abbatis & monachorum Divionenſium. Hæc donatio facta eſt anno ab Incarnatione Domini milleſimo trigeſimo-ſeptimo, Indictione quinta, epiſcopatus ſui anno ſexto. Conceſſit per epiſcopale privilegium alteram eccleſiam, in eodem burgo ſitam, ſanctæ Mariæ honori dicatam, quam eccleſiam Rainaldus comes dedit ſancto Benigno, pro requie animæ patris ſui Ottonis, vocati Vvillelmi [a], proque ejus largitione accepit à domno Halinardo pecuniam non parvam, dum adhuc Prioris gereret officium.

11. Dedit prædictus Comes Rainaldus in ſupradicto burgo locum ad eccleſiam conſtruendam, in quo exſtructa fuit capella in honorem ſancti Andreæ apoſtoli. quæ ex materia lignorum facta, per incuriam ad nihilum poſtea fuit redacta. Dedit in Evoregio terram, quæ fuit Theudeberti; quæ à monachis aliquamdiu poſſeſſa eſt, ſed propter contrarietates, quas Odilo quidam faciebat eis, intermiſſa ab his, uſque dum poſſidentibus ipſis locum ſancti Anatolii, iterum jam dictus Comes reſtituit illis. Actum eſt hoc ab Incarnatione Domini milleſimo vigeſimo-ſexto, poſt mortem Vvillelmi Comitis, qui ipſo anno obiit. De habitatoribus vero ipſius opidi, aliquanti clerici vel laïci venientes ad converſionem monachicam in hoc monaſterio, dederunt facultates ſuas ſancto protectori noſtro Benigno. Aliquanti offerentes filios ſuos, ſimiliter contulerunt de rebus ſuis; inter quos pater meus me offerens, exceptis aliis rebus, dedit ſecus puteum domum, & ſedem unius caldariæ, quæ ſuper ſolutione cenſus data eſt poſtea ea conventione, ut qui eam teneret quadraginta ſex ſolidos omni anno perſolveret.

Auctoris ætas.

12. Aliquanto poſt tranſacto tempore, idem memoratus Comes Rainaldus juxta caſtellum, Veſullum dictum, dedit eccleſiam in honore ſancti Georgii ſacratam, ut ibi conſtrueretur monaſterium, & quatuor monachi ibidem conſtituerentur, qui omni tempore Deo ſervientes exorarent pro requie animarum patris ſui, ac matris, fratriſque, ac pro ſemetipſo, omnique parentela. Dedit ad eorum ſtipendia vineas & terras, vel quodcumque fuit neceſſarium: piſcationem inſuper cum hominibus, qui de hoc miniſterio ſibi ſerviebant. Huic donationi præſens fuit memoratus archiepiſcopus Hugo; deditque per baculum, quem ferre manu ſolebat, altare prædictæ eccleſiæ abbati Halinardo, & ob memoriam hujus rei commutaverunt virgas ſuas. Burchardus quoque Comes dedit locum, Offonis-villa dictum, quondam nobilem abbatiam, & in honore ſancti Leodegarii conſecratam, utque monaſticus ordo ibidem repararetur, deprecatus eſt enixius memoratum abbatem Halinardum.

13. Sed & Rotgerius dominus caſtri, quod vocatur Vvangionumrivus, eccleſiam à patre ſuo Vvidone, in honorem ſancti Stephani conſtructam, ea intentione largitus eſt, ut expulſis canonicis monachi ibi

[a] Plura de hoc Ottone habentur in Vita beati Guillelmi Divionenſis, quæ data eſt in priori hujus Sæculi parte.

collocarentur

Ann. Ch. MLII. Jul. XXIX.

collocarentur ad ſerviendum Deo die noctuque. Rainaldus etiam poſſeſſor caſtri, quod Caſtellion dicitur, ad obitum veniens, ac ſumens habitum monachicum, dedit poteſtatem ſancti Juliani cum omnibus ad eam pertinentibus terris & mancipiis, atque eccleſia ipſius ſancti nomini dicata, ubi petiit monachos conſtitui, qui pro ejus anima ac ceterorum fidelium exorarent Deum [a]. Simili modo Albertus Comes Mettenſis dedit villam, quam dicunt Vulferei-curtem, cum mancipiis utriuſque ſexus. Ipſe quidem in vita ſua dare diſpoſuit, ſed eo mortuo Girardus dux filius ejus adimplevit [b]. Necnon & matrona quædam, Letgardis nomine, ſoror Lamberti epiſcopi, dedit eccleſiam ſitam in villa dicta Iſlo, ſuper Moſam fluvium, in comitatu Baſſiniacenſi.

a Id factum eſt anno 1038. ut ex charta ea de re data patet, quam Perardus, cum aliis donationum hic memoratarum exhibet in ſua collectione.
b Anno 1033. ex charta apud Perardum.

VITA SANCTI PROCOPII

Ann. Ch. MLIII. I. Aprilis.

ABBATIS IN BOEMIA.

Ex Surio deſcripta.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vita unde ſumta?

1. *CUM beati Procopii Vitam ex codice mſ. prout antiquitus deſcripta fuit, haberè non licuerit, proferre viſum eſt eam, quam ex manuſcripto codice partim, partim ex annalibus Boëmorum à Nicolao Salio Pragenſi conſarcinatam adoptavit Surius ad diem quartam Julii. Melius hac in re uterque conſulturus rei litterariæ, ſi eam prout in codice habebatur poſteritati commendaſſet. Brevem quidem penes nos habemus ejuſdem ſancti Vitam, ex mſ. codice Cartuſiæ Colonienſis, ſed vix quidquam peculiare continet. Eam tamen infra alteri ſubjiciemus, quod forte ſibi invicem aliquam auctoritatem conciliabunt. quibus denique breve elogium ex Dubravii hiſtoria adjungendum erit, quod miraculum contineat in aliis deſideratum. Ferrarius ſancti Procopii vitam à Mohadro relatam laudat, ſed nec iſtam videre licuit. Ceterum Trithemius libro 3. de viris illuſtribus Ordinis ſancti Benedicti cap. 315. ſanctum Procopium laudat, quem* virum ſanctum & omni laude dignum, verbo & exemplo prædicatorem eximium *fuiſſe ſcribit. tum de ejus geſtis hæc habet:* qui qualis quantuſque fuerit, multorum miraculorum oſtenſione declaravit, de quibus in geſtis ejus, ô lector, poteris informari.

Monaſterii ſancti Johannis initia.

2. *De eodem ſancto abbate variis in locis Boëmiæ-Piæ agit Georgius Bartholdus Pontanus à Braitenberg, potiſſimum libro 4. ubi inter ceteros Boëmiæ regni patronos Procopium recenſet, ac prolato Vitæ ipſius compendio, nonnulla ſubjicit de monaſterio beati Procopii, quod ab Udalrico duce ædificatum fuiſſe dicit, quamvis ſupra, libro nimirum 2. ejus initia ad Bretiſlai tempora revocaſſet. ſed difficultatem hanc ſolvit auctor Vitæ, ſcribens monaſterium ab Udalrico primitus quidem fuiſſe exſtructum, ſed ipſum rebus ad vitam monaſticam neceſſariis deſtitutum, à Bretiſlao dotatum fuiſſe, quod idem auctor angelico monitu factum fuiſſe tradit. Narrat Bartholdus in libro 2. Boëmiæ-Piæ jam laudato, Severi Pragenſis epiſcopi conſilio templum in honorem beatæ Mariæ & ſancti Johannis-Baptiſtæ conſtructum Bretiſlai ſumtibus fuiſſe, ac traditum* fratri Procopio Contannskeho abbati & fratribus ordinis ſancti Benedicti; *adjuncto privilegio, in quo pius Princeps multa adverſus monaſterii rerum direptores imprecatur. Hæc autem ab eodem Severo epiſcopo confirmata fuiſſe dicuntur libro 3. Quin & eumdem locum eccleſiæ conſtruendæ jam olim à Jaromiro principe deſtinatum fuiſſe idem auctor paullo antea dixerat, quod ille ibidem è Cochani tyranni manibus cruentis liberatus fuiſſet. Ceterum celebre exinde in Boëmia fuit ſancti Johannis Baptiſtæ monaſterium, cujus etiam meminit Bucelinus in Germania ſacra parte 2. Ipſum aliis in locis appellat monaſterium ſancti Procopii, quod utrum hodie exſtet, ſe neſcire profitetur. Illud ſuo tempore* Ad beatum Procopium *appellari ſolitum fuiſſe ait Trithemius in libro*

Ann. Ch. MLIII. I. Aprilis.

de viris illuſtribus jam laudato. Porro Dubravius libro 7. Hiſtoriæ Boëmicæ ſcribit cœnobium Reygradenſe, pridem inchoatum, tandem à Breliſlao abſolutum fuiſſe, ſed iſtud à monaſterio beati Procopii diſtinguit. Monaſterium Breunoviæ, & aliud in honorem ſancti Johannis-Baptiſtæ, cujus abbas fuit ſanctus Procopius, *inter cetera Boëmiæ cœnobia* eminere *teſtis eſt Aubertus Miræus in libro ſingulari de rebus Boëmicis.*

Feſtum.

3. *Procopium anno* MLIII. *è vivis abiiſſe conſentiunt omnes Boëmicæ hiſtoriæ ſcriptores. quod Calendis Aprilis contigiſſe refert Vitæ auctor. Ab hac ſententia diſſentit auctor vitæ compendii, ex mſ. codice Colonienſi jam laudati. Is quippe ſanctum abbatem die octavo Idus Julii miraculis clarum, ad Chriſtum migraſſe aſſeverat. Certe variis diebus in variis Martyrologiis feſtivitas Procopii celebratur. Præferri tamen debere videtur Vitæ prolixioris auctor, cui conſentiunt Menardus aliique Benedictinorum faſtorum ſcriptores. Idem Menardus duas ejus feſtivitates commemorat; depoſitionis* 1. *die Aprilis, ubi Procopium incaute abbatem & martyrem nuncupat, & canonizationis die* 2. *Junii. Tertiam addunt Arnoldus Vvion in Ligno vitæ, Bucelinus in Menologio Benedictino & Ferrarius in catalogo generali ſanctorum, qui ſcilicet præter duas jam laudatas, Tranſlationis ejus memoriam commemorant die* 4. *Julii. qua potiſſimum die colitur apud Olmuzium Moraviæ urbem, cujus incolæ Procopium uti patronum & tutelarem patriæ ſuæ venerantur. Trithemius loco laudato feſtum ſancti Procopii die* 4. *Nonas Junii celebrari affirmat.*

INCIPIT VITA.

Procopii natales & juventus.

1. PROCOPIUS homo Boëmus, parentibus nec eminentiſſimis, nec obſcuris Chotumæ in Boëmia in lucem effuſus, pæne infans ſeveriorem quamdam vivendi diſciplinam amplectebatur. Sic enim Dei reverentia & majorum intuitu cor ad honeſte vivendum firmarat, ut omnes voluptatum fucatarum fibras animo prorſus eradicaret. Quam ejus, magnum quid pollicentem, indolem parentes circumſpecti animadvertentes, alendam eam & extendendam rati, Pragam eum admodum puerum tranſtulerunt, ut Viſſegradi Dalmaticis litteris, quæ id temporis ibi florentes erant, expoliretur. In quibus ille tantum deſudavit, ut commilitonibus ſuis doctrina multis gradibus emineret. Vivendi autem ejus ratio tam inſigniter pura fuit, ut ea excitati præcipui ejus loci ſacerdotes, eum licet renitentem, collegio ſuo cooptarent. In quo ille ſtatu pervigil in orationibus conſiſtebat, die nihilominus in divino officio contrito; tandem ſacerdotii gradum conſcendens, cogitare cœpit parum ſe hactenus in pietatis ſtudio progreſſum, ni majoribus virtutum incrementis exorſus ſatus * provehere eniteretur.

a

Seceſſit in eremum.

2. Hæc animo agitans, in monachum divi Benedicti inſtituta profeſſum [a], Deo hoc ita curante, incidit. A quo & vitæ ab humanis negotiis ſejunctæ normam excepit, & cultu corporis novo involutus eſt, ſicque parentes inviſit, non ea mente tamquam impotentiori aliquo conſpiciendi eos affectu pungeretur, ſed ut reconditam aliquam & hominibus ignotam ſpecum eligeret, in qua liber à populari tumultu, liberius Deo officii ſui penſum exſolvere poſſet. Quod cum ageret, & anxius per invios ſaltus atque inacceſſos montes ſingula luſtrans oberraret, devenit tandem in antrum quoddam, duobus circiter milliaribus à caſtro Curimæ diremtum, qui locus à fluvio præterlabente Saſſavæ appellatione percrebuit. Quod quidem antrum mille prope modum dæmonia inſederant, quæ non leves illi moleſtias creabant. Ille tamen ut athleta Chriſti impavidus, cum iis orationum & jejuniorum telis acriter depugnans, palmam certaminis referebat. Cujus tam grandes ſpiritus & maſculos labores, admirationis & imitationis ergo volens Deus orbi palam facere, UDALRICUM principem Boëmiæ occaſione venationis, præconem virtutis ejus, & teſtem inculpatæ actionis produxit. Hic enim Princeps, cum comites & moloſſos ſuos volucri curſu prætervectos nec aſſequi, nec ablatos oculis revocare poſſet, colligendarum virium cauſa, quas in ea ferarum inſectatione exhauſerat,

Udalrico Boëmiæ Duci notus fit.

a Ex monaſterio Breunovienſi, uti refert Dubravius libro 7. cujus locum infra exhibebimus.

Digitized by Google

ſub opaca quadam ejus ſilvæ arbore reſedit, cum inſperate cervus, ramoſis cornubus mirandus, maturo greſſu eum quieſcentem prætervolans, ſecretiora lûſtra inire tentabat. Princeps autem, quamquam defectis viribus gratiſſimam corpori feſſo medelam ea mora afferret, videns tamen feram, qualem ea die nullam inveſtigaſſet, cupienſque laudis aliquid ex ea confecta ſibi decerpere, impotentium & effetorum pedum, & damnati curſus oblitus, è veſtigio è terra ſe corripit, & contento arcu cervum, veſtigiis ejus inſiſtens, premit. Ille autem tamdiu ante inſequentem ſe fugam capeſſit, quouſque ad notam ſibi ſpecum patris Procopii decurriſſet. Truncabat tunc vir Dei poſt fuſas preces quercum quamdam, uſui ſuo ſervituram, poſt cujus tergùm, tamquam poſt firmiſſimum vitæ ſuæ propugnaculum ſe recipiens cervus, compoſitis cruribus humi ſubſedit. Sanctus autem incitatiori curſu ejus & pavore excitatus, cauſam novitatis hujus aſſequi volens, caput ſuſtulit, & eminus proſpiciens, hominem lauta facie, & amictu corporis minime agreſti conſpicatus, nervo obverſum ex adverſo vultum in ſe direxiſſe videt. Steterunt aliquantum ambo, mutua admiratione defixi. Tum Princeps percontari quid hominis eſſet. Cui ille, ſe magnis facinoribus obſtrictum, Chriſti tamen ſervum dicere. Hoc reſponſo excepto, concuſſus religione Princeps, laxato arcu cervus ad pedes ſancti ruit, & ad arbitrium ejus nutumque ſe componens, ſalutares pœnas ex præſcripto illius ſibi decretas penſurum ſe offert. *Ann. Ch. MLIII. I. Aprilis.*

3. Beatus vero Procopius ductum in penetrale ſuum vivo ſaxo eraſum, quia eum anhelanti ore loqui videbat, quieſcendo aliquid laxamenti proſtratis viribus corporis dare hortatur. Morem gerit Dux, & ſuccedens antro, locato corpore, primo orat hoſpitem ſuum, ut ſuæ torrenti ſiti remedium aliquo potu adhibeat. Nihil differt ſanctus, aquam qua guttur ſuum proluere aſſueverat, crucis ſigno perſtrictam ei propinat, quæ ſubito in talem molliſſimi vini ſaporem divina operatione tranſiit, qualem Udalricus princeps, nec in genialibus Cæſareæ menſæ epulis (inter quas olim alitus fuerat) umquam ſe libaſſe aſſeverare non dubitaret. *Aquam in vinum convertit.* Divinam ergo vim hìc ſe exerere cognoſcens pius Princeps, flagitare quaſi importunius à ſancto Patre cœpit, ut levandorum criminum ſuorum ſpe certiori, multam in ſe judicio ſuo pater decernere non gravaretur. Admiſit preces tam juſtas ſanctus Dei homo, & ut templum Deo ſub nomine divi Johannis-Baptiſtæ à fundamentis erigeret, idque celebre, religioſis viris eo contractis, & copioſis proventibus dotatis efficeret, in mandatis illi dedit. *Monaſterium condi procurat.* Quæ omnia Dux ut animoſe & alacriter expetivit, ita exauditus ſtrenue extremam manum operi adjecit. Id autem ab eo perfectum eſt anno milleſimo nono, quo tempore Henricus ſecundus faſces Imperii poſt Ottonem tertium poſſedit, & in Pannonia beatus Stephanus rex divinorum operum effector magnificus florebat. Ubi dum cæleſtibus negotiis vacans ageret Procopius, ſtipatus choro purgatioris ſenſus hominum, quos ſibi delectu acri habito collegerat, mirum dictu, quantis undique egenorum & morbis tentatorum examinibus, præcipue autem eorum, qui comitiali morbo vexabantur, crebro circumfundebatur. *Miraculis claret.* Quibus omnibus apoſtolica pietate ita ſe commodum impartiebatur, ut nemo ab eo triſtis, omnes lætabundi redirent. Ante omnia autem & animum cogitationemque intentam veluti arcum tenebat, ne quid domeſtici ejus, qui eodem cultu & ſacramento obſtricti, Deo ſecum militarent, importuniori aliqua ſpiritus tempeſtate jactarentur. atque hæc Procopii apud ſe geſta prædicatione & memoria digna.

4. Quæ vero ab eo in luce & in propatulo patrata fuere, talia ac tanta memorantur, principio quidem Memnonem virum pium cum illis diebus, quibus inter Paſcha & Aſſcenſum Chriſti Domini, viri Chriſtiani ſuppli- *Proceſſiones publicæ.*

Ann. Ch. MLIII. I. Aprilis. cationes ſtatas, prælata cruce, obeunt, flumen, ne Procopii choro copulari poſſet, arceret, videretque in ultra poſita ripa ſcapham conto hærentem, oravit Deum ejus ſibi copiam intuitu meritorum divi Procopii fieri. Orationi eventus felix reſpondit. Mox enim ſcapha revulſo conto à ripa reſiliit, criſpantes undas ſecare, & ancillanti ſimilis genibus oratoris ſe applicare. Qua ille conſcenſa, & conto quem pone cymba attraxerat naviculam ſubigens, optatis ſe tandem arvis expoſuit, & religione exſolutus cum rem miraculo dignam Procopio aperiret, eamque bonitati ejus imputaret, ille à ſe declinare, & in dicentis fidem retorquere atque congerere perſeveravit.

5. Aliud deinde tale ab eo, tantumque patratum eſt opus; quod viri ſancti ſolidam virtutem arguit. Namque vir quidam, aſperrimo mali genii furore percitus, cum ab eo inedia ſe caſtigare juſſus paruiſſet, illeque potentibus verbis in exturbandum diabolum prolatis incubuiſſet, repente dæmon hominis illius incola, ſpeciem teterrimæ volucris exhibens, ex ore illius tamquam ex nido provolavit, & in culmine tecti conſiſtens, ita orationibus ejus ibidem appetitus eſt, ut deorſum corruerit, lapſuque illo tria amplius in fruſta diſſipatus ſit. Hanc tantam ejus in affligendis gregalibus inviſam habentes dæmones poteſtatem, dira & contumelioſa voce queſti ſunt ſe ſuis ſedibus evolvi, & exhortantium more ad emigrandum in Lobec, loci cujuſdam nomen eſt, cum Milobuſenſibus invitare. Quos Deo charus homo, ne ſibi moleſtias commendationi dedito crearent, potenter immanem ſtrepitum cientes profligavit.

Beretiſlaus Udalrici ſucceſſor. 6. Interea Udalricus dux, laxata ægritudinis vi morborum compage, vita defungitur, herede Boëmiæ BERETISLAO filio ſcripto. qui non levibus hominum narrationibus excitus, quæ Procopii & quanta eſſet vivendi innocentia, & nobilium factorum claritas ad eum pergere, & coram illum alloqui deſtinavit. Quod dum perhumane & demiſſe facit, ſuggeritur ei à proceribus ſuis patrem ejus mortis præcipitis interventu, non cumulate monaſterio illi cenſibus pollicitis ſatisfeciſſe. Quibus auditis Dux, nihil protelandum cum hoc opere ratus, ſubito in multis ſatisfecit, in paucis ſe ſatisfacturum prope diem & hilariter recepit, Procopiumque deſignatum cœnobii ejus præfectum, obfirmate id munus defugientem, inextricabilibus rationum laqueis ita circumcinxit, ut enodare ſe minime poſſet. Quod quidem munus ita geſſit, ut omnibus magnopere ejus gubernandi ratio accepta eſſet. ſic namque benigne jus ſuum in eos exercebat, ut numquam aliquem ſubjectorum duriori ore percelluerit: omnes vero mirifice colloquiis ſuis, quibus frequenter eos ad officii initi perfectionem cohortabatur, permulſerit. Hinc factum ut neque ille, in quem ſanctus Dei, quod molliori & fractiori vocis ſono, quam par erat inter ſacrificandum modulabatur, virgis animadvertere juſſerat, quicquam ea punitione irritaretur.

Procopius fit abbas.

Pie obit. 7. Cognito tandem vitæ ſuæ occaſu, palam Emerano & Vito, amantiſſimis juxta ac fidiſſimis ſecundum Deum filiis, quod ſibi intra triduum mortis agon impenderet, denuntiare non deſtitit, atque epileptico ſtipem tunc à ſe exigenti, ut tantiſper præſtolaretur monuit, quo ſibi vita functo, tunicam eleemoſynæ loco adſportare liceret. Mox converſus ad ſuos, præſcio futurorum caſuum ſpiritu, quæ tempeſtas incommodorum eos quaſſatura ſe ablato eſſet, inſtar patriarchæ Joſeph aperte illis vaticinatus eſt. Aïebat namque, Beretiſlao Boëmiæ domino ſoſpite ſecunda omnia illis, erepto eo ſiniſtra quævis eos occupatura. SPITIGNEUM principem pater Procopius hac in futurum porrecta oratione deſignabat, qui adeo crudeli odio in eos deflagrabat, ut vertere ſolum, importunitati ejus cedentes cogerentur. Verum ne infauſtorum tantum commemoratione ad-

Digitized by Google

modum concuterentur, commutatione feſtina proſperorum eventuum, quam ſub URATISLAO ſucceſſore Spitignei experturi erant, eos mirifice permulſit. Tali ſermone ad eos habito conquievit, & brevi poſt vitam reliquit, idque circa annum milleſimum quinquageſimum tertium. Calendis Aprilis. ANN. CH. MLIII. I. APRILIS.

8. Poſt ejus obitum, diſcipulorum ejus religioſum agmen, veritum ne exſulantes, res eorum provido gubernatore caſſæ brevi defluerent, coeuntibus ſuffragiis VITUM amantiſſimum patri Procopio maturum & ſerium, piumque virum, omnibus rationibus id onus excutere conantem, præfectum ſibi conſtituunt. Cujus adminiſtratio tamdiu integra florenſque exſtitit, quamdiu Beretiſlaus benevolus princeps in vivis agebat. Eo enim exanimi facto, derepente Spitigneus, turbo, beati illius præſaga voce denuntiatus, in eos erupit. Cui colluctatus aliquantiſper Vitus, cum ſe imbecillum tanto furori reprimendo ſentiret, cedendo atque in Pannoniam demigrando victor evaſit. Vixit eo uſque in exſilio Pannonico, quouſque Spitigneus vivere ceſſaſſet. Interea abbas quidam GERMANUS, homo aſper loco illi præficitur. Qui ad nocturnos concentus vadens, cum ter à beato Procopio, ſibi in limine templi apparente, juſſus cœnobium illud deſerere, minime paruiſſet, tandem baculo paſtorali ab eodem incuſſus ſapuit, & verbere protervorum pædagogo eruditus, pegaſo volucrior inde exſiliit, principique Spitigneo, qui eum monaſterio præpoſuerat, duros caſus ſuos anhelans commemoravit. Quæ cum crebris hominum ſermonibus uſurpata Uratiſlao, qui habenas regendæ Boëmiæ poſt Spitigneum ſuſcepit, inclaruiſſent, ita auditione eorum refectus eſt, ut è Pannonia Vitum abbatem, reliquoſque beati Patris diſcipulos revocarit, eoſque loco ordinique priſtino in Boëmia reddiderit.

Vitus B. Procopio ſuccedit.

Cogitur ſedes mutare.

Redit.

9. Tum quoque vir quidam, Labeſſa nomine, aulæ principis aſſectator, malevolorum iniquis accuſationibus appetitus, cum vitæ fortunarumque ſuarum ruinam certo prædidiciſſet, fugam eques ad Sazavam flumen arripuit. quod cum tranſvadere non poſſet, & infenſos hoſtes circumvolitare eminus conſpicaretur, fuſa ad Procopium, cujus ædem ultra intuebatur, prece, ſubito amnem fluidum glacie rigere videt; quem patientem ſui invadens, jumento manum ducentis ſequente, lento greſſu ſuperavit, quæ non mora liqueſcens, atque in currentes undas revoluta, illi tutelam, inimicis vero ejus obſtaculum comparavit. Factum id Auguſti menſe, quo ſole leonem ingreſſo, ferventiori calore Boëmia huic ſigno ſubdita torreri ſolet.

Miracula Procopii jam defuncti.

10. Mulier diuturno languore detenta, juſſa eſt à Procopio ſibi apparente, unum ex diſcipulis illius, Vitum aut Emeranum, advocare: quorum cum Emeranus ad eam acceſſiſſet, & Deo illius jacentem valetudinem oratione commendaſſet, protinus ex integro convaluit. Upilio Sazavienſis amictus veſte, quam ſublegerat, à domino rei comprehenditur, & cippo, fruſtra pro eo interveniente Vito abbate, inſeritur. Hic inclamato nomine Procopii, vidit hominem canitie venerandum, infula redimitum, facie eleganti ſibi adeſſe, & ut morum commutationem faciat præcipere. Tum canna quam manu geſtabat, robora artantia contingere, quæ ad tactum illum tanto impetu diſſilierunt, ut januam ejus loci deturbarint, illeque retinaculis expeditus liber evolarit. Martino cuidam, in ſacro vivendi genere tironi, fures ſuppellectilem, dum in ſupplicationibus nocturnis excubaret, depeculati ſunt, ille ad ſepulcrum beati Procopii, velut ad tribunal judicis cauſam ferens, locum ſe mutaturum aſſeruit, ni Procopius illos rerum ſuarum everſores coerceret. Audit voces queruli alumni ſanctus, cogitque fures illos abbatum ejus peculium quamprimum referre. Virginibus ſacris tenues eorum fortunas tenebrio quidam furtim aſportarat,

Digitized by Google

ANN. CH. MLIII. I. APRILIS.

quas mærentes noctu leniens verbis pater Procopius bene ſperare juſſit: moxque furem illum, hominum quorumdam opera captum, & pro ademtis omnibus ſatisfacientem eis ſtitit. Oblatus iterum alteri mulieri Procopius injunxit, ut cognatam ſuum ni perire morbo quo conflictabatur mallet, Sazavæ monaſterium adiret, & orationis ſacrificium ab aliquo ex incolis ejus poſtulare juberet. Audit hæc, paruit illa, & curata eſt. Mulier alia alieno viro adhæreſcens, raptis bonis proprii mariti fugam conſcivit. Hæc retracta ex ignobili illa profectione, verberibus livida cippo committitur. Sed Procopii admonitu juſſa vitioſos amores ab animo profligare, elaqueatur. eum enim illa importuno clamore, plangoreque è cælo ſibi evocarat. Quatuor annorum ſpatio alia mulier & viſus & membrorum uſu defecta, die natalis Chriſti dum ſacrificaretur, Procopii nomine ingeminato, ſibi reſtituitur, hunc ſuarum precum & inediarum ad ſepulcrum ejus ſuſceptarum fructum capiens. quæ ſæpienti ſe populo aſſeverabat Procopium oculis ipſius ſacrum ſignum crucis efformantem ſe vidiſſe, moxque invaletudinem amiſiſſe, idcircoque in nomen Procopii exaltata voce efferbuiſſe.

Blaſius abbas.

11. BLASIO cœnobii ſui præpoſito ter mandarat Procopius, ut Romano Pontifice [a] adito, eum quo ſe albo divorum, relatis non vulgaribus ſuis operibus, adſcriberet, excitaret. Paruit juſſus, diſtulit rogatus: expoſuit juſſa legatus, neglexit exſequi ea prælatus. Egit quod debuit petitor ſupplex, non conſummavit requiſita, quæ potuit Pontifex; ſic ergo attenuato annuo ſumtu, ſalutatis liminibus apoſtolorum Petri & Pauli, nocte abibat Blaſius, cum Procopius indignanti ſimilis Pontificem ſopitum corripere, quod ſegnius honori ſuo ſtudens preces ſacerdotis ſui ita repuliſſet, ut adſpectum hominum non ferens jejunis loculis excedere Urbe cogeretur, adjecitque, ni hominem via divi Laurentii ſuburbani gradientem revocaret, tum vero ſe illum (pedum in ſublime tollens) perfoſſurum. Pontifex horribilis oſtenti facie ſomno reſolutus, ſemiſopita voce quis eſſet percontatur. Procopius, ait ille, & evanuit. Procopii ſacerdotem Pontifex Blaſium per ſagaces & expeditos curſores reductum, cum avide præſentibus tredecim purpuratis patribus de Procopii geſtionibus audiſſet, divina re facta, ſanctorum numero illum aſſerit, miſſoque in Boëmiam GUIDONE ſanctæ-Mariæ trans Tiberim ſancti Calixti priſbytero cardinali, Legato à latere vulgo dicto, Procopium ſanctum, beatum felicemque credendum, vocandum, colendum pronuntiat, eique tanti nominis & tituli apud omnes ferendi auctor eſt, idque anno Domini noſtri milleſimo duceteſimo quarto, quarto nonas Junii.

Procopii Canonizationem procurat.

12. Neque vero Deus Legatum illum, tantum confirmatorem nobilium facinorum Procopii, ſed etiam teſtem atque præconem virtutum illius apud ſuos Romæ effecit. Nam & monumentum, quod ille diffringebat, odorem gratiſſimum ipſi inhalavit, & complures cæci, ſurdi, muti, dæmonibus occupati, complures etiam inſanabili morborum genere labefactati, ſpectante ipſo, commodam valetudinem aſſecuti ſunt. Quibus ille viſis tanti Procopium habuit, ut munificis largitionibus eos ſecundum animam cumularit, qui Procopium ſalutaturi accederent; & ditiſſimos illos paratus, quibus ſacrificio deditus fulgebat, ei templo in honorem Procopii, tamquam obſides ſui erga eum amoris donarit, præſentibuſque Epiſcopis tutelam ejus loci commendarit.

Varia miracula.

13. Alio tempore cum feſto divi Johannis, cui hoc templum attributum eſt, egrediente pompa, tam myſtarum, quam profanorum hominum, abbas quidam ignotus omnibus, virga paſtorali quoſdam in eo agmine contingeret, viſus eſt canentes eos prægredi, & cœnobio eorum ſuccedere; &

[a] Innocentius III. tunc temporis Eccleſiam regebat, ut ex anno infra laudato colligimus.

Digitized by Google

illi quidem januam, quam diſcedentes clauſerant, patentem offenderunt, & valentes, quos virga permulſerat, notantes, Procopium fuiſſe non vane crediderunt. Eodem die, non eodem anno, in eodem templo ægri cauſam ſtrepitus rogati, nubem ab altari proferri, duoſque viros eam conſequi, eoſque ſibi & bene precari, & attactu virgæ ſe perſtringere vidiſſe, indeque morbum conclamatis depulſum affirmabant. Ædituus templi divi Johannis, quo recubat Procopius, vidit in ſomnis Sanctum cæci oculos Cruce notantem, & plauſu hominum vigil factus, curatum adſpexit. Eumdem ædituum ſomno graviori profligatum ſanctus Dei ſignum dare juſſit, quo ſuæ familiæ homines ſtrato evocati pſalmodiæ inſiſterent. Parricidæ cuidam non ſemel ſancti Procopii ædem viſenti, catena aſperrima, quæ ei impacta carnes ejus eradebat, tanta vehementia in templo divi Petri ab eo reſiliit, ut ſtrepitu homines ad miraculum contemplandum exciret. Fabianus vir ſacer inſtitutum beati Procopii in ejus cœnobio moribus exprimens, dum parietem templi ædificator attollit, una cum ponte & acervo ſaxorum deorſum ruit: ex iis erutus, amiſſa jam voce, lectulo reponitur, noctu ſuſpirat, ſurgit, opus proſequitur, narratque virum quemdam formoſum, habitu ſuo agmen ruentium lapidum excepiſſe, eoſque ſinu ſuo ne affligerent condidiſſe.

Ann. Ch. MLIII. I. Aprilis.

Dæmoniaci liberantur.

14. Cliens cujuſdam aſperrimo dæmonio agitatus, omniſque quietis impatiens, in templum Procopii cœnobio adjunctum inducitur, ibi cum in morem volantis protenſis late manibus, & dirum vociferans ſecundum occiput procurſaret, die natalis ſancti Procopii inter ſacrificandum, dum tranquillior ad ſepulcrum ejus precaretur, turbulento illo hoſpite liberatus eſt. Adoleſcens ſpretis parentum monitis, poſt habitaque miſſa & templo, die Dominico alïorſum ludicer declinavit. quem dæmon ligatum in piſcinam contruſit, ut eum præfocaret. ſed parentes à morte eripiunt, & ſenſu excuſſum Procopii oſſibus applicant, ſanumque beneficio eorum reducunt. Adoleſcens alius tetro facinore delibutus, noctem unam dum compotaret, ita ſeipſum amiſit, ut ad tactum omnem ſtuperet. Eum ſepulcro ſancti Procopii admotum, atque ex cyatho ejuſdem ſancti refectum, perfectum amici domum proſecuti ſunt. Puellæ cuidam diabolus moleſtias frequentes creabat, illa eas parentibus tamdiu aperire differebat, quouſque ab eo in lecto comprehenſa eminus à domo evibraretur. quam mater angulis omnibus domus non inventam, tandem didicit penes fontis cujuſdam crepidinem apertis oculis cæcam, ſui ipſius ignaram rigentemque deſidere. Ergo feſtina, inſtar Chananææ, ad proximum templum eam adducit, & tridui jejunio, multiſque orationibus, cum ea ex conſilio ſacerdotis ejus loci ſuſceptis, cum nihil ſe proficere notaret, Procopio eam reſtituendam offert: & reſtituta eſt ab eo firmæ & plenæ ſanitati, nec incaſſum obſecrationibus ſuis eum fatigavit. Et me toties toties vocantem te audi, Procopi pater, & hanc quam à te poſtulo, quamque præſtare potes, non alieno ſed tuo ſacer ab ſacro, gratiam mihi benignus impertire.

ALTERA VITA.

Ex mſ. codice Cartuſiæ Colonienſis.

BEatus Procopius abbas, natione Boëmus, Sclavonicis apicibus, à ſancto CYRILLO [a] inventis pleniſſime inſtructus, in ſæculo preſbyter eximius honeſtiſſimam vitam duxit. Hic pro amore Jeſu-Chriſti toto ſpiritus ſui ardore fervens vanitatem hujus ſæculi

[a] Cyrillus cum Methodio ex Alexandria in Moraviam venit, Sclavonicæ linguæ peritiſſimus Ducem, Duciſſamque Boëmiæ ad fidem convertit, & baptizavit, de quo plura videſis in Boëmia pia libro 4. Is autem à Miræo in libro ſingulari de Boëmia, ſæculo nono floruiſſe dicitur.

Digitized by Google

Ann. Chr. MLIII. I. Aprilis.

nequam contemſit. A cujus tumultuoſo turbine fugiens ſecreta ſolitudinis petiit, & in ſupercilio cujuſdam ſecretæ deſertæ ſpeluncæ, quam mille dæmonia inhabitabant, cæleſtibus armis loricatus conſedit. ubi dum ab hominibus occultus per multum tempus agonizaret, Omnipotens lucernam ardentem ſub modio non paſſus latere diutius, quatenus omnibus ſanctitatis exemplo luceret, famam virtutis ejus longe lateque diffudit: ita ut ad ejus opinionem catervatim provinciæ ejuſdem homines exenia offerrent, ipſiuſque orationibus ſeſe commendarent. Qui caritatis fragrantia plenus, ſermone ſanctæ prædicationis audientium pectora, ut imber temporaneus irrigabat. Denique pauperes tanta largitione ſuſcipiebat, tamque prona & læta eiſdem ſollicitudine miniſtrabat, ac ſi manifeſte Chriſtus adeſſet, ut omnes territorii mendici ejus induſtria paſcerentur. Aggregavitque ſecum quoſdam fratres, vita & moribus religioſos. quibus ſpiritualiter concordantibus, unanimi caritate monaſtica fieri moderamina juxta exemplar almifici patris Benedicti conſtituit. Multi denique vicinarum villarum accolæ ad eum venire frequenter, & ſuorum languorum amminicula impetrare ſolebant. Quibus ipſe magiſtrum humilitatis ſequens, interminabatur ſingulis, ne hujuſmodi opinio eo vivente divulgaretur. Venit etiam quædam mulier ad eum, cujus caligo infecerat oculos, ſuffragia poſtulans; cujus cum fuſa oratione oculos ſigno crucis ſignaret, ilico pignus luminis recepit. Quidam etiam homo ſpiritum immundum habens, ita ut vix à viris fortiſſimis teneretur, ad virum Dei adductus eſt, quem uni ex fratribus commendavit, qui pro eo jejuniis & orationibus pervigil inſiſtens ſemetipſum afflixit. Expleta autem ſeptimana, cum ipſe Pater ſuper eum exorciſmum terminaret ex more: viſus eſt protinus ſpiritus immundus in ſimilitudine nigerrimæ aviculæ ex ore ejus evolaſſe, & ſuper tectum eccleſiæ conſediſſe. Perſeverante autem ſancto in oratione, dicitur corruiſſe in terra, & quaſi fruſtatim in quatuor partes crepuiſſe. Ex tunc vero homo ille à dæmone perfecte exſtitit liberatus. Sanctus ergo pater Procopius, laudabilis vitæ peracto curſu, plenus virtutibus & clarus miraculis, migravit ad Chriſtum octavo Idus Julii.

Aliud Vitæ compendium ex Dubravio, lib. 7. Hiſtoriæ Boëmicæ.

Procopius pietate atque innocentia vitæ adeo claruit, ut penatibus divis adnumeraretur. Patria ei Boëmia, & parentes item Boëmi erant, à prima ſtatim pueritia ſolliciti, ut filius ipſorum Chriſtiana diſciplina imbueretur; cumque ſtudia tunc ad religionem conducentia, non apud alios in Boëmia, niſi apud viros ſacris initiatos vigerent, puerum collegio ſacerdotum in arce Vicegradenſi erudiendum obtulerunt. Poſtquam adolevit, ingeniumque & mores collegio ſic approbavit, ut idoneus haberetur, qui collegarum numero adjungeretur, maluit ſodalem in ſodalitio Breunovienſi, quam collegam in collegio Vicegradenſi agere. Captus deinde amore vitæ ſolitariæ, Breunovia relicta, ſpeluncam quamdam Saſavæ flumini incumbentem, larviſque & lemuribus infamem, ſibi inhabitandam delegit. eam ſimul atque ſubiit, continuo omnes illæ terribiles viſu formæ dilapſæ ſunt, haud ſecus ac dilabi ſolent tenebræ luce immenſa, unaque etiam metus eſt depulſus ab accolis, qui adire ſpecum ſibi metuebant. Igitur cognoſcens Procopius fruſtra ſecretum à ſe, fugamque hominum quæri, occultandi ſui finem fecit, ac paullo poſt ſuæ ſectæ aſſectatores in contubernium contrahens, ſacra cum illis, & munus vigiliarum, precumque & jejuniorum obivit, tametſi nihil in juventa ægrius, quam famem toleraret. Ob quam rem præſide Breunovienſi aliquando indignante, atque id agente, ut abductum in agrum, jejunare propter cibi inopiam uſque ad horam præſtitutam cogeret, Procopius famelicus conſpecta arbore corno, ſuſpirare intimis pectoribus conquerique de hyeme incipit, per quam videlicet fieret quominus id temporis corna eſui matura reperiret. Induit ſubito ad ſuſpiria ejus arbor & folia & fructus, convertitque rei novitate in ſe omnium oculos. Sed & Procopium mirabantur tam avide in oblatos fructus invadentem. atque ab eo tempore, indulgentius in continuandis jejuniis eſt habitus, donec proceſſu temporis & ætatis rabidam orexim conſilio atque ratione ſummoveret, abſtinentiamque deinceps ſic coleret, ut illius exemplum ſeipſum aliis præberet. Non ſolum autem ſuperſtes, verum etiam in ſepulcro dormiens multa & præclara edebat miracula. Bretiſlaus eo loci quo jacebat, memoriæ ejus templum excitavit addiditque illi ſodales cœnobitas.

VITA

Digitized by Google

VITA S. LEONIS IX. PAPÆ.

Auctore WIBERTO æquali.

Ex Editis & mſſ.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. PRÆTER *auctores qui ſummorum Pontificum geſta ſcripſerunt, nonnulli beati Leonis IX. vitam ſeorſim edidere. Vvibertus ejus in Epiſcopatu Tullenſi archidiaconus, primo unum librum edidit de iis quæ ille antequam ad ſedem Apoſtolicam proveheretur geſſerat, Romanis relinquens, ut ipſemet in Prologo loquitur,* ea poſteris tranſmittere quæ Papa Romanus egiſſet. *Verum poſtea mutata ſententia, librum alterum primo adjunxit, in quo ea quæ beatus vir uſque ad mortem peregit, fuſius exponit. Auctor Anonymus, & ipſe quidem teſtis oculatus, Hiſtoriam mortis ejuſdem conſcripſit, in qua accurate & particulatim narrat, quo pacto beatus pontifex morti proximus, ſeſe toto triduo ad ipſam obeundam præparaverit; tum ſubjungit aliquot miracula, quæ ſtatim poſt ejus obitum edita ſunt. Hanc hiſtoriam ex vetuſtiſſimo codice eccleſiæ Beneventanæ, litteris Langobardicis exarato, publici juris fecit Ferdinandus Ughellus in Italia ſacra tomo* VIII. *ubi de Beneventanis epiſcopis agit. Invenimus præter ea in mſ. codice archimonaſterii Remigiani apud Remos Anonymi cujuſdam collectionem miraculorum, Vitæ beati pontificis à Vviberto ſcriptæ ſubjunctam, in qua miracula complura narrantur, quæ ad ejus tumulum paullo poſt illius mortem patrata fuerant. quorum quidem duorum Anonymorum opuſcula, cum aliis item miraculis ex variis codicibus deſcripta, in unum conſarcinavit Godefridus Henſchenius, eaque edidit die* 19. *Aprilis Bollandiani ſimul cum Vita à Vviberto deſcripta. Ad hæc Bruno Signienſis epiſcopus Vitam beati Leonis conſcripſit, quæ inter alia ejuſdem Brunonis opera typis vulgata eſt. Præterea, ut plurimos auctores omittam, qui de aliquot ejuſdem ſancti viri geſtis data occaſione ſcripſerunt, Anſelmus monachus ſancti Remigii Remenſis libellum edidit ſub nomine Itinerarii Papæ Leonis IX. in quo refert ea quæ beatus Pontifex anno* MXLIX. *variis in Germania & Gallia locis patravit, potiſſimum Remis, ubi archimonaſterii ſancti Remigii eccleſiam dedicavit, ac in ea Concilium habuit generale. Denique Deſiderius Caſinenſis abbas, qui poſtea ſub Victoris III. nomine ſummus Pontifex fuit, libro* 3. *Dialogorum nonnulla ejuſdem ſancti viri geſta & miracula narravit. Verum ex iis omnibus auctoribus ſufficere nobis viſum eſt, binos Vviberti libros hic edere, cum Anonymi opuſculo, quod ex Ughelli Italia ſacra modo laudavimus. Cetera qui cupit, adeat Bollandum ad diem* XIX. *Aprilis. Si quæ tamen in aliis auctoribus obſervatione digna occurrerint, quæ ad beati Pontificis acta illuſtranda conferre valeant, ea pro opportunitate in notulis ad vitæ textum, aut in his obſervationibus præviis referre non omittemus.* Vitæ ſcriptores.

2. *Quanta ſollicitudine Eccleſiam ſibi à Deo commiſſam beatus Pontifex gubernaverit, probant præter libellum quem ab eo contra Græcos editum laudat Vvibertus, complures litteræ, quas ad varios orbis Chriſtiani Epiſcopos conſcripſit. Ex iis quædam habentur ad Africanos ad ſublevandum iſtius tam celebris olim eccleſiæ ſtatum, quæ ſub Barbarorum tyrannide gemebat; aliæ ad Gallos, Germanos & Italos datæ ſunt ad diſciplinam eccleſiaſticam reſtituendam; nonnullæ ad Antiochenum patriarcham, ut eum in Apoſtolicæ ſedis obedientia confirmaret; aliæ ad Imperatorem Conſtantinum Monomachum, ejus animi in recta fide firmandi gratia. denique ut ceteras omittam, quas pro variis ingruentibus negotiis data occaſione edidit, ad Michaëlem Cærularium Conſtantinopolitanum Patriarcham non ſemel ſcripſit, ut eum ad pacem inter Grecos & Latinos conciliandam adhortaretur; cumque ille noluiſſet à calumniis, quas in Romanam Eccleſiam evomebat, abſtinere, eum tandem per legatos ſuos, quos ea de cauſa Conſtantinopolim miſit, è ſede exturbavit; cujus ſententiam exſecutioni mandari voluit Imperator, qui eumdem Michaëlem in exſilium deportari juſſit. Non minus laboravit piiſſimus Pontifex in ſimoniacis & uxoratis Preſbyteris exſtirpandis. Iſtorum occaſione decretum celebre edidit, quod à Petro Damiani laudatur in Epiſtola ad Cunibertum epiſcopum Taurinenſem, inſerta Opuſculo* XVIII. *ejus operum novæ editionis. quo ſcilicet cautum eſt, ut* quæcumque damnabiles feminæ intra Romana mœnia reperirentur Preſbyteris proſtitutæ, extunc & deinceps Lateranenſi pala- Cura ejus in gubernanda Eccleſia.

ANN CH. MLIV. APRIL. XIX. tio adjudicarentur ancillæ. *Contra utramque vitium multis in Conciliis actum eſt, ſub Leone ejuſque ſucceſſoribus, ut videre eſt in Conciliorum collectionibus, ubi etiam epiſtolæ beati Pontificis, quas modo laudabamus, editæ habentur.*

3. *Berengarium Archidiaconum Andegavenſem, qui contra realem præſentiam corporis Chriſti Domini in Euchariſtia inſurgebat, beatus Leo ab eccleſiaſtica communione removit. Hæ controverſiæ occaſionem præbuerunt varias Synodos congregandi, ac edendi profeſſionis fidei formulas, quibus fidei catholicæ integritas ſartatecta ſervaretur. ſed de his alias; hic vero obſervaſſe ſufficiat, quanta fuerit Pontificis noſtri vigilantia in iis tum quæ ad eccleſiaſticam diſciplinam ſtabiliendam, tum quæ ad tuendam rectam fidem pertinebant. Unde mirum non eſt, ſi Victor III. in ejus laudem aſſeruerit, ab eo omnia eccleſiaſtica renovata fuiſſe, novamque lucem, ex quo pontificatum aſſumſit, viſam eſſe mundo exoriri. ſed illuſtrius eſt tanti Pontificis teſtimonium, quàm ut ipſum hîc integrum non referamus. Hæc itaque ſunt ejus verba, quæ quibuſdam miraculis à beato Leone patratis præmittit in libro tertio Dialogorum.* LEO, de quo nobis eſt ſermo præ manibus, vir per omnia Apoſtolicus, regali genere ortus, ſapientia præditus, religione conſpicuus, omnique eccleſiaſtica doctrina apprime eruditus, ac qui, quemadmodum ſcriptum eſt, cœpit invocare nomen Domini: quemque etiam vidi, ejuſque familiaritatem habere merui: ſæpe etiam eo in eccleſia Miſſas celebrante, cum illo ad divinum altare, ſacris indutus veſtibus ſteti, eique Evangelium legi. A quo omnia eccleſiaſtica ſtudia renovata ac reſtaurata, novaque lux mundo viſa eſt exoriri. Hic ſæpe ſacerdotale Concilium advocans, ſacerdotes, diaconos, & reliquos clericos, non regulariter ordinatos, removit, & in eorum locis, ad veri & ſummi Dei cultum, qui digne miniſtrare poſſent conſtituit. Quotidie quoque per ſe ſuoſque diſcipulos ubique miſſos populis viam Domini, litteris & verbis prædicans oſtendebat, qui per apoſtolicam vitam ſemper gradiens, apoſtolicos etiam viros in miraculis eſt imitatus. De quo quidem plura audire me contigit, &c. *His paucis verbis Victor abſolvit ſummam elogii beati Leonis, qui ſimiliter* totam Galliam illuminaſſe *dicitur in Teſtamento Odalrici præpoſiti eccleſiæ Remenſis. ubi tanta cum eloquentiæ vi contra pravos eccleſiaſticorum mores in Concilio Remenſi diſſeruiſſe memoratur, ut multi ejus verbis perterriti beneficia, etiam quæ legitime obtinuerant, dimittere cogitaverint. Ex his ſe fuiſſe fatetur Odalricus, qui eidem concilio intererat. Teſtis eſt Leo Marſicanus libro 2. Chronici Caſinenſis cap. 88. eumdem beatum Pontificem, quamdiu Romæ moratus eſt, ſolitum fuiſſe tribus diebus per hebdomadam, è Lateranenſi eccleſia uſque ad ſanctum Petrum, privato habitu ac nudis peaibus, cum duobus aut tribus clericis, noctu pſallendo & orando pergere. Hiſtoriam ſanctimonialis cujuſdam, beati Leonis amitæ, quæ ſigno crucis diabolum fugaverat, refert Petrus Damiani in Opuſculo 47. cap. 3. & 4. quam* ex ore beati Leonis IX. papæ *ab Adhelaide auguſta auditam fuiſſe teſtatur. Sed de his ſatis.*

An fuerit monachus. 4. *Dubitant nonnulli an umquam beatus Leo profeſſionem monaſticam emiſerit: certe hunc Ordini noſtro adſcribunt præter Benedictinos ſcriptores plerique etiam exteri, id ipſum diſerte affirmat Trithemius in Chronico Hirſaugienſi ad annum* MXLVIII. *ubi ſic habet:* Bruno Epiſcopus Tullenſis.... erat filius Comitis de Elingem, & monachus Ordinis noſtri. *Bollandiani tamen qui ſe optare aiunt in obſervatione prævia, ut tantus pontifex inter Ordinis Benedictini alumnos recenſeri poſſit, poſtea in notis ad caput 5. Vitæ per Vvibertum ſcriptæ, dicunt videri ſibi ex Vviberti verbis colligi facile poſſe, Leonem Benedictinis nequaquam eſſe adſcribendum, cum ſic loquatur:* Porro ſequentia lecturi deſinent profecto mirari, hunc potius per ſanctum Benedictum, quam per alium quemlibet ſanctorum, ſoſpitate reſtitutum, ubi volvente ſermonis rota perpendere poterunt ex paucis, quanto zelo pii amoris erga monachorum inſtitutionem & correctionem flagraverit. *Verum hæc verba beati viri monaſticæ profeſſioni non adverſantur, quæ optime cum illo ſancti Pontificis in rem monaſticam ſtudio coaluerit. Certe noſtrorum cauſæ favent pleraque ſancti Pontificis geſta. Etenim vix extra noſtra monaſteria in itineribus, quæ ſane ab eo frequenter facta fuerunt, hoſpitabatur; & cum in monaſteriis verſabatur, potiſſimum in præcipuis, capitulo intererat & refectorio cum ceteris monachis. Sic Remis peracta baſilicæ archimonaſterii Remigiani dedicatione, ac ſoluto Concilio, in* Capitulum venit, atque à fratribus ſocietatem petiit & accepit. *In monte Caſino cum dies eſſet ſabbati, Mandato fratrum adfuit, pedeſque duodecim monachis lavit, à quibus viciſſim & ipſe lotus eſt: poſtea in refectorium quoque ingreſſus communem cum aliis refectionem accepit, ut narrat Leo Chronici Caſinenſis libro 2. cap. 85. Omitto Ordinis noſtri monachos, quos è monaſteriis eductos in legationibus aliiſque majoris momenti negotiis gerendis adhibuit, vel quos ad epiſcopales ſedes evexit; denique cum eſſet morti proximus, Richerium Caſinenſem abbatem accerſivit, ut Romam redeundo eum haberet itineris ſocium. Sed quid ejus rei argumenta aliunde quærimus, cum ipſe beatus Pontifex morti proximus ſe monachum fuiſſe diſertis verbis dixerit?* Cellam, *inquit*, quam monachus incolui, &c. *apud Anonymum in Relatione ejus mortis, quam poſt ejus Vitam exhibebimus, num. 4. Hinc mirum non eſt ſi injurias monachis irrogatas, ſibi ipſi factas diceret, ut ipſe ait in epiſtola ad Stephanum dominum Caſtelli-novi, quam cum adhuc eſſet Tullenſium epiſcopus ſcripſit. habetur apud Perardum in collectione chartarum Burgundi-*

Digitized by Google

Ann. Ch. MLIV. April. XIX.

carum ; at in charta pro cella Bertiniaca-curtis ibidem, ſic loquitur : cum primum divina clementia me ad pontificatus honorem provexit, mox anhelare cœpi ad reſtaurationem meæ eccleſiæ ; ac monaſtici ordinis religionem, aut ubi erat, augmentare, aut ubi perierat pro poſſe meo recuperare.

Ejus in Ordinem S. Benedicti beneficia.

5. *Jam vero ſi de beneficiis, quibus monaſteria noſtra beatus Pontifex cumulavit, loqui libeat, innumera propemodum fuerunt. Caſinenſi abbati ſandaliorum, Dalmaticæ & Chirothecarum uſum permiſit ; monaſterium Saxonanum intra Romanam urbem eiſdem Caſinenſibus ſubjecit, eiſque Terracinenſe monaſterium confirmavit, ac navem in Romano portu liberam conceſſit, atque alia multa in eorum gratiam præſtitit, quæ apud Leonem Marſicanum libro ſecundo referuntur. Sublacenſe monaſterium ab invaſore fere deſtructum, in priſtinum ſtatum reſtituit. In Gallia Corbeienſis, Remigiani Remenſis, Cluniacenſis, ſancti Arnulfi Mettenſis, Caſæ Dei, aliorumque monaſteriorum prærogativas confirmavit, & eorum poſſeſſiones aſſeruit. Monaſteria ſuæ diœceſeos, advocato beato Vuillelmo abbate tunc celebri, ad Regulæ Benedictinæ praxim accuratam revocavit. Nulla eſt ferme in orbe Chriſtiano provincia, in qua eccleſiam aliquam Ordinis noſtri non dedicaverit & privilegiis munierit. In Hirſaugienſi monaſterio, quod ab annis quadraginta & octo deſtructum fuerat, ſub anathematis judicio monachos reſtitui imperavit, ut fuſius exponit Trithemius in ejuſdem loci Chronico. De eadem re ſcripſit Chronographus Magdeburgenſis, quem penes nos mſ. habemus, ad annum* MXLVIII. *ubi etiam inter alia Leonis geſta memorat elevationem è tumulo corporis ſanctæ Richardis imperatricis in cœnobio Virginum apud Andelaum in Alſatia, quod ipſa fundaverat. Idem pontifex Eduardum regem Anglorum à voto Romam petendi abſolvit, modo pecunias quas in itinere expendiſſet, conferret ad monaſterium aliquod, vel de novo excitandum, vel reſtaurandum. Illius ea de re epiſtola exſtat apud Spelmannum tomo* 1. *Conciliorum Angliæ, & apud Labbeum tomo* 9. *Conciliorum generalium.*

Monaſteria exſtructa ab ejus parentibus.

6. *Nihil vero mirum eſt, ſi tanta fuerit beati Pontificis in Ordinem noſtrum propenſio, cum eam jure quaſi hereditario à parentibus ſuis acceperit. Ii enim non ſolum ſua, ſed & ſe ipſos ſub habitu monaſtico ſerviendos Deo conſecravere. Utrumque diſertis verbis habet Vuibertus cap.* 1. *licet quibus id in locis factum fuerit non expreſſerit. At in Altorfienſi cœnobio (quod à beati Leonis parentibus conditum fuiſſe idem auctor affirmat) viſitur vetus oratorium beato Gregorio ſacrum, in quo iidem parentes beati Pontificis, loci ſcilicet fundatores, ſepulti memorantur. in Necrologio autem quod ibidem vidimus, hæc habentur die* IV. *Septembris.* Ob. Eberhardus comes, qui requieſcit in ſummo choro, item domina Bertha comitiſſa ejus uxor. item Hugo comes & monachus hujus loci, qui requieſcit ante altare ſancti Gregorii in capella. item Hugo comes frater prædicti Hugonis, qui requieſcit in hoc monaſterio. hi fuerunt fundatores monaſterii. *Habent ejuſdem loci monachi bullam, cujus apographum vidimus, qua beatus Pontifex omnia bona à ſuis parentibus eidem monaſterio collata confirmat ea lege, ut ſub Regula beati Benedicti perſeveraret. De Helvide vero ejus matre ſcribit Johannes de Bayon in Hiſtoria Medianenſis-monaſterii, quod cum bellum inter Henricum Cæſarem & Theodericum Mettenſem epiſcopum exarſiſſet, illa, firmatis caſtris quæ ad eam pertinebant, receſſerit in monaſterium Medianenſe, ubi piis operibus vacans, corpora ſanctorum Lazari regis & Azæ ejus filiæ, quæ ante annos nonaginta & quinque in maceria baſilicæ ſancti Petri* ob Pannonicam gentem Gallias pulſantem *abſcondita fuerant, detexit. Plura idem auctor habet de ſancto Leone, quæ ſuis locis pro opportunitate commemorabimus. Ejus vero ſcriptoris notitiam Reverendiſſimo Patri domno Hyacinto* Alliot *Medianenſis monaſterii abbati è congregatione ſancti Vitoni debemus, qui non ſolum hujus auctoris hiſtoriæ exemplar ad nos tranſmiſit, ſicut & alia quæque vetera inſtrumenta & ſcripta quæ in Lotharingia & Alſatia, & in vicinis Germaniæ monaſteriis comparare potuit : ſed nec curis aut laboribus, ſive etiam ſumtibus parcit, ut actis ſanctorum noſtrorum illuſtrandis, aut annalibus Benedictinis concinnandis ſuppetias ferat. Ex eo nonnulla quoque didicimus de monaſteriis, quæ à beati Leonis parentibus conſtructa à Vuiberto dicuntur. Quatuor potiſſimum recenſentur, Hiſſa, ſancti Cyriaci, Lutra & Vuoffenheim. quæ etiam Richerius libro* 2. *Chronici Senonienſis capite* 14. *commemorat his verbis.* Anno, *inquit,* MII. nativitas beati Brunonis..... cujus parentes Heſſam monaſterium ſanctimonialium penes Sareborch ædificaverunt. Aliud quoque monaſterium conſtruxerunt, quod Aldorf dicitur, ordinis ſancti Benedicti, quod in Alſatia ſitum eſt ; tertium etiam, quod Luſtrenſe dicitur, & quartum ſanctimonialium in honore ſanctæ Crucis item in Alſatia, quod Woſeinheim nuncupatur. quæ monaſteria bonis propriis ita ditaverunt, ut ipſorum conventus largiſſime valeant ſuſtentare. *Idem auctor libro* 4. *cap.* 21. *omiſſo Lutrenſi monaſterio, tria alia à beati Leonis papæ patre ædificata & dotata fuiſſe ſcribit. Et quidem Lutrenſe monaſterium ante annos fere quadringentos à beato Deicolo conſtructum fuerat, ſæculo ſeptimo ineunte. At beati Pontificis parentes & ejus avi, ut loquitur Vuibertus, ad ipſum reſtaurandum nonnihil conferre potuerunt decimo ſæculo labente, quo tempore, ut refert auctor vitæ ejuſdem ſancti Deicoli, quam ad annum* DCXXV. *protulimus, Lutrenſe cœnobium, quod devaſtatum fuerat, reſtauratum eſt ab Hugone comite, poſtea monacho, & ejus*

ANN. CH. MLIV. APRIL. XIX. filiis. Ea de re Ottonis M. preceptum exſtat in favorem Baldramni, qui ibidem abbas inſtitutus fuit, ut diximus ſæculo ſuperiori ad annum CMLX. pag. 277. ſubſiſtit hodieque monaſterium Lutrenſe, vulgo Lure dictum, in diœceſi Biſuntina, quod unicum cum Murbacenſi monaſterio abbatem habet, ita tamen ut ille abbas in comitiis Imperii inter Principes duobus ſuffragiis gaudeat. ſed pace inter Imperium & Galliam anno MDCXCVII. ſancita ea omnia quæ citra Rhenum ſita ſunt, ad Francorum imperium pertinere debent, ac ſic utrumque illud monaſterium hodie ſub Gallica ditione ſitum eſt. Hiſſa etiamnunc priſcum nomen retinet, vulgo
* Sarbourg. Heſſo, una circiter leuca diſtans à Sarburgo *, Lotharingiæ opido ad radices Voſagi montis.
* Haute-ſeille. Hic locus in prioratum, uti vocant, ſimplicem redactus abbatiæ Alta-ſilva * ordinis Ciſtercienſis unitus eſt. Altorfenſe * monaſterium, quod ſancti Cyriaci appellat Vvibertus, hodieque ſubſiſtit
* Altorf. Ordini Benedictino addictum, haud procul à Molshemio Alſatiæ urbe non ignobili ſitum. De eo Bucelinus in Germania ſacra. Vvoſenheimenſe denique cœnobium poſt varias fortunas in cellam redactum, ac pene omnino dirutum jacet. Ejus ſola ſuperſunt rudera, cujus eccleſiæ aliorumque ædificiorum muri abſque tectis etiamnunc viſuntur haud procul ab Egarſemio opido. à quo uno circiter milliario Vvoſenheimenſis parthenon diſtabat, quatuor vero aut quinque à Columba-
* Colmar. ria *, ſupremi Alſatiæ ſenatus ſede. Ceterum illud eſt ipſum ancillarum Dei monaſterium ſanctæ Crucis, de cujus advocatia diſceptabant Hugo & Gerardus beati Leonis nepotes tempore Gregorii VII. ut patet ex ejus epiſtola 14. libri 2. ad Guarnerium Argentinenſem & Burchardum Baſileenſem epiſcopos, ubi idem pontifex teſtatur iſtud monaſterium ſanctæ Crucis, in terra hereditatis ſuæ à beatæ memoriæ Leone papa fundatum, ac propriis opibus ejus conſtructum, ſanctæ Romanæ eccleſiæ, cui pie & ſancte præſidebat, in proprium jus ab eo fuiſſe traditum. Data eſt XIV. Kal. Novembris indictione XIII. Præter hæc Ludovicus beati Pontificis
* Maur-munſter. avus, ſi Johanni de Bayon credimus, dicitur cellam ædificaſſe monachis Mauri-monaſterii in honorem ſancti Quirini, haud procul à Daſburgo caſtro. quod quidem caſtrum præcipuam Hugonis beati Leonis patris ſedem fuiſſe aiunt; quin & alia cella eidem vicina habetur ſub titulo ſancti Leonis, cujus rudera ſuperſunt in veteri caſtro, quod ſicut & comitatus ipſe Daſburgenſis in comitum Linangiorum Lutheranæ ſectæ poſſeſſionem devenit. qua vero ratione hic comitatus è beati Leonis familia tranſierit ad exteros, exponit Richerius in Chronico Senonienſi libro 4. cap. 21. Caſtrum illud, quod validiſſimum erat, hodieque priſtinum nomen retinet, Daſbourg ſeu, ut vulgus loquitur, Dabo dictum, ſitum in rupe Voſagi montis verſus Alſatiam, ad quam attinet, cum ſubjecto ſibi opidulo & vicino tractu. Deſtructum fuit jubente Francorum rege anno MDCLXXVIII. ſed jam ad beatum Leonem redeamus.

Ejus mortis tempus. 7. De Leonis extremo anno nulla videtur eſſe difficultas, eum quippe anno MLIV. ad ſuperos abiiſſe conſentiunt omnes, præter ſolum Vvibertum, qui annum ſequentem aſſignavit. Id ex librariorum vitio in Vviberti textum irrepſiſſe cenſent Bollandiani; & quidem veri ſimile eſt hunc errorem proveniſſe occaſione electionis Victoris II. ejus ſucceſſoris, quæ nonniſi anno fere integro poſt Leonis obitum facta fuit. Sic tamen habent non ſolum editi, ſed & codices 2. mſſ. bibliothecæ Remigianæ apud Remos, quos conſuluimus. ſed ut ut ſit, unico Vviberti teſtimonio præferendum cenſemus aliorum omnium ſcriptorum, etiam æqualium, conſenſum. Ceterum Leo ſtatim poſt mortem coli cœpit, non ſolum Romæ, ubi ſacrum ejus corpus quotidianis miraculis
Cultus. coruſcabat, verum etiam Beneventi, ubi ædificata fuit in ejus honorem eccleſia, & feſtum ipſius celebratum. Idem de ſua Signienſi eccleſia teſtatur Bruno. Nomen ejus exhibent Kalendarium Breviarii mſ. Caſinenſis monaſterii, quod ſub Oderiſio abbate exaratum eſt, & primum ex Capuanis, quæ à Michaële Monacho in Sanctuario referuntur. quod & in aliis paſſim occurrere non dubitamus, in quibus, ſicut & in Martyrologio Romano, die XIX. Aprilis celebratur. Non enim Romæ ſolum aut & in Italia feſtum ejus recolitur, ſed & in aliis quoque regionibus memoria ejus celebris eſt, potiſſimum in Tullenſi diœceſi, ubi ſub ritu duplici celebratur, & apud noſtros Remigianos ſemiduplici. Idem fit in diœceſi Baſileenſi ex Johannis à Schonavv epiſcopi mandato. nec dubium eſt quin idem præſtetur in variis Galliæ, Germaniæ & Belgicæ locis, quæ dum viveret luſtravit, ac ſua præſentia & pontificali benedictione ac variis privilegiis conſecravit ac communivit. Ceterum ſi ob vitæ ſanctimoniam cælitibus adſcriptus eſt, ob doctrinam inter eccleſiaſticos ſcriptores locum obtinuit. De ejus operibus nihil notandum occurrit, quam
Opera. quod ceteri jam obſervarunt. Sigebertus recenſitis ejus operibus, eum ob ea quæ in ſanctorum honorem compoſuit, Gregorio Magno comparat, cap. 149. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Aubertus Miræus vero in notis ad hunc Sigeberti locum, adjicit præter Epiſtolas ejus varias, quæ in Conciliorum editionibus, & Baronii Annalibus habentur, ejuſdem ſancti Pontificis Homilias & ſermones Lovanii anno MDLXV. & Coloniæ MDCXVIII. prodiiſſe, quod idem notavit Cardinalis Bellarminus. Denique ſummam ejus in litteras propenſionem probat, idque veluti mirabile proponit Vvibertus libro 2. cap. 14. quod nempe ultra quinquagenarius tanto ferveret ſtudio, ut divinarum lectionem Scripturarum græco addiſceret eloquio.

Digitized by Google

ANN. CH. MLIV. APRIL. XIX.

PROLOGUS.

VIAM univerſæ carnis ingreſſo pontifice [a] HERIMANNO, ſucceſſit venerabilis BRUNO, vir natalium prærogativa, atque morum elegantia mirabiliter donatus à Domino: qui licet jam quaſi poſtremus appareat in pontificalis deceſſionis catalogo; primus tamen enituit ex ſummi Pontificatus privilegio: & velut Lucifer cæli ſtatione noviſſimus, ſed ſoli propinquior exiit, dum poſt longam deceſſorum ſeriem, ſuo ſacerdotio Leucam urbem, immo totum Chriſtianorum orbem illuſtravit, & verum Solem ſibi vicinum, errorum fugando caliginem, vivacitate ſui nitoris oſtendit. Nec præjudicium incurrit ex poſteritate, qui ante ſæcula divinitus præfixo deſtinatus eſt tempore. Immutabilis enim divinitas, cui cuncta aſſiſtunt acta & agenda ſimul, ſic diſponit alternationes mutabilium, ut non ſibi quidquam ſerum aut præpoſterum ſentiat in ordine rerum. Nempe, ut de reliquis interim taceatur, redemtio generi humano maxime neceſſaria, in fine ſæculorum exhibita comprobatur; & qui plus omnibus laboravit Paulus, poſt Apoſtolos omnes de cælo vocatur, unde etiam abortivum ſemet nuncupaſſe invenitur. Verum ne diutius hîc hæreatur, ſuſcepto negotio ſtilus reddatur, ut de tanto Præſule non tam audita, quam viſa ad ædificationem plurimorum tranſcribantur. Et quidem benignitas ipſius dignata meam parvitatem familiarius ſibi jugiter aſſiſtere, non ſuo ſtudio effecit, ut plura de eo imitanda valuiſſem per memet dignoſcere, nonnulla quoque veracium & gravium relatione, de quibus quædam vix ſummotenus perſtringo, quædam etiam ſciens prætereo, ne aut ſim longus plus juſto, ſeu adulatoris noter elogio; aut, quia adhuc ſupereſt, impugner illo Salomonis proverbio: Ne laudes hominem in vita ſua. Et quoniam propoſitum habemus dona Dei laudare in eo, quæ ſunt laudanda in pagano: non hominem laudamus, ſed illum à quo & per quem omnis homo veniens in hunc mundum illuminatur, ut aut bona cogitet, dicat, vel operetur. Numquid vero tantum Præſulem proteſtamur in hac miſera vita, quæ utique eſt tota tentatio, ſine peccato aliquando vixiſſe, aut vivere, quod nec unius diei infanti valet evenire? Sed quibus eſt ſtudii divinas virtutes in aliquo homine impreſſas ad utilitatem aliorum prædicare, peccata hominis quæ jam à Deo tecta ſunt, nolint ad ejuſdem improperium retegere. Hinc eſt quod Iſraëlitæ juſſu Dei aurum & argentum in vaſa formatum, ab Ægypto aſportaverunt, effigiatum autem in idola omnino reliquerunt. Unde ab ipſius exordio noſter jam ordiatur ſermo, in quo plurimum nobis ſucceſſiſſe credemus, ſi ea tantum, quæ in pontificatu Leucorum laudabiliter geſſit ex aliqua parte quovis ſtilo poſteris tranſmiſerimus. Sapientum autem & præcipue Romanorum erit, ſi quæ ipſe Papa Romanus egit, catholicæ Eccleſiæ fideli pagina non ingrati tranſmiſerint.

Auctor à ſe viſa & audita ſcribit.

Eccl. 11. 30.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I. *Brunonis parentes & genus.*

REverendus igitur Bruno utriuſque parentis lineam adeo retinuit generoſam, quatinus ab ipſis atavis, & ſupra, quicumque ad noſtram potuerunt pervenire notitiam, aut regni ſeu imperii retentaverunt habenas, aut proximas Regibus & Imperatoribus geſtaverunt infulas. Procreatus eſt autem in dulcis [b] Eliſatii finibus, patre HUGONE, matre vero

[a] Herimannus Epiſcopus Tullenſis ex hac vita migravit anno MXXVI.

[b] Alſatia provincia notiſſima ad Rheni ripas, in qua Brunonis parentes multa bona poſſediſſe ſatis patet ex iis quæ diximus in obſervationibus prævis.

Digitized by Google

ANN. CH. MLIV. APRIL. XIX.

HEILEVVIDE: quorum religioſitas multorum ora conſuevit ad laudem Dei aperire. Et pater ejus natione Teutonicus, Imperatoris Conradi conſobrinus [a], in patria lingua atque latina diſertiſſimus, mater quoque latina, æque utriuſque linguæ perita. Quorum patres & avi à prima indole, armis & animis, ſupra modum acies fortiter compreſſerunt ſibi reſiſtentes, ſe ſuaſque defenſando partes, & circa ſenium abjecta omni ſuperbia generis, & luxu mundi, induerunt humilitatem & paupertatem Chriſti, patrimonia ſua dando eccleſiis, cœnobia conſtruendo in ſuis, & ex ſuis prædiis; ſicque tandem perfecte ſecuti Chriſtum, ſeipſos etiam abnegarunt, ſtultaque ſapientia ſæculi omnino poſthabita, ſapienti ſtultitiæ Dei, atque monaſtico habitui tota cordis contritione ſummiſerunt, laudabilique per cuncta fine deceſſerunt. Etenim inter plurima, quæ ſparſim divinis diſtribuerunt templis, duo monaſteria inſtituerunt ex ſuis prædiis [b], ſcilicet Hiſſam in honore beati Martini pontificis, necnon alterum cœnobium venerationi ſancti Cyriaci martyris. Quin etiam Lutrenſe cœnobium patrimoniis ſuis plurimum ampliaverunt. Quorum devotionem imitatus HUGO comes præcipuus, & ejus devotiſſima conjunx, parentes utique præfati domini Brunonis, cœnobium remotæ vitæ aptiſſimum conſtruxerunt Vvoffenheim, penes nobile caſtrum ſuum, Eginiskeim [c] dictum, ex prædiorum ſuorum decimis, in quo ad præſens ſanctimonialium congregatio conſiſtit, ad venerationem & gloriam almæ & victorioſiſſimæ Crucis.

II. Hi denique ambo tantam tamque honeſtam exhibebant cunctis converſationem, ut etiam eccleſiaſticæ perſonæ, & diverſis gradibus functæ, ab Epiſcopis uſque ad laïcos, quiddam imitabile ſibi in eis deprehenderent. Nam, ut modo de multiplici eorum erga Deum vigilantia taceamus, utrum integre reddidiſſent rerum ſuarum decimationem, ſub judicio aquæ frigidæ perſcrutabantur. Per quos dum decreviſſet omnipotens Deus Eccleſiæ ſuæ Præſulem deſtinare, genitrici gravidæ qualem quantamque prolem in utero geſtaret, dignatus eſt præmonſtrare. Nam quadam nocte vir in religioſo habitu per viſum eidem apparuit, & quia maſculam ſobolem magnamque ante Deum futuram concepiſſet edocuit, atque Brunonem nominari juſſit. Qui undecimo Kalendas Julii, anno videlicet ab humanato Dei Verbo milleſimo-ſecundo, Indictione quinta-decima, ubi in hanc lucem fuſus eſt, mirabile dictu, totum ejus corpuſculum invenitur charaxatum * quaſi crucicularum ſtigmatibus. Cujus rei novitate mater permota, & ex prioris viſionis pollicitatione certior effecta, præter ſuam conſuetudinem, à nulla niſi à ſeipſa pertulit eum ſuſtentari lactis alimonia. Quem congruo tempore ablactatum, BERTOLDO ſanctæ Tullenſis eccleſiæ antiſtiti tradidit jam quinquennem liberaliter educandum, litterarumque ſtudio imbuendum. Qui videlicet Bertoldus, genuinæ honeſtatis ſectator mirabilis præ ſuis prædeceſſoribus, Leucam urbem filiis nobilium nobilitavit, in diverſis ſpeciebus theſauros ejus, & decus valde ampliavit, ædificiis quamplurimis decoravit, litteralis exercitii perſonis adimplevit, monaſteriorum normam intus & exterius reſtauravit.

Naſcitur anno MII.

* l. ſcalptum.

III. Tam idoneus itaque vir infantulum præfatum gratanter ſuſceptum, & litteris fecit erudiri, & omni honeſtate ingenuis pueris competenti. In quo cum quotidianis corporis incrementis, accreſcebat ingenua indoles mentis, quæ eum præ ceteris conſodalibus commendabat cunctis. Sicut

Ejus educatio.

a Hugo Conradi conſobrinus dicitur, quod Adelais Conradi mater, & Hugo pater Brunonis ex duobus fratribus Eberardo Adelaidis patre & Hugone Brunonis noſtri avo nati fuerint. Johannes Bayon ejus avum Ludovicum Comitem de *Daſporch* appellat, quod de paterno avo intelligi non poteſt.

b De his monaſteriis fuſe egimus in obſervationibus præviis.

c Situm eſt in Alſatia ſuperiori haud procul à Columbaria urbe, *Colmar*. Porro ſtatuerat beatus pontifex, ut qui ex ſui generis poſteritate major natu in hoc caſtro moraretur, advocatiam monaſterii haberet, ut diſcimus ex epiſtola 14. libri 2. Gregorii papæ VII.

Digitized by Google

enim docTiſſimus pater Hieronymus atteſtatur, Mollis cera & ad formandum facilis, quadam tractabilitate naturali divinitus formabatur, etiam ſi exterioris artificis ceſſaret manus. Unde cæleſti præeunte & ſubſequente gratia, cunctorum in ſe benevolentiam provocabat, quia nihil extollentiæ in eo conſpiciebant, ex regalis ſtemmatis atque divitiarum, formæ quoque ac ingenii excellentia, quibus ſolent carnales ſupra modum intumeſcere, moxque detumeſcere. Erat quippe affabilis omnibus, etiam infimis, aſpectu & affatu quoque hilaris, obedientiſſimus non tantum majoribus & coæqualibus, verum & ſuis minoribus. Ejus quidem collegæ, quamvis eo majuſculi exſtiterunt, duo ADALBERONES contribules ſui, ex quibus prior immaturo eſt hinc raptus exitu, Ducis videlicet THEODORICI filius [a], alter autem HEZILONIS Ducis germanus, ac FREDERICI eximii Principis natus, ſub ſcholarum magiſtro, magiſter nepotuli ſui Brunonis conſtitutus, quia tunc pro tempore habebatur ſciolus. Qui poſtea ad antiſtitium Mediomatricæ urbis voto cleri & plebis, magis quam ſuo aſſumtus, vir huic noſtro tempori refulſit adprimè prædicandus. Nam à primævo, ſoli Deo placendi cupidus, ſupra ætatem ſuam & valitudinem, carnem ſuam cum vitiis crucifigere conatus eſt; adeo fervens igne divinitatis, ut ab ipſis chriſtiani tyrocinii rudimentis putaretur perfectiſſimus. Denique ut in præſentia de plurimo ejus cœlibatu, de columbina innocentia, de ſerpentina prudentia, de diſcreta acrimonia, deque matura gravitate, in tenera indole taceatur, in tantum ſemet jejuniis & vigiliis affecit; ut illud beati Job etiam hiſtorialiter dici poſſit: Pelli meæ conſumtis carnibus, adhæſit os meum.

Adalberonis epiſc. Metenſis elogium. — *Job 19. 20.*

IV. *Simul cum eo Bruno ſtudiis vacat.*

Hinc ergo tali collegæ indiviſibiliter gemino connexus affectu ſpectabilis puer Bruno, inſiſtebat litterarum gymnaſio, deque liberalitate ſua ſibi congaudebant mutuo. Quibus etſi adhærebant nobilia examina puerorum, ipſi tamen duo omnibus ſuis conſodalibus præeminuerunt, tam capacitate liberalium ſtudiorum, quam honeſtorum excellentia morum. Nempe ut primum competit rudibus, decurſo artium trivio, non ſolum claruerunt proſa & metro, verum & forenſes controverſias acuto & vivaci oculo mentis deprehenſas expediebant, ſeu removebant ſedulo. Denique quadruvium naturali ingenio veſtigantes deguſtarunt, atque non minimum in ipſo quoque valuerunt, ſicut ſequentia ex parte indicabunt. Igitur cum ibidem pariter educarentur prædicti pueri, domini Brunonis genitrix ſomnio hujuſmodi edocetur de futura promotione filii ſui. Nam videbat quaſi ſeipſam à parte pontificalis cameræ venerandam baſilicam [b] beatiſſimi Protomartyris Stephani ingredi, ſanctæque memoriæ præſulem GERARDUM, in vita & poſt mortem clarificatum miraculis occurrere ſibi, ac ſolventem à propria cervice orarium, quod vulgo ſtola dicitur, eidem repoſuiſſe in manica. Quod utique ceu conjici poteſt, illud portendebat, quod filium ipſius non tam ſedis ſuæ, quam boni ſtudii ſucceſſorem cælitus præſtituebat. Nam cum quintus à domino [c] Gerardo reverendus Bruno computetur, ab ipſo tantum, & non ab aliquo ſequacium ejus videtur prælectus, quoniam, Deo annuente, eum præ illis eſt imitatus. Sed quia omnipotentis Dei pia diſpenſatio conſuevit donis ſuis flagella & tentationes permiſcere, quemadmodum novimus beato Job, atque apoſtolo Paulo, & pænè cunctis electis contigiſſe: dicendum videtur, qualiter in ipſius pubertatis ingreſſu fuerit periclitatus, & mox accedente cæleſti medicina ſalvatus.

V. *A bufone ſauciatur.*

Cum jam ſolito liberiorem à ſcholari jugo adeptus fuiſſet cervicem, multotiens parentum ſuorum inviſebat manſionem: delectatus non tantum

a Adalbero Friderici filius ſedem Mettenſem conſcendit anno MXLVII. obiit anno MLXXII.

b Eccleſiam Cathedralem Tulli S. Stephano ſacram.

c De hoc egimus in appendice Sæculi ſuperioris.

Digitized by Google

ANN. CH. MLIV. APRIL. XIX.

genuina affectione, quantum religioſa eorum converſatione, & libertima domus ſuæ in militibus & familia diſpoſitione. Ergo quodam æſtivo tempore, dum ex more cum eis apud nobile caſtrum, Eginisheim nuncupatum, moraretur, ſuperveniente cujuſdam nocte ſabbati, in amœniſſimo cubiculo ſoporatur. Cujus dextram faciem venenoſa illa rana, quæ bufo nuncupatur ſive rubeta, conſcendit, eique ex anterioribus pedibus unum in genis, alterum autem ſub labio, & ex poſterioribus priorem poſt aurem, alterum vero ſub mento affigens, ſugere ac ſtringere immaniter cœpit. Quo dolore expergefactus, horribilis animalis deprehendit faciei ſuæ incumbere perniciosum pondus. Tanto itaque tamque novo periculo attonitus, à ſtrato ſe ocius corripuit, & immodicum non perferens cruciatum, ictu palmæ poſt aurem libratæ, viroſum illum in eumdem ſtratum ſuum decuſſit, timens ne ſi manu medium arreptum extrahere tentaſſet, acrius irreperet. Tunc nequam ille, licet in ſuo ſuper lectum caſu eliſum ſonitum reddiderit, tamen capitalem pulvillum denuo conſcendere, ipſo perſpiciente, non diſtulit; nam lunaribus radiis tunc illuſtrabatur omne penetral cubilis. Nec mora, famulorum turba repentino dilecti domini ſui clamore accita accurrit, lucernam ſecum exhibuit, ſed peſtiferum illud animal ſub illorum ingreſſu nuſquam comparuit. Inquiritur paſſim diligentiſſima veſtigatione vernaculorum, ſed omni ſupellectili cubilis everſa ac perſcrutata, minime fuit repertum. Sed ſive illud verum aut fantaſticum fuerit, plagas tamen veras, & dolores veros reliquit. Quibus etiam totum vultum, guttur ac pectus tumefactus, uſque ad deſperationem aliquatenus recuperandæ ſoſpitatis eſt infirmatus. Uterque ejus parens, omneſque ſui ſuper hoc miſerabiliter duobus menſibus plenis conſternabantur, ſolum funus jam efferri ſuſpicantes, lugubrem illam exſequiarum pompam continuis ſuſpiriis & lacrymis præſtolabantur. Verum benignus JESUS deſperatis rebus ſuccurrere ſolitus, ſuper plenaria ejus ſoſpitate ſubito parentes ejus eſt conſolatus: & Eccleſiæ ſuæ per hunc relevandæ ſecundum propoſitum ſuum recordatus. Nam cum jam duobus menſibus à lecto per ſe minime ſurgere potuiſſet, jamque concreſcente infirmitatis nimietate, ſine loquela octo diebus permanſiſſet: tandem quadam die apertis oculis, ſupino, ut recubabat, vultu, vigilans conſpexit quaſi luminoſam ſcalam ab ipſo ſuo grabato per ſe ipſam erigi, & feneſtra ad pedes ejus tranſita uſque in cælum porrigi, atque per eam quemdam nimiæ claritatis reverendæque canitiei ſenem deſcendentem in habitu monachali, cujus dextera geſtabat crucem conſpicuam in longo haſtili. Qui ad ægrotum ut pervenit, ſiniſtra manu ſcalam retinuit, dextra vero eamdem crucem primum ori ejus appoſuit, deinde loca tumoris ex ipſa ſignavit, & totius veneni incoctam putredinem poſt aurem extraxit: ſtatimque via, qua venerat, reverſus, dimiſit infirmum habentem ſe melius. Nec mora denique Adalberonem ſuum clericum, tunc tantummodo ejus aſſidentem lectulo allocutus, per eum optato nuntio paternam domum cunctam repreſſit à diutinis clamoribus. Poſt aliquot autem dies omni veneno puſtulæ illius, rupta cute, poſt aurem dextram ejecto, ſoſpes & incolumis evaſit, ſub maximo cunctorum miraculo atque gaudio. Qui ſicut nunc uſque inter commonitoria colloquia tam evidentem Dei miſerationem ſuper ſe agnitam recitare ſuis familiariſſimis eſt ſolitus, profitetur ſe in præfata ecſtaſi beatiſſimum patrem monachorum BENEDICTUM ilico luce clarius agnoviſſe ex qualitate vultus & habitus. Cujus corporis accidentalem dignoſcentiam ita hactenus commemorat, quaſi præ oculis carnis adhuc habeat. Porro ſequentia lecturi deſinent profecto mirari, hunc potius per ſanctum Benedictum, quam per alium quemlibet Sanctorum reſtitutum ſoſpitati: ubi volvente ſermonis rota perpendere poterunt ex paucis, quanto zelo pii amo-

Ex quo graviter laborans.

A S. P. Benedicto ſanatur.

ris

ANN. CHR. MLIV. APRIL. XIX.

ris erga monachorum inſtitutionem & correctionem flagraverit.

VI.

Hermanno epiſcopo Tullenſi paret.

Hinc itaque decedente domino Bertoldo ſuo nutritore, ſuccedenti HERIMANNO non recuſavit æque parere: quaſi illud beati Papæ Gregorii dictum jugiter præ oculis mentis videretur habere: Primus eſſe non audeat, qui ſubeſſe non didicerit, ne obedientiam ſubjectis imperet, quam Prælatis non novit exhibere. Compatiebatur equidem tunc temporis adverſa paſſis, præſertim venerabilibus venerabilis viri Apri cœnobitis, in quos procaciſſimæ adulatorum & invidorum linguæ ſupra modum inſtigabant animum præfati Antiſtitis. Nunc pro eis murum ſemet, quantum poterat, opponebat, nunc quod ſolum poterat, cum flentibus flebat. Ejus etiam annitente auctoritate & induſtria, in ſtatu: quem ab idoneis & prioribus Præſulibus acceperat, integerrime permanſit ſub Herimanno inſtitutio & præbenda canonica, intra beatiſſimi levitæ & protomartyris Stephani clauſtra. Verum quoniam omnia tempus habent, ſecundum quod diſpenſat temporis Conditor temporis expers, qui per quædam aliena ſuos perducit ad ſua, accidit ut eximius adoleſcens à parentibus & conſanguineis aſſignaretur glorioſo Imperatori CONRADO contribuli ſuo, ejus educandus in aula, atque excubaturus in baſilica. Ubi nondum multis decurſis diebus, omnium aulicorum benevolentiam perfecte eſt adeptus, utpote quem gratioſum exhibebat præco ejus converſationis ac prudentiæ, generis ac formæ decus. Unde cum ab eis ibidem Brunones æque vocarentur nonnulli, hic tantum BONUS-BRUNO meruit appellari. Quam prærogativam ita in dies augmentando, ſine ſodalium invidia vendicabat ſibimet, ut & minoribus ſeſe quadam rationabili condeſcenſione aptaret, majoribuſque liberali dignitate per omnia congrueret. Præterea unico & patrio affectu ab Auguſto, Auguſtaque adeo eſt dilectus, ut etiam in ſecretiſſimis eorum conſiliis gratanter admitteretur, & ſententia ipſius reverenter dulciterque exſpectaretur, ac promulgata indubitanter ſuſciperetur. Quem cum quotidie deliberarent, inceſſanterque ambirent ſublimare honore quam maximo, & ut patenter dicam, donare pontificio temporalibus copiis ſupra modum locupletato: ipſe jam præmonitus domni Gregorii irreprehenſibili & aureo ſtilo, cœpit hoc ſuſpectum habere omnino, ne ſibi divinitus imputaretur, quaſi munus ab obſequio: à quo nonnullos conſociorum ſuorum ob aliquantulæ ſublimationis ſpem, nulla corporis poterat revocare fatigatio, nulla rei familiaris annullatio. Unde quia nec ab imperiali latere recedere ſibi licebat, nec taliter obſequi libebat, in animo ſuo tantum Deo conſcio & teſte proponebat, ut ſi cum beneplacito ejus ad quantumlibet pauperrimæ eccleſiæ invitaretur regimen, alacrior ad id accederet, quam ſi eum majeſtas regia ad ſupremæ poteſtatis & locupletationis dignitatem aliquo carnali affectu impelleret. Quod quidem tanto admirabilius eſt habendum in levitate juvenili, quanto rarius deprehenditur & in gravitate ſenili. Sed jam dicendum videtur, qualiter iſte humiliari pro Deo cupidus, paullatim ab ipſo fuerit mirabiliter exaltatus, ſicut in libro Regum per Prophetam teſtatur: Glorificantem me glorificabo; qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.

Afflictis monachis ſancti Apri compatitur.

Degit in aula Imperatoris.

Pauperem epiſcopatum, pinguioribus præferre ſtatuit.

1. Reg. 2. 30.

VII.

In Longobardiam milites ducit.

Anno igitur ætatis vigeſimo-tertio, cum jam alteram adoleſcentiæ hebdomadam fuiſſet ingreſſus, & ab incarnato Dei Patris Verbo MXXV. excurreret annus, vice ſui pontificis Herimanni in expeditione præfati Conradi imperatoris Longobardiam, & maxime ſuper Mediolanum tunc rebellem, præclarus Bruno eſt profectus, Levitico officio inſignitus. Namque illo ſuo Antiſtite annis morbiſque prægravato, ipſe auxiliares militum copias Imperatori venientes à Tullo, ducendas & diſponendas ſuſcepit, tam ejuſdem Epiſcopi, quam Auguſti placito; ſalvo tamen per omnia proprii gradus ſacramento. In illius itaque ſæcularis militiæ diſpoſitione, ſic

Digitized by Google

ANN. CH. MXLIV. APRIL. XIX. repente ſagax apparuit & providus, quaſi hujuſmodi negotiis tantum fuiſſet hactenus exercitatus. Metabatur caſtra ſuis, diſponebat ſtationes cum vigiliis, ſumtus & ſtipendia opportunis adminiſtrabat in locis & horis, ſobria ſufficientia apparatas dapes diſtribuebat ſuorum ſingulis; quos ſic per aſſignata & congrua unicuique officia curabat ordinare, ut tantum pro ſe quique tam nobiles quam privati debuiſſent ſolliciti eſſe. Cujus certe ſollicitudo, & ſuis erat tuitio, & hoſtibus dejectio, & ſibi ipſi digna laudatio. Undè factum eſt, ut reddendo quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & Deo quæ ſunt Dei, per Apoſtolum ſuum præcipientis quatinus omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, quoniam non eſt poteſtas niſi ab ipſo; per alienum quantocius ad ſuum pervenire promeruit. Et quia fideliter ac prudenter inſervivit exterioribus, ad plenum remuneratus eſt interioribus, ut ſuper multa conſtitutus, & Conditori ſuo adhæreret celſius, & proximo compateretur profundius.

VIII. Fit epiſcopus Tullenſis.

Denique inſtante anno ab humanitate filii Dei MXXVI. Leucus præſul Herimannus abſtractus eſt carnis ab hoſpitio, cum quadrageſimali tempore moraretur Coloniæ in quodam ſuo prædio. Extemplo Clerus & populus proviſore orbatus, concordi voto, eademque ſententia confœderatus, diu ſibi deſideratum & dilectum Brunonem conſonis & continuatis expetit vocibus. Hinc totius recraſtinationis impatiens, deprecatorios atque conteſtatorios ſuper tam unanimi electione ſua dirigit Imperatori apices. Quorum, ut compendioſe dicatur, cauſa iſta fuit. Poſt præmiſſam debitæ ſalutationis reverentiam, nimium compunctam ſuæ calamitatis exponunt tragœdiam, dicendo ſe quaquaverſum impeti atque inquietari pæne quotidianis deprædationibus ſive concertationibus, utpote in trium regnorum conſtitutos confiniis, in imperii ſui videlicet finibus, in quibus tanto acrius ab hoſtibus laborarent, quanto longius terrarum ſpatia ab ejus præſentia eos arcerent. Præterea civitatem ſuam à Francorum regibus jugiter repoſci diverſis & multis machinationibus, cui damno reipublicæ ac ſuo, vexationique ſuorum ſi dignaretur obviare, deſignaret eis Paſtorem nobilem ac ſapientem quàm maxime, cujus ſtrenuitas & induſtria ſibi infenſam hoſtium rabiem valeret propulſare. Ad quem utique veſtigandum non eſſet valde laboraturus, quando quidem cleri & plebis unanimitate delectus, penes ejus imperialem majeſtatem conſanguineus Bruno haberetur, Deo boniſque hominibus dilectus. Hunc ſibi notiſſimum, utpote ſuum ipſorum alumnum, & inter ipſos, atque ab ipſis, liberalium litterarum ſcientia eruditum, ſine querela converſatum, & per ſingulos gradus Eccleſiæ regulariter ad Leviticum ordinem provectum: hunc non modo cum ſuburbanis urbani, verum & omnes circum circa expeterent vicinæ plebes, & comprovinciales Epiſcopi. Aut concederet ergo eis cum beneplacito Dei iſtum, aut nullum: quoniam in promtu haberent illud beati Papæ Cæleſtini decretum: *Habeat unuſquiſque fructum ſuæ militiæ in*
Epiſt. 2. *Eccleſia, in qua ſuam per omnia officia tranſegit ætatem. In aliena ſtipendia minimè obrepat, nec debitam alteri ſibi audeat vendicare mercedem. Sit facultas Clericis renitendi ſi ſe viderint prægravari, & quod ſibi ingeri ex tranſverſo noverint, non timeant refutare: qui ſi non debitum præmium, ſaltem vel liberum de eo, qui eos recturus eſt, debent habere judicium.* Et illud domni Leonis præclari doctoris: *Nullus invitis & non petentibus ordinetur, ne civitas Epiſcopum non optatum aut contemnat, aut oderit; & fiat minus religioſa quam convenit, cui non licuit habere quod voluit.* Contra tam evidentem & canonicam auctoritatem, ſi poſſet eis terrena poteſtas violentiam inferre, non tamen benevolentiam eorum ab iſto ſuo electo valeret aliquando avertere. Tandem igitur unanimi & præcordiali prece ipſorum moveretur Imperialis ejus ſerenitas, & magis in hac parte attenderetur Eccleſiæ Dei utilitas, quàm illa quæ ſecundum

Digitized by Google

ſæculum pertractabat altius eum ſublimare ejus conſanguinitas. Interea & ſpeciales litteræ domino Brunoni ſunt directæ, quæ totius Cleri, Abbatum, & cunctarum congregationum, univerſique Leucæ diœceſeos populi taliter nitebantur deſiderium ſeu negotium perorare: quod viduati Paſtore ipſum ſibi concorditer ſolum delegiſſent, & ab Imperatore exigerent, propter Omnipotentis timorem pariter & amorem, nullo pacto eos inde perturbaret; ac ne paupertatem illorum, cujus hactenus bene conſcius erat, abhorreret. Conteſtabantur eum per illum, qui cum eſſet dives, pauper pro nobis factus eſt: nec quod tanti præconii, tantæque nobilitatis perſonam ſibi viles & abjecti præoptarent, majoribuſque ac ſuis meritis congruis urbibus inviderent, ad injuriam ſibi aliqua, quam adhuc in eo non deprehenderant, arrogantia reputaret, propter eum, qui ſe pro nobis humiliavit uſque ad mortem. Liceret eis laboris ſui fructu perfrui, & verſa vice à nutritio ſuo nutriri, quia ſecundum Apoſtolum, laborantem agricolam oportet primum de fructibus ſuis percipere. Conſequens enim foret, ut eccleſia, quæ talem educare meruiſſet, talem & ſibi mereretur deſtituta Paſtorem, qui etiam pro modulo divinitus conceſſo mortalibus, illud ſpeciale boni & ſummi Paſtoris dicere poſſet: Cognoſco meas, & cognoſcunt me meæ. Non vero eos lateret, quod terreni Principis pietas ad majora eum merito conſanguinitatis, & complacitæ illi converſationis promotum ire deliberaret. Itaque ſi ipſos poſt ſe clamantes exaudiendos cenſeret, continuis precibus de reliquo cæleſtis Imperatoris largitatem pulſarent, ut ei cæleſtem ac terreſtrem honorem accumularet. Si autem contemnendos putaret, quia eminentioris dignitatis apici ſæculariter inhiaret, divina æquitas contemtus illorum ultrix ſic accederet, ut nec ad illum cui intendebat, nec ad quemlibet alium honorem aliquando aſcenderet.

Ann. Ch. MLIV. April. XIX. Ab omnibus expetitus. — *1. Cor. 9.* — *Johan. 10. 14.*

IX. Hujuſmodi ergo ſyllabis à domno Notberto, tunc laudabilis vitæ monacho, pridem autem ſancti Protomartyris Stephani canonico, atque Lietharda adhuc quidem canonico ſuſceptis, qui præ ſui comitibus itineris alacres & impigri exſecutores tantæ taliſque cauſæ fuerant deſignati à clero & populis: plurimo varioque curarum æſtu uterque afficiebatur, Imperator ſcilicet, ac dominus Bruno eidem cariſſimus. Et Imperator quidem, quamvis gauderet dilectionem, quam erga ipſum venerabilem Brunonem meram & germanam debito affinitatis, conſiderationeque ſtrenuitatis ejus poſſidebat, multorum laudibus vel teſtimonio commendari & approbari; non mediocriter tamen contriſtabatur, quia illud ſuum deſiderium, quo appetebat illius temporaliter ſublimiorem dignitatem, ſentiebat præpediri. Timebat ne Deum offenderet, ſi Eccleſiæ ejus tam unanimi voto repugnaret: dolebat, ſi tantæ perſonæ pro meritis non reſponderet. Quid hîc multis hæreo? in tanta mentis fluctuatione deprehenſus, per legatos à latere ſuo directos, omnibus ingeniis inde jam ſæpedicti domini Brunonis intentionem revocare eſt conatus, modo conflictationes creberrimas, atque depopulationes illius eccleſiæ commemorando, & paupertatem ſupra modum exaggerando; modo quod in extremis Imperii ſui finibus urbs illa poſita, aut numquam, aut rariſſimè æſtimaretur digna Imperatorum diverſorio: modo quod eumdem nepotem ſuum ſibi per omnia cariſſimum nequiret perferre æquo animo diſgregari à ſe tanto terrarum ſpatio. Parceret igitur ſibimetipſi, & tam ſuæ utilitati conſuleret atque quieti, quam medullitus eum amantis Imperatoris voluntati & perturbationi: potius ſurda aure illos præteriret, qui ſuam ipſorum neceſſitatem ſeu conſolationem, quam ejus ſalutem & honorem pluris penderent; maxime cui ipſe condignam ſuo generi ac merito dignitatem inſtanter prævideret. Verum quia multa conſilia in corde viri, voluntas autem Domini

Imperator electioni obſiſtit ob epiſcopatus paupertatem.

Ann. Ch. MLIV. April. xix. *Prov.* 19. fiet, ut Salomon ait, longe aliter afficiebant ſubditum Deo animum reverendi Brunonis deſtinatæ illi ſyllabæ ab eccleſiæ populis : quorum unanimi & humili invitatione ſentiebat ſe ad humilia invitari ab ipſo Magiſtro humilitatis, qui Rex hominum fieri refugit, & ultro ad crucem venit; nec immemor illius * ſui prioris propoſiti, quo malebat jugiter omni humilitate, vilitate & extremitate contentus Chriſto famulari, quam temporaliter cum aliqua corruptela integræ conſcientiæ, id eſt quavis venalitate ſublimari; quam trimodam compererat dictis beati Gregorii, ſcilicet à manu, ab obſequio, à favore. His utique tribus pediſſequis ambitioſæ venalitatis animadvertens eccleſiaſticas dignitates nimis confundi ac ſubrui, nec facile aliquem ab aliqua iſtarum immunem reperiri; nihil ſibi tutius fore credidit, quam populari electioni ad humilia ſe vel adverſa attrahenti aſſentiri, & imperiali ſuggeſtioni ad magna vel proſpera incitanti reluctari. Denique laudabile eſt quemquam pro Deo proſpera declinare: ſed multo laudabilius conſtat adverſis ſe ſponte offerre. Hinc eſt quod Moïſes ad principatum divinitus vocatus excuſat, & ſe poſtpoſito alium *Exod.* 4. 13. poſtulat, dicendo: Obſecro Domine, mitte quem miſſurus es; atque Iſaïas ad nuditatis ignominiam, multiplicemque paſſionem, nec nominatim deſignatus, ultro ſe ingerit proclamando: Ecce ego, mitte me. His ergo & aliis virtutum incitamentis ſuccenſus, & oleo divinæ gratiæ repletus, rectæ intentionis flammam tanto ſpargebat alacrius, quanto flatibus carnalium affectionum impellebatur acrius. Fiebatque ut illa diſſuaſoria aura à Cæſare veniens & ejus aula, magis augmentaret & confoveret, quam conſopiret aut extingueret ignem divini ſacrificii devotæ mentis in ara. Ita-*1. Pet.* 3. que illam beati Petri ſententiam qua dicit: Humiliamini ſub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore viſitationis; gratanter amplexus, diſruptis cunctæ dilationis nexibus, Imperatori adhuc diſſuadenti obtulit ſyllabas miſſas ſibi à clero & plebibus, ingenua tamen, ut ita dicam, virgineo pudore ora ſuffuſus. Apicum autem tenore clariſſimus Princeps edoctus, ad lacrymas eſt permotus, & uberrimis fletibus atteſtantibus, extrinſecus palam fecit, quanti eum haberet intrinſecus. Demum aliquanto interjecto ſilentio, linguam faminе ſolvit in iſto:

Cujus aſſenſum Bruno obtinet.

» Meam ſententiam ſuper honore tuo, dulciſſime mi nepos, jam diu deliberatam, ſuperna video ſententia impugnari, immo expugnari; cui cogor manus dando, ſicut debeo ſuffragari, quoniam non ſine pernicie noſtrum amborum & multorum poſſum diutius refragari. Pietas Omnipotentis jam nunc tibi in hoc adſit, quæ quid ambobus nobis & omnibus expediat magis novit. Mihi ergo jam libet, quod evitare non licet. Tu tamen gratia Dei contentus, qua ſola crederis ad illius eccleſiæ regimen præelectus nullo venalitatis modo, nec ipſius conjugis meæ, nec cujuſvis mortalium tuæ parti concilies affectus, ne hinc ex te per omnes tibi credendas oves ſerpat hujus ſimoniacæ peſtis nævus. Proculdubio enim qui cœpit in te bonum opus, perficiet quantocius. In ipſius gratuita pietate tuum jacta cogitatum, & ipſe te enutriet, ſecundum veridicum ſuæ divinæ ſententiæ promiſſum. De noſtri autem conſilii & juvaminis ſolatio, quantumlibet illud ſit, ne fias ullo modo dubius: quia ſuper omnes tui ordinis, de tua re proſperanda ſemper ero ſollicitus, quem nobis commendat & indefeſſus labor fidelis erga nos ſervi- minis, & conſanguineus invicem affectus avitæ propinquitatis. Tantum ſatage Omnipotenti fideliter deſervire, & bonorum morum indolem, quæ in te à cunabulis eſt, ſtudeas augmentare. His aliiſque verbis à regali dulcedine roboratus venerabilis Bruno, ſponte laborioſo ſe ſubmiſit oneri in ſolo fiſus Domino, quippe qui noverat ſe non vocari ad proſperitatis gaudia, ſed ad gravium laborum perpetienda pericula.

* Ex verbis ſequentibus è Regulæ Benedictinæ capite 7. deſumtis deſignari videtur monaſtica S. Leonis profeſſio.

Digitized by Google

Adeptus ergo donum pontificalis culminis, in non minimo reliquit contribules aulicæ poteſtatis mærore, qui ejus ſemper innitebantur conſiliis ſalutaribus; quorumque cauſas ſedulo procurabat interventor ſtrenuus. Et licet ei congratularentur de attributo honoris culmine, ſibi tamen dolebant; quod carerent ejus contubernalis familiaritatis, & affaminis prædulci ſolamine. Accepto autem ab imperiali poteſtate digrediendi commeatu, deferuntur illi nova adverſitatis nuntia, in ipſo itineris procinctu, ſcilicet niſi præcaveat ſe fore paſſurum inſidias à Longobardis patrienſibus, qui per id adhuc temporis contra Auguſtum ſuperbis rebellabant cordibus. Nam illis forte diebus regius exercitus Orbam [a] Mediolanenſium opidum oppugnabat, quia ibi infidi infidelitatis apoſtatæ Imperatori ſubjectionem abnegantes latitabant. Commonetur ergo à familiaribus horum inſidias divertendo præcavere, adſtruentibus fore utilius aliam viam quamlibet longiuſculam expetere, quam incaute propter itineris compendium in manus eorum incidere. At ille expers timoris juxta illud Salomonicum: Juſtus quaſi leo confidens abſque terrore erit; ſcuto fidei præmunitus, lorica juſtitiæ, galeaque ſpei ſalutis adornatus, taliter ſe à recto itinere dehortantibus infit: Omnipotentis manibus cunctam noſtræ ſalutis curam committamus, quia nemo valet illi nocere, quem divina voluerit protectio defenſare. Si autem me diſtinaverit igne tribulationis à peccatorum ſcoria expurgare, non abnuo voluntati pii artificis me ad informandum committere, quoniam nec debet figmentum ei qui ſe finxit, quare me feciſti ſic, reclamando dicere. Via regia abſque diverticulo gradiamur, & quidquid nobis ſupernus arbiter præviderit, libenti animo patiamur. Tali itaque commonitorio ſuos ſagaciter adhortatus, cœptum tendebat iter de cæleſti auxilio jam ſecurus. Sed qui erat vas humilitatis dicatum Deo, ne notaretur ſuperbiæ cauterio, ſi omnino refutaret familiarium uti conſilio; partim voluntati eorum obſequitur, ſcilicet ut à grege comitantium cum paucis diſparatus eos itinere præiret diei unius. Interea in cunctis pæne manſionum abditis Longobardorum occultantur inſidiæ, ubi ſpes erat eum cauſa corpus reficiendi debere pernoctare, maximeque apud Iporeium [b] civitatem hujuſmodi inſidiarum parantur fraudulentiæ. At ipſe, ut dictum eſt, paucis, hoc eſt, non plus quam quinque comitantibus, poli axe ſolis calore jam fervente, per medium ejuſdem civitatis ingreſſus, ita ſecure, Dei annuente gratia, omnem illius urbis popularem frequentiam pertranſiit, ut nec in alloquendo quidem ullus ei viam incommodaverit, neque ſibi alium alloquendi neceſſitas ingruerit. Jam autem ſolis ſphæra undas irradiante Oceani, urbem intrant ejus ſequipedes comites poſt terga relicti, moxque ab omnibus inſidiarum latebris accurritur, ac ſi diu quæſita canum præda violenter rapiuntur, in cunctorum vultibus ſolus Bruno requiritur, ſed quem Chriſtus eruerat, inter omnes ſolus Bruno minime reperitur. Toto noctis ſpatio fit de eo quæſtio, abieritne an veniat, ſed nulla veri ratio ejus factum publicat. Naſcitur ſuſpicio, quod jam pridem pertranſierit, ad quem inſequendum celeres diriguntur veredarii. Sed dilectus Præſul jam ad extremos Italiæ fines pervenerat, locumque qui dicitur ad [c] Cameram, ſubintraverat, ubi eum mirabili conſilio divina protectio liberat. Nam ſui pauci comites longinquo defatigati itinere, ibidem ad recreandum diſpoſuerant reſidere. Sed ille præſagus mente, ſolus uno contentus portas pertranſit Cameræ, exſpectaturus ſocios parva refocillandos requie. Cum vero ab eis eſſet ablegatus intra ſpatium duorum ſagittæ jactuum, ſubito prædicti inſecutores

ANN. CH. MLIV. APRIL. XIX. X.

Ex Italia diſcedit.

Longobardorum inſidias evadit.

a Bollandus legendum putat *Ortam*, cum ejus nominis opidum habeatur in ea regione ad lacum, qui etiam Orta vocatur.

b Eporedia epiſcopali ſede & Marchionatus titulo inſignita, in Pedemontio.

c Opidum Mauriennæ-vallis, vulgo dictum, *la Chambre*.

Digitized by Google

ANN. CH. MXLIV. APRIL. XIX.

anhelo curſu adveniunt, laſſos ejus comites jam diſcumbentes reperiunt, raptos retrogrado itinere celeriter Iporeium perducunt; ſperantes ſe diu quæſitam prædam reperiſſe, quos Deus jucundo miraculo quodammodo voluit deludere. Tali itaque conſilio divina virtus malorum nequitiam propria ſpe defraudavit, ſibique fidelem ab ipſorum rabie liberavit, cui etiam mox cuncta ſua de integro ſalva reſtituit, ſuppetiante ejus cognata, nepte RODULFI regis Jurenſis, conjuge ſui germani, nomine GERARDI [a], ſtrenuiſſimi atque elegantiſſimi militis.

XI. Tullum advenit.

Auſpicato ergo curſu cœptum iter exſequitur, à cunctis prætergredien-dis urbibus per viam plauſibiliter excipitur: à propriis civibus ejus deſiderio inhianter attonitis favorabiliter præſtolatur. Tandemque die Dominicæ Aſſcenſionis, tertio-decimo [b] Kalendas Junii, omnium inexplebili gaudio ſuſceptus, præſentibus cunctis Belgicæ Galliæ primoribus, electus ac laudatus, à ſuo conſobrino domino [c] THEODORICO Mediomatricorum præſule eſt pontificaliter inthronizatus. Quique ſciens ſe eſſe debere in domo Dei lucernam non ſub celante modio, ſed ſuper refulgens candelabrum collocandam; ſollicita ſtuduit vigilantia mox expromere divinæ religionis ignem, quo ſemper incaluerat, ac ſibi ſubditos ardenter in ſupernæ virtutis zelo verbis & exemplis accendebat. Et ſicuti fertur exemplo ſæculari, quoque magis tegitur tectus magis æſtuat ignis, ita cœpit in eo diu clauſus cæleſtis amoris fervor inardere: ſicut qui ab ipſius infantiæ bona indole ſolitus erat Chriſti inſpiratione ferveſcere. Suum itaque ſagax ſtudium ſuper omnia convertit in propaganda religione monaſtica; quæ præter ſancti confeſſoris Chriſti Apri cœnobium in omni ſua Diœceſi, jam proh dolor! longo tempore refriguerat: Medianenſis [d] namque ac ſancti Manſueti monaſterii Prælatos; qui poſthabito animarum ſibi commiſſarum ſtudio, in ſolo exteriorum dominatu ſe putabant conſtitutos, depoſuit in ipſo ſuæ electionis exordio, atque domno venerabili GUIDRICO, tunc per id temporis Præpoſito præfati cœnobii beati Apri, commendavit, cujus proviſione & ſollerti inſtantia ordo monaſticus, ut adhuc in propatulo eſt, in eiſdem locis ferventer recaluit.

Monaſteriis reformandis incumbit.

XII. Victorioſus vero rex Conradus auditis, fama vulgante, ejus laudabilibus actis, in dies erga illum magis magiſque ardebat affectibus pii amoris, præſagiens ipſum vas fidele ad reformandam ſacræ religionis normam, & ad augmentandam jam defluentem Romanam Rempublicam. Et quoniam cauſis inſtantibus uſque in ſequenti Paſcha diſtulerat ſibi à domno Apoſtolico Romæ dandam imperialem benedictionem: itidem etiam iſti vinculis perfectæ dilectionis aſtrictus differri juſſerat ejus epiſcopalem ordinationem, ubi ſimul unaque in baſilica ſumerent utrique ab eodem cæli Clavigeri Vicario prædeſtinati officii conſecrationem. At ipſe prædeſtinatus Deo amabilis Bruno, cuſtos veræ humilitatis, & ſervantiſſimus præceptorum Dominicæ auctoritatis, cognito quia hic terrenus honor ſibi ab Auguſto collatus aliquos invido dente mordebat, quodque Trevirorum Archipræſul prolatione ſui cujuſdam privilegii huic regiæ voluntati obſtare cupiebat: hic noſter mox adiit Regem obnixo precamine, ut à tali deſiſteret conamine, malens ſe honore hujus benedictionis carere, quam in alicujus diſſidio contradictionis contra quemquam remanere. Vix ergo &

[a] Is à Johanne de Bayon dicitur comes Freimsheim, qui occiſus eſt in conflictu quodam adverſus Regnibaldum. Et dubio procul pater fuit duorum beati Leonis nepotum, qui memorantur in epiſtola jam laudata Gregorii VII. lib. 2. epiſt. 14.

[b] Bollandus legendum cenſet, *Decimo Kalendas Junias*, quia inquit, Paſcha fuerat die 10. Aprilis, Cyclo Lunæ 1. Solis 27. Littera dominicalis B.

[c] Obiit anno MXLVI. à Sigiberto dicitur frater ſanctæ Cunegundis uxoris beati Henrici Imperatoris.

[d] Monaſterium-Medianum, vulgo *Moyen-moutier*, in Voſago. monaſterium vero S. Manſueti in ſuburbio Tullenſi: utrumque perſtat ſub Congregatione S. Vitoni, ſicut & tertium beati Apri, in altero Tullenſi ſuburbio, *S. Evre*, de quo etiam hic agitur.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLIV. Airil. xix.

cum difficili labore domnum Auguſtum ab ea voluntate reſipiſcere cogens, ac ipſius dulci commeatu Belgicam Galliarum repetens, à domno archiepiſcopo Trevirorum Poppone [a], pontificalem humiliter popoſcit benedictionem: atque inter ſe ſtatuerunt tempus hanc ſanctam fieri ordinationem. Trevirim ergo venitur, conſuetus ordo conſecrationis inquiritur: ubi durus quæſtionis ſcrupulus omnem rem peragendam diutius intricat, ita ut omni imperfecto labore jam dictus dulcis Pater fruſtratus domum redeat. Nam à prælibato Archipræſule quoddam privilegium promulgatur, in quo hæc lex ſuperflua atque impoſſibilis à nemine ſervanda continebatur, ſcilicet ut quiſque ſuorum ſuffraganeorum ab eo ordinandus prius ſub divinæ præſentiæ teſtimonio ſpondere debeat, quatinus in cunctis rebus agendis eum ſibi ad conſilium adhibeat, ſublatoque omni excepto, nihil extra ſuum præceptum aut velle, aut, quaſi quidam ſervus, agere præſumat. Memor itaque divinæ Scripturæ fidelis Bruno, quia diſplicet Deo infidelis & ſtulta promiſſio; omnimodis ſe abnegat hujus incongruæ rationis fore ſponſorem, ne per impoſſibilitatis effectum mendacii incurreret offenſam. Diuturno autem ſpatio hujuſmodi alternatim perſtitit litigium, noſtrumque ſæpedictum Patrem re infecta contigit à Treviris habere regreſſum. Quo cognito divæ memoriæ Conradus auguſtus, ad ſuum palatium Vvormatiæ utroſque convocavit concitus, ipſiuſque innitente auctoritate, tandem vicit Archiepiſcopum juſtæ rationis præmonſtratio, atque ceſſit à ſuperfluo, quod injuſte exigebat, profeſſionis voto: tantum requiſivit ab eo ſponderi, quod in eccleſiaſticis negotiis agendis, ipſius uteretur auctoritate conſilii. Hac ergo accepta ſponſione, quinto Idus Septembris, cum ſumma omnium gratulatione, fit ſancta ordinatio, atque demum utrique inviolabiliter perſtitere in perfectæ amicitiæ ſoliditate. Hoc vero idcirco tam expreſſe perſtrinximus, ut cujuſmodi fuerit humilitatis hic vir liquido panderemus, & ad evitandum mendacii nævum, prout homini ſit poſſibile, quantum exſtiterit cautus.

Margin: Ejus ordinatio dilata. — Ordinatur.

XIII. *Monaſteriis præficit Guidricum abbatem.*

Igitur ad ſedem propriam repedans læto cunctorum excipitur tripudio, moxque uti ſua erga ſanctum ac glorioſum Aprum major erat devotio, domnum religioſæ vitæ & converſationis virum jam dictum GUIDRICUM, ſub nomine abbatis eidem præfecit cœnobio; voluntate & petitu domini GUILLELMI [b] ipſius loci tunc temporis venerabilis Patris: cujus ſancta fama cis mare per cunctos fines orbis exſtitit memorabilis. Hujus præſulis ſolatio non minimum ſudavit prælibatus pater Guidricus in ampliando ſui cœnobii decore; quod jam pæne labens incœpit à fundamentis inſtruere, cui idem Pontifex triginta librarum ſupplementum ſua contulit largitate. Eumdem etiam delegit abbatem ſupra prænominatas Medianenſis, ſanctique Manſueti abbatias, quibus ad augmentandum in eis ſanctæ religionis ſtatum, nonnullas tribuit eccleſias. Quin & in Portus-ſuavis [c] cœnobio à ſuo prædeceſſore, ex pontificalibus ſtipendiis inchoato, ſed à ſe ſtudioſo labore ædificiis & ſumtibus ad unguem adornato, devotam Sanctimonialium conſtituit congregationem, atque nobilis generis vitæque laudabilis quamdam, nomine BERRENNAM [d], ipſi cœtui matrem ordinavit: cujus inſtanti ſollicitudine, divini fervor ſervitii ibidem floreſcendo crevit, & divina opitulante gratia, in longas poſt generationes creſcendo florebit. Inerat quoque ei mirabilis & honeſta morum elegantia, adeo ut cum

Margin: Morum ejus comitas.

[a] Poppo eccleſiam Trevirenſem ab anno MXV. uſque ad MXLVII. quo obiit, adminiſtravit.

[b] Is eſt beatus Guillelmus Divionenſis, cujus vitam dedimus ad annum 1031. qui Vvidricum ſibi ſubſtitui curavit.

[c] Cœnobium prope Mirecurtium, *Mirecourt*, in Lotharingia ſuperiori, ſeu Voſegienſi; hodie in collegium ſeu abbatiam nobilium canonicarum ſæcularium, ordinis Benedictini, converſum, vulgo *Poucé* dictum. Moniales vero ibi à S. Leone anno 1043. inſtitutas fuiſſe ſcribit Johannes de Bayon in hiſtoria Mediani-monaſterii.

[d] Boll. *Berzennam*. Johannes de Bayon ſupra laudatus *Berhennam* appellat.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXLIV. April. XIX. ſplendido corporis decore, quem illi ſuper cunctos illius temporis contulit Omnipotentis munificentia, quidquid agebat cunctorum animis complaceret, quidquid dicebat, omnium corda intimo amoris effectu delectaret. Cum ſerpentina aſtutia tantum pollebat in eo columbina ſimplicitas, ut ab hujus ſæculi prudentibus, omnium videretur ſuperior in prudentia, & à divina ſapientibus mire coleretur pro puræ mentis innocentia. Tanta largitatis abundabat caritate, ut pæne cuncta diſtribuens indiſcrete, in aliorum opulentia, ipſum multotiens contingeret indigere. Eleemoſynarum virtuti ante omnia & ſuper omnia inſudabat, nec pro ullo ſæculari impedimento quemquam diem omittebat, quin omni mane ipſe per ſe pauperum turbæ deſerviret, ac dominico exemplo, eorum veſtigia abluendo, victum ſufficientem tribueret. Devotione contriti cordis, & compunctione lacrymoſorum gemituum inundabat mirabiliter, adeo ut nihil ſacræ orationis, nullum divini ſacrificium officii ſuperno vultui præſentaret, quin continuo lacrymarum flumine faciem & pectus irrigaret. Tali ſe holocauſto in conſpectu divinæ majeſtatis mactabat aſſidue, ſciens certiſſime, ſacrificium gratum Deo ſpiritum contribulatum fore. Sapientia divinarum humanarumque artium in eo refulgebat ampliſſima, maxime artis delectabilis muſicæ peritia, qua antiquis auctoribus non modo æquiparari poterat, immo in mellifica dulcedine nonnullos eorum præcellebat. Nam componens Reſponſoria in veneratione glorioſi martyris Cyriaci [a], ſanctique Hidulfi Trevirorum archiepiſcopi, necnon beatæ Odiliæ virginis, atque venerandi Anglorum apoſtoli Gregorii Doctoris, divini laudes ſervitii mirifico decore ampliavit. Humilitatis quoque ac patientiæ donum ita in eo enituit, ut ſi forſan aliquem ſubjectorum pro ſuæ culpæ noxa increparet, utque fieri ſolet, ille impatientiæ motus felle multa improperiorum convicia arguenti Præſuli irrogaret; iſte pro verborum injuriis non verbera, ſed lacrymas condolendo impenderet.

Muſicam callet.

Ejus patientia.

XIV. His ergo aliiſque bonis actibus perſpiciens eum cluere humani generis adverſarius, ejus piæ religioni modis omnibus contraire nititur: & licet non poſſit eum uſquequaque à recto deviare tramite, tamen per ſuos ſatagit ſatellites, tentationum & adverſitatum ſpiculis à ſancto propoſito deterrere. Nam quidam hujus primores patriæ eum ſapientiæ luce fulgere cernentes, & in diſponendis regni conſiliis apud imperialem majeſtatem ſuper cunctos pollere invidentes: dum apud aulicos, quos omnes ſibi nimio amore devinxerat, nequeunt ei moliri inſidias, apud exteros contra eum tractant artificioſas calliditatum machinas. Itaque ODONEM [b] vicinæ commarchiæ Francorum Comitem, in beatum Præſulem concitant, eumque multiplici adverſitatum molimine ab imperialis fidei ſtabilitate dejicere laborant. Videres fidem in uno Brunone contra multorum fraudes viriliter decertantem, miranda patientia multorum ſpicula hoſtium æquanimiter perferentem, præcordiali compaſſione ſubditorum ſibi diſpendia dolentem, ipſis inimicis affectuoſa caritate quam facillime indulgentem. Sed non eſt neceſſe, quos bellorum motus, quas eccleſiæ ſibi commiſſæ devaſtationes, prædas, incendia pertulerit recenſere, dum Omnipotentis gratia, de cunctis ejus æmulis in nequitia radicatis, citum dignata eſt finem imponere, ac ſibi fidelem famulum pia conſolatione per

Invidos patitur.

[a] S. Cyriacus patronus eſt monaſterii Altorfenſis, S. Hidulfus Mediani-monaſterii, S. Odilia parthenonis cognominis ſeu Hoëmburgenſis in editiſſimo monte, unde omnis pæne Alſatiæ regio ultra Rhenum ad Silvam-nigram conſpici poteſt. Sancto autem Gregorio dicatum eſt vetus oratorium in Altorfio monaſterio, in quo beati ipſius Leonis parentes ſepulti dicuntur. Reſponſoria autem hîc memorata ab Humberto poſtea Cardinali, ſed tunc monacho Medianenſi; ubi etiam vetus oratorium S. Gregorii, anno 1044. compoſita fuiſſe memorat Johannes de Bayon.

[b] Is eſt Odo Campanienſis nuncupatus, Odonis comitis ex Berta Rodulfi Ignavi Burgundionum regis abſque liberis defuncti ſorore: qui cum Burgundiæ regnum adverſus Conradum ambiret, occiſus eſt à Gozelone prope Barrum. Sepultus eſt in Majori-monaſterio prope Turonos, juxta patrem ſuum loci reſtauratorem.

viſum

Digitized by Google

viſum voluit relevare. Siquidem dum adhuc adverſitatum angoribus arctaretur, quadam nocte multiplicum ſollicitudinum feſſus laboribus, miſeriam ſibi ſubjecti populi revolvendo, lacrymabiliterque ſuis eam reputando criminibus, ſoporatur, ac videt in ſomnis quemdam angelici vultus præferre ſibi ſphæram ſupra ſolis ſplendorem fulgidam, quæ videbatur in ſe totius mundi retinere machinam, in qua etiam ſpecialiter ei oſtendebantur duo præclaræ formæ homines. Quorum dum nomina eorum diſcere cuperet, hujuſmodi vox ſuas pervenit ad aures: Hos Mariam Magdalenam, Galienumque noveris eſſe Epiſcopum, quorum conſortio te frui in futuro lætaberis. Dumque eamdem ſphæram lætabundus accipiens manibus, ſibi in ſinum vellet ponere, præſago futurorum eſt experrectus ſopore. Nec mirum hunc beatæ Mariæ dici fore conſortem, cum par erga Deum dilectionis affectus, & continuus lacrymarum velut fontanarum aquarum decurſus, ejus meritorum illum reddiderit participem. Quamvis autem à nobis adhuc ignoretur, quis iſte Galienus exſtiterit, non eſt tamen dubium magni eſſe eum meriti, quem divina vox tantæ laudis viro coæquaverit. Quam viſionem ſubſecuta eſt efficax divinæ gratiæ conſolatio, præfato Odone, Comite per bellicoſum noſtræ patriæ Ducem GOZILONEM turpiter morti tradito, ac pace per hunc beatum Præſulem reſtituta, non ſolum Lotharingiæ regno, verum etiam adjacentibus provinciis, Chriſti annuente ſuffragio. Nam ejus intercurrente ſapientia, legatione & conſilio, eſt Romano adjunctum & corroboratum imperio regnum Auſtraſiæ, quod dudum ab origine tenebat Rodulfus rex Jurenſis Burgundiæ, & idem jam dictus Pontifex eſt directus legatus pro pacis concordia inter ſuprafatum Conradum Romanorum principem ac Robertum Franciæ regem. Quam legationem quam honeſte compleverit, eſt teſtis Francia, quæ adhuc quaſi novum refert, quanta in eo reſplenduerit ſapientia, quæ humilitas, quæ denique in cunctis cœptis efficacia; quam decorus fuerit habitu mentis & corporis, quam congruus in inferendis verbis legationis. Quem cuncti ut patrem nimio amore ſuſcipiebant, quem omnes ut ſanctum ſumma veneratione excolebant. Itaque tanta firmitate pacem & concordiam inter utraque regna ſtabilivit, ut quoad vixerunt præmemorati Principes, cum ſibi ſuccedentibus filiis utriſque Henricis [a], nullus quantumcumque fraudulenta arte diſcordiam inter duo regna ſerere valuerit. Sed invidus humani generis hoſtis perpendens ſe nequire ejus devotionem per ſuos ſatellites à recto tramite deviare; per ſe in illum divino permiſſu inſurgens, nimio corporis aggravat languore continuatim annuali tempore. Aderat tota lugubris plebis multitudo, de ejus ſoſpitate deſperans: aderat etiam cœtus medicorum dolorem deſperativis verbis augmentans; omnium rigabant ora lacrymæ, ipſi quoque jam defecerat ſpes vitæ. Tunc divino admonitus inſtinctu, jubet ſe nocturnali hora ante ſancti Blaſii altare ferri, confiſus ſe ejus dignis meritis à præſenti anguſtia citiſſime liberari. Itaque ibidem raptus in ecſtaſi, non dico per ſomnum, qui eum omnino aufugerat, videt quaſi ſanctum Blaſium ab altari progreſſum ſeſe inviſentem, atque modum languoris compatienter exquirentem, cunctiſque ſuis languentibus præcordiis apertis, veluti ipſe ea conſpicaretur, miſericordi manu abluentem, ac medicamine refoventem, omnibuſque ſuo loco reſtitutis, eo quo venerat redeuntem. De qua ecſtaſi regreſſus, ſoſpes de lecto ſurgens, circumſtantes advocat, viſionem lætus pandit quam viderat, ac ſicuti prælibatus Martyr juſſerat, reſponſorium: Quis deus magnus ſicut Deus noſter, cum præſentibus in vo-

An Chr. MLIV. April. XIX.

In morbum incidit.

A S. Blaſio ſanatur.

[a] Henricus ſcilicet I. Franciæ rex Roberti filius, & Henricus II. ſeu III. Niger dictus, Imperator qui Conrado II. Salico dicto, ſuo patri ſucceſſit anno MXXXIX.

ANN. CH. MLIV. APRIL. XIX. ce jubilationis concinit, & nocturnis impletis officiis, pedibus propriis alacer domum rediit.

XV. Brunonis matris pietas. Verum quoniam majora exarare ſtilus properat, videtur congruum, ut quiddam de ejus matre dignum memoratu brevi referat. Nam quanta illi fuerit devotionum ſerenitas, quanta uſque ad noviſſimum quadrantem eleemoſynarum lagitas, quam diutina in divinis orationibus, vigiliis, jejuniiſque inſtantia, quam longanimis in carnis maceratione pænitentia, non eſt facile promere verbis, cum ipſe finis in quo omnis laus canitur ſecure, manifeſte prodiderit. Siquidem in tantam corpulentiam ſuperflui abundantia humoris ejus corporis quantitas excreverat, ut vix rheda poſſet vehi quo opportunitas commonebat. Quæ gravitas corporis, quoniam ſibi videbatur intolerabilis, multotiens Chriſti gratiam profuſis exoravit lacrymis, ut ſicut unius matris eam protulit alvus mundo, ita unius mulieris ulnis poſſit terreno mandari ſepulcro. Cujus vocem exaudivit Oriens ex alto. Nam diutini maceratione languoris ita ad ultimum fuit tenuata, ut pæne cuncto humore carnis exſiccato, ſola oſſa, cute & nervis ſeſe tenentibus, viderentur tantummodo cohærentia. *Quæ in morbum incidit.* Itaque ad extremam vitæ metam veniens, cunctis diſtributis quæ ipſa per ſe, exceptis mariti reditibus, ex proprio ſumtu in uſus pauperum expendendo quotidie aggregaverat, ſacra inunctione, ac vivificæ communionis participatione munita, diu exanimis & abſque ullo vitali flatu jacuit, cuncta ejulante familia, cum pauperum viduarum atque orphanorum catervis. Quæ ſubito reſumto ſpiritu rediens; ac confuſum deplorantium clamorem ſedari præcipiens, omnes domo eliminari jubet; ſolamque REGELWIDEM * cœnobii ſanctæ Crucis abbatiſſam cum proprio retinet marito. Quibus cum fletu admirantibus, quid ſibi vellet, ait: „Non me lugeatis quaſi morituram, quoniam „nunc mihi adfuit piiſſima Dei genitrix Maria, quæ me dulciſſima affabi„litate conſolans, promiſit ſecum æternaliter victuram, & in ſempiterna „gloria feliciter conregnaturam. Unum ergo te, ô amantiſſime conjunx, „ſuppliciter oro, ne meæ petitionis verba quæ dictura ſum, moleſto feras animo. Cumque ille ignarus futurorum gratanter ſe impleturum ſponderet, quæcumque illa ex promta voluntate juberet, ait: Peto ut ſicut „nuda egreſſa ſum de utero matris meæ, ita me nudam in tumulo ſuſcipiat „alvus terræ; & quidquid ornamenti ad conſepeliendum mihi paraveras, „in uſus pauperum fideliter erogare ſtudeas. Cujus petitioni quamquam invitus jam præfatus ſponſus annuit, eamque cum ſumma alacritate mentis hominem exutam, modo quo conſtituerat ſepulturæ tradidit. Hæc autem ideo tam ſtudioſe retuli, ut pateſcat præſentibus & futuris, quantæ fidei & devotionis hæc mulier exſtiterit, quamque fervens in eleemoſynarum largitate fuerit. Sed congruum videtur, hic anchoram noſtri navigii figere, quatenus aliquantulum reſpirando, reparatis armamentis, cœptum valeamus æquor efficaciter tranſmeare.

** Boll. al. Regilindam.*

Petit ut ſine ornatu ſepeliatur. Obit.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I. SUſcepti munus operis, Chriſti ſuffragio annuente, proſecuturi, & qualiter ad Apoſtolicam dignitatem pervenerit vir beatus, quæque ei ibidem contigerint, immo quæ per eum, ejuſque temporibus Dominus efficere voluerit, monſtraturi; opportunum videtur præcedentes cauſas ad id pertinentes oſtendere, & quomodo ſuperna gratia ei ventura revelaverit notificare. *Bruno quotannis Romam viſitat.* Summa inerat ei devotio primum Paſtorem clavigerum cæli annuo reviſere recurſu, & pro ovibus à Deo ſibi creditis ejus juvamen ſupplici exorare precatu. Itaque quodam tempore ſolitum aggreſſus iter, comitante cœtu clericorum, necnon laïcorum, quingentorum nu-

Digitized by Google

Ann. Ch. MLIV. April. XIX.

merum ſuperantium, qui pro ipſius meritorum dignitate, affabilitate, ſanctitate, indivulſum ejus ſequebantur comitatum; cunctis ſurrepſit lues dira Italici corruptione aëris, ita ut nulli hac tabe infecto eſſet ſpes in craſtinum differendæ mortis. Vir autem Domini immodice mæſtus de afflictione ſeſe comitantis turbæ, feſtinum repperit remedium, divina gratia præcurrente. Nam Sanctorum, quæ ſecum vehebat, propria manu tinctis vino pignoribus, maximeque ſancti Apri articulis, cui ſe commendabat devotius; quicumque hujuſmodi poculum quantulumcumque libaſſet, mox convaleſcebat, quantuſcumque languor invaſiſſet, ſi tantum liquoris illius ſaporem guſtare valuiſſet. Ipſe etiam pæne dietim toto itinere divini ſacramenti Victimam offerendo, & inter Miſſarum ſollemnia populos adſtantes ad correctionem morum, pænitentiamque commonendo, cunctos piis hortatibus ad ſuperna capeſſenda animavit, & ab imminentis mortis articulo ſanctis precibus liberavit. Itaque toto noctis interſtitio turba comitum & patrienſium, quorum neceſſitas intererat, ad ejus hoſpitium cum luminaribus excubias celebrabant, ac mane per ſanctorum merita, ejus annuente ſuffragio, integram ſoſpitatem reportabant. His ergo cauſis per cunctas Romaniæ partes celerrime divulgatis, vir Domini ſumma veneratione excolitur, ejuſque dilectio omnium cordibus funditus inculcatur.

Itineris comites à lue ſanat.

Hic autem ſuus erat mos aſſiduus, ut nocturnæ quieti membra traditurus, Sanctorum pigneribus ſeſe attentius commendaret, & à ſæcularibus abſolutus curis, in ſancta contemplatione animum relaxaret, atque in ipſa meditatione, neceſſarium corpori ſoporem ſuſciperet. In hac ergo pia intentione quadam nocte ſoporatus, per viſum ad principalem eccleſiam urbis Vvangionum [a] eſt adductus, ubi contemplabatur quaſi conſiſtentem infinitam multitudinem albatorum, quorum major pars videbatur eſſe ſacerdotum, inter quos unum recognoſcebat quondam ſibi familiarem, BEZELINUM archidiaconum, qui ejus comes in Romano itinere exuerat hominem. Quem interrogans quæ eſſet tanta multitudo, audivit hos omnes mundanam finiſſe vitam in Principis Apoſtolorum ſervitio. De hoc intra ſe miranti, veluti cælorum claviger beatus Petrus ſuperveniebat, & illam multitudinem ſancta communione ejus manibus participaturam eſſe aïebat. Quam pontificaliter indutam * idem beatus Petrus, cum protomartyre Stephano, ad altare prædictæ eccleſiæ cum ineffabili cantus melodia deducebant, & ſacris peractis officiis, omnes de ejus manibus vivificum munus percipiebant. Viſum quoque ei fuerat, quod poſt ſacram communionem, ipſi ſanctus Petrus quinque calices aureos conferret [b], alteri autem ſe ſubſequenti tres, tertio vero unum calicem tribueret. Hæc ergo ſuis familiaribus referens, quid portenderent ſecum mirabatur: ſed quis eorum fuerit exitus, in ſequentibus ſuo loco dicetur.

a

S. Petrum in ſomnio videt.

* al. Quem indictum,

b

Alio itidem tempore illi per ſomni quietem videbatur, quod quaſi perſona cujuſdam deformis vetulæ eum importune impeteret, & veluti familiari, ſed tamen ſincero colloquio ſibi adjungi expoſceret. Quæ tam horrendi vultus, diſciſſæ veſtis, hirſutis capillis, atque turpiter erectis videbatur, ut vix quicquam humanæ formæ in ea recognoſceret. Cujus deformitatis horrore nimium perculſus, eam plurimum volebat evitare, ſed ipſa tanto magis illi nitebatur inſiſtere. Qua importunitate victus vir Domini, ei ſignum crucis in faciem imprimebat; at illa ad terram veluti mortua proruens, in admirabilem pulcritudinem denuo reſurgebat. Cujus viſionis terrore experrectus, ad nocturnas ſurrexit vigilias, denuoque in hujus rei admiratione ſopori reddidit membra: cui videbatur in ſomnis adeſſe venerabilis abbas ODILO,

Alia viſio.

[a] Vvangionum civitas ſeu Vvormatia, urbs epiſcopalis notiſſima, ſub Moguntina metropoli.

[b] Hanc viſionem auctor infra interpretatur de annis, quibus tam ipſe quam duo ejus proximi ſucceſſores pontificatum tenere deberent.

Ann. Ch. MXLIV. April. XIX.

quem quaſi rogabat ſibi portendere, quæ eſſet hujus viſionis ſignificatio. Qui lætiſſimus ei tali reſpondit oraculo : Beatus es tu, & tu animam ejus de morte liberaſti. Hæc non eſſe ficta probat idonea virorum ac venerabilium teſtificatio, domni videlicet Vvalteri Leucorum clauſtri Decani, nec non intimi conſecretalis ejus Vvarneheri, qui aſſerunt ſe audiſſe talia cum lacrymis ab illo referri, & quid ſignarent quamplurimum admirari. Nec incredibile eſſe videtur, talia ei à ſumma divinitate præmonſtrata fuiſſe, cum crebro nocturna in lecto ſuſpiria, & frequentes pectoris tunſiones, ac ſtratus ſæpe à veridicis cubiculariis repertus irrigatus lacrymis, oſtendunt illum divina viſione fuiſſe dignum. Nulli autem dubium eſt, quid ſignificet prælibatæ mulieris viſio, quicumque legit pæne ſimile ſomnium Magni Conſtantini pro reſtituenda urbe Byzantio [a]. Nam certum eſt horribiliter extabuiſſe per diverſas orbis partes eccleſiaſticum decorem, immo Chriſtianam religionem, & per eum, Chriſti adminiculante ſuffragio, ad priſtinum reductam eſſe honorem.

II. *In conventu Wormatiæ.*

Interea apud Vvangionum urbem ante præſentiam glorioſi Henrici ſecundi Romanorum Auguſti, fit Pontificum reliquorumque Procerum non modicus conventus. Inter quos hic Chriſto dignus Præſul convocatur : quippe ſine cujus conſilio intra imperialem curiam nihil magni diſponebatur. Et repente, illo nihil tale ſuſpicante, ad onus Apoſtolici honoris ſuſcipiendum eligitur à cunctis. *Papa eligitur.* Quod onus humilitate commonente diutiſſime refugiens, dum magis ac magis cogitur, triduanum conſulendi depoſcit ſpatium, in quo jejuniis vacans & orationibus, omnino ſine cibo potuque permanſit. Cumque denuo repurgaretur ad obedientiæ completionem, ſpontanee coram omnibus ſuam dixit confeſſionem, conatus quaſi quadam ſuorum enormitate ſcelerum, communem permutare electionem. Quis autem queat ejus inundantiam fletuum referre, quos in publica confeſſione emiſit, cum etiam omnium affectus in nimias lacrymas excitaverit ? Unde unanimiter cunctorum ore hæc pia vox reſonabat : Nolit Deus, ut filius tantarum lacrymarum pereat. Videns ergo nullo modo ſe poſſe effugere imperiale præceptum, & commune omnium deſiderium, coactus ſuſcepit injunctum officium, præſentibus legatis Romanorum, ea conditione, ſi audiret totius Cleri ac Romani populi communem eſſe ſine dubio conſenſum. Sicque ad propriam Leucorum ſcilicet ſedem repedans, cum ſumma devotione ibidem Domini celebravit Natalem cum coëſſentia quatuor Pontificum, Hugonis ſcilicet de Ciſa [b] urbe Italorum, legati Romanorum, & Everardi archiepiſcopi Treverorum, Adalberonis quoque Mettenſis, atque Theoderici * Virdunenſis Præſulis. Inde humilitate magiſtra, contra omnium Apoſtolicorum morem, ſumto [c] peregrino habitu, Romanum arripuit iter, indefeſſe ſacris orationibus, ac divinæ vacans contemplationi, non tam pro rerum commiſſarum ſibi, quam pro cura animarum, nimiæ intentus ſollicitudini. In qua meditatione apud urbem Auguſtam ſuſpenſus, divinam promeruit conſolationem, dum in revelatione audivit angelica voce reſonare harmonicam modulationem dulciſſime conſonantem : Dicit Dominus, ego cogito cogitationes pacis & non afflictionis : invocabitis me & ego exaudiam vos, & reducam captivitatem veſtram de cunctis locis. Qua pia conſolatione animatus, & de ſuperno adjutorio cer-

* *ed.* Theodori.

Sub peregrini habitu Romam petit.

a Hanc Conſtantini Magni viſionem refert Sozomenus libro 2. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 3.

b Sic habet codex Remigianus & alii mſſ. apud Bolland. Editi habent *Piſa*, ſicut & Johannes de Bayon in hiſtoria Mediani-monaſterii. ſed Hugo tunc Piſanæ eccleſiæ non præerat. Nullam tamen *Ciſam* urbem epiſcopalem in Italiæ tabulis reperire licuit. Legendum forte *Aſſiſia*. tunc quippe Ugo ejuſdem urbis epiſcopus vivebat, qui anno 1050. corpus S. Rufini tranſtulit, ut monet Ughellus Italiæ ſacræ tomo 1. col. 224.

c Ex hoc loco plane revincitur eorum ſententia, qui aſſerunt Leonem Cluniaci habitum peregrini ſumſiſſe, ex Hildebrandi conſilio, qui eum arguebat quod purpuram geſſerit antequam Romæ ſuſciperetur. Hujus commenti primus auctor videtur eſſe Otto Friſingenſis. Vide Vitam à Brunone Signienſi ſcriptam.

Digitized by Google

ANN. CH. MLIV. APRIL. XIX.

tior jam factus, cœptum iter perficere aggreditur, utque tanti meriti perſonam decebat, eum infinita multitudo undequaque ſupervenientium comitatur. Inter quos quædam religioſæ vitæ ancilla Dei ei adhæret, quæ eum talibus ex præcepto divino admonet verbis: Mox ut prima veſtigia intra valvas eccleſiæ Principis Apoſtolorum poſueris, ne ſis immemor his divinis uti verbis: Pax huic domui, & omnibus habitantibus in ea. Quam Dominicam juſſionem & humiliter ſuſcepit, & devote adimplevit. Venit ergo cum tanto comitatu ſuper [a] Teronem fluvium, qui ita creſcendo proprium prætergreſſus erat alveum, ut per ſeptem dies totum ibi cogeret remorari populum. Vir autem Domini de afflictione plebis diu ſecum exſpectantis, mæſtus cæleſte auxilium invocat, ac benedictionem eccleſiæ ſancti Johannis in vicino conſtructæ inchoat. Sed antequam divinum eſſet peractum officium cœptæ conſecrationis, ita fluvius eſt mitigatus demiſſis undis, ut mox ſecurum iter omni tranſgredienti præbuerit, quod omnis præſens multitudo hujus beati viri meritis contigiſſe affirmavit. Omnipotentis igitur roboratus ſolamine, Romam appropiat, cui tota urbs cum hymnidico concentu obviam ire parat: ſed ipſe pedes longinquo itinere nudis plantis incedit, & magis ad mentis devotionem, quam ad laudum delectationem animum inflectit. Quis autem ejus contriti cordis in devota oratione affectus? quis denique referre queat continuos lacrymarum velut rivorum decurſus, cum nullius cogitatui ſit penetrabile, nedum verbis effabile? Poſtquam ergo diutiſſime ſe taliter Chriſto mactavit in cordis altari, hoſtiam vivam, ſanctam, Deo placentem, etiam adſtanti Clero & populo, divinam, qua plurimum affluebat, ingreditur proferre exhortationem. Imperialem de ſe electionem in tam laborioſo officio brevi ſermunculo promulgat, eorum voluntatem (qualiſcumque erga ſe ſit) pandere expoſtulat. Dicit electionem Cleri & populi canonicali auctoritate aliorum diſpoſitionem præire: affirmat ſe gratanti animo in patriam rediturum, niſi fiat electio ejus communi omnium laude: oſtendit ſe coactum ad tam grande onus ſuſcipiendum veniſſe. Cumque videret unanimem omnium acclamationem, ad correctionem vitæ cœptam repetit exhortationem, ſupplex cunctorum expetit orationem atque abſolutionem. Itaque, divina favente gratia, cunctis applaudentibus conſecratur, ac Dominica quadrageſimalis initii, pridie Idus Februarii Apoſtolicæ cathedræ inthronizatur. Quantus vero fervor devotionis ad Omnipotentis ſervitium in eo excreverit, quanto ſollertiæ vigore ad res eccleſiaſticas diſponendas enituerit, quis brevi explicare valeat, cum pæne nec totus mundus ad hæc enarranda ſufficiat? Non autem ſub clavi ſilentii occulendum æſtimo, quantam indulgentiam ejus dignis precibus HUGONI ipſius germano divina contulerit miſeratio. Nam jam dudum ante ejus ad Apoſtolatum electionem exuerat hominem, atque hic beatus cauſa prædictæ ordinationis Romam tendens [b] Populeium advenerat; ubi ejuſdem prænominatus frater cuidam boni teſtimonii Clerico per viſum apparuit, illiuſque ſuffragium apud domnum Apoſtolicum ſupplici oramine depopoſcit. Siquidem videbatur memorato Clerico prælibatus Hugo, in loco ineffabili amœnitate referto, cum multis collætantibus in curuli ſella reſidere, ſed ſine ſuppedaneo ſcabello pedes ad ima pendentes retinere. Quem cum prædictus requireret clericus ſuper qualitate ſui ſtatus, reſpondebat bene ſibi eſſe in omnibus, niſi quod ad infima laborioſe penderet non firmis pedibus. Petebat quoque, ut idem clericus fratrem ſuum hunc beatum ad Apoſtolicam euntem conſecrationem exoraret, quatinus in introitu valvarum eccleſiæ Principis Apoſtolorum ſui meminiſſet, di-

Fluvii exuberantiam comprimit.

Romam advenit.

Canonice in Pontificem eligitur.

[a] Tevero fluvius, qui ex Apennino monte fluens in Tiberim delabitur.

[b] Incertum an eo nomine Populonium, vel Forum-Popilii intelligendum ſit, utraque enim urbs Romam adeunti æque obvia fuit.

ANN. CH. MLIV APRIL. XIX.

cens quod ejus precibus divina pietas ſibi indulgentiam concederet. Quam viſionem præfatus clericus ſancto Pontifici retulit, ac eum ad Chriſti gratiam pro ſalute fratris exorandam animavit. Qui poſtmodum per viſum eidem domno Apoſtolico apparens, lætus innumeras reddidit gratias, quia ejus meritis ſuperna clementia à cunctis eum laboribus abſolverat.

III. *Leonis nomen ſuſcipit.*

Igitur hic Deo devotiſſimus mores & vitam Magni Leonis imitatus, cujus & vocabulo fuerat inſignitus; immo Leonem de tribu Juda pro poſſe ſecutus, omnibus exemplum bene vivendi fiebat; lucerna ardens & lucens, non ſub modio, ſed ſuper candelabrum præeminebat, utque verus ſal terræ condimentum ſupernæ ſapientiæ cunctorum mentibus infundebat. Verum licet omnium virtutum gemmis Chriſti decoraret diadema, hæ tamen ſplendidius in eo relucebant, miſericordia & patientia: celer erga delinquentes in danda indulgentia, mira compaſſione collacrymans propria confitentibus ſcelera, in eleemoſynarum largitate, etiam uſque ad ſui indigentiam indiſcrete prærogans omnia. Sed quoniam cunctis divino inſtantibus ſervitio ſolet ſtimulus ſupervenire adverſitatis, divina ſcilicet probatio, quæ oſtendit cujus fervoris ſit erga Deum cujuſcumque mentis affectio; hic Pater venerandus, dum in initio ſui adventus Romæ commoratur, aliquanto anguſtiæ & mæroris dolore perſtringitur. Nam ibidem adveniens, nihil Pontificalium ſumtuum invenerat: jam enim erant in domeſticos uſus abſumta, immo in eleemoſynarum prærogationem cuncta quæ ſecum attulerat diſtributa. Defecerant cunctorum ejus comitum plenæ delatæ crumenæ: non erat ulla ſpes opis, niſi proprias veſtes ad minus pretium vendere, & quacumque ſecreta arte benigniſſimum Patrem in patriam fugiendo reducere. Quorum renitendo conſilio, vir beatus in divino confidere ſolatio ſagaciter admonebat: ſed tamen illorum afflictioni miſericordi affectu ex intimis condolebat. Inſtante autem die, quo cuncti comites ejus diſpoſuerant clanculo recedere, ecce adſunt legati nobilium Beneventanæ provinciæ, deferentes xenia Apoſtolicæ congrua dignitati, ejus benedictionem atque ſolatium ſuppliciter depoſcentes promereri. Quos Deo dignus Præſul, ut ſuam decebat honorificentiam, ſuſcepit, ſacra benedictione roboravit, non tam lætus de oblatione munerum, quam Deo rependens grates de devotione fidelium. Dehinc ad præſentes præ nimia anxietate pridem diffidentes converſus, continuo caritativa increpatione in eos invehitur, & de Dei miſericordia numquam amplius deſperare nec diffidere cohortatur. Extunc beati viri fama divulgatur per populos & uſque ad mundi fines, cunctaſque gentes ejus pervagatur rumor: Chriſti ubique prædicatur gloria in ſuo admirabili famulo, nomen Papæ Leonis quocumque orbe terrarum reboat ore conſono. Nec mirandum rationabilem creaturam in ejus reſonare laudem, cum etiam irrationabilia animalia (mirum dictu) illius prædicando nomen humanam formarent vocem. Nam ſicut à veridicis fertur relatoribus, apud Beneventum gallus frequenti voce ejus nomen repetebat, & naturalem emiſſurus vocem, cunctis mirantibus; [a] PAPA LEO, inſonabat.

Mire ditatur. *Fama ejus pervolat.*

IV. *Canis loquitur.*

Dicitur etiam illis temporibus in finibus Apuliæ canis exſtitiſſe, qui latrando ſolitus erat humanis verbis, DEUS MEUS, inclamare. Non autem eſt incredibile, brutum animal in ea regione Dei miſericordiam quocumque modo invocaſſe, dum certum eſt Chriſti religionem ibidem pæne omnino deperiſſe, accolaſque illius patriæ alienæ poteſtati [b] ſubditos eſſe, ut ad invocationem ſuperni auxilii ſaltem irrationabilis pecudis excitarentur voce. Fama igitur eximiæ laudis ejus uſquequaque propalata, præter

[a] Hujus galli occaſione, nonnulli, uti videtur, ſcripſerunt, quod quacumque tranſiret beatus Pontifex, ſtatim galli voce humana clamaret, *Leo Papa*. Vide Richerium Chronici Senon. lib. 2. cap. 14.

[b] Normannis ſcilicet, qui tunc Apuliam obtinebant.

ANN. CH. MLIV. APRIL. XIX.

ſolitum multos animabat ad viſenda ſummi Apoſtolorum Principis limina, qui omnes ejus recreabantur conſolatione & roborabantur benedictione: ſi quibus autem obſtabat impoſſibilitas ejus frui præſentia, cum fide propria ei dirigebant xenia, recepturi ab eo Apoſtolicæ benedictionis donaria. Illud etiam habebat conſuetudinarium cum aliis bonis actibus, quia ſi quid Apoſtolico more ſuis offerebatur pedibus, nihil patiebatur in ſuos ſuorumve expendi uſus, ſed cuncta pauperum largiebatur neceſſitatibus. Inter multos ergo, qui ejus ambiebant præſentiam inviſere, Rex Danamarchiæ [a] tranſmiſit illi avem pſittacum in munere, in quo quædam divina apparuit gratia, admirabili virtute. Quamvis enim quædam aves humana formare verba diſcant magiſtra fame, hæc tamen (ut fertur) nullo cogente toto itinere dum ad domnum Papam deferretur, ad Papam vado, recinebat; & mox ut ei eſt præſentata, nemine docente voce dulciſona, Papa Leo, inclamabat. Si quando etiam hic Paſtor venerandus, exteriorum diſpoſitione laſſatus, ſeſe in ſecreto conclavi reciperet, aut forte nimiis ſollicitudinibus afflictum ejus animum aliqua mæſtitudo artaret, hæc avis ægritudinis illius levamen frequenter aderat, & concinne ac reciſe Papa Leo reſonans, robur mentis illi excitabat. Nec videatur cuiquam reprehenſibile hunc juſtum in ſui conſolatione hujus avis uſum modulatione, cum legamus beatum Auguſtinum pro exitu ſuæ matris inconſolabiliter lamentantem, muſicam melodiam ad levamen mæroris ſibi adhibuiſſe, ſanctumque Antonium rigori monaſtico aliquantulum oblectamenti, certo tempore conceſſiſſe. Quantam autem ſolertiam in Catholica lege conſervanda adhibuerit, in primo Romano Concilio [b], quod multis Epiſcopis conſidentibus habuit, demonſtravit: ubi ſtatuta quatuor Synodorum principalium viva voce corroboravit, decretaque omnium anteceſſorum ſuorum Pontificum tenenda confirmavit; Simoniacam etiam hæreſim damnavit, quæ jam nonnullas mundi partes invaſerat, & in eodem Concilio quoſdam depoſuit Epiſcopos, quos prædicta hæreſis nævo ſuæ nequitiæ maculaverat. In quo Concilio quid contigerit, non congruit reticere, ubi Chriſtus auctoritatem ejus ſua dignatus eſt gratia roborare. Nam Epiſcopus [c] de Sutrio reus ejuſdem culpæ accuſatus, voluit injuſte ſe excuſare, falſis prolatis teſtibus: ſed peracturus juſiurandum, repente eſt divinitus perculſus, & inter manus exportatus, non longo poſt tempore humanis rebus eſt exemtus. Cunctis hoc audientibus nimius incutitur timor, ne quem in ejus præſentia ad falſum judicium humanus impelleret pudor. Decimas quoque à cunctis dandas Chriſtianis, quarum nec mentio erat apud Apuliam, & per quoſdam orbis fines eccleſiis reſtituit; venditiones altarium ſub anathemate prohibuit: ſed conſtituit ut partes decimarum ad Epiſcopum pertinentes, aut quiſque Præſul ſibi teneret, aut cuicumque vellet tribueret: partem autem ad altare pertinentem proprio Paſtori eccleſiæ gratis concederet. Inceſtas conſanguineorum nuptias, in multis orbis partibus indiſcrete habitas, diſſcidit, pluresque nobilium hoc turpi devinctos nexu ſeparavit. Alia quoque perplura canonum capitula ſtuduit renovare, quæ ne faſtidium gignant, hîc ſuperſedimus recitare. His ſanctis inſudans ſtudiis, antiquam repetit patriam, ſuſcipiturque à totius gentis nobiliſſimo atque reverendiſſimo archiepiſcopo HERIMANNO apud Coloniam. cujus petitu conceſſit domnus Papa hoc privilegium ſedi eccleſiæ Colonienſis, ut ad altare ſancti Petri, ſeptem Preſbyteri Cardinales quotidie divinum celebrarent officium in ſandaliis. Dedit ei quoque

Leo oblata ſibi pauperibus dat.

Concilia cogit.

Coloniam venit.

[a] Codex Remigian. *Dalamarcia*. Cod. S. Maximini apud Bolland, ut & Johannes de Bayon *Dalmatia*. alius cod. *Dalamichia*.

[b] De hujus Synodi decretis agit Petrus Damiani in epiſtola ſeu opuſculo ad Henricum Ravennatem archiepiſcopum.

[c] Hunc Kilinum appellat Ferdinandus Ughellus tomo I. Italiæ ſacræ, ubi de Epiſcopis Sutrienſibus.

Ann. Ch. MLIV. April. XIX.

a Tum Remos, ubi eccleſiam S. Remigii conſecrat.

b

* *i.* Biſuntinus.

officium Cancellarii [a] ſanctæ Romanæ ſedis, ejuſque ſucceſſoribus, tribuens illi Eccleſiam ſancti Johannis ante portam Latinam. Hinc invitatur ab HERIMARO abbate venerandi cœnobii ſancti Remigii Remorum Pontificis, ad conſecrandam [b] eccleſiam in ejus honore reſtructam: ubi non eſt dictu facile, quanta multitudo à finibus terræ, Hiſpanorum, Britannorum, Francorum, Scotorum, Anglorum, advenerit ejus inviſere præſentiam. In qua præſentia adfuit etiam non modicus cœtus Pontificum, cum quibus advenit venerandus Chryſopolitanorum * Archipræſul HUGO, Deo & hominibus amabilis, præ cunctis jucundæ eloquentiæ & affabilitatis: cui in reſtituendis ſuæ rebus eccleſiæ nemo prædeceſſorum aut ſucceſſorum eſt comparandus, in quo Chriſti tunc apparuit virtus admirabilis. Nam glorioſus Apoſtolicus, ibidem habito Epiſcoporum Concilio, quoſdam ſimoniaca infectos hæreſi depoſuit ab injuſte ſuſcepto officio. Inter quos HUGO Lingonenſis epiſcopus, multis ac horribilibus infamatus accuſationibus, eſt vocatus ad reddendam rationem. Quique prædictum archipræſulem Chryſopolitanorum, utpote eloquentiſſimum, ſibi expetiit cauſidicum ac prælocutorem. Hic igitur coactus à domino Apoſtolico, illius ſuſcepit cauſam dicendam, ſed repente obmutuit ante cunctorum præſentiam, ut profecto pateſceret, Deum noluiſſe falſis excuſationibus verorum criminum tanti Pontificis inquinari linguam. Lingonenſis igitur Hugo, hoc miraculo exterritus, noctu, judicium Concilii metuens, aufugit. In craſtinum vero in ſynodo idem Epiſcopus requiſitus, & non adeſſe repertus, lecta ſententia, tertio vocatus eſt. * Tunc Veſuntionenſis Epiſcopus ſurrexit, & quomodo eumdem reum conatus defendere, obmutuerit, coram omnibus patefecit. Quod audiens domnus Papa, hoc miraculum meritis beati Remigii adſcripſit, & cum omnibus qui aderant ſurgens gratias Deo, inde domno ſancto Remigio, cum magno pſallentio reddidit. Poſtmodum tamen præfatus Epiſcopus Lingonenſis, divino commonitus inſtinctu, ad domnum rediit Papam, & cum ingentibus lacrymis publice crimina confeſſus, ſpontaneam ſuſcepit pænitentiam, & Romam nudis vadens pedibus, ab eodem noſtro pio Paſtore promeruit abſolutionem. Et in redeundo nimiis affectus jejuniis, corporiſque maceratione, in bona perſeverantia vitam reliquit præſentem [c].

Concilium celebrat.

* *Rem. add.* & excommunicatus.

c

V.

d

Concilium Maguntiæ.

e

Inde per urbem Mediomatricorum remeans, petitu venerabilis abbatis GUARINI conſecravit ibidem ſancti pontificis Arnulfi baſilicam, ibique exoratus à domno SIGIFRIDO [d] Gorzienſi abbate, compoſuit in veneratione glorioſi martyris Gorgonii nocturnalium Reſponſoriorum dulciſonam melodiam. Hinc generale apud Maguntiam Concilium habuit, in quo Spirenſis præſul Sibicho [e], criminali reatu accuſatus, voluit ſe expurgare terrifico ſacramento Dominici corporis: ſed, ut fertur, maxilla ejus manſit contorta paralyſi, quamdiu præſentis vitæ ſpatium duxit. Quod ideo hic breviter volui adnotare, ut audientibus fiat notum, quam horribile ſit etiam ſecura conſcientia hujuſmodi judicium adire, ſacra dicente Scriptura: Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis. Demum domnus Papa apud Augiam [f] in honore vivificæ Crucis eccleſiam dedicavit, ubi

Leo Augiæ dæmoniacum liberat.

a Hermannus Archicancellarii munere functus legitur in Epiſtola beati Leonis ad Johannem Salernitanum, quæ data dicitur per manum Friderici ..... & Hermanni Archiepiſcopi & Archicancellarii. Exſtat tom. IX. Conciliorum editionis Labbeanæ.

b Hujus dedicationis hiſtoriam ſuperius exhibuimus ad annum MXLIX. quo peracta eſt.

c Obiit in cœnobio ſancti Vitoni Virdunenſis, cui præerat frater ejus Vvalerannus. de quo multa habes ſupra in Vita beati Richardi ejuſdem loci abbatis. ſcripſit librum de corpore & ſanguine Domini adverſus Berengarium, qui à noſtro Acherio editus eſt.

d Ex hoc loco emendandi Sammarthani, qui Sigifridum inter Gorzienſes abbates non recenſent. De Gorziæ monaſterio, quod à Chrodegango epiſcopo Mettenſi fundatum eſt in honorem S. Gorgonii, cujus corpus à Papa obtinuerat, diximus in Sæculo ſuperiori, ubi ſancti Johannis hujus loci abbatis Vitam dedimus.

e Sigebothonem alii appellant. Reginobaldo ſucceſſit anno MXXXIX. Spirenſemque eccleſiam annis undecim adminiſtravit.

f Celebre olim monaſterium, vulgo *Richenovv*, quod hodie pauci incolunt monachi ob menſam abbatis epiſcopatui Conſtantienſi unitam.

divina

Ann. Chr. MLIV. April. XIX.

divina pietas in proprio famulo ſuam gratiam mirifice oſtendit. Nam inter ſacra Miſſarum ſollemnia ibidem adducitur catenis nexus dæmoniacus, qui vix à multitudine poterat coartari, alienaque violentia poſſeſſus, horrendos emittens ſtridores, clamores, atque fremitus, hymnidicam totius Cleri harmoniam ſuis diris evincebat vocibus. Itaque Chriſti ſervus ſacrum incœpturus Canonem, non valens hujuſmodi pati inquietudinem, utpote ad Deum totam directurus mentem, à longe ſigno crucis edito, manu indixit ſilentium: & citius dicto obmutuit dæmonium, & homo vinculis ſolutus, ſoſpes cunctis admirantibus domum propriam repedavit.

VI. Romam reverſus.

Romam igitur rediens, plebem de ſua diutina abſentia mæſtam lætificavit: ubi ſuperna gratia ejus mirabile meritum omnibus publicavit. Siquidem prædictus Herimarus abbas cœnobii ſancti Remigii Remorum Pontificis, ei quemdam ſcyphum pretioſi [a] mazeris ob ſui memoriam obtulerat, quem vir ſanctus pro caritate dantis in proprios uſus ſibi ſervari conſtituerat. Sed quadam vice miniſter ei potum daturus, in multas partes caſu confractum repererat. Cujus particulas electus Domini quocumque erant ſibi deferri præcepit, & nihil tale futurum ſuſpicatus, cunctas ſuo loco quaſi delectando repoſuit, adſtantibuſque lætabundus dixit: Potens eſt Omnipotentis majeſtas in priſtinam integritatem has reſtituere fracturas. Quo dicto, protinus conſolidatæ ſunt partes, ita ut ad memoriam facti ſignum fracturæ ad inſtar ſubtiliſſimi capilli circumquaque appareret: ſed quod magis mirum erat, nihil intra poſiti liquoris efflueret. Hujus rei adeſt teſtis congruus, venerandus Hugo jam dictus Chryſopoleos archiepiſcopus, qui cum lacrymis ſe præſentem adfuiſſe teſtatur, & devoto furto ſe illud vas ſancto viro abſtuliſſe lætatur. Semper autem memor officii ſibi à Deo commiſſi, ut fidelis ſervus & prudens in tempore diſpenſans menſuram tritici, iter ſumſit peragraturus fines Apuliæ, ut Chriſtianam repararet religionem, quæ ibidem videbatur pæne deperiſſe: maximeque inter accolas regionis & Normannos concordiam componere ſatagens, quos dudum adjutores contra exteras gentes ſuſceperant Principes regni: ſed tunc ſæviſſimos tyrannos ac patriæ vaſtatores non ſponte ſuſtinebant. In hoc ergo ſancto opere ſollicite intentus venit Beneventum, ubi aliquamdiu commoratus, cuidam clinicæ [b] divina præeunte gratia vitale præbuit auxilium. Nam per annos fere quindecim diutino confecta languore, de proprio grabato, niſi aliorum deportata manibus, nequibat exire: ita cuncta ejus membra paralyſis erant diſſoluta ægritudine. Cui per revelationem oſtenſum eſt, ut de lympha, qua beatus Paſtor ſacras abluerat manus, & poſt celebrationem Miſſarum hauriret, & abſque mora ſoſpitatem reciperet. Qua impetrata, atque cum fideli ſpe hauſta, in craſtinum ſoſpes ſacra Miſſarum ſollemnia adiit, Deo ſanctoque Pontifici gratias redditura. Itaque zelo ſanctæ religionis fervens Præſul venerandus, apud Sipontum habito Concilio, duos depoſuit ab officio Archiepiſcopatus, qui cum mercede ſanctum aſſumſerant miniſterium, vitio elationis unus ambiens præcellere alterum. Inde repetito greſſu Romam rediit, ubi ſuperna admonitus revelatione beatum Gerardum ſuæ ſedis, Leucorum videlicet, olim Præſulem in numero Sanctorum computandum ſtatuit. Eodemque anno in patriam regreſſus, ipſius ſanctos artus cum ſumma gloria tranſtulit. Quæ omnia dilucide ſunt exarata in ejuſdem vita [c] & miraculis.

Scyphum fractum reſtituit. — In Apuliam vadit. — Clinicam ſanat. — Concilium Sipontinum. — Romam revertitur.

[a] Bolland. *marmoris*, ex cod. mſſ. ut ait, at non ſolum editi ſed & mſ. codex ſancti Remigii habet *mazeris*. quo nomine videtur exprimi aliquod pretioſum ligni genus. nam Bruno Signienſis hunc ſcyphum ligneum fuiſſe aſſerit, & Deſiderius Caſinenſis ſeu Victor III. illud vas, *poculum lignarium* appellat. De ejuſmodi ſcyphis Cangius in Gloſſario, ad vocem *Mazerini*.

[b] Sic dicitur, quod in lecto jugiter decumberet. *κλίνη* quippe lectum ſignat.

[c] Hanc Vitam exhibent Bollandiani die 23. Aprilis. Nos vero de S. Gerardo egimus Sæculo ſuperiori pag. 891. ubi habetur bulla ejus canonizationis pag. 894.

ANN. CH. MLIV. APRIL. XIX.

VII.

Erat autem huic viro Dei non modica concertatio contra pervaſores rerum ſanctæ Romanæ ſedis, maximeque contra Ravennatem epiſcopum, ſpiritu repletum contumaciæ & rebellionis: cui nonnulli favebant Palatini, gloriæ invidentes domni Apoſtolici. Quorum caput in fomento diſcordiæ erat NIZO [a] epiſcopus Friſingiæ, ſuper quem divina virtus hujuſmodi horrendam ultionem dignata eſt oſtendere. Nam pro reſponſis imperialibus in Italiam directus, Ravennam devenit, & in favorem Ravennatis detrectatoria verba contra hunc Beatum proferre cœpit, inter quæ ducto ſub gutture digito, ad hæc blaſphema prorupit: Hoc guttur gladio abſcindatur, niſi eum deponi fecero ab honore Apoſtolatus. Quo dicto, eodem momento ipſum intolerabilis dolor guttur invaſit, & impænitens die tertio vitam obiit. Archiepiſcopus autem Ravennatium ob incorrigibilem præſumtionem eſt à ſancto Papa anathematizatus. Ideoque imperiali juſſu Auſburgiam vocatus, cum juſtitia redditis quæ injuſte pervaſerat, abſolutionem eſt petere coactus. Qui cum licet corde contumaci ante pedes Sancti ſtratus jaceret, cunctuſque cœtus præſentium Pontificum ei abſolutionem peterent, ait vir beatus: Secundum ejus devotionem tribuat illi Omnipotens cunctorum ſcelerum abſolutionem. Ille vero ſurgens, cum ſubſannatorie ſubrideret adhuc ſuperbia tumidus, venerandus Paſtor in lacrymas reſolutus, inquit ſecreto circumſtantibus: Heu! mortuus eſt miſer iſte. Nec mora, ille languore corripitur, & vix in patriam revectus, vita & honore quo tumebat, celeriter privatur.

Epiſcopus ipſi contradicens punitur.

Item & Ravennenſis.

VIII.

Magnificus autem Paſtor Romanam reviſens ſedem, dum Paſchalibus ſollemniis apud ſanctum Laurentium eſſet celebraturus divini ſacramenti oblationem, inter ſacra Miſſarum ſollemnia ei quamdam obtulerunt mulierem, quæ plena dæmonio ſanam amiſerat mentem. Quam inceſſanter debacchantem cernens, fremitumque circumſtantium, ac eam vinctam trahi non ferens, è contra vexillo Crucis edito, omnes à longe ſtare præcepit: ſed illam mox immundus pervaſor reliquit, & ſana mente incolumis ad propria repedavit. Sollicitus autem de ſalute animarum primum ſibi ſpecialiter commiſſarum, Romæ poſitus venerabilem primicerium UDONEM [b] elegit ſibi ſucceſſorem ſanctæ ſedis Leucorum, atque ad eum ſibi ſubrogandum imperiali Majeſtati proprium direxit legatum. Si quidem ob bonorum morum honeſtatem, ſanctæque religionis fervorem, & piæ devotionis intentioniſque devotionem, illum hoc officio dignum judicabat, & paterno eum amplectens affectu proprium filium vocitabat. Sperabat quoque ejus prudentia, qua in divinis humaniſque affluenter pollet, perfici poſſe, ſi quid minus plene peregiſſet in ſuæ primitivæ ſedis augmentatione. Quod etiam nunc ex plurima parte fit, Chriſti annuente ſuffragio, &, ut vere credimus, in dies erga Dominum accreſcet ejus ſancta devotio. Sed nunc ejus laudibus ſuperſedendum, quia omnis laus in fine ſecurius cantabitur. Non modicus quoque ei inerat fervor in augenda Republica. Idcirco Hungariæ Principes, à Romano nuper imperio diſſidentes, multiplicibus legatis adierat, ne detrectarent ſolita ſubjectione Imperatori priſca perſolvere tributa. quod & conſenſerant, ſi præteritorum commiſſorum eis concederetur indulgentia. Quapropter ſancta commonente pietate, coactus eſt tertio antiquam patriam repetere, & pro reorum miſeratione, qui contra Imperium moverant bellum, perſuaſoriis precibus imperiales aures expetere. Sed quia factione quorumdam curialium, qui felicibus ſancti viri invidebant actibus, ſunt Auguſti aures obturatæ precibus domni Apoſtolici, ideo Romana Reſpublica ſubjectionem regni Hun-

Leo dæmoniacam liberat.

Udonem ſibi Tulli ſubſtituit.

Hungaros Imperatori reconciliare tentat.

[a] Sirmondi editio *Vizonem*. Nicerus dicitur à Gualterio in Catalogo epiſc. Friſingenſium.

[b] Ed. mendoſe *Odonem*. Et quidem Udo dicitur paſſim in compluribus inſtrumentis. Antea Bibliothecarius & Cancellarius fuerat Eccleſiæ Romanæ, ut patet ex Bulla S. Leonis pro S. Manſueto.

gariæ perdidit, & adhuc dolet finitima patriæ prædis & incendiis devaſtari. Dum autem pro regni pace ſollicite laborans ibidem aliquamdiu moraretur, divina prædeſtinatio ei in ſomnis revelare voluit, quid ſibi futurum portenderetur. Nam videbatur ſibi quod ſtans in edito, familiares ſuos ad ſe de periculo confugientes reciperet, eiſque ſub pluviali veſte, quæ cappa vocitatur, incluſis, ſanguine eorum ſibi veſtes infici conſpiceret. Qua viſione certus redditus mæſtitudinem ſibi ſuiſque affuturam, & ſicut triticum in area Domini recondendum, ad tentationem ſeſe præparat ſuſtinendam. Itaque repedans in Italiam, Concilium apud Mantuam habendum conſtituit. quod factio quorumdam Pontificum, ſeveritatem ejus juſti judicii timentium perturbavit. Nam familiæ eorum fautrices ſcelerum, ſubitum contra domni Apoſtolici familiam moverunt tumultum, ſecure adſtantem ante baſilicam; in qua publicum habebatur Concilium; ita ut vir ſanctus cogeretur à medio conſeſſu ſurgere, & ante portam ad ſedandum ſtrepitum procedere. Cujus præſentiam non reveriti Deo odibiles, eo magis magiſque in nequitia pertinaces, nitebantur ad eum exarmatos confugientes ante oculos ipſius confodere, & à valvis eccleſiæ ne ibi tutarentur repellere; ita ut impetus ſagittarum & ſaxorum circum ejuſdem Sancti aures & ora volitaret, atque quoſdam ejus veſte defendi cupientes vulneraret. Qui tumultus admodum difficulter ſedatus, cœptum rigorem Concilii imperfectum coëgit relinqui. Sed in craſtinum, cuncti hujus ſeditionis incentores ſevera examinatione damnandi, à piiſſimo patre ſunt miſericordi indulgentia abſoluti, ne videretur cauſa ultionis aſperitatem in eos exercere judicii. Videtur etiam indignum ſub ſera oblivionis obcludere, quod ejus temporibus ad divinam laudem apud Narniam geſtum refertur memorabile. Cujus rei teſtes viſorii, à minimo uſque ad maximum cuncti illius urbis dicuntur exſtitiſſe. Nam biennio antequam ibidem hic venerandus Papa Dominicum celebraret Natalitium, contigit quodam die æſtivo tempore infinitam multitudinem juxta eadem mœnia habere tranſitum. Ejus terrore attonita univerſa plebs muros aſſcendit, quaſi ob capiendæ civitatis defenſaculum. Quæ multitudo infinitum terræ ſpatium, quantum humanus poſſet comprehendere viſus, implebat, & præ celeri gradu Orientem verſus tranſcurrebat. Videbantur autem cuncti miro candore habitus, vultuſque ac capitis canitie venerandi, pæne conſimilis formæ qualitate decori. Quod mirandum omnes à muris urbis aſſpectantes ſtupidos reddidit, & à primo mane uſque ad horam nonam excurrere non deſtitit. Sole autem declinante, cœpit illa admiranda multitudo paullatim rareſcere. Unus quoque ex muro ſpectantium fidentior reliquis, auſus eſt extra procedere, & è vicino cum tremore adſtans, ſpectabat, ſi quem eorum poſſet cognoſcere. Tunc inter extremos videt quemdam ſibi olim familiarem, ipſius urbis civem, boni teſtimonii & devotæ mentis hominem, qui jam non diu præſentis vitæ excurrerat finem. Quem cum divina adjuratione nomine tenus appellans ad ſe vocitavit, & quæ eſſet illa tanta multitudo ſibi manifeſtari depopoſcit. Cui inquit: Licet ſis indignus divina myſteria cognoſcere; tamen noveris nos peccatrices animas, adhuc immeritas cæleſtis regni gaudia poſſidere; vice pænitentiæ loca ſancta continuatim circuire; & nunc de ſancti Martini Majori monaſterio venientes, ad beatæ Dei genitricis Mariæ cœnobium in Farfa [a] iter agere. Quo dicto diſparuit, ac nimio illum terrore confectum reliquit, quique integro anno languens recubuit in lecto, & hæc eadem domno Apoſtolico retulit ore proprio.

Ann Chr. MLIV. April. XIX.

Futura mala prævidet.

Concilium Mantuæ.

Mortui loca ſacra viſitantes.

Ea tempeſtate orta eſt hæreſis Fermentaceorum, quæ calumniatur ſan- IX.

Hæreſis Fermentaceorum.

[a] Majus-monaſterium ſitum prope Turonos, ut nemo neſcit. Farfa autem celebre eſt monaſterium in Sabinenſi diœceſi in Umbria.

Ann. Ch. MLIV. April. XIX.

ctam Romanam ſedem, immo omnem Latinam & Occidentalem Eccleſiam, de azymis vivificum Deo offerre ſacrificium. Quam calumniam etiam ſcripto ediderunt epiſcopi, Michaël [a] Conſtantinopolitanus, & Leo Acridanus: pervicaciter exhalantes peſtiferas mephites contra ſanctam & Apoſtolicam fidem. Hæc quidem calumnia Græco ſermone edita, & JOHANNI Tranenſi epiſcopo, in ſuggillationem omnium Latinorum directa, cum fuiſſet Trani exhibita fratri HUMBERTO [b] ſanctæ eccleſiæ Silvæ-candidæ epiſcopo, in Latinum eſt tranſlata ejus ſtudio, atque delata domno Papæ Leoni nono. Itaque glorioſus Apoſtolicus libellum compoſuit luculentiſſimum adverſus jam dictas præſumtiones, & nimias vanitates eorum, conatus illos ad viam veritatis adducere: ſed poſtmodum incorrectos eccleſiaſtico damnavit anathemate. Prædictus etiam frater Humbertus edidit contra eorum putida ſcripta reſponſionem inſtar Dialogi, ab ipſo latine ſcriptam Apocryſariatus ſui tempore Conſtantinopoli: & juſſu Imperatoris religioſi & orthodoxi CONSTANTINI Monomachi græce editam, ſub nominibus Conſtantinopolitani, & Romani, anno Domini milleſimo quinquageſimo-quarto. Domnus quoque FREDERICUS tunc Cancellarius (poſt à Deo electus Romanæ ſedis Apoſtolicus [c]) invective reſpondit quibuſdam objectionibus, quas ediderat Niceta monachus Conſtantinopolitanus, qui & Pectoratus, contra Latinam Eccleſiam: quem libellum titulaverat, De Azymo, de Sabbato & de nuptiis ſacerdotum. Quæ invectio de latino tranſlata, & publice coram prædicto Imperatore eſt recitata, idemque Niceta coactus eſt damnare & comburere ſua ſcripta, habita diſputatione apud monaſterium Studii in urbe Conſtantinopolitana. Siquidem glorioſus Apoſtolicus direxerat Conſtantinopolim ſanctæ Romanæ ſedis Apocryſarios, præfatum ſcilicet Humbertum, & PETRUM Amalfitanorum archiepiſcopum, Fredericum quoque tunc diaconum & Cancellarium. A quibus Niceta cupiens perfectam ſuarum propoſitionum ſolutionem, iterum ſponte anathematizavit omnia dicta & facta vel tentata adverſus primam & Apoſtolicam ſedem; ſicque ab eis in communionem receptus, effectus eſt eorum familiaris amicus. Michaële autem Conſtantinopolitano epiſcopo præſentiam illorum & colloquium devitante, atque in ſtultitia ſua perſeverante, præfati nuntii domni Apoſtolici adierunt eccleſiam ſanctæ Sophiæ, & ſuper ejus obſtinatione conqueſti, clero ex more ad Miſſas præparato, jam hora tertia die ſabbati chartam excommunicationis ſuper principale altare depoſuerunt, ſub oculis præſentis Cleri & populi. Inde mox egreſſi, etiam pulverem pedum ſuorum excuſſere in teſtimonium illis, juxta dictum Evangelii, proclamantes: Videat Deus & judicet. Hinc ordinatis eccleſiis Latinorum intra ipſam Conſtantinopolim, & anathematizatis cunctis, qui deinceps communicarent ex manu Græci Romanum ſacrificium vituperantis, accepta orthodoxi Imperatoris licentia, in oſculo pacis cum donis imperialibus ſancto Petro ſibique collatis, alacres ſunt reverſi. Itaque Imperator adverſus Michaëlem commotus, quod ad Concilium in ſui præſentia & nuntiorum domni Apoſtolici venire detrectaverit, immo ſeditionem vulgi contra eum incitaverit, amicos & affines ipſius honoribus privatos à palatio eliminavit, contraque ipſum uſque in finem graves iras retinuit.

Contra eam Leo ſcribit.

Nicetas Pectoratus reſipiſcit.

Michaël epiſcopus C P. excommunicatur.

IX. Interea piiſſimus Paſtor ſollicitus pro ovibus ſibi à Deo creditis, ac

a Michaël cognomento Cerularius, ad quem egregiam Epiſtolam ſeu potius librum ſcripſit beatus Pontifex. Ceterum hic ſchiſmatis Græci parens anno MLVIII. è ſua ſede pulſus eſt.

b Humbertum Mediani-monaſterii monachum fuiſſe paſſim ſcribit Johannes de Bayon in ejuſdem loci hiſtoria atque ibi oblatus monaſterio à parentibus anno MXV. dicitur. Ejuſdem Humberti libri contra Græcos editi ſunt à Baronio in Appendice tomi XI. Annalium, Leonis vero epiſtolas apud Labbeum habes tom. 9. Conciliorum.

c Dictus Stephanus X. cujus elogium infra habes ubi de SS. Caſinenſibus.

Digitized by Google

ANN. CH. MLIV. APRIL. XIX.

Expeditio in Normannos.

clementi condolens affectu inauditæ afflictioni Apuliæ gentis, collecto aliquanto comitatu, rurſum movit iter verſus Beneventum, niſus omnimodis Normannorum ſæviſſimum mitigare impetum. Non eſt noſtrum lacrymoſis expendere verbis, quid ſibi in hoc itinere contigerit: dum ipſe brevi ſcripto [a] Imperatori Conſtantinopolitano cuncta intimaverit. Ait enim inter alia: Illa ſollicitudine, qua omnibus eccleſiis debeo invigilare, videns indiſciplinatam & alienam gentem Normannorum crudeli & inaudita rabie, & pluſquam pagana impietate adverſus Eccleſiam Dei inſurgere, paſſim Chriſtianos trucidare, & nonnullos novis horribilibuſque tormentis, uſque ad defectionem animæ affligere: nec infanti, aut ſeni, ſeu femineæ fragilitati aliquo humanitatis reſpectu parcere, nec inter ſanctum & profanum aliquam diſtantiam habere, ſanctorum baſilicas ſpoliare, incendere, & ad ſolum uſque diruere; ſæpiſſime perverſitatem ejus redargui, commonui, obſecravi, prædicavi, opportune importuneque inſtiti, terrorem divinæ & humanæ vindictæ denuntiavi. Sed quia, ſicut quidam Sapiens ait, nemo poteſt corrigere, quem Deus deſpexerit; &, Stultus verbis non corrigitur; adeo obſtinata & obdurata ejus malitia permanſit, ut de die in diem adderet pejora peſſimis. Unde non tantum exteriora bona pro liberatione ovium Chriſti cupiens impendere, ſed ſuperimpendi ipſe peroptans, viſum eſt mihi ad teſtimonium nequitiæ ipſorum nihil ſic expedire ad repreſſionem contumaciæ [b], quam humanam defenſionem undecumique attrahendam fore: audiens ab Apoſtolo, Principes non ſine cauſa gladium portare, ſed miniſtros Dei eſſe, vindices in ira omni operanti malum; & quia Principes non ſunt timore boni operis ſed mali; & reges atque Principes miſſos à Deo ad vindictam malefactorum. Suffultus ergo comitatu, qualem temporis brevitas, & imminens neceſſitas permiſit, glorioſi Ducis & magiſtri Argyrii fideliſſimi tui colloquium & conſilium expetendum cenſui, non ut cujuſque Normannorum ſeu aliquorum hominum interitum optarem aut mortem tractarem, ſed ut ſaltem humano terrore reſipiſcerent, qui divina judicia minime formidant. Interea nobis eorum pertinaciam ſalutari admonitione frangere tentantibus, & illis ex adverſo omnem ſubjectionem ficte pollicentibus, repentino impetu comitatum noſtrum aggrediuntur: ſed & adhuc de victoria ſua potius triſtantur, quam lætantur. Sicut enim tua pietas ſcribere curavit ad noſtram conſolationem, pro iſta ſua præſumtione majorem in proximo exſpectant ſibi ſuperventuram indignationem, poſt illam quam experti ſunt ſuæ catervæ diminutionem. Nos quoque divinum adjutorium affore, & humanum non defore confidentes, ab hac noſtra intentione liberandæ Chriſtianitatis non deficiemus, nec dabimus requiem temporibus noſtris, niſi cum requie ſanctæ Eccleſiæ periclitantis. Et hæc quidem domnus Apoſtolicus.

Normannorum ſævitia.

XI.

Per medios hoſtes Papa tranſit illæſus.

Itaque peſſima gens Normannorum, peracta cæde familiæ mitiſſimi Papæ, non ſine magno detrimento ſuorum, aggreditur opidum, Civitatulam cognominatum, ubi idem Beatus, ignarus eorum quæ acta erant, tardantem ſuum exſpectabat comitatum. Qui cum imminentes hoſtes cerneret, & quid ſuis contigiſſet intelligeret, cum ea quæ ſibi remanſerat Clericorum frequentia, cœptum iter verſus Beneventum arripuit, & cunctis hoſtibus attonitis, quaſi leo confidens, abſque terrore per medium illorum tranſiit. Ergo tam admirandam perpendentes confidentiam, mutatis animis, in ejus ſunt converſi obſequelam: cujus oſculantes veſtigia, ſibi im-

[a] Id habes inter alias Epiſtolas hujus beati Pontificis in tom. IX. Conciliorum generalium.

[b] Ea in Leone reprehendit Petrus Damiani in Epiſtola ad Firmium Epiſcopum, aſſerens non ſic egiſſe Gregorium Magnum. Verum multis argumentis hanc Petri ſententiam refellit Baronius ad annum MLIII. quem legiſſis.

Digitized by Google

ANN. CH. MLIV. APRIL. XIX.

meritam depoſcebant indulgentiam. Quibus vir ſanctus pauca locutus pro tempore, ipſis deſervientibus ſtuduit funera cæſorum honorifice procurare, tumulans ea in vicina eccleſia ab antiquo diruta tempore. Et quoniam pro fide Chriſti, afflictæque gentis liberatione devotam mortem voluerunt ſubire, multiplicibus revelationibus monſtravit eos divina gratia in cæleſti regno perenniter gaudere. Nam & ipſi diverſis modis ſeſe oſtenderunt Chriſti fidelibus, dicentes ſe non eſſe lugendos exſequiis funebribus, immo in ſuperna gloria ſanctis conjunctos Martyribus. Ab eiſdem quoque illorum interfectoribus ſuper ipſos reſtructa venuſto opere baſilica, ac concione Deo ſervientium ibidem aggregata, omnipotentiſſima Dei virtus multa per eos exercet miraculorum inſignia. Ferociſſima vero gens Normannorum his exterrita geſtis, crudelitate depoſita, populos quibus cohabitabat, ex tunc ut compatriotas amicabilius tractavit, ac venerabili Papæ quoad vixit, in omni ſubjectione fideliter deſervivit.

Occiſorum funera curat.

XII.

Ejus pia exercitia.

Eximius autem Paſtor Beneventum veniens, ipſis Normannis etiam injuſſis per totum iter obſequialiter illum comitantibus, non modico illic anni ſpatio eſt commoratus, ſemetipſum ſanctis exercens virtutibus; patientia, vigiliis, jejuniis & orationibus. Siquidem omnem lecti mollitiem refugiebat, ſed ſumto ad carnem cilicio, & tapeti terræ inſtrato recubans, capiti lapide appoſito, nocturnis horis paullulum ſomni inſumebat, reliquumque noctis ſpatium cum integri decantatione pſalterii, ac innumera genuum inflexione excurrebat. idem quoque pſalterium per ſingulos repetens dies cum oblatione divini ſacrificii, curſum multiplicium orationum indefeſſe tranſigebat. Illud etiam erat in eo mirandum, quod ultra quinquagenarius tanto fervebat ſtudio, ut divinarum lectionem Scripturarum Græco addiſceret eloquio. Et quoniam viſceribus pietatis & miſericordiæ, ſupra quam credi poteſt, affluebat, innumera pauperum multitudo indefeſſe ad ejus largitatem accurrebat, quibus abſque diſcretione neceſſaria miniſtrabat.

Scripturam ſacram Græce addiſcit.

XIII.

Leproſum in ſuo lecto collocat.

His itaque piis inſiſtens actibus, dum quodam ſero cuncta ejus familia, cauſa nocturni ſeceſſiſſet ſoporis, ipſe prævio lumine cum puero deambulabat per vacuum ſui palatii ſpatium, viditque in angulo jacentem leproſum, ſciſſis panniculis ac ulceribus obſitum, lurida putredine tabidum, qui nimia preſſus ægritudine nequibat greſſum movere, vixque poterat ex effœto corpore verba proferre. Cui venerandus Pater genibus affixis diu eſt familiariter locutus, & propriis involutum veſtibus ſuis intulit humeris ad lectum, qui ſibi pontificali more fuerat præparatus. Intrinſecuſque januis obſeratis, ac miniſtro ſoporato, ipſe ſolitæ inſtitit pſalmodiæ in vicino oratorio. Demum poſt diutinam horam aſſueto uſu humi cubaturus rediit, leproſum quem extructo locaverat thoro minime reperit, excitatum puerum interrogat, quorſum pauper abierit. Ille attonitus cunctos circuit angulos domus, oſtiorum ſollicite tentat aditus, ſed omnia inveniens obſerata, cum ſumma admiratione regreditur. Hoc ergo facto ſtupidus domnus Apoſtolicus, dat feſſa ſoporiferæ quieti membra, & neſcio quid divini in ſomnis cernens, mane puero cum terrifica admiratione imperat, ne cui quoad viveret ullo modo panderet quod actum fuerat. Credo illi in ſomnis Chriſtus, ut beato Martino pontifici, ejus indutus veſtibus apparuit; aut velut [a] Martyrius monachus, leproſum de ſuis exſilientem ulnis cælum aſcendere vidit; & cauſa humilitatis, ne ſibi pro humana laude virus ſurreperet ſuperbiæ, hoc voluit latere miraculum: tamen non abſque re ſub tanta comminatione juſſit hujuſmodi celari factum. Rurſus quodam die ibidem ſolus cum ſolo Clerico, ſanctæ pſalmodiæ inſiſtebat, cum ecce

Dæmoniacam liberat.

[a] De eo agit beatus Gregorius Homilia 39. in Evangelia. Vitam vero illius exhibet Bollandus ad diem 23. Januarii.

Digitized by Google

quidam ruſticus ſecum inſanam deducens filiam advenerat: quam multotiens peſſimo torqueri dæmonio ſuſpirioſe clamabat, ejuſque meritis liberari cum lacrymis depoſcebat. Cujus precibus pius pater diutius nitens contradicere, juſſit eum Sanctorum ſuffragia, quorum innumeræ ibi continentur reliquiæ, ſupplici voto exorare. Sed ruſticus in propoſito obſtinatus, immo in ſolidæ fidei ſtabilitate firmatus, dicebat ſe exinde non receſſurum, donec ejus benedictione divinum promereretur auxilium. Itaque vir ſanctus ipſius importunitate devictus, granum ſalis in proximo repertum benedixit, ac in os puellæ cum divini invocatione nominis projecit; moxque dæmone cum purulento expulſo ſanguine, lætus pater cum ſoſpite filia domum repedavit. Poſſent autem de hoc ſancto plurima admiranda referri, ſed ſtudioſo eſt cedendum lectori, vel incredulo auditori, ideoque brevi ejus memorantes tranſitum, finem cœpto imponamus operi.

ANN. CH. MLIV. APRIL. XIX.

XIV. Boni ergo certaminis curſu conſummato, abundantiori ſupernæ beatitudinis in dies æſtuabat deſiderio, & tamquam cum Paulo diceret: Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo; ſic funditus curis hujus vitæ curabat abrenuntiare, ut in corpore adhuc poſitus, videretur beatam Angelicæ converſationis puritatem exercere. Pro defunctorum quoque requie incorruptorum ſacramentorum celebrationi ſolito frequentius invigilabat. Et quamquam hic labor ei fuiſſet præcipuus toto tempore ſui incolatus, ferventiori tamen ſtudio, & copioſiore votorum numero inſiſtebat tam glorioſo operi circa diem ſui obitus. Et quoniam divinitatis providentia tum indulgendo, tum verberando operatur ſalutem ſibi obſequentium; ad virtutis cumulum eum adeo flagellavit afflictione ſalutifera, ut perdito omnis cibi deſiderio, irrepentis morbi dolor eum continuare cogeret, quæ olim ſponte exercebat jejunia, ſolius lymphæ poculo, marcido corpori præbente ſuſtentacula. Interea evoluto anni orbe, inſtabat ejus ordinationis dies anniverſarius, in quo ſolito devotius quotannis Chriſto piis inſiſtebat precibus. Qamvis itaque languoris invaleſcens moleſtia fatigati divinis operibus corporis jam debilitaret præcordia, Spiritu-ſancto tamen roboratus, à quo totus ejus vitæ dirigebatur curſus, cum Apoſtolicæ dignitatis honore eo die Miſſarum celebrans ſollemnia, Beneventanos, cum quibus tunc morabatur, gratificæ affabilitatis exhilaravit lætitia. Et hoc fuit ultimum in divinis ſacramentis obſequium, quaſi vivificis valedicens myſteriis, quibus ſemper ſe præbuerat dignum. Certificatus autem de ſuæ vocationis termino, Romam ſe ferri fecit lecticæ vehiculo. In quo itinere ſic eum conciliavit divinitas non ſolum ſuis, verum etiam his qui nuper fuerant inimici, ut copioſa manus Normannorum, quos ſupra retulimus diu cum hoc viro habuiſſe diſcidium, totius animi ſinceriſſima devotione ſe invicem prævenirent ad ejus obſequium. Et decebat utique fortiſſimum defenſorem Chriſtianæ religionis, ut regis ſui Chriſti aditurus palatia, deduceretur nobili triumpho victoriæ, præeunte ſcilicet hoſtium jam ſubjugatorum manſuefacta multitudine. Aliquantulum ergo commoratus in Lateranenſi palatio, præſtolabatur quid de ſe ſtatueret interni Judicis clementiſſima diſpoſitio. Beatus autem Petrus, non immemor diutini ſudoris, quo ſibi in regendo ovili eccleſiæ affuerat cooperator hic vir memorabilis, eum ſibi vicinius deliberavit conjungere: utpote participem futurum magnifici honoris & gloriæ, quam ſummi Paſtoris præeunte gratia, Romanæ impertivit eccleſiæ. Divina itaque revelatione eſt edoctus, quod non alias eum remaneret carnis reſolutio, niſi in locis beati Petri vicinis oratorio. Nec mora, gratulabundus ſuper tali viſione, ſeque intelligens vocari divini reſpectus miſeratione, lectica denuo ſubvectus, Oratorium beati Petri eſt ingreſſus. Ibi ex imo cordis fundo lacrymis permanantibus, ad Deum extendens puram mentem cum manibus, diutiſſi-

Incidit in morbum Beneventi.

Romam venit.

Deducitur ad oratorium ſancti Petri.

Digitized by Google

ANN. CH. MLIV. APRIL. XIX.

me clementiam Domini ſecretis invocavit precibus. Dein delatus in vicinam Epiſcopii domum, viſitatus eſt frequentia fidelium, ſummæ dilectionis gratia ad eum confluentium. Quorum pia conſideratio perpendens non diutius eum retinendum carnis ergaſtulo, decrevit ut quoniam plures epiſcoporum, abbatum, ceterorumque fidelium confluxerant turbæ, eis præſentibus inungeretur ſacri olei liquore. Super quo facto exhilaratus uſquequaque, munituſque Dominici corporis & ſanguinis communione, Teutonica lingua, ut teſtati ſunt qui adfuerunt, tali cum Deo locutus eſt oratione: Miſerator Domine, omnium redemptor, unica ſalvatio, ſi judicas expedire oculis tuæ majeſtatis, ut adhuc communi utilitati populorum tuorum inſerviam: merear, oro, celeri medicina tuæ viſitationis, inſtantis ægritudinis evadere moleſtiam: ſin aliud aliquid deliberat tuæ divinitatis providentia, deprecor, Domine, ut quantocius concedatur mihi exire hujus corporis habitacula. Finitis precibus adſtantes reſpiciens, ſingulis pro ſibi exhibito obſequio gratias retulit, feſſaque membra ad requiem componens, tolerabilius ſolito ſe dolorem ſentire perhibuit. Credidit circumſtantium fidelium multitudo mox eum depoſiturum carnis exuvias, ſuſpirioſiſque ſingultibus proficiſcenti animæ competentes ſolvebat exſequias. Quorum voces comprimens beatus vir: Hoc, inquit, quod nunc agitur differte in horam tertiam diei craſtinæ, exſpectantes quid de me placeat omnipotentiæ Dei. Vigilantiori igitur affectione, poſtero die, adfuit hora tertia copioſa fidelium frequentia, & circa horam nonam reſolutum carne ſpiritum, cæloſque petentem, deducunt commendatione devotiſſima. Affluente autem totius Romanæ plebis multitudine, cum ſummo honore ejus celebratæ ſunt exſequiæ, & ſicut ipſe diſpoſuerat, ſepultus eſt juxta beati pontificis Gregorii altare, ante fores eccleſiæ. Et merito in decore ſepulturæ illi exſtat conjunctus, quem in divina religione ac ſanctæ Eccleſiæ inſtauratione eſt fideliter imitatus. Cujus vitam & ſanctitatem quidam brevi diſticho ſic eſt proſecutus:

Oleo ſacro & Euchariſtia munitur.

Obit.

Sepelitur.

Victrix Roma dolet nono viduata Leone,
Ex multis talem non * habitura Patrem.

* al. vix.

Exemtus eſt autem hic vir magnificus ab hujus vitæ laboribus, ætate quinquagenarius, anno incarnationis Dominicæ milleſimo quinquageſimo-quinto [a], Leucorum epiſcopatus vigeſimo-octavo, Apoſtolatus autem ſexto. Siquidem Romæ ſedit annis quinque, adjectis duobus menſibus, & novem diebus, impleta viſione quam ſupra de revelatione calicum retulimus. Nam quinque calices ei à beato Petro collati, ſignabant quinquennale ejus vitæ ſpatium: reliqui tres, ſui ſucceſſoris VICTORIS triennium: ſequens unus, beatæ memoriæ FREDERICI in Apoſtolatu unius anni curſum. Sed quoniam adhuc reſtant plurima ad dicendum, quæ ad ejus tumbam fiunt divina pietate miracula, Romanis relinquimus exaranda, in quorum diatim oſtenduntur præſentia. Noſtrum eſt ejus merita devotis precibus exorare, ut viſcera pietatis & miſericordiæ, quibus in præſenti abundabat vita, nunc in ſuperna poſitus gloria nobis dignetur aperire: quatinus ejus ſancto ſuffragio ſcelerum noſtrorum abruptis nexibus, ſupernæ mereamur eſſe participes gloriæ, eo annuente qui in Sanctis ſuis facit mirabilia, à quibus etiam ſibi cantatur laus & gratiarum actio in ſæcula ſæculorum. Amen.

[a] Omnes omnino auctores ſancti Leonis obitum ad annum MLIV. revocant, poſt cujus mortem ſedes anno fere integro vacavit.

DE

ANN. CH. MLIV. APRIL. XIX.

DE OBITU S. LEONIS PAPÆ IX.

Ex codice antiquiſſimo Bibliothecæ Beneventanæ, litteris Langobardicis exarato.

1. ANno milleſimo quinquageſimo-quarto ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu-Chriſti, Indictione VII. ſecundum * Arnicam, XIII. Kal. Maias, depoſitione exſultemus beati patris noſtri LEONIS Papæ IX. regnante Henrico imperatore filio Conradi imperatoris Romæ. Ad laudem & gloriam Domini noſtri Salvatoris Jeſu-Chriſti & Leonis Papæ certamus hunc intimare laborem certaminis, quod oculis noſtris vidimus, omnis preſbyter & diaconus, & cuncti catholici Romanæ eccleſiæ. Sæpe vidimus in ejus vita multas eleemoſynas largientem hoſpitibus, pauperibus, civibus & peregrinis, ita ut theſauros Eccleſiæ, & cuncta quæ habere poterat, plurimam partem viduis & orphanis & Deum timentibus erogaret. Propterea Romanorum perfidia contra eum murmur & bella ſuſcitabant. Verum ut inexpugnabilem murum ſuæ Eccleſiæ Dominus contra dementes hæreticos erigeret, huic viro in litterarum ſtudiis plerique catechizati fuerant. Iſte almificus Leo humilibus ſuaviter blanditus eſt; iſte ſuperborum colla confringens; iſte derogatoribus ſuæ vitæ neceſſarium victum ſubminiſtrans, virginitatem prædicans, matrimonia caſta defendens, ubicumque exemplis omnium ſtudia erga ſe, etiam gentilium, convertit. Ex multis tamen pauca hujus ſancti viri in medium proferamus, & præcipue ea quæ imminente ejus morte acciderunt. Auctoris ætas.

2. Poſt multos igitur labores & ærumnas, poſt periculoſa bella terroreſque & inſidias, quæ cum matris Eccleſiæ perſecutoribus pro ovibus ſibi commiſſis geſſerat, quinto ſui pontificatus anno, gravi detentus infirmitate, convocatis ad ſe diverſarum diœceſum epiſcopis, diverſiſque eccleſiaſtici ordinis viris, ait ad eos: Fratres coepiſcopi, inquit, mei, & matris filii Eccleſiæ, ac corporis mei intima viſcera, quibus Dominus Eccleſiam ſuam regendam tradidit, & ligandi atque ſolvendi dedit poteſtatem, vobis dominicus grex commiſſus eſt. quam ob rem vos enixe deprecor, quatenus memores evangelici ſermonis, qui ait: Vigilate, quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit; ſcientes quod talentum ſuum multiplicatum fœnerator ipſe non dimittet: ſuper gregem ſuum ſagaciter vigiletis, oveſque veſtras ab incurſibus luporum viriliter defendatis. Quam excuſationem ergo, fratres cariſſimi, habere poterit, qui dominicam ovem, quam ipſe Dominus humeris ſuis dignatus eſt ponere, negligenter perdiderit. Vigilate itaque, precor, & cujus ſitis diſpenſatores oſtendite; me quoque, quem Dominus indignum ſuæ Eccleſiæ beati Petri vicarium fecit, veſtræ fraternitati commendo. Nam meæ reſolutionis prope eſt tempus. Dominus enim me de hac vita vocare dignatus eſt. Nocte ſiquidem præterita cæleſtem patriam in viſione vidi; cumque obſtupeſcerem, oſtenſi ſunt mihi inter cetera fratres illi, qui in Apuliæ finibus pro Chriſti Eccleſia occiſi ſunt inter Martyres coronati: qui cum mihi una voce dicerent: Veni, & mane nobiſcum, per te enim hanc recepimus beatitudinem; ex alia parte vox quædam intonuit, dicens: Nequaquam nunc, ſed infra triduum huic ſociaberis collegio. hîc eſt locus tuus & ſedes parata. Dum hæc & his ſimilia proſequerentur cives ſuperni, ſancta viſio receſſit. quamobrem triduo me, fratres, precor, ſuſtinete, & quod dico indubitanter de me videbitis. His dictis præcepit cunctis, ut recederent, ſuiſque neceſſitatibus providerent, erat enim prope nox. Accepta itaque licentia, quidam abie-

Leo æger clerum adhortatur.

Matth. 25. 13.

Mortem ſibi imminere prævidit.

ANN. CH. MLIV. APRIL. XIX.

runt: alii vero, quibus ferventior inerat amor, eadem nocte cum eo perſeverantes permanſerunt, qui poſtea ceteris referebant, dicentes illum per totam noctem ſolo tenus proſtratum in oratione permanſiſſe.

In eccleſiam defertur.

3. Mane autem facto, convenientibus cunctis, vir venerabilis ſarcophagum, quod ſibi præparaverat, & ſe quoque in loco deferri in eccleſiam beati Petri præcepit. quod videntes Romani, æſtimantes illum mortuum eſſe, Lateranenſe adeunt palatium, quatenus more ſolito omnem illius diriperent ſupellectilem; ſed tanta fuerunt ſancti merita, ut nulli quidem intrandi permitteretur facultas. Interea venerabilis vir cupiens jam diſſolvi & eſſe cum Chriſto, cunctis qui aderant ſalutifera verba, & omni dulcedine plena non ceſſabat proferre. De quibus diſputare per ſingula, quia ad alia feſtinantes tendimus miracula enarranda, abſtinemus. Cumque finem feciſſet loquendi, intuens ſignum ſalutis magis quam antea, precibus effuſis, omnibus qui aderant abſolutione facta delicta dimiſit, ſi tamen ejus præcepta quæ prius dederat, obſervare curarent. His ita peractis, intuens in cælum iterum fudit orationem: „Domine, inquit, Jeſu-Chriſte, qui ſolus es paſtor bonus, & cui omnis creatura deſervit, tu dixiſti: Quærite & invenietis, petite & accipietis; exaudi me propitius famulum tuum pro Eccleſia tua, cui indignum me vice apoſtoli tui Petri præeſſe voluiſti. Tibi, Domine, eam commendo, illam defende inexpugnabili muro tuæ protectionis; & ab ea repelle omne ſchiſma, omnemque hæreticorum perfidiam: quatenus tibi vero Deo fideliter ſerviant. Cuſtodi & protege eam ab omnibus inimicorum inſidiis, ne dedigneris, pro qua ſanguinem tuum pretioſiſſimum fudiſti. Si quos etiam pro tua fide ligatos, vel excommunicatos ab ea crudelius ſeparavi, tu clementiſſime, precor, abſolve.

Deum precatur.

Cumque compleſſet orationem, tantæ ſuavitatis odor de beati Petri altari exire cœpit, ut cuncta ſuperare videretur aromata. Tranſacto denique unius horæ ſpatio, præcepit ſibi panem & vinum afferri. quibus oblatis, gratias agens benedixit; & comedens quantum tribus vicibus potuit ore ſuſcipere, reliquum ceteris pro benedictione diſtribuit. Quo facto perrexit ad tumbam, quam in eccleſiam deferri præceperat. quam intuens lacrymabiliter: „Videte, inquit, fratres mei, quam vilis quamque fragilis & tranſitoria ſit humana gloria. Videte, inquam, & unuſquiſque veſtrum, qui in fragilis mundi fulget honoribus, me ſemper in exemplum & præ oculis habeat. Conſiderate omnes, quam verſatilis ſit humanæ ſortis conditio. Ego qui ex nihilo propemodum ad humanæ gloriæ faſtigium evectus, ab hoc nunc iterum fere ad nihilum ſum redigendus. Cellam quam monachus incolui, in ſpatioſiſſima palatia jamdudum vidi converſam: modo ad hujus ſarcophagi anguſtias iterum eſt remeandum. Reſpicite, inquam, quomodo poſt ſplendidas veſtes aranearum telis ſim cooperiendus, & jamjam in vermium eſcam deſtinandus. Hodie vobiſcum caro & ſanguis ſum, cras convertar in cinerem. Deinde ad ſepulcri lapidem converſus, flebili admodum voce hæc verba protulit: Benedictus ſis inter lapides. Benedicat te, qui te ex nihilo fecit, & meæ terræ ac corporis voluit eſſe cuſtodem. Sis precor mihi fidiſſima petra, ut quemadmodum ſupra apoſtolicum lapidem ſuam firmavit Chriſtus Eccleſiam, ſic mihi contingat uſque ad diem judicii te meorum oſſium fidum habere cuſtodem, ut in die illa cum diſtrictus Judex venerit, meo ac tuo me reddas Creatori. Hæc illo dicente, omnis quæ adſtabat multitudo converſa eſt in planctum. quibus ille ait: Sufficit, inquit, fratres mei, quod hucuſque hodie mecum perſeveraſtis. Ite jam unuſquiſque ad veſtra, & cras mane ad me venite, ut quid futurum ſit videatis. Dictum factumque eſt. Ipſe vero nocte in oratione proſtratus totam duxit inſomnem.

Humanam miſeriam exponit.

Se monachum fuiſſe declarat.

4. Hora autem appropinquante matutinali, cadentibus de cælo jam

Digitized by Google

ſtellis, ipſi qui aderant labore, ut in tali negotio, fatigati, & vigiliis ſomno irruente parcæ dederunt membra quieti: quibus nec vere vigilantibus, nec omnino dormientibus, apparuerunt duo viri in veſtibus albis cum eo loquentes, & neſcio quid ſcribentes. Cum autem illi qui aderant ſubtiliter perquirerent quinam eſſent illi, qui in tali hora ſuo moleſti eſſent domino, in ipſa oſtenſum eſt eis viſione, illos apoſtolos Petrum & Paulum fuiſſe. Interea ſol apparuit terris, & delectabilis viſio recepta eſt in cælis. Mane igitur facto, convenientibus cunctis, venerabilis vir diem præſtolans extremum, in eccleſiam beati Petri ſe iterum deferri præcepit. quod cum factum eſſet, proſtratus ante altare, diutius cum lacrymis ſecum oravit. Completa igitur oratione, ſuum rediens ad lectum, commonere populum prout poterat non deſinebat: ſed quia hora extrema jam appropinquabat, convocatis ad ſe Epiſcopis, confeſſionem fecit, ac ſignum crucis ſibi imponens, cæleſtibus ſacramentis ſe munivit. Quo facto, ſilentium petens, ut parum quid ſomni acciperet, in lectum caput declinans, hora quaſi dimidia quievit; atque in ipſo pacis ſomno illa ſanctiſſima anima carne ſoluta eſt. in cujus obſequio beati Petri cymbalum à ſemetipſo nullo cogente ſonare cœpit.

Ann. Ch. MLIV. April. XIX. Inviſitur à SS. Petro & Paulo. Obit.

5. Altera igitur poſt ejus obitum die, quædam mulier dæmonio plena, de longinquis partibus ad limina beati Petri & Pauli adducta eſt; cumque ad beati Leonis tumulum duceretur, inter cetera, per os ejus dæmon clamavit, dicens: O Leo, ô Leo, cur me de ſede mea catenis igneis retrahis? Unde unus de circumſtantibus Epiſcopis ait ad eum: Adjuro te per verum æternumque Deum ac judicem, ut dicas mihi ſi Leo de quo dicis, cum Sanctis veraciter ſanctum poſſideat locum? Cui dæmon tanto contriſtatus ſacramento, mentiri non audens, licet invitus reſpondit: Vere, inquit, inter Sanctos coronatus ſanctum ac venerabilem obtinet locum, per quem de hac quam novem annis & duobus menſibus poſſedi domo vobis videntibus ſum ejiciendus. Cumque hoc dixiſſet, una de circumſtantibus mulier, audacior ceteris, ut mos eſt feminarum, dedita verboſitati, in hujuſmodi fere deridens prorupit verba: Quacumque hora Leo ejecerit de corpore iſto dæmonia, ego regina ero; & inſuper eos, quos ipſe interficere fecit, ad vitam revocabo. Mira Dei virtus! vix hæc locuta fuerat, cùm dæmon altera dimiſſa, eam crudeliter vexare cœpit. Sicque factum eſt, ut quæ ad Sancti corpus ſupplex venerat, recepta ſanitate ſoſpes ad propria remearet; quæ vero verba deriſoria proferre eſt auſa, meritam incurreret pœnam, & juſto Dei judicio alterius jam liberatæ inde aſportaret mala. Ex eo tempore Leonis nomen claruit, & ingens timor univerſos invaſit. Sed quis beati Leonis cuncta valeat evolvere miracula? qui hoc perficere conabitur, prius eum tempus deſinet quam materia. Hoc tamen unum quod dicturus ſum, de multis reticendum eſſe non abitror.

Dæmoniacam liberat.

6. His igitur peractis, populus perſeverans jam aſſueta Leonis exſpectabat miracula; & quod devota præſtolabatur mente, perpetratum ſine mora conſpiciebat in opere. Nam eadem fere hora dæmon per os mulieris, de qua jam dictum eſt, clamare cœpit ac dicere: Heu! heu Leo! cur iterum de hac domo me ejicis? nonne te eam mihi donante poſſideo? cur tam cito mutaris? Nimis turpe eſt, quam jam dudum dediſti, tam cito mutare ſententiam. Tunc unus de Epiſcopis adjurans eum, ait: Quomodo, ſcelerate, ſcis quod hodie ſis ab hac muliere revocandus & ejiciendus? Cui dæmon reſpondit: Qua hora, inquit, heri muti linguam reſolvit, cum Marco [a], & Marciano Frequentinenſis ſedis epiſcopo, Beneventum perrexit, atque eiſdem comitantibus Apuliam petens, in loco quo pugnatum

Item aliam.

[a] Marcus epiſcopus Lucernenſis colitur die 14. Junii, & Marcianus epiſcopus Frequentinus, vulgo *Frigento*, die 14. Julii. Utraque hæc ſedes eſt ſub Beneventana metropoli.

Digitized by Google

ANN. CH. MLIV. APRIL. XIX.

ab eo jam fuerat cum inimicis, devenit: nunc autem huc properat, quatenus me hinc ejiciat. Tunc Epiſcopus nihil indiſcuſſum relinquens, ſubjunxit: Quonam igitur ſigno eorum poterit deprehendi adventus? Cui dæmon: In ea quam ad altare pendere videtis lampade. & his dictis conticuit. Tranſactis itaque duarum fere horarum ſpatiis, odor mirus factus eſt per totam beati Petri eccleſiam, ac videntibus cunctis, ſupramemorata lampas altius ſolito ex ſe aſſcendere cœpit, & in ea tria luminaria apparuerunt ardere. Quo facto, dæmon ejulans mulierem aliquantiſper vexare cœpit; &, ut prædixerat, adveniente Leone, ſuum in ſe retorquens furorem nuſquam comparuit.

Eccleſia in ejus honorem Beneventi.

7. Longe itaque divulgata fama miraculorum beatiſſimi Leonis, Beneventi cœpta eſt ædificari ad ejus honorem eccleſia [a], ut quem Beneventani cives vivum à Normannis carcere detentum aſſpexerant, jam mortuum, & ſpatiis cæleſtibus perfruentem, venerarentur. Interea accidit, ut Nicolaus quidam de caſtello Molliniana, & Berardus de loco Carrara, quorum alter perdito brachio dextro, retractis poplitibus & nervis; alter vero frigus & febrim uſque ad dyſenteriam paſſus, cum uterque ſe deferre feciſſent ad prædictam eccleſiam, quæ conſtruebatur Beneventi, ilico omnium judicio deſperatam recuperarunt ſanitatem. Ruſticus quidam ex opido Ordonum, cum annualiter votive feſtum beati Leonis excoleret, contigit, ut præ nimia oppreſſione laborum, quos in agro gerebat, die dominico quando feſta annunciantur populo minime eccleſiam adierat. Erat autem dies feſtus ſancti Leonis in quinta feria ſequenti, quod prædicto ruſtico erat incognitum. Ille itaque valde mane ſurgens, ſumſit ſecum unum puerulum, quem filium unicum habebat, & ſecurem roſtrumque foſſorium mox ut applicuit ſuo agro, dimiſit prædictum puerulum filium ſuum ad ſarcinam: ille vero fodere anxie cœpit; ex alia parte lupus ore aperto tulit filium ejus puerulum, & fugam arripuit. quod à longe cernens pater, currere poſt lupum cœpit, hæc clamitans: O ſancte Leo, patrone mi, adjuva me nunc in præſenti, & redde mihi unicum filium meum. quæ vix locutus fuerat, cum ecce lupus dimiſit puerum ita illæſum, ut in veſtimentis nec veſtigium quidem appareret dentium lupi in ea parte, qua eum lupus arripuerat. Reverſus itaque ruſticus ad opidum, hæc omnia narravit, ſentienſque eam ipſam diem eſſe anniverſariam in memoriam beati Leonis, novo ſe adſtrinxit voto ad eam quotannis ſollemniter cuſtodiendam. ſicque nedum Beneventi, ſed per totam Apuliæ oram, celeberrimum evaſit Leonis nomen, Deo ſic diſponente, ut his in eiſdem locis, in quibus paucis ante annis, profligato ejus & Eccleſiæ exercitu, ipſe captivus detentus fuerat, poſtmodum ingruente miraculorum ejus fama, iidem, qui adverſus eum ſteterant in prœlio, ſupplices & venerabundi ejus memoriam excolerent, & magis ac magis erga ſanctam Eccleſiam fideles ſe præſtarent ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, cujus nomen per cuncta ſæcula ſit benedictum. Amen.

a Vualdericus tunc Beneventanæ eccleſiæ præerat, anno 1053. ab ipſo Leone, ut teſtatur Ughellus, conſecratus.

MIRACULORUM S. TRUDONIS CONFESSORIS IN HASBANIA LIBRI DUO.

Auctore STEPELINO monacho Trudoniano.

Ex codice mſ.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. V*ITAM ſancti Trudonis ſæculo* II. *ad annum* DCXVIII. *dedimus cum appendice de ejuſdem ſancti Tranſlationibus ac Miraculis, in qua polliciti ſumus, ut ſi aliquando copia nobis fieret librorum Stepelini de ejuſdem ſancti Miraculis, eos ſuo loco proferre non omitteremus. Nunc vero, iis ex Belgio acceptis, fidem noſtram liberamus. Quis vero fuerit Stepelinus ex Rodulfo abbate Trudoniano diſcimus, qui in libro* 3. *Chronici ejuſdem monaſterii, opidi ſancti Trudonis obſidionem à Bruſtenienſibus, & monaſterii excidium, quod anno* MLXXXIII. *contigit, deſcribens, ait ceteris fuga elapſis, paucos omnino monachos tantæ cladi interfuiſſe*, qui *ſcilicet* in ipſa obſidione, gravi ſenecta corporis locum relinquere non potuerant. *iidem poſtea cum* utcumque exire *conati fuiſſent, percuſſi & ſpoliati, ad Leodienſem epiſcopum tranſmiſſi ſunt.* Erant in his, *inquit Rodulfus*, duo magnarum & pulcherrimarum perſonarum viri, litterarum artibus, & uſu eccleſiæ noſtræ apprime eruditi. alter Liebertus, cujus ſtudio multi & optimi adhuc hodie habentur in Bibliotheca noſtra libri, &c. alter vero Stepelinus, cujus nos diu poſt ſepulturæ interfuimus. Auctor.

2. *Miracula autem his duobus libris contenta ad annum* MLV. *referimus, quod ſub extremis Guntramni abbatis temporibus potiſſimum contigiſſe memorentur in laudato Chronico Trudoniano. Guntramnus quippe hoc ipſo anno* MLV. *ibidem è vivis exceſſiſſe dicitur. De cujus pietate & preclare geſtis multa in eodem Chronico habentur, ex quibus nonnihil retulimus in obſervationibus ad Vitam ſancti Popponis abbatis,* 1. *parte hujus Sæculi. Hic autem ſufficiat ad pii hujus abbatis commendationem ſemel huc referre, quod paſſim Rodulfus in Chronico inculcat, eum ſcilicet, cum ceteri occaſione Miraculorum à ſancto Trudone frequenter editorum gloriari viderentur, ſæpius ingemuiſſe, quod ſigna infidelibus non fidelibus dari ſciret; indeque portendi regularis in monaſterio ſuo diſciplinæ ruinam. Et quidem paullo poſt, ejus rei veritatem probavit eventus, quod poſt hujus abbatis mortem, monachis ad exteriora prorſus propenſis, contigiſſe pluribus narrat Rodulfus.* Hujus, *inquit, Guntramni* vitæ ultimis annis, domini noſtri Trudonis ſepulcrum frequentiſſime cœpit coruſcare miraculis, quæ ille ſtudioſiſſime ſatagebat occultare. Sagaci enim pectore concipiens quod futurum erat, ſigna data eſſe infidelibus non fidelibus; dicebat, quod non longe poſt illum nonnulli de noſtris experti ſunt. *Eadem repetit libro* 2. *Tum fuſius exponit quantum labefactata fuerit regularis diſciplina ex concurſu fidelium ad ſancti Confeſſoris tumulum ob crebra miracula, quæ illic frequenter fiebant.* Oratorium, chorus, templum, clauſtrum, pratum nocte dieque non inveniebatur à multitudine vacuum; quarum perſtrepentium continua inquietatio magnæ fiebat moleſtiæ & ordinis impedimento, ſenioribus ſolitis & volentibus Deo ſervire in quiete & ſilentio. Juniores vero, quibus tædio erat religio, & diſciplina odio, gratulabantur prius occultè, hac quaſi neceſſitate ſe magiſtræ Regulæ mandata præterire. acceſſu vero temporis, & frequentiſſimo uſu peregrinæ multitudinis, tandem inverecunda fronte cœperunt ad libitum cuncta agere, locorum indifferenter abutebantur qualitatibus, & horarum tam incompetentium quam competentium viciſſitudinibus, ſeniorum increpationes indignanti ſupercilio reſpuere, &c. *quæ fuſius perſequi non vacat. Hinc porro patet quam recte & prudenter conatus fuerit Guntramnus ejuſmodi miracula occultare. Hinc quoque Patres noſtri ſanctis, etiam in cælo cum Chriſto regnantibus, nonnumquam obedientiæ virtute auſi fuerunt imperare, ut ab hujuſmodi ſignis temperarent, quæ monachos à regulari propoſito avertebant. Sic Gibriano multa ſigna facienti in archimonaſterio Remigiano apud Remos imperaſſe dicitur ejuſdem loci abbas, ut à patrandis mi-* Miraculorũ tempus.

ANN. CH. MLV. *raculis ceſſaret ; & Goſvinus abbas Ciſtercienſis, ut in Exordio Magno Ciſtercienſi legitur,* qui cum pluribus aliis abbatibus ſui ordinis ad beati viri *Bernardi* exſequias venerat, conſiderans..... ne ſi crebreſcentibus ſignis, tam intolerabilis turba populorum concurreret, eorum improbitate diſciplina periret, Ordinis & ſanctæ religionis fervor repeſceret, habita ſuper hoc deliberatione, reverenter accedens, per virtutem obedientiæ, ne ſigna ulterius faceret, inhibuit. *Hæc erat Patrum noſtrorum religio. Sed jam beati Trudonis miracula exhibere liber.*

INCIPIT PROLOGUS STIPELINI MONACHI in miraculis ſancti Trudonis.

EXPLICITIS his, quæ de almi patris TRUDONIS probabili vita antiquorum decrevit ſollertia ſummatim tranſcribere, nunc, Pater digniſſime GUNTRAMNE, piæ religionis veneratione colende, ea de eo edere pergo, quæ Patres noſtri, quorum nec pervetuſta nec incelebris memoria eſt, nobis deſiderantibus permagnificis ejus virtutum deliciis paſci, quaſi favos mellis in ventrem memoriæ trajicienda atque ruminanda contradiderunt. Hæc autem quæ animus geſtit promere, tanto majori confidentia aggredimur ſcribere, quanto ea quæ ſæpiſſime propriis perſpicimus oculis à Sancto Dei fieri, omnem dubietatis auferunt ſcrupulum. Dum enim præcipimur Dominum laudare in ſanctis ejus, quodammodo eorum admonemur non tacere miracula : ſcilicet ut ipſius glorioſius magnificentia clareſcat, dum niſi per illum eos talia cognoſcimus non poſſe. Nec quemquam fidelium convenit dubitare, cum res geſtæ utpote animus idoneo teſte ſermone innoteſcant non ſatis luculento, quod ne eveniat dici, ſcilicet cur nulla fretus facundiæ copia ; tanti viri magnalia ruſticano proferre præſumſerim ſtilo, veſtra eloquentia vaſtæ ſacrarium ſapientiæ, meæ precor inſipientiæ corrigantur ambages, & meum velle veſtro Deus dignetur perficere juvamine.

Pſal. 150.

INCIPIT LIBER PRIMUS.

Mirac. in vita omiſſum

Johan. 20. 30.

1. PLurimorum relatione didici rem quam edere pergo, non mirandum dicentium, cur conſcriptor hiſtoriæ ſanctiſſimi hujus viri vitæ hanc narrare ſuperſederit, cum præ ceteris coapoſtolis dilectus à domino Johannes teſtetur, multa à Domino facta eſſe ſigna, quæ non ſunt in Evangelico atque æterno ſcripta teſtamento. Egere quidem quam plurimi hoc in ſermone potentium, ut & fructiferas ac in domo Dei plantatas olivas, omni virtute vindemiarent, & tamen Domino diſpenſante, egenis ſequentibus benedictionem relinquerent : unde & per anguſtam illorum ſcientiæ venam, ſitibunda ac nova audire cupientium pectora ; licet tenuiſſima refocillarentur gutta. Dum ergo vir excellentiſſimus adhuc in carne mortali degens, omnes propoſitum bonum imitantes, excellentiores poſſe fieri ſanctiſſimæ converſationis monſtraret exemplo, fratres qui eum educabant, omne ſuum penu ei committebant : nimirum videntes in eo Dei ſapientiam, ad erogandam conſervis ſuis congruo tempore tritici menſuram. Cumque conſtitutam annonam fratribus ſine aliquo typo vel mora offerre procuraret, & diſpergendo bona mundi, quia & ad hoc divina inſpiratione ſe conſtitutum intellexerat ut pauperes recrearet, cœperunt quidam ſuperfluæ ejus derogare bonitati : dicentes, quod non tantum in hoc præceptum Domini ſtuderet implere, quantum ſuæ vanæ gloriæ, apud vulgares aures cuperet cumulare famam. Quid multa ? Fit pro hoc frequenter conventus, & reciproca ſermocinatione quidnam de ſuæ prodigo dilapidatore ſubſtantiæ facturi eſſent, altrinſecus tractabant : & dum indeſinenter perſeverarent ſancto Dei detrahere, ſeniores eorum ſaniori uſi conſilio, illum decreverunt accerſiri, ut aut os loquentium iniqua vera ratione obſtrueret ; aut convictus noxa pœnæ ſubjaceret. Miſſum itaque eſt, & ut ad eos veniret imperatum. Vir autem manſuetiſſimus, dum verba jubentis vicino obedientiæ pede perficere geſtit, quod agebat imperfectum reliquit. Nam inclinatus fuerat, unde primitiis pleni vaſis animam ſitientis pauperis refocillaret, & non paſſus eſt moras innectere, ut duciculam, quam tunc forte partim habebat de tonna extractam, remitteret ; ſed ſecum eam neſcius ferens, ſumma cum velocitate ad eos anhelus cucurrit : & dum permultis eum increparent redargutionibus, quod ſcilicet cellerarius deberet agere ſecundum diſpoſitionem prioris ſui, nec in diſpenſatione rerum ſibi commiſſarum libera uti poteſtate, inde magis cœperunt conqueri, quod quaſi in deſpectum duciculam in ſua manu ad ſuam præſumſiſſet ferre collectam. cumque hoc audiſſet vir Dei, eorum animos ſatisfactione qua potuit ſtuduit mitigare, ſeſeque hoc ignoranter feciſſe teſtatus eſt. Hortatur ergo eos celerius currere, & vaſi eam reſtituere. Cucurrerunt itaque, & de tonna non ob-

Digitized by Google

ANN. CH. MLV.

ſtruſa ne unam quidem guttam extitiſſe repererunt, ac ſi elementum inſtabile ad oſtendendum cunctis beati viri meritum, in firmitatem cujuſcumque perſolidæ rei fuiſſet mutatum. quod videntes, ejus provoluti pedibus rogare cœperunt, ut deinceps ſecundum quod ſibi videretur de eorum facultate diſpergeret egentibus, ne dum ſuæ cuperent tenacius conſulere avaritiæ, Dei viderentur contraire ſententiæ, qui ait: Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt. *Luc.* 6. 36.

Reinerus in gratiam redit cum Epiſcopo.

2. Noſtri loci abbas, REINERUS[a] nomine, quorumdam adulantium delatione accuſatus eſt apud epiſcopum Mettenſium ADALBERONEM[b], (qui ob nimium cultum quem monachis exhibebat, monachorum pater appellatus eſt;) & dum hujus animum, quamvis injuſte contra ſe commotum, nec crebra interventione illuſtrium virorum, nec frequentatione multimodi ſervitii ſibi placabilem conaretur efficere, ille nihilominus omnia ac ſi purgamenta ſprevit, & numquam ſuam gratiam eum habiturum ſedule proteſtabatur. At ille, quem fas cogebat ferre dominium Mediomatricum epiſcoporum, utpote qui ſucceſſerant in hereditate, quam olim lege inviolabili ſanctus TRUDO juſſus angelica præceptione ſancto Stephano[c] tradiderat, ex more ingratum adiit dominum. cujus præſentatus conſpectibus, dum à ſalutato ex more pro reſalutatione contumelias plurimas audiret, melius ſibi duxit eſſe quælibet ſubire diſcrimina, quam toties repetita non declinare verborum probra. Itaque quantocius potuit ſe à præſentia ejus abduxit, & fugæ latebram expetiit. At vero piiſſimus Dei famulus Trudo, non leviter ferens injuſtam ſervi ſui perſecutionem, per viſum Epiſcopo apparuit, & cur eum tantis injuriis afficeret, verbis acribus, ſimulque verberibus exegit. Expergefactus itaque convocat omnem clerum, & quid vidit in ſomno enarrans, ſui aſſertores ſermonis cunctis oſtendebat plagarum livores. Revocato itaque abbati diu negatam gratiam indulſit, omnique vitæ ſuæ tempore in omnibus negotiis neceſſariis auxilium ſe ei præbiturum promtiſſime repromiſit.

Ejus reliquiæ tranſlatæ.

3. In Moſellacenſi provincia, quædam villa Pomerium eſt dicta, in hac cum largitate ADELBERONIS[d] junioris, vici illius incolarum ſpontaneis oblationibus decimam eccleſiæ poſſidemus. hac itaque freti ſpe concives illi, noſtrum adierunt locum, poſcentes ſibi pignora de ſomate * ſancti Trudonis, quod conſecuti ab abbate ADELARDO[e] omnium bonorum memoria digniſſimo, quantocius repedare ſtuduerunt; & dum appropinquarent loco deſtinato, audierunt omnes qui in eodem vico commanebant eccleſiæ ſignum ter pulſari, quaſi ad procedendum commonens: concurrentes vero, & altrinſecus vulgari more ſciſcitantes, quis illam clocam pulſaret, nullum potuerunt deprehendere hujus rei culpabilem. Itaque dum ita coadunati inter ſe conferrent quid hæc res portenderet, ſubito eminus conſpiciunt venientes, quos miſerant ad deferendum cæleſtem theſaurum. Tunc intelligentes quod tali indicio illius adventum Dominus dignatus eſt prænunciare, illius divinæ clementiæ referunt laudes, & eum cum condigno honore ſanctæ eccleſiæ recondiderunt altari. Iſtud apud illos quaſi recens, ita tenaciter memoriæ ineſt, ut ſemper patres hoc narrent ſuis filiis, & filii eorum generationi alteræ: ſed & hoc adſtruunt in argumento miraculi, numquam ſcilicet eis omnium rerum poſtea defuiſſe abundantiam, etiam cum omnem terram maxima premeret inopia. Hujus itaque veritatis cotidie in ſuis profectibus experimentum captantes, per ſuccedentia tempora viciſſim ad nos veniunt, & exemplo patrum ſuorum edocti, de ſuis vineis mente devota ſancto conferunt loco, per omnia illi Joſeph nimirum non inferiorem confitentes merito, qui vir ante Iſraëliticum populum in Ægyptum miſſus, à periculo eos famis eripuit.

* *i.corpore,*

Perjurus punitur.

4. Hoc quoque tempore quidam villicus, nomine Ozſcinus, cognoſcens animum domini ſui, videlicet comitis GISLEBERTI, ad dilatandos terminos ejus, præſumſit exſtirpare palos finium ſancti Trudonis in ſilva, nomine Imbriſca: cumque utriuſque partis defenſores cauſa diſcernendæ hujus rei conveniſſent, ille arborem quamdam calce concutiens: Hunc, inquit, locum monomachia, jurejurando, omnique genere affirmandi aſſero eſſe Domini mei, ſicut iſtum hunc ſanum poſſum referre pedem. Mox igitur ſicut falſum teſtimonium protulit, ita vetum judicium Dominus oſtendit; ita ut non ſolum ejus pedem computreſcere faceret, ſed & totum corpus ejus miſerabili tabe conſumi faceret.

Captivus liberatur.

5. Quidam de familia ſancti Trudonis præjudicium paſſus, gemebunda torquebatur pœna, qui dum ab his qui eum captivaverant, ut eum abſolutum à vinculis illæſum abire ſinerent per interceſſores niteretur obtinere, & nequaquam ad effectum poſſet pervenire, tandem ultimis coactus malis, orat ſibi miſereri pro reverentia pii patris Trudonis. Illi au-

[a] Præfuit annis 5. ex Rodulfo in prologo Chronici Trudoniani. ſed quo Chriſti anno, ſe ignorare fatetur. At Meuriſſius obſervat ex Hiſtoria mſ. Trudoniana Adalberonem ipſum Mettenſem epiſc. ei anno 944. fuiſſe ſubſtitutum.

[b] Adalbero 1. eccleſiam Mettenſem annis circiter 35. egregie adminiſtravit ad ann. 968. De eo Meuriſſius fuſe in Actis Epiſc. Mettenſium.

[c] Eccleſia cathedralis Mettenſium patronum habet S. Stephanum.

[d] Adalbero 2. Theoderici 1. ſucceſſor obiit anno 1004. regiminis ſui 20. De eo vide 1. partem hujus Sæculi pag. 29. & Meuriſſium.

[e] Duo fuere hujus nominis abbates Trudoniani.

Digitized by Google

ANN. CH. MLV. tem non ſolum petita non præſtiterunt, verum inſuper ſancti Patris contemta auctoritate, artius lora quibus miſer tenebatur ligatus conſtrinxerunt, uſque dum vitam ejus laqueo funditus exſtinguerent: & dum deliberatæ mortis ſententia quibuſdam ſuſpenditur cauſarum eventibus, ille hoc ſolum ſibi credit ſupereſſe ſolatium, ſi aſſiduis oraminibus expeteret affore ſibi auxilium prædicti ſui patroni. Interea ſollemni adveniente die, quo beatus vir exutus hujus mundi tenebris, in æternum cum Domino regnaturam animam cæleſtem tranſmiſit ad ſedem, nimirum, ut regibus moris eſt reos in ſuis abſolvere natalitiis, pauperis ſui importunas reminiſcitur preces, & abſolutionem quam ille humano non percipere ſuffragio, parat omnipotentis Domini virtute perficere. Cœperunt ergo omnia legamina, cæleſti confracta imperio, miro diſſolvi modo, clauſtra pateſcere cuncta, fugam nemine obſtante adhortari univerſa. Quid multa? fidele patrocinium peculiaris patroni in ſe completum conſpiciens à Domino, mox caſtellum Lovanium in quo captivus tenebatur lætus egreditur, ſollemniſantibuſque in beati viri aula intereſſe cupiens, primo ſurgentis auroræ crepuſculo, gratiarum actiones redditurus illuc anhelus venit, ſatis evidenti ſuæ evaſionis exemplo demonſtrans, per merita ipſius pii patris celeri effectu à Domino nos conſecuturos quidquid juſto expetierimus deſiderio, ſi devotis mentibus ejus reverendis invigilaverimus obſequiis.

Fures puniti. 6. In pago Maſualenſi, vico priſcorum incolarum vocabulo Alburg nominato, ſita eccleſia ſancti Trudonis ditioni eſt ſubdita, nec minus ejus meritis conſecrata. Ibi quædam anus Manſionarii officio functa, ſub ſacro velamine in jejuniis & orationibus convenienter ſuæ devotionis Domino rependebat cultum; quadam autem die, veniens illuc impius quidam dogmate cum manipulo furum, quem ſibi patrocinante ſæva rapacitatis præſumtione collegerat, apparitoribus ſuis iniquis juſſit quaquaverſum ex ſubſtantia pauperum xenium colligere, unde ſibi ac ſuis ſupparibus opiparum fieret convivium. Tunc inter reliqua pauperum altilia, illius Deo ſacratæ, totum quod habuit unus adductus eſt porcellus, & coquis ut exinde pulmentaria præpararent oblatus: mox anxia mulier, ne perderet nutrimentum diligentiſſime educatum, ſacro-ſanctam cæleſtis regni petiit aulam, ibique ſolo proſtrata, ab injuſta ſe petiit defendi rapina: & feſtinato ab oratione ſurgens, coqui adiit officinam, cœpitque dicere ſe de adjutorio Dei per patrocinium ſancti Trudonis confidere, illos numquam de ſuo porco manducaturos eſſe. Tunc ſubſannantibus eis pauperculæ verba, quidam imprudentior ceteris, ex carne porci ipſius quæ parabatur offam arripiens in os miſit, quaſi falſa eam dixiſſe demonſtraturus ex ſua comeſtione. quam diu inter fauces nequaquam ut glutiret circumvolvens, quandoque ante ora ſimul diſcumbentium ſanguine & tabe commixtam egerebat; & intolerabili faucium dolore conſtrictus, dum infructuoſam pœnitudinem perpetrati facinoris agere feſtinat, Dominus memor injuriarum ſervi ſui, miſit in eum iram indignationis ſuæ per angelum malum, & cum inſperato fine vitæ obſtruxit os adverſum ſe loquentis iniqua. Quod videntes ceteri, exenteratum &, ut erat, in fruſta conciſum mulierculæ reddiderunt porcum: nec tali præſumſerunt edulio maculare, pro quo extimuerunt pari ſententia tam ſevere damnari. Itaque quique pagenſes familiæ ſancti Patris nullam ulterius calumniam irrogare præſumſerunt, dum in hoc facto Domini cernebant completa eſſe promiſſa, qui in ſe confidentes majora ſuis beneficiis patraturos eſſe promiſit: illud ſignificans, quod ſicut hæc mulier in merito ſancti viri confidens, ex rei exhibitione vera dixiſſe comprobatur, ita multi ad ſanctorum declarandam ſanctimoniam, ſub eorum nomine facturi eſſent plurima virtutum prodigia.

Sacrilegus punitur. 7. In pago Texandrenſi quidam de ſuo alveario unum vaſculum promiſit de reliquo ſe communicare ſancto viro, qui cum hoc ſuum beneficium ſibi videret meritis ipſius ſancti fœneratum, & alia ex contrariis aërum inæqualitatibus ſæpe deterioratum iri, ac illud ſemper fructificari mirifice, intellexit cooperatione tanti patris hoc ſibi à Domino omnium fieri. Saniori itaque ſecum tractans conſilio, etiam reliquorum omnium medietatem ex aſſe devovit ſe daturum eccleſiæ ipſius, quouſque viveret ipſe. Cumque vicinus ejus copiam vaſculorum videret menſuram numeri, ut ita dicam, excedere, nimia inflammatus cupiditate, ut ei aliqua concederet magnis cœpit inſtare precibus. E contra ille ſancte jurando aſſerebat numquam qualicumque ingenio, ullius quavis conſanguinitate proximi ſibi poſſe perſuaderi prece, ut peccaret in ſancto, auferendo res quas ei ſemel contulerat. Et dum ille multiplicis fructus cuſtodiam & exercitium ſupra virtutis fore negotium diceret, ſe quoque fideliſſimum cooperatorem, ſi liceret, hic ſe libentiſſime in earum deſudare labore reſpondit, ſanctum enim in earum multiplicatione ſibi collaboraturum, nec cuiquam exinde ſibi licere aliquid partiri, niſi forte permiſſione præpoſitorum ſanctæ aulæ daretur licentia. At ille ſæculari potentia elatus, fraudem perverſæ mentis, quam dulcibus verborum tegebat venenis, aperiens, eadem vaſcula per calumniam nititur auferre; itaque ejus verba nihili pendens, utpote ſervorum Dei orationum arma, penetrabiliora omni gladio ancipiti, cæca mente non intelligens poſſe pertingere ad diviſionem animæ & ſpiritus, ſancti quoque præſentialiter ubique virtutem adeſſe detrectans, favum ex eodem melle arripuit, & coram adſtantibus comedere cœpit. Moxque dulcedo illa in fellis amaritudinem converſa eſt, ſulphureaque quamdiu

eam

Digitized by Google

eam in ore volvebat ſentiebat, incendia; & ut ipſe poſtea referebat, niſi eam celerius excreaſſet, tota illi comburerentur vitalia. Cœpit ergo poſthæc emendatius vivere, nullique ſanctorum quidquam injuſtitiæ præſumſit irrogare, quia eos ubique Dei cognovit protegi virtute. ANN. CHR. MLV.

8. Placuit divinæ pietati Salvatoris noſtri Dei in diſſimili rerum materia, ſcilicet piſcium, non tamen diſſimili virtutis perpetratione, ſanctum nobilitare virum. Hæc autem res quomodo geſta ſit, ſtatui ſummatim deſcribere; ut, & quod contigerat perpaucis notificatum verbis, aliena diripere cupientibus ſit timori & correptioni; & inculta legere faſtidientibus, non ſit oneri ſermo repetitus rei quodammodo pari accidentis eventu. In ſupradicto namque pago campania eſt late patentibus campis ſolis ardore exuſta, & nullis humani negotii uſibus apta, ſed ſolummodo latronum ſcrobibus plena, de quibus & longe perſpicaci intuitu eorum nullis divinæ creationis obſtantibus machinis, facillime poſſunt deprehendi itinerantes. In hujus ſiquidem aviis cum angariam manſionarii cœnobii ſancti viri ex conſuetudine agentes, quidam ſpecubus illis proſilientes ſpoliare niterentur, talis miraculi ſunt ſagitta terebrati, ut ultra jam quod advexerant, pæniteret eos hujuſmodi uſurpationis. Fures.

9. Mulier quædam vivendo luxurioſe templum violaverat Spiritus-ſancti, & per ſacram regenerationis gratiam expulſo à ſe dæmoni ſuæ mentis habitaculum fecerat monumentum: hanc, ut diximus, per latas deſideriorum carnalium vias vagantem, dominicis ſuis pius Conditor judicavit compelli intereſſe conviviis. Itaque ſpecioſitate ejus carnalis putredinis, in qua plurimum gloriabatur, in fœda deformitate mutata, toto effecta eſt corpore clinica, ita ut cruribus & manibus reptando eleemoſynatorum circuiret domos; & quæ de male acquiſitis pecuniis quotidie antea conſueverat delicate epulari, tunc ad correptionem taliter viventium beneficio ſuſtentaretur alieno: & cum ſalubri hoc addicta ſupplicio, domum ſancti viri frequentaret, mediantibus ipſius meritis, ſub conditione jam non peccandi divinum promeruit in reſtauratione ſuæ ſalutis auxilium. Sed quia mox prioris converſationis non timuit iterare volutabrum, poſteriora illius prioribus pejora facta conſpeximus, irrevocabili ſententiæ mutatione. Similem in animabus noſtris metuentes eventum, ſi poſt conſecutam à Domino delictorum veniam, priſtinis nos non veremur maculare conſuetudinibus vitiorum. Mulier punitur.

10. Ex contiguis quoque nobis locis, dum quidam croceis hinc inde ſuſtentatus ibidem à Domino medelam ſoſpitatis fideliter expeteret, continuo ſe ſenſit cæleſti medicina ſalvatum, & baculis ibidem, ut tam præſentes quam futuri agnoſcerent quantis præclarus haberetur miraculis vir beatus, ſuper fores monaſterii ſuſpenſis, ad propria ſanis reverſus eſt plantis. Dominus autem ipſius tanto gratulatus beneficio, cum aliis qui ibidem in varios uſus adminiculantur matriculariis, poſtea eum tradidit famulandum. Æger ſanatur.

11. Paterfamilias viciniæ loco ſancti viri commanens, dum crebro aſſueſceret ſtatuta ſollemnitatum celebria à ſua profectus domo verbis peragere, quadam vice corde compunctus, cur quod permulta poſſidens nullam Domino conferret oblationem; parvulam puellam, conſentiente ſua uxore, pro reverentia ſancti Dei manumiſit. Quam cum poſtea domina illa præ ceteris coævulis ejus formam egregiam cerneret etiam robur excreviſſe adoleſcentiæ, clandeſtino inſtinctu callidi hoſtis illecta, in ſuum non timuit revocare ſervitium. Dum autem ſæpius ſubmurmuraret illam peccare, quod primum velle non timuerit violare, ſequenti voto, & Dominum eam in ſancti injuria ad iracundiam provocare; illa importunitatem hujus clamoris non ferens, ſuæ eam deſtinat filiæ, ut dum in aliena terra duro opprimeretur labore, juſtæ obliviſceretur querelæ. Quanto tamen eam ibi affligebant, tanto illa ſanctum Domini enixius ut ſui miſereretur orabat, & famulam ſuam à jugo injuſtæ dominationis dignaretur eripere. Quid multa? Dum igitur ejuſmodi contabeſcens doloribus, quadam nocte laſſa membra collocaret quieti, ſubito adeſt ei ſpecioſæ formæ clericus, cur ſe gemebundis toties inquietaret increpationibus, ac ſi ejus nolentem compati miſeriis, ſciſcitans. Et mox circumdans brachium ejus dextrum & pectus ferreo vinculo: Hoc, inquit, portabis in teſtimonium, quod & meæ aures Dei gratia adſint omnibus invocantibus me in veritate, & mearum pervaſores rerum perpetuæ non careant damnationis ſententia, ſi ſatisfactione condigna ſui non laverint maculas criminis. Cumque diluceſceret, & illa ad opera adſueta brachium extendere niteretur, ac ſi in vulva matris concretum eſſet, reliquæ carni corporis apparuit adhæſiſſe, ſimulque & manus ipſius contra naturam incurva. Hæc cum reſciſſet domina ejus, celeri nuncio eam via qua venerat remiſit matri ſuæ, dicens ſe malle quælibet illius ſervitutis ſubire diſpendia, quam tanti viri incurrere odia. Illa tamen immoderata ambitione mentis obumbrata, quod oculis cernebat, & manibus contrectare poterat, credere recuſabat; quin & fortiſſimis viris præceperat, ut omni conamine niterentur explorare, an puella vera dixiſſet: & cum tandem intellexiſſet, quod quanto curioſius inveſtigaret, tanto glorioſiorem militem Dei in virtutibus redderet, & evidenter nullo ingenio brachium à reliqua corporis carne avelli poſſe multorum didiciſſet teſtimonio, vultus hominum erubeſcens, ut poſt patuit, magis quam Dei judicium pertimeſcens: Perge, in- Captiva mire liberatur.

Digitized by Google

ANN. CH. MLV. quit, ad locum ſancti patroni noſtri, & ſi te incolumem remeare conceſſerit, à mea prorſus ſervitute te liberam in perpetuum cognoſcas. Venit itaque ad monaſterium, & plebe fratrum ſtipata, ut ſe res geſta habuit veridica relatione deprompſit. quam illi blande conſolati, hortantur cum fiducia adire tumulum ſancti: aſſerentes, ut quæ illum non timuerat confiteri in periculo, tunc magis præſumere poſſet preces exauditurum ob ſalutis gaudium fuſas: & cum collegium fratrum pro ea orationi incumberet, illa coram altari ſancti viri procumbens, ſubito brachium in directum cœpit extendere, & manu, quam immerſam tenuerat, ad priorem naturalis ſpeciei reformata pulchritudinem, populo multo inſpiciente, ſana ſurrexit & incolumis. Tunc magnis exſultationis vocibus Deum collaudantes, qui in ſanctis ſuis ſemper mirabilis eſt, omnes qui aderant tanto jocundati miraculo, in ſua redierunt cum gaudio. His ita geſtis, acceſſit antiquus tentator ad prioris habitationis domicilium, ut illud commacularet prioris cupiditatis volutabro: & quia illa inſidiantis ſuo calcaneo caput conterere neglexerat, continuo ſicut canis ad fœtidum ſuæ nequitiæ reverſa eſt vomitum. Videns namque virginem omnibus membris ſanam & vegetam, ad ſua iterum juſſit redire opera. quod dum fieret, pius pater, eodem quo prælibavimus ordine, ſerva ſua contracta, & reciproca curatione ſanata, Dominum in ſuæ virtutis operatione reddidit prædicabilem, & prædictam matronam de iteratione ſceleris confuſibilem.

Frenetica curatur. 12. Cujuſdam matronæ nobis notæ pediſſequa, dum nequiter atrocis inimici vexaretur infeſtatione, à conſervis ſuis ad tumulum ſanctiſſimi viri eſt perducta; cumque per integram ſeptimanam inibi occulto, ſed numquam injuſto, Dei judicio, ſemper acriori torqueretur pœna, tandem extremis coacti malis, omnem ſancti collegii convocant catervam, & ut pro ea enixius fidele tanti patroni implorarent præſidium, humillimis efflagitant oraminibus. qui dum eorum ægrè compaterentur dolori, prædictam freneticam ſecum tollunt ad cryptam, quæ poſt cancellos ipſius eccleſiæ ad orientem ſita eſt, pro ipſius recuperatione Dominum, ſanctumque deprecaturi Trudonem: & vix interjecto fere unius horæ ſpatio, dum attentius orationi vacarent, inopinate quidam eorum quaſi torrem flammantem ex ipſius hiantis ore exiſſe, & ſubito januas, utpote divinitus coactum, petiſſe perſpexit. Mox purgata perſona, mirantes ac flentes præ gaudio circumſtantes hortatur, divino numini omnipotentis Dei jubilationis perſolvere exſultationes, qui abſque dilatione præſtat petita per ſanctorum ſuffragia, ſcilicet ut tanto devotius eorum inſiſtamus reverendis ſervitiis, quanto eorum patrociniis confidimus perpetuis nos poſſe conjungi ſolemniis.

Energumenus. 13. Item dum quidam ex noſtra familia ephebus, juxta hujus carnis putredinem forma conſpicuus, teterrimi inhabitatione hoſtis in interiori homine eſſet fœdatus, ſpe recuperandæ ſanitatis eſt perductus ad limina ſanctæ aulæ, ubi ſine intermiſſione experiuntur infirmi, quanta devotione Dei famulum conveniat honorari. Mox ergo & ipſe priſtina ſanitate recepta, monſtravit palam cunctis, nulla adverſa ſanctorum exanimatis poſſe reſiſtere artubus, qui viventes in carne eximiis piæ converſationis greſſibus, omnem virtutem inimici conterere contenderunt.

Pes percutientis areſcit. 14. Alius vir dum quaſi profecto ad miſeriam nato, ſæpius ei in ſuis negotiis maxima contingerent infortunia, adiit pii patris baſilicam oraturus, & dum diutius oraminibus, utpote quem vis doloris coëgerat, incumberet, quidam diabolici veneni felle infectus, mortifero pede illum pulſans, ut ſurgeret jubet; nec diu dixit in oratione laborandum, dum Deus priuſquam peteretur ſe promiſerit juſtas poſtulationes eſſe præſtaturum. Sed perſpicax mentium inſpector non diu paſſus eſt celare cujus uterque eſſet intentionis, nam alterum pie conſolatur, dans opportuna de tribulatione præſidia; alterum vero ſuæ temeritatis digna perculit ultione, ſcilicet ut quamdiu viveret, illo pede, tibia tota obrigeſcente, claudicaret.

Alius item punitur. 15. Injuriam ſanctiſſimi ſervi ſui pius Dominus non diſſimiliter in alio aliquando ultus eſt, niſi forte minoris ſit potentiæ os procaci cachinno inſultantis pauperi coram ſacro-ſancto altari oranti tortuoſum reddi, aut hominis nefandi tibiam pro ſua peſſima præſumtione inflexibilem & inutilem ſtatui. poterat autem vir omni pietate prædicandus celerem utriſque iſtis à Domino impetrare medelam reſtitutionis, niſi ob magnæ diſtuliſſet documenta ſalutis: ſcilicet, ut hæc ſcientes Evangelici recordarentur eloquii, melius eſſe ſua humiliter confiteri peccata, quam de falſa inaniter ſuperbire juſtitia.

Peſtis ſedatur. 16. Igitur multiplici noſtrorum criminum enormitate in memoriam veniente Altiſſimi, ſua patientiſſima decrevit patientia nos temporaliter potius puniri, quam pœnis æternis deputari. Itaque, ut rem omnem geſtam per ordinem referamus, gladius divinæ animadverſionis univerſos noſtram inhabitantes patriam inedicibili devoravit peſtilentia, præter dumtaxat locum ubi ſervantur ſanctiſſimi pignora patris. Et dum percuſſi renitimur ſuſcipere diſciplinam, addidit nos percutere in lingua, inaudita hactenus plaga turgentium veſicarum; juſto ſcilicet judicio, quatenus acrius cruciaremur in membro, per quod ejus divinam crebrius irritamus benignitatem, murmurando. Dum ergo hæc lues pæne univerſos conſumeret, omnis conditio noſtri vici in diverſa ætate, cum piiſſimi hujus concurrunt interceſſione faciem Domini prævenire in pura confeſſione ſuorum criminum, ne forte excuſantes conſcien-

tiam variis commaculatam culpis, tam pavendæ mortis mererentur involvi ſententia, quam languor non præcedebat, ſed quæ languorem ſubito præcurrebat. Tunc denique triduano jejunio, eleemoſynarum uberrima largitione ſanctificato, cereis accenſis ſuper candelabra, ſcapulis ſuſtollunt ſanctiſſimi corporis ejus feretrum; ut ejus meriti munirentur propugnaculis, qui proprii criminis formidabant expugnari ſpiculis. Circumeunt itaque vicum, nec ullum relinquunt habitaculum, quod non includant hujus circuitionis ambitu. Quid multa? lue memorata paucis noſtrorum vexatis, nullis ut uſquequaque in noſtratibus finibus morte multatis, cunctis palam monſtratum eſt, nos quidem illorum ſuppliciis qui morte multati ſunt meruiſſe pœnam, ſed ſanctiſſimi viri meritis, digniſſima innumerabilium criminum evaſiſſe diſcrimina. Frendens autem diabolus & tabeſcens, quoniam deſiderium ſuum perire vidit, ſuam imbecillitatem, qua contra Dei inexpugnabili protectos munimine fruſtra nititur pugnare, divino conſtrictus numine cogitur pandere. Nam ipſius veſpere diei, qua ſancta hujus circuitionis celebrabantur celebria, apparuit cuidam longe à nobis manenti, & quid apud nos actum ſit prorſus ignoranti, quaſi carpento inſidere, & eumdem currum furibunde agitare. Et dum increpatur, utpote quod homo pure putabatur, cur ſe præcipitem curſu velociori daret: Noli, inquit, mihi moleſtus eſſe; jam defecerunt vires ſpei meæ. Super univerſam enim hanc terram expanſum eſt judicii malum à Domino, ſed in tempore hujus iracundiæ, hic veſtræ, immo totius Galliæ, patronus Trudo, ſuam quodammodo protexit Sarchiniam. unde nulla me noveris poſſe diripere mortuorum ſpolia. Vere qui quondam cuncta terrenæ ambitionis pro lucratione ſuæ largitus eſt animæ, nunc duplicia in recompenſationem recepit augmenta, in ſuorum protectione vernaculorum, & ſuper hæc omnia cum eiſdem æternaliter futura poſſidebit gaudia. Sed nos, fratres, os fraudulenter vera loquentis obſtruentes, veritatis aſſertione peccatorem increpantis, quare juſtitias ſuas enarrare præſumeret, tota mentis intentione hilariter ei perſolvamus jubilationis exſultationes: quia urbs fortitudinis omnium de ſua pietate præſumentium, nobis hujus ſancti imitatoris ſui interceſſionibus, murus factus eſt undique, ne ullus antiquo hoſti ad noſtram læſionem poſſet patere introïtus. ANN. CH. MLVI.

17. Quædam quoque mulier, quam omnes, utpote nobis vicine manentem cognoſcimus, ita per multa annorum curricula erat conglomerata, ut nullo modo valeret ſurſum reſpicere, nec ullum ſuæ neceſſitatis exercere laborem. Hanc cum pius Dominus vellet ab infirmitate dimittere, & diuturnis tribulationibus ejus finem imponere, tali ſpe dignatus eſt corroborare, ut omiſſa medicorum, quam fruſtra in diminutionem ſui cenſus expetabat, ope, hujus ſancti viri fidele imploraret patrocinium. Venit itaque ad monaſterium, & impetrata à manſionariis per unius noctis ſpatium orandi licentia, ad tumulum ſancti viri acceſſit, & ut ſui miſereretur cum compunctionis lacrymis oravit. Statim itaque exaudita, juvenilem lætabunda proclamat ſe recepiſſe vigorem, ac ad propria populo inſpectante ſana eſt regreſſa. Contracta erigitur.

18. Cum ab imperatore HEINRICO Ottonis ducis cujuſdam viro noſter locus fuiſſet traditus, quibuſdam ſcandalorum occaſionibus exortis inter eum & THEODORICUM [a] Mettenſium epiſcopum, ſupradictus dux nimis immiſericorditer non ſolum noſtra diripere, verum etiam & noſtram familiam inhumaniſſime cœpit tractare. Igitur nos innumerabilibus direptionibus, quas juſta Dei permiſſione ab eo patiebamur coacti, piiſſimum confeſſorem Trudonem ſine intermiſſione flagitabamus, ut ſua ſancta interceſſione impetraret à Domino tam lacrymoſis cladibus finem imponi; tandem tanto mediatore piiſſimus Dominus ad conſolationem noſtram provocatus oromate, crudeliſſimum illum dignatus eſt percellere, ut ſi vellet ſe reprimere ab incœpta temeritate, ſuſpenſam interim evaderet pœnam. Ut tamen rem geſtam narremus ordine omnem, quadam nocte cum ſe ſopori dediſſet, vidit per ſomnium quaſi ipſe ſtaret ad portam atrii, quod ducit ad domum ſancti viri; & quemdam ſenem ſibi obviare in ſchemate clerici. Hic cum eum percunctaretur quo tenderet, ſe reſpondit monaſterium illud velle adire. At ſenior hujus aditus eum affirmabat indignum, iret potius, & eum digna ſtuderet placare pœnitentia, quem horribilibus irritavit criminibus, ſicque demum divinum frequentaret oraculum. Ille tamen dum nititur reluctanti reſiſtere, & prohibita introire limina, gravem ictum, ut ſibi viſum eſt, ab ejus pugno in ſuis ſuſcepit ſcapulis. Hæc autem ſalubria monita non emendatior volvens in animo, & neſcius quia ſacræ veraciſque hiſtoriæ auctoritate docemur, per ſomnia nonnumquam futurorum præmonſtrata fuiſſe præſagia, hac qua ſolebat pertinacia ſua inſane ſæviens, venit ad ſupradictum monaſterium ſua lucra cumulare, & continuum noſtrum per augmentum ſuæ fraudulentiæ innovare dolorem. Quid plura? dum, cunctis quorum gratia illuc venerat diſpoſitis, profecturus portam ipſam egrederetur, ſubito in ſcapulis vi febrium quaſi mortifera pungitur ſagitta, & clamore maximo ſe mori præ nimia anguſtia fatetur, lentoque conamine officium ſuum uſque Trajectum ſubſecutus, vel quis ab introitu templi eum depulerit, vel quem ipſe in malis perſeverans contemſerit exitiali morte expertus, ta- Monaſt. perſecutor punitur.

[a] Is eſt hujus nominis II. qui ad annum 1047. ſedit.

Digitized by Google

ANN. CH. MLV. lium patronorum reverentiam, etiam in ultimis ſervorum ſuorum eſſe conſervandam in ſe collatæ ſententiæ ſeveritate perdocuit: nec umquam aliquem pro ſui juris terrore ſibi ſubditos regere, quin potius potentiam ſemper clementia temperare.

19. Quædam quoque mulier, Hildeſvvindis nomine, de fluvio Tenora cognomento, per multa tempora ſpiritu infirmitatis detenta, ita ut nullo modo ſurſum valeret reſpicere, admonita eſt per ſomnium, ut ſi vellet amiſſam recuperare ſanitatem, ad hujus ſancti viri quantocius properaret feſtinare monaſterium. Quæ viſioni omnino fidem adhibens, vinctis bobus in bikota, (quia cauſa conglomerationis ejus ita erat, ut non aliter poſſet vehi,) ad ſupradictum locum eſt perducta. ubi cum aliquantiſper divinam humiliter flagitaret clementiam, ſancti viri experiri merita, ſub oculis omnium qui aderant, in priſtinam eſt reſtituta ſanitatem; ita ut nullam ultra ſenſerit membrorum læſionem. Mox itaque ingenuitate depoſita, cum omni poſteritate ſua ſe ſub annuali cenſu in perpetuo illic tradidit ſervituram in omnibus, ſicut ſolent tabulæ continere, ex ingenuis ad loca ſancta ſe donantibus.

INCIPIT LIBER SECUNDUS MIRACULORUM ſancti Trudonis.

ANno humanati Verbi milleſimo quinquageſimo, nobile Principe HEINRICO juniore moderamina perſtrenue diſponente imperii, & glorioſo viro GUNTRAMNO patre noſtri monaſterii, hæc apud nos percrebuerunt magnalia Domini per pia ſanctorum Confeſſorum merita Trudonis & Eucherii [a].

Puella ſanatur. 1. Mulier quædam filiam quatuor ferme annorum ætatem contingentem, oculorum pedumque officio deſtitutam ingemuit, quam ſpe ſalutis convehens, ad ſanctorum ſuffragium venire ocius maturavit; ſeque in orationem devotæ mentis intentione proſtravit. Cujus precibus ſupernus patuit auditus, ideoque diu expetita ſibi affuit celeriter ſalus, acceptoque deſiderii ſui pignore, tam nos quam circum manentes quoſque participes ſuæ effecit lætitiæ.

Senex. 2. Pari etiam modo homo quidam tremulæ ſenectutis alumnus, diutini languoris detentione ſe gravante, non ſolum ad pauperiem, ſed etiam ad tantam ſui corporis devenerat defectionem; ut per biennium uno claudicaret, altero ſuſpenſo pede, geminiſque ſe ſuſtentando baculis, quotidianam ſtipem per domos fidelium cogeretur expetere. Hic itaque fide recuperandæ incolumitatis animatus in præoſtenſis hominis Dei magnalibus, ipſa die ſalvationis præſcriptæ puellæ, acceſſit ſupplex & devotus, & ut ſui miſereretur Dominus, oportunis importuniſque implorabat inſtanter oraminibus; moxque fidelia illius precamina ſancti viri magnifica adauxerunt nobis opera. Affuit igitur illi indeficiens invocantibus ſe cæleſtis ſubſidii medicina, qua vigoratus, poſitis ante ſacro ſanctum altare baculis, replevit in commune quoſque confluentes jubilo ad efferenda ſummæ majeſtatis præconia.

Alius ab igne interno. 3. Item homo quidam ſex ſeu plurium menſium circulo, quodam occulto latentis Dei vindictæ percuſſus judicio, miſerabili doloris torquebatur infortunio. namque inſtar urentis flammæ cæleſtis plagæ immiſſio pedes exedebat, ac ferme abſumebat illi continuo combuſtionis incendio. Denique conſumtis digitis, tantum figura pedum patebat informis, quam ipſa etiam perſeverans diræ calamitatis pererrabat ignis, intolerabilis etiam fœtor exiens ab his in modum ſulphuris, nullum ſinebat hominum illi compati indulgentia hoſpitalitatis, ſed ſub dio jacens diverſas temperies ſuſtinebat aëris. Igitur manibus cruribuſque reptans, cum eſſet noſtri in vicino, eodem ſcilicet vico, vix tandem ſanctæ baſilicæ ſubiit tectum, congruæ oportunitatis auſpicio, ſeque quam devote oramini protendit in humo. nec mora, pii patris almifica ſolito valuerunt ſuffragia, impetum ferventis æſtus ab ejus pedibus compeſcentia, optatique juvaminis levamen illi ſuppeditantia. Erigitur itaque, & baculo ſe ſuſtentans, curatis plantis, iter cœpit agere, noſque in commune ora in laudem Dei compulit reſolvere.

Mulier curva. 4. Quædam etiam anus multorum annorum incurvationis ſuæ inviſa multum temporis ingemebat pondera, quibus deprimebatur, ſolo vultu contenta. Veniens ergo ad nos, coram reba ſancti viri proſternitur, & adſtantibus multis utriuſque ſexus, affectus ſui effectum adipiſcitur: moxque interventu pii patris incolumitatem corporis adepta, pro poſſe & noſſe ſuo, dignarum Deo odarum nobiſcum perſolvit modulamina; ſicque gaudens propoſiti ſui peragebat itinera.

Ægri XVII. 5. Inſtantibus quoque ſacro-ſanctis Pentecoſten diebus, quarta videlicet feria eorumdem dierum, tanta apud nos exuberavit gratia curationum, ut in momento in notis perſonis ſeptem-decim impleretur numerus languidorum, ſoſpitati miſeratione Domini & meritis ſancti Trudonis patroni noſtri reſtitutorum.

[a] S. Eucherius epiſc. Aurelianenſis à Carolo-Martello in exſilium actus, obiit ac ſepultus eſt in monaſterio Trudoniano. Vide ejus vitam I. parte Sæculi III. Benedict. pag. 596.

Digitized by Google

6. Quædam juvencula, Thietſuuindis nomine dicta, matrimonii lege detenta, hujuſmodi ulcere exertæ iræ Domini erat percuſſa. diſſoluta namque renum femorumque compagine, nuda, miſerabile etiam dictu, nedum viſu, parebant oſſa divulſa carne: ſicque per unius anni ſpatium non tantum ambulandi, verum etiam ſtandi, ſedendi, in latus à latere movendi deſtituebatur officio, ſed hæc conſequebatur alienæ miniſtrationis impendio. Medicorum etiam ars nequaquam in ea fatigabatur, quia fructus impenſæ operæ, ſanitas ſcilicet, minime ſubſequebatur. Fama autem virtutum ſancti patris noſtri Trudonis per quaquam volitante, non diffidens de miſericordi Omnipotentis ſolamine, à parentibus plauſtro ſuperpoſita advehitur, atque ante mauſoleum ſancti collocatur, cujus dum auxilium intenta mentis devotione imploraret, ſubito curationi reddita optatæ, experta eſt magnifica pii patris beneficia omnibus ſe pulſantibus indenegata. ANN. CH. MLV. Mulier.

7. Alia itidem femina, anhelæ febris æſtu aliiſque languoribus diu obſeſſa, vehiculo cœnobium noſtræ habitationis adiit orationis gratia, ubi propenſius grata Deo orationis profundens libamina, ſui corporis cupita obtinere promeruit ſalvamina. Altera à febre curatur.

8. Quidam etiam contractam ferentes mulierculam, ſanctam properant inviſere baſilicam, glorioſis ſignorum operibus ejuſdem protectoris noſtri Trudonis perlucidam; & ut comprobaret Dominus, nil fide apud ſe eſſe glorioſius aut validius, antequam limen penetrarent plenius, aut vel verbum orationis profunderent, aliquatenus vigoratis membris, conſtitit in proprios gradus, ſalutis ſuæ auctorem totis magnificans conatibus. Contracta.

9. Puella etiam quædam tibia femori annexa, ſic ſuſpenſo pede claudicationis ingemebat miſeriam, nec à quoquam poterat jam ſperare medelam. Igitur hæc ad monaſterium perducta ſancti, Deo propitiante curam promeruit ſui. Item contracta.

10. Item femina longi temporis ſpatio oculorum ablatione multata, ad obtinendum ſubſidium ſancti Trudonis, cordis ſui accendebat lumina, nec ſe fruſtrari credidit concupita medela: nec diu abſuit implorata Omnipotentis clementia per interventum ſancti Patris. Recepit itaque viſum, & nobiſcum condignæ jubilationis Deo pro poſſe ſuo pertonabat canticum. Cæca.

11. Nec diſſimili modo tirunculus quidam per octo annorum volumina claudus, eodem die, ipſa hora, ipſoque momento, opitulantibus meritis ſancti, depoſitis ſuſtentationis ſuæ baculis, incolumitati eſt reſtitutus. Claudus.

12. Alius etiam indiſſimiliter incurvationis ſuæ diutius deflens infortunia, de pago Flandrenſi Coloniam properabat inviſere ob ſui curamina: inter ambulandum vero ad noſtrum vix tandem applicuit cœnobium, ubi pectoris ſui abdita Deo reſerans pro internarum qualitate virium, ſuffragante ſancto, priſtinæ ſoſpitatis promeruit ſtatum. Reliqua illius diei miracula prætereo, quia ad alia ſequentium dierum differenda feſtino. Contractus.

13. Igitur ſexta hebdomadæ ejuſdem feria, iterato Dominus lætificare appoſuit nos per conſimilia virtutum ſuarum opera. Erat eleemoſynæ Comitis de Los quidam, Richardus nomine, cruribus pectori affixis conglobatus, quammultis annorum curriculis infortunii ſui medicamen præſtolatus. Hic itaque quorumdam ſancto loco concurrentium adminiculo ad nos peracceſſit, votique ſui ſententiam ſupernis auribus, quas nil latet, conſummans, erectionis ſuæ pignus ſuſcepit. Item contractus.

14. Alius itidem eodem die, greſſu debilitatus unius pedis, conſecutus gratiam Domini, ſanus inviſit defenſionem propriæ manſionis.

15. In parochia eccleſiæ Walaviæ puer jam juventutis metam contingens manebat, qui deſtitutus miniſterio pedum, aſino utens, per domos fidelium vectus ſui alimoniam dietim conquirebat. qui ipſo vehiculo ad nos uſque advectus, mox miſeratione Domini integritati expetitæ valetudinis reformatus, eumdem aſinum ſanctæ aulæ, totam ſcilicet ſuæ ſuppellectilis poſſeſſiunculam, contradidit in munus. Cum hac etiam omnium parentis multimoda pietate, duo contracti optata lætati ſunt ſanitate. Tres contracti.

16. Quædam ſimiliter femina unum pedem ab humo ſuſpenſa, obtentæ ſalutis celavit gaudia, quæ dum propria cum convicaneis ſuis repeteret habitacula, doni quod acceperat ſubito privata eſt indulgentia, pedetentimque remeans, amiſſæ curæ reparatur medela. Clauda.

17. Erat etiam juvenis, divinæ ultionis animadverſione octo annorum rotatibus incurvus, ſcabellulorum uſu itinerum ſuorum moderans greſſus. Sumta itaque fiducia recuperandæ ſalutis pervenit ad nos, precibuſque auditus pulſans ſupernos, recepit quod fidenter petiit erectionis ſuæ pignus. Contractus.

18. Sequens quoque dies magnarum virtutum nitore coruſcus, in quinque contractorum reformatione in commune ora reſolvit, nobis cunctiſque circumſtantibus in clariſonis ſummæ majeſtatis laudibus. Quinque contracti.

19. Applicuit pari omine ad nos eo die quædam muliercula, profecto in obcæcatione ſua per multum tempus ad miſeriam nata, quæ procumbens oramini, per ſancti interventoris Trudonis pia patrocinia, adepta eſt oculorum ſuorum remedia. Cæca.

20. Indiſſimiliter tirunculus quidam oculorum lumine privatus, indubitata fide ſuffra- Cæcus.

Digitized by Google

ANN. CH. MLV. gia pii patris adiit, & opitulante Dei clementia videns receſſit.

Mancus. 21. Item quidam diſcipulorum temporalis miſeriæ, ſancti hujus fideliter propiavit clementiæ, petens obnixe finem imponi ſuæ invaletudinis anguſtiæ. fuit enim debito penſi deſtitutus manus ſuæ. nec diu abfuit effectus ejus voti, indulta ſibi miſeratione Excelſi.

Mulieres duæ. 22. Poſt hæc ſexta feria, ipſa videlicet quæ præceſſerat vigiliam ſancti Johannis-Baptiſtæ, quædam compotrix infortunii multum temporis incurva, ſæpe memorati ſancti ſæpiuſque memorandi Trudonis viſitavit limina: cujus veſtimenti laciniam quædam tenens cæca, non æquis paſſibus antecedentis ſequebatur veſtigia. Itaque Deo pariter pectorum ſuorum pandentes penetralia, pro poſſe & noſſe grata orationum emittunt munia. nec mora, geminatæ illorum fidei celeris propitiatio obviavit Altiſſimi, alterutrumque receptæ ſalutis gaudia retulerunt ſibi.

Manca. 23. Alia ſimiliter mulier manus amiſſione multata, præſentiam ſui devovit ad ſacroſancta memorabilis patris noſtri merita, quæ ubi voti ſui debitum devota exſecutione perſolvit, divina benignitate manum ſanam recepit.

Contractus. 24. Sed & ea die quidam contracti corporis deflens miſeriam, fugata omni nodoſitatis peſte, pii patris interventione, incolumitatis ſuæ obtinuit lætitiam.

Contractus. 25. Nec illud ſilentii clauſura tectum deliteſcere patiar, quod in ipſa nativitatis ſancti Johannis vigilia contigiſſe lætati ſumus. Homo enim quidam tantæ imbecillitatis incurrit infortunium, ut deſtitutus omnium penitus ſolatio membrorum pæne ſimularet mortuum, præter ſolummodo linguæ uſum. Petiit ergo quatenus veheretur ad monaſterium hominis Dei, non diffidens de omnipotenti adminiculo Regis æterni. Tandem perductus, ubi preces ſummis pro tenore ſuæ valetudinis infudit auribus, ſubito totius angoris delapſo colligamine, propriis ſurrexit plantis ſuffultus, votiſque ſolutis, propria repetiit lætus atque ſanus.

Cæca. 26. Ea etiam die puella quædam, viſus jocunditate deſolata, reparatis luminibus, majeſtati ſupernæ condignæ laudis nobiſcum reboabat cantica.

Mutus. 27. Deinde tribus interjectis diebus, quidam ſupervenit mutus, qui ſtatim miſeratione Domini ſolutis linguæ habenis, loquendi recepit uſus.

Cæca. 28. Tanto igitur gaudio perfuſos ſigni addidit nos Dominus lætificare uberius meritis fidelis ſui. Denique cæcæ cujuſdam vultibus exſtinctis nocturnas decutiens umbras clare diei luce ſerenavit pupillas.

29. Juvenis quidam offenſam ſui in Deum luens, ſiniſtrum pedem pererrari cæleſtis ignis immiſſione ingemuit, & Corbeiæ [a] auditis magnalibus Dei, quibus ſanctum ſuum inceſſanter glorificat, inde ad nos venire quantocius properavit. Inter itinerandum vero paullatim vis combuſtionis refrigeſcere remiſſiuſque fervere cœpit, donec ubi valvas ipſius ſancti cœnobii ſubiit, funditus immiſſæ plagæ ultio Deo propitiante ceſſavit.

30. Mulier itidem alia de Texandria adduxit filiam quatuor annorum, necdum quantum illi ætati competebat greſſus conſecutam debitum, quam, dum in reverentiſſimo ſanctuario deponeret humillima prece, ſubito ſibi gaudia oriuntur de natæ ſoſpitate, & nobis, de tam frequenti miraculorum iteratione.

Surdus. 31. Haren, quæ eſt villa in Brabanth, juvenis quidam erat, qui præripiente ſe infirmitatis gravi incurſione, per aliquot annorum volumina auditus utilitate carebat; hic cum ceteris ſuæ coloniæ habitatoribus patrocinium Sancti adiit, moxque reditu ſalutis gaudens receſſit.

Mutus. 32. Juveni etiam cuidam per opacæ noctis ſilentia in porticu templi miſericordiam Domini præſtolanti ac imploranti, linguæ uſus redierunt per obtentum pii protectoris noſtri.

Cæcus. 33. Vigilia Principum ſæculi, ſanctorum videlicet apoſtolorum Petri & Pauli, cuidam multum temporis oculorum lumine carenti effectus obtigit ſui deſiderii, nobiſque inde oritur jam ſoluti commotus gaudii, & in altum iterum voces adſtantis efferuntur cleri.

Cæca. 34. Pari omine dehinc tertii ſolis mundum perfundente jubare, tenebrarumque horrorem procul eliminante, ecce item viſitavit nos dignatio majeſtatis ſupernæ. Mulier quædam Hoienſis * deſolationem deflens ſuæ cæcitatis, cum concivibus ſuis veniens, juvari optabat ſæpe dicti patroni meritis, cum ſubito aſſpicientibus tam nobis quam circumſtantibus cunctis, munere donatur optatæ lucis. (* *Huy.*)

Surdus & mutus. 35. Erat præterea mulier in villa Walavia, habens puerum gemino ſpiramine clauſum, oris ſcilicet auriumque accidentibus à nativitate ſui fruſtratum. nam alter à ſecundo annus tunc percipiebat illum. Adducens itaque eum, ſpatio trium dierum & tantumdem noctium ſancti Trudonis ſalutarem manebat interventum, piumque omnipotentis reſpectum. hiſque ordine elapſis, domum remeabat admodum triſtis, quod inibi optata conſequentibus plurimis, ſuis tantum ſanctus minime reſponderet votis. Tandem miſericors Dominus, qui ubique præſto adeſt de ſe præſumentibus, nolens illam diutius his miſeriarum detineri doloribus, ſolitæ miſerationis aperuit ſinum, infundens illi largæ ſalvationis medicamentum, loquelam atque auditum.

[a] Picardiæ opidum ad Somonam, ob abbatiam celebrem illuſtre.

36. Vir etiam quidam nobis commanens vicine, in villa ſcilicet Iſerna, tantæ infirmitatis per undecim annos detinebatur gravedine, ut numquam de lecto ſurgere, numquam à latere in latus aliud ſine adjumento aliorum valeret declinare. hic plauſtro ad noſtrum uſque perductus monaſterium, vix à quatuor portitoribus evectus eſt ante altare ſanctum, ubi devoti pectoris Deo reſerans abdita, odorifera cælis precum ſuarum profudit oramina: moxque pietas multimoda votis ejus obviavit per dona ſalutaria. Vigoratis itaque membris, domum lætus reviſit & incolumis. ANN. CH. MLV. Contractus.

37. Quædam deinde puella de Niviola *, ſcabellulis nitens, à lumbis deorſum præmortua, erectionis ſuæ inibi ſuſcepit pignora. * Nivelle.

38. Aliud quoque mirabile atque memorabile huic narrationi curæ ſit annectere. Quædam enim femina iræ rea divinæ, ſenis luſtris tanta perpeſſa eſt pondera judicii, ut in rotatu tam multi temporis, caput erigere non valuerit ad claritatem contemplandam ſolis. quæ ſalubri tacta conſilio, ſancto appropiat accurrere loco, præſumens de ſalute ſui per almifica patrocinia ſæpe dicti ſancti. Obviatur itaque cælitus ejus deſideriis, nec mora reparatur valetudine optatæ meliorationis.

39. Quidam itidem juvenis, à nativitate ſui officio privatus aurium & oris, quorumdam ductu ſuffragia adiit ſanctiſſimi patris, multiſque adſtantibus ſolutus eſt coævæ clauſulæ habenis, aurium ſcilicet & oris. quod autem antea nec audiret nec loqueretur hoc fidem dedit, quia interrogatus unde vel quis fuerit, ipſis verbis quibus interrogabatur reſpondit: ſive enim Teutonice, aut Romane, aut Latine, ſive Græce illi loquereris, nihilominus iterabat verba interrogantis, & ad interrogata reſpondere neſciebat competentia. Surdus & mutus.

40. Mulier ſimiliter de pago Narniaco, toto corpore debilis, ſancti viri petiit tumulum, quatenus experientiam auditarum in ſe ejus caperet virtutum. dum autem pro votis citius ſibi non occurreret effectus ſalutis, propria nititur reviſere triſtis cum ſuis convicaneis. Sed cum prima à monaſterio manſione cubitum iret, mox ſaniſſima redditur, ut comprobaret Dominus, quia ubicumque ſanctorum ſuorum merita implorantur, competentia ſuffragia ſubſequerentur. Conſurgens vero diluculo, mirata eſt inſperatum ſuæ ſoſpitatis ſubſidium, ſuiſque concivibus maximum incuſſit gaudium.

41. Infirmus quidam totius corporis deſertus officio, ſe venturum ſancti Patris ſpopondit cœnobio, quod votum ubi vovit, continuo ibidem, ac ſi jam exſecutor voti fuiſſet, priſtinam ſanitatem obtinuit.

42. In Brabantenſi pago quidam nimium dentium & gulæ incommodum paſſus, acerrimis à ſuis plangebatur lamentationibus, utpote triſtibus ſupremæ diei rapiendus, ut videbatur, ſortibus: tandem verbis quibus valuit ſancti viri patrocinium ſibi affore quantocius exoravit, hacque invocatione impulſus ſanctus deſperato ſuccurrit velocius. Denique faceſcente puſtula convaluit tertio die, ad monaſterium ejus ſanatiſſimus venit, ac condignas pro accepto beneficio gratias, prout novit ac valuit, omnipotenti Domino devotiſſime reddidit.

43. Quidam, ut ipſe ac perplures eum cognoſcentes teſtabantur, jam per triginta annos oculorum lumine privatus ad nos venit, ſancto cor ſuum panſurus, qui mox oratione completa, priſtina viſus ſuſcipit acumina. Cæcus.

44. Item in Brachatenſi regione, alius vir per annos duodecim auditus amiſſione multatus, ſuæ imbecillitati ſanctum mederi perquirebat anxius. hic cum videret turbas fidelium ad ſupradictum locum properare, ſeſe illorum immiſcuit cœtui, ſua uxore ignorante; ubi poſtquam pervenit, pavimentoque incumbens devoti pectoris oramine ſanctum invocavit, mox redintegratum aurium accedente divina indulgentia recepit. Domum ergo lætiſſime repetiit, uxoris ſcrutinio quo abierit, ſalutem ſe conſecutum opitulante ſancto Trudone reſpondit. Fit ambobus gaudium, cunctiſque audientibus ingens jubilationis tripudium. Surdus.

45. In Budiclar villa Texandriæ, quidam erat ejuſdem ſancti Patris noſtri familiæ, tanta caput præventus & turgidus infirmitate, ut præ nimii doloris incurſione ad deſperationem perduceretur vitæ, & veluti in præſenti moriturus, omnia ſupellectilis ſuæ diſponeret domus ſuæ. tandem à conjuge ſalutare percipiens monitum, voto ſe obligavit almum ſe inviſurum monaſterium, non diffidens divinæ miſerationis ſolamen ſibi affuturum. Arrepto igitur baculo, pertentabat, prout nutantis greſſus ſinebat facultas, loco properare almifico, quo pervulgata pii patris noſtri exuberabat ſanctitas: inter agendum vero iter, reſpectus ſummæ majeſtatis ſibi annuit clementer, totiuſque languoris moleſtiam ab eo propulſavit effectualiter.

46. Alius etiam vir per duorum annorum circulum nimiæ ægritudinis detinente gravedine, cura neceſſariarum abſtrahebatur rerum. qui audita fama virtutum ſancti, inſtantius in lectulo quo detinebatur ejus efflagitabat patrocinium: unde & mox per fidelem illius interventum ſoſpitati ſe gaviſus eſt redditum.

47. Mulier quædam de comitatu Namurcenſi * ad præfatum locum venit, quæ cunctis palam infirmitatis ſuæ indicium oſtendit, ſcilicet uterum ad inſtar utris tenſum, ubi die * Namur.

Digitized by Google

ANN. CH. M L V. noctuque intentionem habens orationum, per fidele ejuſdem patris patrocinium ſuæ moleſtiæ à Domino adhiberi querebat remedium. Sequenti vero nocte, gallicinii tempore, divinæ bonitati fidei ejus magnifice libuit petita concedere, prædicti interventoris impetrante oramine: evomens itaque quæque inutilia turgidi corporis, largitorem proprie magnificavit incolumitatis.

Cæcus. 48. Simili modo quidam ſenectæ ſub cruda canitie vernula, per pia ſancti Trudonis merita diu ſibi demta oculorum recepit lumina.

49. Texandriæ in villa, Suchta nuncupata, quædam femina perículoſo morbi genere pedem affecta, ibidem famoſa ſæpedicti hominis Dei implorabat ſuffragia, quovis terrarum ſupplicibus ſuis ſuccurrentia, quantumvis ſolita miſerationis ſuæ etiam ſibi indulgeret juvamina; ſpopondit autem ſeſe ad ſacra ejus quantocius venturum merita, ſi ſanitatis facultas ſua proſequeretur deſideria, præmiſſa interim per bajulum cerea caliga. nec diutius illam demorata eſt ſalus implorata, & ipſa poſt, ut vovit, ſacra ejus inviſit limina.

* *Metz.* 50. Quædam mulier nobis vicine commanens, Mettis * proficiſci ſtatuit, & dum jam in itinere conſiſteret, quadam die veſpertinis horis incumbentibus, venit ad domum cujuſdam hoſpitandi cauſa, & ſuſcepta à domino domus interrogatur unde ſit, aut quonam tendat. dum autem in reſponſionibus eam cognoviſſet noſtratem civem, filiam ſuam ei oſtendit, dicens: Hæc, inquit, quam vides filia mea, ita nata eſt brachio ſuo adhærente lateri, ac ſi compago unius foret membri; ego vero audita fama miraculorum ſancti Trudonis, confecta candela ad menſuram brachii puellaris, ſanctum ejus cœnobium adire properavi, ingreſſus propoſitum diſpoſiti itineris. Poſtquam autem inde, exorata ipſius clementia citius redii, filiam meam ſanam, ut tu ipſa cernis inveni, ut nihil membrorum ſuorum patiatur diſpendii. Hæc nobis ipſa rediens narravit, aliis etiam fidelibus & nobis notis idem affirmantibus, fidem adhibuimus.

Paralytica. 51. Quidam nobilis vir cum uxore ſua & multo comitatu de partibus Niviolæ ad nos veniens orationis gratia, narravit nobis quid in vico quodam contigiſſe cognoverit miraculi ſancti patris obtinentibus meritis. Cives illius loci quamdam ſibi præſentantes puellam, ab utero ſuæ matris paralyſi reſolutam, hoc modo dixerunt eſſe ſalvatam. Dum pervulgante rumore ſancti cognoſceret virtutes, ut ſecum ſe veherent deprecatur illuc adventantes. quo nequaquam obtento, candelam procuratam obulo proximæ detulit eccleſiæ, ſanctum Trudonem intimo pulſans oramine, quam pius clementer reſpiciens ſanctus, optatæ saluti illam ibidem reſtituit celerius.

Claudus. 52. Quidam villicus orationibus almi viri ſe commendare voluit, & ob hoc locum noſtrum adiit, qui ſancte jurando affirmabat, aliis etiam ſecum hoc idem aſſerentibus fidelibus, quia dum viam huc ducentem aggredi non valeret quidam claudus, ad eccleſiam abiit ſibi poſitam vicinius; ubi dum memorabilis patris noſtri ſuffragia ſedulis imploraret precibus, ſubito diu optata ſibi affuit ſalus.

Mancus. 53. Similiter quidam mancus inter ambulandum huc ſalutis donum eſt indeptus.

Cæcá. 54. Nec hoc etiam huic operi pigeat adnectere, quod cuidam feminæ novimus obtigiſſe. Hæc ſeptenis annis oculorum lumine privata, cœnobium noſtrum adiit oratura, & protinus viſus obtinuit gaudia.

* *Bourges.* Preſbyter ab igne pedum. 55. Preſbyter quidam, indigena Bituricæ * civitatis, Gerolfus nomine, quadam æſtus combuſtione pedes jam pæne ambeſus, cum fama per quaquam volante beati viri virtutum efficeretur conſcius, iter illuc ducens cœpit carpere, quibus corporis pedumque valuit viribus: cui inter eundum reſtincto igne meritis ſanctiſſimi patris paullatim ſalus redibat ſanitatis. Tandem ad nos perveniens, pedes jam ſanos abſumtis digitis oſtendit, & quid de ſe ſuffragio ſancti actum fuerit intimavit, ac gratiarum actiones Deo devotiſſime reddidit.

Mulier à febre. 56. Texandriæ villa Endeholt eſt appellata, inde quædam matrona ad nos venit, diu anhelæ febris valetudine vexata, inſuper & totius cibi edulium faſtidiens: cumque à quatuor viris præſentibus nobis ante ſancti mauſoleum potius deportata fuiſſet quam perducta, totidem ſe inde relevantibus, abſque effectu ſui voti hoſpitii ſui divertit ad domata. Sanctus itaque tutum ſe quærentibus confugium, nolens illam obtentu frequentium fruſtrari precum, ſolitum ſuæ pietatis aperuit ſinum, reſtituens eam in priſtinæ ſoſpitatis ſtatum. Die namque tertia renovatis plantis repedavit ad ſua, repudiatis omnimodis vehiculis quibus illuc fuerat advecta.

Cæcus. 57. Pauper quidam Leodienſis tertio, ut ipſe tunc autumabat, fruſtra ad ſupradictum ſancti viri monaſterium venit. qui multum temporis cæcitatis ſuæ caliginem ingemuit: quarto autem cogitans, quia Deum magis offendit quiſquis deſperando ab oratione tepeſcit, reduci ſe quantocius expoſcit; & comminus eo proximante ſacroſanctæ baſilicæ, reduci viſus gavisus eſt lumine.

Alter. 58. Indiſſimiliter de Biliſia, quidam item cæcitatis infortunium paſſus, ad nos veniens, infelicitatis ſuæ molem hoc modo diſſerere eſt exorſus. Præſente, inquit, anno, imminente ſancti Martini ſollemnitate, ego curam mei corporis habens, in vena ſiniſtri brachii imminutus

Digitized by Google

minutus ſum ſanguine: mox ergo obmutui ac ſi penitus forem elinguis, & omni illa parte debilitatus ſum corporis, ut omnimodis auris, manûſque, pediſque deſtituerer officiis. Crebreſcentibus autem late & longe ſancti viri miraculis, ſpe recuperandæ incolumitatis ad ejus tumulum huc alienis delatus ſum ſolatiis. cumque aliquot hic tranſegiſſem dies, nec votis meis optata ſalutis occurreret ſpes, maceratus receſſi meam deflens miſeriam; reputans me indignum tanti Patroni promereri interventum. Digrediens autem non longius aberam vico, cum priſtinæ valetudini redditus ſum continuo, precabarque mecum euntes, quatenus huc revertentes, Deo dignas ſuper beneficiis ejus perſolveremus grates: illis autem ad propria feſtinantibus, triſtis cum eis ſine effectu voluntatis meæ ſum regreſſus. ANN. CH. MLV.

59. Item mulier quædam Hoienſis ad nos applicuit, ſiniſtram tibiam ad inſtar utris turgidam poſt ſe potius trahens, quam vi debiti officii dirigens: & ubi triduo nobiſcum manſit, omnis moleſtia inflationis quievit; ut penitus ſibi demeretur infirmitas, & ad vota ſoſpitatis occurreret jocunditas.

60. De Wavera, quæ eſt villa Brabantenſis pagi, quidam leproſus ad nos veniens, petiit ſibi de puteo noſtro aquam dari, quod lepra accedendi facultatem dirimeret illi. quod ut impetravit, latenter ea totum ſuum corpus perfudit, ſicque cum convicaneis ſuis iter remetiens, ſua repetiit. nec mora, pietatis Dominus, qui famulum ſuum tantis decrevit miraculis inſignire, oſtendit eum & in hoc poſſe quod Spiritus-ſancti clementia fide ruſticum coëgit præſumſiſſe. Nam antequam domum ſuam contingeret, totius lepræ deformitas opitulante ſancto, & propitiante Domino, ab eo decuſſa eſt, ut ipſe poſt rediens manifeſtavit & confeſſus eſt. Leproſus.

61. Quædam itidem muliercula de Gandavo, ferme dimidii anni circulo clinica divinæ animadverſionis verbere effecta, ſancti Trudonis cuiquam inde negata, toto anniſu fidi pectoris invocabat præſidia; nec fruſtravit eam Dominus fideli petitione: ſed mox clementer affuit illi ſalutis exhibitione. Ipſa vero non immemor accepti, quantocius tumulum inviſere properavit ſancti, gratias redditura ſuæ ſalutis auctori. Clinica.

62. Servus cuidam ſæcularis nobilitatis viro erat, Puerelmo nuncupato, multum temporis duriſſimo infeſtatus dæmonio. Hic itaque præcepto ejuſdem ſui domini à conſervis ſuis ad nos uſque perlatus, mox ut valvas monaſterii ſubiit ductorum ſudoribus, ab immundo pervaſore dicto citius conſtat liberatus. Dæmoniacus.

63. Applicuit etiam quidam de Namen ad nos, dum diem ſollemnitatis ageremus ob honorem ſanctiſſimi Confeſſoris Hieronymi, jure lucernæ mundi nominandi, narrans ſenis * amiſſum ſe lumen recepiſſe viſus exſtincti, dum domi indeſinenter clemens opitulamen imploraret ejuſdem patris noſtri. Concivibus autem ſuis adteſtantibus ſibi, ecce alius quidam claudum ſe præterita nocte cubitum ſe collocaſſe memoravit, contiguo noſtri monaſterii loco; qui cum nocturnis vigiliis ſanctum oramine inquietaret aſſiduo, ſoſpitati reſtitutus eſt pro voto. Cum autem debita odarum modulamina Domino perſolviſſemus, his & hujuſcemodi viſitationibus lætificati, iterum plauſus & jubilum oritur alterius miraculi. Matrona enim quædam ſecum quamdam adducens mulierculam: Hanc, inquit, gratia viſitavit Excelſi, ob merita & interventionem pii protectoris noſtri. Erat hæc ante à dæmonio captiva, quæ, ut cernitis, patrocinio ſancti ab omni pervaſione illius adſtat liberrima. Item immiſſione cæleſtis plagæ divinus ignis faciem & manus ſimulque pedes oberrabat ejus, qui pari modo interventu ſancti & propitiatione Domini exſtat exſtinctus. Tria miracula.

64. Poſtera vero die, de Alburg quædam mulier ſuum puerulum, ferme duos annos habentem, ſecum advexit: qui pedes à nativitate ſui ſic incurvos habuit, ut omnes illum aſpicientes compaſſibiliter ejus miſeriæ condolerent admirantes. Igitur piæ ſancti Trudonis aures precibus fidelis patuerunt mulieris, & reſtitutus eſt infans integritati optatæ ſanitatis. Contractus.

65. Tres etiam mulierculæ de diverſis terrarum locis appulſæ ſunt ad nos, duabuſque cæcitas vultus obtegebat; tertiæ vero debilitas pedum greſſum partim adminuebat. quæ in ſanctæ Trinitatis operatione, ipſius ſancti opitulatione, diu concupitæ incolumitatis dona recepere.

66. Ephebus quidam de Rembreteſdalo, Vvenezo appellatus, ferens ad menſuram ſui ſtatus cereum, ſanctiſſimi viri devotus adiit tumulum; cumque confabularemur illi, enarravit nobis quid obtigerit ſibi. Ante ſex annos, inquit, ipſa ſollemnitatis die ſancti Trudonis, ſilvam expetii ligna ad meos uſus conducere, & dum inciſioni inſiſterem, diriguit dextera mea meo annexa femori; pœnitente autem me operis, quod ſcilicet violare præſumſiſſem diem tantæ celebritatis, pœnitentiamque reatus mei agente, ſalutis recuperationi indulgentia ſum ſancti redditus.

67. Juvenis quidam loco noſtro quatuor miliaribus ſemotus, dum quaſi in deriſum haberet adeuntes merita ſancti ſæpe nominati, & nominandi ſæpius Trudonis, magnæ imbecillitatis incurſione multatus eſt divinitus. qui pœnitudinem agens reatus ſui, indulgentiam propitiante Domino promeruit conſequi.

68. Alius itidem de Vvalavia, per quatuor menſes febrium æſtu cruciatus, mox ut ſe

Digitized by Google

ANN CH. MLV. devovit ſancti expetere oratus, priſtinæ incolumitati eſt redintegratus.

69. Mulier quædam de Texandria filium ſuum anni unius ſecum adduxit, qui prorſus officiis omnium membrorum caruit, ſed & oculorum viſum ab utero matris ſibi ademtum perdoluit; inter iter agendum, dum ad prandendum mater cum patre conſederent, aſſiduiſque precibus præſidium ſancti implorarent, puerum optatæ ſanitati redditum congaudent: deinde poſt aliquot dies fidelis non immemor mulier ſibi impenſi, domum reverſa, ſui hos participes effecit gaudii.

70. Comitiſſa Mathildis de Herla gravem incurrit ægritudinem; quatenus etiam vitæ haberet diſcrimen: tamen non deſperans de recuperanda incolumitate, ſed fiduciam collocans in Deum ejus obtinendæ, caballum ſterni præcepit, & famoſum crebreſcentibus virtutum prodigiis cœnobium ſanctiſſimi patris noſtri Trudonis adiit; ubi dum ſe decenti apparatu famulantium perveniſſet, atque devoti pectoris penetralia ſubſidium ſancti expetendo Deo aperuiſſet, ſalutem quam quærebat impetravit; ſoſpeſque ac gaudens propria reviſit.

71. Quidam Theodoricus titulatus, oblationem pro poſſibilitate rerum ſuarum detulit, accedenſque, æditituo, quid ſibi obtigerit intimavit. In vigilia, inquit, hujus memorabilis patroni, ac ſpecialis totius Haſbaniæ defenſoris Trudonis, adeo validus ſubito mihi ingruit morbus, ut niſi ſuſtentatione amicorum nullo modo membrorum meorum dirigerem artus: poſtquam alieno ſolatio perductus, ſacroſanctam ſæpefati patris memoriam adii, ſecundum tenorem deſiderii mei, curam depulſa omni nodoſitatis peſte obtinui.

Contractæ duæ. 72. Item duæ contractæ ad nos applicuere, una Immolenſis incola villæ, altera Laudanæ; utræque miſerabili incurvationis infortunio multatæ. una enim ſcabellulis nitens & genibus; & altera manibus reptans & natibus, ſic infideliter ſuæ itinerationis agebant proceſſus, quarum miſeriæ ſolitæ pietatis in tentatione condeſcendens Dominus ſancti ſui interventu propitiatus, indulſit illis diu expetiti medicaminis levamen, videlicet ſuæ incommoditatis erectionem.

73. Itidem puer quidam cum muliere paris imbecillitatis, erant enim utrique ſurdi & muti, ad locum ſupradictum peraceſſit, auditus quibus officium adminiculante ſancto rediit.

74. Quidam nautæ dum in Anglica terra comparatis mercibus oneratas in altum ſolverent naves, natale ſolum petere cupientes, ſurgente contrario ventorum flamine, vehebantur ſub manu divinæ potentiæ, optatos portus nequaquam valentes attingere: fruſtra gubernator tentabat reniti, ſola exſpectatio inerat illis naufragii & leti. Tandem in exteras barbaratum gentium delati ſunt terras, concurrenteſque pagani, ex illis volebant agere prædas, & ſorte diſtribuere ſibi portiones æquas. Itaque ingemiſcentes ſanctum invocant Trudonem, in ſolo ejus adminiculo omnem ſuæ ſalutis ponentes ſpem. Interceſſit ſancti ſuffragium, ferventemque flatum adverſorum compeſcuit ventorum, ſedatiſque fluctibus, habilem illis hortatur ſolutionem navium. Datis igitur velis, proſpere ſpirantibus ventis, imminentis diſcrimine eruuntur pervaſionis & mortis. Tandem ſecundo navigio, quinto die regno advecti ſunt Danorum, à quibus humanè tractati, propria repetere ſunt permiſſi, per omnia patrocinantibus ſibi meritis ſancti. Recepti ergo pro votis optatis manſionibus, non immemores perpeſſi diſcriminis, & magnifici pii protectoris ſolaminis, iter adgreſſi almum cœnobium devote inviſunt ſui liberatoris, narrantes Dei magnalia per ſanctum ſuum ſibi manifeſtata, & voti ſolventes promiſſa.

75. In villa Claden appellata, mulieri cuidam gemini erant filii, crudeli plaga infirmitatis multati. Itaque hac tempeſtate unum tradidit ſepulturæ; alterius ergo habens ſollicitudinem ſalutis, per multa motus inſtabilis agebat mentis, ſi forte quidquam remedii inſtanti opponendum adinveniret calamitati. Fluctuanti per varia, hæc illi ſpes occurrit potiſſima, quatenus ſancti Trudonis adiens limina, ſibi ejus imploraret ſuffragia. Ibidem itaque votum vovit ſæpedictum cœnobium ſe viſitaturam, imi pectoris puritate ſancti patris invocans clementiam. Valuit oratio mulieris, ſequiturque interventus memorabilis tutatoris, videlicet communis totius Haſbaniæ patris Trudonis, liberans puerum ab infortunio deprimentis eum infirmitatis.

76. De caſtello Alphon, quod eſt juxta Nuſſiam, homo quidam Heynricus vocabulo, à renibus deorſum hujuſcemodi damnatus erat infortunio, ut nonniſi à bajulantibus geſtatorio de loco ad locum procederet ullo modo. hic comperta fama crebreſcentium virtutum ſanctiſſimi patris noſtri, alta trahens ſuſpiria ſub arcano pectoris intimi, ſolatium inſtantius implorabat ſæpedicti viri Dei. nec mora, licet in tam remotis partibus poſito, auditus ſancti patuit, diuque ſibi ademtam ſanitatem corporis indulſit: ſolutus ergo à vinculo cladis, quantocius ad nos venit non faſtidiens longinqui intercapedinem itineris, impertiens nobis gaudimonium ſuæ ſalutis.

Contracta. 77. Mulier quædam contractionis incurſione pervalide depreſſa, in Mezines villa Flandriæ, interventione perpetuæ virginis Mariæ, partim morbo erat relevata, ſed cur ad plenum medelam non ſit conſecuta, qua poſt pauci temporis intervallum eſt munerata, in

Digitized by Google

Omnipotentis conſiſtit notitia, qui novit temporibus diſponere tempora: namque aliquibus ſecum comitantibus ad famoſam ſancti Trudonis devenit baſilicam, ipſoque opitulante plenæ integritatis promeruit gratiam. ANN. CH. MLV.

78. Item de pago Brabatenſi quidam decreverunt Principum apoſtolorum ad urbem Romam expetere ſuffragia, univerſo orbi magnifice experta. Euntibus autem illis, caballus vector rerum eorum morbo præoccupatus, debitum illis denegabat obſequium; nec ſpes reſtabat eum habendi, quem ingruente exitio credebant celerius vita eximi. Tandem inito conſilio, communi deliberatione diffiniunt ſancto Trudoni donari illum, ſi incolumem patriæ contingeret revehi eum: quem cuidam in cuſtodiam interim credentes, incœptum iter ſtuduerunt peragere feſtinantes. Regreſſi itaque repererunt eumdem vegetum, nulliuſque ægritudinis habentem vitium. igitur læti, ut promiſerant, ſancto Trudoni donandum ſecum minabant, traditoque propria reviſerunt.

79. Duo quidam homines diverſæ ætatis diu languentes, morbo affecti pulmonis, indenegandæ pietatis adierunt ſepulcrum ſancti Trudonis, ibique ſecundum ſuum votum optatæ ſalutis adepti ſunt effectum.

80. Preſbytero Perengero de Vvalavia equi furtim ſubducti ſunt; dum autem veraci æſtimatione culpam infringeret quibuſdam facti reis, illi omni genere juſtificationis ſe purgaturos ſpoponderunt hujuſmodi objectis: inſuper deteſtabili conceptu tam perverſæ cogitationis, & dilatione accepta, pleni impio meditamine, ficte ſancti Trudonis mauſoleum tentaverunt adire, precaturi, ut pia condeſcenſione eorum impiæ compateretur conſcientiæ; ſcilicet, ut juſtum judicium Dei ſua perverteret pietate, exiſtimantes ſanctum ſui ſimilium * veſaniæ. Juſtus vero Dominus ſuſpendens æqui pondera judicii, non diutius paſſus eſt ſimulato fuco iniquorum deludi, ſed potius propalavit eos indicio iſtiuſmodi. Denique inter veniendum hoc ſpatio reſtante miliarii unius à cœnobio, nuſquam progredi valentes humi corruerunt ſubito. caro enim omnis plantarum particulatim divellebatur per fruſta Dei manifeſto judicio. Omnes vero qui aderant, eorum cognoſcentes reatum, Omnipotentis poteſtatis laudaverunt nomen, & extimuerunt judicium.

81. Item quidam nobilis homo, nomine Othgerus, in Cimaii cepharlargiam & orbitatem perpetiebatur per annum unum, ea nullo poterat curari medicorum. Vovit itaque ſancto Trudoni ſui capitis cenſum, cereum videlicet pilleum, ſi per merita ejuſdem ſanitatis promereretur remedium. nec mora, deſiderio ejus cælitus medicamen ſupernum affuit; ipſeque ſponſionis ſuæ non immemor, quod voverat libenti animo adimplevit.

82. Alius itidem quidam de Kuiſc, biennio menti dentiumque dolore immani cruciabatur, nec quiſquam medicinalis peritiæ qui prodeſſe prævaleret ſibi reperiebatur. Omne corporalis ejus ſuſtentaculum illi adimebatur, tantum zoppulæ parabantur, quibus utcumque refocillabatur potius quam reficiebatur. Tandem rumore virtutum ſancti Patris noſtri perquaquam volitante, idem omni mentis intentione relevari exorabat ipſius ope, ideoque non fruſtratus eſt ſalutis donari munere. Reſtitutus itaque integritati, ceram compoſuit ad ſimilitudinem menti ſui, hancque devote deferens, precabatur ob memoriam incolumitatis propriæ ibidem ſuſpendi.

83. Dum quidam homo operis quippiam ageret, compaginem digitorum ſimulque nervorum ſuorum adeo prævalide incidit, quatenus palmæ illaberentur, qui ubi ſancti ſubſidium imploravit, priſtinæ ſanitati redditus, argenteam manum pro gratiarum actione ſalvatori ſuo detulit.

84. Quidam de Tiela * per unum annum & eo amplius adeo ingruente invalitudine gravabatur, ut numquam à lecto ſurgeret, niſi aliorum officio bajularetur. hic vidit per ſomnium ſe quaſi ad ſancti Trudonis cucurriſſe monaſterium, cui quidam obviam factus eſt, quo tenderet quærens: E contra, reſpondit ille, ſe ſancti viri tumulum inviſere velle. Hortatur itaque ocius maturare, eum ſciret pro certo ſanitatem ſe recepturum. Experrectus ergo mane, experimentum certæ viſionis in alleviatione ſuæ infirmitatis didicit, quia mox populis conſpicientibus, nullo ſuſtentante eccleſiam in eadem villa petiit, & his quæ in itinere erant neceſſaria aſſumtis ſoſpes ad nos venit, & quibus præconiis valuit merita ſancti patris magnificavit. * Tiel.

85. Puer etiam quidam de alto loco corruens, in tantum infirmitate affectus eſt, quatenus pæne omnes cibi ei faſtidio fuerint, quem parentes aſſumentes ad nos uſque convehunt, ibique opem miſerationis ſibi impetrarunt.

86. In Antuerpia * quædam puella inflatione uteri periclitabatur, adeo ut à ſuis propinquis omnimodis deſperaretur. Accipientes itaque illam, ad noſtram uſque ſibi conducebant baſilicam, ibique ſuffragio ſancti ejus morbi obtinuere curam. * Anvers.

87. Quidam itidem ob culpam perjurii, hujuſcemodi pœnam luebat juſti judicii Dei. Poſtquam enim pejeravit, numquam, ut ante conſueverat, quietum ſe continere prævalebat, manibuſque pectus ſine intermiſſione tundebat, atque inſtar hiſtrionum ſaltans, continue ructus inhoneſtos ore edebat. Dehinc multum temporis fluxit, illeque hujuſmodi Terribilis punitio perjurii.

Digitized by Google

ANN. CH. MLV. reatui ſubjacens, multorum ſanctorum cœnobia circuivit, donec interventu ſancti Trudonis Omnipotenti placuit, & ejus paſſioni finem ejuſdem ſancti meritis impoſuit: dum enim ſedulus apud nos in vigiliis & orationibus, omnique puritate cordis commiſſum confiteretur peccatum, ſubito divinæ propitiationis obtinuit medicamentum; & nobis omnibus, qui noveramus eum, magnum contulit exſultationis fomentum.

88. Juvencula etiam de Eitha, gravi cancri afficiebatur morbo, quæ invocato ſancti Trudonis merito, mox lætata eſt reducis ſalutis donario. Affirmabat autem in ſomnis ſe viſitatam à ſancto viro, optatæque integritati reſtitutam ab eo, ſalutari ſanctæ crucis indagio.

89. Mulier quædam de longinquis partibus nos adiens, enarravit ſe cæcam fuiſſe, & inter agendum iter ad nos ducens, ſancti opitulatione luminis hujus uſum recepiſſe.

90. Alius quidam de Paſtenacha, pari omine filiam ſuam ad ſancti meritum ſecum convexit cæcam, & Deo ordinante revexit videntem & lætam.

* *Aix la Chapelle.*

91. Matrona quædam Aquiſgrani * exſtitit, quæ omni robore ſui corporis deſtituta & viribus, ad mortem uſque periclitabatur diutinis languoribus, eique faſtidium magis quam ſuſtentaculum vitæ videbatur & erat omnis cibus. Non enim manum ori apponere, verbaque, jam lingua introrſum connexa, nullomodo valebat exprimere, ut ſaltem ſuis uſibus congrua ſibi valeret impendere; hocque incommodum incurrit ſacræ Quadrageſimæ tempore, & adeo valide, ut funditus ſpem amitteret vitæ habendæ. Ipſa vero nocte, qua jam diſſolvi credebatur à corpore, nimium triſtes cuncti vicini affuere tantæ matronæ; eique, ut ſe ſuaque vota ſancto Trudoni promitteret, curabant ſuadere: illa ergo vix ad modicum tandem reſumto ſpiramine, vocem intra fauces parumper valens volvere, id quod hortabatur affirmabat ſe facturam vita comite, ſi ſibi auxilium ſancti videret affore in naufragio & tribulatione vitæ ſuæ; quæ ut verba explicavit, protinus leviari ſibi morbum ſentiens, lecto reſedit: & quæ prius ei erant faſtidio alimenta, Deo gratias agens, cum gaudio percepit: & poſt triduum incolumis venit, nobiſque omnia, ut geſta ſunt, enarravit.

92. Quidam oculorum lumine privatus de Beliſia villa Haſbaniæ, ſanctiſſimi patris ſuffragia ratum duxit expetere, unde & ea meruit obtinere voti ſui aſſecutionem.

93. Pari etiam modo mulier quædam, Meſuendis nomine, de Campenholt Bracbatenſis pagi villa, filium ſuum per aliquot tempus cæcum ad nos perduxit, quæ videntem divina miſeratione recepit.

94. Femina quædam filium ſuum omni inceſſus officio deſtitutum, per unum menſem ſalvari poſtulabat per interceſſionem ſæpedicti patris Trudonis; moxque fidele ejus votum ſecutum eſt largum ſancti patrocinium. namque, ut preces fudit, eodem loco & eodem momento (erat autem in villa Cumei) puer ſalutis uſum recepit.

95. Quidam etiam de [villa] Fals dicta, ſenſu omnimodis privatus, convillanorum ſuorum ducatu ad nos uſque pervenit, & propitiante Domini clementia, recuperato ſenſu ſanus receſſit.

96. Quidam homo filiam pæne nubiles annos contingentem, ſed clinicam, ad pium ſæpedicti protectoris noſtri patrocinium ſecum adduxit; biduoque ibidem peracto, fruſtrata, ut ſibi videbatur, ſpe ſalutis, illam reduxit: inter agendum vero iter puella indefeſſe ſancti auxilium poſtulabat, idque non fruſtra in vota vocabat. nam priſtinæ ſoſpitati reintegrata, ad ſatisfaciendum pro poſſe ſancto regredi cum patre ſuo maturabat. Veniens igitur materies lætitiæ tam nobis quam opidanis fuit, omnibuſque in commune ad laudandum Dominum in beneficiis ſuis ora reſolvit.

97. Quidam homo de Hilencines, ferme dimidii anni ſpatio faſtidiens humani eſus naturam, per ſomnum monitus ad ſancti precaturus venit baſilicam, prægrandem in humeris ferens petram, indictam ſibi per viſionem nocturnam. Panis etiam ab æditui modicum expetiit, quod ſibi recuperandæ ſoſpitati ſufficiens, ſicut in ſomnis audivit, adjudicavit; hocque accepto propria lætus reviſit.

* *Nuit.*

98. Nuſſa * opido quidam clericus, preſbyterii promotus officio, Zazo titulatus vocabulo, nobis applicuit omine ſibi ſalutifero, corpore quodammodo ſemimortuo, ſed inter huc adveniendum, partim meritis piiſſimi interventoris Trudonis, ad quæ properabat curato. hic namque candela menſuræ ſuæ habitudinis confecta, ad januam noſtri monaſterii, aliquibus noſtrorum cernentibus, undique ſe circumcinxit illa, depoſitamque manu ſiniſtra, dextera cum brachio collo ſibi ſuſpenſa, ſanctæ manſionis ingreditur limina, ferens illam ad reverendum altare memorati patris cum manus imagine cerea. Denique pollice indici adnexo ad medium volæ, ceteriſque digitis ſic conglobatis, dexteram cum pondere lacerti ſuſtinebat collo, ut dictum eſt, dependentis, gaudioque ſpoliatus dextri luminis, opem monebat almi patris. Proſternitur igitur corpore ſummiſſo à latere capitanei altaris in ſanctuario, ubi poſtquam ſe proſedit, poteſtatem ſui penitus amiſit, & ita ibidem paullulum quid ſoporis divina ordinatione percepit. Inde tandem cum ſurrexiſſet, magno fragore & concuſſione brachii, oculique vertigine, præ dolore vix ſe in proprios gradus continuit. nec mora, repedante ſanitate, totius invalitudinis dolor conquievit. Solvit igitur ligamen à collo & brachio, offerens illud æditui, gratias Deo agendo. Inquiſivimus ergo ab eo quid infirmi-

Digitized by Google

tatis habuerit, & quid commodi conſecutus ſit. quod hoc modo nobis ediſcere ſtuduit. Ab hinc, inquit, ſupra quinque ſeptimanas, graviſſimo paralyſis morbo ingruente agitabar, & per integram hebdomadam diatim invaleſcente, conſuetos uſus utcumque agens diſcruciabar. Octava die in lecto decidens, totius corporis medietatem adeo amiſi, ut à vertice per mediam cerebri ſedem & frontem morbus digrediens, funditus in dextera parte omnibus membris obrigeſcentibus, uſque ad plantam quodammodo ſemimortuum me efficeret, viſu etiam dextri oculi & loquelæ privaret. Infra cutem etiam ad fauces dextræ partis puſtula mihi excrevit ad inſtar anſerini ovi, quæ intercluſit guttur etiam à perceptione potus & cibi. Dominus vero qui elegit ſanctum ſuum Trudonem magnificare, per ſex noctes immiſit mihi talem viſionem, quaſi in hoc monaſterium veniens optatam reciperem ſanitatem; abbaſque & ædituus injungerent mihi quotannis reddendum mei cenſum capitalem, dum non prohiberet vel obſequium Domini, vel hoſtilitas regni. Itaque concipiente me ſententiam huc veniendi, decrevit inflatio puſtulæ, & conſedit in brachio mihi, tumque aliquantulum loqui & potus quidpiam præſumere potui. Sed cum domina mea retineret me, metuens periculum etiam propter exercitum emiſſum in Balduinum, iterum puſtula recrevit, & occluſit pæne omne gutturis mei ſpiraculum, validiuſque me dolor occupavit omnino membrorum. Quidam etiam mihi adſtitit per ſomnium bis objurgans me eſſe mentitum, meumque non impleſſe promiſſum. Tandem domina mea voto meo conſenſit, abeundique licentiam dedit, & huic clerico compari meo, qui præſto adeſt, me commendavit. Hic vero ſenior me in fide ſua ſuſcipiens, vix inter ſe & miniſtrum meum caballo ſuperpoſuit, horſumque producere maturavit. Prima igitur manſione leviari etiam infirmitas cœpit; dumque contiguus huic ſancto loco eſſem ad milliarium unum, ipſe de caballo exſilivi, & ſane currere me ſancto gratias egi, & ut huc perveni, ut videtis, totius corporis ſalutem percepi.

ANN. CH. M L V.

99. Decanus quidam, nomine Folbertus, epiſcopii Trajectenſis *, hanc gratiam ſibi ſancti meritis eveniſſe enuntiavit nobis. Dum, inquit, ſacra Epiphaniæ celebritate de villa Vvendeshem ad aliam quamdam demigrarem, & terra undique ſecundum id loci nimiam aquarum ſuſtineret inundationem, nihil præter cælum aquaſque videns, pertimui incurrere, cum his qui mecum erant, circumfluentium fluminum profunditatem. Invocavimus igitur in tanta anxietate auxilia ſanctorum, qui noſtræ menti occurrerunt: ſed nihil penitus ad ſe ſuſpirantibus, uti nobis videbatur, ſolaminis intulerunt. Tandem memoriæ reduximus piiſſimi auxiliatoris Trudonis glorioſa opera, quæ perquaquam volitabant hic circum circa diſpergente fama. Confidentes autem de indeficiente ejus adjutorio, equos paulliſper continuimus in uno loco, emiſſaque fortiter & ſuppliciter voce, ſolatium expetivimus ab eo. Nec mora interceſſit, & ſignum nobis quorſum properare deberemus, quale Deus voluit oſtendit: denique à longe canis latratum audimus, moxque Dominum nos reſpicere opitulantibus ſancti precibus intelleximus. Tendentes igitur iſtorſum, poſt aliquantum temporis, dum proficiſcentibus nobis rurſus diſcrimen vitæ haberetur incertum, iteravimus clamores ad Dominum & glorioſum ejus ſanctum, iteratoque prædicti canis nobis inſonuit reſponſum, ſicque quoties ipſum invocavimus, toties voce canis contra latrante gaviſi ſumus, donec eo patrocinante atque optatam manum præbente, periculis liberi viæ reſtitueremur de qua deviavimus. Egimus ergo & agimus gratias Salvatori noſtro Deo, qui nos, interpellante dilecto ſuo, tam magnifice liberavit ab exitiabili tam metuendæ horæ periculo.

* Utrecht.

100. Puer quidam, uti plura adverſa miſeris mortalibus obveniunt, aquæ cujuſdam profunda incidit, abſtractuſque à parentibus non aliud quam mortuus apparuit. quem dum concivibus ac propinquis circumſtarent, manantibuſque lacrymis multa doloris verba & ſuſpiria ederent, tandem divino, ut reor, inſtinctu moniti, ſanctum invocant Trudonem auxilio ſibi. nec mora, ſolita ſancti interventione, piaque Domini miſeratione, puer oſcitans illapſas corpuſculo aquas valuit eructare; ſicque convaleſcens, parentibus penitus materiam demſit triſtitiæ, cunctiſque videntibus adauxit ſpem propitiationis divinæ conſequendæ. Hujus vero miraculi tot ſunt teſtes, quot villæ illius haberentur habitatores.

101. Lambertus Primarius villæ noſtræ, pincerna ſcilicet domini abbatis, filiam ſuam, ut ſolet inter amicos, ſorori uxoris ſuæ commendarat ad cohabitandum illi. Ut autem perplura homines incurſant morborum genera, eadem puella pervalide adhærentibus talis ad nates, ut nec digitus interponi poſſet, facta eſt contracta. Dum hæc triſtia tegunt parentibus, ſperantes quia aliquando illam deſereret morbus, ferme dimidii anni ſpatio ſpes vana illorum eluſit animos, diatimque triſtiores perſeverans plaga effecit eos. Tandem inſtante ſacro-ſancta celebritate millies beatiſſimi Trudonis patris noſtri, mæſti puellam remittunt parentibus ſuis, hujuſce valitudinis prorſus ignaris. Tum vero qualis quantuſque dolor piorum parentum obſederit pectora, facile liquet ex cujuſque conſcientia. fit ergo menſura ad menſuram puellæ longitudinis, nec diffiditur de Omnipotentis impetrando ſolamine. Fertur itaque ad eccleſiam, & collocatur ante Inſpectoris omnium, & ipſius ſancti præſentiam. Tunc ſurgentibus nobis ad agenda matutinorum ſollemnia, jamque celebrantibus ea, prædicta juvencula omni curvaminis nodoſitate ſoluta, priſtinæ integritati eſt reſtituta.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLV.

* *Huy.*

102. Quædam mulier matronarum Hoienſium *, alta progenie clarorum parentum exorta, tantam per integrum annum perpetiebatur ægritudinem, ut jam non dubium mortis ejus haberetur diſcrimen. Nullo enim valebat quamvis parum progredi, ſic nec de lecto ægritudinis per ſe elevari, niſi aſſidua ſuſtentatione alterius ſervitii. Invocavit igitur celebre mirifici tutoris noſtri Trudonis auxilium, faciens votum ſe peditem ad ejus patrocinia venturam, ſi ſuam illi dignaretur impertiri gratiam. Reſpondit piiſſimus ſanctus miſeræ votis, decutiens ab ea angorem ſe deprimentis languoris. Moxque ſequenti die lætiſſime iter aggreſſa, ad nos uſque pervenit, & gratiarum actiones ſancto pro poſſe reddidit, nobiſque ut fuerant ſecum geſta revelavit.

Ann. Ch. MLVI. Febr. XI.

DE S. ARDAGNO ſeu ARDANO abbate Trenorchienſi.

Geſta beati Ardagni vix nota.

1. *PAUCA de ſancto* ARDAGNO *dicenda occurrunt, qui decimus-tertius præfuit abbatiæ Trenorchienſi, poſtquam Geiloni hunc locum Carolus Magnus commendavit. dilapidato quippe per hæreticos Calvinianos hoc monaſterio, monumenta quæque vetuſta cum eccleſiæ theſauro perierunt. Ne tamen ſancti hujus viri, qui ſolus ex abbatibus Trenorchienſibus inter ſanctos adſcriptus eſt, memoria excidat, hic exhibere propoſuimus quæcumque ex certis auctoribus; & potiſſimum ex Petro Franciſco Chiffletio, qui hujus monaſterii hiſtoriam conſcripſit, colligere potuimus. Habemus quidem Falconis ejuſdem loci monachi Chronicon; ſed cum eo ipſo tempore quo ſanctus Ardagnus monaſterio præerat illud ſcriberet, erat quippe Guillelmi Ardagni ſucceſſoris frater, ea omiſit quæ ad illum ſpectabant, ſufficere ratus ad ejus memoriam poſteris commendandam, ea coram exhibere viſui, quæ in monaſterio ab ipſo patrata fuerant.* Hic vir, *inquit,* quanta ſtrenuitate ſui memoriam poſteris commendarit, magis viſibus prodit effectus, quam narratio manifeſtat auditui.

Quo tempore vixerit.

2. *Ex hoc tamen auctore colligimus quo, quantove tempore Ardagnus Trenorchienſi monaſterio præfuerit, ſic nempe habet:* Poſt obitum vero prædicti Bernerii, Ardagnus eodem ſublimatur in ordine. poſt cujus ordinationem tertio, quarto & quinto anno fames totum pæne vaſtavit orbem, cui, cum bis denis & octonis rexiſſet annis, defuncto ſucceſſit Guillelmus, &c. *Fames de qua hic Falco loquitur; ea eſt quæ ſequenti tempore poſt Roberti Francorum regis obitum, ut loquitur Glaber, id eſt anno* MXXXI. *contigit. Hanc cladem memorant alii quoque ejus ætatis auctores; quam adeo Trenorchii invaluiſſe aiunt, ut ibi quidam humanas carnes decoctas ac ſi pecudum eſſent, in forum venumdandas detuliſſe dicatur apud eumdem Glabrum-Rodulfum libro* IV. *Hiſtoriarum capite* 4. *ubi narrat idem ferme in aliis quoque Burgundiæ locis contigiſſe. Si itaque annus Chriſti* MXXXI. *fuerit tertius regiminis Ardagni, ut probat Chiffletius ex his Falconis & Glabri teſtimoniis, & ipſe bis denis & octonis, id eſt viginti & octo annis monaſterio præfuerit, primus regiminis ejus annus erit* MXXVIII. *aut* XXIX. *proindeque ejus extremus, quo ſcilicet è vivis exceſſit; annus* MLVI. *nec ejus obitum ultra differre licet. Nam Falco de Jaligniaco, frater Guillelmi abbatis ſucceſſoris ſancti Ardagni, hoc ipſo anno* MLVI. *multa bona contulit eccleſiæ Trenorchienſi in manus fratris ſui Vuillelmi, jam tunc abbatis; ut ex ejus donationis charta conſtat, quam Chiffletius protulit in hiſtoriæ Trenorchienſis probationibus. Ex hoc denique Chronici Falconis teſtimonio emendandi ſunt Sammarthani in Gallia Chriſtiana; qui incaute Sanjulianum ſecuti; octodecim tantummodo regiminis annos beato Ardagno tribuere, cum tamen ille auctor diſertis verbis habeat hanc ſedem* bis denis & octonis annis *Ardagnum obtinuiſſe.*

Digitized by Google

3. *Laudat beatum Ardagnum Sanjulianus Belleureus Decanus Cabilonenſis, ob ingentes eleemoſynas tempore famis pauperibus ab eo erogatas. Chiffletius autem donationes duas, quæ ſancto Ardagno ſedente monaſterio Trenorchienſi facta fuerunt refert. Prima eſt eccleſia ſancti Juliani in epiſcopatu Anicienſi, altera eccleſia ſancti Ferreoli diœceſis Viennenſis. Chartas ex autographo deſcriptas idem auctor exhibet, quas, cum nihil ſingulare habeant, omittere viſum eſt. At nonnulla miracula ex vetuſto ejuſdem loci Breviario mſ. deſcripta, quæ in feſto Tranſlationis ſancti Ardagni die v. Octobris legi ſolebant, huc referre juvat.* Pia opera.

4. Eſt villa in territorio Cabilonenſi, quæ Mervens dicitur, unde quidam lunaticus, ab amicis ſuis adductus eſt, Philibertus nomine. Qui non diu dilata ſanitate ſoſpes ad propria regreſſus, multos ob liberationem ſui gratulantes effecit; erat enim multis carus, & multorum præditus caterva parentum. In villa quadam, cujus nomen memoriæ non occurrit, eſt autem Jurenſium locis contigua, quidam manebat, cujus media parte corporis arida facta, alia permodicum neceſſitati præbere poterat adminiculum. Auditis autem miraculis quæ apud nos, ſanctorum meritis crebro fiebant, factoque voto, ille iterum ſe, ſi modo ſanitas conferretur, iſthuc conferre ſpopondit; ſtatim ſoſpitas non diu dilata ſubſequitur, & votum promiſſum perficiens venit, Deoque, & Sanctis quorum meritis ſanatum ſe noverat, grates referens, ad domum ſuam rediit. Quædam de Varennis, quæ Grandis cognominabatur mulier, à ſua familia adducta eſt, quam nequiter ſpiritus vexabat immundus. Quæ Deo largiente, famulique ſui Ardani exigentibus meritis, ſecundo quo venerat die, fugato dæmone, ſoſpes facta propriam reviſit domum. In civitate Cabilonenſi, quidam dæmoniacus, ab amicis præ nimio furore diligenter cuſtodiebatur. Tandem parentes, audita fama virtutum Trenorchienſium, fecerunt ad menſuram ejus candelam & præcinctorium; quæ cum eo illuc ſe laturos mente ſpopondere fideli. quod cum ei fuiſſet appoſitum, eadem hora modicam ſibi indulgere ſibi quietem poſtulavit, ac ſic percepto ſomno, ſanum ſe factum, veridico pronuntiavit alloquio. Qui demum vota complentes, abſque dilatione venerunt, Deoque & Sanctis ejus laudum reddidere præconia. Mulier quæ meritis ſancti viri Ardani, diu ſibi negatam receperat loquelam, gravi poſtmodum aſſiduoque cœpit incommodo cruciari. Ter quippe vel etiam crebrius in die, morbo laborabat caduco, à Natali Domini, uſque ad beatæ Mariæ Purificationem. Quæ veniens, ſanitatem à Domino, meritis ſanctorum, quorum interventu nuper quo privata fuerat, linguæ receperat officium, obnixe precabatur, nec deinceps talem perpeſſa eſt infirmitatem. *Hæc de Ardagni miraculis.* Miracula.

5. *Corpus beati viri diu honorifice ſervatum eſt inter aliorum ſanctorum corpora, quæ in percelebri illo monaſterio quieſcebant, ut patet ex veteri ejuſdem loci Catalogo, in quo hæc leguntur:* Corpus ſanctiſſimi Ardagni. *At anno* MDLXII. *Calvinianus furor has ſacras exuvias, cum pretioſa eccleſiæ ſupellectili, direptis abbatiæ bonis, conſumſit. Nomen ejus in nullo Martyrologio occurrit, de eo ſilent quoque ſanctorum vitæ ſcriptores; unde Bollandus eum ad diem* XI. *Februarii inter ſanctos à ſe prætermiſſos recenſet, utpote quem ſibi fatetur ignotum. Id vero ex amanuenſis culpa accidiſſe videtur, quod ibi pro* Trenorchienſi *legatur* Treacenſi, *ſi tamen ſancto Ardagno tribuendum ſit quod ibi ex mſ. laudatur.* In Treacenſi civitate ſancti Ardagii abbatis. *Verum beati Ardagni ſanctitas ex publico cultu, qui ei ſemper in eccleſia Trenorchienſi exhibitus fuit, ſatis ſuperque conſtat. Viſitur ibidem altare ejus nomini antiquitus conſecratum, ſicut & in eccleſia vici* d'Aſé *in diœceſi Matiſconenſi. In veteri Rituali ejuſdem monaſterii mentio fit minoris clauſtri, quod* clauſtrum ſancti Ardagni vocabatur. *Anno* MCCCLVIII. *Reginaldus de Pileyo monachus Trenorchienſis inſtituit, ut tres miſſæ in honorem beatæ Mariæ ac beati Ardani, ad eorum altare celebrarentur. Autographum fundationis vidit &* Reliquiæ. Cultus.

Digitized by Google

ANN. CH. MLVI. FEBR. XI.

exſcripſit Chiffletius in hiſtoria Trenorchienſis probationibus. Denique in Calendario antiquo ejuſdem loci, triplex feſtum ſancti Ardagni præſcribitur. duo ſcilicet Tranſlationis, XIII. *Junii & V. Octobris, die vero* XI. *Februarii,* feſtum ſancti Ardani Abbatis *notatur abſque ullo addito; quare hanc eſſe ejus depoſitionis diem conjicimus. Perſeverat hodieque cultus ſancti Ardagni in abbatia Trenorchienſi, quæ anno* MDCXXVII. *ad Canonicos ſæculares defecit. Eſt vero Trenorchium ſeu Tinurtium, vulgo* Tournus, *opidum etiamnunc celebre ad Ararim fluvium, media ferme via inter Cabilonenſem & Matiſconenſem epiſcopales Burgundiæ ducatus urbes ſitum.*

ANN. CH. MLVII. JUNII I.

DE S. ENECONE ABBATE Onnienſi in Hiſpania.

Monaſteria in Hiſpaniis reſtaurata.

1. *COMMUNEM Hiſpaniarum cladem perſenſerat ordo monaſticus ſub Maurorum invaſione, omniaque ferme monaſteria, exſtinctis, aut certe barbarorum metu effugatis monachis, abſque habitatoribus vacua remanſerant, & ut plurimum jacebant inculta. Verum cum primum Hiſpanorum Principes, reſumtis utcumque viribus, caput extulere adverſus barbaros, qui religioſiores ex iis exſtiterunt, ad reſtauranda monaſteria ſtatim animum applicuerunt. Inter alios celebris eſt Sancius rex, Senior vulgo appellatus, qui, ut ipſe ait in charta pro monaſterio Pennatenſi, cujus fragmentum in Elogio ſancti Odilonis ex Tepezio edidimus, cum primum ad regni faſtigium perveniſſet, ſollicitus potiſſimum fuit, ut monaſticum ordinem, qui* omnium, *inquit,* ordinum eccleſiaſticorum perfectiſſimus eſt, & tunc temporis omni noſtræ patriæ ignotus, *in ſuum regnum revocaret. Communi itaque Regis procerumque conſilio, electi nonnulli viri religioſi in Gallias miſſi ſunt, qui in Cluniacenſi monaſterio, quod tunc ſub ſancti Odilonis regimine maxime efflorebat, in vita monaſtica exercitiis erudirentur, ut poſtea in patriam reverſi tam præclara inſtituta cum contribulibus ſuis communicare poſſent. Res exitum felicem habuit. Paternus nempe, qui ad id deſtinatus fuerat, in Hiſpaniam redux, Pennatenſi monaſterio à Sancio rege præfectus abbas, regularem ibi diſciplinam floreſcere fecit. quam etiam paullo poſt, ejuſdem Regis juſſu in Onnienſi monaſterio, in quo aliquamdiu demoratus eſt, inſtituit; abbate ibidem conſtituto Garſia, qui primus huic loco poſt eliminatas moniales præfuit.*

Pennatenſe. Onnienſe.

Iſti Eneco præficitur.

2. *Garſia defuncto, aut certe, ut alii volunt, ad infulas epiſcopales evocato, Eneco ſeu Henneco aut Ynicus, in ejus locum ſubſtitutus eſt, vir ſanctitate & miraculis, ut ſcribunt Hiſpanici auctores, celebris: ſed ejus acta, ſi à quopiam antiquo ſcripta fuerint, aut latent, aut certe penitus exciderunt. Ejus tamen vitam prolixiorem tribus libris Johannes-Baptiſta, Tamaïus in Martyrologio Hiſpanico, & Tepezius in Chronicis Benedictinis, ex antiquis, uti aiunt auctoribus & monumentis ediderunt, quam variis obſervationibus illuſtratam & auctam Bollandiani retulerunt ad diem* I. *Junii. Verum cum ejuſmodi recentiorum elucubrationes referre ad noſtrum non pertineat inſtitutum; viſum eſt ſatis huc deſcribere ejuſdem ſancti Vitam breviorem, quam ex codice mſ. monaſterii Pinnatenſis cum veteribus breviariis collatam, iidem Bollandiani vulgarunt. ſic porro habet.*

Vitæ ſcriptores.

Vitæ compendium ex mſſ.

3. SANCTIUS Cantabrorum rex, cum Mahometanorum Hiſpanias occupantium vires multis prœliis perdomuiſſet, ad ea quæ Chriſtianæ pietatis ſunt, poſt bella converſus, in hoc totus erat, ut monaſticus ordo (cujus ea tempeſtate vix tenue veſtigium apud Cantabros exſtabat) ſuo regno illuſtrando induceretur. Cluniacum itaque, Galliæ clariſſimum monacho-

rum

Digitized by Google

rum cœnobium, cujus ſanctitatis fulgor ſub ODILONE abbate latiſſime tunc ſplendebat, PATERNUM virum religioſum miſit, ut ſanctioris vitæ normam inde reportans in Hiſpaniam transferret. Unde reverſus Paternus primum cœnobio divi Johannis, Peñæ nomine inſignito, præficitur. Tandem Epiſcoporum & Regis procerumque conſenſu Onniæ cœnobium viris religione inſignibus, qui ſub Paterno edocti erant incolendum traditur, pulſis ex eo monialibus, quarum vita parum monaſticæ regulæ reſpondebat. Onniæ namque cœnobium SANCTIUS comes, hujus Sanctii regis ſocer, à fundamentis condiderat. Primus igitur Onniæ abbas GARSIAS conſtitutus, omni ſanctitate cœnobium illud moderabatur. At vero cum exceſſiſſet è vivis Garſias, Sanctius rex omni ſollicitudine ſatagebat, ut cœnobio, quod tam mira dilectione proſequebatur, dignum abbatem imponeret. ANN. CH. MLVII. JUNII I.

4. Erat eo tempore apud Aragonenſes vir Dei ENECO, opinione ſanctitatis præclarus, qui in montium ſolitudine vitam rigidiſſimæ aſperitatis ſub monachi habitu multis annis agebat: quem cum Sanctius rex Onnienſi cœnobio præeſſe cuperet, pluribus illum nuntiis, ut ad ſe veniret, ſollicitabat. quibus cum nihil proficeret, Rex ipſe ad Dei virum acceſſit, à quo vix multis precibus obtinuit, ut Onniæ præſulem ageret. Nec eo contentus pius Rex, plurimis donis ac muneribus & privilegiis donatum cœnobium, multo illuſtrius quam antea fuerat reddidit. Eneco ergo ſtatim ut monachorum regiminis habenas ſuſcepit, veri paſtoris officio fungebatur: alebat ſcilicet pauperes, ægrotantibus aderat: quæ ſua erant oblitus, alienis profectibus invigilabat; miraculis adeo quotidie clarus, ut Dominus ſervi ſui ſanctitatis famam latiſſime diffunderet. Nam & nobiles quidam, ſed peſſimis moribus præditi, cum Dei virum crebris injuriis divexarent, mutuis ſe vulneribus confecerunt, cum amiciſſimi inter ſe ſemper exſtitiſſent. Sed & ruſticus quidam, qui in cœnobii agro colendo ſuam operam Dei viro negarat, hortum ſuum reliquis virentibus aridum conſpexit, quouſque viri Dei juſſu aqua benedicta ſparſus hortus in nativum virorem ariditatem commutaret. Impetravit præterea ſuis precibus à Domino largiſſimum imbrem, cum tota illa regio æſtu & ſterilitate nimia pæne interiret. His igitur pluribuſque aliis miris in dies clarior effectus Eneco, apud Sotumlongum * extra cœnobium ægrotare graviter cœpit. qui dum ad cœnobium deportatur, viſi ſunt illi occurrere eximia pulcritudine pueri, accenſas lucernas deferentes: quorum laborem itineris miſeratus vir Dei (crediderat enim illos pueros eſſe, cum revera angeli fuiſſent) ad circumſtantes converſus, hortabatur, ut pueros labore itineris feſſos foverent, cum nil tale cernerent qui eum comitabantur. Ingraveſcente denique morbo, evolavit in cælum Kalendis Junii, anno Domini milleſimo quinquageſimo-ſeptimo: cujus meritis poſt obitum ad illius ſepulcrum multa & ſtupenda miracula Dominus quotidie operatur.

Eneco fit abbas.

Ægrotat.

* *Solduegum.*

Obit.

5. *Porro annus* MLVII. *qui Eneconi extremus hic aſſignatur, non exprimitur in Burgenſi exemplari, ut monet Henſchenius in notis. Et quidem in vetuſtis Hiſpaniarum monumentis annos Incarnationis non deſignari nemo neſcit: cum ea fuerit veterum Hiſpanorum conſuetudo, ut per ærarum computationes annos numerarent. Hunc tamen annum retinere viſum eſt. nam etſi Yepezius beati Eneconis mortem ad annum* MLXX. *revocandam eſſe cenſeat, agnoſcit tamen Ovidium abbatem Onnienſem in veteri inſtrumento, quod hoc ipſo anno* MVIII. *datum eſt, memorari. Ceterum præter vitæ compendium quod modo retulimus, exhibet Tamaius ſermonem de ejuſdem beati viri laudibus à Johanne abbate, qui ibi noſtro Eneconi ſucceſſiſſe dicitur, compoſitum. ſed præter quam quod inter Johannem hujus nominis primum & Eneconem quinque abbates recenſentur apud Yepezium, non liquet an hic ſermo à Johanne I. aut à quolibet alio ejuſdem nominis abbate Onnienſi, editus fuerit: ſed nec ejus* Quo anno.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLVII. Junii I.

ſtilus ac ſcribendi ratio tantam ſapiunt antiquitatem. Majoris fortaſſe momenti eſſe alii exiſtimabunt veteris cujuſdam inſtrumenti fragmentum ex Britio Martinezio ab Henſchenio relatum, in quo quidam Eneco Lopezius cum uxore ſua Omnica, poſt votum Deo & ſancto Petro factum Romam adeundi, veniſſe dicuntur ad præſentiam domni abbatis, & Eneconis prioris, (quem, *inquiunt*, magiſtrum aſſumpſeramus nobis,) & ſeniorum ſancti Johannis, qui tunc erant cum abbate, *ut bonorum ſuorum diviſionem in tres partes facerent, &c. ex quo loco, ſi quidem de noſtro Enecone intelligi debeat, quod ſane veri ſimile eſt, colligi poteſt eumdem Eneconem monaſterii ſancti Johannis, Pennatenſis ſcilicet, priorem aliquando exſtitiſſe, antequam ad Onnienſis cœnobii regimen aſſumeretur.*

Variæ Tranſlationes.

6. *Crebreſcentibus ad Eneconis tumulum miraculis, ſacrum ejus corpus è terra levatum eſt, ac ipſe inter ſanctos annumeratus fuit: quod à Petro Burgenſi epiſcopo auctoritate Alexandri Papæ factum fuiſſe diſcimus ex ſermone Dominici abbatis Onnienſis, cujus fragmenta Tepezius & alii auctores ſupra laudati referunt.* Incredibili populorum devotione circa venerabile ſepulcrum accreſcente, Petrus bonæ memoriæ Burgenſis epiſcopus, auditis beati Eneconis miraculis ad monaſterium venit. Quidam cæcus, ſicut fertur, in ejus præſentia beati viri meritis lumen oculorum quod non habebat recipiens, plenariæ reſtitutus eſt viſioni. quod videns venerabilis pontifex, tanti miraculi ſtupore repletus, beatum Confeſſorem cœpit glorificare; & indutus pontificalibus veſtibus, ſicut in mandatis acceperat à beato papa Alexandro, in memoriam Dei Electi divina myſteria gaudenter celebravit, decantando altiſona voce cum religioſo cœtu monachorum unius confeſſoris officium, ſcilicet, *Os juſti meditabitur, &c.* quod deinceps in ejus honorem decantari præcepit: inſtituens epiſcopali auctoritate feſtum ejus annualiter Kalendis Junii cum reverentia celebrari, &c. *Si de Dominici abbatis, qui hunc ſermonem ſcripſiſſe dicitur, ætate conſtaret, facile hujus elevationis & canonizationis annus haberetur: at cum tres Dominici in Onnienſium abbatum catalogo habeantur, nec ſcire liceat cuinam Alexandro pontifici tribuendum ſit mandatum Eneconis inter ſanctos celebrandi, nec quidquam certi de Petri Burgenſis epiſcopi tempore haberi poſſit, incertum manet, quo tempore hæc patrata fuerint. Hunc ſermonem Dominico primo, qui floruit ſæculi* XII. *initio, tribuit Tepezius: & tamen apud Tamaium die* XVIII. *Januarii, primam corporis ſancti abbatis elevationem, quæ Petro epiſcopo ad monaſterium accedendi occaſionem præbuit, à Johanne II. abbate qui ſub ejuſdem ſæculi finem vixit, factam fuiſſe legitur, & quidem tempore Alfonſi Hiſpaniarum imperatoris. Novam tranſlationem curavit Johannes Bacca Onnienſis abbas. Hic nempe beati Eneconis corpus, deſtructa veteri ara in qua fuerat incluſum, in capſa argentea recondidit, quam accitis ad hanc ſollemnitatem vicinis abbatibus in ſacello ad id deſtinato locavit, anno* MDXCVIII. *die* 18. *Januarii. qua occaſione in veteri capſa inſcriptionem in pergameno exaratam, quæ in prima tranſlatione ſupra beati viri corpus poſita fuerat, inventam eſſe referunt. Hæc autem verba continebat:* Corpus beati Enneconis abbatis hujus monaſterii, qui floruit mira vitæ ſanctitate & miraculis; & ideo auctoritate Apoſtolica relatus eſt in catalogum Sanctorum. Obiit anno Domini MLVII. ſepultus fuit in clauſtro, & inde tranſlatus eſt in hoc altare. *Denique anno* MDC. *Onnienſes monachi Bilbitanæ * urbis civibus, unde oriundus eſſe creditur Eneco, brachium ejus conceſſerunt. qua ſollemnitate, & animorum effuſione illud ſuſceperint Bilbilitani deſcribunt Tepezius & Bollandiani, & fuſius Johannes Dametus, qui de beati viri vita & miraculis tres libros edidit. Depoſitum eſt ſacrum illud pignus, in monaſterio virginum Benedictinarum; quod in eadem urbe ſub beati Benedicti patrocinio habetur.*

* *Catalayud.*

7. *Eneconem inter* ſanctos à Romanis pontificibus canonizatos *locum habere agnovit Gregorius XIII. in Brevi Indulgentiarum, quas ejuſdem ſancti ſacellum viſitantibus conceſſit. Eumdem vero paſſim laudant rerum Hiſpanicarum ſcriptores:*

Digitized by Google

cujus feſtum celebratur, potiſſimum in diœceſi Burgenſi, die I. *Junii, quo è vivis* ANN. CH. MLVII. JUNII I.
exceſſiſſe dicitur. Hac ipſa die memoratur in faſtis Benedictinis, ſicut & apud Ferrarium in catalogo eorum ſanctorum, qui in Romano Martyrologio non habentur. Tamaius vero die I. *Junii ejus depoſitionem celebrat, & Januarii* 18. *Tranſlationem. De Onnienſi autem monaſterio, quo nullum fere in Hiſpaniis illuſtrius habetur, agit fuſe Tepezius tom.* 5. *&* 6. *Annalium Benedictinorum. Et ad annum* MXI. *cap.* 3. *ſeptuaginta & tria monaſteria recenſet, quæ huic loco ſubjecta fuerunt. tum ſubjungit catalogum ejuſdem monaſterii abbatum. Valliſoletanæ Benedictinorum congregationi reformatæ unitum fuit anno* MDXXI. *Vivebat ibi ſub ſæculi* XVI. *finem venerabilis memoriæ vir Johannes de Caſtagniza, libelli aurei de* Pugna ſpirituali *auctor. cujus epitaphium refert Tepezius loco laudato.*

DE S. GURLOESIO ABBATE Kemperlegienſi in minori Britannia.

ANN. CH. MLVII. AUG. XXV.

1. MONASTERIUM *ſanctæ Crucis Kemperlegienſis, quod à multis retro ſæculis exſtitiſſe volunt, hoc undecimo ſæculo ineunte reparatum ac de novo ædificatum fuiſſe nemo non agnoſcit. de prima ejus fundatione, quæ ad ſæculum ſextum revocari ſolet, nihil certi conſtat, niſi quod* GUTHIERNUS, *ſeu Gurthiernus, qui eidem loco primus præfuiſſe dicitur, inter ſanctos etiamnum loci patronos recenſetur: ſed ejus acta prorſus ignota ſunt, aut certe talia quæ non merentur, ut lucem aſpiciant. Eccleſiam ſub ejus nomine anno* MLXXXIX. *à Benedicto Coriſopitenſi epiſcopo dedicatam fuiſſe diſcimus ex Chronico Kemperlegienſi, quod à V. C. Stephano Baluzio editum eſt tomo* I. *Miſcellaneorum pag.* 520. *Circa idem tempus inventæ dicuntur reliquiæ ejuſdem ſancti*, cum parte capitis ſancti Guénnoloei, & reliquiis Paulennani & Symphoriani, & Tenennani & Guediani & Guenhaëli, & Idinaëli & aliorum. *qui ſancti fere omnes ignoti ſunt.*

Monaſt. Kimperlegienſis initia.

S. Guthiernus.

2. *Non adeo obſcura eſt Kemperlegienſis monaſterii reparatio ſæculo* XI. *facta. Ejus auctor fuit* ALANUS *cognomento Cainart, comes Cornubienſis. qui cum à graviſſimo morbo quo afflictatus fuerat, virtute ſanctæ Crucis, cujus ſpeciem per ſomnium viderat, liberatus fuiſſet, monaſterium in honorem ſanctæ Crucis, aſſentiente Juditha ejus uxore, conſtruxit ac multis prædiis dotavit. Hæc omnia diſcimus ex Gurherdeni monachi Kemperlegienſis brevi hiſtoria ſui monaſterii, ſæculo* XII. *ut mihi videtur conſcripta, quæ hodieque in vetuſtiſſimo codice manu exarato in Archivis ejuſdem loci aſſervatur. ſic vero ille rem exponit.*

Monaſterii reparatio.

3. ALANUS igitur Conſul Cornubiæ graviſſimo languore oppreſſus, cum multa in medicos conſumſiſſet, nec ſanitatis inde fructum perciperet, exſiſtens in ærumna & mærore clamare ad Deum nocte ac die fuſis lacrymis non ceſſabat, cupiens magis mori quam vivere. Cui tamen quadam nocte, Deo miſerante qui non derelinquit ſperantes in ſe, viſum eſt de cælo in os ſuum crucem auream deſcendiſſe. qui mane ſurgens, ſuos ad ſe vocavit familiares, & quod ſibi viſum noctu fuerat narravit: & qui per annum ſine aliorum adjutorio ſe erexiſſe nequierat, liberrime priſtinæ ſanitati redditus ſurrexit. Quapropter plurima erga ſe computans, atque mentem ſuam ad Deum convertens, tandem ORSCANDUM epiſcopum fratrem ſuum cum uxore ſua JUDITH comitiſſa ad ſanctiſſimum LEONEM papam mittere diſpoſuit. qui cum peracto itinere ad virum Dei, tunc apud Vercellis Italiæ civitatem Concilium celebrantem deveniſſent, ei quæ vir conſularis in viſione ſomniaſſet narrare curaverunt. Quo audito, eis congratu-

Ann. Ch. MLVII. Aug. XXV. lans, ſancti Petri benedictione data, illos remeare ad propria juſſit; ſcribens viro conſulari, ut in eodem loco, quo per crucem ſe à morbo liberatum ſenſerat, ad honorem ejuſdem monaſterium fundaret. Ad hoc igitur complendum præfatus Comes vir religioſus Deumque timens in Occeano Britanniæ hereditaria poſſeſſione patris, avi, atavi, abavi, proavi, Bellam habebat inſulam, nomine Britannico Guedel appellatam, quam olim Normannorum rabies devaſtaverat, & ejus colonos inde exſulaverat. Hanc itaque, Domino annuente, vir ſuperius memoratus cum conſilio Romanæ eccleſiæ in perpetuam monachis abbatiam tribuit. Ad hujus etiam Inſulæ augmentationem alias dedit terras, quas in poſterum nominabimus, inter quas villam Kemperlegium, quam antiquitus Avantot coloni quondam nominaverunt, ubi duo coëunt flumina, Elegium videlicet ac Idol, cum ſuis omnibus appendiciis adhibuit. In hac etenim monaſterium conſtructum eſt in honore Dominicæ Crucis, ut in eo Abbatiæ caput atque monachorum conventus exſiſterent, ubi nihilominus animarum Domino fierent lucra.

Huic S. Gurloëſius præficitur. 4. Ad præſidendum igitur huic monaſterio, vir ſummæ honeſtatis & diſciplinæ ſanctus GURLOESIUS electus eſt de cœnobio ſancti Salvatoris, abbate CANTUVALLONO ipſius loci & fratribus aſſentientibus, & in ejus ordinatione alacriter exſiſtentibus. quem oblatum cum ineffabili prædictus Conſul exſultatione ſuſcipiens, præſente Orſcando epiſcopo fratre ſuo, & optimatibus Cornugalliæ, dedit ei ſicut mente conceperat totam inſulam Guedel, cum omnibus redditibus ſuis, liberam ab omni calumnia & exactione cenſus in Abbatia, ut diximus, ſempiterna, propulſis inde officialibus ſuis. Sed & monaſterium ſanctiſſimæ Crucis, facta ſollemniter donatione, pro pace & incolumitate domini ſui Alani Ducis Britanniæ, & pro redemtione ſuæ animæ, & reverentiſſimæ conjugis ſuæ Judith, parentum, filiorum, totiuſque progeniei. Ad augendam vero hujus ſanctæ fundationis ſtabilitatem, idem vir venerandus præſul Orſcandus in præſentia Conſulis ſui fratris & optimatum ejus, hoc privilegium addidit & conceſſit, ut in omnibus terris vel eccleſiis, quas tenuerint vel adquirere potuerint iſtius monachi monaſterii, epiſcopale jus proprie in perpetuum poſſideant. Erat autem dies Exaltationis ſanctæ Crucis, quo hæc facta ſunt. Statim vero in conſpectu ſuo, multis adſtantibus nobilibus, jam dictus Conſul præelectum fecit conſecrare Abbatem in ſæpe repetito loco, conſtituens ibi, ut diximus, principalitatem & caput noviter adinventæ Abbatiæ: ſed & ipſum monaſterium de ſuo reædificare fecit, & terras victui monachorum habiles & alia quæque neceſſaria in poſterum ſe promiſit daturum, datis his ad præſens donariis, quæ hic ſubſcripta continentur. *Multa deinde recenſet prædia, quæ Comes novo monaſterio conceſſit*, primum villam Avantot, quæ dicitur Kemperlegium cum ſuis molendinis, &c. *quæ videſis apud Sammarthanos in tomo* IV. *Galliæ Chriſtianæ pag.* 552.

5. *Porro etſi non deſint aliquot nævi in hujus auctoris hiſtoria, eam tamen non omnino reſpuendam eſſe ſuadent alia monumenta, quæ ei fidem conciliare videntur. Certe legimus in Chronico Kemperlegienſi jam ſuperius à nobis laudato, ad annum* MVIII. *Alanum Cornubiæ comitem* ex paterna hereditate inſulam Guzel *ab Alano Britanniæ Comite recepiſſe*, quam inſulam nominatus *Comes* Cornubienſis conceſſit & dedit eccleſiæ ſanctæ Crucis Kemperlegienſis in abbatiam ſempiternam. *Ibidem anno* MXLI. *notatur* tranſitus Cadualloni abbatis Rotonenſis, *qui Gurloëſii abbatis ordinationi conſenſit. & anno* MLVIII. Alanus comes Cornugalliæ, Kemperlegienſis monaſterii fundator & pater, migrat ex hac vita. *Cetera ſuo loco referemus. Gregorius vero VII. Romanus pontifex in epiſtolâ* ad Benedictum abbatem monaſterii ſanctæ Crucis in Britannia ſiti in villa quæ dicitur Avantot, *agnoſcit locum hunc ad ſpecialem Romanæ*

Digitized by Google

eccleſiæ curam pertinere. quare monaſterium ipſum, cum tota inſula quæ vocatur Guedel; vel alio nomine Bella-inſula, ſub ſpeciali apoſtolicæ ſedis tutela & defenſione *ſuſcipit. Hanc epiſtolam Sammarthani integram retulerunt, quæ in Hiſtoria ſupra laudata Gurherdeni habetur, cum aliis pontificum, epiſcoporum & aliorum epiſtolis, ſcriptis, ut plurimum occaſione litis, quæ ſæculo ſequenti inter Rotonenſes & Kemperlegienſes de Bella-inſula exarſit.*

6. *Gurloëſii ordinationem anno* MXXIX. *conſignat Chronicum Kemperlegienſe. conſentit Gurherdenus in data quam donationibus ab Alano factis ſubjungit. quamquam in hoc graviter lapſus fuit, quod hunc annum, ſicut & indictionem* XII. *atque Roberti regnum cum Leonis IX. pontificatu conjunxerit. Chronici verba hæc ſunt:* Anno MXXIX. cœnobium ſanctæ Crucis Kemperlegii ab Alano Cornugalliæ comite ædificatur, atque inibi Guorloëſius abbas ab Orſcando pontifice benedicitur. *Orſcandus ſeu Auriſcandus, Alani comitis, ut ſupra ex Gurherdeno vidimus, frater, Coriſopitenſem eccleſiam ab anno* MXXII. *ad* MLXXIV. *rexiſſe dicitur apud Albertum de Morlaix. Quid porro Gurloëſius egerit incompertum eſt, niſi quod ſanctitate vitæ & miraculorum gloria præfulſerit. Idipſum cum Chronici auctore Gurherdenus atteſtatur, ſic de eo ſcribens:* Sanctus igitur Gurloëſius, ſanctæ Crucis eccleſiæ primus abbas exſiſtens, eam annis viginti quinque in quiete & pace bona gubernavit, per quem in vita Deus multa oſtendit miracula, nunc quoque in morte uſu quotidiano plura declarantur. *& paullo inferius agens de ſocietate inita inter Rotonenſes & Kemperlegienſes, quam Herveus Rotonenſis abbas ſæculo ſequenti violare tentavit, ſic loquitur:* Sciendum eſt autem, quod Catuvallonus abbas ſancti Salvatoris coadjutor fundationis eccleſiæ ſanctæ Crucis exſtiterit. Ipſe enim priorem ſuum ſanctum Gurloëſium Comiti ad abbatem tranſmiſit. qui etiam fraternitatem, quam ab abbate & fratribus in vita & in morte recepit, atque eis quoque donavit. quod pactum uſque hodie ſcriptum inter utroſque reſervatur. *Nec plura reſcire licuit de hujus beati viri geſtis.* Ejus geſta.

7. *Ejus mortem anno* MLVII. *conſignat Chronicum Kemperlegienſe his verbis.* Tranſitus ſancti Guorloëſii abbatis monaſterii ſanctæ Crucis Kimperlegienſis. *Tamen viginti & quinque annos regiminis ſolummodo concedit Gurloëſio Gurherdenus. at inter annum* XXIII. *quo Gurloëſius abbas inſtitutus dicitur, & annum* MLVII. *viginti & octo anni intercedunt. ſed hæc difficultas nullum faceſſet negotium, ſi Gurloëſius dicatur tribus ante obitum annis monaſterii regimen abdicaſſe, ut liberius Deo vacaret. quod ab ipſo fuiſſe præſtitum ex eo conjicimus, quod Johannes, & nonnulli ejus proximi ſucceſſores idem fecerint, uti ex laudato Chronico facile colligitur.* Obitus.

8. Anno MLXXXIII. *ex eodem Chronico*, beati Gurloëſii corpus de tumulo erigitur. *quo tempore Benedictus, Hoëlis comitis frater, ex monacho Landevenecenſi abbas Kemperlegienſis ſimul & Namnetenſium epiſcopus erat. Huic ſollemnitati interfuiſſe dicitur ipſe Hoël comes cum duobus ejus filiis, Alano & Mathia. Quin & ſollemnem à Romano pontifice ſancti Gurloëſii canonizationem efflagitaſſe Benedictum, diſcimus ex Urbani II. ad eum data epiſtola fragmento, in quo pontifex ſe id præſtare non poſſe reſpondet, niſi adſint teſtes idonei, qui de vita & miraculis ſancti, cujus canonizatio petitur, teſtimonium ferant.* Porro, *inquit Pontifex*, quod de beati Gurloëſi celebratione ab auctoritate noſtra judicium expetiſti, non eadem potuit facilitate concedi. Non enim ſanctorum quiſque debet canonibus admiſceri, niſi teſtes adſint, qui ejus viſa miracula ſuis oculis atteſtentur, & plenariæ ſynodi communi firmetur aſſenſu. *Quid de hac re factum fuerit, nobis incompertum eſt. At beati Gurloëſii cultus apud Britannos, & potiſſimum in monaſterio Kimperlegienſi intermiſſus non eſt, hodieque celebris perſeverat. Ejus tumulus à terra eminens in ſacello peculiari cernitur, cum ejus effigie, quæ illum ſacerdotalibus veſtimentis ornatum repræſentat. Sacra vero beati abbatis oſſa ſimul cum aliis loci patronorum reliquiis in thecis* Cultus.

Digitized by Google

ANN. CH. MLVII. AUG. XXV.

repoſita maximo fidelium concurſu celebrantur, maxime die 25. *Auguſti, quo ſollemnis eſt ejus feſtivitas.*

SS. ejus ſucceſſores.

9. *Tres Gurloëſii proximi ſucceſſores* ſancti *nomine à Sammarthanis donantur. quare viſum eſt huc referre Gurherdeni de iis teſtimonium, cujus verba illi adoptarunt.* Huic, *ſancto ſcilicet Gurloëſio*, ſanctus JOHANNES in regimine eidem eccleſiæ ſuccedens, ſine vi & ſine calumnia novemdecim annis vixit, hujus multa bona opera tam clericus quam laïcus recitantur. Poſt hunc autem VITALIS abbas à nullo inquietatus in eadem ſede per novem laudabiliter viguit annos, cujus oſſa multos ſanitati infirmos reſtituunt. Quartus vero VINGOMARUS eamdem adeptus eſt ſedem, quam tribus annis pacifice rexit. Cujus corpus in eccleſia Dei Genitricis apud Kemper ſancti Corentini ſuaviſſimo redolens odore, aperto ſepulcro totum integrum conſpicitur. *Hæc ille. Johannis mortem anno* MLXXI. *conſignat Chronographus Kemperlegienſis apud Baluzium, ſed de Vitali nihil habet: Vingomarum vero, qui ibi Jungomarus, & apud Sammarthanos mendoſe Vingonianus appellatur, anno* MLIX. *abbatiæ præfectum fuiſſe, & anno* MLXXXVIII. *è vivis exceſſiſſe ſeribit. ſed ne confuſio in iis abbatibus recenſendis ſuboriatur, anni eorum regiminis ab annis vitæ caute diſtinguendi ſunt.*

ANN. CH. MLVIII. APRILIS X.

DE B. PATERNO INCLUSO apud Paderbornam.

Paternus unde notus.

1. JAM *ſupra obſervavimus ex beati Meinvverci vita, juxta monaſterium Paderbornenſe ab eodem antiſtite conſtructum, capellam exſtitiſſe in honore ſancti Confeſſoris Alexii dedicatam; in qua, ſeu potius in contiguo ipſi domicilio, incluſus vitam egit beatus Paternus, monachus Scotus. Vix quidquam aliud de beato illo viro reſcire licuiſſet, abſque Mariani Scoti illorum temporum auctoris ope, qui in Chronico ad annum* MLVIII. *Paternum in generali urbis Paderbornenſis incendio periiſſe narrat, quod extra cellam exire recuſaſſet. Mariani locum in vulgatis editionibus decurtatum reſtituit celſiſſimus Princeps Ferdinandus Furſtenbergius epiſcopus Paderbornenſis, ex codice mſ. bibliotheca Vaticana, quem ideo huc exſcribere integrum viſum eſt ex Overhami notis in vitam beati Meinvverci, ubi ſic habetur.* Anno MLVIII. Podelbrunna civitas cum duobus monaſteriis, id eſt epiſcopatus & monachorum, feria ſexta ante palmas igne conſumitur. In monaſterio autem monachorum erat Paternus nomine, monachus Scotus, multiſque annis incluſus, qui etiam combuſtionem prænuntiabat. Hic ambiens martyrium pro nullo foris exivit, ſed in ſua clauſula combuſtus, per ignem pertranſivit in refrigerium: de cujus etiam ſepulcro quædam bona narrantur. Ipſis vero ſtatim diebus feria ſecunda poſt octavas Paſchæ, exiens de Colonia, cauſa claudendi cum abbate Fuldenſi ad Fuldam, ſuper mattam in clauſula ipſius, ubi ſupra eamdem mattam combuſtus & paſſus eſt, oravi. *Paullo aliter habet vulgata Mariani editio, ſed quæ tamen idem Paterni propoſitum repræſentat.*

Ex Mariano Scoto.

S. Petro Damiani.

2. *Eamdem hiſtoriam, tacito Paterni nomine, narrat ſanctus Petrus Damiani opuſculo* 20. *ſed quid de tam inuſitato genere mortis ſit ſentiendum Dei judicio relinquit. Sigibertus Paternum* propter propoſitum reclusionis ſe comburi paſſum *fuiſſe ſcribit in Chronico ad annum* MLVIII. *quæ verba adoptavit Trithemius in Chronico Hirſaugienſi novæ editionis, apud ſanctum-Gallum procuratæ, ubi ad annum* MLVII. *plura de beato Paterno habet, quæ hic referre juvabit, ne pauca*

Digitized by Google

quæ de beato hoc viro ſuperſunt, inſuper habuiſſe videamur. Anno prænotato civitas Padelbronnenſis in Saxonia cum duobus monaſteriis cathedralique eccleſia majore, feria ſexta ante Palmas incendio miſerabiliter conflagravit. Erat in monaſterio uno ibidem noſtri Ordinis, quod hodie incolæ civitatis Abdinghoven nuncupant, monachus quidam pro Dei amore incluſus, natione Scotus, nomine Paternus, vir magnæ religionis, qui vitam ſolitariam in incluſorio ſuo multis annis duxit, lectioni divinarum Scripturarum & orationi ſemper cum devotione intentus: qui hoc incendium ſibi divinitus revelatum longe antea futurum prædixerat, ſi homines pœnitentiæ remedia non aſſumerent in tempore. Verum cum ejus prædictionem mortales contemnerent, nec pœnitentiam agere curarent, ecce feria ſexta prædicta ante Palmas, ſubito ignis in diverſis locis nominatæ civitatis oritur, & cum maximo impetu ubique per urbem nullo potente reſiſtere vagatur. Cumque dictum monaſterium mediis jam flammis eſſet circumdatum, & monachi Paternum rogarent, ut exiret de incluſorio, noluit; ſed quia vellet divinum exſpectare judicium reſpondit. Adhuc ſermonem volvebant incœptum, cum ignis cellæ propinquans monachos ſalutis propriæ ſtudioſos fugere compulit, Paternum verò in ſuo propoſito perſeverantem cum ſuo domicilio conſumſit. Cauſa propter quam cellulam exire noluit, propoſitum incluſionis fuit. Ann. Ch. MLVIII. Aprilis X.

3. *Paterni obitum anno* MLVIII. *conſignat idem Trithemius in veteri Chronici Hirſaugienſis editione, & quidem melius. nam præter laudatorum ſupra ſcriptorum auctoritatem, hoc ipſo anno* MLVIII. *Paſcha in diem Aprilis* XIX. *incidebat. Feria vero ſexta ante Palmas die* X. *ejuſdem menſis, qua ejus memoria recolitur paſſim in variis Martyrologiis, vitam finiiſſe memoratur. In Necrologio tamen Abdinghofſenſi obiiſſe dicitur die tertia-decima ejuſdem menſis, ſed hæc forte excerpta ſunt ex vetuſtioribus monumentis, in quibus depoſitionis ſeu ſepulturæ dies memorabatur. Certe anno* MLVII. *Paſcha die* 30. *Martii celebratum fuit, nec annus tunc fuit quo Feria ſexta ante Palmas die* 13. *Aprilis occurrerit. immo in ipſomet laudato Abdinghoffenſi Necrologio annus* MLVIII. *Paterno extremus fuiſſe dicitur.* XIII. Aprilis, obiit Paternus incluſus monachus noſtræ congregationis anno MLVIII. Reputatur ſanctus. *Ad ipſius ſepulcrum multa leguntur miracula facta fuiſſe, ſi Trithemio credamus, qui id aſſerit libro* 3. *de viris illuſtribus Ordinis ſancti Benedicti. at quo in loco, vel apud quem auctorem ejuſmodi habeantur miracula, non indicat. nec aliud fortaſſe deſignare voluit quam teſtimonium ex Mariani Scoti Chronico mox à nobis laudatum. Paterni nomen exhibent omnia fere recentiora Martyrologia: feſtum tamen ejus nequidem Paderbornæ celebratur, nec unquam celebratum uſpiam fuiſſe ex ullo monumento liquet, tametſi populi circumſtantes eum venerentur, ac inter urbis patronos recenſeant.* Annus mortis, cultus, &c.

Digitized by Google

ANN. CH. MLVIII. JUN. XXVI.

HISTORIA TRANSL. S. LEVVINÆ VIRGINIS ET MARTYRIS EX ANGLIA IN MONASTERIUM BERGENSE.

Auctore DROGONE ejuſdem loci monacho coæquali.

Ex mſ. cod. viri cl. Emerici Bigotii.

Auctor.

1. *HISTORIAM tranſlationis ſanctæ Levvinæ in monaſterium ſancti Vvinoci Bergenſis ſcripſit Drogo Preſbyter, & quidem monachus ſancti Vvinoci, ut non modo ex titulo, ſed etiam ex ipſo hiſtoriæ contextu apparet. Hunc Drogonem Meyerus & ex eo Molanus ac Miræus eum fuiſſe putant, qui ſedem Morinorum tunc temporis obtinebat. At contrarium multa ſuadent: primum hujus hiſtoriæ ſcriptor ſe preſbyterum ſolummodo & monachum nuncupat; quin & ipſa epiſtola ad Rumoldum abbatem manifeſte indicat illud opus Epiſcopi fetum non eſſe. Nec dicendum Drogonem priuſquam è monaſterio Bergenſi ad epiſcopatum eveheretur hanc Tranſlationis Hiſtoriam ſcripſiſſe. Drogo quippe anno* MLVIII. *quo hæc tranſlatio contigit, jam multis annis eccleſiam Taruanenſem adminiſtrarat. Deinde hujus hiſtoriæ ſcriptor, qui ipſomet atteſtante tranſlationi interfuit, eam à Bovone epiſcopo orientali factam fuiſſe, regnante Henrico in Francia, & vivente Drogone Morinorum epiſcopo, aſſerit. & libro ſecundo obſervat paralyticum apud Lesfingas præſente Drogone epiſcopo Morinenſi meritis ſanctæ Levvinæ fuiſſe ſanatum; quæ ſane omnia alium ab ipſo Drogone epiſcopo auctorem hujus operis fuiſſe demonſtrant.*

Tranſlationis hujus memoria.

2. *De hac Tranſlatione agit Jacobus Meyerus libro 3. Annalium Flandriæ ad annum* MLVIII. *quo contigit, & ex eo Johannes Molanus ea ut plurimum mutuatus eſt, quæ de ſancta Levvina ad diem vigeſimam ſecundam Julii ſcripſit, adjectis nonnullis, quæ acceperat ex noſtris Bergenſibus monachis, apud quos hodieque celebris eſt beatæ Levvinæ memoria, quamvis ejus ſacræ reliquiæ, excepta una coſta, in bellorum tumultibus, qui diu Belgium agitarunt, diſſipatæ fuerint. Tranſlationem beatæ Levvinæ factam fuiſſe ſexto Calendas Julii ex ſubjecto libello patet, anno ſcilicet ferme integro, poſtquam ex Anglia ſacrum ejus corpus allatum fuerat. Etenim, ut & Molanus obſervat in Natalibus ſanctorum Belgii,* Adventus beatæ Levvinæ notatur *ipſis* Nonis Auguſti. *Ferrarius tamen in Catalogo generali die* XVI. *Junii eamdem tranſlationem conſignat; ſed vereor, ne amanuenſis vitio* XVI. *pro* XXVI. *legerit, ſicque incaute hanc feſtivitatem diebus decem anticipaverit. Levvinæ feſtum die 22. Julii, qui eſt ejus depoſitionis dies celebrant Molanus in Natalibus ſanctorum Belgii & Miræus in Faſtis Burgundicis. Fit tamen die 24. ejuſdem menſis ob feſtum ſanctæ Mariæ Magdalenæ, ut idem Molanus obſervat, quo die habetur in Indiculo ſanctorum, ſicut & in Kalendario Mechlinienſis provinciæ. Ferrarius vero in Catalogo generali ejus feſtum utroque die, 22. ſcilicet & 24. Julii indicat. De Bergenſi monaſterio ſancti Vvinoci in opido cognomini hodieque illuſtri, actum eſt Sæculo 3. parte 1. ad annum* DCCXVII. *ubi poſt vitam & miracula ſancti Vvinoci, ejuſdem loci Abbatum Catalogus habetur.*

EPISTOLA DROGONIS PRESBYTERI ad Rumoldum abbatem.

DOMINO ac venerabili abbati RUMOLDO [a], peccator DROGO, preſbyter & monachus, æternum natura degentis gloriæ munus. Veræ dilectionis exhibitio in tantum vim ſuam oſtendit, ut ſi alius hortatu quis rem arduam & ſibi viſu gravem aggreditur, facilis factu ſuſcipiendove videatur, ac paulatim eam exercendo non ſolum facilis, verum etiam delectabilis magis magiſque diatim habeatur.

[a] Rumoldus è vivis exceſſit anno 1068. poſt cujus obitum Bergenſes in abbatem elegerunt Ermengerum monachum Bergenſem, cum tamen abbatem ex cœnobio Bertiniano accipere deberent.

Id

Id ipſum, mi venerabilis Pater, quod dico in me ipſo probavi, cum tuo juſſu, crebraque adhortatione meorum fratrum, rem gravem & nimium difficilem mihi ſuſcepi, ideſt ut qualiter ſancta oſſa venerabilis LEWINÆ virginis & martyris ab Anglia ad Flandriam ſint delata, ſcripto poſteris relinquerem; quippe qui non mihi adeo videbar ſciolus, nec ad id componendum ſatis idoneus, atque propter id cedens, meque ſuper his repræmeditatis & veluti me metiens, viſum eſt mihi dignum actu, ut prudentioribus hoc opus elucidandum dimitterem. At dum hæc mecum reputarem, mihi tale quid in mentem venit, quod detergens omnem controverſiam, ipſam vacillantem mentem ad opus incipiendum adegit. Nam ſi quis me prudentior id operis aggrederetur & in eo laboraret, præmium & fortaſſe bonum ab optimo Creatore ferret: ego autem expers hujus eſſem, quin etiam pro abſcondito talento pœnas luerem. Huic vero ſecundum illud quidem eſt, quod aliqua intercapedine temporis mihi timebam, ne oblivioni traderetur adventus virginis, à ſummo Opifice diſpoſitus, & ne ab eodem arguerer hujuſce criminis reus. Hæc ergo duo primum me adegerunt poſt tua juſſa, optime Pater, tum meorum fratrum dulcis mihi in Chriſto caritas ſuaſit, ut ad medium proferrem tranſlationem ejuſdem virginis pro poſſe meo ſecundum id quod verum fuit, & juxta id quod ego ipſe à multis auditu didici, non ſolum à fratre noſtro ſæpenumero mihi adjutato, cujus adminiculatione ejus ipſius tranſlationis ſeries ſummaque peracta eſt, verum quidem ab aliis qui interfuerunt, quemadmodum verius inquirere potui. Quod ſi quis falſo compoſitum fictitiumque credit, ſuper hoc Dominum verum judicem illius male ſanæ menti ponimus, qui fidei præmium ſtatuit, & incredulitati merito pœnam reddit. Te vero, beatiſſime Pater, admoneo, quem litteralis ad plenum imbuit profunditas, & divini dogmatis dirigit firmitas, ut aliquando noſtro operi aures, ſtudium, intentionemque, omiſſis ceteris omnibus quæ tibi nunc temporis exercitio ſunt, adhibeas; & ubicumque Grammaticæ arti diſſonant corrigas, minuſque lucentia tuo adaucto clareant, atque ſuperflua tollantur, ne prudentem lectorem impediant.

ANN. CH. MLVIII. JUN. XXVI.

Auctoris ætas.

PROLOGUS.

2. OMnis mortalium cura diverſis ſtudiis agitur, ſuſceptoque labore, vel cœpto aliquo exordio rerum, nititur, ut quod ſuſceptum ſtudium habuerit, ſuæ voluntati ratum habeatur. Nam maxima pars eorum hac falſa opinione ducitur, ut illud quærat ſibi bonum, quod uſui ſuo maxime viderit eſſe neceſſarium. Hic enim philoſophiæ ſæculari ſe jungit, ut à ſuis ſimilibus honoretur, & mage quidem huic ſæculi laudes, quam quod veræ virtutis gratiæ debet. Vita enim illius demonſtrat, cui vitio famulus quis devinctus ſerviat. Ille vero firmis greſſibus veræ philoſophiæ, ſe ſuaque facta dirigere properat, minimum quid ſui actus ſeſe jactando alicui comparat: verum ſui cuſtos, ſeque deſpiciens ceteros omnes probat, proximum quemque uti neceſſarium ſuum colit; quinetiam Dei atque proximi amoris melioratione creſcit. Hunc itaque cunctis mortalium ſtudiis præferimus. Quæ quia multa quidem & varia ſunt, enumerare poſtponimus, tametſi initio orationis hæc ipſa ſummatim attigimus. Hæc autem cauſa, id quidem dignum actum ire duximus, ne in faſtidium legenti bono gnarove ingereret, tum vero ne ſententia vaganti orationi reclamaret. Verum enim vero hic talis in hoc ſæculo debet imitari, tum optima ejus ipſius intentio ſtudiumque laudari, mors quoque, quæ pretioſa in conſpectu Domini habetur, æque oſſa ubi ûbi ſint honorando venerari. Quæ etiam dum à mortalibus venerantur, Deus omnipotens in his honoratur, quippe cui militavit, immo cujus miſericordiæ militando ſe tradidit.

3. Hujus itaque militiæ privilegio uterque ſexus mentis ac corporis munditiam virgineæque caſtitatis addixit: ſciens adeo multo melius ſe Deo vivere, ſiquidem eidem caſtitati elegiſſet ſtudere. Hanc igitur caſtitatis viam poſt Reſurrectionem Domini primo Apoſtoli elegere ſequi: hanc egregiam doctrinam, ſimul & moribus oſtenderunt, mortem corporis magis ſibi optavere, quam ſemel ſuſcepti propoſiti fidem adigerentur violare. De quorum glorioſa victoria non eſt neceſſarium multa dicere, cum jam ſint vulgata toto orbe. Poſt hos Chriſti teſtes *, inter victoriam glorioſæ mortis veritatem teſtificando hac digni inventi ſunt, quo ſcilicet hos quidem duplex gloria exciperet, quos etiam veritas cum virginitate inſigniret. Et his enim totus mundus fragrat, eorumque factis pariter & exemplis redolet. Quapropter ſuperſedendum eſt, ne prudenti cuique auditu faſtidio ſit. Huc huc fortitudo Confeſſorum veniat, huc laudata eorum munditia mentis ac corporis accedat; quorum conſtantia quanto fuit diuturnior, tanto illorum corona gloriæ Deo inventa eſt copioſior. Horum vita exemplo omnibus bonis habetur, & velut in ſpeculo quo corrigere vitam ſuam, actus, mores quiſque debeat, miratur. Ad hoc accedit quod martyrii tormentum una die, tum tribus, tum etiam brevi tempore finitur: aditus vero inimici ſervos Dei tentantis, multimoda æque illius verſutia quot diebus, quot menſibus, quinetiam multis annorum ſpatiis accreſcit; non dies, non nox eis inſidiantem intercludit: ſiquidem

* i. martyres.

Digitized by Google

ANN. CH. MLVIII. JUN. XXVI.

tam magnarum fraudum commenta, calliditateſque, inviſibileſve dolos evaſerunt, idipſum dono gratiæ Dei deputant quod ſteterint. At Virginum virilis mens, fortis conſtantia, robur etiam ultra quam vires præbeant, durum ac perſeverans ſequatur; quæ cum fragili ſexu ſæculum vincentes, cum colore corporis animæ quoque pulcritudine vernantes, munditiam, fidem, privilegiumque caſtitatis Deo devoverunt, & eo adjuvante, mundum & hoſtem munditiæ expugnaverunt. Nec id quidem immerito illis accidit. Nam ipſe cum eis pugnavit, qui primum ſemen bello, qui etiam finem contulit. Sic ſic Virginum Continentiumque multitudo auctori pudicitiæ maluit inſervire, quam carnis fœditatem ſectari, quamque ejus concupiſcentias ſequi. Sic divinæ mentis legi, juri, deditioni ſe tradere, amorem virgineum tum quidem animo, tum quoque corpore ſervare. Ex his una fuit celebris memoriæ diva Levvina virgo & martyr, conſervatrix virginitatis, amatrix pudicitiæ. De cujus vita martyriove parum cognitum nobis noſtro habetur in tempore, vel propter incuriam ſcriptorum, vel quia etiam periit ſcriptum. Verum qualiter ab Anglorum terra Flandriam delata ſint ejus ſanctiſſima oſſa, & in loco qui Bergas dicitur honorabiliter recollocata, haud tacebimus; quod quidem providentia Domini, ſuaque voluntate actum ſit cognovimus. Id ſiquidem primus libellus continebit: ſecundus vero miracula, quæ propter ejus merita facere dignatus eſt Omnipotens Dominus, declarabit. Nunc autem tempus videtur congruum, ut orationis ordiamur principium.

Operis diviſio.

LIBER PRIMUS.

Balgerus monachus in Angliam navigat.

4. Venit in mentem cuidam monacho, vel providentia Dei, quæ omnia providet ac diſponit, vel quia lætificaret ſuos ſpirituales fratres ſui poſtliminii reditu, ut pararet iter ſuum ad Angliam, quod iſdem eſſet notus Regi, Reginæ, atque nonnullis Principibus patriæ. Quod cum ſatis ſibi ſpectatum fuit, diſpoſitis omnibus petiit mare BALGERUS [a]. Nam id nomen quidem erat illi monacho. Intravit igitur mare, Euro impulſus eſt. Hic autem navim ſibi vindicavit, donec appropinquarent portui, qui *Dovere* [*] dicitur, nam hunc portum erat monacho voluntas ſubeundi; ceteri vero alterum portum maxime petere volebant, gratia mercis quam navi vehebant. Verum enim vero Aquilo vela undaſque ſibi vindicavit, & tenorem ſui flatus die tota, nocte quoque ſequente, die vero ſecunda tenuit. Sed Nautæ periti maris veniente nocte, ne qua periculoſa ſaxa vel etiam loca incurrerent, anchoram jecerunt, quæ unco arenis hærens, ſuo more curſum navis tenuit, ac uſque dum illuceſceret eodem loco navis ſtetit. Tum ſiquidem veniente die ſe ipſos hortantur, vela pandunt, cœptum iter tenent. Cum ſiquidem ecce appropinquabat illis portus, cujus nomen quia barbarum eſt prætermittimus, quem ſubire cupiebant, ſed vim maris tum quoque venti timebant. Ventus vero, qui paullo ante à tergo incumbens moderatior erat, modo ex latere navim & armamenta navis impetebat: fruſtra igitur ſuſcepto labore deficiunt, neſciebant quid agerent, niſi quo ventus & undæ vocabant iter tenerent. Rurſus velivolant, velint nolintve vento undiſque aguntur, & ne graviora illis ſuperveniant timore impulſi Deum orant. Legunt duos portus, tertium quoque ſatis cum periculo navis ſuique, quibus etiam voluiſſent ſuccedere, ſi non naufragium ſibi timuiſſent evenire. Unus autem gnarus locorum, navis magiſter ſcilicet, ceteros qui ſibi timebant, & nonnullos melioris mentis timere faciebant confortabat, & ut in tanto diſcrimine rerum confiderent monebat. Duos, inquit, portus haud longe ab hoc loco certo ſcio, quibus ſuccedere poterimus: ſi primus minime, ſequens patebit noſtræ voluntati, Deo auxiliante.

[*] *Douvre.*

Poſt tempeſtatem ad portum appellit.

5. Interim navis ſuis armamentis fertur, choris agentibus ducitur. O quam omnia ad votum patent his ſolis mortalium qui fidem habent. Ecce qui prius prædictus erat portus accedit. hic monachus orare Deum omnibus præcepit. Ut, inquit, portum ſalutis noſtræ habere valeamus, omnipotentem Dominum in commune rogemus. Vix completa oratione, mirabile dictu! plenis velis ſubito portum intrant, quem contis depoſitis velis ſubire diffidebant. Vocatur vero idem portus *Sevordh*. Non mirum videatur alicui, quod nomen hujus portus prætermiſſis aliis ſupermemoratis deſcribo, neceſſaria enim cauſa habetur, ſicuti in ſubſequentibus demonſtrabitur. Verum digna nominis ethymologia, *Sevordh* enim Theutonice dictum, Latino eloquio, Maris-vadum, dicitur: nam vadum fuit venientibus ad littus optatum. Ut neſcientibus loquar iſdem portus tam arcti introitus eſt, ut vix binæ carinæ hunc ipſum juncto latere valeant intrare, hinc atque hinc bini ſcopuli verſus cælum erecti, declive jugum demittunt, queis omnis unda frangitur, cum colica rabies turbato freto tollitur; ibi non anchora puppes alligat, non funis nutantes retentat, verum per ſe ſolæ contentæ ſtare minime quidem timent Eurum, non Aquilonem, non Africum. Hic

[a] Iſte Balgerus jam anno 1038. ex Anglia Bergas adſportarat reliquias S. Oſvaldi regis & martyris & S. Idalbergæ virginis, teſte Molano ad diem 22. Julii. Ex his nihil de Idalberga, pauciſſima Oſvvaldi oſſa ſuperſunt.

Digitized by Google

nautæ feſſi rerum corpora recreant, & tot tantaque diſcrimina læti evaſiſſe exſultant. Verum poſt tanti gaudii epulas nox ruit, ac cælum, terras, maria involvit. itur dormitum, tum ſopor feſſos omnium artus occupat. Mane vero facto, an eccleſia aliqua eſſet propter, primum monachus cœpit explorare, ubi poſſet divina myſteria celebrare. Dies enim Dominicæ Reſurrectionis erat, & ne expers myſteriorum noſtræ redemptionis in tanta die foret, ſollicitus præcavebat. Cernit itaque à longe monaſterium, pæne tribus leucis ab illo portu diſparatum: unde adeo lætus efficitur, & uno tantum comite aſſumpto iter accelerare aggreditur. Sed jam ferme in medio viæ poſitum, ſubitus quaſi quidam defectus horrorque mentis invaſit, quem pallor faciei illius prodidit, tum ne in terram caderet, citus uni petræ aſſedit. hic comes videns eum pallore alteratum: Quid tibi eſt? inquit, Cur tam repente mutatus eſt color tuus? Neſcio quid mihi ſit, ait. Videtur autem mihi veluti totus frigida ſim perfuſus aqua. Et vires recipiens, Quam feſtine, inquit, properemus, hoc monaſterium adeamus.

6. Interea dum is hortatur comitem, reſpiciunt, pariterque vident quemdam hominem obviam ſibi venientem decoratum canitie, ut videbatur gravis, vetulus, ſed cum ætate quoque viridis ſenectus. Ait prior monachus: Heus tu, inquit, dic mihi te roganti verum, cujus ſit hoc monaſterium, quæ ibidem habeantur reliquiæ, vel in cujus conſtet dedicatum honore? Ad hæc ille reſpondit: Monaſterium ſancti Andreæ vides, ejus honori habetur quidem dedicatum, ſancta quoque Levvina virgo & martyr ibidem corpore requieſcit. Quæ quanti ſit, cujus meriti, cæleſtis virtus per eam omni die oſtendit. Rem tuæ interrogationis habes. viſne aliud dicere? Non, inquit. Vale, ait. Et hoc dicens, cœptum iter perficere feſtinat; illi vero tendunt quo cœperant. Ventum eſt ad monaſterium, Deum adorant, Miſſas celebrant. Poſt expletum divinum opus, intenta mente cuncta templi illius oculis circumeunt, mira quædam mirantur; & hæc Dei quidem honori, ſanctæ quoque virginis Dei & martyris Levvinæ prædicationi venerantur. Namque videbant inter cetera ſcedas membranarum parieti affixas, & virtutes quas per Sanctam ſuam fecerat omnipotens Dominus in eiſdem eſſe deſcriptas. Et quia anglice, uti apud ipſos habetur, ſcriptæ erant, minime quidem ab ipſis legi poterant. Ad hæc itaque ſibi demonſtranda Preſbyterum eccleſiæ hujus advocant, quid illud fiet, quid hujuſce ſignificationis ſit ſciſcitantur. Virtutes hujus ſanctæ virginis, inquit, hic ſunt notatæ, quas meritis ejus patravit omnipotens Deus, ne queant latere poſteros, & ut hæc ipſa honori & venerationi maneat apud populos. Tunc ſiquidem ſingula quæque manifeſtabat. Hic multo tempore lumine oculorum caruit, ſimulque diu ductoris adminiculo indiguit. Hoc in loco huic miſero lumen corporale divinitus illuxit. Alter vero paralyſi diſſolutus huc delatus eſt aliorum manibus, mox domum pedes rediit ſanus. Alius autem contractis nervis huc repſit quoquo modo potuit, ſed integram ſanitatem ſe recepiſſe exſultavit. Dum hic quoque advenit claudus, manifeſtæ ſanitati eſt reſtitutus. Quid plura? Quo morbo, qua infirmitate licet incurabili eſſet detentus quis huc adveniens, ilicet redditus eſt ſanus & valens.

Monaſt. S. Andreæ petit.

Ubi S. Levvina miraculis coruſcabat.

7. Igitur ſuper his accenſa mens fratris, ardebat aliquid reliquiarum ſibi tollere de ſancto virginis corpore. Id propter, ſcilicet ſeorſum manu ducit Preſbyterum, quem etiam ita convenit: Accipe quod vis ait à me, & da mihi reliquias de tanta virgine, vel os vel tale quid quod noſtro loco poſſit eſſe honori. Tunc commotus animo hujus inſolentia reſpondit: Papæ, ſciſne quæ loqueris? An decet ſervum Dei velle id, convenit dicere, oportet facere? Quamquam quis fatuus id illicitum vellet admittere, tu prudens, tu providus, tu ſervus Dei deberes tardare: qui enim videtur hujuſmodi ut tu, haud aliter ac recta loqui debet, ſed tu mihi videris alius; longe enim ſonant verba tua quam deberent, neque enim qui tam illicito utitur ſermone vita honeſtior eſt. His itaque dictis erubuit, & quod tale quid ab eo petiſſet cœpti pœnituit. Et periphraſim faciens, Haud curo hujuſmodi rem, inquit, alius ſum ac tu reris: ludo, non ſerio dixi. Hoc unum tantum oro, quo valeat apud te oratio mea, ut dum hic commoratus fuero ſit mihi locus ante eam Miſſas celebrare: liceat etiam hic interdum orationi vacare. Tum ille id reddidit reſponſi: Et tibi & omni mortali bene volenti iſtic patet eccleſia, te propter minime ejus claudetur janua. Sic ſic tunc noſter Pſalmiſta carmina æterno Regi ibidem crebro modulari, modulans iterare, nonnumquam binis oculis hac illacque diſpicere, interdum loculum in quo condita erat ſancta Dei, manu attrectare. Dum ergo ſæpenumero id ageret, invenit viam qua poterat ad ſancta oſſa perveniri. Nam clavi ferrei ſcrinium eorum oſſuum in uno fine ſua arte tenebant, ex quibus aliqui volvebantur, extrahebantur, & ſic loculus eo in fine aperiebatur. Quod quidem cum caſu feciſſet, videt oſſa rubeo pallio involuta. Verum territus ſubito pavore, ut prius erant, ſuo loco cuncta reſtituit, receſſit, oratum perrexit. Itaque reliquum diei in oratione ducit, quam ſæpe repetens, ut ſi Deus ſibi permitteret, & ejus cujus oſſa ibidem venerabantur velle eſſet, tempus, locum, conſilium concederet ſibi, quomodo id quidem poſſet fieri ut à ſe tractaretur, & ad meliorem locum aſportaretur, ubi ſuus major foret honor, dignaque haberetur venerationi, quæ eodem in loco, uti videbatur, ab omnibus eſſet neglectui. Noctis æque quidem vigilias agit.

Cujus reliquias fruſtra petit.

Digitized by Google

ANN. CH. MLVIII. JUN. XXVI.

Æedituo abſente eas furatur.

8. Sequenti vero die accidit, ut ſolus quoque remaneret, dicente ſibi æditruo, ut monaſterium & cetera omnia optime ſervaret, ſeque velle alio proficiſci, & uſque ad veſperam ſe ſperare demorari. Ad hæc ille reſpondit: Abi, mi amice, quo libet, adero, cuſtodiam ut tu ſollicitus ſervabo. Igitur abiit, ac omnia ſub ejus fide dimiſit. tum ergo primum nactus occaſionem, videnſque ſe ſolum remanſiſſe, totum quicquid erat ſuæ fidei commiſſum, fidens cœpti audacius ſolito ad loculum acceſſit, elevare hunc ipſum conatus eſt. Sed ac ſi terræ radicitus hæreret moveri non potuit, non elevari, non aliquorſum in latera flecti. Miratur ſiquidem nunc illud immobile tanti ponderis eſſe, quod attrectari moverique paullo ante potuit. tum horror ſubitus eum invaſit. Tandem ad ſe revertitur, pergit orare, pſalterium decantare incipit. Et tranſacta quarta hora diei, rurſum quod cœperat agere præmeditabatur; ut jurejurando teſtabatur, volebat eam tollere nec poterat quidem, ſatagebat velle dimittere, tantumdem quoque. Verum quia etiam primo fruſtratus eſt conamine, ſecundo adigitur animi inquietudine, aggredi ſi forte modo vel id ipſum melius ſuccederet ſuæ voluntati: verum enimvero nequicquam id nititur. Igitur bis conatus eſt, ſed in hoc ipſo nihil profecit. Quid ageret, quo ſe verteret neſciebat. tandem novi argumenti ingenium reperit. Corrigiam unam ſumit, collo ſuo circumligat, ſummitateſque ejus ſuper loculum ſanctæ Dei ponit. Suſcipe, ait, mi venerabilis virgo, me perpetuo ſervum. Tantum ſine te moveri, ſine abduci, ſine ad melioris altitudinem ac venerationem tui honoris atque ad amplioris ſervitii devotionem deferri. Ad hæc tremens ſupplexque appoſuit manum, at ilicet clevavit loculum. Unde gaviſus eſt ac in Domino exſultavit, hiſque ſuperioribus iſta ſubjecit. Nunc nunc queo te elevare, poſſum accipere: ſed equidem vereor ne poſt hæc mihi ſis dedecori, vel ad vitæ meæ perniciem, ſi inventus fuero nequam latro violaſſe loculum, & rapuiſſe tui corporis theſaurum. Quocirca oro te, rogo te, quin etiam obteſtor te per omnipotentiam ſanctæ Trinitatis, ut ſi latere debet meum fidele furtum, mecum venias: ſin autem, nullo modo te moveri ſinas. Poſtquam talia delatravit, id optimum factu ducens, orare perrexit, & pſalmos quos necdum finierat percantare ſatagit. Cumque centeſimum quinquageſimum pſalmum modularetur, verſum hunc dicens: *Laudate eum in ſono tubæ, laudate eum in pſalterio & cithara*, ſubito divinitus ſubobdormivit, cum ecce ſancta virgo Levvina ſibi apparuit: Surge, ait, me accipito: me, inquam, comitem tui itineris habeto. Ille vero evigilans, nec bene, quippe qui ſopitus ſomno erat, viſionem intelligens, adeſſe æditumm qui jam abierat putavit arguentem ſceleris quod mente concepit. Et hac illacque per eccleſiam diſcurrens & utrobique proſpiciens nullum videt, neminem mortalium reperit. Tunc tantus ardor mentis tamque magna cupido eum invaſit, ut ſi ilico eam non tolleret, ſe ipſum inſanire crederet. Primum oravit paullulum, acceſſit, loculum recluſit, linteolo quod ob id quidem paraverat eam involvit. Verum mihi quidem videtur huic loco inſerere rem dignam memoriæ. Nam cum primo eam tolleret à loculo, pallium ubi integerrimum habebatur diſruptum eſt, perque ſciſſuram quædam minora oſſa cecidere. cui caſui hic ipſe invidens cadentia tollebat, & ceteris oſſibus reſtituebat. ter repoſuit ter cecidere, ut patenter indicaretur, quid ſui corporis reliquiarum videlicet ibidem vellet haberi, quo in loco martyrii palma finivit vitam, ubi corpuſculum terræ mandatum eſt. Quapropter novo linteolo ea involvit, uti jam ſuperius dictum eſt, hoſpitium venit, in una tabernarum ſuarum collocavit. Indignus ſiquidem habebatur tantæ Virgini & Martyri hujus habitationis honor: ſed hic quo tunc temporis minime quidem poterat eſſe aptior. Tunc vero per ſuum comitem hanc ipſam ad navim miſit. Ipſe autem in eodem loco remanſit, quo funditus ſuſpicionis occaſionem tolleret; & ut quod fecit occultum foret, orationi vacans, donec ſole occidente heſperus oriretur, & vices ſuas nox ſibi vindicaret.

Pſal. 150.

Tempeſtas exorta.

9. Quieſcunt cuncta viventia terris, æquore, ſilvis, ſed nullo modo elementa mundi quieſcunt: inquietantur mortales tectorum excidio, humiles populos ſternit pavor, nautæ illius navis in qua erat ſancta Levvina timent ſibi; & quamquam cingerentur rupibus & altis ſcopulis, tamen ipſe timor freti inquietabat eos, urgentur enim deſuper pluvia, grandine, ventis. Hac igitur tanta rerum colliſione adacti invicem loquuntur. Mens enim hominis gnara præſciave nonnumquam futura prævidet, & quamvis nubili acuminis obtutu, tamen ventura prænoſcit. Neſcimus quæ digna, quæ ſancta quidem noſter monachus miſit, idcirco enim hæc intemperies, iſta etiam tempeſtas cæli fit. Quid agendum eſt nobis? Peribimus cuncti hac ipſa tempeſtate, medio æquoris undis procelliſque obruemur. Quid fiet in medio mari, cum in ſecuro loco hic ventus nobis ſit timori? At ſi diu hic demorati fuerimus, & ventus durus & contrarius, uti nunc eſt, fuerit, quæretur quod ablatum eſt, hic aut nuſquam reperietur. Tum quoque ſi reperitur, capitibus plectemur, tum equidem navis, & omnia noſtra publicabuntur. Unus eorum ruſticus rudis alios hujuſcemodi adhortans ait: In fluctus hæc taberna eat, undis ſali longius abigatur, ne uſquam reperiri queat. Alter quidem ſanioris mentis illius inſolentiam compeſcuit, omniumque metum verbis abegit. Si iſtud dignum eſt, ait, ſanctum ſummumque religione, tanto magis ſperare debemus hujus ſanctitate protegi, dignitate ſalvari, quam citius facilem auram, quin

Digitized by Google

quoque proſperum reditum ad patriam. His ergo dictis, confortati ſunt animi eorum ſperare è cælis opis divinæ ſalutare auxilium. At noſter fidelis fur, quinetiam latro bonus, inſomnis ducebat noctem, conſtringebatur tamen mente, angebatur animo. Timor enim præfocabat mentem illius, aggravabat animum, ut ne quidem poſſet dilatare ſe conſideratione, nec metiri cogitatus ſuos aliqua præmeditatione: ſed tantum labia movens ſanctæ Virginis opem, ſolamen, auxilium precabatur. Hujus ergo formidini miſerata eſt, orationem audivit, precibus annuit. Affuit enim, relevavit ejus animum, abegit metum, confortavit, conſolata eſt. Nam vox quædam quaſi vox mulieris clara graciliſque, quo facile quidem poſſet animadverti à qua perſona deſcendiſſet, derepente audita eſt, clare perſonans intonuit: Pone, ſodes, pone, inquit, timorem, ſpera, crede, confide cras tibi divinitus auxilium affore. Summo enim mane juxta tui deſiderium habebis uti precaris facilem auram, tenebiſque æquoreum iter, reditumque ad patriam. O immenſa bonitas, ô ſumma pietas Omnipotentis prædicanda, admiranda æque quidem in electis quos ante mundi ac totius creaturæ originem prælegit & conſtituit ſibi famulari, quoſque ante omne tempus ævi deliberavit cæleſtis ordinis militiæ adſcribi. Confortatur hic ab ea, ut poſſit is eredere hunc abitum ſibi placere. Confortatur ne timeat, quò is id quidem facti ſanctæ Virgini placere credat. Mox vero tanta ſedata eſt tempeſtas, ventorum deperiit agilitas, tumor freti quievit, mutatio rerum ſuas vices ſervavit. Tunc monachus hortatus eſt ſui comitem quieſcere, tum cedere tempori noctis: Mane, ait, revertentes ad litus dabimus vela ventis.

Ann. Ch. MLVIII. Jun. XXVI.

Sedatur.

10. At tranſeunte nocte, jamque lucifero pellente tenebras, ſuda poli facies apparuit, proſpera aura tenorem ſui flatus habuit, quod perſæpe nautas ad æquor invitat, & longa maris ſpatia penetrare factitat. Accito itaque comite ſuo monachus jam ſæpe memoratus, mare repedavit. Qui veniens omnes paratos navigatum jam diu ipſum opperientes, & adventum ipſius exſpectantes invenit. Ventis vela dantur, tum carina undis fertur, dextra lævaque æque tenduntur rudentes, navis etiam clavo ſuo imperioſe deducitur. modo etiam celeuma canunt nautæ, nunc aliquibus modis exſultant, nunc ludus verbis agitur, nunc carum convitium objicitur. Sed dum jam tranſeunte media die adhuc incibati forent, unus alios ſubmonuit: Cibum inquit capiamus, jam hora præteriit. Alius huic contra reſpondit: Nil certe præter panes habemus, & hi quidem jam ſunt duri, dentibus iniqui. Eſt autem locus propter, abundans piſcium, ubi hic monachus navim egrediatur, quantum ſufficiat omnibus mercetur. Nos interim legemus inflexionem hanc curvi litoris, poſt ſimul manebimus, adventum revertentis [exſpectantes.] huic enim egredienti nemo injuriam faciet: at alii noſtrûm exeunti fortaſſis injuria fiet. ibique enim ſunt homines injuſte injuriam facientes. Paret monachus conſilio hujus, egreditur, piſces emit, ad litus ubi opperiebatur redit. At puppis longe à terra aberat; non enim litori appropinquare poterat. Iniquum eſt eo in loco mare altis ratibus, modo altum, modo breve habetur accedentibus: quapropter carabum ſex nummis conducit, intrat, remis in ventum & undas navigare occipit. Verum natura quod difficile reddit, facile cedere haud mortalium valet conamini: nam nequicquam obluctari vento & undis redeunt. At ſocii id videntes dant vela ventis. Et monachus ſuper litus ſtans id intuens pæne fit exanimis. Conquerebatur remanens, quin etiam deplorabat dicens: Nunc nunc abis, mi pia virgo, ego autem miſer remaneo: indignus namque exſto tecum ire, tecum eſſe, tibi in carina ſervire. vale, vale, inquam, vale, habeto proſperum tuæ navigationis curſum, & mihi modo remanenti ut primum navigavero impetra portum. Et hæc dicens tamdiu ipſam carinam oculis eſt ſecutus, donec adſpicientis fruſtraretur intuitus. Invitus igitur remanet. At illi donec cogeret eos veſper intrare portum, ſecuri minarum maris, venti & nubium navigant. Tandem veniunt ad portum, carbaſa deponunt, læti intrant, fatigata corpora procurant. Verum quoſdam ſocios patriotas reperiunt qui ſimili mercis cauſa huc venerant, & quædam quæ ſecum detulerunt veneunt, quædam quæ ſecum vehant mercantur. Sed dum ſe mutuo per umbras noctis recognoviſſent, invicem amicabili ſervitutis obſequio ſibi ſtudent. Hic namque amiciſſimum compellat, alter dilectum amicum ſalutat, alius conſanguineum oſculatur, illi pacis munus offertur; invicem propinant quæ habent pocula, tum communis fit omnibus cœna. Noctem itaque inſomnem ducunt. At luceſcente die, qui heſterno venerant abitu accinguntur, ſociæque navis homines ut ſecum navigent adhortantur. Non poſſumus, aïunt, necdum paravimus quæ cupimus, quoniam noſtræ mercis quædam adhuc reſtant quæ vendemus, & quædam nobis mercari volumus; quocirca neutiquam quidem vobiſcum ire valemus. Et illi, Arbitratu veſtro fiat utique veſtra navigatio, at Balgerum monachum noſtis, veſtrum compatriotam, veſtræ viciniæ incolam? Novimus optime uti vos. Et illi: Res hujuſce apud nos habentur, inquiunt, hic autem pedes ſubſequitur: credimus ſperamus huc illum venturum, qui cum venerit, has ſuas reddite illi. Id nempe dicentes tradunt illius omnia, tabernam quoque, & ſanctæ Virginis oſſa. Tum ſiquidem portum linquunt, tum etiam alas velorum pandunt: accipit navis auram, fugit terram.

Balgerus patriam repetit.

11. Cum itaque invite remanſiſſet Frater ſuper litus maris, quam cito potuit ab eo con-

Digitized by Google

ANN. CH. MLVIII. JUN. XXVI. De ſacris reliquiis anxius.

ducta eſt alia navis, intrat, ſecutus eſt. Ut ergo proſpere patriæ acceſſit, navim qua vectus eſt ad Angliam in litore ſtantem invenit: nec mora Nauclerum denique convenit, res ſuas, quin etiam tabernam ſui ſecretum continentem requirit. Rem ergo omnem ordine pandit. Metuens, inquit, ne tibi moleſtum haberetur, ſi ſine te à nobis tuæ res deferrentur, cuidam noſtræ viciniæ homini commiſi, & ut eas ſi ad eum veniſſes tibi aſſignaret indixi. At ille præ dolore pæne extra ſe poſitus, Perdidiſti, inquit, me. Satius equidem emori malo, quam ad horam carere tanti pretii theſauro. Idcirco videlicet puppim egreſſus ſum? Idcirco retro remanſi, ut amitterem quod mihi carum magis vita fuit? Cumque vidiſſet eum ſuper hujuſcemodi afflictum non modico quidem, tum autem lamentari; ſedare animum cœpit, lenire dolorem, molliri triſtitiæ amaritudinem. Ne formides, ne deſperes, ne jam quidem ſoliciteris, credo ſatis eſt fidelis vir cui commiſi tua: quapropter fidens tui eſto, ne inconſiderate quidem hoc eventu movearis; ut ſpero, ut credo propediem aderit, tum de tuis rebus lætaberis, tum quoque de tui infortunii temeritate verſi, in proſperitatem exſultabis. Igitur vix his ſedatus eſt animus ejus, vix tandem adquievit verbis illius. Igitur jam dies tertia tranſierat, & Nauclerus omnia ad votum ſibi paraverat, cum carina fluctu veniente agitur, portum linquit; tum vela ventis dat, undis haud adeo tumentibus ducitur, reliquum diei proſpera fortuna navigatur. Jamjam dies concedit ſequenti ſua tempora nocti, tum occidit heſperus, ſecundum noctis lucet ſidus, nauta puppis clavum tenet, rudentes adminiſtrat, nunc hunc liberum reddit, nunc alterum ſua arte ſibi ſervire cogit. Verum poſt paullulum cælitus ſomnus omnes invaſit præter hunc ſolum qui clavum tenebat, qui puppim regebat: tum autem cum tanta proſperitate ea in nocte navigatur, tam dulcis tamque ſuavis aura velorum implet ſinus, ut nequidem navis nutaret, non hac, non illac, uti fit in latus verſus aquam caderet. Sic ſic eat, ô beata Virgo, tu clavum teneas, tu navim regas, tu adminiſtres rudentes, tu omnibus carinæ officiis adſis præſens, fungere vice nautarum, ut illi poſiti quieſcant ſomno; tibi optime notus habetur rectus per æquor curſus, tibi æque noſtræ patriæ portus. Miratur magiſter navis, ſic una ſocios ſubito obdormiſſe: miratur hanc navigationis proſperitatem per totius noctis ſpatium adeſſe. O Omnipotentis mira manus, mira operatio in ſuis ſibi famulantibus! Eorum oſſa omni in loco ejus providentia ſervantur, amantur, diriguntur. Multis quoque ſignis propalat cujus excellentiæ ſint, cujus ſanctitatis, cujus virtutis; quam dilecta ſibi, quam clara cælis, quam alta. Verum dum nos apoſtropham jam bis ſervamus, deviando aliquamdiu à rationis ſerie diſceſſimus. At nunc redeundum eſt, ordo orationis ſervandus eſt. Jam ſol oceano erumpens radios terris ſpargebat, quoſque operi, ſtudiiſque laborum revocabat, cum ecce cuncti evigilant, tum ſurgunt è foris ubi ſeſe locaverant. Tunc rector navis hac voce ſocios compellat: Surgite, ſurgite, inquit, ſatis ſupra quam debui omnes vos quieſcere ſivi, nimium temere hujus noctis navigationem ſervavi, vobiſque parcendo ſolus omnium curam ſuſcepi: certo ſciatis numquam cum tanta proſperitate navigavimus, nuſquam quidem ea ſecuritate, nec recto tamque certo curſu per hoc æquor ad patriam venimus. Dumque talia refert, portui propriæ patriæ accedunt, tandem carbaſa deponunt, res navigationis ſolis remis agitur: oſſa beatæ Virginis in taberna collocata à Nauclero domum referuntur, ac in emicidio ejuſdem domus locantur. Ecce autem nuntius adeſt, gaudii rem refert; dicens, jam pridie portum intraſſe eam puppim ſuper cujus adventu maximis curis frater ille afficiebatur. Ut hujuſmodi fama implevit aures ejus, pernix illo pervolat, quæ domus illius ſit interrogat. Verum poſtquam didicit quæ eſſet, adiit, intrat, ſed minime quidem domi reperit. Rogat ergo familiam ubi dominus domus eſſet; ſed & conjugem interrogat, nam ea ipſa domi erat. Ignoro, ait, quo in loco nunc ſit, verum tantum ſcio, paullo ante petiit portum, ibi ſui quadam utilitate volens convenire neceſſarium. Et ille ad hæc: Res meæ ubi ſunt, inquit, quas ab Anglia vir tuus detulit? Et rurſus male ſuccedit mihi jamdudum omnis mea fortuna, nam haud ſecundum meum velle accidunt tempora: nam quicquid mihi evenit, id contrarium repugnat meæ voluntati. Tum illa reſpondit: Res tuæ ubi ſint penitus ignoro; res autem cujuſdam monachi penes me habentur, quas ne cui traderem abiens interdixit maritus. Ego ipſe, inquit, ſum præſens de quo dicis, quia hic res cujuſdam monachi habentur. Trade ergo mihi eas. Nullo modo, ait, in hoc aſſentiar verbis tuis: neſcio enim qui ſis, & maritum timeo. Ad hæc ille inquit: Unum eſt quod volo mecum deferre, tabernam videlicet, quandoquidem mihi à te cetera negantur: quidquid vero aliud eſt hic apud te, pro arrhabone detineantur. Id fiat ſcilicet, illa inquit, ea dumtaxat à me tradetur, ne dum venerit maritus factis me incuſet, & audaciæ arguar. Tradidit itaque mulier quod vilipendit, quod vilius inter ceteras res putabat; ille vero ſuper omne aurum pretioſius quidem cælitus ſignis exagitatus ducebat.

Quas recuperat.

12. Suſcepit igitur illud, famulique ſui, qui ſecum ierat collo ſuſpendit. nam uterque pedes ierat. Amor enim & deſiderium quod erga ſanctæ Virginis oſſa habebat ut pedes iret effecerat. Verum cum jam appropinquaret clauſtro, mittitur qui hæc nuntiaret abbati ſuo. Hæc defert monachus noſter, illo in loco vos opperitur, mandat ut cum digno honore ſuſ-

Digitized by Google

cipiatur. At ille Priorem loci, boni teſtimonii virum miſit, alioſque una ire juſſit. Vadite, ait, & caute agentes primum videte quid ſit; quod ſi vobis dignum veneratione videtur, cum digno honore à vobis tractetur. At illi extemplo parent ejus dicto: veniunt locum ubi monachus exſpectabat. Et Prior: Optimum factu, inquit, habetur, ut videamus quid iſtud ſit, an ſigillis ſignatum reperiatur, an forte uti debet hic charta inveniatur? Ergo omnia recludunt, tum tria quidem ſigilla inveniunt. Cernentes itaque ſancta oſſa tribus ſigillis ſignata, Creatori omnium reddunt laudes. Igitur cum laudibus, cum hymnis hi qui miſſi erant revertuntur, cum exſultatione mentis, cum alacritate cordis famulæ Chriſti & ejus Virginis oſſa ab ipſis deferuntur, donec ante januam monaſterii veniunt. Præterea narrat Prior loci quæ invenerat, tribus gaudens manifeſtat ſigillis authentice ſancta oſſa ſignata. Super his lætatur Abbas ejuſdem loci, & omnis Congregatio, omnis puer, juvenis, ſenex exultant ſpiritu, alii tripudio. Et quia tunc temporis minime quidem paratus erat loculus ubi ea oſſa digna laude, plena virtutis poſſent reponi, in bibliotheca cum libris pro tempore aliquantis diebus locantur, quoad digno honore aptus ei loculus componeretur. Meritò ſiquidem imprimis talis locus ſanctæ Virginis cineri aptatur, ut his libris primo delatus adjungeretur, quorum ſententias menti ſuæ & locaverat dum vixit, quæque quod eædem ſententiæ indicabant fecit. Merito, inquam, nam ſatius erat eam tum librorum ſententiis, tum ſuis rebus bene geſtis florere, quam inani rerum opinione uti, quam quæ ſint contraria virtutibus ſequi, & ita vivere ut foret poſteris ſuis nobilitatis ſpeculum & virtutis exemplum. Siquidem exſtabat huic quid multum etiam ſummæ opis ad bene beateque vivendum, cum quicquid boni quotidiana meditatione colligendo excerperet, in dignitatis nobilitatiſque ſancti actus exemplum transferret. Igitur componitur honori ſanctæ Virginis loculus primo ligneis tabulatis ubi reponeretur, donec argento aurove conderetur, qui dignior ejus religioni haberetur. Forte fortuna adfuit, nam quidam Epiſcopus ab Oriente tunc temporis Bergis morabatur, nomine BOVO, plenus Dei timoris & amoris, ætate grandævus, præcipui moris vir, cujus faciem cum videas, quanti hominem dignum memoratu putes. Hic itaque talis ab omnibus accitus, adjunctus eſt ſancto negotio, cujus conſilio ſanctæ Tranſlationis dies ſtatuitur. Dehinc quidem promittit ſeſe intereſſe, eum facturum iri quicquid epiſcopalis Ordo hujus tantæ rei debet ſervitio.

ANN. CHR. MLVIII. JUN. XXVI.

Quæ juſſu abbatis examinantur.

13. Dies adeſt, cuncta parantur quæ ſancto uſui neceſſaria videntur, vinum optimum quo lavarentur oſſa, duo pallia ad involvendum, cum cereis, digni bonique teſtimonii adſtant Fratres: tum quoque, uti mos habetur, Letania primum agitur, deinde involuta pallio oſſa denudantur. Denique ubi primum ſanctæ memoriæ Epiſcopus ea vidit, dignam memoratu ceteris audientibus vocem emiſit: Vere ſancta oſſa in terris digna honore, vere ſanctæ Virginis martyriſque reliquiæ. Mox ipſe chartulam ſumit, aperit, legere præcipit. Hujus autem ſeries talis habetur: *Hic corpus præclaræ Virginis* LEVVINÆ, *quæ multis decorata virtutibus floruit ſub rege Anglorum* EILBERTO *nuncupato, quæ poſtmodum ſub ejuſdem Regis tempore, martyrio vitam finivit, Archipræſule vivente, nomine* THEODORO [a]. *Unde poſt multorum curricula temporum Deo revelante corpus ejus ab* EDELMO *antiſtite à terra eſt levatum, magna populorum adſtante multitudine, ſicque cum digno honore intra monaſterium eſt collocatum.* Dum itaque hæc legerentur, Epiſcopus lacrymis præ gaudio perfundebatur, tantæ orationis adſtipulationi annuebat, quin etiam vota laudeſque omnipotenti Domino reddebat. Interim quidem vino abluuntur oſſa, palliis duobus involvuntur, in loculo reconduntur, tunc clavis undique tabulæ configuntur, ne qua fraude poſſet adiri, nec inde aliquid reliquiarum tolli. Acta ſiquidem eſt hæc Tranſlatio anno Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti milleſimo quinquageſimo-octavo, Indictione III. VI. Kal. Jul. [b] regente HENRICO rege ſceptrum regni Francorum, optimo autem Comite BALDUINO [c] gubernante Flandriam, vivente etiam DROGONE Epiſcopo Tarvvannenſe, adminiſtrante vero Bergenſe cœnobium RUMOLDO venerando Abbate.

Dies tranſlationis.

14. Verum non ſunt tacendæ virtutes, quas propter merita beatæ Levvinæ virginis, de vino unde lota fuere illius oſſa, operari dignata eſt Omnipotentis clementia. Quidam enim ex familia ejus loci, nomine Leodolfus, quantitatem vini poſt ablutionem ſanctorum oſſuum vaſe ſuſcepit, domum detulit, ad ſalutem ſanitatemque febricitantium repoſuit; qui dum omnibus petentibus id exhiberet, & id cunctis guſtantibus ſubveniret, poſt aliquantum temporis ad ultimum aquam vaſculo infudit ac febricitantibus dedit, de qua quotquot guſtavere, priſtinam ſanitatem lætati ſunt ſe recepiſſe. Nunc itaque paullulum libet tantæ Virginis Martyriſque laudibus immorari.

Miracula.

15. Verum de vita ejus primo dicendum eſt, poſt de virtutibus, deque martyrio paulla-

a Theodorus anno 668. Romæ ordinatus, miſſus eſt in Angliam à Vitaliano papa, cujus Vitam ex Beda habes Sæc. 2. ad ann. 690. quo exceſſit è vita.

b Locus hic in cod. mſ. ita obliteratus erat, ut legi non poſſet, ſed eum ex Molano reſtituimus, qui ex monachis Bergenſibus accepit ſanctæ Levvinæ Tranſlationis feſtum agi VI. Calend. Julii.

c Balduinus, cognomento Pius, qui anno MLXVII. obiit Inſulis, I. die Septembris, ibique ſepultus eſt.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLVIII. Jun. XXVI.

Vitæ ſanctæ Levvinæ compendium.

tim aſcendentes pauca dicemus. Sane à primis caræ pueritiæ annis plena Spiritus Dei ſancta Virgo ei ipſi placuit, quæ in primo ſuæ ætatis flore illius amoris dulcedini adeo hæſit, ut nullo modo nec in proſperis nec in adverſis, ſemel ſuſceptæ inſtantiæ cederet, ſed auctori pudicitiæ caſtitatis proportione faveret. Denique etiam adhuc in teneris annis inerat ejus menti, quod proprium eſt animi bene conſtituti, nec multum lætari rebus ſecundis, nec dolendo cedere contrariis. Deinde adulta major ſe mente, florentem mundum calcavit, Deum præponens omnibus quæ oblectamento fore videntur, queis genus hujuſmodi mulierum mage nonnumquam illicitur? Igitur & puella, & adulta Virgo, dum vixit bene vixit: quia ſcilicet & ſibi cavit ne antiqui hoſtis in decipulæ fraudem dolumve caderet, ne de ruina ejus iſdem hoſtis interdum inſultans gauderet. Virtutum fœdera, munia quoque earum diligenter imitata eſt: amica humilitatis exſtitit, cultrix ejus collegæ patientiæ; pudicitiam conſervabat, qua cælum Deo & Angelis cara attingebat: præterea fortitudinem mente, auream mediocritatem ſuo actu uſque colere juſtitia, prudentia æque quidem omnia ſua metiri. His namque & ceteris virtutibus decorata, radicem ſanctæ dilectionis cælo fixit, tum quoque ramos, ſcilicet ſtudia boni operis, inaltavit, flores ſuavis odoris, internæque viriditatis folia, tum præterea fructus dulces nectareoſque Creatori ſuo protulit. Robur etiam virile femineæ mollitiei loco ſervavit: nam videres operæ quotidianæ viritim ſtudentem: cerneres ut arcum intentum ad omnia bona ejus parcam mentem. Vitia quoque virtutum ſimilitudinem mentientia ſubintuebatur, colubrum inter columbas, lupumque ſub ovina pelle latitantem deſpiciebat. Nec mirum id quidem: Pater enim cum Filio, cumque ſancto Spiritu eam ipſam inhabitabat, cujus ipſius cuſtodia omne contrarium virtuti cavebat. Erat enim inhabitatio tanti hoſpitis cauſæ cuſtoditio mandatorum ac totius legis. Dilectio æque quidem Dei reddebat hanc pervigilem ſui, ſedulam cælitus divinæ operæ, ſolertem nimium nimiumque mundæ conſcientiæ. Sic ſic Dominus in Evangelio quod dicimus, ſeſe diligentibus promiſit: *Si quis diligit me ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum; & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Manſio Dei omnipotentis numquam habetur vacua boni operis; nam quem Dei Spiritus inhabitat, uſque pervigilem reddit, ſedulo exercentem recta, favere proximorum utilitati, ſe dedere æternæ diſpoſitioni. Iſto ſiquidem habitatore uſque uſa fuit beata virgo Levvina dum vixit, quo ductore declinavit mala, ſectata lynceis oculis quæ ſequi habentur meliora. Claret itaque quî vixit terris, quæ tam clara nunc vivit in cælis; nam virtutes quas vivendo coluit, etiamnunc manifeſtant quanti cælis ſit. Id quidem quemvis credere adigit ſumma ejus claritudo, quin etiam cæleſtium ſignorum magnitudo. Id propter ſcilicet hæc ſancta Deo placuit, martyrio digna inventa eſt. Quoddam enim privilegium retinet martyrium, quo clarus celebriſque præ cæteris mortalibus à Deo inaltatur, qui ejus teſtis dignus invenitur. Id ſiquidem eſt juſta vita, meditatio boni aſſidua, juxta Dei ac proximi dilectio, omnium virtutum celſitudo; id, inquam, privilegium martyrii hæc ſancta Virgo adepta eſt, ut & Martyra Dei foret cum ſancta virginitate, & eo placeret ſibi cujus ſe addixit amicitiæ. Præterea inde aptiſſima omnino ei arma totius boni præ ſe erant, artes exercitationeſque dexteræ viæ, quæ in ſua vita à ſe excultæ fuerunt, quis omnibus mortalium præſtitit, quiſquis mirificos fructus extulit. Nequidem in extremo ſaltem tempore has reliquit, cui conſcientia bene actæ vitæ, multorumque benefactorum recordatio jucundiſſima fuit, non quo ſuis bene actis extolleret, neque enim jactantia quid de ipſius moribus uſurpavit, partemque tulit: verum quo exſultatione habitantis in ea Spiritus, bona uſque ſibi ſuccedere gauderet. Cuſtos etenim & intrinſecus ſpiritualiter gaudebat, & nequidem foris de aura favoris extolleret ſibi ſemper timebat.

Johan. 14. 23.

Ejus Martyrium.

16. His & omnibus virtutibus fulta beata Virgo, eo pervenit ut martyrio coronaretur, & duplice muneraretur, ſi vita morteque hoſtem hoſtiſque miniſtrum vinceret; ac de utroque læta trophæa ſuo Domino reportaret. Verum bonæ devotionis illius animus erigens ſe, poſteritatem ita ſemper proſpiciebat; quaſi cum exceſſiſſet è vita, tum denique eſſet victurus. Quod quidem ni ita ſe haberet, prudens gnatave horum haud tam læta tam feſtina adeo ad mortem niteretur. Equidem efferebatur Angelos, Archangelos, omnes ſanctos videndi [deſiderio.] Denique ſciebat quod commorandi natura ſibi diverſorium, non habitandi dedit. O præclarum diem cum in illum divinum Sanctorum concilium cœtumque profecta eſt, cumque ex hac turba & colluvione diſceſſit, qui eſt IX. Kal. [a] Auguſti. Ibi beata Virgo memor eſto noſtræ fragilitatis, ac ſemper præſens nobis ſubveni in neceſſitatibus & omnibus periculis. Ab hinc clemens reſpice tibi famulantes, tibi canentes attolle, tuæ opem miſericordiæ, piumque tuum ſolamen ſperantibus animis adhibe. Verum in calce hujus libelli ad memet redeundum eſt, mea inſolentia, audacia, petulantiaque animi incuſanda; qui dum hoc in opere prudentioribus deberem cedere, ſuſcepi onus quod prudens rerum caverem, ne potius victus mole ſub faſce ruerem. Lectorem itaque det veniam peto, quid

[a] Dicitur tamen à Molano & aliis paſſa 22. Julii. quamvis ob feſtum ſanctæ Mariæ Magdalenæ ejus ſollemnitas fiat die 24. ejuſdem menſis, quod fortaſſe occaſionem præbuit nonnullis ejus obitum ad hunc diem referendi. utrumque diem notat Ferrarius in Catalogo ſanctorum.

hiſtoria

hiſtoria ſequatur attendat, quidque oratio velit animadvertat. Si quid habetur in ea minus, ſuperfluumve, id propter ſcilicet, haud me accuſet, non hujus orationis arguat, non morſu venenati dentis retro rodat; reminiſci debet quod minime quidem ab oratoribus, ſed à piſcatoribus divina dogmata ſunt nobis tradita, & quod ſancta ruſticitas & ſimplex animus, pura mens, corque mundum adeo Deo placent. Ann. Ch. MLVIII. Jun. XXVI.

PROLOGUS LIBRI SEQUENTIS.

1. TAndem decurſa ſerie Tranſlationis ſanctæ Levvinæ virginis, ventum eſt ad miracula, quæ illius meritis dignata eſt operari Omnipotentis clementia. Quæ tam numeroſa tamque multa habentur, ut ſi Maronis vel Homeri docta facundia afforet, fortaſſis victa multiplici taxatione narrandi moleve tenendi audita vel viſa ſuccumberet. Verum nos vel viſa vel audita pro poſſe noſtro dicendum venimus, ejus precibus ſanctum Spiritum nobis adeſſe orantes, ut ejus ductu, ope, levamine dirigatur ſcriptoris oratio; deturque facundia narrandi, & par copia dicendi, cujus facta fuit providentia. Sed nos multa prætermittimus, ne ſuperabundans materia legenti faſtidio ſit. Attamen ſi cui diſplicent hæc noſtra, immo ſancti Spiritus ſanctæque Virginis, quæ ſcribimus: at ſi incredibilia illi videntur, fideles perſonas qui viderunt, quique præſentes affuere, teſtes anteponimus, eorumque ſub judicio atque teſtimonii veritate hæc noſtra qualiacumque ſint ſcripta firmamus. Veniat veniat, accedet auctoritas, ac inviolata permanebit veritatis puritas. Hinc prudentem admoneo lectorem, veniam det, ſi aures illius nimium urbanas offenderit incultus ſermo. His ergo omiſſis, maximum mihi habebitur ſi vel facta dictis exæquentur. Quod ut poſſit fieri, mi venerabilis pater RUMOLDE, orationum tuarum ſolamen affer, tua auctoritate firma: ſicque pendulunyonus tuæ ſanctitatis ſuſtinebit tabula. Novi quod haud æque quidem, ut actum eſt omnes animo ferent: novi quam facillime in difficillimis cauſis livor judicium ferat, & quia quod hic difficile factu putat alterius benefactum, retro rodendo damnat. Quæſo igitur, extremam noſtro operi communis negotii ſtudioſus manum imponas, abundantia reſeces, hiantia ſuppleas, errata reprehendas; quatenus dum pagina factum narrat, ſententia etiam firmo greſſu currat.

LIBER SECUNDUS.

2. OMnipotentis providentiæ altitudo ante omnia tempora mundi ſanctis ſibi famulantibus præordinavit ſummam inviſibilis gloriæ gaudii claritatem, magnitudinem præmiorum, ut facilior hujus ſæculi labor eis videretur, cum obnoxii vel debitores non carnis ſed Dei, multarum rerum diſcriminibus ſubjacerent. Hæc ſumma cæleſtis regni maxima ex parte pæne omnes mortales à primo parente latuit, donec gratia Chriſti venientis in carnem ſuis ipſam quidem manifeſtavit, cùm doctrina Evangelii, tum miraculorum inſignium numeroſitate, quo ſigna quidem præſentes cælica vi adacti credere cogerentur quæ myſteriorum magnitudo teſtabatur. Nam nec quidem facile poteſt credi, quæ ſi quidem incredibilia videbantur profari, niſi & ſignorum copia cælica vis ipſa commendaret; & is qui hæc ipſa demonſtrabat, verbis & miraculis plueret. Quapropter firmum fuit, creditum eſt eſſe, quid tale inviſibile, quod huic viſibili excelleret: quoniam ea quidem ſubſtantia firmior eſt, quæ minime hoc in mundo conſpicitur; quam hæc caduca quæ oculis capitur. Ex quo nimirum contigit quoſdam mortales capaces divinæ mentis credere Deum innovare veniſſe, quod invidia antiqui hoſtis periit; hominem ſcilicet, qui à paradiſi amœnitate decidit, quem iſdem veneno infectæ fraudis occidit. Verum verſa vice, ſub pedibus electorum Domini poſtea ingemuit, & jus quod acceperat in ſanctos Dei, perdidit. Qui ſiquidem cum in eum ejuſque nequitiæ miniſtros decertarent, de ejus ipſius dejectione triumpharunt, tum victoriæ bravium, tum laudis præmiique palmas acceperunt. Quibus etiam promiſit omnipotens Dominus, quod nec eorum quidem oſſa perirent, Pſalmiſta teſte, qui ait: *Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, unum ex his non conteretur.* Et idem Dominus in Evan- *Pſal.* 33.21.
gelio: *Capillus*, inquit, *de capite veſtro non peribit.* Nam quid ſperemus quanta claritate
animæ ſanctorum cælis perfruantur: quantæ curæ omnipotenti Domino habeantur; cum *Luc.* 21. 18.
nec pulvis quidem, nec etiam oſſa ab ipſo derelinquantur. Quid namque putamus quanti cælis ſtant; quid præmii eædem poſſident cum agmine angelico, quorum oſſa in terris nec cæleſtis deſerit claritudo? Nimirum videre videor, quod incredibile memoratu eſt, mortem ſanctorum fore eis vitam; nam tunc primum incipiunt vivere. Vivunt enim ſancti, vivunt, inquam, quos vitæ auctor diligit, ſignis longe lateque ampliat; crebris miraculis extollit. Igitur ſanæ mentis homini haud dubium habetur quin vivant, quin etiam omnia ſciant: Adhærent enim auctori omnia ſcienti. Verum jam tempus eſt, ut ſecundus libellus par-

ANN. CH. MLVIII. JUN. XXVI.

tim demonſtret miracula quæ meritis beatæ Virginis dignata eſt operari Omnipotentis clementia.

Reliquiæ S. Levvinæ per Flandriam delatæ.

* V. Furnes.

3. Poſtquam epiſcopali auctoritate, ſecundum id quod juſtum fuit, adminiculatum eſt miniſterium Tranſlationis venerabilis Levvinæ virginis & martyris, ſummaque digne ejuſdem peracta eſt, accidit ut dignum actu nonnulli exiſtimarent ſanctam virginem per Flandriam deferendam; ut & notæ fierent tantæ Virginis reliquiæ, & intereundo omnipotens Dominus cujus foret meriti declararet. Cumque Furnenſi * territorio ad eccleſiam *Alverinkchem* nuncupatam ventum eſſet, ſuſcepta eſt cum digno honore; tum etiam locata ſuper ſanctum altare. Ibi erat quidam, nomine Bodera, longo languore renum adeo diſſolutus, ut numquam pergeret niſi duobus baculis innixus. Et ut hodieque fatetur, teſtatur, jurat, deficientibus membris, cliniacam paſſionem incurrere timebat. Suæ itaque longitudinis candelam ſanctæ Virgini detulit, aliquamdiu ante eam proſtratus oravit, ſuamque ſalutem oravit. Denique dum oratum eſſet, poſt datam orationem ſurrexit, & dolore renum totiuſque corporis funditus caruit. Quique ſuis paullo ante portatus erat baculis, mox eadem die ſine baculo portavit reliquias beatæ Virginis, & mirabili diſpenſatione Dei id quidem actum eſt, meritiſque Virginis, ut dum de ſua ſalute exſultaret, ſuæ ſalutis auxiliatricem portaret.

Renibus laborans ſanatur.

4. Poſt hæc tranſeundo nonnullas eccleſias properatum eſt ad villam Letſingas [a] dictam. Venitur ad eccleſiam, ubi ab incolis nec ſuſcipitur nec honoratur: quippe cujus nomen antehac ne quidem, uti dicebant, illic audiebatur. Quod non modice quidem præſentes contriſtavit, deque proſperitate cœpti itineris deſperare fecit. Attamen ſuper altare ponitur, ibique quid futurum foret ab illis exſpectatur. Tunc unus è fratribus, qui cum ea illo venerant, ante eam ipſam ſeſe proſtravit, atque hanc nunc verbis uti viventem incuſabat; nunc deprecatorie velut privatam amicam mulcebat. Cur beata Virgo tibi famulantes derelinquis? Cur non quanti haberis oſtendis, ut hujus loci incolæ tua ſigna videant, te honorent, teque ſanctam Virginem ac martyrem credant? Nos equidem deceptores dicunt, te ſanctam minime quidem, nec alicujus meriti eſſe jurant, credunt: jamjam pia noſtris precibus ades; te veram ſanctamque omnipotentis Dei famulam monſtra, tuum decus, tuam ſummam adauge, & de te nobis lætitiam præbe; ut ſicut claritudo tua alta magnaque habetur cælis, ita quoque ſignis cæleſtibus inaltere * terris. Quod niſi feceris, ad monaſterium quamprimum reportaberis, tuo in loco reponere, & amodo tuo honore merito minor habebere. Hæc perorans à terra ſurrexit, hoſpitium venit, præmeditans utile factu quam citius diſponere de reditu. Mirum dictu! eadem hora contigit; nam ſancta Crux noſtræ redemtionis ſignum quod eo in loco eſt, aquæ ſudorem ex ſe emiſit, & aliquamdiu ita ſudans permanſit. Id ſiquidem cuncti videre qui adſtabant, & quod futuri ſigni eſſet portentum dicebant. Ecce à quatuor portantibus deferebatur in lecto paralyticus, cui infirmitas ad habitum veniens, artus membraque omnia ademit, quæ illi natura habere dedit. Totum corpus erat rigidum, inflexibilis cervix, venæ, nervique emortui longa infirmitate, manus & pedes ad inſtar parvi pueri redacti: quid dicam quod nequidem manum ad os ducere, non aliquod membrorum aut artuum ad ſe trahere valebat: & ut plus miretur, totum hominem diſſolutum videres, nilque vitale corpori præter ſolum flatum vix vivido corpori. Itaque à ſuis ante ſanctam Dei virginem ſtatuitur, atque omnipotentis Domini manum opperitur. Præterea meritis ac fidei ſanctæ Virginis ſe totum dedere cœpit, ac ejus pietati ſe commendare, & mage puro animo ac lingua ad eam clamare. Verum enim vero miſericordia Omnipotentis adfuit, & per meritum beatæ Virginis miſerum adjuvit. Nam hæc ipſa audivit orationem, miſerta eſt ejus cordis corporiſque dolorem: derepente enim cœpit miſer tremere, dentibus infrendere, hac illacque circumſpicere. Id ſiquidem cernentes fratres qui aderant, an tale quid ſibi umquam eveniſſet, eos qui eum detulere ſciſcitabantur. Numquam, inquiunt, hujuſmodi fuit, nil tale uſquam paſſus eſt. id quidem novum erga eum habetur, ſibique hoc in tempore incongruum. Tum Fratres invicem ſe hortantes Letanias decantare accelerant: necdum vero finis erat horum quæ cantabantur, cum ſubito agilis tamque celer à lecto in quo decumbebat ſaltum dedit, ut ne quidem aliquis ſanus adeo feſtinus ſurgeret, non tam citus ſaltum daret: & ut velociter ſaltum dedit, ad feretrum ſuæ adjutricis cucurrit, illud ſuis manibus tenuit; ſimulque clara voce dixit: Venite venite, mecum ſuſtollite, una mecum portate. nam meritis hujus, ſanus factus ſum. Solita enim infirmitate funditus careo, corpus robur ſuum recepit, venæ nervique fortitudinem, omnia membra ſui officii tenorem: & hæc dicens, feretrum in ſublime elevavit. Deinde lætus hac illacque per eccleſiam curſitat, virtutem ſanctæ Dei Virginis in ſe factam prædicat. tum merita ejus ipſius extollit, tum omnium Domino laudes reddit. Et cum illi ab uno adſtante baculus offerretur, ut huic inniteretur. Minime quidem, inquit, egeo baculo, meum enim antiquum vigorem recepi. Tunc denique fama facti ſigni volat, fit concurſus ad eccleſiam, ſenex, juvenis, omniſque puer adeſt, mirabile dictu ſignum

* innoteſce.

Paralyticus curatur.

[a] Leſſingas ſcribit Mejerus, quam villam ſitam eſſe ait in agro Brugenſi.

Digitized by Google

adſpicit, ac Creatori Domino ſimulque ſanctæ Virgini vota laudum reddit. Hic itaque libet exclamare: O fortis manus nimium nimiumque prævalida Omnipotentis! ô pietas æterni Regis, præſens & propitia ac clemens ſibi famulantibus! Hujus ſigni facto oſtendit cujus meriti ac quanti cælis eſſet, quæ in terris laude paucorum celebrabatur. Verum enimvero id cælitus actum eſt, ut multi forent meritis ejuſdem Virginis teſtes & aſſertores, cum primo pauci eſſent, paullatimque creſceret illius honor majorque fieret, quam plebs primum ignorans ac neſcia veri paſſim poſtea prædicaret. Altera autem die duodecim bidentes detulit, grata pro recepta ſoſpitate ſolvens: & cum ad aliam eccleſiam feſtinarent, una cum ceteris gradiebatur, portabat ſuam auxiliatricem per quam recepit ſanitatem. Vocatur autem idem homo Boldredus, qui hodieque ſanus permanet, mirabileque factum in ſe eſſe ſignum gaudet. Ann. Ch. MLVIII. Jun. XXVI.

5. Deinde veniunt ad villam, Oldeburg nuncupatam, ubi demonſtravit pietas Omnipotentis, cujus merita forent oſſa beatæ Levvinæ virginis. Nam ibi erat puella, intolerabili infirmitate jam multis diebus fatigata, adeo ut vix loqueretur, vix ſedere poſſet, vix cibum capere, vix dormire valeret. Totum enim corpus ejus erat tremulum: manus, pedes, caput, quin etiam labra tremebant. Hæc ſabbati dum deſerviret horti operæ colligens olera quæ cœnæ pararentur, ſubito in terram cecidit & exanimis. Tum quoque cum ſubita obripilatione tremor membrorum continuus illi exſtitit, æque quidem infirmitas ex eo tempore totam miſeram cœpit. Hæc ſiquidem talis à parentibus delata eſt, & ante altare ſuper quod poſitæ habebantur reliquiæ Virginis ſtatuitur. Ibi ergo proſtrata humi diu jacet, ac opperitur omnipotentem Domini manum, ut ſui miſereretur per beatæ Virginis meritum. Et dum ibidem jacens aliquamdiu oravit, tremor membrorum, qui paullo ante continuus erat, ceſſavit. Infirmitas quoque quæ eam cum tremore fatigabat, paullatim diſceſſit. Quod cum ſenſiſſet, cita à terra ſurrexit, ſeſeque meliuſculam ſuis parentibus & ceteris adſtantibus dixit. Tum itaque vota precum laudumque Creatori omnium referunt, & una æque ſanctæ Virgini pro tanto miraculo gratias reddunt. Tum domum à ſuis pedes reducitur; quæ hodieque incolumis permanet, ac omnibus prædicat quantum beata Virgo ſe invocantibus valeat. Item puella.

6. Inde interjacentia peragrando, venerunt ad eccleſiam *Vvtkerke* dictam, ore antiquo. Dum ergo altero die omnes ejuſdem loci incolæ ad eamdem eccleſiam conveniſſent, & dum Sacerdos poſt Evangelium, uti mos eſt, ſermonem faceret ad populum, ſubito extra atrium ſanctificatæ domus oritur ingens hominum tumultus. Fit concurſus, undique tela rapiuntur, amicæ parti auxilio quiſque feſtinat. Ante altare forte jacebat contractus puer duodecim annorum, qui idcirco illo delatus erat, ut fidele auxilium ſanctæ Levvinæ imploraret: interim ſubito erigitur paucis remanentibus & cernentibus. Fama facti miraculi circumquaque eminus volat, aureſque omnium qui ad tumultum pervolaverant replet: tunc denique quam citiſſime redeunt, tela deponunt. Velocior vero eorum concurſus fuit ad videndum patrati miraculi ſignum, quam primum feſtinantium ad tumultum. Videntes igitur miraculum cælitus actum, ferocitatem animorum Deo ſubmittunt, celebre nomen Virginis laudant, meritum ejus, virtutemque ejus prædicant. Sicque quod antiquus hoſtis volvebat ad ſuæ præjudicatæ damnationis fraudem, Domini manus convertit ad ſui nominis honorem. Contractus erigitur. Nota.

7. Operæ pretium eſt & illa inſerere huic paginæ, quæ Omnipotentis providentia dignata eſt operari, & mortalium oculis oſtendere. Inſula eſt dicta Vvalera, opibus rerum, tum copiis etiam piſcium & alitum, tum copiis hominum robore fortium, tum equorum corpore præſtantium, ceterorumque animalium referta, ad eam itaque ventum eſt. Ibi erat quidam vir mortalium, nomine Ramboldus, dualis infortunii infirmitate detentus. Nam & auditum perdiderat, unaque toto corpore paralyſi diſſolutus exſtiterat; & id quidem ad cumulum laudis Domini, & augmento atque accumulationi Virginis meriti. Igitur defertur à ſuis, ante eam ſtatuitur ubi in eccleſia locata fuerat, cum amiſſam auditus facultatem recepit. Tum æque quidem integræ ſanitati reſtituitur, ac in cunctis membrorum partibus totus & integer uti homo reſtauratur. Viget continua ſanitate uſque hodie & valet, ſeſeque ex ſemimortuo totum vivum fore gaudet. Paralyticus ſanatur.

8. Hæc etiam aliud ſubſequitur, quod à nobis pro poſſe noſtro in lucem proferendo, ſtylique officio commendando dicetur. Virgo quædam tribus annis ægra jacebat, vimque corporis omnibus membris amiſerat, tantum vero ſpiritus pervigil ſolo pectore vigebat; & quamquam corpus infirmum longa valetudine teneretur, fortis mens ac præcavens prudenſque ſui habebatur. Hæc itaque audivit ſigna quæ fama volabant, quæ ſancta Levvina in vulgus faciebat. Cujus ardentiſſime mente inhærens meritis, ſe poſſe quoquomodo longa ægritudine privari, aut etiam mortem adipiſci, à patre matreque ad eam ſe deferri fecit. cumque in lecto poſita deferretur, paullulum quievit; tum mirum in modum de lecto ſurrexit, feretrum tenuit, taliaque fundendo lacrymas peroravit. Celebris memoriæ venera- Virgo mortem, ut ſibi utiliorem impetrat.

ANN. CH. MLVIII. JUN. XXVI.

bilis Virgo, haud haberi videtur conveniens, ut indicem tibi quanta valetudine teneor, cum omnia ſcias; & quid ſit mihi melius meæque ſaluti, aut vivere aut mori, ſatius cognoſcas. Tuæ fidei, mi pia Virgo, me totam committo, meum vivere, meum quoque mori tuæ in poteſtatis protectione pono; ut id quidem celerius mihi impetres bonum, quod maxime ſaluti meæ exſtiterit neceſſarium. Si mors habetur mihi beatior vita, veniat, properet: ſuſcipiam equidem, tantum adſit per tuam deprecationem. Dumque hæc & alia multa peroraſſet, valefecit ſanctæ Virgini, ſeque in lecto recollocavit, ac poſt paullulum ſe iterum domum deferri præcepit. Sequente vero die patrem & matrem advocat, balneum ſibi parari indicit, veſtes quoque quas habebat præſtantiores deportari juſſit. Miratur uterque parens, miratur omnis familia, & ſuper his obſtupeſcens, deinceps quid actura ſit expectat. Ipſa autem intrat balneum, ſatiſque accurate lavat caput & omne corpus, poſtea vero induit ſe veſtibus ſuis, ac in ſtipadio ſeſe locans, hæc ultima dixit cunctis audientibus: Gratias tibi ago pia virgo Levvina, quoniam exaudiſti mearum precum vota, tuo ſiquidem juſſu feſtinavi lotum, tum tua admonitione acceleravi indutum, veſtes quas habui in mundiore cultu præſtantiores, tuis precibus mihi permiſſum eſt, ut alio vadam, aliudque mihi patriæ perquiram. Scio namque & credo, ſi hæc præſens vita mea ſaluti foret utilior, tu primum mihi hanc impetraſſes, tum te Omnipotens Dominus audiſſet, ut ſaltem aliquantum temporis mihi in ea ipſa concederet. Verum enimvero hæc labilis fragiliſque vita multos dat vitiorum præcipitio: ego autem jam portum intrans ſecura minarum ſæculi, litus teneo. Et hæc dicens, iterum gratias Deo & ſanctæ Virgini reddidit, & una ſpiritum emiſit. Poteſt moveri cur non magi ſibi ſpatium vitæ à ſancta Virgine fuit impetratum atque ſibi à Deo donatum: cæleſtis enim providentia utrobique ſaluti noſtræ conſulit, & quod melius quoque neceſſarium nobis eſſe prævidet, concedit. Fortaſſe enim huic ſæculo reddita mundialibus ſe implicaret, hiſque adhæreſcens quot diebus deterior fieret. Nam & duo petiit, & ita dumtaxat ut ſuæ petitioni utilius concederetur: & huic oculus ſuæ mentis inhæſit, & altitudo providentiæ ad ipſum quod petebat ei conceſſit.

Cerei extincti divinitus reaccenſi.

9. Dum Bruggas venit, cum maximo tripudio Cleri plebiſque ſuſcipitur. Et cum proceſſio obviam eis extra caſtellum egrederetur, duo cerei vento extincti ſunt, qui clericali conſuetudine ante illam ferebantur. Verum dum ſanctæ Virginis reliquiæ ſuſcipiuntur, cælitus, vidente populo, iidem ambo cerei accenduntur, & ita accenſi permanent, donec limina templi intrarent. Super his etiam cunctus populus Deum laudat, precatur, orat, ſpiritualique gaudio exſultat.

Homo à cancro liberatur.

10. Eſt villa nuncupata Dodeſela, in qua erat quidam homo, nomine Eremboldus, cui tulerat cancri ulcus coxæ officium, ut nullo modo valeret incedere, niſi ea pars corporis baculo inniteretur, qua æger ejus coxæ infirmitate laborabat. Cumque jam eſſet deſperatus à medicis, vitæque ſuæ diffideret, acceleravit venire ad eccleſiam jam memoratam, ut convenerant Officiales cum ſanctæ Virginis reliquiis. Qui dum aliquamdiu ibidem oraret, omnipotentem Dominum deprecabatur, ut per Virginis merita ſui miſereretur. Nec voto ſuo fruſtratus eſt. Nam dum domum rediſſet, mox cœpit cancri ulcus per ſe minorari, parſque ægra corporis vim antiquam recipere: & ita factum eſt, ut quot diebus paullatim convaleſceret, donec integræ ſanitati homo totus redderetur. Nec dubitandum eſt quin beatæ Levvinæ Virginis id quidem adſcribatur meritis, cujus etiam ſalvatus eſt interceſſione, qui dum diffideret ſuæ ſaluti, ab incurabili infirmitate redditus eſt ſanitati.

Alius à puſtula.

11. Verum poſtea ventum eſt ad eccleſiam *Liſwvege*, ubi in lecto defertur quidam, nomine Ramboldus, puſtulæ morbo morti proximus. Jam enim officium linguæ amiſerat, jamque viſum vimque omnem corporis perdiderat, cum quidam è Fratribus de ligno loculi Virginis parum ferro eraſit, vino infudit, ori illius immiſit. Mox vita intrantem mortem expulit: nam confeſtim locutus eſt, tum ſibi in lecto aſſedit, ſuos ſibi congaudentes vidit, tamque citam ſanitatem ſibi redditam mirans obſtupuit.

Contracta ſanatur.

12. Deinde quædam femina de territorio Bruggenſi, nomine Olſendis, in lecto defertur, cui jam quindecim annis ſiccæ venæ nervique contracti ademere vires totius corporis. Nil roboris erat ei, non in manibus, non in pedibus humani tenoris firmitas; quippe cui præmortua omnia membrorum oſſa habebantur. Verum ſub celeritate ſanitati reſtituitur, ſana domum revertitur, quantumque valeat beata Virgo, eo in facto à cunctis agnoſcitur.

13. Hæc in eundo & redeundo provida diſpenſatione Omnipotentis Domini peracta ſunt. Nam & alia multa Rex gloriæ meritis ſanctæ Virginis peregit eo in itinere, quæ omnino decrevimus tacere, ne quid faſtidioſius ſuperabundanti invideat materiæ. At nunc narrandum eſt unum, quod meritis beatæ Virginis dignata eſt operari miſericordia Omnipotentis. In villa Bergenſi quidam vir erat, cui binam prolem natura dederat, qui unam maſculino integram corpore, ac omnibus membris vigere gaudebat: alteram femineo artubus, membris, totoque contractam dolebat. Hanc itaque dira ſors protinus ab ipſo ortu nativitatis ligaverat, & disjunctis artuum compagibus, conjunctis etiam membris ubi non debuerant conjungi tenebat. Nam natibus calces habebantur adjuncti, ſic ut viderentur

Item altera.

unius conjunctionis aſpicienti. Deinde omnia membra minitabantur interitum, ut ſi adeſſes, nihil aliud quam informem turpemque materiam cerneres. Contigit itaque ſexta feria, in qua glorioſiſſimæ Crucis ac ſalutiferæ paſſionis Domini celebris memoria recolitur, ut uterque parens eccleſiam adirent Miſſas audituri, ſimul etiam Omnipotentem Dominum pro ſuis male admiſſis veniam exoraturi. Verum utraque proles jam dicta una in loco jacens ac dormiens remanſit. Poterat autem puer, qui integri corporis erat novennalis haberi, puella autem decem annos habebat, quam dormientem frater excitavit, & hujuſmodi verbis allocutus eſt. Dic mihi miſera ſoror, nihilne vales in membris, num aliquantum progredi, num ſine ope alterius teipſam aliquid quamvis parum ſerpens attrahere? Non, inquit illa, nihil prorſus. nam ſi hæc noſtra domus incendio daretur, ego intus conſtituta minime quidem exirem, niſi ſi aliorum manibus deportarer. Et ille: Jam tempus eſt, ſurgamus. At illa ſubjiciens: Id quidem, ait, libens agerem, verùm nequeo, ſed tuo adminiculatu ad id actum opus eſt. Igitur ſurgit, induit veſtes, tunc accinxit ſe ſervitum ſuæ ſorori. Cum jam & illa induta foret ſuis æque veſtibus, frater charam germanam alloquitur hiſce ſermonibus: Ecce, ſoror, ſancta Levvina exaudit multos ſe invocantes, plurima incommoda in melius commutat; exeamus domum, hortum noſtrum intremus, hanc piiſſimam oremus ut tui miſereatur: credo equidem aderit nobis, utroſque exaudiet, & ſolitum ſolamen quemadmodum nobis æque attribuet. Ego namque cauſa tui uſque dum vixero, hac in die caſeo, butyro, ovis, hiſque ſimilibus veſci cavebo: tu vero omni ſeptima feria temet haud manducantem carnes ſpondens promittito. Hoc itaque inter ſe firmato pacto frater pro poſſe germanam poſt ſe trahit, hortulum intrant, verſus templum Deum, ſanctamque Levvinam adorant. Mira dicturus ſum. Mox ibidem puella erigitur, & ſine ope fratris domum intrat, quam paullo ante attractu ejus miſere ſerpens exierat. Verum dum parentes domum redeunt, filiam incolumem reperiunt, exſultant invicem magno tripudio; & dum ſciſcitantur utroſque quomodo ſanitati ſit reſtituta, hoc tantum reſponſum audiere, quod ſanctæ Levvinæ interventu ſanata ſit: de voto autem quod uterque inter ſe ſancivit omnino ipſa hora tacuere, parenteſque id voti latuit, donec una dierum, ſexta feria ſcilicet, mater filio partem caſei porrexit, qui noluit accipere, dicens, haud eſſe ſibi licitum illo die caſeum comedere. Tum denique primum mater animadvertit, & illi interroganti, id propter ſcilicet ſe nolle caſeum comedere die illo reſpondit. Id denique miraculi ſignum cum omnis villa celebraret, ad aures Comitiſſæ Athalæ [a] venit; quæ mulierem cum utraque prole acciri præcepit: & interrogans, omnia ſic ſe habere cognovit. Sed & ego ipſe, qui hæc qualiacumque ſunt cudo, dignum duxi inquiſiturum ire, & pro miraculo cælitus facto glorioſum nomen omnipotentis Domini benedixi. Hujus rei teſtis eſt tota Bergenſis villa, quin etiam ejuſdem villæ omnis vicinia. Laus tibi Deus, qui linguas infantium facis diſertas, & eorum corda imbre tui Spiritus irroras. demonſtras enim quod tibi curæ ſint parvuli, cum & providere ſibi & ſapere facis quæ nimirum ſunt adultæ ætatis. Ecce enim id actum eſt vel propter meritum ſanctæ Virginis, vel ut à tuis ſervis laudere, & ut magis divinum dogma parvipendentibus & minus intelligentibus venerationi habeatur. *Sap. 10. 21.*

14. Nonnulli mortalium Bergenſis pagi præ religionis ardore tacti, quodam tempore Romam adiere, inter quos quædam mulier cum viro aggreſſa eſt idem iter, plena digna relatu, uti poſtea apparuit, devotione; quæ cum ad eamdem urbem veniſſet ſoſpes & valens, triduo ibi manſit. Verum triduo tranſacto, nimia valitudine corpus gravari cœpit, æſtu febris atteri, adeo ut jam videntibus infortunium ſuæ valitudini deſperationis haberetur. Orabat adjutorem ſui ſanctum Petrum Apoſtolorum principem, quin etiam ſuffragia ſanctorum Bergenſis monaſterii, qui ibidem venerantur precabatur, ut ſuæ infirmitati orationibus ſubvenirent. Hujuſmodi affecta miſeria, ſubito poſt precatus, poſt lacrymarum ubertatem, paullulum ſoporatur. Verum erat huic ſomnus, erat corporis dormitio, ſed cum hac animi vera viſio; vidit equidem ſpecioſi & admodum reverendi vultus puellam adſtantem, ſibique talia loquentem: Video quia gravaris nimia infirmitate & valde periculoſa, ſed tui auxilio & ſaluti tuæ quibit fore mei ſola conſilii atque conſultus cauſa. Nuper delata ſunt pignora meorum oſſuum, quæ Balgerus nomine, monachus, ab Anglia detulit, & repoſita cum libris in ſcrinio, in crypta dedicata in honore ſanctæ Trinitatis tenentur. Huic denique innituntur hi & illi immundi, mihique contraria hujuſmodi importunitas habetur. Cum vero reſponſum infirma ederet, veniretque rogatum quæ hæc eſſet, viſio adſtantis puellæ ſubjicit: Levvina dicor, virgo & martyr, & merui his ut ſim omnium ſupernorum concivis. Hac eadem hora eſto ſana, eſto modo teſtis tuæ ſanitatis: eris etiam teſtis Dei virtutis, dum ad patriam & ad tuum locum veneris. Vix id oroma adſtanti puellæ evanuit, cum illa evigilans ſeſe ſanam ſenſit. Verum multis modis probat *Mulier morti proxima ſanatur.*

[a] Ea eſt Athela Balduini Pii uxor, quæ poſt mariti obitum ab Alexandro II. ſummo Pont. velata in monaſterio Meſcinenſi quod erexerat, cum ſacris virginibus piam vitam exegit.

Digitized by Google

ANN CH. MLVIII. JUN. XXVI.

utrum id quidem verum ſit; modo ſe extendendo, modo in utrumque lateris ſeſe vertendo; nunc erigendo, nunc æque quidem iterum quieſcendo. At mane facto, viro ſuo cum ſuis ſociis viſionem retulit, puellæ nomen viſæ ſibi, & quia vocabatur Levvina edicit. Agnoſcunt nomen Virginis & martyris, & quia recens ab Anglia delata ſit confitentur: reddunt laudes Deo, majores veró ex corde illa quæ ſanitatem ſuſcepit. Ut domum rediit, mox & viſionem & infirmitatis commodum cum ſanitatis indultæ opem argumento comitantium declaravit. Mox ſiquidem loculus componebatur, quo ſanctorum pignora oſſuum locarentur. Id miraculi ſignum pæne primum fuit poſtquam venerabilis Virgo ab Anglia delata fuit. Per omnia benedictus Deus qui ſemper vivit & regnat, & Sanctos ſuos ubique gentium glorificat.

Item altera.

15. Quædam matrona, nuncupata Cilia, de territorio Bergenſi, valida infirmitate detinebatur, in qua etiam æſtus febrium diatim creſcebat & augebatur. Longæ valitudinis languor futuram jamjamque venientem mortem ſignificat, immo præſentis ſigni habetur indicium. Præparabantur exſequiæ funeris, omnia quæ animæ Matrisfamiliæ ſaluti, auxilioque poſſent eſſe providebantur: os ſiquidem mutum, frigida membra præſentes deſperare faciebant. Interim apparuit ei quædam puella ſignum religionis capite ferens, ſcilicet velum quo agnoſcitur digna religio. At patiens fixa in eam lumina tenebat, quid actum quidve factum foret exſpectans. Primum admovit leniter pectori manum, dein ſic dulce ſummiſſoque ore locuta eſt: Virgo Levvina & martyr tibi loquitur, admovet manum tuo pectori, te præſens, te auxilio juvat, lumen candelæ para, hac me tuam adjutricem dona. Hæc dicens, quæ videbatur diſceſſit. At illa ſtatim aperuit oculos, filiam vocavit, cui præcipiens talia dixit: Vade, curre, feſtina, & mihi defer ceram quæ habetur in mea arca; componendum eſt enim ſanctæ Levvinæ honori candelæ lumen, adeunda Virgo. nam me admonuit ut id agam quidem. Filia vero quædam rerum agere feſtinabat, putans lethargum matrem pati: cum ſubito illa feſtina ſurrexit, cucurrit ad arcam, aperuit, candelam componit. Mira velocitas. Eodem die præceptum Virginis jubentis uti ſe viſitaret implet, narrat præſentibus viſionem, indicat inopinam ſanitatem. Tum demum peractis votis, gaudens hilaris ac læta domum revertitur: tamen curat filiam, magis autem ſui ſollicita ac memor Virginis, cujus meritis meruit donum ſoſpitatis.

Item ſurda & muta.

16. Quidam æque quidem de territorio Bergenſi natam habebat, verum ſurdam atque mutam à primordio nativitatis, quot horis repræſentabatur viſui ejus, dolebat. Hic denique haud infimus, ne ultimus quidem inter vicinos ſuos vivebat; nam ſanguinis ſerie ducta à patribus pollebat, & ſubſtantia quam plurimum abundabat. Huic erat vicina vidua pauper; ſed quamquam minime quidem huic eſſent neceſſaria, tamen devotum animum gerens, eccleſiam quot diebus viſitabat, atque nonnulla quæ virtutis habentur, quæque laudis ſunt faciens, pro poſſe niti curabat. Apud plures hujuſmodi minime videtur eſſe digna virtutis, ſperant enim creduntque quia infortunio egeſtatis premitur, ſuſtentari poſſit aliquorum levamine, idcirco quodam ſimulto id faciat. Verum inſpicit Deus cor humanum, mortalis vero faciem videt. Huic tali ſancta Levvina in viſione apparuit. Vade, inquit, ad hanc tuam vicinam, matrem puellæ patientis ſurditatem aurium, oſque mutum; & tale quid orationis profer: Sancta Virgo Levvina monet te, ut filiam tuam ad illam ducas, & ſanitatem recipiet. Venit illa mane facto, viſionem indicat & præceptum martyris. Illa autem confeſtim viro. At ille, inquit, nil hujus rei eſt, indiget quam plurimi, aliquid de tuo vult habere, & idcirco talia componit: ſi credimus hujus deceptioni, erimus omnibus deriſioni. Poſtea iterum pauperi viduæ Sancta ſupradicta apparuit, ſubmonens manifeſte eadem quæ ſupra. Mox illa rurſus indicavit matri puellæ. At illa minime quidem id viro indicavit, ſed confeſtim duos equos ſtravit, unum ſibi, alterum filiæ. Dum appropinquarent monaſterio, veſpertina ſynaxis pulſabatur, mira dicturus ſum, eadem hora antequam accederent ad monaſterium, puella audiens campanam locuta eſt matri: Mi pia mater, dic mihi quid ſit quod audio. Eo in loco tunc primum audivit, primum locuta eſt. Hæc audiens mater lætatur, ſanctam Virginem primum munere donat, poſt læta domum revertitur. Adhuc ſuperſtes, & ſanitatem puellæ & viſiones viduæ prædicat. Hac pauca de multis decoloratis vitiis, ruſtico ſtilo compinxi, & verboſior fortaſſis quam debui fui. Pia Virgo mihi oro veniam impetra ſcelerum, quam in ſinu ſuo cæleſtis continet gloria.

Ann. Ch. MLVIII. Auguſt. I.

DE BEATO THEODERICO abbate Uticenſi.

1. *CUM cœnobium Uticenſe, quod à ſuo inſtitutore, ſancti Ebrulfi nomen habet, multis annis dirutum & penitus everſum jacuiſſet, hoc ſæculo undecimo priſtinum ſuum ſplendorem feliciter recuperavit. Quo pacto hæc reſtitutio contigerit fuſius narrat Ordericus Vitalis ejuſdem loci monachus, qui in hiſtoria Eccleſiaſtica, quam ſæculo ſequenti conſcripſit, ea paſſim inſeruit, quæ ad ſui monaſterii ſtatum ſpectabant. Refert itaque libro* 3. *quod cum Hugo de Grentemaiſnilio ac Robertus ejus frater, alios viros nobiles cernerent, reſtituendis vel de novo ædificandis monaſteriis eſſe intentos, ipſi etiam de monaſterio in villa Nucereti, quæ ad eos pertinebat, excitando cogitaverint. Cum vero id reſciviſſet Vuillelmus Geroi filius, eorum avunculus, qui poſt multa præclare geſta in ſæculo, ſeſe in monaſterium Beccenſe receperat, nepotibus ſuis perſuaſit, ut mutata ſententia, inſtaurando potius monaſterio Uticenſi operam ſuam collocarent. quod cum eis placuiſſet, locus ille, qui Herluino abbati Beccenſi datus fuerat, ubi etiam aliquot alebat monachos, data Beccenſibus villa Roſſeria, priſtinam libertatem recepit. Re ad Guillelmum Normanniæ Ducem delata, eam approbavit, donationeſque ſancto Ebrulfo factas, ipſe cum Malgerio archiepiſcopo Rotomagenſi, ac ſuffraganeis epiſcopis confirmavit, & inſtrumentis ea de re confectis ſubſcripſit.* Monaſterii Uticenſis reſtauratio.

2. *Monaſterio reſtituto providendus abbas fuit, qui novellæ plantationi præeſſe dignus eſſet. ad id electus fuit Theodericus monachus tunc Gemeticenſis, de quo nunc ſermo eſt, qui monaſterium ſibi commiſſum non ſolum temporalibus divitiis abundanter inſtruxit, verùm etiam, quod potiſſimum eſt, illud effecit ſanctitate & obſervantia regulari illuſtre. Hujus ſancti abbatis vitam nemo, quod quidem ſciamus, data opera litteris mandare curavit. quare ea quæ in variis auctoribus, & maxime in Orderici-Vitalis hiſtoria, aut apud Guillelmum Gemeticenſem de ejus præclare geſtis habentur, in unum colligere viſum eſt, ex quibus Elogium ejus breve, pro more noſtro conficiemus.* Theoderici geſta unde deſumta?

3. *Theodericus, quem Arturus de Monſterio in Neuſtria-pia, & Sammarthani in Gallia Chriſtiana, aliique nonnulli ſcriptores, de Mathonvilla nuncupare ſolent, quod ex vico Matonvilla, hodieque apud Caletes noto, ut videtur, oriundus eſſet, ex Calogienſi ſeu Caletenſi provincia Normanniæ pago ſatis celebri originem duxit, ut teſtatur Ordericus libro tertio Hiſtoriæ eccleſiaſticæ, ubi de Theoderici primordiis ſic loquitur:* Hic fuit natione Normannus, de provincia Calogienſi oriundus, ſtatura mediocris, eloquio ſuavis, facie rubicundus, ſacris litteris eruditus, ab infantia uſque ad canos divino cultui mancipatus: *in monaſterio Gemeticenſi à Theoderico abbate, qui eum è ſacris fontibus ſuſceperat, educatus fuit: ubi ſub hujus Patris diſciplina multum eum profeciſſe, non ſolum vitæ integritas, & diſciplinæ regularis ſtudium, ſed etiam miracula comprobarunt, quæ ei viam paraverunt ad primas monaſterii ſui dignitates, ut ex Orderico diſcimus.* Hic nimirum, *inquit*, ab infantia in domo Domini nutritus fuerat, diutinoque ſedimine religioſam vitam ducere didicerat; in ſanctis orationibus atque vigiliis necnon in abſtinentia aſſiduus erat. Frigoribus etiam in tantum corpus proprium affligebat, ut per totam aliquando hiemem ſine pellicia permaneret. Quadam itaque die, dum ſecundum morem conſuetum ſibi, ſacrificium Deo offerre voluiſſet, pelliciam miri candoris ſuper altare poſitam invenit, quam non manibus hominum, ſed angelorum illic eam eſſe poſitam non dubitans, Deo gratias egit, & indutus eam gratulanter ſer-

Ejus primordia.

Fit monachus Gemetici.

Pellicia cæleſti donatur.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLVIII. Augusᴛ. I.

vitium divinum peregit. Hoc ita geſtum fuiſſe in Gemeticenſi eccleſia, dum adhuc clauſtralis eſſet monachus, à monachis veracibus, qui tunc in ſupradicto monaſterio morabantur, audivimus. Hunc venerabilis Theodericus Gemeticenſis abbas de ſacro fonte levaverat, & ſub monachili jugo in ſchola Chriſti educatum multum dilexerat. Quem, dum idem ad robur virile veniſſet, boniſque moribus laudabiliter polleret, vicarium ſibi ad animarum lucra fratribus conſtituit: atque ad infantum Magiſterium, & ad curam clauſtralis Prioratus tuendam promovit.

Abbas Uticenſis inſtituitur.

4. *Abbatem anno* ML. *ordinatum fuiſſe refert Guillelmus. quod die Dominica, Nonis Octobris ante altare ſancti Petri peractum fuiſſe ſcribit. Idem aſſerit Ordericus ex cujus libri* 3. *verbis totum pæne iſtud elogium conficiemus. Et quidem luculentiorem teſtem de Theoderici geſtis habere non poſſumus, utpote qui in ipſo Uticenſi monaſterio paullo poſt illius obitum ſcripſit. ſic itaque proſequitur.* Deinde Hugo & Robertus à Duce accepta licentia eligendi Abbatem, Gemeticum expetierunt, & à domno Rotberto ejuſdem eccleſiæ abbate Theodericum monachum ad abbatiæ ſuæ regimen requiſierunt. Abbas vero juſtæ petitioni nobilium virorum libenter favit, & monachum, quem ad paſtoralem curam idoneum noverat, illis conceſſit. Illi autem gaudentes eum Duci præſentaverunt. At ille veneratione congrua eum ſuſcepit, datoque baculo paſtorali, ſicut moris eſt, eccleſiæ Uticenſi præfecit. Deinde Luxovienſis epiſcopus Hugo, cum Oſberno Archidiacono, aliiſque Clericis ſuis Uticum perrexit, & venerabilem Theodericum cœnobitam ſecum duxit, eumque ibi III. Nonas Octobris die dominico venerabiliter conſecravit.... anno ab Incarnatione Domini ML. Indictione IV. qui erat annus XIX. Henrici regis Francorum, & XV. ducatus Vuillermi Ducis Normannorum. *Is eſt Vuillelmus, cognomento Nothus, qui poſtea Angliæ regnum adeptus eſt. Porro Ordericus, qui hic habet Theodericum die* III. *Nonas Octobris ordinatum fuiſſe, diſſentire videtur à Guillelmo Gemeticenſi eam ordinationem, ut mox dicebamus, Nonis Oct. conſignante. at Ordericus lib.* 7. *ad annum* MLIV. *cum Guillelmo conſentit, ubi Abbatiam Uticenſem reſtauratam fuiſſe dicit anno* II. *Pontificatus Leonis* IX. *& Theodericum primum ejus abbatem fuiſſe Nonis Octobris conſecratum. Et quidem, cum hanc benedictionem die dominico factam fuiſſe uterque auctor affirmet, non poteſt niſi ad Nonas Octobris referri. ſiquidem anno* ML. *feria* VI. III. *Nonas; Dominica vero Nonis ipſis Octobris contigit. Ordericum vero non fuiſſe in aſſignando Theoderici ordinationis die & anno ſibi conſtantem ex alio quoque loco probari poteſt. Nam lib.*6. *ordinatum eum fuiſſe anno* MLI. *ſcripſit; immemor, quod eamdem ejus ordinationem anno* ML. *in lib.* 3. *conſignaſſet. Annum vero* ML. *eſſe retinendum probatur, tum ex die Ordinationis qua facta fuit die Dominico, qui anno* ML. *Nonis Oct. contigit, tum ex Guillelmo Gemeticenſi jam ſupra laudato, tum denique ex anno obitus Theoderici, quem anno* MLVIII. *ex hac vita exceſſiſſe inferius probabimus, octavo ſui regiminis anno. Nec opponere juvabit Indictionem* IV. *ab his auctoribus aſſignatam anno* MLI. *conveniſſe. certum enim eſt pleroſque ejus ævi auctores inchoaſſe Indictiones à menſe Septembri, proindeque juxta illum computandi modum, Theodericum Nonis Octobris anno* ML. *Indictione* IV. *ordinatum dici potuiſſe.*

Conſecratur.

Monaſterium inſtaurat.

5. *His itaque ſtatutis, jam Orderici verbis exponendum eſt, quantum Theodericus monaſterio Uticenſi profuerit.* Ordinatus, *inquit*, in ſuperbiam elatus non eſt, ſed religionis viam, verbis & operibus oſtendebat his quibus prælatus eſt. Ad conſtructionem vero novæ domus, Rodolfum nepotem ſuum, & Hugonem Cantorem, aliosque idoneos fratres, permiſſu Patris ſui, de Gemetico ſecum adduxit, cum quibus & per quos regularem obſervantiam, & modeſtum rigorem, aptamque ſeriem in divino cultu ferventer erexit. Diverſæ autem ætatis & qualitatis ad converſionem venientes ſuſcepit, & ſecundum Regulam ſancti patris Benedicti diligenter inſtituit. Nam ipſe in primis Gunfridum & Rainaldum, & Fulconem filium Fulconis decani,

cani, alioſque nonnullos Grammaticæ artis peritos, in ſchola Chriſti emendationem vitæ humiliter docuit. Riculſum quoque ſenem, & Rogerium ruſticos presbyteros, & Durandum hortulanum, & Goisfredum atque Olricum, alioſque ſimplices diſcipulos benigne tractavit. Et quia profunda ſcripturarum ſyntagmata percipere nequibant, lacte pii hortatus dulciter pavit, & ſanctis actibus oſtenſis, in fide & religione ſalubriter corroboravit. Ipſe etiam Herbertum & Berengarium, Goſcelinum & Rodulfum, Gillebertum & Bernardum, Ricardum & Vvillelmum, alioſque plures bonæ indolis pueros diligenter inſtruxit in domo Domini ad bene legendum, ad canendum, ad ſcribendum & ad alia bona ſtudia, quæ ſervis Dei veram theoriam quærentibus competunt, vigilanter exercendum. *Eadem confirmat paucis verbis idem Auctor libro ſexto, ubi ait Theodericum, ſuum* gregem neophytum per annos octo pie & prudenter educaſſe, atque ſecundum normam ſancti Benedicti ambulare in lege Domini digniter docuiſſe.

6. *Piis exercitiis ita deditus erat, ut etiam exteriora devitaret, tempus quod ei ſupererat poſt divina officia inter orationem ac laborem manuum partiendo. Eum autem laborem exerceri volebat, qui & iis qui operabantur, & etiam poſteris prodeſſe poſſet; unde tantopere in deſcribendis per ſe ſuoſque diſcipulos libris delectabatur. Horum omnium teſtis eſt Ordericus libro laudato.* Exteriores, *inquit*, curas in quantum poterat devitabat, ſeſeque divino cultui ferventi ſedulitate mancipabat. Aſſiduus nempe in orationibus erat, & in opere manuum quod ſibi competebat. Nam ipſe ſcriptor erat egregius, & inclita ſibi inſitæ artis monimenta reliquit Uticanis juvenibus. Collectaneum enim & Gradale, ac Antiphonarium propria manu in ipſo cœnobio conſcripſit. A ſociis etiam ſuis, qui ſecum de Gemetico venerant, pretioſos divinæ legis codices dulcibus monitis exegit. Nam Rodulfus nepos ejus * Eptaticum conſcripſit, & Miſſale ubi Miſſa in Conventu quotidie canitur. Hugo autem ſocius ejus expoſitionem [Gregorii Magni] ſuper Ezechielem & Decalogum, primamque partem Moralium; Rogerius vero presbyter Paralipomenon, libroſque Salomonis, tertiamque partem Moralium. Præfatus itaque Pater per ſupradictos, & per alios quos ad hoc opus flectere poterat, antiquarios, octo annis quibus Uticenſibus præfuit, omnes libros veteris & novi Teſtamenti, omneſque libros facundiſſimi papæ Gregorii Uticenſium bibliothecæ procuravit. Ex ejus etiam ſchola excellentes librarii; ideſt Berengarius, qui poſtea ad epiſcopatum Venuſiæ provectus eſt, Goſcelinus & Rodulfus, Bernardus; Turchetillus & Richardus, aliique plures proceſſerunt, qui tractatibus Hieronymi & Auguſtini, Ambroſii & Iſidori, Euſebii & Oroſii aliorumque Doctorum, bibliothecam ſancti Ebrulfi repleverunt, & exemplis ſuis ad ſimile ſtudium ſecuturam juventutem ſalubriter exhortati ſunt. *Porro mirum eſt Ughellum in Italia ſacra tom. 7. ubi catalogum recenſet Epiſcoporum Venuſinorum, Berengarium omiſiſſe, quem tamen ſedem Venuſinam occupaſſe non ſolum hoc loco affirmat Ordericus, verum etiam libro 7. ad annum* MLXXV. *ubi de eo ſic habet.* Venerabilis Berengarius abbas, filius Urvaldi filii Helgonis, eidem monaſterio præerat, (*ſcilicet ſanctæ Trinitatis Venuſiæ, in quo ſepultus eſt Robertus Vviſcardus Apuliæ Dux, quod monaſterium Bonifacius VIII. militibus ſancti Johannis Jeroſolymitani, exſtinctis monachis conceſſit*) quem Theodericus Archimandrita pius apud Uticum educaverat, & inde Robertus abbas ſecum in Calabriam adduxerat. Deinde ab Alexandro papa Venuſienſi monaſterio abbas conſecratus eſt, atque poſt aliquot annos pro merito vitæ, & ſapiente doctrina, ad pontificatum præfatæ urbis à papa Urbano promotus eſt.

Libris deſcribendis cum ſuis incumbit.

* i. Heptateuchum.

7. *Sed ad Theodericum revertamur, qui nihil omittebat ut ſuis diſcipulis perſuaderet otium omnino monachis vitandum eſſe. Id non ſolum exemplo ſuo, ſed etiam*

Digitized by Google

Ann. Ch. MLVIII. August. I.

Suos adhortatur.

aliunde repetitis hiſtoriis confirmare ſatagebat, ut ingenio rudiores, quibus verba non ſuffeciſſent, ejuſmodi ſaltem narrationibus ab otio deterrerentur. ſermones tamen ſuos ita condiebat, ut omnibus prodeſſe poſſent. In exemplum ſit quod hic Ordericus proſequitur. Hos, *inquit*, vir Domini Theodericus docebat, & ſæpe commonebat ut vagæ mentis otia omnino devitarent, quæ corpori & animæ valde nociva eſſe ſolent. Hoc etiam eis referre ſolitus erat: Quidam frater in monaſterio quodam de multis tranſgreſſionibus monaſticæ inſtitutionis reprehenſibilis exſtitit, ſed ſcriptor erat, & ad ſcribendum deditus quoddam ingens volumen divinæ legis ſponte conſcripſit: qui poſtquam defunctus eſt, anima ejus ante tribunal juſti Judicis ad examen adducta eſt. Cumque maligni ſpiritus eam acriter accuſarent, & innumera ejus peccata proferrent, ſancti Angeli è contra librum, quem idem frater in domo Dei ſcripſerat, oſtentabant, & ſingillatim litteras enormis libri contra ſingula peccata computabant. Ad poſtremum una ſola littera numerum peccatorum exceſſit, contra quam dæmonum conatus nullum objicere peccatum prævaluit. Clementia itaque Judicis fratri pepercit, animamque ad proprium corpus reverti præcepit, ſpatiumque corrigendi vitam ſuam benigniter conceſſit. Hoc, cariſſimi fratres, frequenter cogitate, & ab inanibus noxiiſque deſideriis corda veſtra emundate, manuumque veſtrarum opera Domino Deo jugiter ſacrificate. Otia velut letale virus totis niſibus devitate; quia, ſicut ſanctus Pater noſter Benedictus dicit, *Ocioſitas inimica eſt animæ.* Illud etiam ſæpe vobiſcum revolvite quod in Vitis Patrum dicitur à quodam probato Doctore: Quia unus ſolummodo dæmon tentando vexat laborantem in bonis monachum, mille vero dæmones impugnant otioſum, innumeriſque tentationum jaculis undique ſtimulatum cogunt faſtidire monaſteriale clauſtrum, & appetere damnoſa ſæculi ſpectacula, & noxiarum experientiam voluptatum. Et quia largis ſuſtentare pauperes eleemoſynis non poteſtis, quoniam terrenas opes non habetis; nec ingentia templa, ſicuti Reges aliique potentes ſæculi faciunt, erigere poteſtis, qui regularibus clauſtris ſæpti, omnique poteſtate privati eſtis, ſaltem ſecundum Salomonis hortatum, omni cuſtodia corda veſtra ſervate, Deoque placere totis niſibus indeſinenter contendite. Orate, legite, pſallite, ſcribite, aliiſque hujuſmodi actionibus inſiſtite, eiſque contra dæmonum tentamenta vos ſapienter armate. Talibus monitis Pater Theodericus diſcipulos ſuos inſtruebat, & arguendo, obſecrando, increpando, ad bonum opus vigilanter incitabat, ad quod ipſe prius tam orando quam ſcribendo, vel alia bona faciendo conſurgebat.

Reg. cap. 48.

Caſſian.

Prov. 4. 23.

A nonnullis è ſuis carpitur.

8. *Verum cum his inſiſteret pius Abbas, non defuere qui ejus agendi rationem carperent, ii ſcilicet qui, ut ait ſæpe laudatus Ordericus, ſuæ profeſſionis immemores, abjecto Dei timore,* mundiales curas divinis præponebant officiis. Pro dolor, unde illum venerari debebant, inde magis illi detrahebant! Dicebant enim: Talis homo non debet Abbas eſſe, qui exteriores curas neſcit, negligitque. Unde viverent oratores, ſi defecerint aratores? Inſipiens eſt qui plus appetit in clauſtro legere vel ſcribere, quam unde fratrum victus exhibeatur procurare. Hæc itaque & his ſimilia quidam ſuperbi dicebant, & ſervo Dei plures injurias faciebant. *Hæc præludia fuere graviſſimi doloris, quo vir ſanctus in nonnullorum è ſuis interitu perculſus fuit. Hi enim cum Zizaniorum more aliquamdiu inter ceteros fratres creviſſent, tandem eradicandi fuerunt. unus ex illis fuit Romanus quidam nomine, qui ſtaminia aliaque ejuſmodi furari ſolebat, cumque ab Abbate correptus furta ſua impudenter denegare non vereretur,* quadam nocte, *inquit Ordericus*, dum in lecto ſuo jaceret, arreptus eſt à dæmonio, vehementerque vexatus. Hunc cum monachi horribiliter clamantem audirent, ad illum acceſſerunt, illumque propulſantes,

& aquam benedictam ſuper illum ſpargentes, vix aliquando à vexatione dæmonica eruere quiverunt. Qui ad ſe reverſus intelligit propter furta quæ egerat, diabolum talem poteſtatem ſuper ſe accepiſſe, promiſitque quod ab hac nequitia de cetero cuſtodiret ſe. *Verum, quanta eſt hominum fragilitas! paullo poſt ad priſtina crimina delapſum, nec emendare volentem pius abbas*, capitio abſciſſo *eum fecit è monaſterio expelli. Alia item duo ſimilia exempla profert Ordericus, qua huc fuſius referre ſupervacaneum viſum eſt, cum unum ſufficiat ad intelligendum, ſanctiſſimos quoſque hominum conventus malis eſſe permixtos.* ANN. CH. MLVIII. AUGUST. I.

9. *Haud minora ab externis paſſus eſt Theodericus, qui, ut refert Ordericus, invidia vel avaritia ſtimulis acti, Uticenſis monaſterii florentem ſtatum ferre æquo animo non valebant.* Cœperunt, *ait ille*, varias ſimultatum cauſas colligere, & turbatis rebus, quæ ad victum & veſtitum & agapen ſervorum Dei datæ erant, *appetere.* At benignus Jeſus mirabiliter emicuit in ereptione ſuorum. *Cujus rei exemplum illuſtre ſubjungit idem auctor his verbis.* Dum apud Uticum in initio monaſticus ordo regulariter ſervaretur, & omnibus advenientibus caritatis officia, ut hactenus ibidem mos eſt, exhiberentur, Mabilia Vuillelmi Talavacii filia, propter odium quod erga fundatores illius cœnobii ferebat, plures moleſtias nequiter excogitatas eidem loco inferebat. Quippe contra Geroienſes, pater ejus & ipſa, omniſque illius progenies, diu perdurans odium habuerunt. Unde quia Rogerius de Monte-Gomerici vir ejus monachos amabat & honorabat, nec ipſa eis aperta malitia nocere audebat, crebrius cum multitudine militum, quaſi hoſpitandi gratia, ad monaſterium divertebat; ſicque monachos, qui paupertate in rure ſterili affligebantur, gravabat. Quondam cum ibidem cum centum militibus hoſpitaretur, & à domno Theoderico abbate redargueretur, cur cum tanta ambitione ad pauperes cœnobitas veniſſet, eamque admoneret ut ab hac ſtultitia ſe coërceret; illa inflammata reſpondit: Majorem numerum militum adducam de * extero, quam adduxi. Ad hæc Abbas ait: Crede mihi, niſi ab hac ſtultitia reſipueris, quod nolles patieris. quod ita contigit. Nam in ſubſequente nocte, paſſio illam invaſit, & fortiter vexare cœpit. At illa mox inde ſeſe juſſit efferri. Quæ dum fugere de terra ſancti Ebrulfi territa feſtinaret, & ante domum cujuſdam burgenſis, nomine Rogerii, Suiſnarum tranſiret; inde quamdam infantulam lactentem aſſumi præcepit, orique ejus * maxillam ſuam, in qua maxima pars infirmitatis collecta erat, ad ſugendum tradidit. Infans itaque ſuxit, & paullo poſt mortua eſt; mulier vero convaleſcens ad propria reverſa eſt. Poſtea fere xv. annis vixit, ſed Uticum, poſtquam ibidem, ſicut ſupra diximus, flagello Dei caſtigata eſt, numquam adire præſumſit; & ne habitatoribus illius cœnobii ullatenus noceret ſeu prodeſſet, toto niſu ſe cuſtodivit, quamdiu in ærumnoſis hujus vitæ felicitatibus vixit. Abbatem tamen Theodericum dilexit, eique magis quam Uticenſi eccleſiæ Cellam ſancti Martini commendavit.

Et ab externis.

* f. cetero.

* f. mamillam.

10. *Hac ſancti Martini Cella, de qua Ordericus loquitur, cœnobium eſt ſancti Martini Sagienſis, hactenus Ordini noſtro, ac noſtræ Congregationi ſancti Mauri attributum, quod Rogerius de Monte-Gomerici Vice-comes Mabilia conjux conſtruxit, quodque adhortante Ivone Sagienſi epiſcopo Mabilia avunculo, ipſi Theoderico qui illi amicus erat commiſit*, ut ibidem, *inquit Ordericus*, cœnobium monachile conſtrueret. *Nihil omiſit pius abbas, ut Epiſcopi & Vice-comitis deſiderio faceret ſatis, uti proſequitur Ordericus.* Ille, *inquit*, haud ſegniter aſſignare opus in nomine Domini inchoavit, ibique Rogerium Uticenſem monachum ſacerdotem & Morinum & Engelbertum alioſque ex diſcipulis conſtituit. Ipſe quoque ſæpius eumdem locum viſitabat, & aliquando tribus ſeu quatuor ſeptimanis commanebat, & incœpti operis perfectioni, pro

Monaſt. S. Martini Sagienſis præficitur.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLVIII. Auguſt. I.

amore Dei, & utilitate ſequentium totis niſibus inſiſtebat. *Verum etſi Theodericus nihil omiſerit, ut novella iſta plantatio acciperet incrementum, irriti tamen fuere ejus conatus, quia, ut ait Ordericus ad annum* MLVI. Rogerius & uxor ejus pluribus ſæcularium rerum curis tunc occupabantur, & ab inimicis ſuis undique impugnabantur. *Poſtea tamen Rogerii deſiderium effectum habuit. Ille enim non ſolum Sagienſe monaſterium conſtruxit, ſed & aliud quoque in Anglia, ubi Scroburienſi comitatu donatus eſt, excitavit in honorem ſancti Petri, in quo monachos Sagienſes, teſte Orderico, lib. 5. ad annum* MLXXXII. *inſtituit. Quin &, eodem auctore atteſtante, Rogerius* multa donavit aliis eccleſiis, Troarnenſi, Sagienſi, Almaniſcenſi, Cluniacenſi, Cadomenſi, aliiſque plurimis. *Hac occaſione Sagienſis cœnobii, quod primitus Theoderico ſubjectum fuerat.*

Qui ejus amici?

II. Vera charitas quæ in Theoderico regnabat, *ut loquitur Ordericus,* eum bonis faciebat amabilem, perverſis autem formidabilem: *unde Mabilia, de qua ſupra diximus, licet, eodem referente auctore,* callida fuerit nimiumque crudelis, & aliis viris religioſis nimis dura, Theodericum tamen valde diligebat, eique in quibuſdam obediebat, *in tantum ut primogenitum ſuum filium, Rodbertum nomine, beato viro ſacri baptiſmatis fontibus abluendum obtulerit. Inter præcipuos vero Theoderici amicos annumerandus eſt Ivo Mabiliæ avunculus Sagienſium Antiſtes, qui ita eum colebat, ut ſæpius Uticum veniret ob id ſolum, ut privatis beati viri colloquiis frui poſſet. Quid de Vuillelmo Geroii filio dicam? qui, ut refert Ordericus, Theodericum* pro ejus ſanctitate ſemper obſervabat, tumultus inſurgentium in ipſum competenti ſeveritate compeſcebat, atque pro viro Dei contra omnes querelas intus & foris ratiocinia promte reddebat. *Hic idem in Apuliam perrexit, ut munera, quæ Vuillelmus de monaſteriolo ejus filius monaſterio Uticenſi offerre volebat, ſuſciperet. ubi defunctus eſt. Quanta autem fuerit in monaſterium Uticenſe Geroiorum familiæ propenſio ex hoc conjici poteſt, quod ſtatuiſſent inter ſe, nihil aliis eccleſiis ſe oblaturos, aut vendituros, quin prius ea de re Uticenſes conſuluiſſent, quod Ordericus his verbis expreſſit.* In primo anno quo abbatia Uticenſis fundata eſt, Vuillelmus & Robertus filii Geroii, & Hugo & Rodbertus nepotes eorum, cum filiis & nepotibus & Baronibus ſuis apud Uticum congregati ſunt, & de utilitate rudis cœnobii quod inchoaverant tractantes, communiter ſtatuerunt, ut quiſque ſeſe cum omni parte ſubſtantiæ ſuæ ſancto Ebrulfo in fine ſuo concederet; nec aliquis eorum decimam, vel eccleſiam, vel aliud quidlibet ad eccleſiam pertinens alicubi daret, nec etiam venderet, niſi prius Uticenſibus ad emendum offerret. Hoc libenter confirmaverunt Fulcoinus Preſbyter, & Oſmundus Baſſeth, &c. *Subjungit idem auctor poſſeſſiones, quas viri illi nobiles, aliique homines pii monaſterio Uticenſi donaverunt, aut certe quas ipſe Theodericus abbas dato pretio acquiſivit, quas omnes Vuillelmus Normannorum Dux cum Maurilio archiepiſcopo Rotomagenſi ceteriſque Normanniæ Epiſcopis & primoribus confirmavit, addito privilegio, ut ſcilicet cœnobium Uticenſe* liberum, & ab omni extranea ſubjectione in perpetuum maneret immune. *conceſſit etiam idem Princeps monachis liberam abbatis electionem, &c. Diploma ea de re datum eſt* in ſaltu Leonis ſuper flumen Loiri ante eccleſiam ſancti Dionyſii, anno Dominicæ Incarnationis ML. Indictione IV.

Robertus in pium Abbatem inſurgit.

12. *Verum cum monaſterii ſtatus ſub Theoderici regimine aliquamdiu floruiſſet, poſtea prava aliquorum factione perturbatus eſt. Præcipuus diſſidii auctor fuit Rodbertus, alter reſtaurator monaſterii, qui cum primo ſe Theoderici regimini, monaſtica veſte ſuſcepta, ſubjeciſſet, multas ei deinceps moleſtias peperit. Eum tamen malo animo nihil feciſſe innuere videtur Ordericus, ex quo tota rei hujus ſeries repetenda eſt.* Antiquus hoſtis, *inquit*, numquam ceſſat Eccleſiæ quietem variarum ſtimulis tentationum impugnare, & per eos quos poteſt, mundanæ vanitati ſubjugare, in ſimplicitate catholicæ fidei prudenter vigilantes, & in virtutum culmine viriliter ſtantes, atrociter moleſtare. Unde dum vidiſ-

Digitized by Google

ſet regulare monaſterium in Uticenſi ſaltu, opitulante Deo, ſurrexiſſe, & Theodericum abbatem in verbo & operatione, multis animabus juvenum atque ſenum oppido prodeſſe, exardens invidia, qua protoplaſtum Adam per vetiti fructus guſtum de Paradiſo expulit, Rodbertum Priorem contra Abbatem ſuum, poſt diſceſſum Vvillelmi Geroïani inſolenter excitavit, magnaque diſſenſione diu perdurante, mobiles ſubjectorum animos graviter inquietavit. Erat idem Rodbertus præclaræ nobilitatis, frater ſcilicet Hugonis de Grentemaiſnil, cui adhuc erat puerilis levitas, & indomitum robur, atque ſæcularis ambitio. In caſtitate atque aliis quibuſdam ſacris cariſmatibus erat laudabilis: ſed è contra, ut Flaccus ait, *Nihil eſt ex omni parte beatum,* in nonnullis erratibus erat reprehenſibilis. Nam in bonis ſeu malis quæ cupiebat, velox ad peragendum erat, ac fervidus; & auditis ſive viſis quæ nolebat, ad iraſcendum feſtinus: magiſque præeſſe quam ſubeſſe, & imperare potius quam obſecundare cupidus, ad accipiendum atque ad dandum apertas habebat manus, & os promtum furori ſuo ſatisfacere inordinatis faminibus. Et quia ipſe, ut dictum eſt, excelſæ generoſitatis lampade renitebat, & ex patrimonio ſuo illud cœnobium fundaverat, & collectis undecumque ad cultum Dei fratribus, ſubſidiiſque neceſſariis procuratis ditaverat, ideo regularis diſciplinæ jugo, in novella domo coërceri non poterat. Frequenter itaque Patri ſuo clam detrahebat, eo quod ipſe vir Dei plus ſpiritualibus quam ſæcularibus negotiis intendebat. Nonnumquam aperte cum eo litigabat, & nonnullas ejus conſtitutiones de rebus exterioribus ſimpliciter factas vituperabat. Unde ſervus Dei plerumque ad Sagienſe aſylum ſecedebat, ibique ſex vel octo ſeptimanis habitabat, & in pace opus Dei faciebat, hominumque ſalutem pro poſſe ſuo diligenter procurabat. ſic exſpectabat emendationem contumelioſi fratris, & implebat Apoſtoli præceptum dicentis: Date locum iræ.

Ann. Ch. MLVIII. August. I.

Rom. 12. 19.

13. *At nihil profecit beati viri patientia, quare de dimittendo monaſterii regimine cogitavit, ut proſequitur Ordericus.* Sed poſtquam rancorem & ſcandala non deficere, ſed magis ad detrimenta fratrum augeri perſpexit, VVILLERMO Duci Nortmannorum paſtoralem baculum cum tota abbatia reddere voluit. Dux autem ſagaci uſus conſilio, omnem hujus rei ordinationem injunxit MAURILIO Rotomagenſium archiepiſcopo, ut cauſam diſtentionis ſollicite indagaret, & quid agendum eſſet cum conſilio ſapientum recte definiret. Anno itaque Dominicæ Incarnationis MLVI. Indictione VIII.... Maurilius Epiſcopus, & Fulbertus ſophiſta conſiliarius ejus, & HUGO Luxovienſis epiſcopus, & ANSFRIDUS Pratellenſis abbas, atque LANFRANCUS Beccenſium præpoſitus, & alii plures profundæ ſagacitatis viri, Uticum convenerunt, ibique ſollemnitatem ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli III. Kal. Julii celebraverunt. Tunc auditis & ſollerter diſcuſſis diſſenſionum fomentis, Theodericum abbatem, ut hactenus exſtiterat, præeſſe juſſerunt; Rodbertum vero Priorem, ut paupertatem Chriſti ſequeretur, Patrique ſuo ſpirituali pro Deo humiliter in omnibus obtemperaret, copioſa ſermocinatione admonuerunt. Deinde præfatis monitoribus ad propria redeuntibus, Uticenſis grex aliquantulum in pace quievit.

Abdicare vult.

Ab Epiſcopis impeditur.

14. *Verum ut erat Rodbertus turbulenti ingenii vir, pax monaſterii brevi ſoluta eſt. qua res pii Abbatis animum tanto mærore affecit, ut loco penitus cedere ſtatuerit. cumque nec apud Uticum, nec in Sagienſi monaſterio pacem ſe habiturum ſperaret, Jeroſolymitanam peregrinationem aggreſſus eſt, ut narrat Ordericus:* Poſt unum annum, *anno ſcilicet* MLVII. *nam anno* MLVI. *à Maurilio & ceteris epiſcopis ſimul congregatis confirmatus fuerat ex num. præcedenti,* comperta Vvillelmi Geroïani morte, iterum rediviva lis ſurrexit, & diſcordia corporum animarumque ſaluti contraria cœnobitas valde turbavit. Amator autem

Iterum à Rodberto exagitatur.

Ann. Ch. MLVIII. Auguſt. I.

pacis Theodericus undique anguſtiatus eſt. Nam apud Sagium nequibat animarum ſaluti proficere, nec Cellam ibi cœptam à Rogerio & uxore ejus ad perfectionem erigere; quia ipſi pluribus ſæcularium rerum curis tunc occupabantur, & ab inimicis ſuis undique impugnabantur. Apud Uticum ſibi vel aliis affatim, ut vellet, prodeſſe non poterat propter importunitates, quas à quibuſdam potentioribus monachis illatas tolerabat. Tandem poſtquam diu ſecum quid ſecundum Deum ageret deliberavit, omnia relinquere & ſepulcrum Domini in Hieruſalem adire decrevit. Deinde IV. Kal. Septembris de Sagio, ubi tunc diu moratus fuerat, Uticum venit; convocatis in Capitulum fratribus voluntatem ſuam aperuit, omnes admonuit, abſolvit, benedixit, Deoque commendavit. Poſtea Luxovium adiit, & Hugoni epiſcopo, à quo valde amabatur, curam animarum reddidit; ſicque multis flentibus amicis, ſanctam peregrinationem pro Chriſto ſuſcepit. *De iiſdem diſſidiis, Theoderici peregrinatione & morte agit Guillemus Gemeticenſis libro 7. capite 26. Porro etſi Theodericus animarum curam dimiſiſſe dicatur antequam peregrinationem Jeroſolymitanam ſuſciperet, nullus tamen ante ipſius mortem alius abbas ei ſubſtitutus eſt. cui mortuo Rodbertus, ejus, dum viveret, æmulus, qui & ipſe peregrinus obiit in Apulia, ſucceſſit.*

Suſcipit iter Jeroſolymitanum.

15. *Theoderico peregrinanti itineris comites ſeſe adjunxerunt, ut Ordericus narrat, Herbertus monachus Uticenſis, ac Vuillelmus Bona-anima, qui quidem Vuillelmus, diu poſtea eccleſiam Rotomagenſem adminiſtravit. Ivit & cum eis Bajoariæ quidam Pontifex, qui ſimul Antiochia & Laodicia, ubi Herbertus remanſit, luſtratis, in Cypri inſulam appulere. quo cum perveniſſent, Theodericus in morbum incidit, ibique ſupremum obiit diem ac ſepultus eſt. Mortem ejus deſcribit his verbis Ordericus.* Præſul, & Theodericus, & Vuillelmus Bona-anima, ſociique eorum in portu ſancti Simeonis in navem aſſcenderunt, & ſulcantes æquora in Cyprum inſulam navigaverunt, ibique in littore maris abbatiam ſancti Nicolai confeſſoris Mirreorum archipræſulis conditam invenerunt. Cumque eccleſiam introiſſent, ibique, prout cæleſtis gratia ſingulis inſpiraverat, Deum oraſſent, Theodericus poſt multas lacrymas de oratione ſurrexit, & labore ſenectutis, tædioque maris, aliiſque incommodis fractus, in eccleſia anxius reſedit. Tunc ab Epiſcopo ſibi fidiſſimo comite, quid ſibi contigiſſet cum interrogaretur, reſpondit: Terreſtrem Hieruſalem, mi pater, adire decrevi, ſed credo mihi aliter à Deo diſponi. anxietate corporis valde crucior; unde cæleſtem magis quam terreſtrem Hieruſalem appetendam eſſe arbitror. Cui Epiſcopus ait: Ego, cariſſime frater, nunc ibo tibi hoſpitium procurare, & tu interim hic ſedens requieſce. Epiſcopus itaque hoſpitium ſibi quærere perrexit, & Theodericus ad altare acceſſit, ibique diu Deum, cui ab infantia fideliter ſervierat, oravit. Deinde coram altari ſe ad Orientem proſtravit, pannos circa ſe honeſte compoſuit, ſuper dextrum latus recubans quaſi dormire volens, caput ſuum ſuper marmoreum gradum reclinavit, manuſque ſuper pectus in modum crucis aptavit: ſicque Kalendis Auguſti fidelem ſpiritum Deo creatori reddidit. Epiſcopus autem hoſpitio præparato, miniſtrum hominis Dei accerſivit, eumque pro viro Dei in eccleſiam miſit. Ille vero ut ſervum Dei defunctum in eccleſia invenit, territus ad Antiſtitem rediit, eventumque inſperatum tremulus retulit. Sed Epiſcopus virum Dei tam ſubito migraſſe non credens, ait: Tædio maris nimioque æſtu bonus ſenior valde fatigatus eſt, ideoque nunc in refrigerio eccleſiæ ſuper frigidum marmor ſuavi ſopore detentus eſt. Eamus nunc eum viſitare. Præſul itaque cum clericis ſuis in eccleſiam proceſſit, qui ut comparem ſuum diligenter tetigit, eumque morte gelidum reperit, ſtupens condoluit. Mox omnes peregrinos, qui jam per diverſa hoſpitia prandere procurabant, in eccleſia congregari præcepit, indigenis illius loci vitam defuncti peregri-

In Cyprum advenit.

Ubi obit.

Digitized by Google

ni fideliter retulit; illi vero comperta ejus religione gaviſi ſunt, & obſequia ſua impenſaſque ceteris peregrinis benigniter obtulerunt. *Hæc Ordericus de Theoderici morte, cui miraculum, quod in ejus ſepultura factum eſt, ſubjungit, quodque ejus verbis referre juvat.* ANN. CH. MLVIII. AUGUST. I.

16. Præſul defuncto exſequias cum clericis ſuis perſolvit, eique ſepulturam ante portas eccleſiæ à reliquis peregrinis fieri juſſit. Illi autem baculis ſuis ubi Pontifex præceperat foſſam fecerunt, ad defuncti glebam præſente Antiſtite acceſſerunt, & deferre ad tumulandum voluerunt. Sed nutu Dei ita corpus aggravatum eſt, ut à loco dormitionis nullatenus moveri potuiſſet. Quod cernens Epiſcopus cum omnibus qui aderant valdè miratus eſt; diutinoque cum ſociis ſtupentibus quid agerent tractatu potitus eſt. Tandem divina edoctus inſpiratione, ait: Vir iſt magnæ ſanctitatis fuit, & vita ejus ut nunc lucide manifeſtatur Deo placuit. Unde, ut reor, digniori loco debet ſepeliri, & à nobis celebriori reverentia pro poſſe noſtro debet amodo tractari. Nunc igitur ego cum clericis noſtris, pro anima ejus divinæ majeſtati perſolvam celebrationem Miſſæ; vos autem juxta altare congruam ei ſepulturam præparate. At illi libenter obediere jubenti. Deinde Miſſa venerabiliter finita, & foſſa diligenter præparata, tumulandum corpus ſine gravamine ſuſtulerunt, & ſecus aram decenter ſepelierunt; ubi poſtmodum multi febribus aliiſque incommodis laborantes meritis ejus ſanati ſunt. Uticenſes autem monachi, poſtquam reverendi Patris obitum relatu ſociorum ejuſdem Normanniam repetentium cognoverunt, valde contriſtati ſunt, & debitum pro anima ejus ſervitium Deo fideliter celebraverunt, & memoriam ejus ſingulis annis uſque hodie Calendis Auguſti celebriter exſolvunt. Religioſa quoque inſtituta, quæ ipſe ex doctrina venerabilium abbatum RICARDI Veredunenſis, & VVILLERMI Divionenſis, atque THEODERICI Gemeticenſis didicerat, & novellæ eccleſiæ ſibi commiſſæ fideliter tradiderat, diligenti ſtudio uſque hodie obſervant, & novitiis ad religioſam converſationem converſis ſollerter inſinuant. Ejus exſequiæ.

17. *Theodericum Kalendis Auguſti obiiſſe diſertis verbis aſſerunt Guillelmus Gemeticenſis & Ordericus, quare nulla de die difficultas; verum quo id anno contigerit hic inquirendum eſt. Hugo Menardus in libro 2. Obſervationum in Martyrologium Benedictinum, & Arturus de Monſterio in Neuſtria pia, Theoderici mortem anno* MLIX. *conſignant; verum hanc anno præcedenti contigiſſe ex Orderici libro 3. evinci poteſt, ut quidem mihi videtur. Refert quippe hic auctor, cujus textum ſupra retulimus, anno* MLVI. *Theodericum diſcidiorum, quæ in monaſterio ſuo excitata fuerant, pertæſum, de dimittendo regimine cogitaſſe, ſed convenientibus apud Uticum Epiſcopis in feſtivitate ſancti Petri, tumultus illos fuiſſe ſedatos, atque Theodericum in ſua dignitate confirmatum: eumdem vero, cum anno ſequenti diſſenſiones recruduiſſent, id eſt anno* MLVII. *reſignato in manus Epiſcopi Lexovienſis regimine, circa menſem Septembrem peregrinationem Jeroſolymitanam ſuſcepiſſe, atque eo in itinere, tranſmeatis jam nonnullis provinciis in Cyprum inſulam appulſum, ibidem ſupremum diem obiiſſe Calendis Auguſti. quod ſane de anno* MLVIII. *intelligendum eſt. Non enim duos annos exegiſſe dicendus eſt, ut ex Gallia in Cyprum perveniret. Aliud item ejus rei argumentum ſuppeditat nobis idem Ordericus, qui paullo poſt enarratam Theoderici mortem ait Robertum anno* MLIX. *in abbatem Uticenſem fuiſſe electum, atque* XI. *Kal. Julii à Vuillelmo antiſtite Ebroicenſi conſecratum. Jam itaque defunctus erat Theodericus anno præcedenti, quandoquidem ipſum Kalendis Auguſti obiiſſe conſtat. Neque opponendum eſt ex Orderico, Theodericum annis octo Uticenſi cœnobio præfuiſſe, id quippe de annis inceptis tantummodo & nondum conſummatis intelligendum eſt, ut diſertis verbis habet Guillelmus Gemeticenſis, qui lib. 7. cap. 26. ait Theodericum* annis fere octo cœnobium ſancti Ebrulfi rexiſſe. Quo anno obierit.

Digitized by Google

ANN. CH. MLVIII. AUGUST. I. Memoria.

18. *Theoderici ſanctitatem non ſolum Ordericus, ſed etiam Vuillelmus Gemeticenſis agnovit, qui eum libro mox laudato, apud Cyprios multis miraculis coruſcaſſe affirmat. Eumdem paullo antea, cap. ſcilicet* 23. magnæ religionis monachum *appellaverat. Hinc Theoderici nomen in Martyrologio tam Benedictino quam Gallicano inſcriptum eſt Kal. Aug. Ejuſdem vitæ compendium ex Orderico contexuit Hugo Menardus in lib.* 2. *obſervationum, quem imitati ſunt Bucelinus in Menologio Benedictino & Ægidius Cranbek in Calendario annali itidem Benedictino. nullo tamen publico cultu apud noſtros Uticenſes celebratur, quod forte nihil habeant ex ejus ſacris exuviis, quamvis, ut ſæpe laudatus Ordericus atteſtatur libro* 6. *nihil omiſerint ad eas recuperandas. Ibidem notat beati viri ſepulcrum frequentibus miraculis ſuo tempore apud Cyprios coruſcaſſe. quod libro* 7. *ad annum* MLIV. *item repetit. Pro coronide Epitaphium ejuſdem ſancti proferimus ab eodem Orderico libro* 6. *editum.*

Epitaphium

Eccleſiam primus Uticenſem THEODERICUS
Rexit, & edocuit bona quæ prius ipſe peregit;
Annis tricenis monachatus ipſe rigorem
Geſſit, & in ſatanam toleravit ovanter agonem.
Officium Patris octonis exercuit annis
Inter ſilveſtres ubi pauper manſit homones,
Ipſe manu propria ſcribendo volumina plura,
Eccleſiæ natis dedit exemplum bonitatis.
Denique Hieruſalem peregrinus pergere cœpit;
In Cypro vitæ finem tumulumque recepit.
Ultima vidit eum Quintilis lux morientem,
Quem foveat Chriſtus Patris in talamo renitentem.

ANN. CH. MLIX. XXVI. SEPT.

DE B. MEGINHARDO, ſeu MEGINHERO abbate Hersfeldenſi.

Meginheri geſta ex Lamberto.

1. QUANTÆ *virtutis, quantique meriti fuerit* MEGINHARDUS, *ſeu, ut frequentius apud veteres ſcribitur,* MEGINHERUS, *vel ex uncio Lamberti Scafnaburgenſis teſtimonio inferri poteſt, qui eum* ſuæ ætatis in Teutonicis regionibus recte & monaſtice vivendi exemplar *appellat. Hunc locum in Chronico Hirſaugienſi adoptavit Trithemius, ubi ait eumdem ſanctum virum* in Scripturis ſacris doctum, & ſæcularis philoſophiæ non ignarum *fuiſſe*, & magnarum in Chriſto virtutum & unicum exemplar monaſticæ religionis. *His ſubſcribunt ceteri Germanicarum rerum ſcriptores. ſed nemo fuſius res ejus geſtas proſecutus eſt quam Lambertus ſupra laudatus, qui illum ad Herſfeldenſis abbatiæ regimen anno* MXXXV. *aſſumtum fuiſſe ſcribit in Chronico, tametſi alii vulgati ſcriptores id anno ſequenti factum fuiſſe dicant. ſed prævalere debet, & quidem potiſſimum hac in re, Lamberti hiſtorici accuratiſſimi auctoritas, qui ceteris omnibus & loco & tempore Meginhero vicinior fuit. quippe qui in ipſo Herſfeldenſi monaſterio ſub ipſo etiam Meginhero noſtro cucullum induerit, ut ipſemet atteſtatur ad annum* MLVII. *qua occaſione illius, quem jam antea* virum venerabilem *appellaverat, breve elogium his verbis contexuit:* Ego, *inquit*, vulgatam toto orbe abbatis Meginheri placitam Deo converſationem æmulatus, rei familiaris curam, ne in via Dei prægravarer,

varer, abjeci, ſanctamque veſtem ab ejus ſanctiſſimis manibus Idibus Martiis, heu nimium impar tali armaturæ! ſuſcepi.

ANN. CH. MLIX. XXVI SEPT.

Ejus in abbatem electio.

2. *Ceterum eligendi in abbatem Meginheri occaſionem præbuit beati Meinverci epiſcopi obitus. nam cum Rudolfus abbas Herſfeldenſis ſubſtitutus ei in ſede Paderbornenſi fuiſſet, iſtius in locum aſſumtus eſt Meginherus, ut præter Lambertum alii quoque auctores teſtantur. Inter eos Chronici Saxonici, quod penes nos mſ. habemus, auctor, eumdem ſanctum virum ex Decano in abbatem electum fuiſſe ſcribit ad annum* MXXXVI. *quo utique anno ceteri quoque auctores ſancti Meinvverci obitum conſignant.* Meinvvercus, *inquit laudatus auctor ad annum* MXXXVI. Padherbrunnenſis epiſcopus Nonis Junii obiit, cui Rodolfus Herfeldiæ abbas ſucceſſit, pro quo abbatiæ dignitatem Meginherus ejuſdem loci decanus, ſanctæ converſationis monachus obtinuit. *Rodolfum Trithemius in nova Chronici Hirſaugienſis editione Arnolphum appellat, ſed, ut quidem mihi videtur, aut lapſu calami, aut librariorum incuria; etenim in prima editione ad annum* MXXXV. Rudolfus *dicitur*, vir doctus & morum integritate venerabilis, *quæ laudes paullo fuſius in nova editione, & quidem anno ſequenti, fuſius exponuntur. ex quibus aliiſque paſſim auctorum teſtimoniis, quæ ſuis locis laudavimus, facile colligi poteſt monaſterium Herſfeldenſe iſtis temporibus celeberrimum fuiſſe, ob viros tum ſanctitate, cum doctrina celebres. Sed id prorſus ægre ferimus, quod in deſcribendis tot egregiorum virorum præclare geſtis, non ſatis ſolliciti fuerint majores noſtri.*

Eccleſiam reſtaurat.

3. *In reſtaurandis monaſterii ædificiis deſudaſſe Meginherum ex Lamberto colligimus, qui poſtquam anno* MXXXVII. monaſterium Herveldenſe fuiſſe incenſum *ſcripſiſſet, hæc ad annum* MXL. *habet:* Dedicata eſt Crypta Herveldenſis, atque in eam tranſlatæ ſunt reliquiæ ſanctorum Confeſſorum Vvigberti & Lulli. *Nec plura de beati Meginheri geſtis reſcire licuit, niſi quod poſt multas cum Halberſtadenſi epiſcopo concertationes, ob quædam jura habitas, tandem ipſummet epiſcopum, qui nec ab ipſo, neque à Romano pontifice à cœpto dimoveri potuerat, ad terribile Dei judicium provocaverit, ut fuſius narrat Lambertus, cujus verba huc deſcribere viſum eſt, non ſolum quod res à ſe viſas & auditas referat, ſed etiam quod ea occaſione beati viri manſuetudinem, quam etiam in ſe ipſo fuerat expertus, ob oculos ponat. ſic autem habet ad annum* MLIX. Gerardus, qui & Nicolaus, *hujus ſcilicet nominis ſecundus, Romanum* pontificatum obtinuit. Is eodem anno ab abbate Meginhero interpellatus propter decimationes Saxoniæ, litteras & mandata direxit BURCHARDO Halberſtadenſi epiſcopo, ne ſtatutos Patrum terminos tranſgrederetur, neve monaſterium Herveldenſe ſuperfluis concertationibus inquietaret: ſi pergeret moleſtus eſſe, neceſſario ſe Apoſtolicæ auctoritatis virga uſurum adverſus ejus inobedientiam, præſertim cum monaſterium illud ſub juriſdictione eſſe Romani pontificis tot prædeceſſorum ejus privilegia teſtarentur. Abbati quoque epiſtolam ſcripſit verbis conſolatoriis, quæ uſque in præſentiarum in Chartario ſervatur Herveldenſis monaſterii. *Tum aliqua interſerit Lambertus de ſua peregrinatione Jeroſolymitana.* Ego, *inquit*, exacta peregrinatione Jeroſolymitana XV. Kalendas Octobris ad monaſterium reverſus ſum, & quod in omni illa profectione mea præcipuum à Deo poſtulaveram, Meginherum abbatem ſuperſtitem inveni. Timebam ſcilicet, quoniam ſine benedictione illius profectus fuiſſem, ſi offenſus irreconciliatuſque deceſſiſſet, magni criminis reum me teneri apud Dominum. ſed non abfuit propitia divinitas redeunti; quæ tanto illo itinere ſæpe uſque ad ultimam neceſſitatem periclitatum miſericordia texerat. Incolumem reperi, peccato indulſit; & quaſi ex inferis redivivus emergerem, ſic obviis, ut aiunt, manibus me gratulabundus excepit. Mirum autem in modum diceres, vitam ejus abſolutioni meæ ex induſtria ſervatam fuiſſe, eodem die quo me crimine abſolverat, febre correptus eſt; & ſic per octo dies gravi ægritudine decoctus, VI. Calendas Octobris feliciter

Lis de decimationibus.

Manſuetudo.

Obit.

ANN. CH. MLIX. XXVI. SEPT. conſummato curſu quievit in Domino, vir magnarum in Chriſto virtutum, & vere (quod omnium modernorum abbatum pace dixerim) unicum in ſua ætate in Teutonicis regionibus recte ac monaſtice vivendi exemplar.

Terribilis mors Burchardi epiſcopi.

4. *Terribile eſt quod ſubjungit idem auctor de Burchardi epiſcopi morte. Rem ſic narrat. Meginherus* cum Burchardo Halberſtadenſi epiſcopo diuturnam traxerat litem propter dicimationes Saxoniæ, quas ille Herveldenſi monaſterio ereptas per occaſionem epiſcopalis regiminis ſibi vindicabat. Contra cujus improbitatem, cum nec forenſes nec eccleſiaſticæ leges quicquam valerent, & abbas ſæpe querimonia in jus relata, ſurdis tribunalibus fabulam narraſſet; tandem brevi antequam vita excederet, mandavit ei per Fridericum Palatinum Comitem, ſe quidem tamquam viribus imparem cauſa cadere, Deo tamen vires ad tuendam æquitatem non defuturas eſſe: proinde parati ambo eſſent, ut intra paucos dies ad tribunal æquiſſimi judicis Dei cauſam dicerent: victurum ibi eſſe, non qui plus poſſet, ſed cujus cauſa juſtior eſſet. Nec fefellit eventus. Nam poſt dormitionem Abbatis pauci dies interceſſerant, & ecce Epiſcopus cum prædictæ rei gratia ſynodum indixiſſet, & admoto jam equo illuc properare vellet, repente divina animadverſione ictus corruit, reportatuſque ad cubiculum, adſcitis ocius preſbyteris ſuis per Deum obteſtabatur, ut decimationes ſuas Herveldenſi monaſterio reſtituerent, atque omnem in perpetuum ſuper hac re litem præciderent; ſcirentque cunctis, qui eadem tentaſſent, ſic infeliciter rem ceſſuram, ut ſibi ceſſiſſet, qui injuſtæ exactionis tam acerbum vindicem ipſum experiretur Dominum. Cumque Magdeburgenſis & Hildeneshеimenſis epiſcopi viſitatum eum adveniſſent, cum magno ejulatu fatebatur, ſe juxta prædictum eximii abbatis ad tribunal Dei jamjam abripi, & pro invaſis rebus alienis rationem exigi, rogabatque obnixe, ut miſſis Herveldiam nuntiis, veniam ſibi pro admiſſo ſupplices precarentur. nec multo poſt, diruptis miſerabili genere morbi viſceribus exſpiravit. Uto quoque archipreſbyter ejus, quo ille potiſſimum incentore in hanc ſævitiam inarſerat, quique exactor atque adminiſtrator hujus calumniæ vehementiſſimus exſtiterat, eodem anno, ſubitanea morte, ſine confeſſione, ſine ſacra communione interiit, à diabolo, ut fama vulgatior loquebatur, ſuffocatus. *Hæc Lambertus oculatus teſtis, ex quo ceteri auctores qui ſubſecuti ſunt hanc hiſtoriam deſcripſere, inter quos Trithemius in utraque Chronici Herſaugienſis editione Burchardum, poſtulata à monachis Herſfeldenſibus venia*, inter ſpem metumque poſitum *deceſſiſſe* eo die, qui ultimus citationis erat, *obſervavit, id eſt* XVII. *poſt Meginherum die, ſi verum ſit, ut in Chronico Saxonico mſ. legitur, diem* IV. *Iduum Octobris Burchardo ſupremum fuiſſe.*

Annus mortis.

5. *Verum fallitur iſtius Chronici auctor, qui Burchardi Halberſtadenſis epiſcopi mortem anno* MLVIII. *conſignat. non enim tanta ipſius eſt auctoritas, quæ Lamberto, auctori accuratiſſimo atque coram poſito, præferri debeat, qui ſcilicet Meginheri abbatis & Burchardi epiſcopi mortem anno* MLIX. *labente contigiſſe ſcribit. huic adſtipulatur Trithemius in utraque Chronici Hirſaugienſis editione, & qui poſtmodum de rebus ſacris ad Germaniam ſpectantibus ſcripſere, apud quos celebris eſt Meginheri noſtri memoria, cujus etiam nomen in Martyrologio Benedictino, in Menologio Bucelini, in Ferrarii Catalogo Sanctorum, qui in Romano Martyrologio deſiderantur, atque in aliis faſtis ſacris, cum* ſancti *aut* beati *titulo ſcriptum reperitur.*

Memoria.

Ruthardus ſucceſſor.

6. *Id pro coronide adjiciendum puto, Meginhero in Herſfeldenſis monaſterii regimine ſucceſſiſſe* RUTHARDUM, *ex Corbienſi monacho, tum abbate electum, qui & morum integritate, & eruditione his temporibus clariſſimus fuit. Ejus opera recenſet laudatus Trithemius, aliique vulgati auctores, inter quæ celebrantur potiſſimum libri duo de ſacramento altaris adverſus Berengarium hæreſiarcham.*

Digitized by Google

ANN. CH. MLXI. DIE XII. FEBRUAR.

VITA ET INVENTIO S. GOSLINI

ABBATIS S. SOLUTORIS

PROPE TAURINUM.

Ex Februario Bollandiano.

1. *JAMPRIDEM præcipui Taurinenſis civitatis patroni in baſilica ſuburbana aſſervabantur, cum ſæculo undecimo ineunte, monachi Benedictini advecti ſunt, ut ad eorum corpora ſacras excubias agerent. Præſidebat tunc temporis eccleſiæ Taurinenſi Gezo, vir erga monachos beneficus, qui ſancti Solutoris eccleſiæ ab Olrico Manfredo, & Berta ejus conjuge marchionibus Secuſinis dotatæ primum abbatem, Romanum nomine præfecit, anno* MXXXI. *Eamdem eccleſiam paullo poſt militum temeritate violatam reſtauravit Landulphus Gezonis ſucceſſor.* Initia monaſterii S. Solutoris.

2. *Romano è vivis exemto, Goſlinus ſancti Solutoris abbas inſtitutus eſt, cujus nudum nomen, cum* Beati *titulo in catalogo ejuſdem loci abbatum occurrit in Hiſtoria Chronologica Pedemontana Auguſtini ab Eccleſia. Nec plura de hoc ſancto viro dicere fas nobis fuiſſet, niſi Henſchenius tomo* 2. *Februarii Bollandiani, occaſione hujus ſancti viri corporis inventionis, aliquid nobis ſuppeditaſſet ad illuſtrandam ejus memoriam; quæ penitus videbatur abolita, cum ſæculo decimoquinto labente ſacrum ejus corpus detectum eſt à Georgio de Lucerna ejuſdem monaſterii abbate. Hujus Inventionis hiſtoriam ac varia miracula, quæ poſtea contigerunt, deſcripſit Anonymus auctor, qui rebus geſtis præſens adfuit, præmiſitque nonnulla de beati viri vita; cujus lucubrationem, cum nihil aliud ſuppetat, hic, reſectis miraculis, proferimus ex Tomo* 2. *Februarii Bollandiani.* Goſlinus ibi abbas.

3. *Goſlinum circa undecimi ſæculi medium monaſterio ſancti Solutoris præfectum fuiſſe extra dubium eſt, quin & ultimum vitæ ejus annum colligimus ex Inventionis hiſtoria. Ibi quippe refertur Goſlini corpus poſt annos quadringentos & undecim inventum fuiſſe anno* MCCCCLXXII. *quibus verbis facile elicitur annum* MLXI. *beato Abbati ſupremum fuiſſe. Quo autem die exceſſerit, divinare non licet. Ejus Inventionis feſtivitas in Catalogo generali Ferrarii, & in ſupplemento Martyrologii Gallicani die* X. *Februarii celebratur, die tamen* XII. *ejuſdem menſis recolitur Taurini, quo quidem die de eodem beato abbate agunt Bollandiani, quos imitari viſum eſt. Bucelinus tamen in Menologio Benedictino ejus memoriam die* 16. *Septembris conſignavit. Sub beati Goſlini regimine vixit* ANASTASIUS *monachus, qui ſanctitate floruiſſe dicitur à Pingonio in Auguſta Taurinorum, ac obiiſſe anno* MLXVI. *Ejus nomen in Appendice Martyrologii Benedictini inſeruit Hugo Menardus, ipſumque memorat Bucelinus in Menologio Benedictino die* 20. *Januarii.* Annus mortis.

4. *Anno* MDXXXVI. *capta à Franciſco I. Francorum rege Taurinenſi urbe, monaſterium ſancti Solutoris everſum eſt, ac ſacræ, quæ in eo ſervabantur, reliquiæ in urbem tranſlatæ, in prioratu ſancti Andreæ à Priore & monachis depoſitæ fuerunt. Poſt vero aliquod temporis intervallum, anno ſcilicet* MDLXVII. *Patres Societatis Jeſu Taurinum advecti, pretioſa adeo cimelia obtinuerunt à Vincentio Parpalia, tunc temporis monaſterii ſancti Solutoris abbate commendatario; quin & partitis inter ſe cœnobii reditibus, monaſticam inſtitutionem ibi exſtinxerunt: & ſic remanente abſque monachis abbate commendatario, Patres Societatis conventualis menſæ fructibus fruuntur. Prioratus vero ſancti Andreæ, ſeu, ut vulgo appellatur, beatæ Mariæ de Conſolatione, meliori fortuna paullo poſt ad Ciſtercienſes monachos juſſu Sixti V. anno* MDLXXXIX. *tranſiit, atque abbatiæ titulo donatus eſt, ut ex Ughello & Morotio obſervat Lubinus in Notitia abbatiarum Italiæ.* Monaſterii everſio.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXI. Die XII. Februar.

Auctoris prologus.

1. Clementiſſimus Deus, qui in omni opere bono recta fide invocandus eſt, cuncta ab initio ſæculi fecit, & uſque ad præſens agit & movet, ut nos ſua ineffabili miſericordia ſalvet, dicente Propheta: *Oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum.* (Pſal. 33. 16.) Participes autem & cuſtodes mandatorum ſuorum quamplurimos eſſe voluit, ut regni ſui fierent coheredes. De quibus Hieronymus dulciter ſcribens ait: Nos ad cæleſtem patriam feſtinantes, mortiferos ſirenarum cantus ſurda debemus aure pertranſire. Et cum iter æternæ vitæ aggredimur, cumque ad civitatem ſupernam in qua cives conſcripti ſumus, reverti paramus, januas illius glorioſæ civitatis aperient ſpes, fides, & caritas, latiſſimumque præbebunt ingreſſum. Ideo prudentiores viri, qui vitam mutarunt in melius, ſplendorem veræ gloriæ apud Deum conſecuti ſunt, inter quos merito numerandus eſt humilis Goslinus, ſancti Solutoris inclyti monaſterii olim abbas, qui longiſſimo veluti dormiens excitatus à ſomno, Taurini civitatem mira devotione ſuis decoravit reliquiis. Nec incredibili memoratu eſt, quam breviter religionis ſpiritum miracula illius ſuſcitaverint. Nam qui bonitate vitæ floruit, cæleſtibus donis declaratur, gaudioque ſempiterno.

Goſlini vitæ compendium.

2. Hic autem clariſſima Avarorum familia natus, auro poſſeſſionibuſque ſæculi ſpretis, contemtaque omni elationis & jactantiæ pompa, ſe primæva ætate ad litterarum ſtudia convertit; ſummoque Deo immortali pro tutiſſimo duce omni cura & ſtudio ſervire ſtatuit. Humilem itaque vitam gerens, habitum beatæ paupertatis ſancti Benedicti adoleſcentulus jucunde ſuſcepit: & ibi per virtutum continentiam exercitatus, ſupra quam ætas pateretur, non ſolum ſanctiſſimorum virorum diſciplinam aſſumſit, verum etiam multo præclarius anteceſſit. Poſt hæc in dies magis magiſque animus ad virtutum gratiam augebatur, nec illi quidquam arduum fuit, quod ſalutis faceret incrementum. Vigiliæ crebræ, jejunia, orationes, labores inſoliti, divinaque officia ſemper grata fuerunt. Lætabantur igitur omnes, & Deum ſummis vocibus extollebant, qui de tantis mundi periculis virum ſanctum ad clariorem ſtatum tam brevi erexiſſet. Mirum enim pluribus videbatur, quod obedientiæ, caſtitatis, pœnitentiæ, honeſtatiſque conſortium tam repente pro incorruptibili theſauro in ſinum ſuum convertiſſet. Tanta profecto manſuetudine atque humilitate; exemploque melioris vitæ inter monachos claruit, ut abbas paſtorque ſanctiſſimi gregis eligeretur. Didicit ergo Salvatorem ſequi dicentem: *Qui ſequitur me non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.* (Johan. 8. 12.) Quis ergo fidelium viros religioſiſſimos, qui in magna auſteritate vitæ, & ſincero corde ceteriſque virtutibus ætatem duxerunt, beatos ſanctoſque fore dubitat, dicente Domino Jeſu: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt?* (Matth. 5. 8.) Vidit ergo & gaviſus eſt.

3. Ex ſacri monaſterii codicibus ſatis aperte reperitur hunc piiſſimum Paſtorem quadringentis & undecim annis fideliter dormiſſe, ſopitamque Taurinenſium devotionem ilico excitaſſe, & nomen pæne exſtinctum iterum erexiſſe. Ideo cum Propheta merito cantatur: *Bonitatem feciſti cum ſervo tuo, Domine, ſecundum verbum tuum.* (Pſal. 118. 65.) Si quis ergo tanti Patris devotione accenſus ſcire cupiat, quomodo inventus nuper veneratur, hæc feriatim documenta denuntiant. Primo quidem ſummo inſpirante Factore, dum reverendus in Chriſto pater Georgius de Lucerna [a], prædicti monaſterii abbas, eccleſiæ ſuæ ædificia devotus repararet, illius ſanctiſſimi viri tumulum, in quo jacet, occurrit. Conſpicit itaque juſti & piiſſimi Patris

Inventio corporis.

[a] Franciſcus ab Eccleſia hunc Henrico ſucceſſiſſe refert anno 1459. adhucque vixiſſe anno 1480. cujus ſucceſſorem Corrinum anno 1493. conſignat.

Digitized by Google

epitaphium, corpuſque pallio, corona, quam mitram dicimus, & baculo, more majorum decenter contectum. Dumque diligentius ſingula pertractaret, duo corpora inventa ſunt, GOSLINI videlicet, & ANASTASII. Goſlini vero corpus ſuperius, Anaſtaſii autem paullulum depreſſius jacebant. Sed ne poſteros lateat, miranda res cunctis adſtantibus inſpicitur. Goſlini oſſa pallio connexa ab omni ſorde candidiſſima manent, nulliuſque maculæ ſigno notantur, quod vitam ſignificat fuiſſe puriorem. Manent itaque venerandi Patris oſſa in tumba: caput vero eminentius clauditur in ſpeculo. Ecce quî Salvator noſter, cui nihil opertum creditur, fidelium corda perluſtrat, ut Goſlinum pium abbatem ſincero corde viſitent; tumque, quantum Eccleſia jubet, prædicent, Deumque in ſanctis ſuis inceſſanter laudent & adorent, pia veneratione & precibus pulſent, ut ſalubriter gratiam inveniant, & conſequantur. Quod divinitus oblatum eſt. Cæci namque, ſurdi, aut claudi, languentiumque corpora illius precibus & meritis curantur. ANN. CH. MLXI. DIE XII. FEBRUAR.

4. Nos ergo qui divinis litteris eruditi ſumus, & qui ſimilia exempla præceſſiſſe non ignoramus, qui fidelium opera præclara ſingulis diebus amplectimur, & in ſententiis rebuſque geſtis majora contineri didicimus, beatos ſummique Dei filios vocabimus, qui ob integritatem vitæ, Deo jubente paradiſum obtinent. Hunc ergo Goſlinum paſtorem ſanctiſſimum, cujus vitam claris diviniſque virtutibus fuiſſe credimus decoratam, quem etiam miranda cæleſtiaque opera noſtris diebus mirabilius cognita declarant, ſervum, filiumque omnipotentis Dei prædicabimus. De ipſo enim in libro Sapientiæ merito decantavit: *Beatus vir qui inventus eſt ſine macula, & poſt aurum non abiit, nec ſperavit in pecunia theſauris. Quis eſt hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita ſua. qui probatus eſt in illo & perfectus inventus eſt, erit illi gloria æterna: qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus, facere mala & non fecit: ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino, & eleemoſynas illius enarrabit omnis eccleſia ſanctorum.* Cum juſtis enim inſcribendus eſt qui juſtitiæ opera facit. Juſtus & pius legitur in tumulo, ergo cum Juſtis cæleſtem conſecutus eſt portionem, juxta dictum: *Juſti autem in perpetuum vivent, & apud Dominum eſt merces eorum.* Mirabilis igitur Deus in ſanctis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Non enim ſunt conſilia Dei ſicut conſilia hominum, nec viæ ejus ſicut viæ noſtræ. Sed quantum diſtat cælum à terra, tantum diſtant cogitationes Domini à cogitationibus hominum. Verba enim Altiſſimi in æternum manebunt. *Eccl. 31. 8. & ſeqq.* *Sap. 5. 16.*

5. Etſi magna in tranſſcribendis virtutibus atque miraculis ſe offerat difficultas, ſingulorumque votis ſatisfacere perarduum ſit, quod facta dictis exæquanda ſunt; tamen ne tanti Patris ſplendor occultetur, quæ magis digna memoratu, & nota reperientur, hoc exiguo memoriali transferuntur. Igitur fiducialiter cum omni matura correctione de coruſcantibus miraculis & gratiis ipſius beati Goſlini plano & humili ſtylo quamverius ſcribendum reſtat. ſed ne hoc abſurdum vel à fide catholica alienum videretur, reverendus in Chriſto pater dominus JOHANNES de Compeſio Taurinenſis epiſcopus [a], ſacrorum virorum collegio comitatus prædictum tumulum maturius viſitavit, ibique diligenti apud religioſos examinatione de beato Goſlino facta, ſtatuit, ut in craſtinum quam plures, qui illius precibus gratiam conſecuti ſunt, ſibi pro vero teſtimonio præſentarentur. Cui obſequentes monachi exhortationis vota compleverunt. Miraculis claret.

6. Diſcuſſo itaque erga ſingulos examinis ordine, orationem religioni utilem pro Dei cultu hujuſmodi habuit: Omnis qui agit aliquid, niſi prius perſuaſum habeat quid ei proſit, illud quod agit, non promte faciet, non competenter. Nam qui ſeminare vult fruges, conſiderat an certus ſit per Quæ ab Epiſcopo examinantur.

a Sedem iniit anno 1469. inde Genevenſis, ac demum Tarentaſienſis archiepiſcopus.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXI. Die XII. Februar.

futuros imbres terram germinare, fructuſque gratos colligere, uberem quoque meſſem in horreum feſtivus convertere. Nemo enim in vanum laborem ſumit, nemo denique operam quærit, in qua nihil lucri ſperat. Si ergo hic Goſlinus veſter, qui tempore ſanctorum Patrum integritate vitæ, & morum ſanctitate floruit, in lacrymis & in compunctione cordis apud Creatorem noſtrum ſeminavit, modo in exſultatione & gaudio metet in ſanctorum conſortio. Unde merito vox exſultationis & ſalutis audita eſt in tabernaculis juſtorum. Cuique autem de meritis compenſatio fiet à Domino, qui in omnibus juſtus habetur.

7. *Hic recenſentur centum & ſex miracula beati Goſlini interceſſione patrata, ab epiſcopo Taurinenſi examinata & approbata, quæ cum nihil ſpeciale contineant, referre viſum non eſt. ſufficiat itaque proferre ſollemnis iſtius examinis inſtrumentum, quod eorum narrationi ſubjicitur his verbis.* Anno Domini MCCCCLXXII. die vero ſecunda Julii, Reverendus in Chriſto pater dominus Johannes de Compeſio Taurinenſis epiſcopus, cum venerando domino Guillelmo Cacie archidiacono, ejuſque Vicario, & juris utriuſque doctore exſiſtente, ad perpetuam rei memoriam plures in epiſcopali palatio publice & ſollemniter examinavit, qui conſecuti ſunt gratias precibus & meritis beati Goslini, olim abbatis inclyti monaſterii ſancti Solutoris extra muros civitatis Taurini: de quibus omnibus plenior fit mentio in quinterneto miraculorum ipſius beati Goſlini. Et hæc acta fuerunt præſentibus reverendo domino Joanneto ex comitibus Vualpergæ, priore ſancti Andreæ de Taurino, & ſedis Apoſtolicæ Protonotario, magiſtro Michaële de Laynico ſacræ Theologiæ doctore ordinis Prædicatorum, & magiſtro Bartholomæo Caſali ordinis Minorum, magnifico juris utriuſque doctore; domino Antonio de Plozaſcho, ducali præſidente audientiarum, venerandis dominis Johanne Placentia, & Hieronymo de Buſſi, canonicis eccleſiæ Taurinenſis, nec non & pluribus aliis præclaris doctoribus & civibus dictæ civitatis Taurini videntibus, audientibus in teſtimonium præmiſſorum. De quibus omnibus egregius Damianus Barbarini, prælibati reverendi domini Epiſcopi Secretarius debuit ſollemnem & publicam notam recepiſſe. Anno, die quo ſupra, in epiſcopali palatio.

Atteſtatio epiſcopi.

Ann. Ch. MLXII. Oct. XIV.

VITA S. DOMINICI LORICATI.

Auctore beato Petro Damiani Cardinali.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ auctor.

1. *Ea ferme omnia quæ de beato Dominico nota ſunt, beato Petro Damiani debemus, qui ejus geſta in epiſtola ad Alexandrum II. ſummum pontificem, atque etiam in aliis paſſim opuſculis deſcripſit. & quidem talia ſunt, ut abſque tanto vade vix credibilia viderentur. Ea tamen non ex vulgi rumore, non ex aliis auctoribus mutuatus eſt vir ſanctus, ſed quæ propriis oculis ac auribus hauſerat fideliſſime deſcripſit, poſteris illuſtriſſimum pœnitentiæ exemplum relicturus. Ceterum celebris eſt inter alios Dominicus qui piam ſeſe verberibus pœnitentiæ cauſa afficiendi conſuetudinem miro modo promovit, quam Petrus ejus encomiaſtes compluribus locis paſſim tuitus eſt. Ejuſdem Petri Damiani epiſtola 31. libri 6. quæ locum habet inter ejus opuſcula num. 53. eſt ad Dominicum Loricatum Priorem ſanctæ Mariæ Sirtriæ, ejuſque eremitas; ubi eos adhortatur, ne ob moleſtias ipſis à viris improbis illatas de loco mutando cogitent.*

Dominici memoria.

2. *Dominici memoria non ſolum in faſtis Benedictinis inſcripta habetur, verum etiam cele-*

Digitized by Google

bris eſt in Martyrologio Romano die XIV. *Octobris, quæ ipſi, teſtante Petro, ſuprema fuit. Uno circiter anno ante Rodulfi epiſcopi Eugubini obitum ad ſuperos abiit, uti ſcribit Petrus. At Rodulfus anno* MLXIII. *defunctus eſt, ut ad ejus vitam infra dicemus. quare Dominici obitum anno* MLXII. *conſignamus.* ANN. CH. MLXII. OCT. XIV.

1. ECCE, ſanctiſſime Pater, dum epiſtolæ, in qua vitam Rudolfi deſcripſimus, gerulus, qui ad vos veniat, quæritur, & non ſuppetit; repente aliud, quod uberius ad ædificationem proficere valeat, ſi ſcribatur occurrit. Et fortaſſis ob hoc nuntius mihi ſuperna diſpoſitione ſubtrahitur, ut interim, vacante me, ſtilus ad aliud transferatur. Vir itaque Dei DOMINICUS, pater & dominus meus, ante annum defunctus eſt; cujus vita ſi ſcribatur, vereor ne fortaſſis à quibuſdam fratribus incredibilis judicetur; ſed abſit à me mendacium ſcribere. Nam qui veritatem pro viribus veraciter colo, commentum fallaciæ non admitto. Neque enim illud nos latet Apoſtoli, qui cum præmiſiſſet: *Si Chriſtus non ſurrexit, inanis eſt ergo prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra*, ſtatim ſubjunxit: *Invenimur autem & falſi teſtes Dei, quoniam teſtimonium diximus adverſus Deum, qui ſuſcitaverit Chriſtum, quem non ſuſcitavit, ſi mortui non reſurgunt.* In quibus apoſtolicæ ſententiæ verbis ut diutius non immoremur, in promtu lector intelligit, quoniam qui vel Deum, vel Dei ſervum mirabile quid feciſſe confingit, non modo fabricati præconii præmium non meretur, verum etiam adverſus eum quem laudaverat, falſum teſtimonium protuliſſe convincitur.

Dominici vita vix credibilis.

1. Cor. 15.

2. Dominicus itaque cum eſſet in ſæculo clericus, quia tunc Simoniaca vigebat hæreſis, quæ & nunc utinam prorſus eſſet exſtincta, ut preſbyter fieret, à parentibus ejus data eſt Epiſcopo hircinæ pellis aluta. Sed quia, ſicut ait Apoſtolus: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*; hæc una beati viri culpa, multorum poſt bonorum probatur exſtitiſſe materia. Nam hoc pavore perterritus, contempſit ſæculum, induit monachum, arduumque mox eremiticæ vitæ, tamquam bellator intrepidus, arripuit inſtitutum. Sed quia male promotus eſt, donec advixit, ſacroſancti altaris uſurpare miniſterium non præſumſit. Virgo uſque ad obitum fuit, vitam eremiticam non omiſit, ubi nimirum ſub magiſterio ſancti viri JOHANNIS, qui dicebatur de Monte-Feretri, per plurimos vixit annos.

Pro exiguo munere ordinatus qualem de ſe pœnam exigit. Rom. 8.

3. In illa igitur eremo, quæ ſcilicet erat in regione, quæ dicitur Luceoli [a], conſtituta, decem & octo videbantur cellulæ ad habitandum fratribus deputatæ: ubi nimirum ſub hac regula vivebatur, ut numquam vinum biberent, numquam adipe alimenta condirent: unum in Dominica die, ſed & quinta feria pulmentum ſumerent; quinque per hebdomadam diebus in pane & aqua jejunium celebrarent, ſolis autem orationibus vacantes, vel manuum operibus inſiſtentes, non agriculturam exercebant, non prædia, vel aliquam ſubſtantiam, præter unum ſagmarium, poſſidebant. Cum quo ſcilicet aſello vel equo unus erat miniſter, qui vel ad acquirendas, vel ad ferendas fruges indeficiens diſcurrebat, ſoluſque eos in cunctis neceſſitatibus ſuſtentabat; Johannes ſcilicet, qui poſtmodum loci Abbas factus, ſub honeſta rexit adminiſtratione conventum. Tenebant autem per totam hebdomadam diſtricta cenſura ſilentium, quod utique Dominica die poſt veſperam, cibumque ſolventes, habebant loquendi invicem uſque ad completionis officium libertatem. Nudis præterea pedibus & cruribus jugiter in cellulis morabantur. Dixit autem mihi, quia cum cohabitaret ANSONI, religioſo videlicet viro, quem & ipſe vidi, quotidie per omnes horas canonicas diſciplinam ſibimet invicem ſcoparum icti-

In eremo ut vivit.

[a] Sic procul dubio dicta à Luceolo caſtro, quod in Umbria ſitum eſt apud montem Apenninum, inter Eugubium & Callium, vulgo dicitur *Ponte-Rezzoli*.

Ann. Ch. MLXII. Oct. xiv. bus ingerebant. qui videlicet Anſo ſibi aliquando conqueſtus eſt, quod novem diarias panis penſas in ventre ſimul haberet. Tanta quippe macerabantur inedia, ut aridus panis conſtiparetur in ilibus, ac digeri difficile potuiſſet.

Dæmon fugatus. 4. Illic etiam quidam frater erat, qui ſæpe vagabundus egredi de cella tentaverat, quem Johannes Prior eremi, prout dignum erat, prius auſtere corripuit, deinde in ſua præſentia vapulare præcepit. Cumque jubente magiſtro, ſe cœpiſſet induere, ſuperbe locutus eſt; quem rurſus magiſter exui, rurſus præcepit verberari. Sed adhuc etiam ſe veſtire incipiens, ſuperbum quid effluere non ceſſavit. ſic tertio, ſic quarto, &c, ſi rite teneo, uſque ſexies verberatus, nec emendatus. Exutus enim & reindutus, humilia reſpondere non potuit. Septima vero vice flagellatus, cum ſe cœpiſſet induere, clara ſtatim voce clamavit, dicens: Ecce diabolus abiit, ecce nequiſſimus cordis mei habitator aufugit, meque nexibus, quibus adſtringebar, effractis liberum reliquit. Jam jam domino ac magiſtro meo libenter obtempero, ejuſque me ſubdendum legibus per omnia repromitto. Hoc modo frater ille ad humilitatis cuſtodiam rediit, & in cellula jugiter perſeverans, de cetero irreprehenſibiliter vixit.

Petri diſciplinæ ſe ſubdit. 5. Longe vero poſt, magiſtro præbente conſenſum, dignatus eſt vir ſanctus prædictus mihi miſero, & quem ipſe ſuſcipere dignaretur, indigno, mira ſe prorſus humilitate committere, & ſicut abbati monachum ſubjugare. cui nimirum præſtitit, non accepit: & quem ſuſceperam velut in ſubjectione clientem, gaudeo me in ſchola Chriſti veræ philoſophiæ percepiſſe doctorem. Ita quippe vita ejus, prædicatio & ædificatio, doctrina erat & diſciplina. Sed quia nos nonnulla hujus ſancti viri dicta vel facta per diverſa dictatus noſtri jam opuſcula ſparſimus, non videtur abſurdum, ſi eadem hic, quæ tamen præ manibus habentur, eo ipſo ſtilo, quo ſcripta ſunt, apponamus. Sane facilioris eſt exitus, ex dolatis lignis domum conſtruere, quam dolando ſimul & conſtruendo laboris exercitium geminare. Nam & de templo Salomonis ſcriptum eſt: *Domus autem cum* 3. Reg. 6. *ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata eſt; & malleus, & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in domo, cum ædificaretur.* Habemus & nos, juxta noſtræ manus imperitiam, politos lapides, quos utique ſufficit nobis, ut in ſtructura dumtaxat, ita ut inventi ſunt, ſimpliciter ordinemus.

6. In epiſtola itaque ad domnum Teuzonem [a] incluſum miſſa, hoc me
„ ſcripſiſſe reperio. Sed cur ego ſanctos commemorando viros diverſa paſſim
Simul fere morantur. „ loca perluſtro? quandoquidem intra limen, & præ manibus teneo, ad cu-
„ jus digne efferenda præconia impar viribus non aſſurgo. Certe cellulis
„ altrinſecus conſtitutis, ſolo baſilicæ mediantis interſtitio, ego illeque di-
„ vidimur: cujus ſi virtutibus enumerandis invigilo, ante dies elabitur,
„ quam ſcribendi materia deficere poſſe videatur. Dominicum dico, docto-
„ rem videlicet, & dominum meum: cujus quidem lingua ruſtica eſt, ſed
„ vita artificioſa ſatis, & lepida. Quæ ſane vita ſatis utilius ad ædificatio-
„ nem vivis operibus prædicat, quam ſterilis quorumdam lingua, quæ ac-
„ curata phaleratæ urbanitatis verba inaniter trutinat. Longo jam annorum
„ elabente curriculo, ferrea ad carnem lorica præcinctus, infœderabilem
„ pugnam cum iniquis ſpiritibus conſerit, ſemperque paratus ad prœlium,
„ non ſolum corde, ſed & corpore præmunito adverſus hoſtiles acies fervi-
„ dus bellator incedit. Hanc autem continue vitæ conſuetudinem indiffe-

[a] Eſt Opuſculum LI. Teuzo autem monachus erat ſanctæ Mariæ apud Florentiam, qui ab abbate ſuo Albizone diſſentiens è monaſterio diſceſſerat, & poſtea etiam Petrum ad ſe venientem, ut eum cum abbate reconciliaret, è cella ſimul cum abbate ejecerat. quare ad eum Petrus ſcribit ut ſanctorum dictis & exemplis ad meliorem frugem eum revocet.

renter

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXII. Oct. XIV.

renter habet, ut vix dies ulla prætereat, quin duo pſalteria modulando, utraque manu ſcopis armata nudum corpus allidat, & hoc remiſſiori quidem tempore. Nam quadrageſimalibus circulis, ſive cum pœnitentiam peragendam habet (crebro enim centum annorum pœnitentiam ſuſcipit) tunc per dies ſingulos, dum ſe ſcoparum tunſionibus afficit, ut minus tria pſalteria meditando perſolvit. Centum autem annorum pœnitentia [a], ſicut ipſo auctore didicimus, ſic expletur. Cum tria ſcoparum millia unum pœnitentiæ annum apud nos regulariter expleant, decem autem pſalmorum modulatio, ut ſæpe probatum eſt, mille ſcopas admittat; dum centum quinquaginta pſalmis conſtare pſalterium non ambigitur, quinque annorum pœnitentia in unius pſalterii diſciplina recte ſupputantibus invenitur. Porro ſive quinque vicies, ſive viginti quinquies, centum faciunt. Conſequitur igitur, ut qui viginti pſalteria cum diſciplina decantat, centum annorum pœnitentiam ſe peregiſſe confidat. Quamquam & in hoc omnem modum Dominicus ſuperet: quia cum nonnulli unam manum in diſciplinis agendis exerceant, iſte, ut re vera Benjamin filius, contra rebelles carnis illecebras utraque manu infatigabiliter pugnat. Hanc autem centum annorum pœnitentiam, ut mihi ipſe profeſſus eſt, facile ſex diebus ex more conſummat. Memini quoque, quia cujuſdam Quadrageſimæ imminentis initio, mille annos imponi ſibi per nos ad pœnitentiam petiit: quos certe omnes ferme, antequam jejunii tempus tranſigeretur, explevit [b]. Et paullo poſt hoc proſecutus ſum.

Centum annorum pœnitentia.

7. Nunc ad Dominicum, de quo cœperat, ſermo recurrat. Enimvero cum hunc jam & incurva ſenectus deprimat, & crebris inſuper ſæpe languoribus contabeſcat; mirum unde illi tantus fervor incandeat, ut in ſpiritualibus exercitiis ſe ſemper invictum, ſemper infatigabilem reddat. Nam, ut ipſo referente cognovi, ſæpe duo pſalteria cum diſciplinis ſtando continuat, ita ut neque interim ſedeat, neque vel ad momentum, à percuſſionibus incredibili mentis fervore quieſcat. Inquirenti mihi aliquando, utrum poſſet cum ferreæ veſtis pondere aliquantiſper genuum flexibus inſudare, ſub hac mihi dedit obſcuritate reſponſum: Cum incolumitas, inquit, mihi votiva reſpondet, quandoque per omnes totius pſalterii quindenos pſalmos centies genuflectere conſuevi. Quod quidem tunc non diligenter attendi, poſtmodum vero quod dictum fuerat, mente revolvens, à depreſſo homine mille metanœas [c] in uno pſalterio fieri admiratus expavi. Quadam die poſt veſperam cellulam meam ingreſſus, Magiſter, inquit (hoc enim indigno vocabulo me ex humilitate compellat) hodie feci, quod hactenus me feciſſe non memini. Octo nempe pſalteria inter diem ac noctem modulatus explevi. Videbatur autem tunc totus vultus ejus, ita ſcopis attritus, ac ſulcantibus quibuſdam vibicibus livefactus, tamquam ſi pila fuerit, ptiſanarum videlicet more, contuſus. Pſalmodia ſane illi idcirco tam facile provenit, quia non tam verba, ut ipſe aſſerit, lingua perſtrepente revolvit, quam ſenſum mentis vivacitate percurrit.

Ejus, etiam ſenis auſteritas.

8. Aliquando à me remotus habitabat, cumque ad me ingreſſum, quibus tunc ſe vitæ legibus regeret inquiſiſſem; reſpondit, ſe carnaliter vivere, & quintis ſæpe * feriis cum Dominicis diebus, à ſolito ſe abſtinentiæ rigore laxare. Requiſitus, utrum quolibet pulmento, ovis, vel caſeo veſ-

* al. ſemper.

a Graviorum criminum reis multorum annorum pœnitentia ex ſacrorum canonum præſcripto irrogari debebat, quas pœnas ſibi ipſis imponi flagitabant viri illi pii, & eas poſt modum diſciplinis frequentioribus redimebant.

b Nonnulla ſubjungit in ipſo opuſculo ad tuendum ejuſmodi diſciplinarum uſum, qui nonnullis diſplicebat. Vide & ejus epiſtolam 8. libri 5.

c Etſi ex ſincera hujus vocis etymologia, metanœa reſipiſcentiam ſeu pœnitentiam ſignificet, à Græco verbo μετανοεω, hic tamen, & paſſim apud ſequioris ævi auctores genuflexionem ſeu proſtrationem deſignat, quod pœnitentes olim in fidelium conventibus proſtrati & genuflexi Eccleſiæ indulgentiam efflagitare ſolerent.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXII. OCT. XIV.

» ceretur, negavit. Ruſus, ſi piſcibus, aut pomis; Piſces, ait, & poma,
» ſi qua ſunt, ægrotantibus præbeo, quorum non minimam multitudinem
» jacere in noſtris partibus ingemiſco. Cumque illum durus exactor in an-
» guſto concluderem, dicens: Unde ergo illis diebus remiſſius vivis, ſi ni-
» hil eorum comedis, quæ neceſſe ſit vel ignibus decoqui, vel in arboribus
» inveniri? Reſpondit: Fœniculo, inquiens, cum pane libenter veſcor.
» Mox nimirum perite cognovi, quam carnaliter homo viveret, qui ſuas
» delicias fœniculum conſtituiſſet. Habet plane uberem lacrymarum gra-
» tiam, ſed alternam. Cum enim recluſus ſub diſtricto ſe ſilentio reprimit,
» mox ut voluerit, affluenter plangit. At ſi colloquio frequentetur, fletum
» ſe amiſiſſe conqueritur. Sed & ego illi ſæpe penuriam meæ ariditatis im-
» propero, dicens: Heu, inquam, mi pater, iſtæ tuæ lacrymæ infœcundæ
» ſunt, quæ alias orando lacrymas parere nequeunt. Optarem namque quod
» conſequens eſt, nimirum ut ſicut tu mihi pater es, ita nihilominus & tuæ
» lacrymæ mearum quoque lacrymarum fierent genitrices.

9. In Regula quoque eremitica hoc inſeruiſſe me recolo. Dicam: ſed quis ſcit, utrum fides aſſertioni fideliſſimæ præbeatur? At parvipendendum eſt, ſi humana temeritas arguat, quem ſumma Veritas falſitatis excuſat. Eſt inter nos, qui nonnumquam uno die continuato cum nocte novem pſalteria meditando decurrat, & interim pæne ſemper utraque manu, ſcopis armata, nudum corpus afficiat. Notandum autem, quia dum hæc peragere ſatagit, nocte, vel die dormire non vacat; ſed aliquando genua flectens, dum caput terræ deponit, ſic nudo repente ſomnus obrepit, eoque ſolo contentus eſt. Hic mihi aliquando fraterna familiaritate conqueſtus eſt, quia cum novem ſic pſalteria ſæpe modulando perficeret, ad decimum numquam potuerit pervenire. In epiſtola [a] quoque, quam Blan-
» cæ Comitiſſæ direximus, hæc nos indidiſſe videmur. Utinam daretur tibi
» nunc dominum meum videre Dominicum, qui quod imperitæ linguæ co-
» namur officio, ipſe te efficaciori luculentiſſimæ vitæ doceret & informa-
» ret exemplo. Hic denique à tribus circiter annorum luſtris lorica ferrea
» veſtitur ad carnem, duobus autem ferreis circulis in corpore cingitur,
» duobus item per brachiorum armos arctatur.

10. Sed quia de illo in aliis noſtris opuſculis jam plura digeſſimus, nunc quod vix ante ſex dies ad nos veniens retulit, proferamus. Ait ita-
» que, Contigit me noſſe, quod ſcripſeris novem me uno die pſalteria de-
» cantaſſe cum corporalibus diſciplinis. Quod certe cum audivi, treme-
» factus expavi & conſcientia remordente congemui: Væ, inquam, mihi;
» ecce hoc de me, neſciente me, ſcriptum eſt, & tamen utrum à me hoc
» fieri potuiſſet, ignoro. Ergo rurſus experiar, & an hoc implere potuerim,
» indubitanter agnoſcam. Quarta igitur feria me veſtibus exui, & armata
» ſcopis utraque manu, totam noctem ducendo pervigilem, pſallere, ac
» me verberare non deſtiti, donec die altero, decurſis duodecim ex more
» pſalteriis, partem decimitertii, uſque ad pſalmum *Beati quorum*, abſolvi.
» Porro quod nobis durum ſæpe videtur & aſperum, quam ille puerile de-
» putet ac deſpectum, uno doceamus exemplo. Frater quidam cum à ſco-
» parum ictibus nimis abhorreret, atque perferre graviſſimum judicaret,
» tandem tamen domini Dominici crebrius inſiſtentis adhortationibus ac-
» quievit, ac per modulationem totius pſalterii, & inſuper quinquaginta
» Pſalmorum, ſibimet diſciplinam inferre propriis manibus non ceſſavit.
» Erat autem nox illa præcedens Dominicam diem, & beati Michaëlis feſti-
» vitatem. Cumque facto mane ad prædictum ſenem frater ille veniſſet, ti-
» mens ne de indiſcretione redargueretur, cum quod egerat per ordinem

[a] Ea eſt opuſculum quinquageſimum, quod Blancæ antea Comitiſſæ, tunc vero ſanctimoniali inſcripſit, ut ipſam ad vitæ religioſæ perfectionem informaret.

Digitized by Google

retuliſſet, hac ille voce reſpondit: Noli frater, puſillanimis eſſe, vel pro hac tua, quæ nunc eſt, infirmitate diffidere. Poteſt enim Deus ex imis te ad altiora provehere, & hujus lacteolæ tuæ converſationis infantiam, ad juvenilis roboris incrementa firmare. Et adjiciens, ait: Nos etiam primo pedetentim cœpimus, ſenſimque ad quos nos divina pietas perducere voluit, licet imbecilles ac fragiles, educti ſumus. Sicque factum eſt, ut non eum de immoderato fervore, ſicut ille timebat, argueret, ſed ne deſperationi ſuccumberet, tamquam qui minimum quid egiſſet, animum refoveret. Hujus itaque ſancti ſenis exemplo faciendæ diſciplinæ mos adeo in noſtris partibus inolevit, ut non modo viri, ſed & nobiles mulieres hoc purgatorii genus inhianter arriperent. Nam & relicta Tethbaldi, ſublimis utique generis, & non infimæ dignitatis, mihi aliquando retulit, præfixam hujus diſciplinæ centum annorum ſe pœnitentiam peregiſſe. ANN. CHR. MLXII. OCT. XIV.

11. In Epiſtola etiam ad Johannem priorem eremi, quæ juxta Suavicinum montem eſt conſtituta, cum eum, ejuſque ſubjectos ad extenſionem brachiorum in orationibus adhortatorie provocarem, dixi prius de quodam ferventiſſimo in amore Chriſti fratre noſtro, ADAM nomine, deinde Dominicum in exemplo ſubjeci, ita inquiens: Habemus autem quemdam juvenculum fratrem, qui mihi confeſſus eſt à capite uſque ad finem pſalterii elevata ſe brachia tenere cum pſallit, ita ut laquear tabulatum cellulæ manibus ſæpe contingat, hac tamen diſcretione ſervata, ut per quinquagenos pſalmos ad momentum brachia extenta deponat, & protinus erigat. Habemus & alterum provectioris ætatis, incurvum videlicet ſenem; & ut ſecrete tibi confitear, hic Dominicus eſt, is itaque quamdam ſcriptiunculam reperit, ubi dicebatur, quod ſi quis duodecim illic notatos pſalmos vicies quater, erectis in modum Crucis manibus caneret, pro uno poſſet anno pœnitentiam regulariter compenſare. Protinus ille in exercitium id quod dicebatur, arripuit, & duodecim illos pſalmos extenſis, ſicut dictum eſt, brachiis vicies quater ſub nullo prorſus intervallo, ſed uno ductu quotidie decantabat. Scripſi ſuper hoc & in aliis fortaſſe opuſculis, quæ vel ad præſens deſunt, vel facile memoriæ non occurrunt. Itaque ab eorum replicatione quæ ſcripta ſunt, ad nova quælibet articulus tranſferatur.

12. Enim vero quaſi quidam divinus ignis in ejus pectore jugiter æſtuabat, qui numquam permittebat eum à ſpiritualis exercitii labore quieſcere. Aliquando namque cum ego perquirerem ſacro-ſancto die Paſchali, ceteris fratribus, juxta morem, meridie quieſcentibus, utrum & ipſe dormiſſet, ait: Certe, Pater, dixi in corde meo: Quid mihi, tam longis adhuc noctibus, in die dormire? Extenſis itaque in Crucis effigiem brachiis, pſalterium cœpi: Quo me ſic ſtante decurſo, ſignum protinus horæ Nonæ perſonuit. Hoc itaque modo junxit victoriam Crucis cum gloria reſurrectionis. Aliquando cum de quotidianis, ut mos eſt, invicem confabularemur operibus, ait: Hac etiam nocte, quid mihi contigerit, manifeſto. Nam dum ſolutus ſopore ſurrexi, mox brachiis in modum Crucis extenſis pſalterium cœpi; cumque pſalmis omnibus, & canticis quæ ſequuntur, hymniſque decurſis, eo loci jam eſſem, ut ſolo catholicæ fidei pſalmo [a], & litaniis deberem cuncta concludere, incidit in mentem, ut interim iſta dimitterem, ac pro defunctis pſalterium decantarem. Igitur brachia non deponens, ad defunctorum pſalterium tranſii, quod juxta morem per quinquagenos pſalmos trifaria lectionum interpolatione diſtinxi. Quo ſic expleto, ad id protinus, quod omiſeram, redii, atque hoc quod de primo pſalterio reliquum erat, explevi. Cumque de tertio conſequenter aggrediendo pſalterio cogitarem, benefactum, ut ita dixerim, ſignum repente nocturnæ ſynaxis inſonuit, quod me depoſitis ulnis

[a] Id eſt ni fallor ſymbolo, quod ſub Athanaſii nomine vulgo notum eſt.

Ann. Ch. MLXII. Oct. XIV.

officium cum fratribus celebrare coëgit, & certe neſcio quo anni tempore noctes breviores erant.

Scuticis ſe cædit.

13. Aliquantis porro ante obitum annis, quaſi novum ſupplicii genus inveniens, virgarum ſcopas in corrigiarum ſcuticas vertit, ſemelque guſtato quia duriores ſunt, in his ſe verberandi conſuetudinem poſuit. Hoc flagellum, ſi quando egrederetur ad ſæculum portabat in ſinu, ut ubicumque eum jacere contingeret, à verberibus non vacaret. Aliquando vero cum loci occaſio non præberet totum ſe poſſe exuere, per crura ſaltem & femora, per caput atque cervicem, ſeſe non ceſſabat affligere. Circulis quoque ferreis quatuor, quia ſibi præ longa conſuetudine quaſi jam viluerant, quatuor item ſuper addidit, ut duobus in coxis, duobus conſequenter in cruribus ſtringeretur. Enim vero loricam, & quibus utebatur tamquam ciliciis, velut lanea quælibet indumenta, poſt menſes, ſive poſt ſpatium prolixius abluebat, ut rubiginem deponerent, & aridis ingerendam membris uredinem non haberent. Porro autem cum omnes, qui in cellulis habitamus, hoc laboremus, ut permuniendis à frigore pedibus veſtimenta uſque ad imum defluant pavimentum, hoc etiam nobis in eo intolerabile videbatur, quia cum in eremo & ocreas neſciret & calceos, veſtes tamen ejus ad tibias vix medias deſcendebant. Nudatus autem ad ſuſcipiendam in capitulo diſciplinam, quod ſcilicet numquam omittere volebat, exeſis jejunio membris, & hamatæ loricæ mole detritis, Æthiopicam contraxiſſe nigredinem videbatur. Veſtimenta vero lurida, & carioſa, ut ita dixerim, videbantur vetuſtate conſumpta. Hoc mihi ſæpe dicebat: In hoc pſalmodia provenit cito pſallenti, ſi cor ad verba teneat; ſi quæ lingua loquitur, mens veraciter comprehendat. Alioquin ſi cor vagatur, pſalmorum curſus ad finem, lingua nunc fallente, nunc tepeſcente, tarde perducitur. Aiebat etiam, quia ſomnum ſomnus adeſcat, & vigilias vigiliæ pariunt. Nam corpus humanum, in quo paullatim prius enutritur, in hoc per incrementa poſtmodum roboratur.

Vita ſancta præferenda miraculis.

14. Sed hic me quiſpiam fortaſſe redarguat, qui videlicet non tam, quem vivendi ordinem vir ſanctus habuerit, ſed quibus miraculis in hac vita claruerit, audire feſtinat. Cui me breviter hoc reſpondere ſufficiat: Quoniam & Maria, & Johannes Baptiſta miraculum feciſſe non leguntur, cum tamen eorum vita non qualibet ſcriptura, ſed Evangelio teſtante narretur. Quamquam Maria in ſolo partu, quem edidit, omnium proculdubio ſanctorum virtutes ac ſigna præcellit. Hoc etiam inſeram, quia uberiorem fructum præbet audientibus ſanctorum virorum mirabilis vita, quam oſtenſa miracula. Illa ſiquidem exigit imitationem, iſta ſolam ingerunt admirationem: miracula docent, quomodo illi, ſancti fuere; vita vero inſinuat, qualiter & nunc homines fieri valeant ſancti. Præterea qui miraculum quæris, nonne tibi videtur eſſe mirabile, hominem fragili adhuc carne circumdatum, Angelitus (ut ita loquar) vivere, adeo ut inter quamplurima hominum millia, vix unum ei ſimilem valeas reperire? Et certe quamplures hodie ſunt inferioris vitæ, per quos Deus omnipotens dignatur virtutes oſtendere.

15. Jeſu teſte, non mentior, quia necdum tres menſes elapſi ſunt, ex quo ad me in Gamugni [a] videlicet eremo diverſantem, duo adoleſcentes monachi venerunt, quorum alter de Spoletina monarchia [b], alter vero de Venetiæ dominio, Polenſi [c] videlicet urbe, oriundos ſe eſſe dixerunt. Sed Venetus, vocabulo MICHAEL [d], ſicut nobis in confeſſione

a Ad ſuos eremitas monaſterii Gamugnenſis exſtant nonnullæ Petri epiſtolæ, quæ etiam ob prolixitatem inter opuſcula recenſentur.

b Ex ducatu videlicet Spoletino.

c Pola urbs Hiſtriæ à Colchis ſtructa, Juliæpietas à nonnullis dicta.

d Memoratur ab Hugone Menardo in Martyrologio Benedictino & à Bucelino in Menologio die 24. Martii.

Digitized by Google

perhibuit, in ipſo ſuæ converſionis initio, circulo ferreo ſub hac deſiderii ſui pactione ſe conſtrinxit, rogans Dei omnipotentis obnixe clementiam; ut cum locum ſaluti ſuæ congruum reperiret, confeſtim ille circulus frangeretur. Porro autem ipſo die, quo eremum novus hoſpes ingreſſus eſt, vix poſt trium horarum ſpatium, dum B. Benedicti Regulam, ſicut eſt idiota, utcumque ſyllabatim legeret, repente compunctionis eum ſpiritus in lacrymas ſolvit, eodemque momento circulus ille fractus apparuit. Quod miraculum quoniam alibi jam nos deſcripſiſſe meminimus, celeriter tranſcurrentes, ſequens aliud, quod necdum litteris inſertum eſt, enucleatius digeramus. Ann. Ch. MLXII. Oct. xiv. Michaël monachus.

16. Paulo poſt namque Ravennam urbem me jubente, perrexit, ut ſarcinulas ſuas, quas ibi de navi prodiens reliquerat, exportaret. Illic itaque apud fabriles officinas nova ferreorum nexuum armenta confinxit, multiſque ſe vinculis per diverſa membra ipſe ſibimet judex & reus, violenter arctavit. Nam duo pendebant vincula cervice tenus per humeros altrinſecus, hinc ad ſexum, illinc ad femur; duos verò in coxalibus circulos, duos ſuſcepit in ulnis. Undique igitur tam multiplici conſtrictione vallatus ad nos rediit; ſecrete, quod circa ſe factum fuerat, oſtendit; neve, quæ fecerat, immutarem, vix tandem voti compos obtinuit: ſed cum hæc illum ultra vires tormenta gravarent & ex attritis carnibus jamjam fœtor erumperet, inſuper acceſſit, quod cor fratris gloriam reſpuentis acrius perturbavit. Cœpit enim hujus myſterii fama prorumpere, & prius per fratrum, deinde per ora ſupervenientium quorumlibet volitare. Rogavit itaque omnipotentis Dei miſericordiam, ut quid ſibi ſuper hoc cœpto placeret, per ſuæ miſericordiæ indicium evidenter oſtenderet. Interim verò dum hujuſmodi precibus frequenter inſiſteret, bis per ſomnium confortatus, audivit, quia ferramenta illa jam eſſent divinitus reſolvenda. Porro autem in feſtivitate beatorum Apoſtolorum Simonis & Judæ, quam nuperrime celebravimus, dum nocturno cum fratribus intereſſet officio, repente duo illa ferramenta, quæ ſuper humeros poſita, utrinque inferius dependebant, ventremque cum renibus coarctabant, prorſus effracta ſunt; & unum in duas, alterum in tres diviſum eſt partes. Ceteri vero circuli, non quidem per partes abrupti, ſed ita laxati ſunt, & quadam facti ſunt tam mollita lenitate flexibiles, ut quodammodo non tam ferrei, quam plumbei viderentur, adeo ut etiam ſi vellet, defluentibus eis ac prolabentibus, adſtringere ſe ultra non poſſet. Sic frater, qui ſanctæ devotionis æſtuanti fuerat ardore conſtrictus, pio Dei judicio eſt mirabiliter abſolutus. Quid ergo magnum, ſi per Dominicum, mirabilem videlicet virum, ſignum aliquod voluiſſet Deus oſtendere, cum in ipſo tyronatus exordio per hunc juvenculum duo miracula dignatus eſt exhibere, ac laudabilius ſit fortia peregiſſe, quam nova? Unde David cum præmiſiſſet: *Mirabilis Deus in ſanctis ſuis;* protinus addidit, *Ipſe dabit virtutem & fortitudinem plebi ſuæ.* Non ait, ſigna, ſive prodigia; ſed, ipſe dabit virtutem & fortitudinem. *Pſal. 67.*

17. Præterea cum Romanus quidam, Stephanus nomine, judex ſacri palatii, ſummam præſidatus adminiſtraret Auximi [a], exigente cauſa, Dominicus ad eum venit, eumque ſuper quadam eremi poſſeſſione, quam ex jure ſedis Apoſtolicæ detinebat, obnixe rogavit. Quem ille, utpote nulla veſtium compoſitione feſtivum deſpiciens ſprevit, eique nil eorum, quæ poſcebat, indulſit. Cumque ſibi à circumſtantibus diceretur; Noli eum tam dure ſuſcipere, ſanctus enim vir eſt. Ille tamquam fel evomens, ait: Sit ſanctus, ut vultis; ſed beatus Petrus certe ſanctior eſt, cujus ego cauſam in hac adminiſtratione defendo. Igitur impos cœpti Dominicus, redit ad cellulam. Ille quoque poſt paullulum reverſus eſt Romam. Porro

[a] Auximum urbs in Piceno celeberrima, vulgo *Oſmo*, in Marchia Anconitana ad fluvium Muſonem.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXII. OCT. XIV. puer [a] quidam deſpicabilis, qui ad exſequendum quodcumque negocium in adminiſtratione remanſit, quicquid Dominicus petierat à judice, cuncta reverenter implevit. Judex autem non diu poſt quam ad propria repedavit, hoſtilibus gladiis perfoſſus interiit, multaſque divitias, quia ſobolem non habebat, extraneis heredibus dereliquit. Erat præterea Dominicus valde cautus in verbis, ut apte ſibi congrueret illa ſententia, qua Jacobus Apoſtolus, ait: *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir.* (*Jac. 3.*) Nam ſi quando quæreretur, quota diei hora eſſet, numquam abſolute dicebat, quota eſſet, ſed cum hoc additamento ſemper; Prope tertia hora eſt, prope ſexta hora. Inquiſitus à me, cur ſemper ita diceret: In hoc, inquit mendacium caveo. nam ſive ſit hora tranſacta, ſive adhuc fortaſſis immineat, propinqua tamen eſt, quæ videlicet à momento, in quo loquimur, non elongatur.

18. Habebat aliquando cellulam juxta monaſterium, quod dicitur Conjunctuli. In vigilia itaque Dominicæ nativitatis, cum tota præcedenti Quadrageſima [b] manſiſſet incluſus, tantiſque jejuniis atque laboribus eſſet vehementer afflictus, invitante gloria ſollemnitatis egreſſus, Abbati loci humiliter procidit, veniam petiit, actus ſuos & cogitationes lacrymabiliter accuſavit. Ille autem, ut erat inexpertus, levis moribus, & conſiliis ſpiritualibus inſuetus, cum ſibi ſufficeret unum pſalmum, vel perexiguum quid imponere, præcepit ut pro his, quæ confeſſus fuerat, triginta pſalteria decantaret. Qua nimirum ille ſententia velut ſagitta percullus, ad cor rediit, atque hoc proveniſſe ex divini diſpoſitione judicii deputavit. Itaque regreſſus in cellulam, numquam prodiit, donec præfixum indictæ pœnitentiæ canonem inſtantiſſima ſeduſitate perſolvit.

19. Solebat autem per intervalla, licet parciſſime, vinum bibere; ſed longe ante quam defunctus eſt, decrevit ab eo penitus abſtinere. Ut itaque jam, omiſſis ceteris, ad obitum veniamus, (*Ejus obitus.*) patiebatur gravedinem ſtomachi, crebris inſuper capitis doloribus cruciabatur. Et quoniam alterum ſæpe procedit ex altero, propoſuit ad purgandum ſtomachum antidoti ſumere poculum. Sexta igitur feria per continuum diem vix deſiit vel modulandis pſalmis inſiſtere, vel corrigiarum ſe ictibus flagellare. Nocte vero, ſopore depoſito, ſuſcepit antidotum; deinde cœpit anguſtiari, & de ſtomachi dolore graviter conqueri. Poſt decurſum itaque nocturnæ ſynaxis officium, poſt matutinos hymnos, cum prima jam hora ſibi à fratribus, qui aderant, cantaretur, ſanctum Deo ſpiritum reddidit. Invenerunt autem & alteram loricam præter eam, qua indutus erat, lateribus ejus ſyndonis more ſubſtratam. Unde ſuſpicati ſunt fratres, hoc ſibi præter conſuetudinem nullatenus accidiſſe, ſed ſub ſe eam ſanum quoque tenere conſueviſſe, ſuper quam videlicet & in infirmitate jacebat.

20. Somniavit autem tunc quidam frater de me, quod oculorum lumen amiſeram. Quod dum ego Hildebrando, venerabili Romanæ eccleſiæ Archidiacono in Lateranenſi palatio retuliſſem: Nequaquam, inquit, ut times, hoc tibi propinquæ eſt mortis indicium; ſed familiaris tibi aliquis exſtinguetur, qui tibi & charus ſit ſicut oculus, & lumen tuum ac ſplendor in bonis operibus videatur. O verum, ſed amarius omni felle præſagium. Tertio die, poſtquam Romanis mœnibus ſum egreſſus, ecce mihi relatio crudelis occurrit, quæ mihi nil minus opinanti, cæcatum me remanſiſſe perhibuit, dominum ſcilicet & illuminatorem meum Dominicum, ex hoc ſæculo nuper egreſſum. Ilico mihi liquido patuit, dum ille petiit lucis auctorem, in tenebrarum me remanſiſſe caligine.

[a] Pueri nomine miniſtrum intellige ignobilis conditionis.

[b] Vulgo Adventum dicimus. Quadrageſimam dubio procul appellat Petrus, quod eo tempore ſicut & ante Paſcha jejunium ſtrictiſſimum ſervaretur, ut hodieque fit apud monachos.

21. Fratres autem corpus ejus, ne à vicinis monachis eorum raperetur è manibus, in eadem, in qua defunctus eſt cellula, defoſſa humo celeriter obruerunt. Nos autem ipſo die Dominicæ, quo eremum ingreſſi ſumus, ſanctum corpus inde ſublatum reverenter, ut dignum erat, in capitulo ſepelivimus. Et cum nonus eſſet depoſitionis ejus dies, prædictum corpus ſanum illibatumque reperimus. Ann. Ch. MLXII. Oct. XIV. Sepelitur.

22. Eant nunc, qui carnis ſuæ delectantur illecebris, medullas abſorbeant voluptatum & occiſionis victimæ ad æternum nutriantur incendium. In ſuperbiæ ſe cornibus efferant, ventilent innocentes, ad votum molliter vivant, ut eorum viſcera poſtmodum pœnis ſemper ultricibus amareſcant. Nunc velut infrenes equi per voluptatum ſuarum prata diſcurrant, ut poſt eorum manus & brachia diſtrictionis extremæ lora cohibeant. Dominicus autem noſter ſtigmata Jesu portavit in corpore, & vexillum Crucis non tantum in fronte depinxit, ſed cunctis etiam undique menbris impreſſit. Exuſtus & aridus ab humore calami & junci uberibus, cæleſtis gratiæ meruit imbribus irrigari. Hic ferrea lorica præçingitur, illic niveis Angelicæ gloriæ veſtibus decoratur. Hic duritia cubilis atteritur, illic molli Patriarcharum gremio confovetur. Tota hæc vita facta eſt ſibi paraſceve Crucis, illic autem feſtivus & ſplendidus æternam celebrat gloriam reſurrectionis. Nunc inter ignitos ſupernæ Hieruſalem lapides emicat; nunc ornatus victoriarum ſuarum titulis, æterna laude triumphat, atque in illa beatorum civium jucunda ſocietate conjubilat. Obiit autem beatus Dominicus pridie Idus Octobris, regnante Domino noſtro Jeſu-Chriſto, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

VITA B. RODULFI EPISC. EUGUBINI

Ann. Ch. MLXIII. XXVI. Jun.

ET V. PETRI EJUS FRATRIS MONACHORUM

FONTIS-AVELLANÆ.

Auctore B. Petro Damiani.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

SUFFICIT ad conciliandam geſtis beatorum Rodulfi & Petri auctoritatem monere lectorem ea à beato Petro Damiani conſcripta fuiſſe, in epiſtola ad Alexandrum II. ſummum pontificem. Idem Petrus Rodulfo Eugubienſi & Theodoſio Senogallienſi epiſcopis ſcripta ſua commendavit, ut ſi quod in eis erratum eſſet, à tantis viris emendaretur. Epiſtola Petri ea de re eſt undecima libri 4. editionis Cajetani. Porro Ughellus tomo 1. Italiæ ſacræ in Catalogo epiſcoporum Eugubinorum Rodulfum laudat, ſed abſque ullo ſancti, *aut* beati *titulo. Ejus tamen memoriam in Martyrologio Benedictino conſignavit Hugo Menardus die 1. Junii cum hoc elogio,* ſancti Rodulfi epiſcopi Eugubini, *magnæ* auſteritatis viri. *Plura habet Bucelinus in Menologio die 26. Junii, quo item die ſub eodem* ſancti *titulo eum celebrat Ferrarius in Catalogo generali; ſed monet in notis eum nullo cultu publico apud Eugubinos honorari. Hinc Bollandiani* Rodulfum *ſimpliciter appellant die 1. Junii inter prætermiſſos, ubi de illo ſe fuſius ad diem 26. ejuſdem menſis acturos pollicentur. Petrum vero Rodulfi fratrem nuſquam* ſanctum *aut* beatum *dictum invenimus, nequidem apud Surium, in cujus altera editione* ſub ſancti Rodulfi vitæ *titulo habetur eadem Petri Damiani epiſtola quam hic proferimus. Rodulfum anno* MLIX. *Synodo Romanæ ſub Nicolao II. interfuiſſe ſcribit Ughellus,*

Vitæ ſcriptor.

Memoria in Faſtis.

Ann. Ch. MLXIII. XXVI. Jun. Annus mortis.

quem Arnoldus Vvion libro 2. cap. 41. clarum miraculis *obiiſſe dicit die 26. Junii, ac floruiſſe anno* MLXX. *At ejus mortis annum diſcimus ex ipſis Petri Damiani verbis, qui Rodulfi mortem ſe accepiſſe ſcribit, cum à Pontifice digreſſus Florentiæ mœnia ſubiiſſet. Florentiam quippe ab Alexandro legatus adiit Petrus anno* MLXIII. *ad componendas turbas quæ inter ejuſdem urbis Epiſcopum & monachos, qui eum Simoniæ accuſabant, fuerant exortæ.*

EPISTOLA S. PETRI DAMIANI ad Alexandrum II. papam.

1. DOmno ALEXANDRO beatiſſimo papæ PETRUS peccator monachus ſervitutem. Præcepit mihi beatitudo tua, ut numquam tibi litteras mitterem, quæ leve quid & oblivione dignum ac frivolum continerent; quas ſcilicet, mox ut lector tranſſiliendo percurrerit, edax oamma conſumit. ſed tale tibi ſemper aliquid ſcriberem, quod & ad ædificationem legentium ſuſcipi, & inter ſcripturas mereretur authenticas reſervari. Unde Patri luminum agendæ ſunt gratiæ, qui ſacrarium tui pectoris hoc igne ſui amoris accendit, ut & in antiquorum Patrum ſtudiis jugiter requieſcas; & inſuper, ſi qui tibi videntur idonei, ad ſcribendum eos provocare non negligas.

2. A vobis itaque nuper egreſſus, cum Florentinæ urbis mœnia ſubii, nuntius mihi mox repentinus occurrit, qui mihi diem medium in tenebras vertit, omniumque meorum viſcerum venas amariſſimæ legationis felle complevit, epiſcopum ſcilicet Eugubinum eſſe defunctum: cujus utique converſatio ſi recolitur, non mediocriter ædificare poterit audientes. Valet enim & ad exprimendam recte vivendi formam, & ad adhibendam corrigendis moribus diſciplinam. Nam ante fere ſeptennium ille cum matre & duobus fratribus, ſe paullisper ætate præcedentibus, ſervis duntaxat libertate donatis, caſtrum ſuum mihi inexpugnabili munitione vallatum, cum omnibus, quæ ſui juris erant, prædiis contulit, atque ad eremum veniens habitum monaſticæ profeſſionis accepit. Monaſterium plane in eorum poſſeſſione conſtruximus, de cujus nunc ſancto conventu regulariter victitante ſatis in Domino gratulamur, ubi matre & fratre, qui infirmior eſt conſtitutis, iſte RODULFUS, qui poſtmodum ad epiſcopatum evectus eſt, & PETRUS primogenitus frater, eremiticam vitam tam continenter, tam diſtricte duxerunt, ut & audientibus prædicaret eos fama mirabiles, & conviventibus vita monſtraret inſignes.

Monaſterium in prædio Rodulfi.

3. Sane ſi de Petro vellem cuncta referre quæ ſuppetunt, prius ſchedula fortaſſis iſta deficeret, cum adhuc dicendi materia ſupereſſet. Nam ut è multis unum ſaltem breviter referam, dum in Capitulo conſideremus aliquando de diſciplinis regularibus diſputantes, ille, ut erat novitius, unum ex ſæculari conſuetudine inordinatum protulit verbum. Tunc ego velut ira permotus, dura ſatis illum invectione corripui, poſtque redargutionum atque correptionum longiora flagella, tamquam quæſtione pulſato ſententiam inferens, per quadraginta dies illum vino abſtinere præcepi; ea tamen intentione, ut tantum ad præſens illum cum ceteris ab incautis ſermonibus deterrerem, poſtmodum vero ſententiam diſcretæ remiſſionis moderamine temperarem. Sed cum me contigiſſet diverſis intentum eſſe negotiis, neque hoc mihi quilibet in memoriam revocaſſet, elapſo jam præſcripto dierum circulo, tandem recordatus expavi, & quid ex injuncta ſibi pœnitentia Petrus egiſſet, attonitus exquiſivi. Fratrum itaque relationibus didici pœnitentiam eſſe peractam. Pœnituit, fateor, prolatæ ſententiæ, ſed gaudens admiratus ſum tantam pœnitentiam fratris, ut pro uno ſolo verbo inconſulte prolato, tam longam pœnitentiam pertuliſſet; & neque per ſe, neque per alios indulgentiam poſtulaſſet.

Petri ejus fratris virtutes.

4. Nunc

Digitized by Google

4. Nunc igitur ad Epiſcopum, à quo cœperat ſermo recurrat. Quamvis enim Petrus idem, ut major erat ætate, nihilominus etiam in ardui propoſiti; & diſtrictæ vitæ ſemper præcederet itinere; hic tamen ad ſacerdotalis officii jura promotus, quod in eremo didicit, in eccleſia non omiſit. Eiſdem quippe terebat ſemper membra ciliciis, eiſdem contentus erat perexiguis admodum ac deſpicabilibus indumentis. Plane dum juvenilis ætatis ingruente natura, graviſſimam ſæpe pateretur accediam, laquearibus cellulæ funiculos innectebat, ſicque ulnis inſertis pſalmodiæ ſtudio pendulus inſiſtebat. Numquam adipe, numquam ovis vel caſeo veſcebatur. In eiſdem vero quæ apponebantur eduliis; continens eum frugalitas cruciabat, ut diſcumbens non tam ſe reficeret, quam certaret; & inteſtinum potius eſſet gulæ bellum; quod extrinſecus videbatur eſſe convivium. Sæpe pugnavi, ut ſaltem in hyemalis inclementia frigoris, aut papyrinæ ſibi ſtoreæ ſtramenta ſupponeret, aut veſtitus ſaltem nocte dormiret. At ille in nuda ligni tabula nudus, ſola contentus interula, cubitabat.

An. Ch. MLXIII. XXVI. Jun. Rodulfus epiſcopus.

Mira ejus vitæ auſteritas.

5. Eccleſiam porro deputabat hoſpitium, ſolitudinis autem cellulam habitaculum decernebat. Inconditi ſiquidem mores populi, & indiſciplinatæ cervices leve jugum Domini nequaquam ſibi patiebantur imponi: ſed muneribus terrenis intenti, non ex ore Pontificis Dei verbo, ſed tamquam de manibus præſidis, commodis inhiabant. Hæc enim regio quo magis invenitur aliena divitiis, eo copioſius exuberat vitiis. Ab egeno ſiquidem denominari videtur Eugubium, vel egens bono. Ideoque me vim ingerente coactus eccleſiam, quam dimiſerat voto, retinebat officio; in eremo tamen perſeverantius habitabat. Quandocumque impetrare poterat, ut hujuſmodi panis in eremo fieret, edebat panem, non fratrum, non denique puerorum; ſed eum qui vel ex puro fieret ordeo, vel ex cantabro potius, quod projiciendum canibus de puerorum panibus remanſiſſet: & licet, præter celebriores dies, hoc eſſet quotidie pane contentus, menſuram tamen attentius æquitatis lancibus appendebat. Unde mihi quandoque conqueſtus eſt, quia ſi ſibi menſura concederetur, hunc eumdem panem prurienti gulæ largius indulgeret. Tanta quippe juvenculum hominem caſtigabat inedia, ut undecumque ſolatium alimenti perciperet, vacuo ventre ſtomachus non curaret. Aliquando vero etiam diebus Dominicis pulmentum neſciens, pomis tantum & pane cum aqua vivebat. Ferreo circa pectus circulo jugiter cingebatur; quem tamen circulum ſub ilia dimerſum, dum coram fratribus nudaretur, diligentius occultabat. Numquam ſcilicet capitulo confeſſor intererat, in quo non acciperet diſciplinam; & tunc feſtivus exſultabat, ſi non ab uno tantum, ſed à duobus flagellari fratribus juberetur. Sæpe pœnitentiam centum ſuſcipiebat annorum; quam ſcilicet per viginti dies alliſione ſcoparum, ceteriſque pœnitentiæ remediis perſolvebat. Pſalterium quotidie, cum duo non poſſet, unum ſaltem non negligebat implere. quod nimirum cum eſſet in cellula conſtitutus, armata ſcopis utraque manu, totum cum diſciplina continuare conſueverat.

6. Porro autem cum in expeditione eſſet aliqua conſtitutus, quantalibet intempeſtæ noctis profunditate conſurgeret, nudis ſemper cruribus & pedibus uſque dum diluceſceret, pſallere non ceſſabat. quam videlicet conſuetudinem, dum in cella conſiſteret, diebus ac noctibus ſine ceſſatione ſervabat. Quamlibet gravis bruma rigeſceret; ſimplicibus ſoccis muniebat pedes, cum tamen frater ejus ſolis calceis contentus eſſet. Sæpe me per clementiam Chriſti terribiliter adjurabat, ut ſi quando fortaſſis excederet, nequaquam me ab ejus correptione ſubducerem: ſed omnem in eo diſciplinæ modum, qui monachis debebatur, implerem. Ita plane & re-

ANN. CH. MLXIII. XXVI. JUN.

gulam monachi & auctoritatem Epiſcopi ſub alterna viciſſitudine laudabiliter obſervabat. Opportune ſiquidem & inopportune verbo prædicationis inſtabat; & quidquid domeſticis ſurripere valebat expenſis, & bene prodigus in pauperes diſpergebat. Congregans annualiter ſynodum, nullum aſſuetæ oblationis, vel xeniorum canonem à clericis exigi permittebat; ſed ne à lapſis quidem commodum aliquod, præter ſolam pœnitentiam, requirebat: Abſit, inquiens, ut ſynodum vendam, lapſos etiam potius erigam, quam ex eorum cadaveribus corvino more pinguefcam.. Tædet ulterius ſcribendo procedere, & velut paternas à pictura manus dolor videtur Icareus [a] cohibere.

Obit.

7. His igitur & hujuſmodi virtutum floribus adornatum, quaſi candens lilium immatura mortis pruina decoxit; itaut cum vix triginta plus minus videretur annorum, ad veræ lucis auctorem ex hac infelici luce migrarit. Conſummatus enim in brevi, ſicut Scriptura loquitur, explevit tempora multa, placita enim erat Deo anima illius; & jure conſummatus in brevi multa tempora dicitur expleviſſe: quia dum in eo parvo quod vixit, juſtitiæ tramitem tenuit, quantum ad ſe omnia tempora in obſequium Conditoris expendit. Plane quidquid illic de ſancto viro Sapientia loquitur, ita huic per omnia congruit, ac ſi de illo ſpecialiter diceretur. *Senectus*, inquit, *venerabilis eſt, non diuturna, nec numero annorum computata: Cani ſunt autem ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata placens Deo.* Unde & ſequitur: *Factus dilectus, & vivens inter peccatores, tranſlatus eſt. Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius; propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatis.* (*Sap.* 4.)

[a] Icarus Dædali filius paternis monitis non obtemperans miſere periit. Ex Ovid. Metamorphoſ. lib. 8.

ANN. CH. MLXV. JULII XV.

DE S. ANSUERO ET ALIIS MONACHIS Martyribus Raceſburgi.

Ubi de S. JOHANNE Megalopolitano epiſcopo, &c.

Perſecutio in Slavia.

I. NIHIL *omnino de iis ſanctis viris reſcire licuit, niſi quod fidem ſuam glorioſo martyrio conſignaverint. Id narrat Adamus Bremenſis canonicus, qui ob locorum temporumque viciniam res geſtas perſpectas habere potuit. Refert autem libro 4. Hiſtoriæ eccleſiaſticæ cap.* 11. GOTHESCALCUM *Slavorum principem piiſſimum diu multumque, ut ſibi ſubjectos populos ad fidem Chriſtianam adduceret laboraſſe; atque ea de cauſa cum pleroſque Chriſto lucratus jam fuiſſet, ab iis, qui nondum fide ſuſcepta magno adverſus fideles odio tenebantur, fuiſſe occiſum.* Paſſus eſt, *inquit*, noſter Macchabæus in civitate Leontia VII. Idus Junii, cum preſbytero Ippone, qui ſuper altare immolatus eſt, & aliis multis tam laïcis quam Clericis, qui diverſa pro Chriſto ubique pertulerunt ſupplicia. *In Saxonico Chronico mſ. hæc ad annum* MLXV. *habentur:* Eo tempore interfectus eſt à Paganis princeps Godeſcalcus, vir omni ævo memorabilis, qui magnam partem Sclavoniæ ad divinam religionem converſam habuit. Paſſus eſt autem in civitate Leontia &c. *ut apud Adamum. Leontiam urbem* Lenzin *alio nomine appellant Albertus Stadenſis, Helmoldus & alii auctores, quam* Lentz, *ſeu, ut aliis videtur,* Lvvembourg *fuiſſe putat Ferrarius ad diem* 9. *Julii, qua die horum martyrum memoriam celebrat in Catalogo generali ſanctorum, qui in Martyrologio Romano non ha-*

Godeſcalcus dux martyr.

Digitized by Google

bentur. Eos tamen ex Adamo ceteriſque auctoribus die ſeptima Junii paſſos fuiſſe certum eſt. Godeſcalci uxor, qua Danorum regis filia erat, cum aliis mulieribus diu caſa apud Mikilinburg, *& tandem nuda ad ignominiam dimiſſa fuit, ut narrant Albertus Stadenſis & alii ſcriptores antiqui.* ANN. CH. MLXV. JULII XV.

2. *Ceterum barbari ulterius progreſſi, alias quoque civitates martyrum ſanguine illuſtrarunt.* ANSUERUM monachum & cum eo alios multos apud Raziſburgum ea occaſione lapidatos fuiſſe *memorat idem Adam, & cum eo alii auctores ſupra laudati, quorum paſſionem* Idibus Julii *contigiſſe ſcribunt. Porro veteres illi auctores, multos quidem cum Anſuero paſſos fuiſſe aiunt, ſed quinam illi fuerint martyrii ejus ſocii, non exprimunt, etſi eos monachos ac ipſius Anſueri diſcipulos fuiſſe poſt Crantzium recentiores conſentiant. Idem innuit vetus auctor Chronici Sclavici, quod Adami libris ſubjungitur in vulgatis editis. Ille enim ait cap.* 14. *Anſuerum monachum* cum ſuis *lapidatum fuiſſe. Et quidem Krantzius in ſua Metropoli lib.* 3. *cap.* 3. *non ſolum Razburgi, ſed in aliis quoque Vandaliæ locis monachos ea tempeſtate martyrio affectos fuiſſe teſtatur.* Chriſti, *inquit*, virgines, monachi, ſacerdotes & ubique populus Chriſtianus ſupprimitur. *tum de Anſuero, quem abbatem fuiſſe indicat; Anſuerus* fratrum ſuorum in Ratzeburg major, cum ceteris lapidatur. *Et lib* 4. *cap.* 43. Congregationem fratrum Chriſto ſervientium ſub patre Anſuero *fuiſſe affirmat. quos quidem* fratres *cum Anſuero Raceburgenſem eccleſiam ſuo ſanguine dicaſſe ait capite ſequenti. Eos numero triginta fuiſſe aſſerunt vulgatorum Martyrologiorum ſcriptores, quod unde hauſerint nec illi indicant, nec nobis divinare licet. Totidem recenſet Trithemius lib.* 3. *de viris illuſtribus cap.* 299. *ubi beatum hunc martyrem monaſterii ſancti Georgii prope Rateborch abbatem fuiſſe ſcribit.* Anſuerus &c.

3. *Porro celebre fuit ea occaſione* JOHANNIS *epiſcopi Magnopolitani martyrium, quem barbari cum aliquamdiu quaſi ad triumphum in carcere reſervaſſent, poſtea fuſtibus pro Chriſti confeſſione caſum, deinde per ſingulas Slavorum civitates ad ludibrium ductum, cum à recta fide revocare eum non potuiſſent, truncatis manibus ac pedibus, corpore in platea projecto, in varias in partes diviſerunt, reſervato capite, quod in victoria titulum conto affigentes, Deo ſuo* Redigaſt *immolaverunt.* Hæc, *inquit Adam*, in Metropoli Slavorum Rhetre geſta ſunt IV. Idus Novembris. *Ipſiſſima Adami verba habet Chronographus Saxonicus. Hunc, porro Johannem è Scotia ad Adalbertum archiepiſcopum Hammaburgenſem acceſſiſſe tradunt, à quo benigne ſuſceptus, & ab eo Magnopolitanus ſeu Melkelburgenſis epiſcopus conſtitutus dicitur eo tempore, quo Godeſcalcus ſupra laudatus Slavorum converſionem procurare totis viribus nitebatur, cui operi incumbens Johannes* multa Paganorum millia baptizaſſe *dicitur. Johannis in Saxoniam adventum revocat Chronographus noſter Saxonicus ad annum* MLVII. *ubi hæc habet:* His temporibus Johannes ſenex epiſcopus, peregrinationis amore Scotiam egreſſus, venit in Saxoniam, & clementer ſuſceptus ab Adelberto Bremenſi archiepiſcopo, non multo poſt in Sclaviam ab eo directus eſt ad principem Godeſcalcum, apud quem commoratus, illis diebus multa Paganorum millia baptizaſſe narratur. *Porro idem Johannes à Trithemio in Chronico Hirſaugienſi ad annum* MLXIV. ordinis noſtri *monachus fuiſſe dicitur, quo nomine in Martyrologio Benedictino locum obtinuit. Paſſus eſt ex unanimi auctorum conſenſu die* 10. *Novembris. quo die apud Arnoldum Wionem, Dempſterum, Ferrarium, Dorganium, alioſque vulgatos auctores nomen ejus celebratur. Hugo Menardus in Martyrologio Benedictino & Bucelinus in Menologio die* 23. *Februarii memorant* Meckelnburgi in Saxonia *ſanctum Johannem epiſcopum, & die* 10. *Novembris* Rethræ in Wandalia *Johannem Scotum epiſcopum Magnopolenſem, martyrem &c. ſed falluntur ſi duos Johannes diſtinguunt, & Magnopolim aliam à Meckelburgo urbem putant. Colganus ſuſpicatur die* 23. *Februarii aliquam beati martyris tranſlationem aut inventionem celebrari.* Johannes epiſcopus.

4. *Sed ut ad Anſuerum redeamus, ex unica ejus actione quam illi auctores narrant,*

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXV. Junii XV.

Anſueri caritas.

conjicere licet, quanta fuerit ejus tum in Deum, tum in fratres ſuos caritas. Cum enim, uti illi referunt, ad paſſionem veniret, paganos flagitavit, ut prius ſocii, quos relinquere metuebat, lapidarentur. quibus coronatis, ipſe gaudens cum Stephano genua poſuit, & coronam accepit martyrii ſui. Hujus beati viri brachium integrum apud Stadium in eccleſia beatæ Mariæ virginis jam ſuo tempore aſſervatum fuiſſe tradit in Chronico Albertus & ipſe abbas Stadenſis idem quoque teſtatur vetus auctor Hiſtoriæ archiepiſcoporum Bremenſium.

Martyrii tempus.

5. Anſueri martyrium ſimul cum generali iſta Hammaburgenſis provinciæ clade anno MLXVI. conſignant Albertus Stadenſis in Chronico laudato, & Helmoldus libro I. Chronici Slavorum cap. 24. quam tamen Krantzius libro 4. cap. ultimo, ad annum MLX. revocat. Sed illi auctores annum martyrii horum ſanctorum cum anno Henrici regis octavo & Adalberti archiepiſcopi Hammaburgenſis vigeſimo-ſecundo componunt. quare cum Henricum ſub finem anni MLVI. regnum accepiſſe conſtet, Anſuerum anno MLXV. martyrio affectum fuiſſe potius crediderim. Et quidem id diſerte habetur in Chronico noſtro Saxonico antiqua manu conſcripto, in quo hæc Slavica clades anno MLXV. narratur. ubi etiam perſecutionis auctor dicitur fuiſſe Bluſſo, qui ſororem habebat Godeſcalci. Pluſſonem appellat Albertus Stadenſis. Porro Anſueri martyrium Idibus Julii contigiſſe omnes conſentiunt, quo quidem die in faſtis Benedictinis ejus feſtivitas celebratur. Idem habent Ferrarius in Catalogo ſanctorum & alii, potiſſimum ſeptemtrionalium hiſtoriarum ſcriptores.

6. Porro non eſt quod aliquis nobis objiciat Anſuerum cum ſociis Ordini noſtro gratis annumerari. Id enim non ſolum cenſemus, quod eorum nomina in Martyrologiis tum Arnoldi Vvionis, tum Hugonis Menardi aut in Bucelini Menologio recenſeantur, ſed etiam quod certum ſit Hammaburgenſem eccleſiam à noſtris conditam & diu adminiſtratam; ſobolem Benedictinam ad vicinas civitates & regiones, quæ ad ipſius curam pertinebant, propagaſſe: nec facile quis ſibi perſuadebit, alios monachos, præter Benedictinos tunc temporis in illis partibus floruiſſe. Certe Anſuerum ejuſque ſocios martyres monachos Trithemius, aliique vulgati auctores noſtris ſemper accenſuere.

Ann. Ch. MLXVI. Julii I.

VITA S. THEOBALDI EREMITÆ.

Auctore PETRO abbate Vangadiciæ, æquali.

Ex codd. mſſ. deſcripta.

Theobaldi genus.

1. PARUM fuiſſet Theobaldo ex illuſtriſſima Campaniæ comitum familia prodiiſſe, niſi tantam generis nobilitatem virtutibus & ſanctimonia morum illuſtraſſet: at utrumque in ſe ipſo conjunxiſſe, magna ſane, & laude digna res eſt. Genealogiam ipſius hic exponere, aut fuſius de ipſius Majorum gloria diſſerere non eſt animus: neque enim id ad noſtrum pertinet inſtitutum, nec juvat in memoriam revocare poſt mortem ſancti viri ea, quæ adeo conſtanti animo vivens ipſe deſpexit. Qui tamen ea de re plura cupit, adeat ſi lubet Pithœum & alios auctores, qui ſcripſerunt de Campania comitibus, ex quibus noſtrum Theobaldum originem habuiſſe certum eſt ex ipſo Vitæ ejus auctore.

Vitæ auctor.

2. Hujus beati viri vitam ab auctore æquali, & quidem viro gravi, conſcriptam fuiſſe, vel ex ipſa ejus lectione colligi facile poterat. ſed hunc fuiſſe Petrum abbatem Vangadiciæ, ipſum ſcilicet, qui beatum virum in Italiam advenientem excepit, atque monaſtica veſte donavit, diſcimus ex Tranſlationis ejuſdem beati viri hiſtoria, quam infra exhibebimus, ubi id diſerte aſſeritur: & quidem hæc Vita non eſt tanto viro indigna. Hunc Petrum laudat Ughellus tomo V. Italiæ ſacræ, ubi de Vicentinis epiſcopis; & quidem is ipſe eſt, ut mihi videtur, quem reverentiſſimum virum, qui nunc apud Vincentiam abbatis officio fungitur, appellat Petrus Da-

Digitized by Google

miani in opuſculo XIII. *cap.* 21. *Haud tamen ſitum erat Vangadicia monaſterium in Vicentina urbe, nec cum monaſterio ſanctorum Felicis & Fortunati, quod hodieque ibi ſub Benedictino ordine perſeverat, confundendum eſt. Id manifeſte patet ex ipſa Tranſlationis hiſtoria. Eſt quippe Vangadicia cœnobium ad Atheſim fluvium, beatæ Mariæ ſacrum, quod poſtea ad Camaldulenſes devolutum eſt, ſitum inter Lignilacum & Rhodigium oppida, hodie ad Adrienſem diœceſim pertinens. de quo loco plura Ughellus tomo* 5. *Italiæ ſacræ & Lubinus in Notitia abbatiarum Italiæ. Hoc monaſterium ſuam originem debet ſancto Anſelmo Nonantulenſi abbati, ut dicitur in ejus Vita num.* 6. *quam habes ſæculo* IV. *parte* I. *ad annum* DCCCIII. ANN. CH. MLXVI. JULII I.

3. *Porro Vitam à Petro abbate ſcriptam emendatam & magis, quam antea à Surio edita fuerat, integram proferimus ex codice mſ. clariſſimi viri Menardi civis Turonenſis, quam ad alios codices quinque manuſcriptos contulimus, unum ſcilicet monaſterii ſancti Huberti in Arduenna ſilva, alterum ſancti Ebrulfi in Normannia, quem Uticenſem, ab antiquo loci nomine, in notis appellabimus; tertius codex eſt monaſterii Regii-montis ordinis Ciſtercienſis in diœceſi Bellovacenſi, quartus ex bibliotheca ſancti Sergii monaſterii congregationis noſtræ prope muros Andegavenſes ſiti, quintus denique ex bibliotheca regia. Vitæ ſubjungimus primæ Tranſlationis hiſtoriam, ab auctore item æquali conſcriptam, quod ſatis legentibus patebit, hactenus ineditam, erutam ex duobus mſſ. codicibus, Menardino videlicet & Uticenſi, jam ſupra laudatis. Alteram, aliquot ſcilicet ejuſdem ſancti reliquiarum, Tranſlationem curavit Arnulfus abbas Latiniacenſis & ipſius beati viri frater germanus, cujus hiſtoriam huc quoque proferimus ex codd. Menardino & Regio. Hujus porro hiſtoriæ auctorem ab utroque priori ſcriptore diverſum eſſe probat tum ſtili diverſitas, tum quod illi Itali fuerint, iſte vero Gallus. Ceterum utriuſque hujus Tranſlationis hiſtoriam vetus auctor expreſſit verſibus Gallicis, quos in codice mſ. monaſterii Latiniacenſis invenimus, & contulimus cum iis Hiſtoriis quas hic exhibemus.* Vita, &c. ex mſſ.

4. *Præter hos auctores alii quoque ſcriptores antiqui Theobaldi noſtri ſanctitatem in ſuis ſcriptis laudarunt. ſic de eo habet Trithemius ad annum* MLXVIII. *in nova Chronici Hirſaugienſis editione:* Anno etiam prænotato mortuus eſt ſanctus Theobaldus monachus, pro Chriſti amore apud Vincentiam urbem pluribus annis incluſus; vir certe multarum in Chriſto virtutum: quippe qui verbo & exemplo viam Domini in veritate oſtendit. Mortuus autem infinitis mox cœpit coruſcare miraculis, ob quorum crebram multitudinem catalogo ſanctorum inſcriptus eſt. *Longe majoris eſt momenti Sigeberti Gemblacenſis monachi teſtimonium, qui paullo poſt beati Theobaldi mortem hæc de eo ſcripſit in Chronico ad annum* ML. Sanctus Tietbaldus, inter nobiles Francorum non infimus, hoc tempore clarebat, qui mundo & ſemetipſo abnegato, ſecutus Chriſtum, in Vincentia Venetiæ urbe recluſus, ibi duodecimo converſionis ſuæ anno, beato fine quievit. qui quam acceptò ſervierit Domino, poſt mortem ejus miraculorum prodidit magnitudo. Oſſa ejus in Gallias tranſlata, multam multis in locis venerationem meruerunt. *Eumdem ſanctum laudat Clarius in Chronico ſancti Petri Vivi Senonenſis, ſed mirum eſt ibi Arnulfum, ſancti Theobaldi fratrem, dici abbatem ſanctæ Columbæ prope Senonas, & ad illud monaſterium ejuſdem beati Confeſſoris reliquias ex Italia ab eodem Arnulfo allatas fuiſſe, ut dicemus infra in notis ad num.* 2. *ſecundæ Tranſlationis. Hanc tamen Senonenſium veterem fuiſſe traditionem diſcimus ex alio Senonenſi Chronico, cujus verba numero ſequenti proferemus. Nec omittendum eſt Guiberti abbatis Novigenti, viri celebris, teſtimonium, qui de beato Theobaldo in ſua ipſius vita ſic habet libro* 1. *cap.* 9. Theudebaldus, quem ſanctum hodie univerſi agnominant, ut multæ jam eccleſiæ ſub ejus nomine conſiſtentes ipſum paſſim inſigniant, juvenis genere nobilis exſtitit ante id tempus, qui inter ipſa rudimenta militiæ arma deſpiciens, nudipes à ſuis elabitur, ſupradicto artificio, (*carbonibus ſcilicet faciendis*) per quod aliquamdiu ſub inſolita neceſſitate vita tranſigitur. *Teſtatur ibidem Guibertus hujus beati viri exemplo Ebrardum Britolii in Picardia opidi comitem, abjectis ſecularibus pompis, ad meliorem frugem fuiſſe converſum. qui poſtea in Majori-monaſterio prope Turonos veſtem monaſticam ſuſcepit, ut ibidem proſequitur Guibertus. Denique laudat Ughellus tomo* 5. *Italiæ ſacræ, ubi de Vicentinis epiſcopis, poëtæ cujuſdam verſus, quibus Theobaldi laudes ſic expreſſit.* Alii laudatores.

Venit in Italiam Senonum THEOBALDUS ab oris,
  Et Vicentinis incola manſit agris.
Mente ſuper ſtellas atriis habitabat in amplis,
  Sic docuit multos, ſilvaque ludus erat.

5. *Annum, qui beato Theobaldo ſupremus fuit, diſerte non exprimit Petrus Vitæ auctor, ſed hunc ex notis chronologicis quas profert, colligere haud operoſum erit. Obiit vir ſanctus, inquit ille,* Indictione quarta, regnante Henrico filio Henrici ſecundi in Italia, Philippo autem in Gallia. *At Philippus, qui anno præcedenti Remis vivente adhuc Henrico patre unctus fuerat, patri ſucceſſit anno* MLX. *regnante in Italia Henrico imperatore, alterius Henrici filio. qui anno* MCVI. *è vivis exceſſit, cum adhuc Philippus viveret. ſimul itaque regnaverunt Philippus* Annus mortis.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXVI. Julii I.

& Henricus ab anno MLX. ad MCVI. at intra totum illud temporis intervallum Indictio quarta ter occurrit, primo quidem anno MLXVI. ſecunda vice anno MLXXXI. tertio denique anno MXCVI. Non his duobus poſtremis annis in vivis eſſe potuit Theobaldus, ſiquidem corpus ejus anno MLXXIV. è Vicentina eccleſia Cathedrali in Vangadiciam monaſterium tranſlatum eſt, ut in ipſius Tranſlationis hiſtoria diſertis verbis exprimitur; ſupereſt itaque ſolus annus MLXVI. qui Theobaldi extremus dici poſſit. Idem evincitur ex ejuſdem Vita num. 23. ubi feria ſecunda die tertio Julii reconditum dicitur beati viri corpus in eccleſia majori Vicentinæ urbis. Id enim neque anno MLXXXI. evenire potuit. nam eo anno dies tertia Julii in ſabbatum incidebat; multominus anno MXCVI: quo eadem III. Julii dies feria quinta contigit. Optime vero congruit anno MLXVI. quo, cum littera dominicalis fuerit A, quæ diei ſecundæ menſis Julii reſpondet, dies ejuſdem menſis tertia cum feria ſecunda concurrebat. quæ computatio confirmatur ex vetuſto Chronico ſanctæ Columbæ Senonenſis in mſ. codice Chriſtinæ Sueciæ Reginæ, nunc Ottobonianæ bibliotheca, ubi legitur: Anno MLXVI. ſanctus Theobaldus nobilis genere, recluſus in Vincentiæ Venetiæ 12. converſionis ſuæ anno obiit: miraculis clarus, oſſa ejus in Franciam deferuntur. At tranſlationem anno MLXXVIII. conſignat his verbis: Arnulfus abbas ſanctæ Columbæ oſſa ſancti Theobaldi fratris ſui ab Italia defert. Eumdem annum MLXVI. aſſignat Sigebertus in Chronico, quamvis hæc verba non habeantur in omnibus codicibus. ſic autem habent nonnulli ad prædictum annum: Obiit ſanctus Tietbaldus in Vincentia Venetiæ urbe recluſus.

Dies. 6. Difficilius erit diem aſſignare quo beatus Confeſſor ad ſuperos abiit, idque ob codicum varietatem, quorum alii eum die II. Kalendarum Juliarum, alii ipſis Kalendis Julii defunctum aſſerunt. hæc difficultas martyrologiorum ope ſolvi non poteſt, cum Theobaldi nomen utroque die in diverſis martyrologiis memoretur. Nec exiſtimandum eſt hanc diverſitatem ex eo proceſſiſſe, quod vir beatus die ultima Junii è vivis exceſſerit, & poſtridie depoſitus ſeu ſepultus fuerit. Diſertis quippe verbis auctor ait eum die 3. Julii in majori Vicentinæ urbis eccleſia depoſitum fuiſſe. Crediderim potius hoc ideo contigiſſe, quod vir beatus in ipſa nocte obierit, quæ fuit media inter ultimam Junii diem & primam Julii. Hac ipſa die 1. Julii memoratur in Martyrologio Corbeienſi à Nevelone ab annis circiter 600. ſcripto. Ejus feſtivitas non ſolum in eccleſia Vicentina, ut obſervat Ughellus in Italia ſacra tomo 5. ſed etiam à noſtris Latiniacenſibus die 1. Julii celebratur. Eſt autem Latiniacum opidum ad Matronam, vulgo Lagni, in diœceſi Pariſina & pago Briegenſi, ubi hodieque perſeverat monaſterium Ordinis Benedictini ſub noſtra ſancti Mauri Congregatione, de quo actum eſt Sæc. 2. ubi de ſancto Furſeo ejuſdem loci primo abbate.

Cultus. 7. Ceterum Theobaldus ſtatim poſt obitum, crebreſcentibus ad ejus ſacrum corpus miraculis, pro ſancto habitus fuit, tametſi nonniſi poſt centum circiter annos ſanctorum catalogo à Pontifice Romano adſcriptus ſollemniter fuerit. Id præſtitit Alexander III. cujus ea de re diploma ex ſæpius laudato Menardino codice mſ. ad calcem Vitæ & Tranſlationum hiſtoriæ proferemus. Unde mirum eſt nomen beati Theobaldi in Martyrologio Romano numquam fuiſſe adſcriptum, quod tamen in aliis tum Italicis, tum Gallicis, ſicut & in Faſtis Benedictinis reperitur. Eccleſiæ ſub ejus patrocinio Deo ſacratæ paſſim habentur in Galliis, quarum nonnullæ paucis poſt ejus obitum annis conditæ fuerunt. Unam ex his memorat Louvetus in Hiſtoria Bellovacenſi tomo 2. cap. 1. ubi fundationis chartam exhibet. Altare vero ejus nomini dicatum etiamnunc perſtat in eccleſia cathedrali Vicentinæ, cum ejuſdem ſancti elogio ibidem appenſo, quod Ughellus tomo 5. Italiæ ſacræ refert columna 1109.

PROLOGUS.

a Deſcribenda ſanctorum geſta.

1. ANtiquos dominos [a] & bellicoſos gentium victores, vel civitatum conditores novimus loquacium Poëtarum præconiis, ut ita dicam, ad ſidera tolli, & longiſſimis annalium ſive hiſtoriarum ambagibus ad memoriam præſentium verbis crepitantibus audivimus frequenter vaniſſimo ſtudio lectitando laudari. Quod ſi laudes falſorum deorum, ſeu ſuorum ſatellitum, tanta efficacia verborum adornantur, cur non potius ad ædificationem audientium Dei omnipotentis gratuita dona, quæ ſuis fidelibus quotidie præparare non deſinit, omni elegantia ſermonis, prout ipſe annuerit, debemus enarrare? Verus enim propheta & Salvator mundi, dum de quinque panibus & duobus piſcibus quinque millia hominum ſatiaſſet, turbis quærentibus ſe regem

Joan. 6. conſtituere, ait: *Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam*

[a] In cod. S. Huberti deeſt Prologus. Codd. Menard. & Regii-montis habent *Armorum dominos, &c.*

æternam. Et poſt pauca; *Pater*, inquit, *meus uſque modo operatur, & ego operor.* Ann. Ch. MLXVI. Julii I.
Vere enim uſque modo operatur qui ſine teſtimonio bonitatis ſuæ nullum ordinem ſæculorum præterire patitur, qui Eccleſiæ decus in Patriarchis & Prophetis inchoat, in Apoſtolica fide ſolidat, in Martyrum victoria coronat, in Confeſſorum munditia decorat, in Virginum floribus exornat. Vere inquam * uſque modo operatur, qui Eccleſiam ſuam in bello roſis ambit, & in pace liliis veſtit. Unde ipſa ſponſa, Dei ſcilicet Eccleſia, amoris telo vulnerata, ſanctis prædicatoribus ait: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Per florem quippe tenera virtus inchoantium, per malum vero ſolida operatio perfectorum deſignatur. Eccleſia ergo fulciri ſe floribus poſtulat, quia infirmis quibuſque inchoantium virtutem prædicari imperat; ſtipari malis appetit, quia perfectorum mira facta fidelibus imitanda proponit. Scripturus [a] itaque vitam ſancti Theobaldi, primum reſpondeo quorumdam ſtultorum calumniis, qui domnum Theobaldum [ſanctum] omnimodo evitant appellare. Quibus confidenter dico quia ſimiles ſunt Phariſæis, qui de Domino dicebant: Hunc neſcimus unde ſit. Sed quod in capite noſtro, quod eſt Chriſtus Jeſus, fieri novimus, in membris ejus contingere non miramur. Quid ipſe in membris Chriſti non audeat, qui per membra ſua qui ſunt reprobi, in capite, id eſt in ſummo bono, dicere præſumebat quia bonus non erat. Non ergo longum quæratur dubium in ævum, utrum vir illuſtris ſanctus debeat appellari. Nam ſi iſte cognovit juſtitias, ſi vidit & fecit, ut conſtat, mirabilia magna; ſi exoravit Altiſſimum; liquido colligitur quia inventus eſt in numero ſanctorum.

* al. enim.

Cant. 2.

INCIPIT VITA.

2. Sanctus igitur Theobaldus ante mundi conſtitutionem præſcientia Dei electus, gente Francorum, patre Arnulfo & matre Vvilla oriundus, in territorio Senonenſi [b], caſtro Pruvino educatus, flos ut ita dicam è ſpinis erupit. Parentibus enim non ſolum nobilibus, verum etiam clariſſimis atque ditiſſimis enituit. Cujus nativitatem à ſancto Theobaldo [c] Viennenſi epiſcopo veracium procul dubio familiarium ejus relatione, & firmius matris ejuſdem beati aſſertione prænunciatam comperimus. Is etenim præſul avunculus aviæ ſancti Theobaldi exſtitit, & ab eodem æquivoci nominis vocabulum ſortitus eſt. Qui dum aliquando colloquium haberet cum matre domnæ Vvillæ hujus beati viri genitricis, inter cetera ait: O generoſa parens gaude & lætare, quia ex te prodiet mater, quæ paritura eſt magni meriti filium, qui omnibus noſtræ affinitatis hominibus præeminebit, & ante Deum & homines magnus vocabitur & erit. Huic præſagio teſtimonium perhibuit & quædam bonæ voluntatis paupercula, quæ jam gravidam matrem beati viri conveniens, verbis ſic ſolatur amicis. Gaude, domina, inquiens, quæ in utero geſtas filium, qui apud Deum præcipuum obtinebit locum, & ſuorum erit gloria parentum. O decus & dulcedo nectarea! beatus Theobaldus à ſancto præſule prædicitur, à paupercula, illi Evangelicæ viduæ æquiparanda prænunciatur: ut veraciter credatur illius eſſe membrum, qui à prophetis eſt prænuntiatus, ab Angelo annuntiatus, ab exercitu cæleſtis militiæ collaudatus, à ſtella

Theobaldi parentes.

a Quæ ſequuntur deſunt in codd. Uticenſi, S. Sergii Andegav. & Regii-montis ſed poſt hanc vocem *proponit*, ſic ibi prologus concluditur: *Igitur ne ſtudioſas audientium aures verborum circumlocutionibus offendam, ſimpliciter ac fideliter, prout Deus conceſſerit, cur iſta prælibaverimus, aperiamus.* In iiſdem codd. ſicut & in Hubertino præter Uticenſem, ſic incipit Vita: *Igitur Theobaldus, &c.*

b Codd. 3. habent in *comitatu Tricaſſino.* Utrumque verum. comites Trecenſes, qui poſtea Campaniæ dicti ſunt, ſub ſua ditione Pruvinum Senonenſis diœceſeos opidum habebant.

c Theobaldus Viennenſis epiſcopus inter ſanctos memoratur apud Ferrarium in catalogo generali Sanctorum diebus 1. & 3. Julii. Hic videtur fuiſſe Odonis comitis Campaniæ, Majoris-monaſterii apud Turones reparatoris & Bertæ ejus uxoris filius, qui ſub ſæculi præcedentis finem floruerunt.

Digitized by Google

declaratus, à Magis adoratus, brachiiſque ſenis Simeonis bajulatus, & ab Anna vidua in templo agnitus.

Ejus ætas, patria & genus.

3. Libet [a] nunc paullo altius ad locum unde ortus eſt redire, & nomina Regum vel principum, quorum temporibus floruit ponere; ut & Chronicæ ſcientiam poſteris relinquamus, & ad laudem beati viri, ex quanta genealogia prodierit, & ex quali ambitione ſæculi ad voluntariam paupertatem converſus fuerit, clarius enucleare ſatagamus. Pruvinum caſtrum in diœceſi Senonenſi ſitum, & populoſa ſatis frequentia refertum; ſub ditione fuit olim potentis & famoſi ODONIS Comitis Campaniæ [b] & patris THEOBALDI, ſibi in comitatu ſucceſſoris, qui linea natalium hujus ſancti viri erant propinqui. Felix ergo puer felici auſpicio progenitus, renaſcitur Deo ex aqua & ſancto Spiritu, magni præſulis Viennenſis Theobaldi, ſcilicet præſagi ſui, ejus quoque æquivoci THEOBALDI Comitis, utpote cognati ſui, nomen ſortitus, à quo etiam de ſacro fonte levatur. Viguit autem temporibus HENRICI Auguſti, & ejus æquivoci HENRICI regis Francorum, & filii ejus PHILIPPI. Qui ut adoleſcentiæ attigit metam, non laſciviam ſectatus eſt mundi, ſed potius quicquid præceptorum Dei auditu poterat percipere, velut apes prudentiſſima in alveario memoriæ ſtudebat convehere.

Cupit eſſe eremita.

4. Movebat animum adoleſcentis maxime eremitarum ſolitudo, quorum initium exſtitit Elias & Johannes Baptiſta, & poſt eos Paulus & Antonius. Æmulabatur eorum tenuitatem in victu, aſperitatem in veſtitu, theoreticæ vitæ quietem, & Angelorum in ſolitudine contubernium. His igitur [c] & hujuſcemodi facibus accenſus, clandeſtina diſceſſione adiit quemdam eremitam [d] in quadam inſula Sequanæ latitantem; cui cordis ſui aperuit ardorem, non comburentem ſed illuminantem. Cumque conſilio inito, & aſſumto VVALTERO; quodam milite ſuo, aſcenſis utique equis cum ſingulis armigeris Remis civitatem pervenerunt. Deo ergo ſoli jam militans Theobaldus; relicta domo, patre, matre, fratribus, cognatis, mancipiis, ampliſſimiſque prædiis, cum omnibus ſæculi pompis, quaſi proximo Paſcha accincturus militiæ cingulum, cum jam dicto ſocio iter arripuit. Cumque foras muros urbis Remenſis apud ſancti Remigii ſuburbium [e] hoſpitarentur; prætenta occaſione alloquendorum amicorum, armigeris atque equis in hoſpitio relictis, pedeſtri itinere noctu ad anteriora tentaverunt progredi. ubi inventis duobus peregrinis, exuti ſuis optimis ac militaribus indumentis, illorumque commutatis, reſarcitis & vilibus, Cæſarem exuunt & Chriſtum induunt [f], & nudis pedibus pervenerunt ad locum qui dicitur Picingo [g] in Teutonicorum videlicet regno. Ibique multo tempore voluntariam paupertatem pro Chriſti amore ſuſtinentes; cum multo labore victum ſibi quæritabant. Nam ſicut generaliter, non ſpecialiter de Joſeph, canitur in pſalmo: *Manus ejus in cophino ſervierunt.* ita iſti uſque ad viliſſima ac laborioſiſſima ruſticorum opera devoluti ſunt, ſcilicet lapides ferendo, fœnum ex pratis ſecando, ſtabula curando, & maxime,

Patriam relinquit. *Remos pergit.* *Pſal. 80. 7.*

[a] Hæc uſque ad *Qui ut adoleſcentiæ, &c.* deſunt in cod. regio.

[b] Codd. Hubertin. Regiimontis, S. Sergii & Uticenſis ſic habent: *Odonis famoſi comitis Campaniæ, cujus propinquum beatum virum fuiſſe clarum eſt. Viguit, &c.* Is eſt Odo II. vulgo *Campanus* dictus, Odonis cujus in præcedenti nota meminimus, filius. prope Barrum occiſus, & in Majori-monaſterio juxta patrem ſepultus.

[c] Codex Menard. *Tanta deinde Dei æmulatione preces ſanctus Deo dignus Theobaldus æmulatus, clandeſtina, &c.*

[d] Hic codex Uticenſis nomen profert eremitæ, quod alii codices tacent, *nomine Burchardum, qui poſtea effectus eſt monachus in monaſterio ſancti Petri Senonenſis, quod dicitur Vivi, in quadam, &c.*

[e] Hæc lectio cod. Menard. videtur optima. tunc enim S. Remigii ſuburbium ab urbe erat diſtinctum. Ceteri codices habent: *cumque apud ſanctum Remigium in prædicta urbe hoſpitati fuiſſent.*

[f] Sic Reg. & Menard. at Regiimont. & S. Sergii habent: *illorumque induti reſarcitis, ut ita dixerim, rapinis, nudis, &c.* Uticenſis cum Surio pro *rapinis* habet *tapinis*. Hubert. *Sarcinis, ut ita dixerim tapinis nudis, pervenerunt, &c.*

[g] Hæc vox varie in variis codd. ſcribitur. codex Menard. *Picingo*. Reg. Uticenſ. S. Sergii, & Surius *Pitingo*. Hubert. *Ptango*. Regiimont. *Ptango*. quæ ex his lectio ſit præferenda, divinent alii.

ut

ut idem beatus ſimpliciter poſtea referebat, carbones ad opera fabrilia faciendo, victum ſibi cum parvo cenſu providebant.

5. Contigit [a] autem, ut ad vineas herbis inutilibus & ſuperfluis purgandas, cum ſodali à patrefamilias conduceretur: qui in commiſſa ſibi parte genibus debilitatis, dorſo inclinato dolente, excruciatis quoque nudis manibus in herbarum eradicatione, pedibus itidem nudis per ſentes & ſilices excoriatis, cum jam gravante opere deficere videretur, operariorum cuſtos vir profanæ mentis accurrit, & nobilis juvenis dorſum & humeros, ſtimulo quem tenebat aculeato, ſine miſericordia cædere ac frequenter cœpit pungere; & ita ad ſociorum ordinem ſine reſpiratione cogere. Quod videns Vvalterus collega ejus, vehementer ingemuit, & flebilibus vocibus cuſtodem oravit, ut juveni parceret, non longo tempore operi aſſueto, de cujus parte quod deficeret, ſuo expleto ordine ipſe perficeret. Impius autem nihilominus cædebat. alter enim alterius linguam non intelligebat. Et tamen ſi cor ejus pietas innata moviſſet, ex obortis ejus lacrymis compaſſionem habuiſſet. Vir autem miræ patientiæ pro nomine Domini vulnera cum verberibus ſuſtinens, opus debitum prout vires ſuppeditabant exercens, cum Pſalmiſta dicere poterat: *Poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro, impoſuiſti homines ſuper capita noſtra.* Unde ſuis familiaribus referre ſolebat, quia in hac convalle lacrymarum, dum ſic cædebatur, fructus dignos pœnitentiæ faciebat.

a In Teutonico regno vexatur.

Pſal. 65. 11.

6. In præfato igitur loco Teutonicorum aliquamdiu commoratus, tenuiſſimo nummorum collecto quæſtu, ad ſepulcrum ſancti Jacobi in Gallicia Hiſpaniæ partis nudis, ut jam diximus, pedibus, cum ſocio perrexit. Cumque inde reverterentur, in itinere humana ſpecie aſſumta diabolus per obliquum in via ſe proſternens, compulit virum Dei ruere. Illo Chriſti nomen invocante, crucisque ſigno ſe muniente; malignus hoſtis velut fumus evanuit. Nec mirum, ſi viro Dei præparavit caſum, qui Domino noſtro Jeſu-Chriſto auſus eſt ſuadere dicens: *Si filius Dei es, mitte te deorſum* [b]. Deinde cum duobus ſociis poſt duorum inediam dierum itinere fatigatus, fame & ſiti afflictus deficiebat in via. Cum autem veniſſet Arvernis & comites aliquantulum præcederet, panem in via in orbita plauſtri à Deo ſibi præparatum invenit. Unde in Chriſto vehementer confortatus, primum gratias egit, dehinc ſumit panem ad veſcendum ſuavem; & quia prope erat rivulus aquæ, ſocios ad reficiendum invitavit. Perquirentibus illis, tamquam deſperatis, quo pane veſcerentur in ſolitudine, ubi nec villa prope erat nec civitas: Hoc, inquit. Et panem, qui ſub veſte latebat oſtendit. Supra modum attoniti unde panem repeiſſet, ad ſe reverſi intelligunt Angelicam adminiſtrationem fuiſſe, & ſolatium vitæ per meritum ſancti Theobaldi Dominum ſervis ſuis præſtitiſſe. Hoc pane & fonte aquæ refocillati, erectis viribus ad cetera toleranda robuſtiores ſunt effecti.

Variis in regionibus peregrinatur.

Matth. 4. *b*

7. Quo poſtea dolo patri primum fuit indicatus & oſtenſus, ſubſequens ordo perorabit. Nitens virtutum gradibus ad altiora vir bonæ voluntatis, monere cœpit jam dictum conſodalem ſui propoſiti conſcium, ut inter pauperes Chriſti ſibi clericum quæreret, qui eum litteras doceret: litteratos dicens ad mandata divina percipienda proniores, & melius percipiendo ad obediendum devotiores. Quod collega feſtinare ſtuduit, & magiſtrum qui ſeptem pſalmos, quos Pœnitentiales ſancta vocat ſimplicitas, do-

A patre detegitur.

a Totus hic numerus in ſolo codice Menardi habetur.

b Quæ ſequuntur uſque ad hæc verba num. 8. *Roma regreſſus, &c.* in ſolo codice Menardi habentur. Ceteri ſic paucis verbis hæc omnia concludunt: *Treveris demum urbem cum collega repetens, reperto ibi patre, admodum contriſtatus eſt. Romam deinde regreſſus deſiderio, &c.* Codex Regiimontis: *Treveris reperit ibi ſuum genitorem, qui gemendo eum requirebat. Unde valde contriſtatus, Romanique, &c.* Plura omittit codex regius.

ANN. CH. MLXVI. JULII I.

ceret exhibuit. Omnibus plane brevi tempore edoctis, pſalterio indiguit, nec ad manum habebat unde comparare potuiſſet. Ad hoc Vvalterius latenter ſimplicis viri magiſtro perſuaſit, ut ad Gallias tenderet, caſtrum Pruvinum perquireret, & Arnulfum patrem ejus conveniens filio pſalterium tranſmittere intimaret. Ille feſtinans parere, diſcipulum ſanctum adiit, licentiam ſibi dari poſtulans ut Gallias inviſeret. Qua data, & mandato accepto quod patri deferret & matri aliiſque in Chriſto amicis: Quid, ait, memoriale tuo patri mittis & matri? Nihil, inquit, habeo quod mittam præter hunc panem. Deo amabilis Theobaldus & voluntarius Chriſti pauper à quodam monaſterio panem unum acceperat, caritatis munus. quem acceptum magiſter ejus VVALTERUS [a] parentibus pro benedictione detulit. Qui de tanti filii vitâ inquiſita Deo gratias agentes, panem tranſmiſſum pro ſummis donis receperunt, & confitendo de Chriſti miſericordia & de filii merito experti ſunt. quia quicumque de pane illo comederunt, quaſi medicamento ſalutis æternæ, ab omni genere febrium ſanati ſunt. Tunc patrem deſiderio filium videndi tabeſcentem Treveris deduxit, eumque extra civitatem ſub ulmo, ubi propter importunitatem ſupervenientium ſanctus Theobaldus legere conſueverat, abſcondit. Poſtea columbinæ ſimplicitatis diſcipulum hac pia arte deluſit. Monet eum ad locum conſuetum ire & meditationi ſuæ opportunum; prætendens ſe velle audire quid interim profecerat in lectione. Qui dum iret, multotiens ſubſtitit. Noverat enim prophetali ſpiritu, & prædicebat quia quod nollet hoc in itinere videret. Invitus tamen & renitens ad locum pervenit, patrem cum militibus jacendo frena tenentibus offendit. Triſtis vehementer effectus: Tradidiſtis me iniqui, tradidiſtis me, duces mei. Concito gradu ſic loquendo revertebatur. Quod videns pater, lacrymis proſequebatur. O cariſſime fili, quem fugis & cur fugis, patrem fugis non hoſtem. Nolo, fili, à deſiderio tuo revocare te; Nolo, fili, à bono propoſito fraudare te; liceat, fili, vel ſemel videre te, ore ad os loqui, & totiens deſideratum vidiſſe filium mæſtæ parenti renuntiare me. Movebant enim patris affectum nudi pedes filii, & plantæ excruciatæ. Cui ille inter eundum: Noli, domine, inquit, (patrem enim non vocavit ſibi ex quo eum reliquit, quia didicerat: *Nolite vocare vobis patrem ſuper terram. Unus eſt enim Pater veſter, qui in cælis eſt*,) Noli, domine, inquietare me, vade in pace, & me in Chriſto pacem habere permitte. Ad quæ pater: Tu, inquit, fili omnibus indiges, nos multa poſſidemus. Si ſaltem propter parentum memoriam aliquid placeret, libenter miniſtraremus. Cui filius: Si, inquit, quod ſemel dimiſi propter Deum iterum aſſumam, canis ero reverſus ad vomitum. his dictis, patris viſum & colloquium evaſit. Socius autem ejus paullulum ſubſiſtens indicavit patri, ut filio pſalterium perquireret, quia hoc ſolo indigeret. Dedit pater lætus & triſtis, ſatur & jejunus viſu & allocutione filii.

Matth. 23. 9.

Romam petit.

8. Præcavens igitur in futurum venerabilis confeſſor Theobaldus, ne parentum aut amicorum importunitatem amplius pateretur, notato à patre loco, hac devotione Romam abiit, ut longiorem aggrederetur peregrinationem. Sed Dei clementia medicum ad exemplum ſanctæ converſationis noſtris partibus reſervabat. Nam impie & miſere cæſus per tota membra tranſire non potuit, & propter multa incommoda Roma regreſſus, deſiderio viſendi ſepulcrum Filii Dei Venetiam, quaſi mare tranſiturus expetiit. Qui in hac intentione fines Italiæ percurrens, tandem pervenit ad locum, cui vetuſtas Sallaniga [b] nomen indidit. Perluſtrato vero loco, & divina, ut credimus, diſpoſitione adamato, reperit ſaltum adeo ſpatioſum & rui-

[b] Subſiſtit in ſolitudine.

[a] Vvalterus hic, niſi hæc vox errore librario irrepſerit, à Vvalterio Theobaldi ſocio diſtinguendus eſt.

[b] Sic codex Menard. Sed Utic. *Salanica*. Hubert. *Sallanica*. S. Sergii *Sallavica*. Regiim. *Salluniga*.

Digitized by Google

nas quaſi veteris eccleſiæ, ubi poſt longinqui itineris fatigationem reſedit [a], Vvaltero collega ſuo jam deficiente, tot & tam graviſſimis laboribus ætate refragante. Qui ultra progredi cum denegaret, cum ſancti viri aſſenſu Veronenſem civitatem expetiit, & dominum loci perquirens, qui ſint, quid velint aperuit: ſcilicet peregrinos ſe eſſe, Deo in ſolitudine velle deſervire, ſi locum permittat in poſſeſſione ſua, quem Dei miſericordia elegerant. Hoc itaque impetrato, vir Dei Theobaldus compacto parvo tugurio, confidenter ibidem habitare cœpit, & angelicam vitam in terris actitare inchoavit. Primum à carne & omni pinguedine ſe abſtinuit, demum vero pane ordeaceo & aqua tantummodo uſus eſt: ad poſtremum à pane & omni potu abſtinens, fructibus tantum & herbis earumque radicibus aliquantis vixit annis, ſemper uſus cilicio. ANN. CHR. MLXVI. JULII I. [a]

9. Jam vero quis digne explicet quas cruces corpori ſuo ſævus perſecutor [illegible]duxerit. Sciens enim quia caro concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem, multifido flagello ex corio facto corpus ſæpius flagellabat, & carnem tribulando ſine miſericordia perſequebatur & affligebat. Sic crucis mortificationem in membris ſuis portans, die in fame & ſiti, in verberibus plurimis corpus contriſtavit; nocte vero, quæ omnibus requiei data eſt, toto quinquennio, ut fideles ejus familiares teſtantur, numquam jacendo ſed ſedendo ſomnum cepit, & hoc tanta peregit cautela, ut quaſi tota nocte in ſomno manſurus, diligenter pannis à familiari miniſtro operiretur. Poſt abſceſſum vero miniſtri ſui ſtatim exſurgens, conticinii tempora in precibus & Dei laudibus extenſis manibus continuabat. Hora vero ſurgendi ad matutinos hymnos, ut ſuos lateret, ad ſtratum proprium regrediebatur. Illud autem ſtratum primo quidem quædam arca æqualis ſuperficiei exſtitit, ſubſtrato quodam lineo linteolo, & duriſſimo trunco pro cervicali capiti admoto, ſuperappoſito laneo pileo ſuæ peregrinationis ab æſtu defenſore. Demum vero cum omnia corporis membra, ut ita fatear, cilicio armaſſet, ſupradicto lineo linteolo ſuppoſuit cilicium, & pro arca uſus eſt quodam lato & dolatili ligno. *Pia ejus exercitia.*

10. Biennio autem expleto, ex quo vir Dei jam dictum cœperat incolere locum, ſocius ejus Vvalterius in ſancta religione cum bona confeſſione naturæ ſolvit debitum, &, ut credimus, conjunctus eſt numero fidelium. Quo tempore [b] contigit Mediolanenſes aliquot ad ſanctum Marcum * orationis gratia euntes, audita fama ſancti viri odorifera, ad eumdem locum, ſicut ex diverſis partibus ad eum confluebant, accedere. Omnibus primum interius verbo Dei ſufficienter refectis, deinde exterius carnis refectionem ſumentibus, ſicut mos erat viro caritatis nihil habenti & omnia poſſidenti, præcepit cuidam diacono, nomine Dionyſio, qui eum litteras docebat, potum adminiſtrari. Qui mandatis ſancti Patris non parebat, quia unde propinaret hoſpitibus vinum non habebat. Ipſe enim nocte præcedente vaſculum ubi vinum fuerat totum cum ſitiret everterat, & unde alii miniſtraretur non dimiſerat. Tunc bis & ter admonitus, propter improbitatem Patris obediens præceptis, ad vaſculum acceſſit, & ex toto plenum invenit quod vacuum ex toto reliquerat. Ad quod incautius utpote inſcius accedens, vino cum impetu ſaliente gremium totum reſperſit: Tanto miraculo ſtupefactus, cum timore hoſpitibus miniſtravit. Unde peregrini plene refecti ſunt, & fratres de reliquo per tres hebdomadas vixerunt. *Socius ejus pie obit.* [b] * *Venetias.* *Vinum miraculo productum.*

11. Beato [c] igitur Theobaldo non defuere tentamenta antiqui hoſtis, ne videretur expers illius beatitudinis, de qua Jacobus apoſtolus ait: *Bea-* [c] *Jacobi* I.

[a] Sic Menard. ceteri brevius: *reſedit. Et à dominis loci habitationis domum ſibi petens, libenter illis concedentibus impetravit. Compacto vero parvo tugurio, &c.*

[b] Quæ ſequuntur uſque ad num. II. habent ſoli codd. Reg. & Menard.

[c] Sequentes 2. numeri deſunt in Reg.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXVI. Julii I.

tus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. Nempe quadam nocte ipſo in ſtratu recumbente, nec tamen dormiente, malignus ſpiritus magna vi quatiens parietem affuit, & virum Dei ad nocturnales hymnos nominatim compellens ſurgere hortabatur. Cumque ille motus his clamoribus, quemdam ex fratribus ſe vocare putaret, ad cellulam ejus properavit, huncque quieſcentem obſerato oſtio invenit. Diabolica igitur cognita illuſione, Trinitatem ſanctam invocavit, hoſtem muniendo ſe crucis ſigno fugavit, & eum quaſi ruſticorum multitudinem ſecuribus ſilvam proſternentium diſcedere audivit.

Signo crucis diabolum fugat.

12. Quodam tempore Sancto legationem pacis agente, dum in plauſtro ſedens apud Leonicum caſtrum flumen Novum tranſiret, nam præ defectione pedum non valebat longius progredi, diabolus eum in flumine conatus eſt præcipitare; una enim ex rotis plauſtri ſubito nuſquam comparuit. Tamen non prævaluit inimicus, ut virum ſanctum aliquatenus humectaret, ſed ita à voragine fluminis ac ſi levis pluma, ſine birota inhumectatus exſilivit.

13. Hactenus [a] in nocte laborum vel tentationum narrationis iter direximus, nunc ad ea qua plena ſunt gaudiis, ſicut in die honeſte ambulantes, ſuccingamur. Sæpe & frequentius, ut veraces & cauti ejus familiares Chriſto teſte affirmant, viſione angelica hic beatus meruit viſitari, & aliquando in ſpecie columbæ, aliquando in ſpecie viri, & in aliis ſchematibus, quæ ipſe ſolus noverat, ſupernorum ſpirituum affatibus dignus fuit mulceri. Unde [b] divina diſpoſitione actum eſt, ut proficientibus meritis omnes eccleſiaſticos gradus uſque ad ſacerdotium in Vincentina eccleſia adipiſceretur, præſidente ejuſdem eccleſiæ cathedræ LIUTICHERICO præſule, viro in eccleſiaſticis & ſæcularibus negotiis ſtrenuiſſimo.

Viſionibus cælicis recreatur.

Fit ſacerdos.

14. Quadam autem die dum ſua commiſſa lugeret, & more filiæ Caleph irriguum inferius & irriguum ſuperius poſtularet, vox ad eum facta eſt dicens: Noli flere, dimiſſa ſunt tibi peccata tua. Eodem tempore ſanctus Hermagoras & ſanctus Fortunatus [c], in quorum honore oratorium cellulæ ejus habebatur conſecratum, cum magna claritate ei apparuerunt, atque dixerunt: Gratiam & benedictionem à Domino conſequaris, qui tam ſedulo noſtri memoria huic eccleſiæ deſervis.

Joſue 15.

15. Ea tempeſtate quidam ejus miniſter, nomine Odo *, nimia febris & fici afflictus erat infirmitate, ita ut impromptu putaretur vitam exhalare. Cumque ſæpius precaretur Sanctum pro ſe orare, primo quidem renuit, & columbina ut erat ſimplicitate reſpondit: Dei voluntati contraire timeo, cujus nutu te infirmum eſſe cognoſco. At ubi ingraveſcente morbo mortem imminere fideli miniſtro vidit, dolens de ejus abſentia, juſſit eum ferri ad eccleſiam. Cumque eo præſente Miſſarum ſollemnia celebraſſet, myſteriis Chriſti illum participavit. Eadem hora frater ad cellulam ſuis pedibus rediit, qui aliorum adminiculo vix fuerat ad eccleſiam delatus.

* *Utic.* Rodo.

Moribundum ſanat.

16. A Celſano [d] caſtro ad ſanctum virum preſbyter unus advenerat, nomine Henricus, oculorum lumine privatus. A quo cum levamen infortunii ſui impetrare nequiviſſet, ſancto viro renitente, & ſanctorum hoc opus eſſe non ſuum proteſtante, à fidelibus miniſtris aquam manuum ejus fide-

Et cæcum.

[a] Totus hic numerus deeſt in codice Regiimontis.

[b] Quæ hic in cod. Menard. & Reg de Theobaldi ordinatione habentur, in aliis codd referuntur ſupra num. 8. poſt hæc verba *ſemper uſus cilicio.* Porro epiſcopus Vicentiæ hic memoratus, in Reg. *Liuticherius*; ab Ughello tomo 5. Italiæ ſacræ dicitur *Sindicherius*, qui cœnobium ſancti Petri, monialium Ordinis noſtri inſtauravit anno 1054.

[c] Ii ſunt Aquilegienſis eccleſiæ patroni, quorum prior ejuſdem urbis primus epiſcopus, dicitur à ſancto Marco inſtitutus & ſub Nerone paſſus, colitur die 12. Julii. Alter cum ſuo fratre Felice, ſub Diocletiano martyrium pertulit, die 11. Junii. Porro hic num. & ſeqq. ad 21. deſunt in cod. regio.

[d] Hoc miraculum in duobus ſolummodo codd. habetur, Regii-montis ſcilicet & Menard. ſequens vero in unico Menard.

Digitized by Google

liter & latenter expetiit, more illius mulieris, quæ furtim per tactum Dominicæ fimbriæ ſanata eſt. Qua vero, Sancto ignorante, data, ille cæcos orbes lavit, & vidit Dei magnalia, & ſancti viri merita in reparatione luminis prædicavit. ANN. CH. MLXVI. JULII I.

17. Miles quidam de Alonta, virum Dei pro filio uſque ad mortem infirmato rogaturus expetiit, cui etiam ad eccleſiæ ſervitium munuſcula candelarum detulit. Sacerdos vero Dei, miſſa pro infirmis celebrata, pomum benedicens direxit puero per patrem. Unde puer vix quadra ſemeſa, quaſi jam ſanitati reſtitutus expletis ex toto puer convaluit, Dei miſericordia condonante, & ſancti Confeſſoris benedictione ſuffragante.

18. Audiens [a] igitur pater Arnulfus inclytam famam beati filii, Romam ire & ſanctorum Apoſtolorum limina viſere inſtituit, ut inter eundum diverteret cariſſimum filium ante viſitare. Quia vero vir electus ſancti Spiritus receptaculum mundum ſe ipſum præparaverat, ſpiritu prophetiæ frequenter illuſtratus fuit, ſicut in hoc & in aliis claret certis indiciis. Diem ſiquidem adventus patris prænuntiavit Odoni fideli miniſtro, ad villam ire volenti, ut cito reverteretur, quia hoſpites ea die eſſent accepturi. Qui inſtando dum requireret quos; nominatim patrem Arnulfum, Henricum militem, Odonem preſbyterum, Herchenbertum venatorem cum pluribus aliis reſpondit. Regreſſus à Roma ſancti Theobaldi genitor Arnulfus, quæ vidit & audivit de bonæ indolis filio fidelis interpres, matri domnæ Vuillæ cuncta narravit. Qua ſecum aſſumta cum multa nobilitate ad eum venerunt, ejuſque viſione nimium gaviſi ſunt. O quantis lacrymis mater exundavit, cum gauderet inventum quem doluerat amiſſum. quæ inter lacrymoſa ſuſpiria, dubitavit pæne quid mallet: quia & patriam cum viro & liberis nolebat deſerere, nec ab unicæ dilectionis filio Theobaldo volebat ſeparari. Tamen vicit amor filii; immo amor Chriſti vicit amorem ſæculi. Nam abruptis omnibus retinaculis ſæculi, ſoli Domino Deo cum filio ſervitura adhæſit. *Fortis enim eſt*, ut ait Salomon, *dilectio, dura ut mors æmulatio.* Per filii dilectionem pervenit ad caritatem Dei, & quæ magnam in mundo poſſederat prædiorum amplitudinem, unius brevis cellulæ cum filio Deo famulatura elegit ſolitudinem. Cui filius cum tanta humilitate obſecutus eſt, ut non queat facile enarrari. Ex hoc vero ejus obſequium poteſt argumentari, quod nullo hyemis tempore, nulla frigoris inclementia ingruente, à conſpectu reficientis matris nec ad modicum paſſus eſt abeſſe.

a. A parentibus inviſitur. — Mater ipſi adhæret. — Cant. 8.

19. Reverſus [b] itaque pater Arnulfus ad Gallias ob negotia domeſticæ curæ diſponenda, pio affectu tam ſancti filii quam ſanctæ conjugis cœpit moveri, ut modico labente interſtitio Romam repetens, iterum Sallanigam viſitaret. Cui filius ſciens quæ longe à ſe geſta erant, inter cetera vitæ colloquia, miſeriam prænunciavit maximam, antequam domum rediret affuturam. Cui etiam modum notitiamque miſeriæ inquirenti, qua novit ipſe ratione aperire noluit. Cumque autem Roma rediret, ut ſancti viri verbum fieret manifeſtum, affuit qui nuntiaret, filium ejus in bello interemtum. Sanctus vero Theobaldus poſtquam patri quod contigerat prædixit, nec tamen aperuit, poſt ejus abſceſſum Odoni fideli ſuo manifeſtavit è veſtigio fratrem occiſum. Mira virtus in tanta revelatione, quod in tam ſpatioſo terrarum intervallo, de nece fratris ſui non homine, ſed Spiritu-ſancto revelante ſcire promeruit. Tunc ſacrificium laudis Deo per octo dies pro fratre immolavit, antequam mater reſciret.

b. Fratrem ſuum abſentem occiſum cognoſcit.

20. Biennio igitur hic beatus ante ſuum tranſitum ab omni tentatione diaboli, ab omni pollutione carnali ſuis credulis fratribus ſe perhibuit im- Multa patitur.

a Hunc numerum fere integrum ſic contrahunt alii codd præter Menard. *Audientes igitur pater & mater famam beati filii, cum multa nobilitate, &c.*

b Totus hic numerus in ſolo eſt codice Menard.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXVI Julii 1.

munem: quo tempore ita vulneribus corporis undique obſitus fuit, ut aliquando neque greſſum figere, neque etiam manum ad os ducere valeret. Supernus enim Artifex vas electionis ſibi aptum igne tribulationis & lima infirmitatis voluit ſeptuplum purgare, ut eum ſine rubigine in domo ſua beatum faceret habitare. Illud vero magis ſtupendum eſt, quod nullo genere infirmitatis, nulla defectione carnis, à propoſiti rigore jejunii potuit flecti.

a Epiſcopum ſuæ plebi reconciliat.

21. Inter [a] hæc Motinæ civitatis Antiſtes, dum à principibus & parochianis prætentis occaſionibus arctaretur, & de ejus expulſione ageret tam clerus quam populus, adeo ut ſemel egrediens non ultra ingrederetur civitatem, convocavit ſororem ſuam religioſam ſanctimonialem, & in quibus eſſet anguſtiis conquerendo revelavit; monet ut ſanctum Theobaldum conveniens, ſuppliciter ſuggerat, ut Deum pro ſe immerito & oppreſſo exoret, qui domeſticos pro inimicis haberet. Commota ſoror repulsâ fratris ad ſanctum virum feſtinat, cauſam fratris cum lacrymis manifeſtat, & ut ſubveniat in amaritudine poſito efflagitat. Sanctus Theobaldus in compaſſione mirabilis prima die Miſſam celebravit, ſupplicans Deo cum lacrymis ut Epiſcopum reconciliaret inimicis. Secunda die, cum idem opus precibus & lacrymis iteraret, ſorori antiſtitis dixit, ut cum gaudio remearet, quia fratrem in ſede pontificali quietum ſedata omni diſſenſione inveniret.

22. Ingraveſcente ergo vulnerum valitudine, & ſcivit & prædixit beatæ vitæ Theobaldus in proximo ſe migraturum. Cumque duodecimus volveretur annus, ex quo patriam reliquerat. Nam tribus annis peregrinatus eſt, & novem annis in ſolitudine manſit, ad extrema perductus, vigore corporeo cœpit omnino deficere. Acceſito vero Petro Abbate, præ omnibus ſibi familiariter in amicitia juncto, qui ei eodem anno monachicum ſchema ſacraverat, commendavit illi matrem, filioſque ſuos ſpiritales cum totius eremi cura. Ante tertium autem diem ſuæ migrationis quinquies graviſſimus terræ motus exſtitit, ex quibus quoſdam quidem à foris ſtantes, omnes vero in cellula ſancto adſtantes ſenſerunt. Unde convincitur illius majeſtatis præſentiam migranti affuiſſe, de quo dicitur: *Qui reſpicit terram, & facit eam tremere.* Teſtantur etiam qui affuerunt, duræ mortis eum guſtaſſe calicem. Nec mirum. Illi enim adhæſerat, qui pro nobis peccatoribus à Judæis morte turpiſſima damnatus, peccata noſtra portavit, cujus livore ſanati ſumus. Cumque diu in agonia deſudaret, quidam ex familiaribus divinitus, ut credo, inſpiratus, quoſdam ex popularibus mares ac feminas adſtantes blanda voce diſcedere ſuaſit. Quibus recedentibus, viatico Dominici corporis accepto, cum ſæpius iteraſſet: Domine miſerere populo tuo, fatigatum divinis officiis ſpiritum reddidit, ſuis plorantibus, Angelis vero lætantibus. Qui autem propius ſancto corpori adhæſere, teſtantur quod nec tenuis quidem macula illud fuſcaſſet, ſed quodam reſurrectionis decore ejus vultus niteret. Migravit autem II. Kalendas Julii [b] ad veſperum, Indictione quarta, regnante Henrico filio Henrici ſecundi in Italia, Philippo autem in Gallia. Ipſo vero Domino Jeſu Chriſto regnante ſuper omnia, qui in Trinitate perfecta vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum [c]. Amen.

Monachus fuit.

Pſal. 103.

Pie obit.

b

c

Corpus in urbem effertur.

23. Vincentini igitur comperto ſancti viri obitu una omnes ad officium funeris ruere. Clerus omnis, plebs urbana & ruſtica in unam coïere ſententiam. Armati & inermes, juvenes & ſenes, non ſolum ab urbe, ſed

a Numerus hic integer in ſolis habetur codd. Regio & Menard. Ceterum Herebertus tunc temporis Mutinenſi eccleſiæ præerat, apud Ughellum, qui cum Henrico Auguſto contra Gregorium VII. pontificem ſtetit.

b Sic codex Menard. Alii *pridie Calendas Julii.* præter Hubertin. qui habet *Calendis Julii.*

c Hic deſinit Vita in cod S. Huberti. In regio codice omiſſis ceteris refertur tranſlatio Latinacum facta.

Digitized by Google

etiam à vicinis caſtris eruperunt, & magna vi ſolitudinem penetrantes, ab eccleſia cellulæ ejus beati viri glebam ſuſtulerunt. Reſidui vero qui in civitate reſtiterant, matronæ, pueri, & puellæ obviam ſancto corpori proceſſerunt, duobus ab urbe millibus in loco, qui dicitur ad Curtam-Camini, ubi geruli beati corporis quieverunt. Poſtera die, ſecunda feria, tertio die menſis Julii, cum magno tripudio & frequentia populorum reconditum eſt corpus ſanctum in baſilica ſanctæ Mariæ ſemper Virginis, ad cujus titulum ſacerdotii functus eſt officio, per omnia benedictus Deus qui facit mirabilia ſolus. Ann. Ch. MLXVI. Julii I.

24. Poſt tumulationem beati Theobaldi placuit divinæ majeſtati, annuente beata Dei genitrice Maria, cooperantibus ſanctis Martyribus Leoncio & Carpoforo, in quorum baſilica [a] idem requieſcit, mirificare ſanctum ſuum virtutibus & miraculis. Alta-Villa dicitur caſtrum ab urbe Vincentina quinque diſtans milibus, unde quædam femina oculorum acie damnata, dum ſancti expetiſſet tumulum, Deo favente luminis recepit officium. In eadem civitate alia femina ſimiliter oculorum privata lumine, dum Dei miſericordiam & ſancti imploraret clementiam, priſtinum recepit lumen. Res eſt manifeſta, perſona nota, nomen quia in promptu eſt omiſimus. notus locus, caſtrum dicitur Drixinum *; unde alia pari infortunio capta adveniens ad ſepulcrum ſancti, ſimilem adepta eſt medelam. Ad ejus tumulum cæci viſum recipiunt. * ſtr. Prixinum.

25. Quidam claudus membris & greſſu contractus, civis Beneventanus, ad ſepulcrum ejus clementiam Dei implorans, compaginibus membrorum ſolidatis, incolumis exſilivit. Alia ſupradicti ſexus vigore membrorum deſtituta, manuum atque greſſuum robore erat diſſoluta. Quæ beati Theobaldi mauſoleum frequentans, ejus interventu ad propria rediit firmato greſſu. O inclyta Venetia, etiam tu experta es herilem virtutem. Nam quædam ſub ſpecie religionis mutato habitu velata, ariditate manus fuerat debilitata. Hæc tuis illata ab oris, præſentibus populorum turbis officium manus recepit ſancti Theobaldi meritis. Placuit divinæ majeſtati interventu beati Theobaldi geminare miraculum, cum ejuſdem regni indigenam cæcum puerum ad priſtinam reſtituit oculorum claritatem. Quod miraculum quam celebre, quam credibile conſtet, millia populi circumſtantis teſtantur. In hoc eſt etiam memorabile, quod hora eadem, veſpertina ſcilicet, à Clero excelſa voce hæc modulabatur antiphona. Multa quidem & alia ſigna fecit Jeſus in conſpectu diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc. Claudi greſſum, &c.

26. Ponamus aliud miraculum, quod quamvis ſit ordine temporis præpoſterum, tamen eſt neceſſario permutatum. Puer de Villa-nova, nomine Venerius, pede & brachio deſtitutus, in publico & celebri conventu fidelium, utpote octava die Paſchæ, in præſentia ſancti corporis gratulanter congregatorum, dum ad ejus fuiſſet adductus oratorium, greſſus & manus recepit uſum, & cum nullo * favore ſuorum ſoſpes repetiit domum. * al. multo.

27. Quidam de Novaria civitate Italiæ, non quidem pro aliquo reatu, ſed ſponte in brachio geſtans circulum ferreum, pervenit ad ſancti ſepulcrum. Cumque ibidem pervigilaret, & ad candelam quæ caſu à candelabro ceciderat erigendam, vinctum brachium extendiſſet, circulus ferreus confractus eſt, magnoque tinnitu crepitans longius à brachio diſſilivit. Alter Turonenſis, nomine Martinus, utroque brachio manicis ferreis adſtrictus, poſt multorum ſanctorum circuitiones adhuc ſancto ſuperſtite, ad ſolitudinis locum, quo idem Beatus morabatur, pervenit; eumque pœnæ ſuæ & reatus conſcium reddidit, & fratricidam ſe eſſe lacrymabiliter manifeſtavit. Cui ſanctus propoſitum iter ad ſepulcrum Salvatoris pergere ſuaſit, eique Ferro ligati ſolvuntur.

[a] Eadem eſt eccleſia quæ dicitur ſupra S. Mariæ, Cathedralis ſcilicet, quæ etiamnunc hos patronos veneratur.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXVI. JULII I.

prophetica voce diſſolutionem unius brachii prædixit. Perrexit ergo, & juxta viri Dei verbum apud Domini ſepulcrum unius brachii gaviſus eſt diſſolutione. Reverſus autem ab Jeroſolymitano itinere, beato jam ab hoc ſæculo translato, cum magnis lacrymoſiſque ſuſpiriis ejus expetens ſarcofagum, his verbis ipſum cœpit increpitare: Tu, inquiens, juſſiſti me ire & reverti; ecce veni, & te ſuperſtitem non inveni. Miſerere mei ſancte Dei, miſerere infelicitati meæ, ſolus reum conſolare peregrinum, qui tuo juſſu tantum peragravit terrarum ſpatium. Illo iſta proſequente & alia multa, repente circulus ferreus à brachio cum magno tinnitu longius exſiliens crepuit, adſtanteſque magno gaudio replevit.

Auctor æqualis.

28. Hæc ergo quæ retulimus, ab ipſo ore ipſius, de quo res agitur didicimus. Quaternorum cæcorum generaliter exſequimur illuminationem, quorum unus ſenex à jam dicta civitate Novaria; alius à Lavagno [a], puer tertius à Taurinenſi comitatu; quartaque & puella à Colonia caſtro noſcuntur adveniſſe. Sed puer in gradibus eccleſiæ, antequam ſancti contingeret ſepulcrum, illuminari meruit. Taurinenſis vero dum alterius exſiſteret pediſſequus, ſolus & pedeſter poſt illuminationem ad ſepulcrum ſancti Marci, ut propoſuerat, conſtanter arripuit deambulationem. Nuper quoque fidelibus populis celebrantibus feſtum Dominicæ Aſſcenſionis, multa populorum inſtante frequentia & vigiliarum excubias obſervante, Forijulienſis puer cæcus ad beati Theobaldi mauſoleum oculorum recepit officium. Gemini præterea cæci, unus de Mauzulino [b], alter de Pancinigo, caligine tetræ cæcitatis abſentes luci, dum beati implorarent ſuffragium, optatum meruerunt recipere viſum. Quidam hydropicus ab Axano adveniens ad ejuſdem beati urnam, deformi ventris tumore ſedato, incolumis ſeſe retulit nativo ſolo. Duo debiles, unus actractus genu, alter privatus greſſu, primus de caſtello Cucco, ſequens de Orillano [c], vehiculo uſi alieno, poſt diuturnam membrorum diſſolutionem, ad ſepulcrum ejus receperunt officii corporei firmitatem.

Varia miracula.

29. Si voluerimus cuncta percurrere, verba antequam miracula deficient; ponamus metam locutioni, quia non eſt poſſibile ſingillatim enarrare quot cæci, quot debiles vel ægroti, ſeu variis paſſionibus addicti, quotve energumeni ad ejus tumulum ſint ſoſpitatem adepti. Teſtem invoco habitatorem ejus Spiritum-ſanctum me multa cognita prætermiſiſſe, & de magna ſilva vix paucos ramos perſtrinxiſſe.

a Sic cod. Menard. cum Surio. Uticenſ. *Lavanno*. S. Sergii *Lavangno*. Regiimontis, *Lentanno*.

b Cod. Menard. *Mauzuluno*. Sur. *Matulino*. .. *Pancitingo*.

c Cod. Utic. *Orilano*. S. Sergii *Aurilano*.

TRANSLATIO S. THEOBALDI Confeſſoris.

Ex mſ. cod. Uticenſi, & Menardino.

Auctoris præfatio.

1. INter Cælicolas, quos divina clementia & paterna pietas ſuper aſtra provexit, moderni temporis evolvente curriculo, THEOBALDUS vir per omnia venerandus, nobiliſſima Francorum ſtirpe progenitus, quaſi ſidus in aſtris relucens emicuit. Mortalium laudes & humanas infulas antiqui Poëtæ ſoliti pompare, tyrannorum regumque victorias in publicis theatris enarrare ac poſteris pro tempore memoriæ commendare. Illa vero tamquam umbra præterierunt. Nos vero qui ſuper Pythagoram & Empedoclem perennis vitæ cupimus heredes fieri, Syrenarum relinquentes

tes cantum & philomelæ ſpernentes laſcivam melodiam, cæleſtis regni callem modis omnibus aggredi ſatagimus, cujus iter anguſtum probatur & artum, teſtante Domino: *Anguſta via eſt qua ducit ad vitam, & pauci ſunt qui intrant per eam.* Vita igitur prædicti viri ſancti quantum eſt meritis clarior, tantum eſt voce populorum crebrior. Atque hæc hactenus. Quomodo vero de patris domo exierit, vel quam pie ac pure omni tempore vitæ ſuæ vixerit, ſeu per quot annos Langobardiæ in loco, qui dicitur Sallanica converſatus fuit, & quomodo de hac vita, ad cæli conſcendit palatium, ab abbate PETRO monaſterii ſanctæ Dei Genitricis Mariæ de loco Vangadicia, ubi pretioſorum martyrum PRIMI & FELICIANI ſacratiſſima corpora requieſcunt, luculento ſermone edita, nobili exarata ſtilo. A quo jamdicto abbate documentis ſpiritalibus plenius eſt inſtructus: ſemina vero fecundo jactata agro, centuplicatum reddiderunt fructum. Ab ipſo enim non ſolum ſuſtentatus eſt præſentis vitæ adminiculis, ſed etiam cæleſtibus quam maxime doctrinis. Bene etenim potuit pſallere cum Pſalmiſta: *Dominus regit me & nihil mihi deerit, in loco paſcua ibi me collocavit.* Prædictus etenim ſanctus Theobaldus per omnia & in omnibus quaſi filius patri obaudiens proprio, in nullo deviavit ab ejus præcepto. Enimvero prædictus abbas Spiritus-ſancti gratiam in illo redundare cernens aſſidue adſiſtere in Domini ſervitio, mox cœpit illum non ut ſubjectum, ſed ut proprium venerari dominum uſque ad extremum vitæ ſuæ obitum.

ANN. CHR. MLXVI. JULII I.

Matth. 7.

Petrus abbas auctor Vitæ ſancti Theobaldi.

Et ejus ſpiritualis pater.

Pſal. 22.

2. Interea dum ſub jugo prædicti Patris non tantum monaſticam normam, verum etiam Anachoritarum artam duceret vitam; quidam de patria, ODO nomine, conſecutus eſt illum. Quem ipſe in tantum dilexit, ut poſt abbatis imperium intimus ei efficeretur conſiliarius, necnon & omnium ſecretorum ſuorum exſiſteret conſcius. Sicque cuſtos boni theſauri effectus, quem vivum voluit cuſtodire amore ſummæ dilectionis, mortuum noluit derelinquere aliquo ſibi imminente periculo perſecutionis, ut rei poſtea probavit eventus.

Odo Theobaldi amicus.

3. Poſt aliquot vero annos jam multo confectus jejunio, nimioque languore corporis correptus, cognoſcens ſe ingredi viam univerſæ carnis, accerſito ad ſe Petro abbate, confeſſus eſt ſibi non diu communem vitam ducere, & inter multas & amaras confeſſionis lacrymas, ſanctum Corpus ab ejus manibus accipiens, ſpiritum Deo reddidit. O quantus conventus Fidelium, quantus Fratrum mæror, quanta pupillorum & indigentium lamenta, quos pius Pater benivolentia caritatis ſuſtentabat aſſidue, imitatus Job, ipſe enim fuit oculus cæco & pes claudo. Locum vero ſepulturæ ſuæ in prædicta cellula, ubi ſancte & religioſe converſatus fuerat, ante maternos oculos pie decreverat, ut dolorem & ſolitudinem matris leniret præſentia corporis nati. Divino ſpiritu futurorum præſcius hujus rei temerarios terrore anathematis prohibuit, quod teſtantur elogia ab ipſo nuncupata, à ſupradicto Petro abbate edita. Vincentini vero quia illorum civitas & opida vicina & contigua erant, magno impetu & tumultu aggreſſi, infelici rapina rapuerunt illud. Quantum dolorem matri ſuæ & abbati ceteriſque Fratribus injecerint, injuriamque contulerint, præſens ſtilus evolveret, niſi ad altiora tenderet.

Theobaldus pie obiit.

Corpus ejus à Vicentinis rapitur.

4. Præfatus igitur Petrus abbas cum prædicto Odone cuſtode ejus, & matre, cunctoque collegio ejuſdem cœnobii, læſi tanta injuria, cæſi enim ſunt, vulnerati, dilaniati, timore mortis perterriti, nimio dolore mortis intrinſecus tacti, prætentaverunt per potentum præſidia, vel quovis modo facultatis pretioſum pignus ſanctiſſimi Confeſſoris recuperare. Cumque potentum præſidia deficerent, nec humana facultas ſuppeteret, ſolius divinæ clementiæ auxilio unanimiter inſtiterunt, jejuniis & orationibus & vigiliis vacantes, ſua quæque indigentibus erogantes, Chriſti im-

Repugnantibus Petro, Odone, &c.

ANN. CH. MLXVI. JULII I. menſi Regis potentiam exorantes, ut quandoque daretur facultas eripiendi ſanctiſſimi corporis glebam. Hos enim Dominica confirmabat promiſſio : *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, credite, & fiet vobis.* *Johan. 14.*

Odo de eo auferendo cogitat. 5. Poſt longum vero temporis, divina inſpirante clementia, animoque divinitus ſuadente, incluſus eſt prædictus Odo, cuſtos ejuſdem ſanctiſſimi viri, juxta eccleſiæ Vincentinæ parietes, ubi ſanctum corpus quieſcebat, ut murus miræ latitudinis & altitudinis, & ſpatium non parvum ſibi & ſepulcro intereſſet, eo animo & deliberatione, ut ſubterraneo ſpecu ſanctiſſimum corpus effoderet, ſi divina faveret pietas; nullo humanæ poſſibilitatis auxilio nixus, ſolius divini nutus juvamine confiſus. Orationibus vero & eleemoſynis jejuniiſque vacans, ſe totum affligebat. Fratres autem qui cum eo erant, quotidie ejuſdem urbis eccleſias nudis pedibus circuibant eadem oratione inſtantes. Tandem divina cooperante clementia, is vidit in ſomnis perſonam ſenis candidiſſimam, Sacerdotalibus veſtibus præter colobium indutam, his verbis futura admonentem: Surge & labori inſiſte, complebitur tibi deſiderium tuum. Quod cum tertio contingeret, & quiſnam eſſet qui cum ipſo loqueretur quæreret, Angelus infit: Ego ſum miſſus à Deo, cuſtodio corpus hoc. O glorioſa Confeſſoris merita, cui cuſtodia inſtat Angelica, & per viſiones de eo futura prædicat! Vere enim pſallimus: *Angelis ſuis mandavit de te ut cuſtodiant te.* Nimirum & de multis aliis Confeſſoribus & Martyribus hoc idem contigiſſe ſacra tradit hiſtoria. *Excitante angelo.* *Pſal. 90.*

Atque ipſo ſancto. 6. Præter hanc viſionem Angelicam adhuc dubitanti, &, ne ante eventum rei hoc ſecretum manifeſtum fieret, metuenti, viſus eſt idem Confeſſor Dei eadem de incipiendo opere ſuadens. Cumque tot viſionibus monitus deficeret, & multiplicibus angeretur cogitationibus, (ſpes enim ſuadebat, animus ardebat, ſed metus tumultus populi perturbabat;) contigit ut pſallendo Pſalmos juxta altare ſedens, obdormiſſet illud Davidicum pſallens: *Cantate ei canticum novum*; adeſt iterum ſpecies ſanctiſſimi viri olim notiſſima, ſic inquiens: Quid agis mundanæ vitæ miniſter, & inſeparabilis funeris & corporis cuſtos? Qui cum adhuc dubitaret, quid ageret incertus: Quid, inquit, moraris? Tu eris compos voti, ſi fodere incœperis, ut ſæpe dictum eſt tibi. Apprehenſaque manu corporeo motu ducens ad locum fodiendum: Hic, inquit, fodies juxta murum, donec ad imum fundamenti pervenias. Cumque eo perveneris, ſub fundamento fodias contra ſepulcrum meum, ſic me invenies. Sentiens igitur corporaliter ſe moveri, evigilans vidit ſpeciem ſanctiſſimi viri in tanto fulgore, quantum humanorum oculorum acies ferre non poſſet: procidenſque in faciem ſuam, ſemivivus diu jacuit. Nec mora, reſumptis viribus, tot ac tam manifeſtis viſionibus confiſus, ſumpto foſſorio ipſe prior ad locum acceſſit: & effodiens quantum pro viribus valuit, hoc opus perficiendum duobus miniſtris ſuis commendavit, Johanni ſcilicet ac Martino. Qui diu effodientes juxta murum, cum ad imum perveniſſent fundamentum, deſcenderant ferme ad ſpatium viginti pedum, incerti quid agerent, (ſitus enim tumuli non adeo deſcendebat) reverſi ſunt ad prædictum Odonem. Qui cum diu orationi hac de cauſa inſtaret, meruit iterum in ſomnis ab eodem Confeſſore Chriſti moneri, ut fundamentum ſubtus effodiendo tranſiret. Erat autem fundamenti latitudo duodecim pedum. Quod cum magno labore perfeciſſent, immo, divina favente clementia, non enim humana vis hoc poſſet, niſi divinis adjuta præſidiis; pervenerunt ad quamdam pillam, qua Confeſſionis columna ſuperimpoſita nitebatur. Metuentes vero ne uſque ad ſupernum pavimentum aſſcendiſſent ubi clerici in choro morabantur, imperfecto opere, jam dicto magiſtro nuntiaverunt. Iterum per viſionem monitus eſt his verbis: Cava in ſiniſtram par- *Pſal. 31.*

Digitized by Google

tem per rectam lineam, & poſtea per obliquum in dextram, ſic invenies me. ANN. CH. MLXVI. JULII I.

7. Evigilans igitur venerabilis & religioſus Odo, idem ipſe ſumta virgula ferrea acceſſit, immiſſaque ea terræ per rectum, ſepulcrum ubi requieſcebat ſanctiſſimi viri corpus tetigit. Incertus tamen an illud eſſet vel quilibet oppoſitus lapis, prædictos miniſtros fodientes dimiſit. Qui diu fodientes cum multo anhelitu, pervenerunt ad deſideratum tumulum glorioſiſſimi & incliti confeſſoris Theobaldi, & frangentes illud ferreis ſubulis ceteriſque ferreis inſtrumentis, divino refecti ſpiritu, magna audacia tantum aperturæ dederunt, quantum ad accipiendum corpus ſancti viri ſufficeret. Factum eſt hoc hebdomadis tribus & diebus quatuor. O admiranda divinæ potentiæ clementia, & glorioſa erga ſanctorum ejus merita, ubique gentium prædicanda! quod centum hominibus impoſſibile videretur ferme per anni ſpatium, hoc peractum eſt à duobus ſpatio trium hebdomadarum & dierum quatuor, nec ſemper operantibus, niſi quando hominum abſentia, & ſolitudo in eccleſia præſtabat tempus. Erat vero funis cingulo cavantis alligatus, quem tenens qui in fundamento putei effoſſam terram ſuſcipiebat, monitus ſuperno ſigno, ne hominibus in eccleſiam advenientibus, ſtreperet, adtrahens funem monebat: & quoties frequentia hominum abſcedebat, iterum foſſor admonitus ſatagebat. Iſdem namque religioſus vir in ſupernis ſtans, ſigna operandi & quieſcendi pro temporis qualitate dabat. *Effoſſa terra invenitur.*

8. Nec ſolum per Angelicam viſionem & ſpiritalem admonitionem prædicto cuſtodi ſuo Dominus hoc revelare dignatus eſt, verumetiam præfatus Petrus abbas cum Veronæ in Cella ſua ſancti Salvatoris noctis tempore obdormiſſet, hac de cauſa vigilans ſollicitus & nimia cura poſitus, vidit in ſomnis candidiſſimam ſpeciem ignoti viri ita dicentis: Quæ te remordet & ſollicitat cura hujus rei, quæ tuo verſatur animo, facilis erit eventus non ad longum tempus, ſi quis effoderit; Odonem quem ſimilis cura angit hortare in hunc modum operis. Cujus viſionis evigilans memor, per quemdam familiarem matris, Andream nomine, altera die ad ſe venientem (ut Domino placuit) ipſo tempore operis, cum adhuc Vincentiæ præficeretur, qualiter ſibi revelatum eſſet miſit. *Petrus abbas ea de re viſione monitus.*

9. O quanta lætitia & audacia divino refectus ſpiritu aggreſſus eſt ſæpe dictus religioſiſſimus cuſtos glorioſiſſimum corpus! Celebratis enim Miſſarum ſollemniis, miro odore thimiamatum, magis tamen redolente ſepulcro acceſſit, diutiuſque ovans exorſus eſt his verbis: Si placet, mi Pater, ut tibi ſerviam, corpuſque tuum cuſtodiam, ſicut tu juſſiſti, en ego paratus audacter accedo nihil noſtris viribus præſumens, tuis tantum imperiis ſatisfaciens. Et apprehenſo corpore totum à ſepulcro cum parte carnis quæ ſupererat evulſit, & linteolo mundiſſimo involvens apud ſe mira celebritate cuſtodivit. Hoc fidele furtum tuetur ab infamia laudatum furtum tactæ fimbriæ ad mulieris ſalutem, & diſcipulos Johannis corpus ejus furtim rapuiſſe Evangelica narrat hiſtoria. Martini quoque præcipui Confeſſoris corpus in Turonis direptum ſcripta de eo teſtantur eccleſiaſtica. Marci quoque Evangeliſtæ corpus ad nobilem Venetiam legimus ſimili modo tranſlatum. Hujuſmodi exempla adeo multa ſunt in promtu totieſque ſcripta, ut noſtro ſtilo non indigeant. Hic nimirum diſcipulus & miniſter fideliſſimus Domini præcepta ſecutus, tot viſionibus admonitus, nullo eſt crimine notandus, immo ore omnium hominum collaudandus. Effoſſum eſt autem beatiſſimi viri corpus Idibus Julii, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ſeptuageſimo-quarto, Indictione XII. *Corpus ab Odone effertur.* *Anno 1074.*

10. Eodem vero die placuit Domino per ſancti Confeſſoris merita, ut credimus, congruentem pluviam ſuper faciem terræ mittere, quæ diu-

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXVI. Julii I.

turna indigentia aquarum per quinque menſes nimia ſiccitate aruerat.

Petro rem Odo detegit.

11. Interea prædictus Petrus abbas, divino nutu & ſpiritu ſuggerente, adveniens cauſa viſitationis, cellulam, ubi moratur mater confeſſoris Chriſti Theobaldi incluſa, aliquamdiu ibidem manſit. Inde accepta licentia Vicentiam adiit, quem familiari hoſpitalitate & magno gaudio prædictus ſancti Theobaldi miniſter ſuſcipiens, omne ſui arcanum fideli confeſſione perdocuit. O quantis gaudiis lætati, & præ lætitiæ magnitudine lacrymati, diu mutuis amplexibus non ſunt ſeparati. Hic participem ſui arcani Patrem & Magiſtrum deſiderabiliter faciebat, & adjutorem futurorum indubitanter ſperabat; alter eveniſſe quod optabat, & ſe ſcire ſummo Deo immenſas gratias referebat, cooperatorem futuri laboris fideliter promittebat. Sic unius diei ſpatio ibidem manens, ſequenti die accepta licentia, tempore redeundi conſtituto in quinto-decimo die ad monaſterium ſuum rediit. Hoc ſecretum quibuſdam Fratribus & amicis accepta & firmata fide confeſſus eſt.

Transfertur in monaſt. Vangaditiam.

12. Eo vero tempore ambo cum ſuo collegio in orationibus perſtiterunt, die noctuque Dominum deprecantes, quo perferri ſanctum corpus vellet oſtendere dignaretur. Ad conſtitutum vero diem rediens Vincentiam, iterum ab eodem cum ſuis militibus fraterne eſt hoſpitio ſuſceptus: moxque inito conſilio, magna diligentia exeuntes urbem intempeſtæ noctis ſilentio, facili itinere, ut Domino placuit, pervenerunt cum ſanctiſſimo corpore ad monaſterium venerabile, quod eſt ſitum juxta fluenta Adeſis, ubi dicitur Vangaditia. Quod ſatis patet divinitus eſſe patratum, ut in eo loco corpus ejus quieſceret [a], à cujus patre ſtuduit cæleſtis vitæ doctrinam ſuſcipere. Quod in Martini quoque funere contigiſſe legitur [b]. Turonis enim & Pictavis de ejus corpore ſacro litigio litigantibus, victoria Turonicis ceſſerat, quorum monachus fuerat. Jam vero dici non poteſt quibus laudibus ſuſcepti ſunt, quot milia hominum illuc convenerunt. Immenſis enim laudibus monachorum & clericorum, utriuſque ſexus turba virorum ac mulierum, puerorum ac virginum infinita obvia pertulerunt in baſilicam ſanctæ & glorioſæ ac virginis Mariæ, ubi multa magnalia ad laudem & gloriam ſummi Conditoris per ejus præſentiam & interceſſionem fiunt, præſtante ipſo Domino noſtro Jeſu-Chriſto, qui vivit & regnat in ſæcula.

Ubi claret miraculis.

13. Igitur poſtquam ad prædictam eccleſiam ſanctæ Mariæ à jam ſæpius nominato abbate, & prædicto Odone ſanctiſſimus theſaurus tranſlatus eſt, qualia & quanta miracula Rex omnipotens ibi per ſanctiſſimi Confeſſoris ſui merita mirifice oſtendere dignatus eſt, quorum numerus licet facultatem ſcribendi excedat, tamen pauca quæ vidimus & cognovimus Deo teſte referamus. E caſtro enim, quod dicitur ſancti-Donati, puella quædam ferme ætatis octo annorum, à parentibus eſt allata ad glorioſa Confeſſoris ſuffragia, cui pedum contractio negabat greſſum, & articulorum manuum, linguæque ſimul negabat officium. Quam his officiis prius egentem poſtea vidimus incedere, & extentis manibus attrectare, & loquentem audivimus ſummo Deo gratias referentem, ad laudem & gloriam Salvatoris interventu ſui Confeſſoris. In villa quæ dicitur Arquada, quidam jam provectæ ætatis fuerat, cui omnia membra à genibus uſque ad imum contracta à nativitate nullum præſtabant officium. Adveniens autem ad prædictam baſilicam manibus & ſcamellis erectis ſuper baſes pedum; propriis greſſibus interventu beati confeſſoris Theobaldi ad propria remeavit. Cujus tantæ infirmitatis inſignia magnæ in natibus foſſæ erant, quas impreſſi calces tempore infirmitatis offenderant.

Contracti curantur.

[a] Avulſo folio in cod. Uticenſi, quæ ſequuntur uſque ad num. 17. ibi deſunt.
[b] Vide S. Gregorium Turon. lib. 1. Hiſt. cap. 43.

Digitized by Google

14. Mulier quædam ex villa, quæ nominatur Luſia, multorum per tempora annorum unius oculi lumine carens, alteroque penitus adorbata, divina favente clementia, ad præclaram Confeſſoris advenit præſentiam. Cumque ante prælucidiſſimi Confeſſoris patrocinia flexis poplitibus, diverſis gemitibus, acerrimiſque lacrymis immenſas effunderet preces Deo ſummo regi, ſancto interveniente, lumen unius oculi diu obfuſcatum meruit habere clarefactum. Quæ vero evidenti gaudio commota, Confeſſoris magiſtro Deo pias impendens gratias, utriuſque ſexus circum adſtantibus patefecit ſe hujus mundi machinas proprio videre lumine. hoc enim immenſus populus attentis accipiens auribus Chriſto magnificas reddentes laudes, cumque Davidico carmine ita approbantes: *Magnus Dominus noſter, & magna virtus ejus*, innumerabilia ſancto, unuſquiſque ſuo pro poſſe, attulerunt munuſcula; ut pius orphanorum pater in ſolita permanens clementia, quæ antiqui deceptor parentis eos impie committere compulit, ipſe pie auferre dignaretur, ſanctiſſimo Theobaldo intercedente.

ANN. CH. MLXVI. JULII I.

Cæca lumẽ recipit.

Pſal. 146.

15. Ubi cum ſingulis diebus, prout voluntas quemque vel facultas veniendi trahebat, catervatim irruerent, contigit ut femina quædam ſpiritu immundo plena ab his, qui eam diligebant, qui ſalutem illius quærebant deducta veniret. Et illi quidem de Caſtello veteri eam adveniſſe dicebant. Nota perſona de vicino repente cognitores, & qui ei affectu miſericordiæ compaterentur invenit. Unde Chriſto & beato confeſſori Theobaldo quicumque convenerant, pro illa devotiſſime ſupplicabant. Itaque ſpiritus ille vaſis alterius pervaſor, & ſi quietam paullo ante ad horam reliquerat, cum femina eccleſiæ ingreſſus peteret, limen calcaret, ad præſentiam corporis ſancti feſtinaret, vim virtutis ſanctique meritum perſenſit, & quaſi dominaturus ad modicum, quas habuit vires erexit, & medullas, oſſa, nervos, compages, venas, arterias inferiorum membrorum, in quibus ante doloribus affligens feminam regnaverat, celerius reliquit, ac in vultus ſuperiores diverſivoce erupit. Et continuo latratus, gannitus, balatus, hinnitus, mugitus, ſibilos & garritus diverſorum ac irrationabilium animalium imitans, modo velut aliquid rationabile movens, modo ſenſus in diverſa retorquens, quis, qualiſve eſſet interius, his atque aliis horribilibus modis prætendebat exterius. Erat ergo muliercula ſpectandum miraculum facta turbis, dum & inimicum in humano corpore conſpicerent inſaniſſime ſævire, ægram nihil tantæ ægritudinis ſentire. Ita quippe patientis membra ſtupor affecerat. Sed dum de divinis ſpecialius aliquid Eccleſiæ miniſtri, ſive populus adveniens recitaret, modo pavidam timere, modo audacem reſilire, vel in homines inſilire videres; & aliquando beatum Theobaldum ſtrenuum mundi contemptorem prædicare, ſanctum Deoque carum: aliquando vero revolutum ad immania tam de eo quam de ceteris electis dicere nefaria, & ipſis hominibus indigna. Cogebatur etenim, ut eſt credibile, à ſancto Angelo vel illa prædicare, vel iſta dicere ſinebatur, moderante nutu cuncti-potentis Dei. Cum itaque tam fratres monaſterii quam reliquus populus circumſtarent, & attentius ſancti ſuffragia poſtularent, contigit illuſtrem virum AZONEM marchionem, illius videlicet monaſterii poſſeſſorem, advenire, & ſicut ante geſta ſolo auditu, ſic eodem viſu cognoſcere. In ejus præſentia venerabilis Odo monachus, ſæpedicti Confeſſoris in vita præcipue dilectus, accedens, & manu dextera guttur mulieris & in ea debacchantem ſpiritum conſtringens, indubitanter etenim de virtute beati viri præſumebat. Da, inquit, honorem Deo & glorioſo confeſſori Theobaldo, ſpiritus immunde. Hodie certe nullum tibi ad inferiora unde conſcendiſti diffugium Deo prohibente patebit, donec iſte populus agnoſcat quam glorioſum ſervum ſuum coram cujus gleba ſupplices adſumus, & expulſione tua Chriſtus Dei filius oſten-

Energumena liberatur.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXVI. Julii I. dere dignetur. Ad hæc verba præſtigiator ille confuſus per os, per quod ingreſſus fuerat, regreſſus eſt; atque multo vomitu ſordidiſſimi & cruentiſſimi & nimii fœtoris immunda veſtigia reliquit. Mulier igitur ſanitati reſtituta, poſtquam ſibi de ſe paullatim cogitare præſtitum eſt & ſe purgatam cognovit, Deo & beato Theobaldo Confeſſori gratias quantas & quotiens potuit exſolvit. Azo denique ſupra memoratus Marchio, cum univerſis qui aderant, præ gaudio reſolutus in lacrymas, poſtquam Chriſto Domino in immenſum & pro debito gratias ſolvit, iterum manus ad cælum extendens univerſorum Creatorem benedixit, quod ſe ſuæque ditionis populum in adventu beati, & omni laude celebrandi confeſſoris Theobaldi viſitaverit, ad laudem & gloriam ſui ſancti, quod eſt benedictum in ſæcula. Amen.

Contractus erigitur. 16. Die quadam puer, ut videbatur annorum duodecim, à patre & avunculo, poſtquam fides aliquorum adoleverat miraculorum præconio, ad ſancti præſentiam deductus eſt; cui ſpiritus infirmitatis ita jugulum contraxerat, & caput depreſſerat, ut mento pectori penitus inhærente numquam recto contuitu aliquid contueri niſi ſuppoſitum valeret. Hic ætate puer, actu ſilicernius, à Venetia deportatus, viciſſim per dies quatuor ſancto fideli commendatione oblatus, ultimo die meruit liberari. Erecto quidem vultu circumpoſita ſuperiora & inferiora conſpiciens, ſtupebat de ſalute conſecuta, & mirantes mirabatur. Cumque repente univerſi qui aderant tam egregium in humano corpore miraculum ad invocationem cæleſtis auxilii actum viderent, Dominum glorificantes benedixerunt, qui glorioſus eſt in omnibus operibus ſuis, quique beatum Theobaldum glorificare dignatus eſt in gloria cæleſti; ac genitor & avunculus, qui puerum ductores advexerant, vota Deo ſanctoque Confeſſori voventes, eum quem ſanatum receperant famulantibus ſancti devoventes, una cum eo ad ſuos redierunt.

17. Caſtellum vero eſt, quod à monaſterio ſupradicto quinque millibus diſtare videtur, quodque Merlaria vulgo nominatur. In hoc denique mulier à nativitate muta pariter & ſurda concreverat, quæ nullos animi ſui motus reddere vel alterius capere niſi nutibus valebat. Huic autem per ſignificationes quibus potuit nutibus innutum eſt, quod ſanctus ille qui quondam in ſilva cum matre propria vixerat, quem defunctum Vincentinus populus eripuerat, per quem Deus multa miracula illic oſtenderat, modo ad monaſterium Reginæ cæli matris Domini noſtri, qui paſſus eſt pro nobis, ab abbate & à monacho quodam deportatus ſit, & per eum dæmonia ab obſeſſis corporibus expellantur, & aliæ ſanitates fiant. Mulier itaque ſurda, quæ nominatim per ſignificantes motus minus cognoſcere rerum geſta quæ ſignificabantur plene potuit agnoſcere, & credens atque ſperans quod per ſanctum qui nutibus oſtendebatur, audire ſimul & loqui facile poſſet, ad monaſterium venit. Cumque populum in confrequentationibus conſtitutum ante ſancti præſentiam videret, magis confidere, magiſque ſperare, atque ubertim flere. Proſtrata igitur coram veneranda memoria pectus utriſque manibus ferire, terram deoſculari, & quæque dependentia à ſancti ſacrario faciei ſuæ circumducere, auribus & ori imprimere feſtinabat. Et quantos in occulto ſuæ voluntatis affectus illa habebat, tum lacrymis, tum confuſæ vocis murmure, tum membrorum motibus in aperto circumſtanti populo demonſtrabat; unde & ad miſericordiam flexit univerſos. Cum ergo omnes in unum pro muliere ſalutem votivis ſupplicationibus poſtularent, & inter orationis verba frequenter ingeminarent: Sancte Theobalde adjuva nos, ſancte Confeſſor Chriſti intende votis noſtris, effunde ſuper mutam præſentem pietatis tuæ viſcera. Surda per auditum aliorum verba haurire, & per linguam propria formare potuit, & perfecte

Digitized by Google

quidem ſurditatis obice repulſo, atque ſoluto linguæ nexu, egit Deo gratias, oris ſui plena confeſſione, quæ ſalutem petitura venerat tantum cordis oratione. Illi ergo qui prius eam cognoverant cum eſſet ſurda & muta, & in eo tanta ſummi Dei videbant opera, laudes omnipotenti Deo reddiderunt, & circa ſanctum Chriſti Confeſſorem devotionis ſuæ famulatus obtulerunt. ANN CH. MLXVI. JULII I.

18. De caſtro Beneceto [a] in Parmenſi territorio, mulier quædam multo oppreſſa dæmone, & diu fatigata acceſſerat, tantaque erat vis in ea ſævientis ſpiritus, ut eam ad altare vel ad ſacri corporis locum trahere ſex homines non ſufficerent. Cumque ad ſacrum locum accederet, immundus ſpiritus magis invaleſcebat, omnium animalium voces imitabatur, nunc mugiens, nunc hinniens, nunc rugiens ceteraque ſimilia. In cujus facie horrenda deformitas & oculorum torvitas prodebat vitium. Immundus tandem ille ſpiritus, ante ſancti corporis præſentiam coactus, cum multo cruore ſordidiſſimo & valde fœtenti per os effugit, & immenſo clangore populi laudantis & benedicentis Deum. Item alia.

19. Mulier quædam, Italia nomine, à nativitate muta, ab urbe Ravennatum beatiſſimi corporis oratorium petens, antequam accederet aperte loqui cœpit. Stephanus quidam de Vignola caſtro, manu & brachio contractus, per viſionem monitus, ad prædictum locum properans, ſanus Deo gratias receſſit. Ab epiſcopatu Bononienſi de caſtello, cui nomen eſt Calcar, advenit mulier, Maria nomine, manifeſto obſeſſa dæmone, quæ in loco ejuſdem ſacratiſſimi corporis curata eſt, nimium fœtenti ſpuma diverſi coloris per os & nares effuſa, prodente fugam dæmonis VII. Idus Junii [b]. Sequenti die continuo altera, Dominica nomine, de villa, cui nomen eſt Praguma in epiſcopatu Tridentino, ibidem ſimili modo curata eſt, fœtentiſſimo cruore per nares indicium curationis prodente. Muta recipit loquelam, &c.

[a] Sic uterque codex. legendum forte *Berceto*, ubi celebris eccleſia S. Remigio dicata.
[b] Hic deſinit codex Uticenſis.

TRANSLATIO S. THEOBALDI ab Italia per Arnulfum fratrem ejus.

1. POſtquam pretioſi corporis gleba nondum humata à Vincentino præſule, & à ſuis rapta, ſepulturam non ſibi gratam accepit, quam & citius per manus domni ODONIS ſui individui comitis mutavit, factis ſibi multis viſionibus ſed idem monentibus, & poſtquam per indefeſſum ejuſdem domni Odonis laborem, divina tamen præcedente & concedente gratia, ad locum Vangadiciæ revecta eſt, quod ſuperiora plenius legenti clarebit, domno PETRO abbati ejuſdem loci, & AZONI terræ illius Marchioni ceteriſque ſane ſapientibus id ſedit conſilii, quatinus illa ſancti corporis margarita uſque ad anni evolutionem ſervaretur incondita. Hoc autem conſilium ſapienter eſt inſtitutum, ut ſicut fama volante totius provinciæ aures invaſit raptus ſancti corporis, qui per Vincentinos factus fuerat; ſic etiam ejuſdem ſancta relatio palam omnibus fieret, & certis argumentis videndi ſeu palpandi relatum corpus vires ſumeret, & gaudium omnibus pareret relatio, quibus mærori fuit ablatio. Corpus S. Theobaldi uno anno manet inſepultum.

2. Porro id temporis frater RODULFUS, qui à beato viro decenter nutritus & dulci moralitate inſtructus, poſt ejus deceſſum in Franciam redierat, accepta benedictione à venerabili viro, domno ſcilicet ARNUL- Arnulfus abbas ſancti frater.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXVI. JULII I. FO [a] Latiniacenſi abbate, fratre prædicti ſancti, illuc parabat reverti, ut frequens & officioſus deſerviret domnæ matri VVILLÆ, & religioſus & aſſiduus perſiſteret circa ſancti corporis excubias. Illuc eundi felix fuit diſpoſitio, felicior, inquam, reditio. Galliæ ſiquidem gazas invexit, quales nec Auguſtus cæſis Parthis victrices aquilas deportando Romam revexit, quæ ſuo plenius dicentur in loco. Quo poſtquam contigit illum pervenire, contigit etiam illic eum citius redire. Domnus ſiquidem abbas Petrus & Marchio Azo, audito prædicti fratris adventu, abundanti gaudio ſunt exhilarati & læto corde refecti. Nullam patiuntur moram convocandi fratrem. Adeſt. Nulla fit loquendi circuitio; nullæ texuntur ambages, ſed ut decebat ſeriatim evolvitur rei veritas, & ſui conſilii palam fit integritas, ſcilicet quid de ſancto Dei vellent agere, & quo dierum termino omni circa regioni vellent eum manifeſtum fieri: ſe etiam huic revelationi fratrem viri Dei intereſſe, ut ipſe quidem reficeretur exoptata fratris viſione; & de multa ſancti corporis reliquiarum donatione, ſi eum contingeret impigrum feſtine oſtenſioni præſentem intereſſe. Nullus, inquiunt, fidelius & citius te hoc ſuo fratri nunciabit, & ad veniendum nemo inſtantius ſollicitare poterit. Hæc illis orantibus, eorum petitioni ab ipſo non facile præbetur aſſenſus. Nam frater ille, cui intendebant celerem peragere reditum, cautius obniti, fortius obluctari, inſuper obtendere cœpit quaſi ſibi levis ineſſet adoleſcentia, cui nulla eſſet fides adhibenda. Domnum præterea Arnulfum abbatem, virum prudentem, totum jam ex virtutibus conſiſtentem, aïebat non debere huc veniendo elaborare, niſi aliquo frueretur commodo ſanctarum reliquiarum fratris cum viſione, quippe qui primum bonus habitus, poſt melior, nunc vero habetur optimus, cujus intra & extra vel proviſa prudenter, vel acta conſtanter, vel reſponſa acute feruntur.

Invitatur ad oſtenſionem corporis ſancti.

3. Hæc & his ſimilia cum multis aliis frater ille proſequeretur, & ab illis ut eorum rogata perficeret rogaretur, ille nullo modo proteſtans tanto ſe labori ſubiturum, niſi fixis eorum aſſertionibus redderetur certus, ſi domnum abbatem nullo modo illuc tranſire poſſet perſuadere, ipſe quidem & qui cum eo delegarentur à domno abbate non caſſarentur ſanctarum reliquiarum militis Chriſti votiva donatione, niſi etiam totam ſui reditus cauſam litteris commendatam bulla eorum firmaret & muniret. Grata fit eis hujuſmodi petitio. Super quibus quærebat fit aſſertiva promiſſio, & litterarum traditur bullata confirmatio. Redit Latiniacum, venitur, negotii ſumma Patri cum fratribus aperitur, ſed litterarum teſtis veritas nondum exponitur. Sæpenumero frater legationem repetit, ſæpenumero domnus abbas refugit. Terrebat eum viæ prolixitas, terrarum aſperitas, & ardentis aëris nociva inæqualitas. Legatus mærore contabeſcit, & pæne deficit. Divina tamen præventus gratia, devenit ubi conſederat generalis fratrum conventus, & alternis ſe refovebat ſanctorum Patrum collationibus. His intererat quidam domnus YVO, albeſcens jam veneranda canitie, prænitens honeſta facie. Huic erat ſententia illic debere quantocius iri, & ſi minus erat viatici, quicquid pretioſum inerat & eccleſiæ omnia debere diſtrahi, & tam honeſto & commodo itineri debere ſatisfieri. Se quoque aïebat iturum cum eo, & etiam ſi ire domnus abbas omnino deficeretur, ipſe nihilominus hujus operis legatione fungeretur. Poſtquam id perſuaſionis in omnibus ſtetit, abbas affuit, arguiturque quod negligenter egerit; arguitur quod non perpenderit quanta vel qualis & quam

[a] Arnulfum abbatem S. Columbæ Senonenſis laudat Clarius in Chronico S. Petri Vivi ad annum 1075. tom. 2. Spicilegii Acheriani pag. 746. *qui detulit de Italia reliquias de corpore ſancti Thebaudi fratris ſui & poſuit in eadem abbatia, cœpitque ædificare eccleſiam in honore ejus ſancti, quæ eſt euntibus de civitate ad eamdem abbatiam, juxta viam ad dexteram manum.* An idem utriuſque loci abbas?

honeſta

honeſta commoditas eſſet acceſſura, non ſuæ tantum eccleſiæ, ſed etiam toti Galliæ de tam felici profectione. ANN. CH. MLXVI. JULII I.

4. At legatus certus ob nocivam aëris temperiem abbatis concidere animum, neceſſitate compulſus litteras exponit ſignatas, ut ſaltem obtineret earum lectio & impreſſa ſignorum viſio, quod non poterat legati jugis & vehemens ſuggeſtio. Quibus lectis & repetitis, totum jam divino nutu abbatis animum in vires colligit, ſe ſecurum omnis periculi alacriter iturum promittit. Qui ſe iturum promittit. Frater quoque ille jam vegetatus ex læta ſui patris ſponſione, ejuſdem patris viam præcedit unius diei itinere. Conſulto facta fuit hæc præmiſſio; ut ſi quo adverſo caſu ſequentis domni abbatis fieret recraſtinatio, ille præcedens obtineret ſuo precatu, ut illa felix oſtenſio differretur in fratris adventu. Sed hoc non fas fuit evenire; Deo præcedente, & ſancto Theobaldo ſubſequente. Tam felix enim fuit veniendi copia, ut ſtatuta dies præveniretur toto triduo. Tam enim fuit proſpera illa ambulatio, ut non videretur ambulatio, ſed deambulatio. Sæpedicto fratre Radulfo, magni laboris viro, Vangadiciam reverſo, lætatur Odo & Marchio.

5. Accepto domni Abbatis adventu, inſatiabili tripudiant gaudio, & ſatagunt ut ei occurratur ab eodem Radulfo. Infatigabilis præcurſor in patris occurſum contendit, & Deo proſperante laborem ſuum, in quemdam ſaltum occurrit. Altrinſecus viſi congaudent, cum pio lacrymarum rore oſcula figunt, & de ſui itineris qualitate quærunt. Omnia jocunda utrique referunt. Ad quamdam ſummæ nobilitatis matronam perveniunt, quæ circa eos velut altera Martha facta, cum officioſa devotione procurat omnia. Ipſa manibus infundit aquam, ipſa circumfert prandia, ipſa miſcet pocula, & parat lectiſternia, quæ tunc erant illis perneceſſaria: poſt aliquantulum dormitionis equis aſcenſis omnium laborum obliti, Vangadiciam contendunt. Fama prævolat, tantum virum adeſſe prænuntiat. Populus convenit, cum multo plauſu occurrit. Certe non Arar, non Albis, non Rhodanus, non indomitum caput Rheni tantum triumphum præſtitit Cæſari. Certe non ille magnus Euphrates, non ille velox Tigris, non illa etiam magna Roma tantum triumphum Auguſto exhibuit, poſtquam cæſis Parthis, jam diu captas aquilas urbi victor invexit. Tantus enim triumphus Dei athletam ſanctum Theobaldum decebat, qui diabolum debellavit, & inimicam carnem ſibi ſubegit. Cœpta me revocant. Igitur cum magna triumphali gloria, cum multa lætantis populi & primatum frequentia, ille venerabilis viri Dei frater ad ſancta Dei ducitur luminaria. Quid gemitus, quid planctus, quid ſingultus, quid lacrymarum ibi profuſum fuerit, ſcriptor dicere non elaborabit. Perlucidum enim cuiquam eſt, quid abundans gaudium inſperatæ rei prævaleat. Oratum eſt. Sedent, ſe grata verborum vice demulcent, multa quærunt & multa conferunt. Advenit Vangadiciam.

6. Auditorio ſoluto tunc demum nobilis ille peregrinus, ut erat curialis vir facundiæ, omnibus amotis, cum quibus ſuorum placuit, domnum Marchionem amica convenit allocutione. Vir, inquit, amice Dei, ſubtiliter animadverte, quid de theſauro tibi divinitus commiſſo agendum videatur. Sponſionem tuam erga me, ut tanto viro competit, non dedigneris exſequi. Sum etenim, etſi indignus, frater ejus, & ejus præcordiali cauſa tot emenſus ſum terrarum pericula, tot montium cacumina, tot ſaltuum devia, & his procul dubio omnibus me ſecurum faciebat ſancti Dei familiaris oratio, & de votivis ejuſdem ſancti reliquiis per litteras tuas promiſſa donatio. Eſt etiam inconveniens, unius modioli anguſto premi tantum luminare. O quam longe diſtans ab hac petitione fuit Marchio in ſua reſponſione! Aſſerebat ſibi abeſſe tanti effectus poſſe, ſe nolle tanti pretii theſauro regionem ſuam depauperare, & alienam ditare. Si aliqua Marchionem alloquitur, ut promiſſis ſtet.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXVI. Julii I. ſuſpicionis nare Langobardica feritas olfaceret, ſe male multandum, vel inſuper detruncandum. Sed Dei pietas in cujus manu eſt cor regis, cito mutavit ſententiam principis. Nam poſt breve ſancti Dei fratrem convocavit, & participem ſanctarum reliquiarum præter ſpem effecit. Dedit enim ei brachium dextrum cum ſplenta, & nervum ulnæ, orcam, coſtas duas, duos nodos ſpinæ, particulam carnis, quatuor dentes, cilicium.

SS. reliquias accipit.

7. Acceptis tanti deſiderii reliquiis, jam non erat eis tutum ſanctas ædes reviſere, ne à patientibus ſpiritum immundum proditi punirentur. Proinde frater Yvo, cujus ſupra facta eſt mentio, cum ipſis ad piæ memoriæ matrem ſancti Vvillam dirigitur. Tunc quiddam ſcriptura dignum erga ſanctum Dei contigit videri, quod fuit hujuſmodi. Nam priuſquam fieret publica revelatio, viſum fuit quibuſdam altioris conſilii viris, coronam ejus debere abradi, quia aliquantulum capitii inhæſerat capiti. Inter radendum cutis illa ſubtus inciſa lactis guttulas fudit pro ſanguine. Quotquot affuerunt ſcriptori fidem aſſerunt. Ut jam ad cœpta redeatur, prædictus abbas pro libitu omnibus evolutis, ſubſequitur Yvonem, viſurus divæ memoriæ matrem. Quam uberi gaudio mater exſultat de filio, quam uberi gaudio filius exſultat ſuper matris colloquio. Oſtenſo dominæ filii ſui brachio, lætata eſt illa ſancta femina, quod non luſerat illos Langobardorum fallax verſutia. Peractis aliquot diebus, in quibus dulcis fuerat commoratio, paratur in Franciam reditio. Tunc demum certe omnium turbantur pectora, utrimque profluit lacryma. O quam ſæpe filii ſui Arnulfi matrem reſpexit oculus, quam ſæpe ad matrem redit filius. O quam ſæpe repetita matris benedictio tendit in filium, quam ſæpe materna oratio Dominicis manibus commendat filium.

Miraculum.

Matrem inviſit.

Redit in Franciam.

8. Tandem utrimque facto vale, tranſactoque multo terrarum ſpatio, proſpero curſu pervenitur ad caſtrum Joviniacum [a], in Burgundia ſitum; ibidem pauſatur & pernoctatur. Primo illuceſcente diluculo præmittitur qui nuntiaret hæc domno Richerio Senonenſi archiepiſcopo, & univerſæ civitati. Gaudium fit omnibus, occurritur ab omnibus. Non clerus, non populus ab hac officioſa ſedulitate ſecernitur. Dei nomen glorificatur. Sancti Theobaldi nomen cum laudibus & precibus ingeminatur. Cum ingenti itaque omnium tripudio, ad ſancti Stephani eccleſiam [b] pervenitur, præ omnibus in laude clerus perſiſtit: quia quanto in ordine Deo vicinior, tanto etiam in hymnorum dulcedine frequentior. Nec mora gaudia gaudiis ingeminantur, & quanti apud Deum eſſet hoſpes ille nobilis meriti, palam fit omnibus mirificante Deo ſanctum ſuum. Aderat quidam huic tripudio de villa Selbona, quæ civitati ſatis eſt contigua. Huic adventus ſanctarum reliquiarum gaudium quidem præſtabat, ſed imperfectum illud erat, quia ſuæ faciei incommodum tolerabat. Naſum enim adeo morbus canceris exederat, ut jam non naſus, ſed naſi locus videretur. Felix imperfectio, cui ſupplementum adhibuit ſancti viri interceſſio. Nam ille naſi locus tactus ſancti viri brachio, integritatem accepit per totum faciei decorem. Tum vero laudes accreſcunt, ad alta voces aſcendunt. Nihil ibi erat cernere præter gaudere, & interdum præ gaudio flere. Exeuntes à civitate cum lætanti & frequenti comitatu, totum Pruvinum Caſtrum excipit non minori plauſu, vel minori apparatu. Hac de cauſa propenſius ei deſerviunt, & quia familiarius ſuper ſuis omnibus eum conſulunt: nec præterito temporis multo rotatu eccleſiam illi ſtatuunt, ubi multa beneficia fiunt in populo, præſtante Dei pietate, & ſancto Dei Theobaldo pro ſuis interveniente. Non ibi fuerit moræ, quia Latiniacum accelerant pervenire. Fama velox percurrit, caſtella, vicos, villas, civitates in ejus occurſum emittit.

Senonibus cancro exeſus curatur.

Pruvini eccleſia dicatur S. Theobaldo.

[a] Vulgo *Joigni*, ad Icaunam fluvium.
[b] Ea eſt eccleſia Metropolitana.

9. Igitur cum magno tripudio, Latiniacum pervenitur. Ecce Pariſius civitas via regalis, Meldis * inſula fertilis, civitas nobilis, & omnis circumjacens regio, properat in occurſum tanti amici Dei, per quem ſibi crederent affutura multa divinæ caritatis beneficia; ſcilicet rumpenda peccatorum vincula, captorum & compeditorum ſolvenda ligamina. Igitur lætantibus Angelis & exſultantibus populis, illæ ſanctæ reliquiæ inferuntur in ſanctam Jeruſalem civitatem Dei, id eſt in eccleſiam ſancti Petri Apoſtolorum principis. Tum vero perſonant laudes, ingeminantur preces, non deſunt organa, non lyra, non cithara, & quicquid variat dulcis muſica. Libere ac licet felicem prædicare Latiniacum, ut pignoribus illius magni PETRI honeſtatum, qui mundo cordis oculo meruit contueri: Tu es Chriſtus filius Dei vivi; ſanctorum quoque Innocentium floribus adornatum. Nec deſunt inibi pretioſa venerabilis martyris oſſa FLORENTINI [a], poſt longe delata ab ipſo Arnulfo abbate fratris ſancti Theobaldi, cui non minorem venerationis exhibitionem aſpera exhibet Burgundia, qualis ſancto Areopagitæ Dionyſio noſcitur exhiberi in Francia. Non abeſt FURSEUS, ille magnus & vere mirificus, cujus ſancta prece etiam nunc manat fons jugis aquæ; & ſuæ orationis pro eodem loco apud Deum aſſiduitas & multorum Dei fidelium ſecum aſſumta ſocietas. Hos inter emicat ſancti Theobaldi ſtella præfulgens & prælucida. Hæc ſtella præclarius cum aliorum inibi quieſcentium orationibus, totum Latiniacum expediet à peccatorum tenebris, & nebulis æternæ mortis.

ANN. CH. MLXVI. JULII I.

* Meaux.

Latiniaci excipiuntur reliquiæ.

Latiniaci laudes.

10. Cum igitur omnibus in pace compoſitis res ſederet in tranquillo, Robertus quidam natione Brito cibum manu quæritans, illa morabatur in vicinia. Hic dum una noctium ſe dediſſet ſopori, quadam divina monetur viſione, quatinus ſupradicto Yvoni nuntiaret, ut illinc beatum Dei Theobaldum transferret in locum ſilvæ, quæ Fagos * dicebatur. Hoc viſu homo ille angebatur animo, nulli putans tutum aperiri quod ſemel viderit. Secundo ſuper eodem monitu fit viſio. Necdum etiam ratum habuit homo cuilibet hoc detegere. Tertio fit ei nominata viſio, ſed acris & objurgata increpatio; cui dum ille poſitus in viſione reſponſum haberet ſe metuiſſe, ne ſopori tantum & non monitioni deputaretur, & ob id nil fidei verbis ſuis haberetur, ſe quoque ignorare ubi primi aditus futuræ domus jacienda eſſent fundamenta, jubetur ſequi. Venitur ad condenſum & opacum ejuſdem ſilvæ locum. Hic, inquit, quod quæris prima naſcentis eccleſiæ ſurgent limina [b]: hic vero (jam enim ad locum tranſierant ab hoc perparum diſtantem) hic, inquit, fiet puteus, à quo multa beneficia percipiet quivis infirmus, qui accedet integro corde rogaturus. Ecce, inquit, audiſti, locum vidiſti. Nihil diſſimulationis ulterius obtendi poterit, nil deſidiæ, nil ſocordiæ ultra patiaris in patrando tibi divinitus delegatum officium; hæc oſtendens hæc præcipiens erat ipſemet beatus Theobaldus, vultu ſerenus, viſu præclarus. Homo prædictus de viſione jam certus, facto die, prædicto Yvoni quicquid ſibi juſſum fuerat per viſum fideli relatu expoſuit; domno quoque Abbati res palam facta eſt: uterque ut frivolum neglexit. Pauperculus autem locum ſibi ſignatum futuri putei cavare totis viribus elaborabat, & egeſtis ruderibus emundabat. Prima ſcatebra laticis ebulliente immerſo ſancti Theobaldi brachio, ceteris quam multis ſanctorum pignoribus ſanctificatur aqua, quæ multis infirmorum laboribus erat profutura.

Theobaldus eccleſiam ſibi alio deſignat

* V. le Bois du Fou.

a Tranſlationis ſancti Florentini hiſtoriam habes infra ad annum 1094. Ex hoc autem loco collige Florentinum, non Seduni in Valeſia, ut putarunt recentiores, ſepultum fuiſſe, ſed Pſeuduni in Burgundia, ut in præmiſſis ad laudatam tranſlationem obſervatur. Hæ ſacræ reliquiæ à Calviniſtis violatæ & concrematæ ſunt, præter ſacerdotalia indumenta S. Furſei, quæ hactenus in abbatiæ theſauro ſacro aſſervantur. Fons item hic laudatus, ob copiam aquæ mirabilis, etiamnunc per totum opidum fluit.

b Adhuc perſeverat hæc eccleſia monaſterio Latiniacenſi ſubjecta.

Digitized by Google

Ubi miracula frequentia.

11. Hujus primum tale Deus dedit experimentum. Muliercula quædam de Torciaco * ſeptennio cæca, illuc perducta eſt, quæ peractis Dominicæ noctis vigiliis, ea quidem tunc fuit aqua tot pignoribus ſanctorum conſecrata, oculorum loca perfudit, viſumque recepit, & nullius egens amminiculo gaudens ſua repetivit. Fama circumvolante & tam inſperatam ſalutem deportante, magnus infirmorum concurſus illuc fuit. Aqua putei reſperguntur, & ſic febres fugiunt, imperfectis artubus quolibet ingruente caſu perfectæ ſanitates accedunt. In his omnibus Dei pietas magnificatur, & ſui fidelis Theobaldi nomen ampliatur. Benedictus Deus per omnia. His & ſimilibus prædictus ſancti Theobaldi frater, domnus ſcilicet Arnulfus, & Yvo prænotatus locum præmonſtratum in ſilvula, quæ Fagos dicitur, demundant, dumos, ſpinas & multa hujuſmodi evellicant, locum futuræ eccleſiæ coaptant. Paries vimineus texitur, quo locus ille totus ambitur, in quo Deo manum apponente, paullo poſt ſtructura nobilis habebat conſurgere. In illa viminea quaſi quædam tentoria, ſancti Theobaldi excubant pignora. Ibi erat cernere qui venerant claudi ſanos redire, & qui venerant aliqua membrorum parte deintegrati reintegratos & lætos ad ſua regredi. Ne videamur per multa diffluere, & quaſi quadam ampulloſa verborum ambage diffundi, dignum videtur aliquid proprium & de quavis nota perſona ſubnotari, cui præſentium fides debeat adhiberi, & ſubſequentium credulitas confirmari ad laudes Dei & gloriam beati Theobaldi.

* Torcy.

Contracta curatur.

12. Quædam Albereda internodis poplitum contractis, quibuſdam ſcabellulis innixa, utcumque ad locum ſancti pervenit, ibi per aliquot menſes perſtitit, quia nondum tempus divinæ propitiationis ei advenit. Hæc dum divinæ ſanitatis exſpectatione fruſtraretur, & neceſſitate familiaris rei vexaretur, ad propria volens remeare, à quibuſdam ſani conſilii viris conſultum accepit, ut etiam nunc ad breve perſiſteret, nec de Dei & fidelis ſui Theobaldi pietate diffideret. Perſtitit. Facta nocte Dominica, ipſa cum aliis interfuit ante venerabilem viri Dei memoriam. Erat jugis in prece, Theobaldum vocat, Theobaldum inclamat. Nec mora, Dei pietas affuit. Mulier enim tota in ſpe, manibus circumreptans, quo potuit anniſu ſanctum altare contigit; & inde ruptis nervorum nodis, & profluente ſanguinis rivulo in pedibus læta perſtitit. Omnes ilico conſurgunt, cum impetu currunt; quid acciderit, vel quomodo acciderit diligenter inquirunt. Ipſa res per ſe loquitur, mulier de ſe ipſa miratur, de recepta ſanitate lætatur. Voces in Dei laudes attolluntur, & inde Angelici cœtus jocundantur. Illuceſcente totus Latiniacus illuc affuit, nec etiam honeſtus monachorum chorus abfuit, quibus pium erat flere Theobaldo, & pium erat gaudere Theobaldo.

Item contractus.

13. Huic tam nobili divinæ curationi quiddam non inferius placuit adnecti. Divionenſis quidam Johannes, nativo pedum officio deſtitutus, nervis correptis contractus apparebat, & ſe qualicumque ſcabellorum amminiculo circumferebat. Hic audita viri Dei potentia, ad ipſius locum aſelli vehiculo delatus pervenit. Nec diu moratum eſt in reddenda corporis æqualitate. Dum enim ſequenti die frequens veniſſet populus, ipſe extra ædes ſanctas jacens, ſubito vociferari cœpit. Cujus vociferationis ſubito motu fratres cum multis aliis eo loci venerunt. Quærentibus curnam eſſet tanta vociferatio, infirmus ſanctum Theobaldum dicit adveniſſe, nervos contractos extendentem, & poplites male inflexos explicantem. Inter hæc verba bonus ille medicus in integrum corruptum illum reformavit. Qui protinus ad ſancta ſanctorum lætus excurrens, pro accepto beneficio Deo, & curatori ſuo Theobaldo gratias retulit, & populo magnam lætitiam præſtitit. Sanatus itaque cum ejuſdem loci fratribus triennio commora-

Digitized by Google

tus eſt, ipſis, ut oportebat, in omnibus officioſe deſerviens. ANN. CH. MLXVI. JULII I.

14. Noviomacus * civitas pernobilis, & ipſa perſenſit efficaciam tanti medici. In hac erat quidam, qui ex incommodo filiæ, cæca enim erat, graviter fatigabatur. Audito viri Dei rumore, pro poſſe citius affuit, filiamque una ſecum adduxit. Dum autem infra eccleſiam per aliquot dies nihil pietatis acciperet, ad ſupradictum puteum abiit, de cujus aqua dum loca oculorum filiæ perfunderet, filia lumen recepit, & eccleſiam repetens fratribus ſancta Miſſarum myſteria tractantibus gaudens occurrit. Gaudii cauſa in promtu erat, ſcilicet filia ex non vidente videns facta. Gaudia gaudiis accreſcunt, fratres cum omni populo voces jocundas ad cælum mittunt. Nihil ibi erat tunc audire vel dici, niſi ſuper his omnibus admirari & Deum magnificari, qui per ſervum ſuum talia dignabatur operari.

* Noyon. Cæca lumen recipit.

15. Accedit aliud quod ſe vehementer ingerit, & dici vehementer expoſcit. Muliercula neſcio ubinam terrarum commorans, quemdam celebrem diem negligenter agens, neſcio quid reſarciens vel conſuens, ultionem condignam pertulit, acus in mediam palmæ molam caſu labens incidit, manus etiam tota ſuper incurvata, acum operuit. Nullatenus acum jam erat extrahi, nullatenus jam erat perplexionem manus explicari. Mulier aſſiduis punctionibus urgebatur, acerrimis doloribus puniebatur: & multo jocundius fuiſſet penitus manu caruiſſe, quam tantis doloribus paullatim deficere. Hæc audita viri Dei clementia, advenit per ſemet rogatura. Oravit, & exoravit. Nam cito per miſericordem Deum, intercedente dilecto ſuo Theobaldo, & manus ab inflexione eſt revoluta, & acus educta. Benedictus Deus qui voluntatem timentium ſe facit, & deprecationem eorum exaudit, & eos ſalvos facit.

Punita ob feſtum violatum, liberatur.

16. Latiniaci erat quædam haud ignota, ſed genere & re ſatis fortunata, dicebatur autem Aſcelina. Hujus dextera diriguit, quæ pollicem immenſo & ceteris digitis in condylum perplexis contabuit, & ulterius ad nihilum utilis emarcuit. Quæ quia vicina erat & dolor impellebat, & Dei pietas latenter attrahebat, cum amica ſua Odelina ſupplex ad ſanctum viri Dei altare acceſſit. Quia vero humili corde & plena fidei conſtantia venit, cito voti compos fuit. Nihil enim hæſitans cilicium viri Dei plena fide tetigit, poſt cujus tactum diu condylata manus reſolvitur, & officio ſuo reſtituitur: Benedictus Deus qui orationem fidelium ſuorum non amovet à ſe, & miſericordiam ſuam non repellit ab ullo timentium ſe.

Mulier ſanata.

17. Britannia meruit non ſecludi à participio tanti beneficii. In hac cuidam patri & matri filius tanta membrorum inæqualitate diminutus, ut ſola mortis imago videretur in eo. Non erat ille contractus, non encleticus, non paralyticus, ſed jacens tota mole extenſus, nullam mutationem lateris poterat facere, niſi hoc paterni & materni doloris triſti labore. Internodia poplitum nulla ſolutionis utebantur viciſſitudine, ipſa quidem genua quaſi cohærentia ſtringebantur, crura, pedes invicem collidebantur, & niſi paternus & maternus labor vel panniculos vel aliquid ejuſmodi curaret interferere, innexionem ſibi invicem videbantur facere. Manus & brachia quaſi nec eſſent, ſic torquebantur inutilia. Hunc tam miſerum, tanta defectione imperfectum, uterque parens, audita ſancti viri Theobaldi fama, birotæ ſuperpoſuerunt: & quia omni carebant adminiculo, ſe ipſos applicuerunt, & ſic poſt multum ſudorem & angorem, poſt multam famem & ſitim, pervenerunt quo eos deſiderium ſuum impellebat. Videntes quique mirabantur, & ne quid hujuſmodi paterentur Deum deprecabantur. Ejus curatio differtur aliquot dierum intervallo, ut quotquot teſtes habuit ejus miſeria, tot etiam teſtes haberet pietas divina, de tandem adhibita medicina ei. Igitur qui olim dixit: Et ſi non ſurget eo quod amicus ejus ſit, propter improbitatem tamen ejus ſurget, & dabit ei quot-

Horribili morbo attritus curatur.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXVI. JULII I. Auctoris ætas.

quot habet neceſſarios; ille, inquam, ipſius parentum lacrymis tandem evictus, per dilectum ſibi filium Theobaldum integre ſanat infirmum. Huic curationi plures interfuerunt, qui etiamnunc ſuperſtites veri teſtes habentur. De percepta infirmi medicina ingens omnium oritur lætitia, Deus laudatur, beatus Theobaldus glorificatur. Benedictus Deus qui non ammovit à ſe orationem pauperum, & miſericordiam ſuam ab omnibus timentibus eum.

Item cæca.

18. Ex more quædam nupſit viro, bona fuit eorum copula, ſed anguſto tempore manſit concordia ejuſdem copulæ. Occulto ſiquidem Dei judicio, qui ſolus novit quæ fiunt cur ita fiunt, uxorem illam cæcitate percuſſit, maritus quoque ejus ab ejus amore paullatim ſe cœpit ſubtrahere, nec de ejus dilectione curare. Interdum querebatur; interdum conviciabatur; illa amaro animo eſſe, triſtis & plorans omnia perferre. Infandus autem ille olim maritus diabolica fraude circumventus, furtim arcam in qua res cellæ ejus erant fregit, & omnibus acceptis fugit. Miſera autem ad ſanctum Dei Theobaldum confugit, & ideo promeruit ſolatium & viſum recepit. Tunc lætatur muliercula, quæ ex dolore ſurgit lætitia; dum ſibi eſt reſtituta ſanitas inſperata.

Vinctus ſolvitur.

19. YVO abbas ſancti Dionyſii martyris Chriſti quemdam ſuorum pro culpis, ut aïebat, nexum catenæ collo injecit, & ipſam catenam ultra murum miſit, ut nulli facilis ad ſolvendum eſſet. Inexorabilis & acer Yvo in ſuo perſeverabat propoſito, nec flectebat eum aliqua divinæ pietatis juſſio. Catenatus fidelem Dei Theobaldum inclamat, Theobaldum ingeminat. Abbate vero in ſui adamantini cordis duritia permanente, quod mirum eſt dictu! murus ille, cui catena erat trajecta, in oculis omnium ruinam fecit, & catenam quaſi ſibi commiſſam ſolvit. Omnibus videntibus vinculatus ille liber & expeditus ad ſanctum Dei Theobaldum pervenit, teſtemque ſuæ ſolutionis catenam ſecum detulit, quæ ante ſanctum altare appenſa teſtatur, quia melius eſt confidere in Domino, quam confidere in homine.

BULLA ALEXANDRI III. de canonizatione S. Theobaldi.

ALEXANDER epiſcopus ſervus ſervorum Dei omnibus fidem Chriſti colentibus gratiam & apoſtolicam benedictionem. Multa præclara & admiratione digna de quodam eremita religioſo viro, THEOBALDO nomine, celebris fama divulgat, quam ſancte & religioſe vixerit, & exutus omnibus Dominica præcepta ſecutus ſit cum in præſentiarum fuiſſet, manifeſte patet. Miraculorum vero indicia indubitata fide ejus merita commendant, multis religioſis viris ſuper his cognita & vera referentibus. Quapropter vitæ ejus converſatione cognita, & miraculorum indiciis probatis per non fallacia teſtimonia, ſuggerentibus nobis de eo MAINARDO & DAMIANO Epiſcopis & Vincentiæ populo, illum celebri memoria dignum Romana decrevit eccleſia. Et quia procul dubio cum electis coronatur in cælis, ut ejus memoria ſicuti aliorum ſanctorum præcipimus ſollemniter celebretur in terris.

VITA S. ROBERTI CONDITORIS
ET PRIMI ABBATIS CASÆ-DEI
IN ARVERNIA.

Auctore MARBODO archidiacono Andegavenſi, tum Rhedonenſi epiſcopo, æquali.

Ex variis codd. mſſ. cum Aprili Bollandiano collatis.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ ſcriptores, Geraldus de Venna.

1. *TANTA fuit beati Roberti apud omnes ſanctitatis opinio, ut paullo poſt ipſius mortem de feſtivitate in ejus honorem inſtituenda, publicoque cultu ei exhibendo actum fuerit. Ea fuit ejus deſcribendæ vitæ occaſio, quam provinciam in ſe ſuſcepit Geraldus de Venna Caſæ-Dei monachus, quique, utpote beati viri Capellanus, rebus geſtis, ac miraculis ab eo patratis præſens ut plurimum interfuerat. Id ex altera vita ejuſdem ſancti, quam inferius exhibebimus, ediſcimus, in qua hæc leguntur verba diſtinctione 2. cap.* 6. Geraldus de Vennà, diſcipulus & Capellanus beati Rotberti, vitam & miracula ejuſdem deſcripſit, &c. *Is vero Romam adiit, ac recitatis coram ſummo Pontifice ac Cardinalibus beati Roberti virtutibus; impetravit ut ejus ſanctiſſimi viri feſtivitas celebraretur.*

Marbodus epiſc. Rhedonenſis.

2. *Verum etſi in hac Geraldi lucubratione nihil niſi certum & indubitatum haberetur, diſplicuit tamen nonnullis, quod* difficili ac prolixo ſtilo *exarata, ut ait Marbodus, tædium legentibus pareret. quare ipſe Marbodus, abbatis & monachorum Caſæ-Dei ſuaſu, ad alteram concinnandam, vel potius ad eam, quæ jam ſcripta erat, in meliorem & comtiorem formam revocandam manum admovit. quam cum uno libello comprehenſam ad Caſæ-Dei monachos tranſmiſiſſet, ita placuit abbati Marbodi opus, ut ſtatim eum* frequentibus petitionibus, *ut ipſe Marbodus loquitur,* coëgerit *ad idem de ſecundo Geraldi libello præſtandum, qui de beati Roberti virtutibus inſcriptus erat. Abbatis deſiderio ſatisfecit Marbodus, tunc Andegavenſis archidiaconus, qui poſtmodum Rhedonenſis epiſcopus factus eſt, eidemque Abbati libellum hunc ſingulari epiſtola, quæ operi præfigitur, nuncupavit. At variant codices in hujus Abbatis nomine deſignando, quem nempe alii Stephanum, alii vero Seguinum appellant. Erroris occaſionem præbuit prima utriuſque nominis littera S. quæ cum in vetuſtioribus codicibus ſola exſtaret, ab his in Stephani, ab iſtis vero in Seguini nomen traducta eſt, quod uterque abbatis Caſæ-Dei munus vivente Marbodo obtinuerit. Verum ſi quis rem paullo acuratius inveſtigare velit, facile reperiet Seguini nomen eſſe retinendum. quamvis enim Stephani nomen plerique codices mſſ. exhibeant, vetuſtiores tamen indicant Seguinum, qualis eſt codex ſanctæ Mariæ de Britolio in Picardia, quem penes nos habemus. Idem haberi in veteri codice ſancti Cypriani Pictavienſis nos monuit noſter Petrus Laurentii, qui nobis multas ad hanc vitam obſervationes ſuppeditavit. Favet Bernardi, de quo mox plura dicturi ſumus, teſtimonium. Is enim diſtinctione ſecunda libri Tripertiti diſerte tradit, Marbodum archidiaconum beati Roberti vitam ad meliorem formam revocaſſe, ubi de viſione Radulfi cujuſdam loquens, ſic habet.* Hanc Archidiaconus Andegavenſis magiſter Marbodus, poſtea Rhedonenſis epiſcopus, in ſecundo libro retulit, quem de miraculis ſcripſit beati Rotberti. *Et quidem epiſtolæ nuncupatoriæ ſtilus Epiſcopum abbati loquentem non ſapit. Si vero Marbodus, adhuc archidiaconus, hanc Vitam ſcripſit, neceſſario inferendum eſt eam Seguino, non Stephano fuiſſe nuncupatam. Nam Stephanus anno* MCVIII. *Abbas Caſæ-Dei electus eſt, duodecim ſcilicet circiter annis, poſtquam Marbodus ſedem Rhedonenſem conſcenderat. Is enim anno* MXCVI. *Epiſcopus factus eſt.*

Bernardus.

3. *Præter hos duos auctores, qui beati Roberti æquales fuere, Bernardus Caſæ-Dei monachus, ac Prior ſanctæ Gemmæ in pago Santonenſi, tertiam beati Roberti vitam ſcribere aggreſſus eſt; in qua, ut ipſe teſtatur in Prologo, ea quæ à prioribus ſcriptoribus aut prætermiſſa, aut ſane nimia brevitate contracta fuerant, prolixius enarrat, adjectis miraculis, quæ ad ejus uſque ætatem*

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXVII. Apr. XVII.

patrata fuere, id eſt ad annum uſque MCLX. quo illud opus ſe ſcripſiſſe indicat. Illud vero in tres ſectiones ſeu diſtinctiones partitus eſt, atque adeo librum Tripertitum voluit appellari. Porro Philippus Labbeus, qui primus hunc librum ex Jacobi Sirmondi ſchedis evulgavit, ejus auctorem Bertrandum appellat; eumque ſecuti ſunt Bollandiani, quod cap. 16. diſtinctionis 3. in eorum editione hæc verba ſemel legantur: Bertrandus qui hæc ſcripſi. At in ipſa Labbeana editione, & quidem eodem capite, idem ipſe auctor ter Bernardus dicitur, quamvis Bollandiani ubique Bertrandum, ex priori loco poſteriora, ut ipſis videbatur, corrigentes; ſed id abſque ullo mſ. codice repoſuerint; cum è contrario prior locus poſteriorum ope emendandus fuiſſet, ut conſtat tum ex codicibus omnibus Caſæ-Dei, tum etiam ex noſtro Brituliensi, in quibus hic auctor conſtanter ubique ſe ipſe Bernardum appellat. ſed ſatis ſit de hac nominis differentia. Hæc vero diximus, ne aliquibus fortaſſe videamur auctoris nomen temerario immutaſſe.

Petrus Bringerius.

4. His tandem auctoribus, qui beati Roberti geſta ſcripſerunt, adjungi poteſt Petrus Bringerius, Caſæ-Dei magnus Prior, qui ſæculo ſuperiori illud monaſterium ſuis ſcriptis illuſtravit. Inter alia vero ejus opera habentur varii ſermones de beato Roberto, in quibus non ſolum ea quæ à laudatis ejuſdem ſancti vitæ ſcriptoribus relata fuerant enarrat, verum etiam alia adjicit, ex quibus nonnulla digna ſunt obſervatione, quæ inferius in notis ad vitæ textum ſuis locis proferemus. Ab eodem auctore concinnatus eſt catalogus abbatum Caſæ-Dei, quem Labbeus tomo 2. Bibliothecæ novæ typis edidit. cetera ejus opera, excepto tractatu de virtutibus & vitiis, nondum typis edita fuerunt, quæ in Bibliotheca monaſterii Caſæ-Dei mſſ. adſervantur. Porro Geraldi opus jampridem excidiſſe veri ſimile eſt: at duos Marbodi libros, cum Tripertito libro primus vulgavit in Bibliotheca nova Philippus Labbeus ex Sirmondi apographo, quos poſtea libros Bollandiani, in menſe Aprili ad diem XXIV. rurſus ediderunt. Hæc autem omnia, ad codices aliquot mſſ. collata, viſum eſt denuo recudere, tum ob ſcriptorum illorum auctoritatem, tum quia ex noſtris codicibus multa loca in iis emendavimus, potiſſimum in libro Tripertito, quem ex ſola Labbei editione protulerant Bollandiani. ſed modo agendum eſt de ſupremo beati Roberti anno.

Annus quo S. Robertus obiit.

5. Animus non eſt hic varias recentiorum auctorum opiniones circa diem & annum obitus beati Roberti referre, qui nullo freti certo teſtimonio diverſas in ſententias abierunt. His itaque omiſſis, quid veteres ea de re ſenſerint aut ſcripſerint inquirendum. quorum verba ſi attendamus, non adeo operoſum erit, ut quidem mihi videtur, rei veritatem eruere. Hac in re præivit nobis eruditus vir Ægidius Lacarry ſocietatis Jeſu preſbyter, qui beati Roberti obitum anno MLXVII. contigiſſe cenſet, & quidem die XVII. Aprilis; depoſitionem vero ejus ſeu ſepulturam die XXIV. ejuſdem menſis, quod modo probandum eſt. Et primo quidem, hunc annum aſſignat Hugo abbas Flaviniacenſis ſcriptor accuratus, & beati Roberti æqualis, ſcilicet in Chronico Virdunenſi, à Labbeo edito tomo 1. Bibliothecæ novæ, cujus verba cum interpunctionibus quæ in edito habentur referimus. Anno, inquit, Incarnationis Domini M..... illuc venit, Robertus ſcilicet, ubi præfuit.... annis IX. & factus... abbas præfuit annis.... & migravit ad Dominum anno MLXVII. Hæ temporum diſtinctiones probant rem non oſcitanter ab Hugone deſcriptam fuiſſe, viro, ut jam diximus, accurato, nec auctoritatis contemnendæ. Neque ab ea ſententia recedit auctor Chronici Malleacenſis, qui eodem fere tempore vivebat. ſic autem habet apud eumdem Labbeum tomo 2. Bibliothecæ novæ. Anno MXLIII. Beatus Rotbertus cœpit ædificare monaſterium ſuum Caſæ-Dei in honorem ſanctorum Agricolæ & Vitalis, quod ipſe primus exſtruxit, & rexit quindecim annis.... obiit autem in pace plenus ſanctitate octavo Calendas Maii. Ex quo loco, ſed male intellecto, San-Marthani fratres tomo 4. Galliæ Chriſtianæ obitum beati Roberti ad annum MLVIII. revocarunt. Verum in eo falſi ſunt viri eruditi, quod novem annos, quos Robertus in ædificando monaſterio inſumſit, ſub ejus quindecim annorum regimine concluſerint, qui tamen ipſis præmittendi ſunt, ut probatur tum ex loco Hugonis ſuperius allato, tum ex præcepto Henrici primi, quod inferius exhibebimus. in quo quidem diplomate, Rex anno MLII. novem ſcilicet annis poſt beati Roberti ſeceſſum, qui anno MXLIII. contigit, permittit Rotberto Canonico & Theſaurario Brivatenſi, ut Caſæ-Dei ad culmen & honorem abbatiæ promoveatur. Si itaque novem illi anni ad quindecim alios, quibus Robertus abbas præfuit, adjiciantur, cum anno MXLIII. Robertus eremum dicatur petiiſſe, ejus ſupremus annus erit MLXVII. quem aſſignavimus: atque ita Chronici Malleacenſis auctor cum Hugone concordabit. Aliud præterea validiſſimum argumentum nobis ſuppeditat ipſe Bernardus libri Tripertiti auctor. Hic nempe diſtinctione 1. cap. XVIII. de beati viri morte hæc habet: In Reſurrectione poſt octavas tertio die, cæli ſublimia aſcendens, die decimo quinto Calendas Maii exſiſtente, ac ſepulturæ traditus octavo, à matre Domini deducitur. quibus verbis ille auctor indicat Robertum obiiſſe die decima-ſeptima Aprilis, quæ dies eo anno erat feria tertia poſt octavam Reſurrectionis Dominicæ, & ita hoc ipſo anno, quo Robertus è vita exceſſit Paſchatis feſtum die octava Aprilis celebrari debuit. At ab anno MLII. quo Robertus à Leone papa & Henrico Francorum Rege privilegia obtinuit, Paſcha celebratum non fuit die octava Aprilis ante annum MLXVII. nullique alteri anno competere poſſunt chronologici characteres à Bernardo deſignati; proindeque ad hunc ipſum annum revocandus eſt neceſſario beati viri obitus. Alia item profert argumenta

Digitized by Google

argumenta Lazarryus ſupra laudatus, ut id ipſum evincat. ſic obſervat Durandum beati Roberti ſucceſſorem, qui decem annis Caſæ-Dei præfuiſſe dicitur, anno MLXXVII. *in ſedem Claromontanam evectum fuiſſe, aliaque ſimilia congerit, ſed quæ fuſius referre non vacat, nec expedit: cum ea quæ protulimus abunde ſufficiant.* Ann. Ch. MLXVII. Apr. XVII.

6. *Circa diem vero quo beatus abbas è vivis exceſſit, nulla ſupererit difficultas, ſi Bernardi verbis ſtare velimus, qui loco laudato ait eum* decimo-quinto Calendas Maii *in cœlum aſſcendiſſe, quamvis corpus ejus ſacrum nonniſi poſt octo dies ſepulturæ mandatum fuerit. quæ quidem exſequiarum dilatio occaſionem præbuit Chronographo Malleacenſi, & fere omnibus, qui poſtea ſubſecuti ſunt, auctoribus, ad octavum diem Calendarum Maii beati Roberti mortem revocare. quo reipſa die ejus feſtivitas potiſſimum celebratur. At prævalere debet, ut quidem videtur, Bernardi auctoritas, qui non ſolum eo loco, ſed & iterum cap. 3. Diſtinctionis 2. idem repetit.* Dies.

7. *Vix è vivis Robertus exceſſerat, cum ejus feſtivitas, annuente ſummo Pontifice, in ſingulis monaſteriis Caſæ-Dei ſubjectis inſtituta fuit, ut ſæpe laudatus Bernardus teſtatur. Ejuſdem ſancti viri cultus ad vicinas diœceſes poſtea tranſiit. Sed inter cæteros in colenda beati Roberti memoria enituere Brivatenſis eccleſiæ ſancti Juliani canonici, qui ejus nomen cum elogio ampliſſimo in ſuum Martyrologium invexerunt. Idem fecere Sauſſayus in Martyrologio Gallicano, Menardus in Benedictino, Ferrarius in Catalogo generali ſanctorum qui in Martyrologio Romano deſiderantur, aliique tum rerum Benedictinarum tum Gallicanarum ſcriptores, qui ejus ſanctitatem data occaſione celebrarunt. Inter alia ſacella, quæ cum majori eccleſia apud Caſam-Dei conſtrui curavit Clemens VI. ſummus Pontifex, una fuit beato Roberto ſacra. Ejuſdem ſancti viri corpus idem Pontifex è tumulo in quo conditum fuerat, ad alium prope majus altare honorificentius conſtructum transferri curavit, data ea de re Epiſtola, quam infra referemus, ad Epiſcopum Anicienſem, ut id exſequatur. Cujus quidem Tranſlationis feſtum die decima-nona Octobris celebratur. Ibi perſeveravit uſque ad patrum noſtrorum ætatem. ſed tandem furente ſub finem ſæculi* XVI. *Calvinianorum hæreſi, in favillas redactum eſt, totumque monaſterium direptum fuit ac everſum. quo poſt ſedatas turbas, reſtaurato, altare ſuper beati abbatis veterem tumulum erectum eſt in infima navis eccleſiæ parte, ad latus Epiſtolæ, quem hodieque fideles nec fruſtra venerantur. Bullam autem Clementis Papæ, quam uti ex notis chronologicis compertum eſt, ad Johannem Candoratum ex abbate Caſæ-Dei epiſcopum Anicienſem dedit, deſcripſit noſter Stephanotius ex Archivis Caſenſis monaſterii. quæ ſic habet.* Cultus. Corporis elevatio.

BULLA CLEMENTIS PAPÆ VI. ad Epiſcopum Anicienſem.

Qua præcipit ei, ut corpus ſancti Roberti Caſæ-Dei abbatis transferat.

Clemens Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Epiſcopo Anicienſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Laudabilis & longevæ obſervationis exemplo, imitatione digna decrevit Antiquitas, dies quibus primum ſanctorum corpora de ipſorum tumulis transferuntur, feſtivitate celebrari venerandos, ut juxta ſacræ Paginæ veritatem de loco ſuo laudibus pullulent oſſa ſanctorum: & ſicut in tempore ſuo tritici acervus infertur, ſic ſancti poſt congeſta eorum opera recolenda, ſepulcrum in abundantia gratiæ comperiantur ingredi, dum poſt præſentis vitæ preſſuras, præmia patriæ cæleſtis inveniant. Et non ſolum eorum ſpiritus in claritate veri luminis, & ſecreto æternæ gloriæ occultant, horreum quaſi conſervationis ingreſſi; ſed & eorum corpora adhuc terrea de humilitatis tumulo, ad venerationis cumulum eriguntur. Profecto tranſlationes hujuſmodi myſtice præfiguraſſe videtur iſte adcreſcens & decorus aſpectu, qui de hoc ſæculo tranſiturus fratres adjurans ad promiſſionis locum, ex Ægypto ſua petiit oſſa transferri.

Nos igitur beati Roberti confeſſoris egregii, olim abbatis monaſterii Caſæ-Dei Ordinis ſancti Benedicti, Claromontenſis diœceſis, ob inſignia meritorum ejus præclara præconia tranſlationis * ſollemniter celebrari volentes, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus ad idem monaſterium te perſonaliter conferens, corpus Confeſſoris ejuſdem, congrua temporis oportunitate captata, convocatis dilectis filiis Abbate & conventu dicti monaſterii, cum debita ſollemnitate, ac honorificentia digna, ad altare majus eccleſiæ dicti monaſterii, ut quem bonorum omnium retributor honorat in cælis, ſepulturæ locus venerabilem teſtetur in terris, transferre procures. Diem Tranſlationis ejuſmodi, quem perpetuis temporibus celebrandum fore decernimus, feſtivis ſollemniis celebrans, & faciens celebrari. Ut autem eo plenius ad ſollemnitatem hujuſmodi fideles Chriſti conveniant, quo ibidem meritis dicti ſancti uberioris retributionis gratia ſe conſpexerint præmiari, nos de Omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus verè pœnitentibus & confeſſis, qui cauſa devotionis ad

* Tranſlationem.

ANN. CH. MLXVII. APR. XVII.

ejuſdem ſancti corpus, die quo transfertur, acceſſerint, xv. annos, & xv. quadragenas: his vero qui per VIII. dies diem Translationis ejuſmodi ſequentes immediate, ac illis etiam qui ex tunc annuatim in die Translationis hujuſmodi, eccleſiam ipſam devote duxerint viſitandam, VII. annos & VII. quadragenas ſingulis videlicet Translationis, & VIII. diebus ipſis quibus eccleſiam ipſam viſitaverint, ut præfertur, de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Datum apud Villam-novam Avenionenſis diœceſis XVI. Kalend. Octobris, Pontificatus noſtri anno X.

Caſæ-Dei exordia.

8. *Caſa-Dei monaſterium, quod ſane inter præcipua Galliæ cœnobia locum habere meretur, beato Roberto, de quo hic agimus, ſuam debet originem; quo vero anno ædificari incœperit, non liquet, diſſidentibus inter ſe auctoribus; id tamen ex veteribus monumentis eruere conabimur. Chronicon Malleacenſe quod ex Labbei tom. 2. Bibliotheca nova jam laudavimus, Caſæ-Dei initia revocat ad annum* MXLIII. *his verbis:* Anno MXLIII. beatus Rotbertus cœpit ædificare monaſterium ſuum Caſæ-Dei in honorem ſanctorum Agricolæ & Vitalis, quod ipſe primus exſtruxit, & rexit quindecim annis. *Chartarium autem prioratus Caſenſis ſanctæ Gemmæ apud Santones, ſic habet:* Certum habemus quod anno ab Incarnatione Domini MXLVI. fuit initium Caſæ-Dei. *Quin & in Martyrologio eccleſiæ collegiatæ ſancti Juliani Brivatenſis, cujus loci Robertus Canonicus fuit, ipſe Robertus monaſterium conſtruxiſſe dicitur* tempore Leonis noni Romanæ ſedis Præſulis, & Henrici Regis Francorum. *Et reipſa Diploma Henrici regis, quo Caſæ-Dei in abbatiam erectionem permittit, conceſſum dicitur anno* MLII. *Verum licet hæc omnia prima fronte multum inter ſe diſſona videantur, facile tamen componi poſſe putamus, ſi dicamus Robertum anno* MXLIII. *eremum petiiſſe, ubi tranſactis aliquot annis, cum multi ad eum confluerent, anno circiter* MXLVI. *monaſterii ædificia incœperit. quo tandem abſoluto anno* MLII. *novem ſcilicet poſt primum ſeceſſum annis, ab Henrico primo Francorum rege obtinuerit, ut in abbatiam erigeretur. Iſte calculus mire confirmatur ab Hugone Flaviniacenſi auctore æquali & accurato, qui has omnes temporum differentias indicare voluiſſe videtur in Chronico, ubi ſic ſcribit ad annum* MLXXIV. Caſa-Dei...vaſta erat eremus, utpote quæ ante annos XX. *ponendum* XXX. habitationes hominum non noverat. Sanctus illam Rotbertus primus incoluit, qui animo & corpore mundo mori, & Chriſto vivere paratus fuit, quod libellus de vita ejus ſcriptus plenius elucidat ſcire volentibus. Anno enim ab Incarnatione Domini M... illuc venit, ubi præfuit.... annis IX. & factus.... abbas præfuit annis... & migravit ad Dominum anno MLXVII. ſucceſſorem ſuum deſignans nomine Durannum. *Etſi enim ibi annorum ſeries expreſſa non ſit, ex his tamen Hugonis verbis ſimul cum Henrici Regis diplomate aliorumque auctorum locis collatis, erui facile poteſt chronologica ſeries ſuperius à nobis allata. Porro Diploma Henrici regis ſupra laudatum ſimul cum bulla Leonis IX. eodem anno bona Caſæ-Dei beato Roberto confirmantis, editum eſt à V. C. Stephano Baluzio in Appendice ad Lupi Servati epiſtolas, pag. 524. ideoque utrumque huc referre ſuperſedimus. Henricus rex ibi ſic loquitur:* Noſtram adiens manſuetudinem venerabilis vir & Deo dignus Rotbertus Brivatenſis canonicus & Theſaurarius, à Domino Rencone dilectiſſimo & familiariſſimo noſtro Arvernorum epiſcopo miſſus, & per litteras commendatus, innotuit ſe quamdam eccleſiam in pago Arvernenſi in eremo ſitam, & ab eo honoribus ampliatam, Caſam-Dei nominatam, ad culmen & honorem abbatiæ promovere velle, noſtræ liberalitatis juſſu & poteſtate, & epiſcopi ſui permiſſione &c. *ſubſcribunt multi epiſcopi & regni proceres.*

Prærogativæ, Ordinis caput.

9. *Vivente adhuc Roberto jam ad trecentorum monachorum numerum creverat Caſæ-Dei Congregatio, qui ſub beati Benedicti Regula ibi degebant, ut teſtis eſt vitæ ejus auctor: ſed paullo-poſt creſcente monachorum numero, famaque virtutis eorum per totam ferme Europam pervolante, in variis non ſolum Galliæ, ſed & aliarum gentium provinciis, monaſteria ædificata ſunt, quæ Caſæ-Dei abbatem ſuum quaſi ſuperiorem generalem agnoſcerent. unde à Chopino Politiâ ſacra tit. 7. n. 14.* Caſa-Dei ſui Ordinis caput ſub Regula Benedictina *vocatur. Et quidem ſtatis temporibus habebantur capitula generalia, quibus Priores, & Abbates, non paucos quippe abbates ſibi ſubjectos habebat, intereſſe debebant, aut ſi fortaſſe interveniente aliqua neceſſitate impediebantur, litteris ſe apud abbatem Caſæ-Dei excuſare tenebantur. Capitulum iſtud celebrabatur in feſto ſanctorum Vitalis & Agricolæ, præcipuorum monaſterii patronorum. quod patet ex epiſtola Bertrandi abbatis ſancti Michaëlis de Galliaco ad Albertum Caſæ-Dei abbatem, ubi poſt* obedientiam tam debitam quam devotam, *ut ait. excuſat ſe quod* ad Capitulum Caſæ-Dei in feſto ſanctorum Vitalis & Agricolæ ut moris eſt, *non acceſſerit ob corporis infirmitatem. Illi vero abbates, qui Caſæ-Dei monaſterio ſubjecti erant, antequam ab Epiſcopo benedicerentur, confirmationem ab abbate & conventu Caſæ-Dei impetrare debuerant. Id probat epiſtola Guillelmi abbatis ſancti Marini Papienſis ad Bertrandum hujus nominis ſecundum, Caſæ-Dei abbatem,* Reverendo in Chriſto patri & Domino B. Dei gratia Caſæ-Dei abbati & conventui, GUILLELMUS eadem gratia Electus ſancti Marini, & ejuſdem conventus ſalutem cum ſubjectione & honore. A paternitate veſtra, pro confirmatione noſtra petita humiliter, ſicut moris eſt, eligentium & Electi litteris obtentis, nos adeuntes venerabilis Papienſis epiſcopi præſentiam, invenimus penes ipſum gratiam, conſilium & juvamen;

Digitized by Google

quoniam viſis veſtris & noſtris humilibus litteris pro dando nobis ſine difficultate benedictionis munere, poſt obtentam confirmationem ex parte benignitatis veſtræ nomine veſtræ eccleſiæ Caſæ-Dei & ejuſdem conventus, cum caritate & dilectione nos recepit, nihilominus promittendo ſe benigniter benedictionis munus in proximo nobis daturum. Datum anno Domini MCCLIII. Indictione XI. die Martis, VI. Madii, in clauſtro ſancti Marini Papienſis. *Hanc epiſtolam aliaque multa ad idem monaſterium pertinentia eruit noſter Stephanotius, quæ hic adducere noſtri non eſt inſtituti, ſicut nec Catalogum texere eorum monaſteriorum utriuſque ſexus, quæ aut olim à Caſa-Dei pendebant, aut etiamnunc ei ſubjecta ſunt. Multa autem erant, & quidem ex illis quædam illuſtria, ex quibus nonnulla in epiſcopales ſedes erecta fuerunt, ut Mons-Albanus in provincia Toloſana, ex Bulla erectionis per Johannem XXII. & Mons-Piloſus ſeu Peluſius in provincia Baſilicata regni Neapolitani. in iſta cum aliquamdiu ſedes epiſcopalis ſtetiſſet, exſtincto poſtea epiſcopatu, tota juriſdictio ad abbatem Caſæ-Dei devoluta fuit. ſed reſtituta poſtmodum ibidem epiſcopalis dignitas fuit, ac Adrienſi primo eccleſiæ unita, quam tandem Sixtus quartus proprio epiſcopo donavit, qui ſedi Apoſtolicæ abſque ullo medio ſubjectus, nullam habet præter civitatem epiſcopalem diœceſim.*

10. *Multi denique viri illuſtres ex eodem Caſæ-Dei cœnobio prodiere, quorum alii ad ſedes epiſcopales evecti, alii variis monaſteriis præfecti, ſanctitate & virtutibus eccleſiam illuſtrarunt. Longius protraheretur oratio, ſi enumerandi forent epiſcopi, quos exinde ſedes Claromontana, Anicienſis, vicinæque eccleſiæ acceperunt. Octo primi ejus loci abbates ab Arvernenſium rerum ſcriptoribus, inter ſanctos computantur: inter quos præcipue enituerunt Seguinus, qui Carthuſiano Ordini naſcenti, & bonis, & auctoritate conſuluit; ac ſanctus Adhelelmus qui in Hiſpaniam cum Conſtantia regina profectus, ibidem in civitate Burgenſi erecto percelebri monaſterio ſancti Johannis Evangeliſtæ, ſanctiſſime vixit & obiit, cujus feſtum non ſolum Valliſoletana Congregationi Benedictini monachi, ſed etiam tota Burgenſis diœceſis ſollemni ritu celebrat. De eo inferius ſuo loco agemus. ſuis etiam annumerant Caſæ-Dei monachi beatum Hugonem Gratianopolitanum epiſcopum, quem Ordinis Carthuſianorum alterum parentem licet appellere. His adjungi poteſt Jarento ex monacho Caſæ-Dei abbas ſancti Benigni Divionenſis electus. ſed illud cœnobium præ ceteris illuſtravit Petrus Rogerii, qui poſt adeptas varias dignitates, tandem ex archiepiſcopo Rotomagenſi ad ſummum Romanæ Eccleſiæ præſulatum aſſumtus, Clementis VI. nomine Eccleſiæ univerſali præfuit. Ille vero præ aliis locis quibus præfuerat, Caſæ-Dei monaſterium ſincero animo dilexit. quod ideo variis prædiis ditari, ac privilegiis maximis munire curavit, immo & ibi corpus ſuum poſt mortem ſepeliri mandavit. quod re ipſa factum eſt, & quidem viſitur hodieque in majori eccleſia, quam ſuis ſumtibus ædificari curaverat, ejus ſepulcrum, vel potius ſepulcri reliquiæ. Ipſum nempe ab hæreticis furentibus ſæculo proxime elapſo violatum fuit, cum altero ſepulcro Cardinalis ejus nepotis. Sed ipſiuſmet Pontificis verbis exprimere juvat, quanta animi propenſione ſuum Caſæ-Dei monaſterium coluerit: ſic quippe loquitur in Bulla qua ſeptem ut vocant Capellanias in eccleſia à ſe ibi constructa inſtituit:* Et ſi hoc habeat ſervitutis apoſtolicæ cura præcipuum, ut ad divini cultus augmentum jugiter intendamus; tamen nobis ſingularis affectio, quam ad monaſterium Caſæ-Dei ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinens Ordinis ſancti Benedicti, Claromontenſis diœceſis gerimus, cultum hujuſmodi ſpecialius ampliare, ut monaſterium ipſum in quo noſtræ converſionis primordia dicavimus, Dominoque votum profeſſionis emiſimus, & noſtram elegimus ſepulturam, miniſtrorum Dei numero decoretur, &c. *Hactenus ſubſiſtit inſigne illud cœnobium ſub noſtra ſancti Mauri congregatione, quod licet ſæculo præcedenti à Calvinianis hæreticis fuerit plane dirutum, priſtinum tamen ſplendorem ſuum paullo poſt ſedatis tumultibus recepit.*

11. *Denique his adjungere viſum eſt ex Stephanotii noſtri ſchedis Reſcriptum Lucii tertii papæ, quo Lantelmo abbati Caſæ-Dei, licet renitenti, ejuſque ſucceſſoribus, mitræ uſum concedit. Lantelmus Caſæ-Dei abbas electus anno* MCLXXIX. *poſtea ſedem Valentinenſem adeptus eſt, ut ipſi Sammarthani notarunt in Catalogo abbatum Caſæ-Dei, licet ipſum in ſerie Epiſcoporum Valentinenſium non recenſuerint.* LUCIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis conventus Caſæ-Dei ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Romanæ ſedis auctoritas à qua honores eccleſiaſtici manaverunt, eos conſuevit largitione ſui muneris honorare, qui cum ſint præditi honeſtate, beato Petro & ſucceſſoribus ejus ſincera devotione noſcuntur adſtricti. Quod nos utique diligentius attendentes, cum in Cœna Domini Miſſarum deberemus ſollemnia celebrare, & plures nobis adſtarent mitras in ſuis capitibus deferentes, inſpecto quod dilectus filius noſter LANTELMUS, abbas veſter, mitram in ſuo capite non haberet, nullius ſuper hoc nobis petitione porrecta, nec alicujus inducti ſuggeſtione, tum pro ipſius honeſtate Abbatis & devotionis ejus conſtantia, tum quia monaſterium veſtrum ad diſpoſitionem & juriſdictionem beati Petri & noſtram, nullo pertinet mediante, mitram ei contulimus, ſicut moris eſt, in capite deferendam. Licet autem ipſe poſtmodum apud nos multum inſtaret, ut eum redderemus à portanda mitra liberum & ſolutum; nos tamen eidem injunximus in virtute obedientiæ, in præcipuis feſtivitatibus, ut mitra, ſicut ab aliis perſonis fieri ſolet, utatur; & vobis etiam ut ei proſequi ſuggeratis quod injunxi-

ANN. CH. MLXVII. APR. XVII.

Viri illuſtres.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXVII. Apr. XVII.

mus, harum ſignificatione mandamus, tam ipſi, ſicut diximus, uſum mitræ, quam ejus ſucceſſoribus, de conſueta ſedis Apoſtolicæ benignitate indulgentes. Statuimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Verulis VI. Idus Aprilis.

PROLOGUS AUCTORIS.

[a] Hæc Vita ex alio auctore excerpta.

1. VITAM beati ROTBERTI quam ex diſcipulis ejus quidam [a], veraci quidem, ut credimus, ſed difficili ac prolixo ſtilo narravit, ſimplici & brevi oratione juvante Deo tentabimus explicare; quatenus & brevis narratio tædium pellat, & ſimplex elocutio facilem intellectum admittat. Non quod illius Scriptoris ingenio aliquid derogemus; ſed quia illorum, qui nobis hoc imponunt negotii, religioni & auctoritati plurimum prærogamus, quos quidem ad hoc jubendum ratio videtur traxiſſe. Nam cum geſta ſanctorum ob hoc litteris mandentur, ut omnium legentium, vel audientium ad imitandum accendatur intentio; curandum eſt ſummopere Scriptori, ut in quantum fieri poteſt nullius excedat capacitatem, quod ad omnium ſpectat utilitatem. Alioquin totum negotium debito fine fruſtratur, ſi quos ad audiendum gratia rerum invitat, odioſa litteræ difficultas excludat: aut quos littera utcumque admittit, ſupervacua prolongatio languidos reddat. Quapropter nec inuſitatis aut peregrinis dictionibus operam dari, nec diverſis explicationibus convenit lectionem extendi. Neque enim timendum eſt, ne paupertas orationis divitias rerum exhauriat, cum potius ſit ſperandum linguæ pauperis indigentiam rerum largitate ditandam in tam ſcilicet honeſto genere cauſæ, ubi ſi omne velamen auferatur materiæ, dignitas ſe tuetur.

Auctor lectoris captat benevolentiam.

2. Lectoris igitur benevolentiam & attentionem pariter invitamus, tanto videlicet majorem adepturi mercedem, quanto pluribus Deo cooperante labor noſter placuerit. Proderit enim quibus placebit, ſed & nobis valde placebit quod proderit: ſicque labor noſter fiet alieni cauſa profectus, & alienus profectus noſtræ cauſa mercedis. Nos autem curabimus pro viribus omnino ut placeat, brevitati, ut diximus, operam dando, non qua neceſſaria defraudemus, ſed qua ſuperflua reſcindamus: dando etiam operam lenitati, non qua materiæ dignitas minuatur, ſed qua facultas intelligentiæ conferatur. Quod ſi etiam parum accurata legentibus diſplicebit oratio, placeat ſaltem promta ſcribentis devotio, placeat veritas relationis, placeat recens memoria ſanctitatis. Nam licet in quocumque tempore bene geſtorum fidelibus ſit grata recordatio, vehementius tamen afficit auditorem, quod velut ſub oculis poſitum, præſens probatio ſuſpicione falſitatis abſolvit. Nunc quoniam de his ſatis eſt, ad narrationem veniamus.

INCIPIT VITÆ LIBER I.

Robertus naſcitur in ſolitudine. [b]

ROTBERTUS genere Arvernus, conditione liber, natus eſt de parentibus Chriſtianis, matre Raingarde, patre GERALDO [b], qui, ut creditur, à beati GERALDI Auriliacenſis ſtirpe priſcam duxit originem. Hunc à prima infantia Dei ſervum futurum ſignis quibuſdam oſtenſum eſt, quæ non abſurdum videtur inſerere lectioni. Nam mater ejus ipſo gravida, cum imminente partus tempore ad quoddam caſtrum tenderet, non ſine

[a] Geraldus de Venna, de quo in obſervationibus diximus.

[b] Beati Geraldi Auriliacenſis Comitis elogium dedimus ad annum DCCCCIX. ubi de ejus familia num. 2.

Digitized by Google

Dei nutu, urgente neceſſitate, in ſolitudine [a] partum effudit. Nimirum ANN. CH. MLXVII. APR. XVII.
ſolitudinis erat futurus amator, & vitam hanc in qua naſcebatur, viam
reputaturus, non patriam. Delatus eſt inde cum matre ad *caſtrum, & *a*
ſicut fieri ſolet, cuidam mulieri traditus ad lactandum. Quem cum illa mammæ admoviſſet, guſtare noluit, non tam lactis deteſtatus odorem quam peccati * lactantis horrorem. Patuit hoc continuo, cum & matris ubera libens ſuxit, & priorem illam tentandi cauſa adhibitus, rurſum deſpexit. * *Boll.* latentis.
Mulier enim illa meretrix erat, & ob hoc infans cum lac reſpueret, damnabat peccatum: neſciebat utique quid damnaret, ſed Dei virtus etiam in neſcientibus operatur. Impudicæ lactem reſpuit.

4. Crevit igitur cum infante divina miſeratio, & cum puer factus eſſet, Brivate educatur.
traditus eſt diſciplinæ apud vicum Brivatem [b] in eccleſia martyris Juliani,
ubi & clericus factus & deputatus eſt inter Canonicos; procedente poſtea *b*
tempore, per Ordines eccleſiaſticos ad preſbyteratum uſque pervenit. Pueritiæ tempora ſic peregit, ut ab his malis, quibus tenera ætas vel proprio vitio vel alieno plerumque imbuitur, illæſus evaderet; cum potius inter * initia ſtatim meditatus innocentiam, purum vas pectoris recenti * *al.* vitia.
ſapore virtutum infecit, ut adeo præventus in benedictionibus dulcedinis, amaritudinem vitiorum nullam poſſet admittere. Jam tunc fide plenus æternorum, temporalia cuncta deſpiciens, ſpem ſuam in Domino totam locaverat, eumque licet parvus non parvo diligebat affectu. Nam in eccleſia totis ſæpe noctibus cum lacrymis excubabat, mirantibus qui eum taliter reperiebant, utpote ab ipſis cuſtodibus ignoratum. Orabat frequentius & legebat, ut in altero ſibi Deum, in altero ſe Deo commendaret. Humilitatem ſectabatur & obedientiam, quibus ſic hominibus occurrebat, ut Dei offenſam non incurreret. Pauperes & afflictos miſericordiæ proſequebatur viſceribus, quibus poterat opem, omnibus exhibens compaſſionem. Ulceribus plena corpora languidorum, abhorrentibus ceteris, non ſemel manibus contrectavit, manibus lavit, exteriorem immunditiam æquanimiter tolerans, cum interiora lucra potius cogitaret. Unde & creditum eſt manuum ejus pio attractu fugatam ſæpe valetudinem.

5. Talem pueritiam ſecuta eſt melior adoleſcentia, cum & rerum & virium incrementis ad Dei ſervitium uteretur. Nam, quod multis contingere ſolet, in illius ætatis fervente confinio, ut pulſante mentem novæ Virtutes ejus in adoleſcentia.
ſuggeſtionis vento, blanda naufragia pudoris patiantur, hoc ille providus anticipaverat, combiberatque jamdudum caſtitatis amorem, ut pectus virtutibus incoctum, nulla ſaltem turpis poſſet vexare cogitatio. Addebat ergo virtutes virtutibus, ædificabatque indeſinenter turrem, cujus in pueritia jecerat fundamenta. Creſcebant arbores, quas in corde plantaverat, & in vitam fructificabant æternam. Manifeſtior in dies divina gratia refulgebat in illo, etiam non pauci ad bene vivendum ejus incitabantur verbo pariter & exemplo. Jejunabat propenſius & orabat, & quantum poſſet larga manu diſtribuebat pauperibus. Nam & domum eleemoſynariam [c] conſtruxit in vico, ut in ea velut ſanctitatis palæſtra pauperibus miniſtrans exerceretur aſſidue. Cura erga pauperes. *c*
Certum eſt illum, cum omnia pauperibus erogaſſet, in uſus eorum ſæpe chlamydem vel pallium adjeciſſe; Chriſtum plane in pauperibus attendebat, & ſuam parvipendens, illius feſtinabat tegere nuditatem. Sic quondam Martinus chlamydem ſuam partitus cum paupere,

a In finibus diœceſis Rutenenſis prope prioratum ſancti Martini de Capiſprinis à Caſa Dei pendentem exſtat ſacellum ſemirutum, olim in honorem S. Roberti exſtructum, ubi ille in mundum editus fuiſſe creditur. Situm eſt in vertice montis, loco aſperrimo, haud procul à via publica, juxta nemus quod ibi hactenus ſubſiſtit.

b Brivas, vulgo *Brioude*, amœnum Arverniæ oppidum in diœceſi hodierna S. Flori, inter eam urbem & Caſam-Dei, quatuor circiter leucis ab utraque diſtans. Locus eſt celebris ob inſignem eccleſiam S. Juliani, cujus canonici Comites appellantur.

c Perſeverat etiamnunc illud xenodochium extra muros Brivatenſes ad plagam orientalem.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXVII. APR. XVII. eadem veſte Chriſtum meruit videre contectum; & licet iſtum non audeam conferre Martino, rem tamen rei non metuam comparare.

Sacerdos aliis prodeſt. 6. Interea ſacerdotio ſtrenue fungebatur, ſtatutis horis aſſiſtens in eccleſia, offerens Deo frequenter hoſtias pro ſalute populi Chriſtiani, quem totum velut unum hominem amplo caritatis ſinu geſtabat. Invitabat peccatores ad pœnitentiam, nunc pœnarum terrorem incutiens, nunc proponens gaudia præmiorum; docens nulli de venia deſperandum, qui digne converſus ingemuerit: promittebat inſuper orationum ſuffragia, ac per hoc non paucos aſſidue lucrabatur Deo; ſed & cum voce taceret, vita loquebatur, quamvis cum voce loqueretur vitam taceret. Nam cum bene vivendi formam oſtenderet in ſe ipſo, ſeipſum nullatenus oſtentabat. Morum gravitatem præferebat in vultu, modeſtiam mentis inceſſu & habitu fatebatur. Affabilem ſe omnibus exhibebat, cum tamen ſingulis pro conditionis, vel ætatis, vel etiam morum diverſitate proprium præſentaret affectum. Hac ſi quidem diſcretione vir prudens, omnium providebat ſaluti, ut quaſi vicinius & familiarius omnibus perſuaderet, cum ſingulorum in ſe transformaſſet perſonas. Denique cum omnes vitæ merito præveniret, omnibus ſe credi volebat inferiorem. Inter hæc contemplationis amore flagrabat, ut qui ſemper bonis meliora, melioribus optima vellet adjungere. Guſtaverat velut in tranſitu quam ſuavis eſt Dominus, & totis medullis cordis deſiderabat vacare ſoli Deo, ut quaſi prælibatam dulcedinem pleno gutture mentis hauriret.

Cluniacum petens. 7. Deſtinavit igitur mutare locum, & relictis omnibus Chriſtum ſequi, elegerat Cluniacenſe cœnobium; religionis ac diſciplinæ loci fama commotus. Adhibito itaque ſibi uno tantum itineris, non conſilii ſocio, inopinatus iter arripuit, metuens quod & accidit, ne ſi manifeſtus fieret detineretur à cœptis. Quis enim omnium tali vellet carere patrono, qui tam multorum perſæpe neceſſitatibus occurriſſet? Oculus erat cæco, pes claudo, veſtimentum nudis, cibus jejunis, pupillis & viduis vir & pater, apertio clauſis, tectum peregrinis, ægris medicina, mortuis ſepultura. Comperto ergo quod latenter diſcederet; mirata enim familia proficiſcentis domini ſolitudinem ac taciturnitatem rem poſt paullo divulgaverat, propere omnes, velut pro ſalute publica ſolliciti, profugum inſequuntur, tenent, reducunt. Erubuit vir ſanctus, & propoſitum ſuum non magis impeditum, quam manifeſtatum dolens, ex mentis ægritudine morbum incurrit. Unde cum cœpiſſet convaleſcere, intelligens ſe Dei voluntate à loco quo intenderat revocatum, quia forte alibi plus poſſet proficere, tentavit ſi vel inter ſuos implere poſſet optatum. Sed cum domeſticorum nemo ſalutaribus monitis præberet aſſenſum, irrevocabiliter urgens propoſitum, profectus eſt Romam, ut Apoſtolorum interceſſio à Deo ſibi quod deſiderabat conſilium impetraret. Quod autem deſiderabat, hoc erat, ut ab hominum frequentia remotus ædificare poſſet in ſolitudine monaſterium, ubi ſub Religionis habitu canonicam vitam cum duobus vel tribus duceret ſoli Deo profeſſus. Reverſus Roma, poſtulata in fide nihil hæſitans exſpectabat: dilatus eſt aliquantum, credo, ut dilatione creſceret deſiderium.

Invitus reducitur. Romam petit.

Militem pœnitentem ſocium adſciſcit. 8. Interea miles quidam Deo inſpirante compunctus, ad virum Dei conſilium petiturus acceſſit, qualiter peccatorum ſuorum magnitudinem, quorum conſcientia torquebatur, digna poſſet ſatisfactione delere: nihil eſſe dicens tam arduum, quod propter Dei recuperandam gratiam non ſubiret. Accepit à ſancto ut relictis omnibus ad Chriſti militiam ſe transferret. Cui cum ille reſpondiſſet id quidem ſe facturum, ſi fieri poſſet cum ipſo, libentiſſime; intellexit vir Deo plenus hunc ſibi ſocium ac voluntatis miniſtrum divinitus deſtinatum. Gaviſus ergo non parum, totum deſiderii

Digitized by Google

ſui ſecretum aperit, ſocium ſe pollicetur, pactum firmat, hominem lætum dimittit, dans illi negotium ut locum huic propoſito congruum quæreret, & tertium ſibi ſocium, ſi poſſit, adſciſcat. Dictat loci congruentiam, eccleſiolam ſcilicet aliquam in eremo, deſertam licet ac dirutam, tamen parochialem, ubi de labore manuum, vel herbarum radicibus victus qualiſcumque poſſet acquiri; parochialem, ut credo, ne ſi novum in alieno collocarent oratorium, veteribus locis inferre viderentur injuriam: nec enim quod ſupernæ tantum cauſa mercedis arripere diſponebant, alicujus terrenæ cupiditatis ſaltem umbra decebat fuſcari. Miles itaque fide jam plenus & conſtantia, ut cœptum ſuum Dei clementia proſperaret, ad memoriam beatæ Virginis Anicium [a] ire decrevit: ſciens nihil ſibi ad impetrandum efficacius quam ſi Matris apud Filium patrocinio uteretur. quo dum properaret, ecce in via, Dei nutu paratum invenit quod petebat, eccleſiam ſcilicet veterem, vaſta cinctam ſolitudine, votis ſuis in omnibus reſpondentem. Exauditum erat ante preces pium ejus deſiderium, & per ſancti merita, petitionem miniſtri præcurrebat effectus. Tendit tamen ille quo cœperat, ut loco precum grates perſolveret. Addit & preces, ut Dei miſericordia quod in eis cœperat conſummaret. Reverſus ad magiſtrum, nuntiat quod ferebat, exponit loci ſolitudinem, & ceteras ad arcte vivendum opportunas inopportunitates. Congratulatus vir Dei, gratias egit, & ad cetera ſtrenue proſequenda diligentiam fratris hortatur.

Ann. Ch. MLXVII. Apr. XVII.

9. Deerat votis unum, ut tertium tanti propoſiti ſocium invenirent. Nam & inter duos tertius ſolet eſſe quaſi vinculum caritatis, & ſub hoc numero unanimes Trino & uni Deo videbantur convenientius ſervituri. Acceſſit brevi quod deerat, divina gratia militis induſtriam proſequente. nam dum ille reverſus ad ſuos de acquirendo ſicut dictum eſt ſocio cogitaret, nec diſſimularet vultu mutatæ mentis habitudinem, requiſitus à quodam familiari ſuo milite, cur præter ſolitum cogitabundus appareret: Dicerem, inquit, ſi te ſcirem commiſſa fideliter ſervaturum. Dat ille continuo fidem quæ petebatur, auditque per ordinem quod petebat. Concipit inter audiendum virtutis amorem, & contubernalis ſui provocatus exemplo, ad aggrediendum tantæ perfectionis propoſitum vehementer accenditur. Rogat poſtremo precibus ſubmiſſis, ut viro Dei ſe peccatorem inſinuet, nec tantæ laudis conſortio judicetur indignus. Offert ſe non ſocium ſed miniſtrum, & numquam ſe ab hujus profeſſionis tenore deſiturum, ſub fidei ſponſione promittit. Sic prior miles ſequentem lucratus, lætus cum ſocio revertitur ad magiſtrum. Gaudet ille de ſpiritali proventu, & fructus ſeminum quæ jecerat precibus Deo commendans, divinæ militiæ tyrones alloquitur: Congratulor, ô filii, veſtræ promtæ devotioni: & propriæ infirmitatis conſcius, in via Dei, quam ipſe arctam & nimis arduam aſſerit, ſocios vos ac ſuſtentatores habere deſidero. Sed timendum nobis valde intelligo, ne temere nos laborioſiſſimæ militiæ adſtringamus, dum ſola præmia cogitamus. Non enim incipere bonum, ſed conſummare laudabile eſt; non laudatur cœptum bonum, ſed perſeverantia: propterea * quod illud quandoque per impetum, iſtud per virtutem ſemper contingit. Ad hæc, non proponere ſumma, tolerabile eſt propter humanam fragilitatem; cadere autem à propoſito, damnabile propter diabolicam tranſgreſſionem. Videte ergo diligenter, & iterum atque iterum vobiſcum verſate, ne dum tenditis ad cumulum perfectionis, fiatis vobis cauſa, quod abſit, majoris damnationis. Proponite menti, dum licet, omnia commoda, quibus carere diſponitis; & è diverſo multas & magnas injurias, quibus mundo valedi-

Alter miles ei adjungitur.

Robertus ſocios adhortatur.

* *al.* præterco.

[a] Anicium ſeu ut vulgo dicitur Podium, *le Puy*, Velavvorum caput, urbs epiſcopalis ſub metropoli Bituricenſi, cujus tamen epiſcopus, immediatus Pontificis Romani ſuffraganeus dicitur, ob honorem SS. Virginis, cui eccleſia major & tota civitas conſecrata eſt.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXVII. APR. XVII.

centes traditis voſmetipſos; famem, ſitim, algorem, nuditatem, vigilias, laborem, abjectionem, contumelias; poſtremo quicquid homines fugiunt vos ſequimini: cavete ne dum iſta ſequentur, vos fugiatis. Dicebat talia non quod eos à cœptis ſalutaribus deterreret, ſed ut contra ventura quælibet præmuniret; ac per hæc redderet ad tolerandum robuſtos, quos nulla tentationis varietas offenderet imparatos.

Quos conſtantes reperit.

10. At illi nihil moti à propoſito, immo ſancti viri ſermonibus multo magis animati, nullis ſe frangendos adverſitatibus, nulla voluptatum recordatione vacillaturos, Chriſto juvante promittunt. Sufficere ſibi, quod ſatis experti eſſent peccati vias difficiles, & ſe laſſatos intelligerent ſine cauſa: velle deinceps militare Chriſto, cui ſerviri non poteſt ſine mercede, cum hoc ipſum non ſervire peccato, magna ſit merces. Præterea Deum infirmitati & ignorantiæ ſuæ penitus providiſſe, aïebant, qui talem ſibi dediſſet magiſtrum, cujus & verbo doceri, & exemplo poſſent firmari: nam & inſinuare facienda, & facere noverat inſinuata; quapropter ſe illi adhæſuros, ac devote famulaturos in omnibus. Ad hæc vir ſanctus totum Deo arrogans, nihil ſibi: Potens eſt, inquit, Deus ſtabilire nutantes, inſtruere neſcientes. Neque timendus eſt in aliquo contrariæ poteſtatis incurſus his, quos ſumma poteſtas protexerit. Protegit autem ſibi vos proculdubio ſervientes, qui non ſervientes ad hoc protegere ſolet ut ſibi ſerviant. Quapropter ſi adhærere Deo firmiter decreviſtis, habetis me vel comitem vel miniſtrum, utinam tam neceſſarium quam devotum. Cavete autem humanæ mentis inconſtantiam, & adhuc, niſi moleſtum eſt, adeuntes eccleſiam, interventu beati martyris Juliani Deum, ut nobis utiliora provideat implorate. Ingrediuntur eccleſiam, orant proſtrati, redeunt firmiores.

a

* cod. I Roſtaganus.

b

Locum impetrant in eremo.

c

11. Exploraverat ſatis eorum fidem, tempus jam venerat demigrandi: hoc tantum reſtabat ut locus ſibi à Deo conceſſus etiam à terrenis dominis traderetur. Aſſumto ergo altero è duobus Anicium tendit, ubi morabantur, duo germani nobiles, ambo Canonici, alter etiam abbas: alteri Arbertus [a], alteri * Roſtagnus nomen: abbas Arbertus ipſius beati viri diſcipulus ac monachus poſtea fuit. Apud hos quod voluit facile impetravit [b], quos pro vicinitate locorum fama ſanctitatis ejus latere non poterat. Omnibus igitur ad votum paratis, die conſtituta [c] eremum petiit cum duobus diſcipulis, quorum prior Stephanus, ſequens Dalmatius vocabatur. Inveniunt ſpinas & vepres, horrorem ſimul ac ſolitudinem, poſtremo locum bonis omnibus indigentem, niſi quod eis bonum erat bonis omnibus indigere. Nam quanto longe fierent ab hominibus, tanto ſe Deo propinquiores credebant, & quanto pluribus indigerent temporalibus, tanto plura recepturos æterna. Auxit loci difficultates, etiam vicinorum improbitas, qui morum immanitate feris conſimiles, ſervos Dei quos ſuſtentare deberent conviciis urgebant ac minis, inſanos etiam judicantes, qui locum ſterilem quem vel ſi copias attuliſſent non eſſent paſſuri, nihil habentes cœpiſſent incolere, eis quas poterant moleſtias inferebant. Nimirum qui contra diabolum certamen inierant, jam nunc impugnabantur ab ejus membris. Quantas ibi moleſtias ſenſerint ac pertulerint tacendo magis putamus exprimi quam loquendo: nam plerumque totum innuit taciturnitas, cum vix partem abſolvat loquacitas. Sed reſiſtebant adverſitatibus patien-

Ab incolis affliguntur.

a Eum conſtanter appellat Albertum codex Caſæ-Dei, ceteri Arbertum.

b Addit Bringerius omnes horum Canonicorum propinquos donationem iſtam confirmaſſe, cui etiam conſenſit Auſtremundus quidam equeſtris ordinis, qui eum locum ab iſtis in feudum tenebat, offerens B. Roberto filium ſibi cognominem.

c Tempus deſignat codex Caſæ-Dei his verbis: *Videlicet peracta Chriſti nativitate, 28. die menſis Decembris, die ſanctorum Innocentium, anno Domini* MXLIII. *vir genere & virtute clariſſimus Rotbertus, ſancti Juliani Brivatenſis Theſaurarius, relictis cunctis mundialibus eremum, &c.* Idem habet liber Tripartitus diſtinct. 2.

do,

Digitized by Google

do, & vincebant impugnantes non repugnando. Mentes duorum robora- bat tertius, velut tyrones in acie veteranus, docens ſi primos hoſtis impe- tus ſuperaſſent, ſequentes multo ſuperaturos facilius; nam quantus victo metus accreſcit, tanta victori fiducia adaugetur. Igitur eos non ſolum in præſenti reddebat victores, ſed ad futura quoque certamina promtiores. Quod ſi poſtea vehementior incubuiſſet tentatio, jam turpiſſimum aſſere- bat ſi cederent in congreſſu ſecundo, qui ſuperaſſent in primo, quos ſcili- cet experta feciſſet & pugna doctiores, & victoria fortiores. Hoc modo vir ſpiritualium peritus armorum, rudes ac defecturos commilitonum ani- mos confirmabat. Et ita velut quodam artificio propagabat in eis laboris patientiam, utens ſpe ſequentium victoriarum, ad conficiendas priores pu- gnas; & recordatione confectarum pugnarum, ad acquirendas ſequentes victorias. Sed & de ſacris eos auctoritatibus inſtruebat, ut magis elige- rent ad modicum affligi cum populo Dei, quam temporalem habere pec- cati jucunditatem: cum hanc partem ſequatur æterna damnatio, illam ſem- piterna felicitas. Quapropter adſpicerent in remunerationem, adſpice- rent in auctorem fidei & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contemta. His & aliis talibus fatigatos quan- doque ſociorum animos reparabat, cum ſe nec laboris communitas, nec fraternæ ſollicitudinis proprietas fatigaret; brevique poſt tempore tam conſtantes reddidit & perfectos, ut non ſolum quaſcumque moleſtias gau- dentes ſufferrent, ſed etiam pro perſequentibus exorarent.

Ann. Chr. MLXVII. Apr. XVII.

12. Facta ergo juxta eccleſiam cellula, credo, de ramis ac frondibus, partiuntur inter ſe domeſticam curam, ut illi manibus operarentur ad vi- ctum, ipſe lectioni & orationi incumberet. Laborant illi manibus operan- do, laborabat & iſte ſæpe genuflectendo. Illis exercitatio operis eliciebat ſudorem, hunc cordis compunctio lacrymis perfundebat. Illorum fatiga- tionem pauſatio, iſtius laſſitudinem lectio recreabat. Proderat omnibus quod ſinguli, plus tamen duobus quod tertius laborabat: nam & Deum illis inſinuabat per lectionis doctrinam, & illos Deo per orationis inſtan- tiam. Ita cum ſeminaret eis ſua ſpiritalia, non erat tam magnum ſi mete- ret eorum carnalia. In oratorio quod utcumque refecerant, certis horis & nocte & interdiu communes preces fundebant, cibum parcum & aridum cum gratiarum actione una ſumebant, cujus pars maxima pauperibus & peregrinis, ſi qui forte divertiſſent ad locum, reſervabatur. Mos illis erat ſi quid haberent omni petenti tribuere, & ſic ſocios inſtituerat vir beatus, ut incunctanter vel totum darent non cogitantes de craſtino.

In eremo pia exercitia.

13. Quadam die profectis ad laborem fratribus, cum ſolus in eccleſia ſubſtitiſſet, ubi mos illi erat quotidianas & continuas lacrymas cum pre- cibus immolare, audit vocem petentis eleemoſynam: ſurgit feſtinus, in- greditur cellulam, dat totum quod reperit. Totum illud erat pars panis quæ ſuperfuerat heſternæ cœnæ, ſuffectura tamen iterum tribus ad men- ſam, quorum ſcilicet refectio parum diſtaret ab inedia. Reverſis ab opere cibus defuit. quod cum moleſte tuliſſet Dalmatius, cito vir ſanctus quere- lam compeſcuit, verbis Chriſti prolatis in medium: *Nolite*, inquit, *ſolli- citi eſſe animæ veſtræ, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus? ſcit enim Pater veſter, quia his indigetis.* Quam ſententiam ſequens è veſtigio confir- mavit eventus, non ſine miraculo dubitantis fratris imperfectione notata. Abbas Arbertus, qui, ut ſuperius dictum eſt, locum illum illis habendum conceſſerat, non ignorans affligi ſterilitate ſolitudinis ſanctorum volun- tariam paupertatem, tres eis mittebat clitellarios panibus oneratos ac vi- no. Duos ergo miſſi beato viro præſentant, tertium in via more quodam inſolito nuntiant defeciſſe. Nam neque viribus fuiſſe ceteris inferiorem, neque ulla prius defectionis dediſſe veſtigia. Ad hæc vir ſanctus gratias

Caritas in pauperes.

Matth. 6. 31.

A Deo remuneratur.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXVII. APR. XVII.

egit, & ut erat ſemper ſimplicis ac promtæ ad ædificantes facundiæ, vultu hilari converſus ad fratres: Diſcat, inquit, dilectus noſter Dalmatius in fide Chriſti nihil amplius hæſitare, quando & nobis fiducia noſtra præſenti mercede reſpondit, & ſe videt pro murmure parva quidem, ſed manifeſta & ſufficienti ad correctionem pœna multatum: nam partem illam ſuam eſſe noverit, quæ remanſit; non eſt ablata ſed dilata, ut & fidem ſibi non dubitet, quæ defecerat, reſtaurandam. O quanta eſt virtus fidei, cujus defectum ſentiunt & jumenta!

Vicinos incolas mitiores reddit.

14. His & talibus frequenter utens ſermonibus, non ſolum ſocios inſtruebat, ſed & incolarum mitigabat priſtinam feritatem, paullatimque eos brutis moribus exuens tamquam de feris homines faciebat, majori certe miraculo, quam ſi, ut apud fabulas [a] invenitur, humana corpora tranſmutaret in feras. Erigebat eorum mentis oculos ad agnoſcendum omnium Creatorem, & quod præter ipſum nulla ſit animarum quies, enumeratis mundanæ vitæ laboribus ac periculis facile convincebat. Ita factum eſt ut nonnulli cingulum militiæ deponentes, & ſancto ejus adhærentes contubernio, Chriſti ſe ſervitio ibidem in perpetuum manciparent. ſed & de clericali ordine quidam ejus magiſterio edocti vitam ſolitariam & egenam domeſticis deliciis prætulerunt. Creſcente igitur numero diſcipulorum, crevit & religionis obſervantia. quam non tantum extorquebat cenſuræ diſtrictio, quantum offerebat perfectio caritatis. Nam præter illa quæ omnibus erant inſtituta communiter, aliquid ſinguli ſupererogabant ex proprio; eratque in illo pauperculo Chriſti grege ſpectabile ſanctitatis commercium, cum ſuis adderet * quiſque virtutibus, quidquid in altero vidiſſet imitabile. Cumque nihil habentibus pro Chriſto paupertas ipſa ſufficeret, ſola eos vexabat inſufficientia ſanctitatis. Nam quod apud avaros efficere ſolet inhoneſtus amor pecuniæ, ut adquiſita quælibet parvipendant, dum ſolis inhiant adquirendis; hoc in illis operabatur honeſtiſſimus juſtitiæ amor, & inexplebilis quædam, ſi dici liceat, religionis avaritia. Hanc eorum intentionem præcedebat tam magnæ perfectionis ſignifer ac magiſter, qui retroacta obliviſcens, & in anteriora ſemetipſum extendens, more Apoſtoli ſequebatur ad deſtinatum, donec comprehenderet: & ejus exemplo diſcipulorum fulciebatur ſequacitas.

* *al.* adhiberet.

Miraculis claret.

15. Hujus ergo tam ſanctæ converſationis opinio in Dei laudem longe lateque finitimos excitabat. Acceſſit ad vitæ meritum tanta miraculorum potentia, ut jam illis in locis nullus ambigeret, virum ſanctum plane à Deo meruiſſe gratiam curationum; quam ſic ille pro humilitatis cuſtodia fideliter petentibus miniſtrabat, ut divina beneficia non ſuis, ſed ſanctorum martyrum, Agricolæ ſcilicet & Vitalis, in quorum ſerviebat eccleſia, meritis imputaret. Sed & ejus merita dæmones non tacebant, cum ab obſeſſis corporibus ejus imperio pellerentur. Mulierem dæmoniacam, cujuſdam ruſtici uxorem, amicorum fides ad eum curandam adduxerat. Quæ in eccleſiam ubi ſanctus orabat, vix introducta, renitente qui eam poſſederat inimico, ore terriſono cœpit in eum minas & convicia jaculari. Rotberte, inquiens, Rotberte de Caſa-Dei, quid à noſtris ſedibus advena nos tentas extrudere? nos te potius cum tuis brevi perturbabimus, intolerabiles quas hic patiere moleſtias incendio cumulantes. Nec tibi proderunt collegæ tui [b], Agricola Bononienſis, Symphorianus Æduenſis, Marcellus Dienſis, Privatus Mimatenſis, Julianus Brivatenſis, quos tibi paras ad nos impugnandos adjungere. Videbat diabolus hæc futura, ſcilicet locum

[a] Nota eſt Circe inſignis ſaga, quæ Ulyſſis ſocios in varias belluarum ſpecies transformaſſe dicitur apud veteres.

[b] Sic habent omnes mſſ. ita etiam Bollandiani & Surius; præter codicem Caſæ-Dei qui ſic habet, *Nec tibi proderunt ac collegis tuis*, &c. quæ quidem lectio non ſpernenda videtur.

Digitized by Google

ibi fundandum, qui Caſa-Dei novo nomine vocaretur, ſanctorum reliquias quorum nomina recenſebat illuc inferendas; & cum futura bona vaticinaretur invitus, ſaltem non profutura, quod vellet, mentiebatur. Hoc ſolum de futuris libens prædixit, quod locus eſſet conflaturus incendio; ſed & in hoc plus profuit prædicendo quam poſtea nocuit inferendo. Prædicendo, ſanctorum patientiam præmunivit, inferendo probavit. Interea mulier ſaltu & diſcurſibus per eccleſiam debacchata, repentino impetu convertitur ad altare, tamquam manum ſacris ſpoliis injectura. Vir ſanctus infelicis feminæ miſeratus inſaniam, dilata interim oratione obvius prodiit, & virgula quam tenebat percuſſam leviter, ſeverius increpavit; deinde converſus ad dæmonem, In nomine Domini, inquit, præcipio tibi exi ab ea, da gloriam Deo, & ne ultra revertaris expulſus. Concidit mulier ad vocem hanc, & inimico recedente confecta protinus obdormivit. Poſt modicum experrecta, mente jam ſana, ſed adhuc corpore fatigato, panem ſibi flagitavit afferri: quem à viro Dei benedictum cupide ſumſit; & ſic facta incolumis repedavit ad ſua, multo quoque poſtea vixit tempore, vivæ virtutis exemplum circumferens.

Dæmoniacam ſanat.

16. Item ruſticus quidam, nomine Conſtantius *, prope ſanctum Victorem [a] habitans, cum tanto plenus eſſet dæmonio, ut nulli parcens ſeipſum dentibus infeſtaret, ſolam viri Dei præſentiam palam profitens formidabat. quem ſui toto corpore vinculis irretitum & tamquam mortuum in feretro deportantes, eidem ſancto pavidum nimis ac reluctantem præſentant. Ille ſuper eum facta oratione, & oculis ac mente cælum reſpiciens, adjurato per Dei nomen inimico, ut diſcederet imperavit. nota jam erat adverſis ſpiritibus verborum ejus potentia, & quod juſſiſſet tranſgredi nefas erat. Ad primam ergo jubentis vocem territus adverſarius, & vas captivum compulſus dimittere, quod ſolum potuit laſſum reddidit & vexatum: homo poſt paullulum recreatus, ſumtis quas ſanctus obtulit eulogiis, ſanus & gaudens ad propria remeavit. Horum fama diſcurrens, multos ſedibus ſuis exciverat, & viſuri novum priſcæ virtutis exemplum mixti vulgo nobiles undique confluebant. quos ſuſcipiebat ille ſatis convenienter & benigne, & cum dapes corporeas in ſolitudine quæ tot turbis ſufficerent, non haberet, apponebat omnibus verbum Dei, quo tamquam pane, vel vino, vel piſcibus, vel diverſis deliciarum ferculis, credentium animas impinguabat. Mirabantur omnes vultus illius modeſtiam, & oris ejus accommodatam ſingulis facundiam ſpiritualem, quibus ita quorumdam animos immutabat, ut contemtis ſubito præſentis vitæ voluptatibus, ſolo futuræ beatitudinis amore flagrarent. Sed cum plerique Chriſto ſervire nonniſi ſub ipſius ducatu proponerent, & non parva eſſet competentium multitudo, multorum autem cohabitationem tam loci vaſtitas quam ſtudiorum diverſitas excludere videretur [b]; ortum eſt novum ex neceſſitate conſilium famulantibus divinæ diſpenſationi, rerum etiam difficultatibus: ut ibi ſcilicet conſtrueretur monaſterium, in quo velut ovili Dominico ſub regulari & monaſtica diſciplina quos Deus colligeret unanimiter habitarent. Ad quod conſtruendum viam pandebat fidelium non paucorum devotio, qui certatim in hos uſus prædia, & pecunias ultronei conferebant. Videns Dei famulus tanti boni præparatam divinitus occaſionem, ſcienſque veraciter ad ſuæ periculum animæ pertinere, ſi tam multorum ſaluti, propriæ quietis reſpectu deeſſet, habita ſuper hoc cum fratribus ſuis deliberatione, aſſenſu etiam & conſilio Arvernenſis epiſcopi bonæ memoriæ

** Boll. Conſtantinus.*

Item dæmoniacum.

Multis ad ſe confluentibus.

Monaſterium ædificat.

[a] Duplex exſtat ſancti Victoris vicus, prior una circiter leuca diſtat à Caſa-Dei verſus orientem, vulgo dictus *Sainct Victour*; alter ad occaſum novem leucis à monaſterio diſſitus.

[b] Hic interpolator in codice Caſæ-Dei hæc adjicit: *Alii namque eremiticam, alii canonicam vitam adſumere conabantur.*

ANN CH. MLXVII. APR. XVII.

RENCONIS [a] laborioſa procuratione ſe induit, cœpitque monaſterium ædificare, cum ſumma omnium gratulatione ac favore, juxta loculum in quo prius habitaverat. Optaverat olim vitam cum paucis ſolitariam, decreveratque nihil pecuniarum vel poſſeſſionis à quoquam accipere; ſed cum & hæc adeptus eſſet, & ex divinæ largitatis affluentia * fœcundiora ſuccederent, ne ſupernis beneficiis videretur eſſe ingratus, ex fidelium oblationibus quas vel ſponte propria, vel ipſo adhortante contuliſſent, cœptum opus proſpere conſummavit.

* *Boll.* Secundiora.

Quod Papa & Rex confirmant.

17. Eo tempore Francis imperabat HENRICUS [b], ſedem Apoſtolicam LEO nonus tenebat. Papam itaque ſupradictus Epiſcopus adiit, vir ſanctus Regem Francorum, uterque ſuper novi loci ſtabilitate auctoritatis robur & congrua privilegia petivit. Utrique ſucceſſit ad votum, Rege [c] non ſolum de collatis, vel conferendis eidem monaſterio conceſſionem firmante, ſed & domum Dei, virumque ſanctum regiis honorante muneribus; Papa vero decretis Apoſtolicis roborante conſilium, inſuper etiam hominem Dei, cujus famam ſanctitatis audierat, licet invitum ac renitentem fratribus præficiendum mandante. Factum eſt, & dedicato cum ſumma omnium gratulatione monaſterio, vir beatus monaſticum habitum [d], regimenque cum benedictione ſuſcepit, tam fratrum precibus, quam præſulis auctoritate compulſus. alioquin tutius æſtimabat regi quam regere, & de ſua ſolum, quam de multorum vita reddere rationem. qui tamen ad utrumque Dei ope ſuffecit, cum neutrum de ſuis viribus præſumſiſſet.

Abbas conſtituitur.

Trecentos monachos regit.

Eccleſias reparat.

18. Quanta namque in eo, poſt ſuſceptam regiminis curam circa ſubditos induſtriæ vigilantia, erga Deum ſimplicitas mentis eluxerit, iſtud ſignorum frequens oſtenſio, illud ſpiritalia laboris ejus incrementa teſtantur. Nam præter ſæcularium non modicam multitudinem, quorum animas verbo prædicationis ſuæ, vitæque exemplo, orationum etiam ſuffragiis eſt lucratus; ex quibus ad trecentos ferme monachos adquiſivit: præter eccleſias circiter quinquaginta poſt diuturnam deſolationem ad Dei ſervitium reparatas; illud conſtat eſſe præcipuum quod unicæ ſimplicitatis ac caritatis ſuæ formam transfudit in diſcipulos, & eidem loco cujus fundator exſtitit, egregiæ dotis inſtar reliquiſſe cernitur hereditariam ſanctitatem.

Miracula ante mortem.

19. De miraculis vero pauca perſtringimus, hac ſcilicet fide, qua nobis ea qui ſe vidiſſe aſſerunt tradiderunt. Ceterum tota ipſius vita in terris, ingens quoddam miraculum fuit. Si qui tamen exterioribus ſignis facilius capiuntur, non quod illa majora, ſed quod ipſi minus ſunt capaces, quales plus ducere ſolet carnalium ſenſuum admiratio, non deeſt hac etiam in parte materia, qua talium quoque utilitati ſerviatur. Militem de Monte-Gaſconis [e], cui nomen Bernardus erat, tribus annis continuis renium injuria, quam nephreſim medici nominant, laborantem, cum aquæ ſanctæ adſperſione ſuper eum devotius orans non ſolum corporis incommodo liberavit, verum etiam poſtea monachum factum Chriſti militiæ dedicavit. Item alium per vitiati ſanguinis corruptelam aqua intercute laborantem,

Nephreticum ſanat.

a Adfuit Concilio Claromontenſi anno 1094. ſedem 24. annis tenuiſſe dicitur in ejus epitaphio, quod in fodiendis eccleſiæ Capucinorum fundamentis, cum ejus ſepulcro detectum eſt. Avunculus beati Roberti fuiſſe dicitur infra in libro Tripertito.

b Interpolator in cod. mſ. Caſæ Dei refert hic Robertum in curia Regis verſantem precibus Regis & Reginæ excitatum, Deum exoraſſe, ut proles eorum vivere poſſent. nam antea filii ex ipſis nati ſtatim poſt ortum moriebantur. Robertus Miſſa celebrata Regi & Reginæ, quæ prægnans erat, prædixit filium ex iis naſciturum, qui Philippus eſſet appellandus; ex quo longiſſima Franciæ Regum ſeries eſſet proceſſura. quo id aſſeruerit fundamento interpolator, videant alii. Hæc retuliſſe ſatis ſit.

c Regium ea de re diploma & Leonis Bulla referuntur integra, ut jam diximus, à V. Cl. Stephano Baluzio, in appendice ad epiſtolas Servati Lupi

d Hic interpolator adjecit quæ de Regula Benedictina, divinitus fratribus in capitulo congregatis tradita, referuntur in Tripertito infra cap. 1. lib. 1.

e Mons-Gaſconis, aliis Gauzonis aut Guaſconis, vulgo *Mont-Gagon*, leucis circiter ſex à Claromonte diſſitus, ad ripam occiduam Elaveris fluvii, ut Bollandiani obſervarunt, ſitus eſt.

Digitized by Google

& naturalis caloris fomite jam demerſo, ſuperflui humoris abundantia protinus obruendum ſacræ manus impoſitione reſtituit. Puerum quoque dæmoniacum greſſibus ac linguæ privatum obſequio, ruſtici cujuſdam filium ſub loco qui Calcis-mons ª dicitur habitantis eadem potentia per manus impoſitionem cum orationis virtute curavit, triplicique miraculo in eadem perſona, muto vocem, claudo progreſſionem, captivo reddit libertatem. Item præſentato ſibi dæmoniaco cum panem ſanctum in ipſo eccleſiæ oſtio porrexiſſet, inimicus tantæ fidei virtutem non ſuſtinens, non ſine horriſono ſtrepitu, & intolerabili fœtore diſceſſit, hominemque dimiſit incolumem. Mulier membris omnibus diſſoluta, quæ ipſo Miſſam celebrante ſacris myſteriis aſſiſtebat, allata ſcilicet non ſuis pedibus, ſed manibus aliorum, ejus vocem quam de perpetuæ Virginis laudibus, in feſto ipſius Annuntiationis ad populum diſſerebat, fideliter audiens, reſtituta eſt protinus ſanitati. Nec latuit aſſiſtentes tantæ virtutis effectus, cum de nervorum ejus concuſſione fragor emiſſus terrorem ſubitum, tamquam de tecti ruina præſentibus incuſſiſſet. Ann. Ch. MLXVII. Apr. XVII. Et alios ægrotos.

20. Hæc pauca de ſancti hujus miraculis breviter memoraſſe ſufficiat, ut nec provectiorum firmitas oneretur, & fides ſimplicium roboretur. Nam ſepoſita virtutum talium mentione, quarum, ut in cauſis dicitur, communis eſt locus, quoniam bonis non ſemper, malis etiam quandoque contingunt; ſola vitæ ſanctorum conſtantia prudentibus ſufficit ad fidem pariterque exemplum, quam niſi bonus nemo potuit adipiſci. Quid enim dignius umquam poteſt eſſe miraculo, quam in tanta rerum mundanarum varietate immobilem mentis habitum cuſtodire? quem vir iſte beatus ita fixum divino munere conſervavit, ut nec ætatum, nec locorum, nec temporum, nec fortunarum diverſitate à ſancto propoſito potuerit dimoveri. Unam petierat à Domino, hanc etiam requirebat, æternam ſcilicet in domo Domini habitationem, cujus intuitu quamlibet vitæ præſentis vel voluptatem, vel moleſtiam pro nihilo reputabat. Ita factum, ut per brevis laboris curſum, omne etenim quod tranſit breve eſt, ad æternæ quietis bravium perveniret, felici commercio terrenis lucratus cæleſtia. Obitus quidem ſui diem creditur præſciviſſe, fratribuſque ad ſe convocatis poſt exhortationis verba, quibus eos divinis monitis inſtruebat, oſculatus ſingulos vale dixit, ſicque converſus ad Deum, ſeque & illos precibus commendans, plenus dierum dormivit in Chriſto, ſepultuſque eſt octavo Kalendas Maii in Caſa-Dei nova, quam ipſe ædificaverat regnante Domino noſtro Jeſu-Chriſto, cui eſt cum Patre & Spiritu-ſancto honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

ª Codex Britolienſis habet *Calidus-mons*, ſed utrumque nomen eumdem locum deſignat *Chaumont* ad Doram fluviolum, una leuca diſtantem à Caſa-Dei, ubi prioratus erat Conventualis à monaſterio Celſiniacenſi dependens, quem modo poſſident PP. Minimi.

LIBER SECUNDUS.

Domino vere ſancto & in Chriſti membris unice amplectendo STEPHANO *abbati*, MARBODUS *peccator.*

1. FREQUENTER petis, vir egregie, immo ſub aſſumtæ petitionis figura multo arctius jubes & cogis, ut priori libello quem de vita beati Rotberti ſimplici ſermone, utinam tam efficaciter quam libenter, compoſui, ſequens opus de virtutibus ejus ſecundum titulos primi ſcriptoris annectam. Honorat parvitatem meam repetitæ dignationis injunctio, ſed onerat infirmitatem gravis laboris aſſumtio. Neque enim ſi prius tibi Auctoris prologus.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXVII. APR. XVII.

amplicuiſſet, ſequens à me opus tam inſtanter exigeres, nec rurſus quod placeat abſque labore & induſtria poteſt exſculpi. Sed neque etiam ineptus ſum, ut ſi boni quid ago meis hoc viribus arrogem, & non illi potius à quo cuncta bona procedunt; nec tam infidelis, ut in honeſtis ac piis laboribus divinum deſperem auxilium. Gratulor igitur opuſculum illud tibi, Pater, & ſanctis fratribus placuiſſe, & divinæ gratiæ per quam placuit gratias ago. Sed quod reſtat eadem ope divina fretus aggredior, quam mihi non meritorum meorum, quæ mala ſunt vel nulla, præſumtio, ſed beati Patroni, de quo ſermo ſuſcipitur, & veſtræ ſanctitatis interceſſio pollicetur. Mihi ergo ſi quid errati erit imputabitur, quicquid recti ſupernæ gratiæ. Nec ſcriptoris, precor, indignitas ſuſceptæ cauſæ præjudicet dignitati, cum vilibus etiam è contra plerumque mancipiis, dominorum intuitu deferatur. Nec qualiter, ſed qualia dicantur fidelis lector attendat, quoniam ſæpe per Oratoris facultatem, & vera tenuiter, & copioſe falſa differuntur. Nam & ſalubres eſcæ miniſtrantur fictilibus, & aureis poculis letale aliquando miſcetur venenum.

S Roberti Apologia.

2. Primum igitur de ſancti virtutibus narraturo non alienum mihi videtur quorumdam blaſphemiis obviare, in quorum frontibus & ore ſacrilego, draconis & beſtiæ procul dubio caracter agnoſcitur. De illa enim ſcriptum eſt; Quod aperiet os ſuum in blaſphemias ad Deum, blaſphemare nomen ejus, & tabernaculum ejus, & eos qui in cælo habitant. Ita igitur qui ſancto huic fruſtra moliuntur calumniam, indubitanter ſe probant ad illius beſtiæ numerum pertinere. Aïunt ergo, non enim me piget velut ante judices, depellendam callidæ malignitatis intentionem proponere. Novus iſte ſanctus antiquum nobis pervertit ordinem ſanctitatis. nam cum ceteri omnes, qui cum dilectione ſpem fideliter ad alta ſuſtollunt, aſſcenſiones in corde ſuo diſponant, & ſuperiora ſemper de inferioribus auſpicentur, ſolus hic cum prius pedem poſuiſſet in ſummo, ſenſim poſtmodum ad inferiora delapſus eſt. Inſtituerat longe à terrenis & laborioſis tumultibus, alto vertice nubes excedens, divina tantum & cæleſtia, tranquilla mentis acie ſpeculari, & ecce paullatim ad activum laborem & humana negotia, poſtremo ad curam cæmentariam declinavit. Amphoram cœperat, urceum conſummavit. Mutavit conſuetudinem nuptiarum, & contra morem patrium, & veteris hiſtoriæ fidem, ante Liæ thalamos, Rachel amplexus promeruit; expertus utramque, pulcram facie prætulit lippienti, dum illa repudiata, huic perſeveranter adhæſit. Quin potius expertus neutram, utramque fruſtra indigni more proci repellendus tentavit. Præpoſuit Martham Mariæ, & judicio Chriſti contrarius, Mariæ optimam partem aſſerentis, & ſi non voce, quod eſt gravius, opere blaſphemavit; ſed & propriæ vocis aſſertione convincitur, dum quod ipſe poſt egit affirmat eſſe damnabile. Sic enim diſcipulos eremum petiturus alloquitur. Non proponere, inquit, ſumma tolerabile eſt propter humanam fragilitatem, cadere autem à propoſito damnabile, propter diabolicam tranſgreſſionem. Aut igitur fides non eſt habenda ſcriptori, aut eum qui voce propria tranſgreſſionis arguitur, non ſuum meritum, ſed alienus error ſanctificat. O lividis plenam ſalibus & ſuperba contentione calumniam!

Robertus multa ab invidis patitur.

3. Jam & in hoc à beatorum ſorte ſanctus hic vir non diſcrepat, quod iniquorum maledictis & odiis propter Jeſu-Chriſti nomen impetitur, utique propter nomen Chriſti, licet eodem maledici nomine cenſeantur. Niſi enim egregie Rotbertus Chriſto ſerviſſet, nec tanta ſanctitatis ejus per diverſas regiones increbuiſſet opinio, iſti profecto ſuperbiæ filii, nec ſua eum dignum ducerent detractione. Nunc vero quoniam & ipſi Religionis ſibi, per hypocriſim, laudem vindicare non metuunt, damnum gloriæ ſuæ putant quicquid laudibus alienis acceſſerit: inde fit, ut ad delendum Rot-

Digitized by Google

berti nomen totis eruditionis ſuæ viribus enitantur contra ſpiritalem Dei ſervum, armis ſpiritalibus, & divinis auctoritatibus abutentes, utpote quos in caſtris ſuis Chriſtus, velut hoſtes nutrivit inteſtinos; ſic & horum majores, quos ex patre diabolo ſuperbia mater progenuit, auſi ſunt quondam improperare Martino, quod flammarum aduſtus incendio, ſub mortis inſtantia fugæ præſidium trepidus imploraſſet. Egit tum cauſam Martini jubente Chriſto, Sulpicius, & lectoris judicio, confuſis adverſariis ſilentium victor impoſuit. Nunc quoque potens eſt Chriſtus indoctam, & fruſtra ſibi de ſcientia applaudentem ſuperbiam, noſtræ humilitatis obſequio vel confundere vel docere. Age enim quiſquis ille es novæ ſanctitatis impugnator acerrime, qui veraciter novo homini infeſtus, adhuc veteris imaginem ore ſonas, & mente geris. Age inquam, obſcuræ diligentiæ nobilis, immo notabilis oſtentator, qui dum tibi lynceos oculos arrogares ad talpinos recidiſti, quæ tandem tibi videtur antiqua regula ſanctitatis, ut ſcilicet activum quiſque laborem prius exerceat, per quem caritas compaſſione ſollicita proximorum ſuccurrit neceſſitatibus, deinde novis ſemper virtutum profectibus ad altiora ſe tollens, contemplativæ arcem dulcedinis, in qua ſolius divinitatis inſatiabili amore fruatur, tandem victor obtineat; quo cum pervenerit, jam nefas inde inferiora reſpicere, ſed ſicut de quodam ridicule dictum eſt, & hic non incongrue dici poteſt, miretur cæli cardines, ultra non curans homines. Ita ergo duas eccleſiæ vitas, ſuis quamque finibus novus auctor & expers utriuſque diſterminans, & ſic confuſo mentis errore, & impermixtas eſſe contendis; ut qui ſuperiorem ſemel attigerit, ei ſit ad inferiorem redire damnabile: hoc eſt qui Deum plene dilexerit, non poſſit & fratrem diligere. Ann. Ch. MLXVII. Apr. XVII.

4. Novam pro religione crudelitatis regulam introducis, ut jam Græcia loquax multo fabuletur humanius, Oreſtem & Pyladem [a] patria profugos vi tempeſtatis in exterum litus expulſos, cum capti ad Scyticæ Dianæ aram ſtatuti eſſent, ut peregrino ſanguine crudeli divæ ſollemniter litaretur, data lege quod tantum unus oppeteret, diu multumque pium barbaris amicæ contentionis præbuiſſe ſpectaculum, dum alter alterum vicaria morte conatur redimere. Jam tu Religione Chriſtiana ipſis idolatris agi ſuades immanius. Si quis pater mitiſſimus clauſos diu profundo & tenebroſo carcere liberos, ſtans in laci ſupercilio flebili voce compellet, demiſſaque ſcala per gradus tritos cohortetur eniti; tum ceteris diffidentibus & indocili mente turbatis, unus quilibet alacriori conatu, & experientia firmiori greſſus arduos moliatur, iſque cum ad ſuperiora lætus emerſerit, implorantes fruſtra opem germanam fraterculos averſetur, nec eis conſentiat per aſſcenſus notiſſimos facilem præbere ducatum; idque mentiatur paterna dilectione ſe facere, cum pater afflictos commiſerans ad opem ferendam pio illum affectu inſtimulare non ceſſet. Is igitur tibi perfectiſſimus videatur, ſi quiſpiam in amphitheatro pugnantem cum acerrimo gladiatore quem ipſe jam vicerit, cujuſque non ignoret argutias, ſub mortis diſcrimine ſpectet germanum, eumque cum poſſit non inſtruat, ſed fraterni ſecurus periculi cum ſpectatore parente reſidens emeritus, intempeſtivis ejus velit oſculis delectari, numquid non ab omnibus, & ab ipſo patre improbus & crudelis, & in fratres neglectu judicatur impius parricida? Sed Dei, inquies, flammeus amor omnem rerum mortalium curam devorat & conſumit. Ergo ſi ita eſt oritur novum & monſtro ſimile in ipſo caritatis regno diſcidium, & duobus mandatis in quibus tota lex pendet & prophetæ, inteſtina & pluſquam civili ſeditione confoſſa conſequenter totius Chriſtianæ fidei corruunt ſacramenta. Nam ut laxos circuitus brevi

Caritatis fraternæ neceſſitas.

[a] Hanc amicitiam veteres pluribus laudibus extulerunt, inter quos Cicero libro de amicitia. Dianam vero victimis humanis maxime delectari antiqui putarunt.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXVII. APR. XVII.

complexione ſuccingam, ſi flagrantiſſimus amor Dei, in quo contemplativæ vitæ ſumma conſiſtit, fraternam dilectionem, quæ eſt activæ cauſa vel maxima, devorat & exſtinguit, dum & ipſe ſimul exſtinguitur, nulla remanet portio caritatis. Qui enim non diligit fratrem ſuum quem videt, Deum quem non videt quomodo poteſt diligere? Item: Qui viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo? Aut igitur Deum diligens amabit & proximum, aut proximum ſpernens contemnet & Deum. Porro ſi cum Deo fratrem dilexerit, indigenti pro viribus neceſſaria miniſtrabit, quod ſive opere, ſeu rem non habens ſola faciat voluntate, * auctuum proculdubio negotium exercebit. Rurſus otioſa, immo nulla erit fraterna dilectio, niſi meritis ad Deum erigatur intentio. Cogit nos quo debet rationis invictæ neceſſitas, ita igitur cum duæ vitæ ſuis ab invicem meritis ſint diſcretæ, ab eodem tamen communiter lege queunt vicaria poſſideri. Cumque ad interiorem pro neceſſitate recurritur, non eſt caſus ſed deſcenſio, non eſt prævaricatio ſed compaſſio. In hac ergo parte virum ſanctum transgreſſionis arguere, eſt, ſicut apparuit, plus quam verbis arguenda tranſgreſſio.

* *f.* actuum.

Objectis auctor ſatisfacit.

5. Quod vero illum priſci ordinis aſſeris perverſorem, & ante Liæ thalamos, Rachelis pulcritudinem impudentis proci exemplo fruſtra tentaſſe, mirum, niſi ſomnians hæc vidiſti: quippe geſtorum ipſius evidens & ordinata narratio, nec tuam credo latere potuit cæcitatem; ibi enim de præcedentibus ejus eleemoſynis non ſiletur. Porro quod eum contra Chriſti ſententiam, Martham inſimulas prætuliſſe Mariæ; frivola prorſus & vana probatur objectio. Nam ſi hæc ad temporis ordinem prælatio referatur; quod quidem ab incauti tantum criminatoris ſtultitia non abhorret, ſeipſam linguæ volubilis impugnat calumnia, dum eumdem nunc arguis id feciſſe quod paullo ante arguis non feciſſe. Nam ſuperius quod Liam ante Rachelem non duxerit, hic cauſaris quod Mariæ Martham prætulerit. Sed myſtice idem ſunt Lia & Martha, Rachel & Maria. Præferre igitur quantum ad ordinem Martham Mariæ non potuit, ſi Liam Racheli non prætulit. Quod ſi dignitatis intelligatur prælatio, ſic quoque in te vanitas eminet objectoris, de alienæ mentis judicio quod neſciat aſſerentis. Quantum enim ex illius viri ſancti verbis aut operibus potuit apparere, Mariam veraciter Marthæ dignitate præpoſuit, qui propter Dei amorem fratribus miniſtravit: in qua compaſſione, non ardui propoſiti retrogradus violator, ſed electorum omnium, & ipſius Capitis exſtitit piiſſimus æmulator. Hæc eſt enim antiquæ, hæc eſt & modernæ, hæc & futuræ regula ſanctitatis, quam inter utrumque marginem, inſignitis virtutum gradibus uſque in finem ſæculi diſcurrere non ceſſat famulorum Chriſti promta devotio.

Robertus cum aliis ſanctis comparatur.

6. Contra ea quæ ab his dicuntur, qui activam vitam contemplativæ intermiſcere nefas judicant, ut in beatum Rotbertum cujus invident ſanctitati devolvere poſſint calumniam, ſatis dictum putamus. Separatim tamen, ne quis forte nos reſpuat, quaſi præter ſcripturarum auctoritatem ſenſu hæc præferentes humano, ſacris teſtimoniis volumus illuſtrare ſententiam; non alienum ab hujus operis intentione exiſtimantes, ſi ad ædificationem legentium præſentem Dei famulum antiquis ſanctis fuiſſe oſtendamus in hac diſcretionis virtute conformem. Huic ergo ſcalæ Jacob Patriarcha, cum ſuper lapidem myſticum feſſum caput dormiens reclinaſſet, innixum Dominum vidit, & Angelos Dei non ſolum aſſcendentes per divinam contemplationem, ſed etiam deſcendentes per humanam compaſſionem. Quod quidem myſterium & in ſuo connubio idem Patriarcha exercuit, dum poſt pulcriores amplexus, fœcundioris conjugis coitum ſæpius repetivit. Hæc ſi æmulorum temeritas advertiſſet, nullatenus divinam hiſtoriam

Digitized by Google

hiſtoriam ſtultæ ſuæ crederet calumniæ ſuffragari. Quid enim aliud veteres ſcripturæ, quid aliud ſacratiſſima loquitur novi pagina Teſtamenti. Nam ut pauca proponamus de ſingulis. Abraham fidei pater, Iſaac promiſſionis filius, Jacob gratiæ ſpiritualis electio, qui ſpecialiter beatæ Trinitatis in ſe myſterium prætulere, nonne & cum Deo ſæpius loquebantur, & domeſtica nihilominus negotia procurabant? Hæc in Jacob maxime viciſſitudo elucet, qui cum Deum facie vidiſſet ad faciem, unde & locum Phanuel nominavit, ſtatim itineris exigente neceſſitate, ad diſponendam converſus familiam, ancillas & uxores, cum liberis & gregibus per turmas diſtribuit. Sic & Moyſes Legiſlator ſolus cum Domino moratus in monte, commiſſo viciſſim populo ſe reddebat: nec ſemper divini tabernaculi incolebat ſecretum, ſed foras egreſſus tumultuoſas languentium cauſas, non levi plerumque negotio dirimebat. Illud quoque non longe videtur ab hac intelligentia reſultare, quod ſedens Axa ſuper aſinam a patre *Joſue* 15. 19. ſuo irriguum ſuperius, irriguum inferius, neutrum ſine altero poſtulavit. Nec minus & Chriſti apoſtoli Petrus & Johannes aſſcendebant in templum ad horam orationis nonam, quo numero Angelicæ ſumma contemplationis innuitur; & mox egreſſi, petentibus in Chriſti nomine beneficia conferebant. Paulus quoque doctorum præcipuus raptus in paradiſum, non ſemel & defæcatiſſimo mentis obtutu cæli tertii ſecreta rimatus, iterum ſe non ſolum ad hominum, ſed etiam ad carnalium hominum coaptabat menſuram, benevola compaſſione incontinentibus aliquid etiam de voluptate concedens. Propter fornicationem, inquit, unuſquiſque ſuam uxorem habeat, & unaquaque virum ſuum habeat: & uxori vir debitum reddat, ſimiliter autem & uxor viro. Vide quid faciat imitanda perfectio caritatis; ſecretarius paullo ante cælorum, fit ecce cubicularius thalamorum. Sed & de collectis, quæ in ſanctis fiebant ad præparandam repromiſſam benedictionem diligenter Corinthios hortabatur. Ita per geminæ plenitudinem caritatis, idem ſummus & imus, cælicus & terrenus, ſive mente excedebat Deo, ſive ſobrius erat nobis; à qua ſanctitatis regula, nec ceteri Chriſti exorbitavere diſcipuli. ſed ſingulis proprias notas ad hoc negotium pertinentes affigere, & valde longum & non valde neceſſarium, ſolus Dei Filius Jeſus-Chriſtus nobis ſufficiat ad exemplum, de cujus plenitudine omnes acceperunt, & cujus tota in terris vita, morum exſtitit diſciplina. Jeſus ergo nunc aſſcendit in montem ſolus orare, nunc venit ad diſcipulos, quos videt in fluctibus laborare; nunc turbis erogat verbum Dei, nunc largitur munera ſanitatum; transfiguratur in monte, ſuam gloriam paucis oſtendit: reverſus ad turbas, ſupplicantis pro filio patris coram multis exaudit miſeriam. Aliquando Spiritu-ſancto exſultans, cæli & terræ Domino confitetur: aliquando ſeipſum conturbans, pro amici funere lacrymatur. Docet & verbo quod oſtendit exemplo, cum non ſolum clauſo oſtio Patrem orare, ſed & aperto beneficio fratri petenti ſuccurrere nos hortatur. Idem & in Canticis contemplativa probat Eccleſia, querens ſe à lecto quietis internæ ad exteriorem quam exuerat curam, & prædicationis officium ſponſo revocante compelli. Ego, inquit, dormio, & cor meum vigilat. Vox dilecti mei pulſantis: aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum eſt rore & cincinni mei guttis noctium. Exſpoliavi me tunica mea, quomodo induar illam? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo eos? Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum ejus. Surrexi aperire dilecto meo.

7. Ex his omnibus ſatis conſtans eſſe putamus & evidens, contemplativos ad actionem non ſolum licenter, ſed & neceſſitate plerumque mutari, nec prioris pati meriti detrimentum; quia ſi quo fraudatur interius pulcra

ANN. CHR. MLXVII. APR. XVIII.

ANN. CH. MLXVII. APR. XVII.

ſterilitas, totum compenſat exterius lippa fœcunditas. Sed quoniam hujus rei tam late patet oſtenſio, ut tempus me citius, quam copia deſerat exemplorum, tanto magis quæ ſunt dicta ſufficiant, quanto minus dicenda deficiunt. Quocirca quoniam veritas falſitatem redarguit, & caritas inſtruxit invidiam, muta fiant labia doloſa, quæ loquuntur adverſus juſtum iniquitatem in ſuperbia & in abuſione. Immo quia magis intendimus ædificare quam vincere, cedat invidia caritati, & taxato veræ confeſſionis præconio nefandæ blaſphemiæ redimatur impietas, ut in ſpiritu dilectionis & pacis beati viri merita pariter prædicemus. Miracula quippe, quibus, largiente Domino, ſacri corporis ejus illuſtratur ſepulcrum, meritorum ipſius certa ſunt dubitantibus argumenta. Ergo hæc fidelibus & malevolis, ſi qui reſtant qualibus ſupra, quantum Dominus dedit occurrimus, ſecundum hujus opuſculi tenorem pro nobis reſpondeant, ut quemadmodum, teſte Apoſtolo, linguæ in ſignum ſunt non fidelibus, ſed infidelibus, ita è converſo ſigna in linguam ſint non fidelibus, ſed infidelibus.

B Roberti miracula poſt mortem.

A BB. Virgine videtur in cælum induci.

8. Ea ipſa die qua beati viri corpus ſepulturæ tradendum jacebat, unus ex antiquioribus ejus diſcipulis, ceteris circa pias exſequias ſatagentibus, ſolus in partem ſeceſſerat, utpote qui repentinam ſui deſtitutionem præ diuturna conſuetudine familiarius pateretur. Hic cum nimio luctus angore feſſus, & conſternatus animo reſediſſet, ut ſolet, ex triſtitia ſomnus irrepſit, & ecce divinitus mentis ſibi lumine reſerato, igneum globum cælo delapſum ſupra ubi corpus ſanctum jacebat, conſpicit adſtitiſſe, cujus ſplendore luciſluo vicina quoque vehementius irradiarentur: cumque ad tantæ viſionis horrorem ſtuperet attonitus, adeſt cæleſtibus ſtipata legionibus inæſtimabilis femina venuſtatis, proprio fulgore prævii luminis æmulans claritatem; quam ex vultus & habitus majeſtate Reginam eſſe conſtaret: hæc ſuper feretrum igneo globo inſiſtens, manu porrecta jacentis dexteram apprehendit, blandæ vocis alloquio ut ſurgeret, & ſecum aſſcenderet cohortatur. Ita manibus conſertis, recto itinere in cælum gradientes, comitante ſe lumine, cum jam ætheris confinia tangere viderentur, emiſſa deſuper ingenti dextera, cæloque patente recepti ſunt. Hanc Domini fuiſſe Matrem nulli ſit dubium, quæ devotam ſibi animam poſt vitæ præſentis decurſos rite labores, cæleſtibus, Chriſto ſuſcipiente, gaudiis introduxit. Ejus quippe ſe vir ſanctus poſt Chriſtum ſpecialiter obſequio manciparat, eamque vivens in carne, tam impatienti ſpiritualiter diligebat affectu, ut ab ejus laudibus etiam, cum de alio ageretur, temperare non poſſet, ut ad ejus memoriam, etiam dormiens animo vigilaret. [Chriſti [a] & Mariæ penitus impreſſam cordi geſtabat imaginem. Hoc velut unicum & dulce depoſitum lætabundo mentis gremio confovebat. Ligaverat in corde ſuo geminam hanc, diſparis quidem, ſed inæſtimabilis utramque pretii margaritam, ad quam ſingulis horis inſatiabili deſiderio ſecretæ caritatis oculos revocaret: ſemper in ejus ore verſabatur Chriſtus & Maria, caſtitas & miſericordia: Mariam cæli portam, maris ſtellam, Spiritusſancti ſacrarium, miſerorum refugium, roſam pudoris, lilium caſtitatis, gemmam virginitatis, variatis ad delectationem nominibus, vocitabat. Si quis vellet Chriſti gratiam promereri, ambiendum prius cenſebat ad Matrem, velut alteram Dei mediatricem & hominum, quippe cui filius ſecundas reconciliationis partes delegaverit, & eos ipſe Patri commendet, quos ſibi Genitrix propria commendarit. Hunc magiſtri fervorem adhuc hodie diſcipulorum probat ac repræſentat devotio, qui per ejus traditionem quotidiani officii laudes, in cœnobio Caſæ-Dei glorioſæ Virgini communiter & gratanter exſolvunt. Quo circa dubitari non debet, beatam

[a] Quæ inter has notulas comprehenduntur deſiderantur in noſtro cod. mſ. nec repeiuntur apud Labbeum; exſtant tamen in codice Britolienſi & apud Bollandum.

Digitized by Google

animam ab illa potiſſimum deductam in gaudium, cui, ſalvo Deitatis privilegio, ſtuduerat ſervire potiſſimum. Nec defuit ſupradictæ viſioni totius divinæ Trinitatis auctoritas, quoniam & in igne Spiritus-ſancti flagrantia, & in dextera Filii fortitudo, & in cæli ſpecie Patris] majeſtas ſignanter enituit. ANN. CH. MLXVII. APR. XVII.

9. Item vir quidam * Vellavenſis incola territorii, febribus quartanis biennio continuo carpebatur, hic cum implorandæ ſanitatis deſiderio multas diu ſanctorum memorias circuiens pererraſſet, conſumto fruſtra ſtudio periculoſam ægritudinem intempeſtivi laboris moleſtia cumularat, nec vel ſuæ infidelitatis culpa, vel patronorum impotentia fallebatur, ſed beati Rotberti meritis, ut poſtmodum claruit, divinitus ſervabatur. Nam cum ipſo tumulationis ejus die, ante ſacri corporis locum, quo eum pervagata circumquaque venerandi obitus fama, inter promiſcuas turbas properantes adduxerat, humi proſtratus non ſine certa impetrandæ fiducia ſanitatis, remedium diutius imploraſſet, inter orandum ſomno cælitus illabente leviter obdormivit, cum interea ſecreto divinæ pietatis affectu per beati viri merita venarum calefactis meatibus pigri diu frigoris vis noxia cœpit reſolvi, & toto corpore patentibus poris febrifluis ſudoribus pariter emanare. Senſit exonerata dormiens natura remedium, & homo abſque medicæ curationis moleſtia omni repente liberatus incommodo, alterum ſe mirans, reſurgere ſibi videtur dum evigilat. Quantas tunc Deo pro recepta ſanitate grates egerit, quantis Rotbertum vocibus inclamarit, ſolus ex ejus gaudio poterit æſtimare, qui gaudium ex præeunte moleſtia menſurarit. Sicut enim plus gaudet qui majus evaſit periculum, ita majores agit gratias qui plus gaudet.

Febri laborans ſanatur.

* *Le Velay.*

10. Hujus ergo tantæ virtutis opinio tam eorum ore qui viderant, quam & qui crediderunt referentibus, per regiones finitimas celeriter divulgata, languidorum, debiliumque greges ad ſacrum beati viri ſepulcrum velut diſpenſandarum gratis ſanitatum largifluam quamdam ac propalatam nuper cunctis languentibus officinam, diverſis pariter itineribus adducebat. Inter quos miſerum quemdam ſenem, cujus infortunio ad duplex, ſenectutis ſcilicet & paupertatis, incommodum graviſſimum plane peſſimumque cæcitatis onus acceſſerat, anxia thori conſors ad ſepulcrum ſtatuit Confeſſoris. Ubi dum per triduum cæcus ille indefeſſo ſtudio mentis oculos fixus in Chriſtum, Rotberti nomen cujus fidebat patrocinio ſæpius iteraret, nec vel momentum ſibi relaxaret à precibus, offenſa mulier importunâ viri ut videbatur garrulitate: Deſine, inquit, vel tandem præſentibus inferre moleſtiam, ſi quieſcenti facere non times injuriam. Nam qui te non putas à ſancto, niſi clames improbius, exaudiri, dum lumen imploras amiſſum, quem ſic pulſas infamas auditum: nec mereris impetrare quod oras, dum vel ut ſurdo cæcus improperas; exſpecta potius cum ſilentio, & in cordis cubiculo funde preces. Hanc ille vocem ſic indignabundus exhorruit, ut eam non tam feminæ ſimplex eloquium quam fraudulentum ſerpentis ſibilum judicaret. Parce, inquit, parce mulier ſtulte loqui, & impiam blaſphemiam imagine fidei palliare. Siccine delicatas aures ſuſpicaris ſanctorum, ut eas nimiis putes clamoribus enecari? immo edocti divino Chriſti magiſterio, quod non dant amico plerumque roganti, tandem largiuntur improbo pulſatori. Statimque converſus ad ſanctum, pium nomen acclamare cœpit inſtantius, imitatus Evangelicum cæcum, quem turba magis accendebat in preces, increpans ut taceret. Mota jamdudum pietas ſacerdotis, poteſtatem à Deo reſtituendi cæco luminis impetrarat, ſed probat petentis fidem, dum differt dare quod petitur, ſimulque beneficium plus deſideratum ſit gratius. Dum igitur homo perſiſtit in precibus, occulta virtus manifeſtum dedit effectum, cœpitque denſa caliginis nubes avelli, ut velut diſtante jam ſpatio, oculis mirantibus, cum lucem nondum viderent,

Cæcus recipit lumen.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXVII. APR. XVII.

ſua cæcitas apparere, velut ſi lucem videntibus velamen obtendas: admovit homo feſtinus palpitantibus oculis manum, & mirum in modum nil tangens quidquid officiebat deterſit. Illuxit diu ſepultis orbibus lux mirabilis, & totam mox reddidit corporis accenſi ſubſtantiam clariorem. Rupit ergo ſeipſam non capiens gaudii menſura ſilentium, & novi in ſemet miraculi congruus prædicator, per totam repente baſilicam cœpit mixtis laudibus gratias intonare. [Quis tunc ibi præſentium Dei potuit ſilere præconia, quis beati Rotberti merita non cantavit? Manifeſtis ſiquidem probamentis virtus indubitata conſtabat, cum oblatas ſibi diverſas ſpecies cæcus modo, diſtinctis quamque nominibus ad viſionis indicia deſignaret, ne colorum vel formæ cujuſlibet diſtantia falleretur. Inveniat hic ſi poteſt mordax invidia locum calumniæ, & ad depravandum ſaltem quod negari non poteſt, tentet ex odio quodlibet comminiſci. Sed cum conatus ſuos omnes deficere prorſus caſſo labore compererit, credat vel ſibi quod nobis credere forſitan dedignatur, & exemplo veſani illius Prophetæ, ab aſina ſua, ideſt propria ſtultitia, redargutus tandem turpius reſipiſcat. Numquid enim totum hujus mirandæ virtutis effectum non ſancti viri meritis, ſed petentis fidei contendet potius adſcribendum; at enim petentis hæc erat fides, quod lumen poſſet amiſſum Rotberti precibus impetrare; inde eſt quod nomen Rotberti ſæpius inclamabat. Aut igitur quod poſtulabat, ejuſdem ſancti meritis impetravit, aut ſibi ad impetrandum, ipſa qua poſtulabat fides nil profuit. Nam & antea ſæpe, fide utique chriſtiana, ad aliorum ſepulcra Sanctorum amiſſum lumen imploraverat, & nuſquam tamen meruerat exaudiri. Poſtremo ſi tota foret beneficiorum largitio fidei poſtulantium imputanda, nullæ Chriſto gratiæ referrentur, qui ſæpe laborantibus cum diverſa beneficiorum remedia contuliſſet, fidei tamen meritum non tacebat, fides, inquiens, tua te ſalvum fecit, hoc eſt, ut ſalvus fieres impetravit, non mihi dando potentiam ſed à me gratiam promerendo. Fides igitur poſtulantis nec largientis potentiam, nec meritum patrocinantis evacuat.]

Dæmoniaca liberatur.

11. Ecce & aliud mirandæ ſanctitatis evidens documentum. Ex Lemovicenſi pago miſera quædam, viginti fere annis maligni ſpiritus frequentibus incurſionibus devaſtata, tandem ad beati viri ſepulcrum à fidelibus perſonis adducitur. ſane non illam continua, ut ſolet, fatigatione vexare vis inimica conſueverat, ſed in morem chronicæ paſſionis gravius poſt intervalla torquere. Itaque dum ante ſacri corporis locum ſtatuta, velut ante pium judicem reus abſolutionis ſuæ ſententiam, ſuſpenſis qui aderant omnibus, exſpectaret, tantis repente toto corpore convelli cœpit tremoribus, ut mortem potius exſpectandam, horrenda ſupplicii * facies intentaret. Trepidabat nimirum, inviſibilis cujuſdam majeſtatis præſentiam ferre non valens nequitia ſpiritalis, & dum male invaſam ſubſtantiam, velut improviſo ſuperventu territa feſtinat dimittere, occluſis exitibus, undique circum curſans carcerem ſuum concutit tremebunda. Nam retinet ad tempus, ut torqueat cenſura prædonem, ſimulque futuræ mox purgationis miraculum, oſtenſa præ oculis peſtis horrendæ magnitudine, commendatur. Dum igitur in hac tam fœda ſpecie, miſerandum adſtantibus aliquamdiu propriæ calamitatis præbuiſſet ſpectaculum, ſubitam femina prorupit in vocem, & iteratis ſæpe clamoribus ſancti Rotberti cœpit adjutorium invocare. Interea Manſionarius acceptam ſacræ conſperſionis aquam in os vociferantis roravit, & velut imbre cælitus miſſo, ſævæ paſſionis totum ſubito reſtinxit incendium. [O miranda prorſus pii merita Confeſſoris, qui etiam per humilis miniſtri officium potentiam effugat inimici. Hoc plane eſt egregiæ cujuſdam virtutis indicium, quæ paſſim non poſſit ſanctorum cuilibet provenire. Dedit hoc Chriſtus Apoſtolis ut in ſuo nomine malignis ſpiri-

* *Boll.* ſupplicis.

Digitized by Google

tibus imperarent: quod ſæpiſſime per ſe ipſos fecere Apoſtoli, raro autem per alios quos juberent. Præſumſit hoc olim magnus ille & mirabilis Eliſæus, cujus ſacrorum oſſium contactu, cadaver hominis reſurrexit; nec tamen puer præmiſſus cum baculo defunctum mulieris magnæ filium ejus imperio potuit ſuſcitare; non quod tantum Prophetam fefellerit fiducia meritorum, ſed quia non ſemper, etiam perfectis, tam exundans gratia conferatur: quibus autem id aliquando confertur, perfectos eſſe dubitari omnino non poteſt.] Collapſa igitur mulier pavimento jacuit aliquamdiu ſine ſenſu, ut plane cunctis nihil aliud quam mortua videretur. Nec magnum negotium erat ſancto vivacibus meritis ſuſcitare mortuam, ſi forſitan quod videbatur hoc erat. Redeunte itaque vel anima, vel ſenſu poſt ſpatium, apertis oculis cum quiete, in modum antiquæ illius Tabithæ reſedit, & de recepta mentis & corporis ſanitate ſervo Dei Rotberto, quantas poterat gratias referebat. Tunc præſentes qui aderant, & rei exitum jamdudum ſtupidi ſuſtinebant, viſo tanto tamque patenti miraculo, certatim Dei laudes piis clamoribus intonabant. Sed & mulier ad patriam reverſa incolumis, miræ virtutis exemplum quod ſenſerat ipſa circumtulit.

Ann. Ch. MLXVII. Apr. XVII.

12. Item vir quidam Forenſis * territorii patriota, filium ſuum jam multo tempore nervorum contractione damnatum, ut non gradi ſed repere videretur, ad ſepulcrum beati viri pro ejuſdem ſuæ ſobolis ſanitate pias preces fuſurus advexit, ibique per unius hebdomadis ſpatium lacrymis inſiſtens & votis, divinæ miſerationis opem fideliter exſpectabat. Interea die quadam dum fratres Miſſarum celebrarent officia, cœpit puer ſubitis nervorum motibus agitari, & ut torpida diu crura tentaret extendere, [reviviſcentis quodammodo naturæ pulſibus admoneri. Tentavit velut hæſitans quid moveret] : & ecce quodam impetu, cum fragore cutis extendebantur nervi, ut jam vel ſi conaretur non poſſet deſiſtere. Sine dubio vis cæleſtis arcta nimis, captivæ diu naturæ vincula dirumpebat, & quod exercebatur non erat in hominis poteſtate. Erigitur ſtatim deſuetos claudus in pedes, & vacillanti primum inceſſu cogitur ambulare. Accurrunt ilico lacrymantes præ gaudio qui cernebant, & injectis undique manibus, cum Dei laudibus erectum ad altare perducunt. Fit tale gaudium apud omnes, quale utique ſupernæ præſentiæ manifeſta probatio merebatur. Super omnium tamen præconia, patris vox gratulabunda feſtivius reſultabat, cui cauſa lætandi propenſior majorem dabat materiam declamandi. Sic cum filio ſolidatis baſibus, jam non claudo, reverſus ad propria, grande miraculum patriis finibus introduxit.

Contractus erigitur.

* *Le Forez.*

13. Ex opido, quod Cereſium ᵃ nominatur, Eques non ignobilis filiam habebat, quæ fœdum in modum, facie tumefacta, geminis etiam jamdudum capta luminibus, duplicis incommodi gravi ſarcina premebatur. Viſum eſt patri poſt tempus, qui puellæ miſerias mœſtis viſceribus indolebat, ut eam ad ſancti viri ſepulcrum dirigeret, ubi multos recipere ſanitatem celeberrima jam fama vulgaverat. Ducta eſt cæca ad ſanctum luridis tumoribus faciem deformata, & poſt modicum rediit videns, in priſtinam decori vultus imaginem reparata. Nam dum precibus aſſiduis pulſat Deum, quales ſibi contriti cordis dictabat afflictio, dum beati Rotberti nomen & merita ſæpius conteſtatur, unus ex fratribus cuſtos ædis, de vultu geſtientis colligens ſupplicantis affectum, admovit etiam vocibus aurem, ſtatimque pietate permotus ingemuit, & velox affectu, vinum quo lotum fuerat corpus ſancti detulit feſtinanter, eoque totam faciem pavitantis reſperſit. Verum illa ubi perſenſit auxiliares ſacrati laticis guttas, idem ſibi fieri

ᵃ *Tereſium* habent Bollandiani, at noſtri codices ac Labbeana editio habent *Cereſium*, & quidem rectius. Eſt quippe Cereſium, vulgo *Cereis*, vicus diœceſis Aniciensis, quatuor leucis à Caſa-Dei diſtans.

ANN. CH. MLXVII. APR. XVII.

ſæpius flagitabat. Quod cum per dies aliquot factum eſſet, integram recepit femina ſanitatem. Redit ad ſuos facie colluſtrata, quam nec videri jam pudeat, nec videntibus neceſſe ſit invidere. Gaviſus eſt pater, viſa filiæ ſanitate, gaviſa familia cum vicinis, & totum ſimul opidum communibus votis in Dei laudibus exſultavit. Nec beati Rotberti ſiluere præconia, qui cauſam miſeræ, more ſuo ſtrenuus interventor ſuſcepit.

Dæmoniaca ſæviſſima liberatur.

14. Notus eſt vicus, quem Monaſteriolum vocant indigenæ. Habitabat hic Miles filiam habens, quam miſeris modis ſævus ſpiritus agitabat, hæc non tantum tetriſono fremitu, vel geſtu horrendo, ſeu verbis ſpurciſſimis ſignificabat inſaniam, verum quos poſſet morſibus impetebat; neque parcebat vel ſibi, ſi quando aliquos invadendi copia non daretur. Nec vero qui ſe patrem genuerat agnoſcebat, niſi quod latentis inimici ſuggeſtu majoribus illum quam ceteros contumeliis infeſtabat: ſed quanto eum gravioribus pulſaſſet injuriis, tanto magis in miſeram paternæ pietatis viſcera movebantur. Spectabat infelix in corpore filiæ pœnam ſuam, & quodammodo tormentis gravioribus angebatur. ſentiebat enim iſte mente ſana quod plangeret, cum apud illam ipſius ſenſum doloris abſorbuiſſet inſania. Illa torvos vultus & perfuſorum rabie cruentas acies oculorum ſæva * verſabat; mœſti parentis pallidas genas, uberibuſque lacrymis lumina madefacta, genus ſpectaculi miſerandum dolor effecerat. Rictus terrificos, & ſpumas furentes, & rotatæ cervicis tortiles gyros, & implexi capitis horridas comas, & quicquid aliud in neſcientis corpore flebile cernebatur, totum in ſe transferebat pia compaſſio genitoris. Inter hæc cum nulla pateret via remedii, ſævum dolorem exacerbabat plus ipſa deſperatio ſanitatis; ſed cum in tantis triſtitiæ fluctibus jactaretur, flavit ſubito ab amicis ſalutaris aura ſecunda conſilii, ad ſancti viri ſepulcrum puellam dirigere, quo nullius petentis fides juſto deſiderio fraudaretur. Statim in ſpem certam erectus hanc eſſe ſalutis filiæ, velut attingendi litoris unicam viam, parat famulos & ancillam, & quæ neceſſaria videbantur, impoſitamque puellam vehiculo duci feſtinanter jubet ad Sanctum, membris tamen omnibus impeditam, ne more ſuo proſiliens quoſlibet obvios ſauciaret. Iter illud medium quo tendebant Ligeris * fluvius dirimebat, cujus utique rapidos fluctus ſolent etiam ſana capita formidare. Hic vincta cœpit habere jam melius; & vultu tranquillo verbis mitibus comites appellare; nimirum virtutis hoc erat, non naturæ remedium, ubi plus poterat lymphata maxime natura terreri. Quare, inquit, me pannis velut mortuam involviſtis? Solvite quæſo defeſſam, nec ultra velitis vinctam coërcere. ſic ſoluta confeſtim toto intervallo mente placida conquievit. At ubi ad ſacrum tumulum velut ad locum examinis eſt perducta, ſilere non potuit qui latebat, dum purgandos remotarum fibrarum ſinus violenta rimatur diſcuſſio, peſtis improba fremere cœpit dentibus, & graſſari, & poſt paullo amittendam ſubſtantiam modis omnibus fatigare. Nam poſt triduum fraus expulſa, omnes cauſas moleſtiæ ſecum tulit. Redit in ſtatum priſtinæ ſanitatis paullatim recreata natura; & poſt modicum pluſquam ſoſpes ad patris domum, vires ſuas admirans, ipſa revertitur. Quid intulerit gaudii, [quid votorum, æſtimandum lectori relinquimus; nam nec extraneos à divinis laudibus] crediderim temperaſſe, qui ſimplici erga miſeram communis naturæ movebantur affectu, quanto amplius paterna pietas geſtiebat, quam communis & propria cohortabatur afflictio. Nec immerito ſanctum Domini Confeſſorem multis omnes laudi-

* Boll. ſecura.

* Ex eo loco deducunt Bollandiani Monaſteriolum de quo hic agitur, eſſe ejus nominis vicum trans Ligerim ſitum, ſeptem circiter leucis verſus Orientem à Caſa-Dei diſtantem. Eſt & alius vicus cognominis verſus meridiem ad fluvium Elaverim, qui ideo monaſteriolum ad Elaverim appellatur, vulgo *Moniſtrol d'Allier*, in diœceſi Aniciensi, ubi eſt prioratus Caſæ-Dei ſubjectus.

ANN. CH. MLXVII. APR. XVII.

bus extulerunt, cujus meritis glorioſis, tanta divinitus miracula ſunt conceſſa. Quæ ne forte cuipiam dubia viderentur, quid in hanc partem contigerit placuit in ultimis recitare.

Archiepiſcopus ad B. Roberti ſepulcrum peregrinatur.

15. Cum talium fama virtutum apud Alpes maritimas increviſſet, & in ſancti Rotberti præconia, corda & linguas accenderet populorum, Archipræſul [a] illius provinciæ, vir moribus æquiparans dignitatem, indignum ratus ſi levis vulgi rumoribus pontificalis gravitas fidem protinus adhiberet, ſtatuit non indiſcuſſum dimittere, quod ad publicum vel errorem vel meritum pertinere conſtabat. Fuerat ſane beato viro, dum in carne viveret, diu notus, & amore ſimilium ſtudiorum junctiſſimus. Facto igitur, ut res petebat, congruo itineris apparatu, profectus eſt ire, non quidem voto increduli tentatoris, ſed probandæ potius ſtudio veritatis. Venit ergo cum comitatu exemplo Reginæ Auſtri ad locum, probaturus ſicut illa ſapientiam, ſic iſte potentiam Salomonis. Suſceptus eſt hoſpitaliter ut decebat, ſicque ubi viſum eſt opportunum, ingreſſus in monaſterium fieri ſibi copiam poſtulavit. Factum eſt protinus ut petebat, obſeratiſque foribus ædis, ſolus ipſe remanſit intrinſecus. Ibi totus effuſus in preces, ſancti Rotberti ſepulcro advolvitur, & præ igne fervidæ caritatis liquefactus in lacrymas, ex medullis cordis invocat verum Lumen, ut ſibi dignetur manifeſtius revelare, ſi vere & abſque aliquo ſuſpicionis ambiguo divina potentia tantam beato viro miraculorum gratiam contuliſſet, præſentibus ſæculis inſuetam. Dixit etiam multa converſus ad ſanctum, ſicut ei parturiens preces anima ſuggerit, nec ceſſavit Matrem Virginem invocare, nec ſpiritus angelicos prætermiſit. Interea dum precibus addit preces, divina protinus manifeſtatur reſponſio, non formata elementariis verborum ſonis, ſed evidentibus rerum conſtans indiciis. Contractam diu corpore toto puellam, quæ ad ſepulcrum ſancti, ſicut poſtulaverat, portabatur, nutu Dei confluens undique communibus votis populus ſequebatur. Pulſantibus apertæ ſunt fores, & ingreſſa proſequens multitudo. Vix bene depoſita tetigerat pavimentum, reſolutis nervorum nodis, dirupta cute poplitum, ſurgit in pedes, & per totam baſilicam greſſum movens, rudimenta gaudet novi muneris exercere. Tollit populus voces in cælum, & læto tumultu perſonant univerſa. Stat in parte ſtupefactus Epiſcopus, & de priſtinæ pietatis ſcrupulo, non tantum conſono multorum teſtimonio, ſed oculari etiam fide confunditur. Agnoſcit etiam tacitus gratiam quam petebat, & tam cito ſe exauditum miratur. Ne tamen aliqua pravæ ſuſpicionis relinqueretur occaſio, duplicato protinus miraculo confirmatur, ut quaſi legitimus teſtimonii numerus non deeſſet. Nam vix bene de priori gaudio tumultus reſederat, cum ecce non parva comitatus caterva, cæcus ab ortu puer adducitur, & omnium qui aderant in ſe mentis & ora convertit. Nec mora, ſtatuitur ad ſepulcrum, oratur pro illo à populo, & expulſa ſtatim caligine, mirantes oculos penetrat lux ignota. Exoritur rurſum lætitia, rurſum gratiæ, rurſum voces. Miratur Epiſcopus repetito, cujus mentis priſtinæ cæcitati ſimilis materiæ virtus alludit. Opponitur cæcitas dubitanti, & illuminatio credulitati reſpondet. Nullus jam locus relictus erat ambiguo, & ultra in tanta evidentia nullus Thomas poterat dubitare. Erumpit ergo corroboratæ fidei provectus in vocem, & in aures omnium ſonat, & reſonat verax confeſſio. Plus, inquit, hic video quam audivi, & eſt longe inferior opinio veritate. Reverſus eſt Præſul ad propria, reportans pretioſæ confeſſionis divitias; & dans gloriam Deo cæli, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Coram eo contracta erigitur.

Et cæcus lumen recipit.

[a] Eum putant eſſe Lantelmum Bollandiani, qui in Concilio Avenionenſi anno 1080. ad Ebreduni ſedem evectus eſt, ut teſtis eſt Hugo Flaviniacenſis abbas in Chronico Virdunenſi, tom 1. Bibliothecæ novæ Labbei & in ejuſdem Conciliorum tomo 10. De hoc iterum infra in Tripartito. cum tamen iſte Antiſtes Roberto familiaris fuiſſe dicatur, hunc locum de Petro Lantelmi prædeceſſore potius interpretarer, ſed illud incertum eſt.

Digitized by Google

PROLOGUS IN LIBRO TRIPARTITO beati ROBERTI abbatis Caſæ-Dei.

MAGNIFICA Chriſti Regis æterni miracula, quibus aſſidue in ſanctis ſuis ineffabilem propriæ majeſtatis gloriam declarare dignatur, memoriter teneri jubentur, & illi confidendo, ipſumque invocando, in univerſa terra annuntiari. Quocirca cum ad hoc omnis homo niti debeat, non immerito beati Rotberti confeſſoris, patris & alumni mei, quæ Dei gratia non ſolum in circumjectas Gallicanas, ſed extraneas nationes ubertim diffundi voluit, grata & admiranda miracula, ab ejus geſtorum ſcriptoribus brevitati operam dantibus prætermiſſa, cum Dei adjutorio, quæ ab illis didici qui cum eo converſati ſunt, vel ab eis qui ſe vidiſſe teſtati ſunt, vel etiam quæ ipſe videndo, vel audiendo veraciter comprehendere potui, poſtpoſitis omnibus, quæ in vita domni [a] STEPHANI ejus diſcipuli, & in Actibus illuſtrium Patrum [b], qui locum ſanctæ Gemmæ in pago Sanctonico fundavere, retuleram, trina diſtinctione annotare curavi. In prima ſi quidem miranda, quæ Deus per beatum virum dum in corpore viveret ſplendeſcere diſpoſuit. In ſecunda profecto illa, quibus vitæ præſentis curſu tranſacto, ſummus Remunerator teſtatur eum vivere in cælis. In tertia denique illorum merita & nomina, qui ei in regimine paſtorali cœnobii Caſæ-Dei uſque ad præſens tempus, annum videlicet Incarnationis Dominicæ milleſimum centeſimum ſexageſimum ſucceſſerunt; & quorumdam fratrum, qui ſub illis degentes ſignis & miraculis claruerunt. Verum quia ſummi Regis tirocinium cum tribus ſociis in ejus trino nomine delegit, & ab ipſo Trino & uno Deo remuneratus in fine glorioſe exſtitit, hujus opuſculi libellum tripartite libuit diſtinguere, Tripartitum nominare. Hactenus de his, nunc ad propoſitum veniamus.

Auctoris ætas.

CAPITULA PRIMÆ DISTINCTIONIS.

De Regula beati Benedicti abbatis per Angelum allata.
De leproſo mundato.
De anguillis divinitus cognitis.
De angelico peregrino à ſancto viro induto.
Ubi de craſtino non fuerit ſollicitus.
Ubi beata Maria ſancto viro apparuit.
De ſurdo & muto ſanato.
De parvulo vaſculo annona multis per annum ſufficiente.
De milite, & matrona cujuſdam filio ſanato.
De dæmone mulieri inſidiante.
De chirotecis à radio ſolis ſuſtentatis.
De ſepultura ſua loco divinitus præmonſtrato.
Quod à ſacris divinis quamvis infirmus non ceſſavit.
De commendatione caritatis.
Quo tempore & hora & die ex hac luce tranſiit.
Quomodo curam paſtoralem Chriſto ejuſque Genitrici commendavit.
Qualiter obiit.
Quo tempore & numero eremum petiit & cælum adiit.

I. *De Regula beati* BENEDICTI *abbatis per angelum allata.*

VIr clariſſimus ſancti Juliani Brivatenſis Theſaurarius, nomine ROTBERTUS, relictis cunctis mundialibus, peracta Chriſti nativitate, die [c] ſanctorum Innocentium cum duobus ſociis vaſtam intravit eremum. Cum autem in ſancto propoſito diutiſſime perſiſtetet,

a Hic Stephanus eſt primus ex milite beati Roberti ſocius ac diſcipulus, de quo plura in Marbodi libro I.

b Fragmentum ex Chartario monaſterii S. Gemmæ refert Beſlius in probationibus Hiſtoriæ Comitum Pictavienſium, quod hunc locum maxime illuſtrabit, ſic habet. *Anno quinto poſt tranſitum glorioſiſſimi patris noſtri Rotberti, miſit domnus Durandus abbas Caſa-Dei tres viros religioſos, honeſtos & ſanctos fratres monachos ad ædificandum regendum & cuſtodiendum locum ipſum ſancta Gemma .... quorum hac ſunt nomina, domnus Artandus qui fuit Prior, domnus Theodardus qui fuit praceptor & magiſter, & domnus Rotbertus qui fuit recluſus.* Illud vero ſupereſt etiamnunc monaſterium à Caſa-Dei pendens, ubi olim degebant viginti monachi.

c Anno ſcilicet 1043. ut diximus.

Digitized by Google

ret, & fama ejus religionis longe lateque ad bene vivendum nonnullos invitaret, proponerentque ibi ſub ipſius ducatu Chriſto ſervire; eorum deſideriis annuens, non parva multitudo & Clericorum, & militiæ cingulum deponentium, ejus ſancto contubernio adhæſit. Crevit itaque & diſcipulorum numerus & religionis obſervantia. Multorum vero cohabitationem tam loci vaſtitas quam ſtudiorum diverſitas excludere videbatur: alii namque eremiticam, alii cœnobialem, alii canonicam vitam conabantur aſſumere. Cum vero die quadam tractaretur ab omnibus, ut divina clementia eis oſtendere dignaretur, cui ſupradictarum religionum locus ille manciparetur; ecce quidam peregrinus vultu & habitu reverendus janitori monaſterii librum quemdam tradidit, dicens: Codicem iſtum defer fratribus in Capitulo conſtitutis valde ſibi neceſſarium. Qui cito perrexit, & fratribus librum detulit. Illi autem codicem aperientes, & Regulam ſancti Benedicti eſſe videntes, ſupra quam credi poteſt admirando, & ſupernæ diſpenſationi gratias agendo, monaſticum ſchema gratanter omnes ſuſceperunt, tanto devotius, quanto divinius ſubrogatum intelligunt. Janitor denique cum peregrinum irremuneratum abire nollet, quæſivit & non invenit: mittenſque nuntios qui diligenter quærerent, nec eum, nec quemlibet, qui ſe vidiſſe teſtaretur reperire valuerunt. Videtur itaque hoc divinum eſſe non humanum. ANN. CH. MLXVII. APR. XVII.

II. *De leproſo mundato.*

Beatus denique Rotbertus monaſtico habitu, locique regimine ſuſcepto, cum in Adſumtione beatæ Mariæ, quadam vice in refectorio Canonicorum Claromontenſium juxta conſtitutionem RANCONIS epiſcopi avunculi ſui adeſſet: decreverat enim idem Præſul & omnes Canonici, ut tam ipſe quam omnes ſucceſſores ſui abbates Caſæ-Dei, cum ſex [a] ſociis, ſcilicet * monachis, & ſeptem famulis, feſtivitate Adſumtionis venerabiliter ab ipſo abbate celebrata, in refectorio cum Canonicis ad menſam principalem procurarentur, fruſtoque carnis non parvo ſubminiſtrato, & ab omnibus Canonicis, ut caritate Dei, & amore Virginis ex illo comederet obnixius rogaretur; videns ſe tanto articulo adſtrictum, quod abſque nota non poſſet declinare, ut parvum fruſticulum in ore miſit, leproſo ad januam tartavellanti [b] totum fruſtum tranſmiſit. Mox: Bene, inquit portitor, tibi Petre contigit, ſic enim leproſus vocabatur filius coqui Canonicorum ipſorum, quia domnus Rotbertus abbas Caſæ-Dei te tanto dono viſitavit. Unde gaudens & exultans infirmus, ut ſaturatus fuit, faciem & totum corpus ulceroſum perungens: Deus, inquit, qui per beatum Rotbertum me viſitare dignatus es reficiendo, per ejus merita lepram meam miſericorditer reſpicias ſanando. Qui mox mirum in modum totius infirmitatis levamen ſentiens, corporiſque ſui ac cutis formam decoremque conſpiciens, in octava ſupradictæ feſtivitatis Adſumtionis beatæ & glorioſæ Dominæ noſtræ perfecte ſanatus, in eccleſiam cunctis Deum laudantibus eſt introductus.

a

* *Boll.* ſuis.

b

III. *De anguillis divinitus cognitis.*

Apud ſanctum Germanum [c] quoque, quadrageſimali tempore cum Domini famulus vice quadam adeſſet Rotbertus, & Prior loci anguillas quas in foro invenerat ad refectionem præparare feciſſet; vir Dei à veſpertinali officio exiens, & coquinam adiens coquo dixit: Anguillas illas in lutum projice, & ne quis ex illis comedat cave. quo facto ad eccleſiam rediit. Divinis itaque laudibus peractis, procurator domus audito quod acciderat, beato viro dixit: Domne pater quid modo faciam, quia nec anguillas quas cum gaudio emeram non habeo, & quid ante vos ponam ad comedendum invenire nequeo. Cui vir Domini reſpondit: Ob hoc, fili, noli contriſtari, quia Dei famulos non oportet injuſto edulio contaminari. Paucis denique interjectis diebus, mercator quidam, dominus videlicet anguillarum jam dictarum, interfectus inventus eſt. Interfector quoque ejus anguillarumque raptor ac venditor deprehenſus, ac furcis eſt ſuſpenſus. O quanta Dei clementia, quæ ſanctum virum ſpiritu prophetiæ illuſtravit, & quanti meriti eſſet futuris ſæculis demonſtravit!

c

a Sic legunt Bollandiani & unus è noſtris codicibus mſſ. at codex Britolienſis habet, *cum ſeptem ſociis, tribus monachis & quatuor famulis*. Ceterum ex hoc loco colligitur adhuc ſæculo undecimo Canonicos Claromontanos, & ipſum Epiſcopum in communi refectorio ſimul vixiſſe.

b Tartavellanti ideſt pulſanti. Tartavella enim, vulgo *Tartavelle*, eſt inſtrumentum quoddam compluribus ligneis fruſtis ſeſe invicem collidentibus conſtans, cujus ſtrepitu piſcatores cogunt piſces ad retia; unde rem Bollandiani aſſecuti fuiſſe non videntur, qui hoc vocabulum à verbo *tardare* derivant.

c Hic locus videtur eſſe opidum S. Germani dictum, quatuor circiter leucis diſtans à Caſa-Dei Iciodorum verſus, ſitum in loco aſpertimo & frigidiſſimo, dicitur vulgo S. Germanus in Eremo, *ſaint Germain en l'Herm*, ubi olim prioratus conventualis Caſæ-Dei ſubjectus, nunc in ſimplicem, ut vocant, prioratum redactus, cujus titulum habet unus è patribus Oratorii Claromontani. Hujus loci eccleſia à B. Roberto inſtaurata fuit, quæ ei tradita fuerat ab Henrico Francorum Rege, & ipſi confirmata diplomate dato anno 1052. Porro S. Germanus hujus loci patronus dicitur ibidem vitam eremiticam duxiſſe, cujus feſtum loci incolæ celebrant die 16. Octobris.

ANN. CH. MLXVII. APR. XVII.

IV. *De angelico peregrino à ſancto viro induto.*

Die autem quodam iter agendo Dei ſervus Rotbertus loca campeſtria longa & ſpatioſa ingreſſus, comitatu ejus ab eo longiuſcule progreſſo, peregrinoque veneranda ſpecie obvians, quid ei petenti ex frigore vexato largiretur, nil præter ſimplex indumentum ad præſens habendo, pelliciam extraxit, inopique tribuit. Qui lætus ſuſcipiendo, ad virum Dei verba hæc intulit: Rotberte, Rotberte, ſcias quia tu benedictus & ſuperbenedictus amodo & uſque in æternum eris. Sociique ejus eum exſpectantes, vehementer boreali algore attritum attendentes, actum rei geſtæ non ignorare potuerunt. Pauper tamen qui donum accepit, in loco patenti nuſquam comparuit. Vir vero beatus benedictionibus ſuper benedictionibus in dies ſingulos adeo multipliciter benedici perpenditur, nomenque ejus à mari uſque ad mare glorioſius prædicatur.

V. *Ubi de craſtino non fuit ſollicitus.*

Quibuſdam cauſis exigentibus, virum ſanctum Viennenſem contigit adire Archiepiſcopum, dum vero ea quæ ſibi, ſociiſque ſuis in itinere neceſſaria erant indigentibus jam pæne erogata fuiſſent, fratribus non hæc leviter ferentibus ait: Vos Domini præcepti immemores non oportet eſſe dicentis Date & dabitur vobis. Archiepiſcopus [a], itaque hominem Dei, comitatumque ejus magnifice procuravit, ac peractis pro quibus venerat negotiis, munifica largitione honoravit. Sicque dum vir ſanctus rediret ad ſua: Nolite, inquit, fratres, amplius diffidere de Dei bonitate largiflua.

VI. *Ubi beata Maria beato viro Rotberto apparuit.*

Adſumtionem beatæ Virginis Mariæ vice quadam cum Forniolis [b] celebrare decreviſſet, præparato juxta altare ſibi loco, ſolus ibi vigilando & orando permanere voluit. Magna autem noctis parte jam tranſacta, Geraldus ejus capellanus in angulo eccleſiæ remanſerat, ſenſu aurium cum prope altare percepiſſet duorum voces viciſſim loquentium, diu attonitus, admiratus eſt. Facto itaque die ſancto, idem Geraldus, utpote familiaris ejus, eum ſecretius interrogavit dicens: Domine, ſi veſtræ paternitati placeret, omni modo vellem mihi aperiri, quid, vel cum quo in nocte ſanctæ feſtivitatis loquebamini. Frater, inquit, Geralde, cur interrogas quod tibi non expedit ſcire. Scire tamen potes quoniam Domina noſtra cæli & terræ Regina, mihi dignata fuit apparere. Quæ autem dignata eſt demonſtrare nec mihi expedit explanare, nec tibi, nec alicui mortalium ad præſens aure percipere. Ex hoc nimirum poteſt colligi quam magna multitudo dulcedinis Dei, quam timentibus ſe vult abſcondi; habentibus vero caritatem quæ perfecta foras mittit timorem, quorumdam ſecretorum ſuorum declarat dulcedinem.

VII. *De ſurdo & muto ſanato.*

Iſdem vir beatus Rotbertus ad eccleſiam ſancti Deſiderii [c], quæ in vicinio caſtri Bocenelle conſtructa eſt, vice quadam declinans, notum ſibi ſatis juvenem ſurdum & mutum, preſbyteri ejuſdem eccleſiæ nepotem, obvium habuit, eique dixit: Ubi eſt preſbyter avunculus tuus. Surdus ilico juvenis & mutus reſpondit: Domine pater, foris eſt, ſed modo veniet. Sacerdos vero audito abbatis adventu, quantocius occurrit. Gaudentem & exſilientem, loquentem & audientem ut vidit nepotem, ultra quam credi poteſt gaudens effectus eſt. Dei autem famulus non ſibi, ſed beato Deſiderio fideique juvenis voluit hoc adſcribi.

VIII. *De parvulo vaſculo annona multis per annum ſufficiente.*

Luziacum proinde ſanctus vir locum ſuum ingreſſus, à creditoribus fratris eccleſiam illam regentis conventus importunis ac clamoſis vocibus diutius fatigatus, Fratrem vocavit, & ut hos clamores ſedaret præcepit. Ad hoc ille: Non habeo, inquit, domine, quod eis reddatur, niſi parumper annonæ quod in doliolo iſto habetur, quod vix per menſem nobis

[a] Leodegarius ſcilicet, qui è vivis exceſſiſſe dicitur apud Sammarthanos, anno 1077.

[b] Prioratus eſt B. Mariæ dicatus, quatuor leucis à Caſa Dei diſtans, eidem monaſterio ſubjectus, vulgo *Fournols*, in diœceſi Claromontenſi.

[c] Item alius prioratus Caſæ-Dei in eadem diœceſi, vulgo dictus *Sainct Diés*, ſicut & Luziacum infra, vulgo *Luzillac*.

ſufficiet. Cui vir Domini dixit: Illud modicum quod habes ſolve, & non diffidas de Domini noſtri bonitate. Cœpit itaque Frater debitoribus ſolvere, & mirum in modum omnibus ſolutis vas plenum permanſit, ſibique ad quæcumque neceſſaria per annum integrum ſufficiens fuit. Dei igitur famulus cuique reddere quod ſuum erat voluit, ſciens nimirum quod timentibus Deum nihil deerit. ANN. CH. MLXVII APR. XVII.

IX. *De milite, & matrona cujuſdam filio ſanato.*

Caſtrum vero in Arvernenſi territorio quoddam habetur, quod Broſada vocatur, ad quod vir Domini cum frequenter diverteret, ſedes, menſa, & lectus à quodam patrefamilias ei paratus eſt; qui proinde cum gravi incommodo corporeæ valetudinis vexaretur, atque filius cujuſdam matronæ non mediocri moleſtia angeretur, uterque ad Dei hominem greſſibus feſtinavit fidei. Ille namque ut de pulvere ſedis & menſæ viri Dei ebibit; & iſta filium in lecto ſervi Chriſti compoſuit, ambobus optatæ ſanitatis munus continuo ſucceſſit. Cunctis igitur liquet quantum fides valeat, quæ ſic credentibus quod volunt ſuppeditat.

X. *De dæmone mulieri inſidiante.*

In loco autem qui Portus-Dei [a] appellatur, cum in die Dominica olera colligeret quædam muliercula, à viro Dei juxta locum prætereunte dæmonium viſum eſt ei adſiſtere, & ad hoc opus inſtanter incitare. Unde vir ſanctus ingemiſcens ait: O quam teterrimum mulier iſta habet ſocium! Quocirca in publica prædicatione admonebat nihil fieri operis in Dominica celebritate. *a* Diei dominicæ obſervatio.

XI. *De chirotecis à radio ſolis ſuſtentatis.*

Avenione [b] in loco, eo ſermonem foras ad populum faciente, & cum ejus chirotecas duo clericelli in eccleſia inventas ludendo invicem projicerent per eccleſiam, in ſolis radio viſæ ſunt remanere pendendo. Qui cum ad hoc attoniti exclamaſſent, multi confluxerunt, & videntes Chriſti magnalia, eum glorificaverunt qui per ſanctos ſuos tanta fecit mirabilia. *b*

XII. *De ſepultura ſua loco divinitus præmonſtrato.*

Excellentis denique Regis ſtrenuus Campiductor emeritæ militiæ donativa dignus ſumere, cum in ſexta feria ante dominicam diem Ramis-palmarum, nonnullis fratribus ſibi adſtantibus in orientali collocutorio Caſæ-Dei [loqueretur], vox illi divina de neceſſariis loci tractanti ſubintulit dicens: Quantocius ad portam monaſterii vade locum videre, in quo debes in proximo requieſcere. Qui cum, audientibus illis qui aderant, Deo gratias reſpondiſſet, & requirentibus quid dicere vellet, hoc ab eo audierunt: Eamus, inquit, Fratres, videre locum à Deo mihi paratum. Sequentes igitur eum, velut ſulcum aratri ad menſuram hominis longum ibi invenerunt, ubi nunc corpus ejus inhumatum eſt. Quem cum vidiſſent: Ecce, inquit, locum meum, ecce locus ſepulturæ à Deo mihi attributus.

XIII. *Quod à ſacris divinis quamvis infirmus non ceſſavit.*

Vigiliis itaque pſalmis & hymnis devotiſſime more ſolito ſequentem ſanctam ſeptimanam peragens, ad Sabbatum quod ſanctum dicitur vigiliæ Paſchalis feſtivitatis pervenit. Cum vero ſacræ feſtivitatis officia perſolviſſet, & infantes nobilium terræ illius virorum, ut mos eorum erat, illi ad baptizandum oblati erant, uno infantum vix baptizato febre correptus, alius ad hoc opus agendum ei ſucceſſit, ceteriſque ſacris ab eo peractis, ad lectum defertur: In ſacroſancto [c] autem ſequenti die, reſumtis viribus, & ſacris Miſſarum ipſo celebrante expletis, à fratribus imbecilla membra ſuſtentantibus ad ſuum ſtratum eſt deductus. *c*

XIV. *De commendatione charitatis.*

Ingraveſcente denique languore, diſcipulis ſibi cunctis adſtantibus dixit: Scitis fratres

a Exſtat ibi prioratus inſignis Caſæ-Dei in diœceſi Lemovicenſi, ſub ſancti Martini titulo, ubi olim ſexdecim monachi degebant.

b Ibi olim fuit prioratus Caſæ-Dei, in quem ſe recepit Seguinus, quartus Caſæ-Dei abbas, ibique obiit, de quo infra Diſtinctione 3. libri Tripartiti.

c Sic in cod. mſ. Britolienſi; in aliis, ut videtur mendoſe, habetur, *in ſero ſancto*, quod mendum facile amanuenſium errore irrepere potuit. Bollandiani expuncta voce *ſancto* quæ ipſis inutilis videbatur, legunt, *In ſero autem*, &c.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXVII. APR. XVII.

quomodo caritas Chriſti huc vos adduxit, quomodo caritatem per nos, vos habere docuerit, & omnibus notis & ignotis, divitibus & egenis, nolentibus & petentibus noſtra caritative largiri inſtituerit. Ob hoc etiam hujus ſancti loci majus altare in præcipuo ſummi Dei nomine, quod eſt caritas, conſecrare diſpoſui, ut iſtius cœnobii, membrorumque ejus caritas obtineat principatum, nullumque tenacitatis atque avaritiæ malum in eo reperire valeat angulum. Hoc tandem plane prænuntio, quod ſi hæc quæ denuntiamus vobis non obſervaveritis, tribulationem & rerum omnium penuriam inevitabiliter ſuſtinebitis; ſi autem hæc à vobis, & à ſucceſſoribus veſtris diligenter fuerint obſervata, omni ſecluſa ambiguitate, & bona à Deo temporalia, & affluenter gaudia præparabuntur æterna.

XV. *Quo tempore & hora & die ex hac luce tranſiit.*

a Tranſitus vero è terris meus, ut ſpero, Chriſto annuente, tertii [a] fiet diei luce apparente poſt Octavum diem Reſurrectionis Dominicæ.

XVI. *Quomodo curam paſtoralem Chriſto ejuſque Genitrici commendavit.*

b Inunctus denique in oratorium portari ſe fecit, ibique baculum [b] paſtoralem in brachiis infantis Chriſti imaginaliter in gremio Matris reſidentis imponens, dixit: Jeſu Chriſte, Domine meus & Deus meus, à te baculum regiminis hujus loci ſuſcepi, tibi tuæque Genitrici eumdem trado, quos perpetuos rectores iſtius loci in quantum ad me pertinet volendo relinquo, & deprecando ſubſtituo.

XVII. *Qualiter obiit.*

His igitur ita peractis, tranſitu ſuo divinis Sacramentis munito, oſculatis fratribus vale dicendo, in hora quam dixerat, pueris in choro pſallentibus, & dicentibus: Omnis ſpiritus laudet Dominum, ad gaudia tranſiit Angelorum.

XVIII. *Quo tempore & numero eremum petiit & cælum.*

Hic vir beatus in nativitate Chriſti cum duobus ſociis ſub nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis montana conſcendens, & in Reſurrectione poſt octavas tertio die cæli ſublimia aſcendens, die [c] quinto-decimo Calendas Maii exſiſtente, ac ſepulturæ traditus octavo, ut in
c viſione declaratur * Radulfi, à Matre Domini deducitur; & in cæleſte palatium introducendo, à ſancta & ineffabili Trinitate ſublimatur, cui eſt honor & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

* *Infra diſt. 2. cap. 2.*

CAPITULA SECUNDÆ DISTINCTIONIS.

De multitudine ad ejus exſequias circumfluente.
De viſione Radulfi, & quis ipſe fuerit, vel peregit.
De beati viri apparitione & corporis ablutione.
Quantis miraculis ejus ſepulcrum illuſtratur.
De Ebredunenſis Archiepiſcopi adventu.
Qualiter dies feſtus ejus auctorizatus eſt.
De piſce ab aquila allato.
De prohibitione miraculorum.
De viſione Mutinenſis archidiaconi.
De hominio Raymundi Comitis ſancti Ægidii.
De affectu quem poſtea erga Caſam-Dei habuit.
Quod nullus in ſancto viro ſperans fruſtratus ſit.
De contemtu Audeberti Agennenſis epiſcopi.
De muliere nente in die feſto ejus.
De milite à vinculis ſoluto.
De equo ſuperbi militis interfecto.

a Hæc verba, ex quibus potiſſimum eruitur, quo anno & qua die beatus Robertus obierit, corruptiſſima erant tum in editis tum in mſſ. Eorum ſenſum conjiciendo reſtituerant Bollandiani, nos ex cod. Britolienſi.

b Servatur adhuc in eccleſiâ Caſæ-Dei pars ſuperior baculi eburnei in modum litteræ T deſinentis, qui vulgo creditur à beata Virgine Roberto conceſſus.

c In codice Britolienſi habetur *die Calendas Maii nono exiſtente, ac ſepultura traditus octavo.* Sed priorem lectionem eſſe retinendam perſuadent characteres chronologici, ut in obſervationibus præviis diximus, tum etiam quia Diſtinctione ſequenti cap. 3. diſerte habetur beati Roberti corpus octavo poſt obitum die fuiſſe ſepultum.

Digitized by Google

I. *De multitudine ad ejus exſequias circumfluente.*

Miracula B. Roberti poſt mortem edita.

SAncti à Deo dilecti abbatis Rotberti tranſitus in tantum excivit circumjectas diœceſes ac provincias, ut multitudo Caſam-Dei circumfluentium nec in vico, nec in latitudine, nec in amplitudine caperetur platearum. Interfuit enim obſequio funeris omnis ſexus, omnis ætas, omniſque ordo, & maxima multitudo languentium aliquid viri ſancti reliquiarum expetentium.

II. *De viſione* RADULFI; *& quis ipſe fuit vel peregit.*

Inter hæc de diſcipulis quidam antiquioribus, Radulfus nomine, cognomento Paſſeronus, repentina magiſtri diſſolutione majori angore depreſſus in parte ſecedens obdormivit, viditque viſionem admirabilem matris Domini ſuper corpus ſanctum deſcendentis. Hanc autem archidiaconus Andegavenſis magiſter MARBODUS, poſtea Rhedonenſis epiſcopus in ſecundo libro retulit, quem de miraculis ſcripſit beati Rotberti. Hunc beatus Rotbertus villulæ ſancti Silvani [a] in territorio Arvernico ſitæ prope municipium, Muratum [b] nomine, oriundum, mimicæ artis levitate occupatum, ad Chriſti tyrocinium accivit: unde ſiquidem magiſtrum ſuum magis præ ceteris ulnis veræ dilectionis amplexatus eſt. Conceſſit etiam ei Dominus, ut monaſterio ſuo Caſæ-Dei multas poſſeſſiones adquireret, eccleſiam videlicet ſancti Silvani, quam ſupra diximus, locumque Portus-Dei; in territorio vero Agenenſi locum, qui Caritas [c] appellatur cum aliis duabus eccleſiis; in Lemovicenſi tandem pago Capellam-Fulcherii, ubi in ſenectute bona degens, præſentemque vitam terminans, ſepultus eſt.

III. *De viri beati apparitione, & corporis ablutione.*

Cum vero beati Rotberti corpus in octavo die tranſitus venerande eſſet., ubi divinitus ſibi fuerat præoſtenſum, traditum ſepulturæ, apparuit quibuſdam religioſis ſuis diſcipulis idem ſanctus, dicens, caput ſuum à lapide ſuper impoſito graviter oppreſſum. Ablato itaque lapide, ut dixerat, naſo caſſato repertum eſt. Exinde propter multitudinem expetentium infirmorum, abluto corpore vino, & in corio cervino diligenter compoſito, retentis ejus veſtimentis ad beneficium præſentium & futurorum, venerabiliter, ut decebat, rurſum eſt in loco ſuo repoſitum.

IV. *Quantis miraculis ſepulcrum ejus illuſtratur.*

Divinis ſi quidem miraculis locus in tantum cœpit illuſtrari, quatenus ſi quilibet, quamvis Maronis, vel Tullianæ eloquentiæ flumine rigaretur, utilitati futurorum titulatione litterali tradere curaret, materiei magnitudinis depreſſus pondere ſubjaceret, reique magnitudinis exundantia ſiccaretur. Tanta nempe erat diverſarum incommoditatum magnitudo, energumenorum, ſurdorum, mutorum, claudorumque, & nonnullis aliis calamitatibus laborantium enormitas, ut ſe invicem nullatenus ſufferre valuiſſent. Quamvis vero excedere videretur quantitas languoris, qualitaſque copiæ laborantis, nullus tamen optata ſalute, larga Dei gratia, vel cura per beatum Rotbertum miniſtrando caſſari videbatur.

V. *De Ebredunenſis archiepiſcopi adventu.*

Cum igitur tam frequentium miraculorum felix rumor non ſolum circumjectas; ſed etiam exteras & procul poſitas provincias replendo, longe lateque in dies ſingulos exciret; contigit ut civitatis maritimarum Alpium Ebredunenſis archiepiſcopus [d] hujus rei famam probaturus, & quia beati viri in vita familiaris fuit, Caſam-Dei veniret. Eccleſiam autem ingreſſus orandi ſpatium expetiit, & ſolus ante ſepulcrum viri ſancti remanſit. Deum itaque devotiſſime precabatur, ut rei hujus veritas ſibi panderetur. Nec diu pius Deus ejus deſiderium differre voluit, ſed duobus evidentiſſimis in ejus præſentia mox peractis miraculis, ultra quam credi poteſt ſe tam cito exauditum admirans, laudando & magnificando Deum, nihil ambiguitatis ſecum ferens lætus ad propria rediit.

[a] Exſtat in diœceſi Claromontenſi prioratus, ut vocant, ſimplex, ſancti Silvani vulgo *ſaint Sauven* Caſæ-Dei ſubjectus.

[b] Plures hujus nominis vici paſſim occurrunt apud Arvernos, illuſtrior eſt ceteris, qui ſitus eſt ad fontem Alagnonis fluvii.

[c] In codice Britolienſi vocatur ille locus *Carvas*.

[d] De hoc Antiſtite & miraculis coram eo editis videſis librum Marbodi.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXVII. APR. XVII.

V I. *Qualiter dies feſtivus ejus auctorizatus eſt.*

GERALDUS denique cognomento de Venna, quæ viculus eſt in Arvernia, non longe à Budilione [a] caſtro ſitus, diſcipulus & Capellanus beati Rotberti vitam & miracula ejus deſcripſit, ſicque Romam pergens domnum apoſtolicum adiit, eique totam rei geſtæ ſanctitatem ſigillatim & diligenter aperuit. Quibus auditis dominus Papa, & omnis Cardinalium cœtus gratias Deo exſolvunt, & etiam de ſede apoſtolica ſurgens pro ſanctitate & reverentia, Gallias in quibus beatus Rotbertus florebat benedixit, & ut dies ejus tranſitus, feſtivus & ſollemnis in ordine ſanctorum Confeſſorum deinceps haberetur, auctoritate apoſtolica inſtituit. A limine itaque beati Petri lætus rediens Gerardus Caſam-Dei, conventuque facto, præceptum eſt, ut per ſingula loca Caſæ-Dei, ubique terrarum feſtivitas beati magiſtri digne & laudabiliter coram Deo & hominibus celebraretur, quod cum omnes gratiſſime accepiſſent, rediit ad locum quiſque ſibi commiſſum.

V I I. *De piſce ab aquila allato.*

Prior vero de Alanchia [b] cum feſtum feſtive jam peregiſſet uſque ad Miſſam, quidam frater ait ei: Quid hodie, Pater, nobis agendum eſt, quibus jam ſollemnis adeſt dies, & parum, immo pæne nihil reſtat ad manducandum. Ad hoc ille: Noli, inquit, frater, verbis Domini in medio prolatis, ſollicitus eſſe dicendo: Quid manducabimus aut quid bibemus? ſed eamus in eccleſiam & ad honorem Dei, & beati Rotberti decantemus primam Miſſam, & hæc omnia per beatum Rotbertum adjicientur ſufficienter nobis. Hujus profecto aſſertionis non dilatus eſt eventus credentibus illis; ſtatim namque ut proſa Miſſæ incipitur, piſcis immanis, lucius vulgariter appellatus, ab aquila ſuper eccleſiam advenienti ante fores ejuſdem eccleſiæ projicitur. Ad cujus ſonitum, quidam de eccleſia egreſſi, videntes mirabilia Dei intus piſcem detulerunt, &, ut decebat, omnes pari voto ac gratulatione, Deum, qui ſanctos ſuos ſemper glorificat, magnificantes & laudantes, feſtum devotiſſime læti duxerunt.

V I I I. *De prohibitione miraculorum.*

Interea vero Caſæ-Dei ſepulcrum venerandi Confeſſoris tam crebris illuſtrabatur miraculis, quod vix aut numquam quis ſingulari præditus memoria poſſet verbis referre ſingula, vel litteris ad memoriam poſterorum commendare. Unde tanta erat oblationum abundantia, quod non numerando quando dividebatur, ſed cum pelve menſurando accipiebatur. Clamor equidem ac tumultus talis erat tantuſque in monaſterio, infirmantium advenientium, & recepta ſanitate recedentium, virtutemque beati Rotberti acclamando, aureſque habitantium opplendo, ut ſe nec invicem ſine labore audire, nec divina officia, quod importabile erat, devote poſſent perſolvere. Majores denique natu ac ferventiores ſpiritu, ad beati viri ſepulcrum accedentes, hujuſcemodi ſermonibus eum conveniſſe feruntur. Nos, inquiunt, domine pater, hujus eremi ſqualores veſtro ducatu optavimus, & ut delictorum veniam & Redemtoris gratiam conſequeremur gaudentes intravimus; præſentium miraculorum abundantia tanta nobis ſuccreſcit divinorum officiorum inopia, ut nec peccata noſtra plangere, nec divinas laudes valeamus decenter exſolvere. Veſtra ideo, rogamus, nobis impetrent merita, ut his omnibus importunitatibus ſopitis, cum tranquillitate hic Chriſto Domino ſerviamus, & in futuro veniam delictorum invenire valeamus. Proinde interim cautum eſt, ne quis infirmorum ad ſepulcrum accederet, quoniam nec ei amodo valvæ aperirentur, nec obſequia præberentur. Paullatim exinde conquievit inquietudo & ſuccrevit ſanctæ quietis religio.

I X. *De viſione Mutinenſis archidiaconi.*

Superna denique diſpenſatio non ſolum * Ciſalpinas Gallicanaſque provincias, ſed etiam exteras nationes & regiones beati confeſſoris Rotberti gratia meritorum decrevit illuſtrare. Præſul [c] namque Mutinæ civitatis, olim ſanctum Jacobum Galliciæ cauſa orationis adiens,

* *Boll.* Alpinas.

[a] Budilio, vulgo *Bullon*, caſtrum diœceſis Claromontenſis, ubi prioratus Caſæ-Dei ſubditus.

[b] Vulgo dicitur *Alanche*, in eadem Claromontenſi diœceſi. Eccleſia hujus prioratus B. Johanni-Baptiſtæ ſacra eſt.

[c] Hic non videtur alius eſſe ab Hereberto, qui eccleſiam Mutinenſem ab anno 1054. ad 1097. adminiſtravit. Henrico Imperatori favens Guibertum Antipapam conſecravit. an facti pœnitens iter S. Jacobi ſuſceperit, incertum.

Digitized by Google

eccleſiam quamdam ſub regimine Caſæ-Dei exſiſtentem hoſpes ſubintravit, & ibi una nocte manſit. Sacerdos autem ejus eccleſiæ cum nomen beati Rotberti eundo & redeundo ſæpiſſime iteraret; Quis eſt hic ſanctus Rotbertus, domine preſbyter, ait Epiſcopus. Eſtne ille cujus monaſterium eſt in vicinia Podienſis eccleſiæ beatæ Virginis? Ille eſt, inquit preſbyter, mi domine Epiſcope. De hoc, ait Epiſcopus, bono viro quid in civitate noſtra nuper accidit, tegere ſilentio minime convenit. Die quodam feſto, reſidentibus nonnullis clericis & laïcis circa nos in Conventu noſtro de primoribus civitatis; cum ergo de quibuſdam eorum negotiis ageretur, contigit ut Archidiaconus noſter aliquamdiu ſomno deprimeretur. Tandem evigilans, quid vidit & audivit diligenter nobis aperire cœpit. Ego, inquit, modo adductus fui ante fores cujuſdam inſignis & ultra ſenſus humanos refulgentis palatii, in cujus medio dominus ejus palatii reſidens vultu erat ſplendidus & habitu, nomine Rotbertus, ad cujus dextram & ſiniſtram non modicus virorum per gyrum palatii conventus reſidebat illuſtrium: quorum gloriam cum ſtudioſe & libenter attenderem, ecce burgenſis hujus civitatis, ille nominatus enim & notus erat in urbe, à viris ſpecioſis adducitur, & in conſpectu ſenioris palatii ſtatuitur. Qui cum ab ipſo quid vellet interrogaretur. Domine, ait, veſtri monaſterii beneficiis volui dudum aſſociari, nunc, ſi Deo placet, veſtro Conventui deſidero adunari. Et hoc, inquit, nobis gratum eſt; juſſitque eum inter alios reſidere. Hoc autem cum audiſſem ſtatim evigilavi. His dictis ab Archidiacono, multitudo ſignorum per civitatem pulſari cœpit. Cum autem quæreremus quid hoc eſſet; uxor & filii, amicique ejuſdem burgenſis, cujus viſionem nobis Archidiaconus recenſuerat, ad nos intraverunt, ejuſque obitum cum lacrymis denuntiaverunt. Cujus confeſſionis modus qualis fuiſſet cum à nobis quæreretur, ab eis hujuſcemodi fuiſſe refertur. Cum in infirmitate, inquiunt, cœpiſſet gravari: Ego, ait, monachus volo fieri beati Rotberti Caſæ-Dei, ejus namque monaſterium Ultramontanum, cum quadam vice eſſem in Podio beatæ Virginis libuit adire, fama loci bona illectus. Ibi à fratribus caritative receptus cum ſociis meis fui, meque pro monacho obtuli, & ideo monachus ejus volo fieri. Cum vero de fratribus illius loci nullus à nobis reperiri potuiſſet, quemdam Cluniacenſem venire fecit, eumque ut ſibi habitum religionis ad nomen beati Rotberti traderet, rogavit. Quod ut factum eſt, ex hac luce eductus eſt. Hujus ſiquidem narrationis atque Archidiaconi viſionis concordiam diligentius intuentes, poſſumus ex hoc colligere, quam magni meriti in conſpectu ſit beatus Rotbertus ſummi Dei; quodque certa ſit ſalus hominis, ac proinde quam devotiſſime ſit expetenda familiaritas religioſorum virorum ſanctæ opinionis.

X. *De hominio* RAIMUNDI *Comitis ſancti Ægidii.*

Suaviſſimum notitiæ ſuæ odorem cum tanti gloria Confeſſoris per populos paſſim diffunderet, Raymundum [a], prius appellatum ſancti Ægidii Comitem, omni paterna hereditate carentem Caſam-Dei, ſcilicet ad limina beati Rotberti, ſocio uno aſſociatum advexit. Intrans proinde & excubans ante ejus ſanctum ſepulcrum, cauſam ſuæ neceſſitatis velut ante certiſſimum adjutorem & advocatum depromens, ſummo mane Miſſa celebrata, hominium beato Rotberto fecit. Enſem deſuper altari accepit, & Comitatum Tholoſanæ urbis, à nullo ſe habere vel tenere niſi à beato Rotberto confirmavit, ſi Deus per illum ſibi tradere diſpoſuerit. Cujus deſiderium non diu eſt dilatum; nam ut à loco ſancti Rotberti diſceſſit, fineſque paternos attigit, ſine contradictione proceres cuncti hominium ei fecerunt, & ipſi ex corde adhærentes urbem Tholoſam, ceteraſque provincias, quæ paterno jure ei debebantur uno impetu ſubſtituerunt. Quod ut ipſe vidit, immenſas Chriſto Domino gratias perſolvens, ac toto affectu, quamdiu in præſenti luce perſtitit beatum confeſſorem Rotbertum devotiſſime ac venerabiliſſime excoluit.

XI. *De affectu quem poſtea erga Caſam-Dei habuit.*

Diſpenſatori exinde ſuperno placuit urbem ſuam ſanctam Jeroſolymam, quæ dudum à nefandiſſimo paganorum jugo premebatur liberare, & corda nonnullorum procerum Chriſtianorum excitavit, ut ſepulcrum Dominicum armis adirent, & priſtinæ libertati reſtituerent. Inter quos Raymundus Comes ſancti Ægidii iſte de quo loquimur, cum ad hoc nego-

[a] Raymundus IV. Comes Toloſanus, Pontii Comitis itidem Toloſani filius & Guillelmi frater. Cum antea eſſet Comes ſancti Ægidii monaſterium ſancti Ægidii S. Hugoni Cluniacenſi tradidit, ac poſtea factus Comes Toloſanus, Monachos Benedictinos ex monaſterio Moyſiacenſi evocatos in baſilica S. Saturnini prope Toloſam conſtituit anno 1083. annuente Papæ legato, cum Iſarno Epiſcopo Toloſate; verum cum paullopoſt canonici ad ſedem Apoſtolicam appellaſſent, illi ejectis monachis, reſtituti ſunt.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXVII. APR. XVII. tium ardentius inſiſteret [a], facta * cruce, ſcyphum beati Rotberti habuit, & Privazacenſem [b] priorem cujuſdam loci Caſæ-Dei, Arbertum nomine, ſecum duxit. In qua expeditione quantum claruit Hiſtoriographi ejuſdem expeditionis celebri relatu proſequuntur. Hic Monte-peregrino ædificato, captaque urbe Tripoli, Arbertum jam præfatum Caſæ-Dei monachum ejuſdem urbis epiſcopum fecit. Ipſo ergo Comite ex hoc mundo educto, ille Tripolitanus epiſcopus ſcyphum beati Rotberti, quem Comes ipſe quoad vixit carum inter reliquias ſanctorum, quas deferebat, habuit, ut ipſe juſſerat cum aliis pluribus ornamentis, magniſque divitiis Caſam-Dei tranſmiſit. Is itaque vir illuſtris ubi ſub alis Confeſſoris Chriſti ſubſtitit, illuſtrior ſemper effulſit, donec in regnum ſuum Chriſtus eum introduxit.

* *Boll.* ſumta.

XII. *Quod nullus in ſancto viro ſperans excluſus eſt.*

Eodemque modo nobis luce clarius conſtat, cunctos pro quavis anguſtia ejus ſubſidia implorantes, optata ſpe nullatenus excluſos eſſe. Quamplurimi enim ſobole deſtituti, cum ad ejus occurriſſent auxilium, ſine tarditate fœcunditatem prolis habere meruerunt.

XIII. *De contemtu* AUDEBERTI *Agennenſis epiſcopi.*

Juſta igitur Dei diſpenſatio, ſicut ſubditos beato viro diſpoſuit ſublimare, ita tumidos ei ac ſuperbos cenſuit dejiciendo humiliare. Aldebertus [c] namque Agennenſis epiſcopus cum à quodam monacho Caſæ-Dei, viro ſcientia & religione non mediocriter ornato, in ſua ſynodo conveniretur, quia eccleſia ſanctæ Liberatæ [d] & ceteræ eccleſiæ beati Rotberti, quæ in epiſcopatu ſuo habentur injuſte à raptoribus tractarentur; contumelioſa verba, ut in ſanctum Rotbertum evomuit, mox inviſibiliter percuſſus retro cecidit, & pæne exanimis effectus à circumſtantibus elevatus eſt. Quo facto omnis Synodus dedit laudem Deo, & nomen beati Rotberti ad ſidera tollens, unuſquiſque ad ſua rediit gaudens & lætus. Ipſe denique epiſcopus, quoniam vir prudens rationiſque capax erat, Caſam-Dei veniens ſanctum Rotbertum quem prius deſpectui habuerat, me adſtante geniculando ante ejus ſepulcrum, eximium Confeſſorem pronuntiavit.

XIV. *De muliere nente in die feſto ejus.*

Quamvis perſona & cauſa diſſimilis fuerit peractæ actionis, vindicta tamen paris contemtus beati confeſſoris Rotberti, in urbe Claromontis cælitus enituit. Sancti enim Geneſii [e] presbyter, cum vice quadam feſtivitatem ſancti Rotberti feminis colere præcepiſſet; ejuſdem parochiæ quædam muliercula mandatum contemſit, colum aſſumſit, nereque cœpit. Quod cum à filia reprehenſa nollet corrigere, linteamina capitis ejus continuo cœperunt ardendo fumigare. puella intuens, protinus accurrit, faſciolamque ambæ dejiciunt, ac flammam ignis exſtingunt. Rurſum mulier accepto colo & fuſo, nere ut prius cœpit, quod acciderat reputans fortuitum non fore * divinum. Ultrix vero pœna ilico evigilans, totumque capitis involucrum inflammans, viſa eſt & capillos & cutem concremare. Conclamant igitur mater & filia, occurrit undique turba non modica. Rei geſtæ veritas nudatur, linteamen pæne conſumtum igne ad eccleſiam defertur, & virtus Chriſti in beato Rotberto ab omnibus magnificatur.

* eſſe.

XV. *De milite à vinculis ſoluto.*

Alio quoque tempore cum ARMANDUS, qui nunc ſupereſt vice-Comes Polunnia-

[a] Boll. habent. *Sumta cruce ſepulcrum beati Rotberti adivit*, ſed retinenda videtur noſtri & Britolienſis codicis lectio ex his quæ ſequuntur. In hoc falſi ſunt, quod *ſepulcrum* bis pro *ſcyphum* legerint; unde tranſpoſitis, & adjectis quibuſdam verbis ſic legunt, *& Privazacenſem, &c..... Ille Tripolitanus epiſcopus quem Comes ipſe quoad vixit carum* [*ſemper habuerat*] *ad ſepulcrum beati Roberti reliquias ſanctorum, &c.* Ex noſtra autem lectione patet auctorem ibi loqui de ſcypho S. Roberti, quem comes ſervabat inter ſacras reliquias, quas viri nobiles olim, maxime cum ad bellum procedebant, ſecum deferre ſolebant, quem ſcyphum morti proximus ad Eccleſiam Caſæ-Dei unde illum habuerat, referri curavit, & etiam nunc in eccleſia Caſæ-Dei religioſe aſſervatur.

[b] Prioratus Caſæ-Dei, qui hodieque ſubſiſtit in diœceſi Ruthenenſi, vulgo *Privazat*.

[c] Adelbertus hujus nominis ſecundus, de quo nihil præter nomen, & ea quæ hic de ipſo referuntur, licuit invenire.

[d] Prioratus ſanctæ Liberatæ, vulgo *ſainte Livrade*, unus è præcipuis Caſæ-Dei, etiamnunc conventualis, qui à noſtræ Congregationis S. Mauri monachis incolitur.

[e] Hæc eccleſia S. Symphorianum patronum olim agnoſcebat. Collegiata ſimul eſt & parochialis.

cenſis

Digitized by Google

cenſis [a] militem quemdam, qui cognomen Vulpis habebat, in carcerem detruſiſſet, & ſeniores, parentes, atque amicos de ejus liberatione audire noluiſſet, Caſæ-Dei abbas, ut ſibi pro Dei & beati Rotberti amore ſolveretur ſubmiſſis precibus expetivit, nec impetrare potuit. In primo autem Dominico Adventus Chriſti, illuceſcente aurora jamdictus vicecomes ad carcerem deſcendit, & feris ac repagulis carcerariis, atque amplioribus appoſitis locum obfirmans, Caſam-Dei adſcendit. Beatus vero Rotbertus virgam manu tenens militi ſæpius ſeſe inclamanti in carcere adſtitit, & ut ſurgeret & Caſam-Dei poſt vice-comitem abiret imperavit. Ad cujus præceptum vincula ceciderunt, & oſtia patuerunt, & ipſe acceptis compedibus per medios cuſtodes tranſiens, Caſam Dei venit, vice-comitemque ad gradus deſcendentem offendit. Qui cum illum vidiſſet, primum diriguit, & vix interrogans, quid hoc eſt, ab eo audivit. Beatus Rotbertus me liberavit. Et tunc ante ſancti Confeſſoris ſepulcrum fuſis lacrymis proſternitur. Ubique laudes & immenſæ gratiæ ſummo Regi Chriſto, beatoque Rotberto à nobis quamplurimis qui adfuimus exſolvuntur. His itaque peractis gaudens & lætus miles ad ſua rediit. ANN. CH. MLXVII. APR. XVII.

XVI. *De equo ſuperbi militis interfecto.*

Dies feſtus illuxit, & frequentia populi permaxima ante fores monaſterii Caſæ-Dei adſiſtebat; & ecce Miles nobilis, nomine Pontius, cognomento de Clavenaco in equo optimo, à parte ſeptemtrionis ſuper gradus adſcendens, & per planiciunculam illam equitans, à pluribus ei dicitur, quod nullus illic auſus fuiſſet equitare amplius. Ille quod audierat indigne tulit, ſuperbe reſpondit & emendare noluit. Sed ſupernus Arbiter citiſſime corrigere diſpoſuit, mox namque ad Proceſſionem duo majora ſigna, quæ ſuper locum illum in campanario conſiſtunt, pulſari cœperunt, ac batillus unius illorum dilapſu frontem equi vibrando attigit, & cerebrum cum toto corpore in terram alliſit. Cernentes autem qui aderant, timuerunt, & mirabilem Deum in operibus ſuis magnificare cœperunt: & ille qui gradus adſcenderat ſuperbus equeſtris, deſcendit humilis pedeſtris. Virtus itaque Chriſti Domini contemnentes ſe corrigit, ſuperbos deijcit, & humiles tollit ad ſidera, cui ſemper ſit honor & gloria. Amen.

CAPITULA TERTIÆ DISTINCTIONIS.

De beato Rotberto ejuſque ſucceſſore Duranto, & duobus Rotbertis Comite & Priore.
De dæmone in clauſtro reperto.
De prophetia ſuper epiſcopatu Duranti.
De officiis divinis vigilia Paſchæ & Pentecoſtes.
De Seguino ſucceſſore Duranti, & de prophetia ejus in quemdam tyrannum.
Item de prophetia ejuſdem ſuper abbatia ſancti Illidii.
De fure excommunicatione expulſo.
De ejus tranſitu, & ejus ſucceſſore Pontio.
De fratre Diacono defuncto manifeſte viſo.
De Aymerico abbate.
De abbate Stephano.
De fratre Bertrando cui junctis manibus Dominicum corpus apparuit.
De cujus brachio abſorpta aranea eſt egreſſa.
De crure pauperis divinitus reformato.
De monacho à corpore ſine dolore educto.
De Johanne Priore loci Deleti.
De Gaufrido preſbytero Murciacenſi.
De Jordane abbate [b].

[a] Situm eſt hoc caſtrum in altiſſima rupe, inter Eliverim fluvium & Anicium urbem, duabus circiter leucis ab utroque diſſitum, quatuor vero à Caſa-Dei, dicitur vulgo *Polignac*, quod nonnulli Apolliniacum ab Apollinis fano, quod ibi olim exſtitiſſe ferunt, appellant. Familiæ nobiliſſimæ apud Arvernos nomen tribuit.

[b] Hoc caput, quod in omnibus tam editis quam mſſ. codicibus quos vidimus in indice notatur, nuſquam reperire licuit; unde conjiciendum eſt, ab Auctore opus iſtud perfectum non fuiſſe, qui fortaſſis ſub Jordanis Abbatis regimine, de quo illud caput inſcribitur, è vivis exceſſit. De Jordane loquitur Petrus Venerabilis Cluniacenſis abbas lib. 6. Epiſtola 13. Obiiſſe dicitur VIII. Cal. Decembris.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXVII. APR. XVII.

I. *De beato* ROTBERTO, *ejuſque ſucceſſore* DURANTO, *& duobus* ROTBERTIS, *Comite & Priore.*

BEatus Dei amicus & ſacerdos Rotbertus, cœnobium Caſæ-Dei fundavit, abbatiarum, eccleſiarum, aliarum rerum poſſeſſionibus ditavit, Deique inſuper gratia in ſe operante, ei viam ſummum ad bonum tendendi perdocuit. Eo autem ad cælos aſſumto, & Duranto ejus diſcipulo in adminiſtratione paſtorali electo [a], Rotbertus [b] Comes Arvernorum, itemque clauſtralis Prior Rotbertus, in hoc ipſo veſtigio, quantum deſuper eis datum exſtitit, obnixius elaborare cœperunt. Nam Comes Rotbertus contra hoſtes Caſæ-Dei viſibiles oppoſuit ſe ſcutum invincibile; Rotbertus vero Prior in hoſtes inviſibiles omnem fidei armaturam, ut Chriſti miles, arripuit.

II. *De dæmone in clauſtro reperto.*

Fertur enim cum cunctas monaſterii officinas, ut mos eſt, poſt Completorium vice quadam inveſtigaſſet, ne quid inordinatum ibi remaneret, generis humani inimicum in habitu monachi, ſtatura enormem, facie tenebroſum, naſo truncatum in clauſtro obviando inveniens, foras extraxit, & quid illic quærere præſumſiſſet quæſivit: Ego, inquit, * Clunio & Majori Monaſterio atque Maſſilia modo tranſiens, ad hunc locum diverti, ſi forte aliquid mei juris hic invenire poſſim. Hic autem, ait ille, Chriſto annuente, nihil umquam tui juris invenire poteris: elevataque manu, & ſigno crucis edito, viſio illa terribilis per ſcholam novitiorum cum ingenti fragore diffugit, quem totus fratrum conventus tremefactus audivit. Inſequenti die Prior cuncta quærentibus per ordinem expoſuit.

* Cluniaco.

III. *De prophetia ſuper epiſcopatu Duranti.*

Regimine autem monaſterii Caſæ-Dei fere per decem annos adminiſtrato, Durantus [c] in Arvernenſem præſulatum eſt inthronizatus, juxta veridicam magiſtri ſui Rotberti prophetiam: quia cum ex privato genere hominum urbis Claromontenſis eum in ſuo ſancto propoſito educaſſet, quodam tempore cum ei prandenti adſiſteret, fruſtum ei panis ut comederet, vir ſanctus porrexit. Ille autem os aperuit & comedit, & à beato viro ſtatim audivit: Quia hoc feciſti, epiſcopatum promeruiſti. Effectus quidem hujus prophetiæ probavit actum priorem non levitatis fuiſſe.

IV. *De officiis divinis vigilia Paſcha & Pentecoſtes.*

Si quidem vir Domini Rotbertus, mutato habitu Canonicorum, divinum tamen officium in vigiliis ſancti Paſchæ & Pentecoſtes mutare noluit. Illo autem ad æthereas ſedes evecto, ejus diſcipuli: Quia monachi, inquiunt, ſumus, in tam excellentibus feſtivitatibus duodecim lectiones monachorum more, non tres uſu Canonicorum exſequi debemus. Quod cum ab omnibus ſtatutum fuiſſet, contigit ut ſequenti die ſancto Paſchæ, non ſine nutu divino, ut creditur, nullus è tanta multitudine evigilaret donec aurora eluceſceret. Non valentes itaque duodecim lectiones, tres more paterno, divinitus correcti, & hinc deinceps gratanter cœperunt exſolvere.

V. *De domno abbate* SEGUINO, *& prophetia in quemdam tyrannum.*

In abbatiali autem cura Caſæ-Dei Seguinus vir illuſtris Lugdunenſi caſtro, Eſcoſtaiaco * appellato, oriundus, Deo & hominibus amabilis Duranto ſucceſſit: cujus tempore locus

* *Eſcotay.*

[a] Id eſt, ut videtur, in epiſcopalem ſedem Claromontenſem evecto, ut inferius patebit. Nam Duranto monaſterium adminiſtrante Robertus prior non diceretur ſolus inviſibiles hoſtes expugnaſſe. Ceterum veri ſimile eſt id à Roberto priore præſtitum fuiſſe tempore Adelelmi, qui Adelelmus è magiſtro novitiorum abbas Caſæ-Dei electus in Hiſpaniam receſſit, ubi conſtructo monaſterio obiit. Ejus feſtum in diœceſi Burgenſi colitur, notaturque in Antiquis Caſæ-Dei breviariis, de quo infra ſuo loco.

[b] Robertus hujus nominis tertius, qui Arvernenſem comitatum ab anno 1069. ad annum circiter 1094. adminiſtravit.

[c] Arvernenſem ſedem uſque ad annum 1095. pie rexit, quo anno è vivis exceſſit, *toto orbe terrarum*, ut ait Hugo Flaviniacenſis in Chronico, *ad ejus exſequias occurrente*, occaſione ſcilicet Concilii, quod in eam urbem indixerat Urbanus II. ſummus Pontifex, à quo ibidem ſepultus dicitur. Idem aſſerit Baldricus abbas Burgulienſis in carminibus hiſtoricis, quæ à Cheſnio tomo 4. Hiſtoriæ Francicæ ſcriptorum edita ſunt. Exſtat inter ſancti Anſelmi Epiſtolas una Duranti ad hunc ſanctum pontificem, atque ipſius ad Durantum reſponſio, ſuntque libri 1. 61. & 62.

Digitized by Google

Caſæ-Dei, & religionis fama & ampliſſimis poſſeſſionibus excrevit, & idem ſignis clareſcentibus mundo clarus apparuit. Carennacenſis [a] namque Præpoſitus cum eum per terram ſuam tranſeuntem reperiſſet, devote eum deprecatus eſt, ut Carennacum veniret, ibique feſtum Pentecoſten in ſequenti die futurum celebraret: videnſque abbas Seguinus ipſius devotionem ad locum divertit, & diem ſanctum peregit ibi. Cum vero multitudo nobilium & privatorum ex circumadjacentibus locis, die feſto invitante, ac fama Abbatis præſentis eos attrahente, Carennacum afflueret; tyrannum quemdam contigit adeſſe, qui multa mala loco illi indeſinenter videbatur perpetrare. Abbatem ideo Præpoſitus commonuit, ut hunc deprecando conveniret, quia ob hoc fortaſſe à ſua malitia ceſſaret. Quod cum Abbas diu feciſſet, miles ille nec amore feſtivitatis, nec reverentia viri venerabilis aliquid boni vel pacis promiſit, ſed magis minando furibundus diſceſſit. Præpoſito ſiquidem ob hoc valde exterrito, ait abbas Seguinus: Ne timeas, frater, quia iſte malitiæ ſuæ curſum terminavit, nec tibi nec tuo loco amplius nocere poterit. Hanc autem prophetiam, ſummi Judicis juſta ſententiam declaravit [b] eſſe veriſſimam. Quoniam ubi Tyrannus ab Abbate tumidus diſceſſit, juxta fluvium ad aves accipitrem jactavit, quem dum inſequitur in flumen ruens mox vita privatur. Quæ res perſecutoribus loci illius non modicum incuſſit timorem, & habitatoribus magnam præbuit tranquillitatem.

VI. *Item de prophetia ejuſdem ſuper abbatia ſancti Illidii.*

Benignus idem vir Seguinus, tempore quodam cum ab oratione ſurgeret in monaſterio ſancti Illidii, quod in Claromonte civitate ſitum eſt, juvenem quemdam Caſæ-Dei monachum, PETRUM de Ponte-Bigaudi [c] cognominatum, obvium habuit, cui ilico ſubridens dixit: Frater, adjutorem Deum implorare debes, quoniam ab eo abbatialem hujus loci anno * proximo curam ſuſcepturus es. Et nimirum cum ſine Dei adjutorio nulla creatura ſubſiſtere poſſit, huic tamen maxime Chriſti auxilium neceſſarium fuit: diu enim, abbatia ſuſcepta, & imbecillitas eum corporis attrivit, ac bellicus turbo Comitis Claromontenſis & Canonicorum monaſterium ejus oppreſſit.

* *mſ. Britol.* in proximo.

VII. *De fure excommunicatione expulſo.*

Famulantibus proinde Deo in Caſæ-Dei cœnobio latronum violentia graviter inſiſtebat. Cumque diutius hanc injuriam paterentur, & nullum remedium ab hac peſte inveniretur; domnus abbas Seguinus in die ſancto Cœnæ Domini orarium atque baculum paſtoralem afferri præcepit, ſurgenſque ait: Quia filius iniquitatis filios Dei perturbare non deſinit, ex auctoritate Dei Patris & Filii & Spiritus-ſancti inhibemus ei, ne amplius habeat hic locum commorandi. Mox ut hæc verba complevit, Refectorarius videntibus cunctis de Capitulo egreſſus nuſquam ultra comparuit. Ingens autem admiratio cum ſuper hoc haberetur, furta ejus quæ in clauſtro faciebat à complicibus ſuis qui foris erant deteguntur: ſicque veridicum illud impletur, nihil occultum quod non revelabitur. *Luc.* 12. *v.* 2.

VIII. *De ejus tranſitu, & ejus ſucceſſore Pontio.*

Amabilis autem Deo & hominibus abbas Seguinus [d] fere quindecim annis in cura paſtorali Caſæ-Dei peractis, Pontio [e] gubernationem ejus loci derelinquens, Avinione ſepultus fuit. De cujus tranſitu in vita viri Dei Stephani diſcipuli beati Rotberti nonnulla edidimus.

IX. *De fratre Diacono defuncto manifeſte viſo.*

Interea vero Avinionis Prior, omni cura paſtorali poſtpoſita, ſoli Deo vacare volens, Caſam-Dei nuntium miſit, quatenus ſibi frater mitteretur, qui idoneus ad totius loci guber-

a Carennacum opidum, vulgo *Carennac*, ad fluvium Dordoniam in diœceſi Cadurcenſi, ubi inſignis eſt Decanatus Ordinis Cluniacenſis.

b *Mſ. juxta ſententiam eſſe veriſſimam.*

c In codice Britolienſi ſcriptum eſt *de Ponte-Gibaudi.*

d Anno circiter 1094. ſi decem anni Durando & duo aut fere duo Adelelmo concedantur. Ipſum Idibus Julii obiiſſe aſſerit Petrus Bringerius in catalogo Abbatum Caſæ-Dei, à quo ſanctus nominatur, eoque nomine in antiquis Caſæ-Dei breviariis celebratur.

e Pontius ex nobiliſſima Turnoni familia oriundus, factus ex Abbate Caſæ-Dei epiſcopus Anicienſis, obiit anno circiter 1130 ſepultuſque eſt in prioratu de Rocha-Paula in diœceſi Dienſi, Caſæ-Dei ſubjecto, quem nunc PP. Minimi incolunt. Hujus loci patronus dicitur S. Pontius, quem eumdem Pontium de quo hic agimus, eſſe putant, cujus ſepulcrum antequam ab hæreticis Calvinianis everteretur, ibidem erat in honore.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXVII. APR. XVII.

naculum haberetur. Juvenis itaque ei bonæ indolis miſſus, & in omnibus ei ſubjectus hæc ab eo audivit: Ad hoc, frater, ad nos directus es, quatenus hujus domus diſpenſationem ſuſcipias, mihique ſolummodo neceſſaria præbeas. Ad hoc juvenis: Nullatenus, inquit, pater, hoc fieri poteſt, ut ego vobis imperem, vel quoad vixeritis ſuper vos habeam prioratum. Cum igitur alter præferri alteri non pateretur, in hoc convenerunt, ut quod religioſus monachus Cluniacenſis, qui in vicinio habitabat, eis laudaret, hoc uterque impleret; ab illo tandem acceperunt, ut omnium interiorum ſenior, exteriorumque juvenis procurationem provideret, quod & factum eſt. Senem proinde juvenis rogavit quatenus Caſam-Dei ſe ire permitteret, ut Cœnam Dominicam ibidem celebraret. Peracta itaque ab eo apud Caſam-Dei, ſicut optaverat, Cœna Dominica, inſequenti die Domini Paſſionis, febre correptus, in domum infirmorum eſt adductus. Ingraveſcente autem morbo, inunctus, ſacramentiſque Chriſti munitus ſpiritum Deo reddidit, & in Sabbato-ſancto ſepultus fuit. Inſequenti vero die ſancto Paſchali, cum quidam Manſionarius oſtium eccleſiæ aperiret, ad cognoſcendum an lux diei illuceſceret, ut tunc hymnus *Aurora lucis*, ut mos eſt inciperetur; ecce juvenis defunctus more Diaconi albis veſtibus indutus, qui in heſterno ſabbato fuerat ſepultus, præſentialiter ante oculos ejus adſtitit, eique dixit: Reſurrexit Dominus. Ad hoc ille tremefactus, ſpiritu recuperato interrogavit eum qualiter ſe haberet, quomodo huc veniſſet. Reſpondit: Regina cælorum cum ſanctis Apoſtolis, ac virtutibus angelicis divina officia hic hodie eſt celebratura; adhoc, inquam, mandatus ſum venire, & diaconatum meum implere. Audiens hæc Ædituus, Priorem adduxit, qui & ſupradicta ab eodem qui vivus apparebat audivit. quo facto ab eis diſceſſit. Omnibus ſuper hoc admirantibus, quorumdam equidem fratrum voluntas fuit [requirere], an corpus in ſepulcro poſſet inveniri, quod ante oculos eorum tam manifeſte viſum eſt haberi: quod domnus abbas Pontius, vir magnæ diſcretionis & religionis, inhibuit fieri, ne præſumtio aliqua notari poſſet. Ipſe poſt inde diſpoſitionem abbatiæ AIMERICO per annos ſeptem procuratam derelinquens, in Anicienſem cathedram ſublimatus eſt.

X. *De* AIMERICO *abbate.*

Aimericus [a] dehinc cura paſtorali ſeptem annis decurſis, ſedem abbatialem STEPHANO ſubſtituens, Arvernenſis eccleſiæ apicem regendum ſuſcepit.

XI. *De abbate* STEPHANO [b].

Venerabili autem Stephano adminiſtrationem Caſæ-Dei agente, ejus fama religionis, locis & amplis poſſeſſionibus longe lateque excrevit.

XII. *De fratre* BERTRANDO, *cui junctis manibus Dominicum corpus apparuit.*

Per idem tempus cum quidam frater magnæ ſimplicitatis ac puritatis, Bertrandus cognomine Baptiſta, ideo ſic vocitatus, quia infantem adhuc puer ad ſuccurrendum gratiæ baptiſmatis tradidit, apud ſanctum Privatum [c] ſub priore degens, in die ſanctæ Paſchæ una cum omni populo ingentem pateretur anxietatem, quia preſbyter corpus Domini deſuper altare perdiderat, nec quid de eo factum eſſet, rationem reddere poterat; ipſe ante ſanctum Altare flexis genibus, fuſiſque lacrymis, cum omni contritione Deum exorans, junctis palmis in ſummitate digitorum ſuorum, quod eſt mirabile dictu! Corpus Dominicum adfuiſſe inſpexit. Qui cum præ gaudio, voce magna exclamaſſet, & preſbyter qui perdiderat accurriſſet, & agnoſceret; quanto gaudio, quanta exultatione cum omnibus qui aderant tripudiavit, magis intimatur ſilentio quam poſſit exſolvi eloquio.

XIII. *De cujus brachio abſorpta aranea eſt egreſſa.*

Aliud quoque de hoc fratre Bertrando ſatis ſtupendum refertur, quia dum die quodam

a Et hic inter ſanctos in veteribus Caſæ-Dei ſchedis recenſetur. quo ſedem Claromontanam tenente habita eſt ibi Synodus præſente Innocentio II. Papa, in qua Anacletus pſeudo-Pontifex damnatus eſt, ut ex Ottone Friſingenſi refert Labbeus tom. 9. Conciliorum ad annum 1130. Obitus ejus XIII. Cal. Maii notatur.

b Iſtud caput in editis & in quibuſdam mſſ. deeſt, quod ex cod. Britolienſi ſupplevimus. Stephanum, de quo in eo agitur, ex nobili Mercoriorum familia fuiſſe aſſerunt. Ejus obitum refert Bringerius ad annum 1146. IV. Cal. Aprilis, aitque eum miraculis multis coruſcaſſe. Sepultus eſt prope ſacellum SS. Virginum ad ſiniſtram partem. Unde diſtinguendus eſt ab alio Stephano ejuſdem familiæ, qui Aymerico in ſede Claromontenſi ſubſtitutus, & apud Sammarthanos anno 1169. die 26. Januarii obiiſſe dicitur.

c Prioratus ſancti Privati, vulgo *ſaint Privat*, in diœceſi Anicienſi, hactenus à Caſæ-Dei monaſterio dependet.

Digitized by Google

Miſſam celebraſſet, in calicem Dominici ſanguinis vermis araneus cecidit. Quo viſo, quid conſilii acciperet, quo ſe verteret, quid ageret neſciens, ſimul omnia ebibit; & nil triſte, Deo operante, poſt hoc inde ſenſit. Poſt vero nonnullis diebus evolutis cum ſanguine minueretur, ſimul cum cruore, videntibus qui aderant, aranea de brachio egreditur; & quia hic Chriſtum diligendo, verbis ejus credidit, etſi mortiferum bibit, non ei nocere potuit. ANN. CH. MLXVII. APR. XVII.

XIV. *De crure pauperis divinitus reformato.*

Juvenis quidam, Petrus nomine, Arvernus genere, crus ac pedem igneo morbo ardentem amiſit. Os vero cruris manu ferens ſubpediendo baculis, Caſam-Dei venit, ibique eum vir religioſus Geraldus eleemoſynarius per dies multos detinuit, oſſe cruris in quodam foramine locato. Audiens proinde pauper ille crebra miracula fieri in loco, qui Sancta Maria de Mari [a] appellatur, ab urbe Arelatenſi non longe ſito, oſſe cruris accepto illuc devenit, & Petrus quidam Miles Vivarienſis caſtri, nomine Vulgarii [b], ei hoſpitium præbuit. Nonnullis tandem diebus evolutis, evenit quadam nocte, ut Miles quaſdam perſonas circa lectum pauperis audiens colloquentes, dixit: Quare, inquiens, non dormitis, clientelam ſuam eſſe arbitrans, & pauperem inquietans. Nos, inquiunt ei, domine, neque loquimur, neque loquentes audivimus. Rurſum dormivit, & iterum evigilans, ſicut prius audivit, & advocans pauperem dixit: Qui ſunt qui tecum loquuntur, Petre? Domine, ait, beata Dei Genitrix, ſanctuſque Hyppolitus martyr crus & pedem mihi componunt & reſtituunt. Hoc autem Miles vanum ac fabuloſum æſtimans; Dormi, inquit, Petre dormi. Et ille; Domine, ait, venite, & videte quia quod dico verum eſt. Surrexit ergo Miles ille, & uxor ac familia, & crus novum cum pede aptum & candidum ſibi reformatum, ut dixerat, quod eſt mirabile dictu, invenerunt. Os vero cruris ejus, quod in foramine maceriæ locatum fuerat nuſquam repererunt. Procidentes itaque omnes qui aderant, & iſtud admirandum opus, & ſimile retro ſæculis vix aut numquam auditum oſculari, & laudare Deum cœperunt.

XV. *De monacho à corpore ſine dolore educto.*

In cœnobio Caſæ Dei, cum in die ſancto Paſchæ omnes fratres circa divinas laudes ſatagentes, & gaudentes, quidam frater novitius videret, diligenter cœpit inquirere locum in quo fratres exeunt à corpore; qui cum interrogaretur, cur hoc quæreret: Cupio, inquit, diſſolvi, & cum Chriſto eſſe. Oſtenſo autem ſibi lecto, in eo ſe extendens, & ut fratres venirent, & juxta conſuetudinem morientium facerent ſibi, devotiſſime deprecatus eſt. Quod cum ſuper hoc mirantes fratres expleſſent, præſentibus illis cum gaudio ſine dolore dormivit in Chriſto.

XVI. *De* JOHANNE *Priore loci Deleti.*

Frater quidam Caſæ-Dei, Johannes nomine, loci Arvernenſis Deleti [c] Prior exſiſtens, in gravem infirmitatem decidit. Cumque ad extrema deductus eſſe videretur, tres ante eum fratres adſtabant, Andreas nepos ejus, Petrus quoque Rainardi, & ego Bernardus [d] qui hoc ſcripſi. Ille vero diu amiſſo famine bis dixit, Bernardus, Bernardus. Tranſacta proinde fere dimidia hora, viribuſque receptis fari cœpit. Interrogatus itaque cur Bernardum jam paullo ante bis nominaſſet, dixit: Vidi quemdam Pontificem glorioſum, qui mihi beatus Nicolaus eſſe videbatur; illum enim totis viſceribus dilexeram, & me ante fores cujuſdam templi, quod tantæ pulcritudinis, tantæ claritatis & odoris erat, quod vix ullus narrare queat, & dixit mihi: En manſionem tibi hanc à Deo acquiſivi, vel ſi volueris, in corpore vivere poteris, ex his duobus optio tibi datur: Domine, dixi ei, habeo amicum Bernardum, & quod mihi laudaverit ille hoc eligam. Et ille, Bene, inquit, dixiſti, quod tibi ipſe laudaverit hoc facito. Dicite ergo, ait mihi, quid horum eligam. Quod cum audiſſem, fateor primum dirigui, tandem invocans Dominum dixi: Quamvis in multis ex hoc mihi grave incommodum inferatur, nolo tamen ut pro me requies veſtra differatur, ſed ingredimini in locum tabernaculi Dei [e]. Qui gaudens effectus, dixit:

Auctor hujus libri.

a Appellatur vulgo *Noſtre-Dame d'or-mer.* ſitus eſt hic locus ad Orientale oſtium Rhodani in una Camargiarum inſularum.

b Boll. habent *Wlgarius*, quod nomen Militis eſſe videtur.

c Locus-Deleti, vulgo *Lieutades*, prioratus Caſæ-Dei in diœceſi S. Flori.

d Sic habet conſtanter codex Britolienſis, quamvis in editis & aliquibus mſſ. hoc loco *Bertrandus* dicatur, quem tamen poſtea, ſicut cod. Britol. *Bernardum* appellant.

e In cod. Britol. pro *Dei* legitur A. V. A. D. D. Quibus litteris deſignantur ſeq. verba pſalmi 44.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXVII. APR. XVII.

Benedictus ſit Deus, quia hoc optabam, aliud timebam. Evoluto poſt hoc parvo tempore lætus exivit à corpore.

XVII. *De Gaufrido presbytero Murciacenſi.*

Preſbyter quidam Murciacenſis [a] eccleſiæ, in Sanctonico territorio ſitæ, Gaufridus nomine, morbo gravi correptus in lectum decidit. Qui audiens Bernardum ſanctæ Gemmæ priorem veniſſe, ut ad ſe intraret per amicos ſuos humiliter deprecatus eſt. Infeſtus enim ei & ceteris fratribus Caſæ-Dei, ex quo in eccleſiam ſuam Murciacenſem eum aſſumſerant, ultra modum exſtiterat. Intravit tamen ad eum Prior, & dixit ei preſbyter: Domine gratias ago Deo meo & vobis, quoniam viſitare me voluiſtis; ego enim in Deum & in vos plurima mala commiſi: ſed ipſi Deo, & beatæ Virgini Mariæ, ſanctoque Rotberto & vobis in hac vita & in morte me trado. proinde ad locum ſanctæ Gemmæ portatus habituque monachali ſuſcepto, ad exitum cœpit propinquare; quod cernentes, *Credo Deum* [b] ac Letaniam circa eum decantare cœpimus. Poſt paullulum ipſe æger, qui jam defunctus videbatur, manum movit, poſt ſignum fecit ut tacerent pſallentes. Quod cum minime facerent, recuperato ſpiritu ait: Silete. Tunc acceſſi ad eum & dixi: Quid eſt hoc? Quid vultis? Et ille. Judicium, inquit, factum eſt & ego ſalvus ſum. Et aïo ad eum: Et hoc quomodo? Beatus, inquit, Rotbertus de manu veſtra me recepit, & ante Deum judicem conſtituit, ſicque omni cauſa mea qualiter me vobis tradideram diligenter expoſita, Judex omnium in ſorte electorum perenniter adeſſe me ſine ulla ambiguitate diſpoſuit. Quo dicto, ipſe, non multo poſt tempore tranſacto, lætus vitæ præſenti terminum fecit.

a Prioratus S. Martino ſacratus, Caſæ-Dei ſubjectus, vulgo *Murſac.*

b Sic ex cod. Britol. reſtitui debet hic locus, in aliis quippe legebatur, *cernentes in Deum ac*, quod Bolland. ſic reſtituere conati ſunt, *cernentes Te Deum ac.* Certe Symbolum Apoſtolorum a moribundis, vel ſi id præſtare non valeant, ab aliquo ex adſtantibus recitari ſolebat. In Rituali tamen provinciæ Remenſis ſacerdotes Viaticum recepturi recitare debent hymnum, *Te Deum laudamus, &c.*

ANN. CH. MLXVII. AUG. IX.

DE BEATO MAURILIO archiepiſcopo Rotomagenſi.

B. Maurilii geſta.

I. *HOC præſenti ſæculo Rotomagenſem eccleſiam Lugdunenſis ſecundæ metropolim illuſtravit Maurilius antiſtes piiſſimus, cujus laudes nobiliſſimi quique ejus ævi ſcriptores celebrarunt; nullus tamen, quod quidem ſciam, Vitam ejus litteris mandavit. Nec obſtat Trithemii auctoritas, qui in nova Chronici Hirſaugienſis San-gallenſi editione ad annum* MLXIV. *beati Maurilii* geſta conſcripta *eſſe refert. quibus verbis nihil aliud fortaſſe deſignare voluit ille auctor, præter varia elogia Maurilii noſtri, quæ in iſtius temporis ſcriptoribus paſſim occurrunt. Huic conjecturæ favet ipſe Trithemius in altera ejuſdem Chronici editione, ubi facta Maurilii egregia mentione, hæc verba ſubjungit:* De cujus ſancta converſatione præcelſa laudum præconia feruntur. *Et libro quarto de viris illuſtribus Ordinis noſtri cap.* 120. Maurilius... de quo multa bona narrantur. *Sed & fruſtra de hac re fuſius diſſeremus, cum Maurilii Vita, ſi umquam exſtiterit, jam plane ſit ignota. quare breve ejus elogium, ex variis qui de eo egerunt pro data occaſione auctoribus, pro more noſtro conficiemus.*

Patria.

2. *Maurilium Remis natum diffiteretur nemo, ſi Ordericus Vitalis ſibi ipſi conſtitiſſet. At cum libro* 4. *Hiſtoriæ ſuæ eccleſiaſtica beatum Antiſtitem Remis ortum ex ipſius epitaphio dixerit, aliundeque libro* 5. *ſcripſerit eumdem* genere Maguntinum *fuiſſe; qui poſtmodum ſecuti ſunt auctores varias in ſententias abierunt. Viam mediam iniit Menardus noſter in Notis ad Martyrologium Benedictinum, ubi Maurilium Remis quidem natum fatetur, ſed ex parentibus Maguntinis. quam quidem*

Genus.

dirimendæ litis rationem multi poſt ea amplexati ſunt. Ego vero de Maurilii pa-

Digitized by Google

rentibus nihil habeo quod dicam, cum ad id nulla ſuppetant inſtrumenta, niſi quod eum generis nobilitate *præcelluiſſe aſſerant Guillelmus Pictavienſis, & monachus anonymus ſancti Audoëni Rotomagenſis, auctor geſtorum archiepiſcoporum Rotomagenſium ipſi Maurilio æqualis, ex autographo editus tomo 2. Analectorum, qui paucis verbis præclara de ſancto Maurilio ſcripſit in ejus Vita compendio. Hic autem, cujus locum inferius integrum exhibebimus, diſerte aſſerit Maurilium nobili proſapia ex Remenſi pago exortum fuiſſe. Certe hunc ipſum Remis natum negari non poſſe exiſtimo, cum id in Epitaphio ſepulcro ejus appoſito, diſertis expreſſum verbis habeatur. quod quidem epitaphium non ab homine ignoto, aut longo poſt beati Antiſtitis obitum tempore compoſitum fuit, ſed à viro illuſtri, Rotomagenſis eccleſiæ canonico, ut ſuper ipſius corpus poneretur, ipſomet atteſtante Orderico Vitali. Porro Ordericus libro 5. Maurilium genere Moguntinum fortaſſe dixit, quod Gerbertus ejus ſocius Moguntia ortus fuerit, ut ex ejus epitaphio patet, vel etiam quod aliquamdiu in Moguntina provincia commoratus ipſe Maurilius fuerit. Hoc enim pacto idem auctor Johannem abbatem Fiſcamnenſem, quem Italum fuiſſe ex Vita beati Guillelmi certum eſt,* compatriotam *Maurilii noſtri appellat, quod & ipſe Maurilius in Italia aliquamdiu verſatus, ibique Abbatis munere functus fuiſſet.* ANN. CH. MLXVIII. AUG. IX.

3. *Inter Remenſis eccleſiæ clericos Maurilium educatum fuiſſe non ſolum recentiores hiſtorici ſcripſerunt, verum etiam idem atteſtatur Anonymus noſter ſupra laudatus, ex quo etiam diſcimus eum poſt navatam Philoſophiæ ediſcendæ apud Leodium operam, Halberſtatenſis eccleſiæ ſcholaſtici dignitatem obtinuiſſe. Sed hæc omnia Maurilii animum, qui perfectiora chariſmata æmulabatur, detinere non potuerunt. quare in Fiſcamnenſe cœnobium, cui, ut quidem mihi videtur, præerat tunc beatus Vvillelmus, ſeceſſit; cumque multos ibi annos exegiſſet, obtenta exeundi licentia, in Italiam abiit, ubi cum Gerberto ſuo ſocio, qui poſtmodum abbas ſancti Vvandregeſili effectus eſt, anachoreticam vitam duxit. Utriuſque ſanctam in illis partibus converſationem magnificis verbis extollit Guillelmus Pictavienſis, auctor æqualis, in libro de geſtis Guillelmi ducis, poſtea Angliæ regis, ubi ſic loquitur.* Ambo hi in ætate florentiſſima divinitatem, & quam divinitas largitur beatitudinem ſpeculati, alio multoque perſpicaciori mentis acumine quam Plato, nuda profeſſione impedimenta rerum temporalium evaſere, deſpicantes mundanæ philoſophiæ vehementi applicatione à ſe amata gymnaſia, patrii ſoli dulcem arriſum, opibus ac generoſitate claram parentelam, ſpem ſublimium provectuum. Sic animo victore expediti, nunc ſub jugo cœnobiorum, nunc in erêmi lucta, æmulis Macchabæorum decertabant ſudoribus, pro interminabili & liberalitate & quiete, omnem extremitatem, nullam prælationem in exſilio mundi prætereuntis ambientes. Fit monachus.

4. *Tanta Maurilii virtus diutius ſub modio deliteſcere non potuit. hinc ut aliis etiam utilis eſſet, monaſterio cuidam in eadem regione præfectus eſt. qua in dignitate, ut aſſerit idem Guillelmus,* ſupra ceteros abbates eximius emicuit. *Monaſterium, cui Maurilius præfuit, in ipſa urbe Florentia ſitum fuiſſe ſcribit Ordericus Vitalis libro 5. ſed nomen ejus exprimit noſter anonymus, qui etiam laudat Bonifacium Marchionem, quo agente Maurilius abbatis dignitatem ſuſcepit.* Defuncto, *inquit,* abbate Florentinenſis eccleſiæ, quæ in honore beatæ Mariæ... conſtructa eſt, elegit eum Marchio Bonifacius, &c. *Monaſterium ſanctæ Mariæ, vulgo* Labadia, *hodieque perſeverat celebre apud Florentiam, Ordini noſtro addictum, ſub Caſinenſi congregatione, haud procul à metropolitana eccleſia ſitum, de quo Ughellus Italiæ ſacræ tomo 2. & Lubinus in Notitia abbatiarum Italiæ diſſerunt. At tunc erant, quando ei præfectus eſt Maurilius, ejus loci monachorum corrupti mores, qui eo deveniſſe dicuntur, ut ſancti viri diſciplinæ fervorem ferre non valentes eumdem veneno enecare conati fuerint. Hæc fuit occaſio Maurilio in Gallias redeundi, ut narrat Ordericus:* In urbe, *inquit,* Florentia monachili cœnobio abbatis jure præfuit, & exoſus tranſgreſſoribus pro rigore diſciplinæ, venenum in potu ſibi propinato deprehendit. Unde ſanctiſſi- Tum abbas in Italia.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXVII. AUG. IX.

mum patrem, doctoremque Benedictum ſecutus incorrigibiles deſeruit, & in Neuſtriam cum Gerberto ſapienti & religioſo monacho, tempore Johannis abbatis compatriotæ ſui Fiſcannum venit, ibique ſtabilem ad cultum ſummæ & individuæ Trinitatis habitationem ſibi elegit. *Eadem fere habet Anonymus.*

Et tandem archiepiſcopus Rotomagi.

5. *Regebat his temporibus eccleſiam Rotomagenſem Malgerius archiepiſcopus, Guillelmi Ducis patruus, qui ob varia crimina in concilio Lexovienſi anno* MLV. *exauctoratus eſt. Nec diu deliberatum fuit de ſucceſſore ei ſubſtituendo. Maurilius nempe omnium tam epiſcoporum comprovincialium, quam Vicarii ſedis apoſtolicæ qui concilio præerat, & ipſiuſmet Ducis conſenſu ad hanc dignitatem evectus eſt. ſic ea de re loquitur Guillelmus Pictavenſis loco jam laudato.* Princeps, *nempe Guillelmus Dux*, animadvertens jam non monitis agi oportere in cauſa præcipuæ gravitatis, ne ultra patiendo ſuperni Judicis iram irritaret in ſe, depoſuit patruum in publico ſanctæ ſynodi, Apoſtolici vicario, cunctiſque Normanniæ Epiſcopis juxta Canonum auctoritatem ſententiam dantibus unanimi conſenſu. Maurilium vero cathedræ liberatæ providit.... digniſſimum ſummo omnium archipræſulatu, merito generis, perſonæ, virtutum, doctrinæ. *Conſentit Guillelmus Gemmeticenſis libro ſeptimo Hiſtoriæ Normannorum cap.* 24. *ubi* ſynodi decreto Metropolitanam ſedem Maurilio Fiſcannenſi monacho, multis virtutibus excellenti *traditam fuiſſe ſcribit.* Eccleſiaſtica electione aſſumtum *fuiſſe ad hanc dignitatem obſervat Ordericus libro* 5. *Denique ipſe Guillelmus morti proximus, apud Ordericum libro* 7. *ea omnia quæ in ſuorum populorum gratiam recte fecerat recenſens, memorat Maurilii electionem:* Protervum, *inquit*, præſulem, qui nec Deo devotus, nec mihi fidus erat, de pontificali ſede per decretum Papæ depoſui, & Maurilium venerabilem cœnobitam, quem mihi Deus de Florentia civitate Italiæ tranſmiſerat, in ejus loco ſubſtitui. *Rotomagenſem thronum conſcendit Maurilius anno* MLV. *ut ex concilio Lexovienſi ſupra laudato colligitur. Idem habetur in Chronico Rotomagenſi apud Labbeum tomo* 1. *Nova bibliotheca, & in Chronico Cadomenſi apud Quercetanum in Hiſtoria Normannorum. nec ea de re videtur eſſe inter auctores aliqua diſſenſio. qui etiam omnes eum ex monacho Fiſcannenſi ad hanc dignitatem evectum fuiſſe conſentiunt.*

Ejus Vitæ compendium.

6. *Sed priuſquam ulterius in exponendis Maurilii geſtis progrediamur; exhibendum eſt ejus vitæ compendium ex anonymo ſæpe laudato monaſterii ſancti Audoëni in geſtis Archiepiſcoporum Rotomagenſium, qui ſic habet Analectorum tomo* 2. *p.* 439. Malgerio deſtituto elegit Dux VVILLELMUS quemdam monachum, nomine MAURILIUM, qui nobili proſapia ex Remenſi pago exortus, & in ejuſdem civitatis eccleſia educatus, inde in Leodicenſi eccleſia omni liberalium artium peritia imbutus, Halverſtatenſis eccleſiæ ſcholaſticus effectus eſt: qui locus in Saxonia ditiſſimus habetur, in quo pluribus annis honorifice vixit. Poſtea vero ſuccenſus amore cæleſtis patriæ, cuncta quæ mundi ſunt faſtidiens, monaſticam vitam appetiit: ſicque Fiſcamnenſe cœnobium adiens, monachus ibi effectus eſt, in quo ſanctè multo tempore vixit, ceteriſque exemplum ſanctitatis exhibuit. Denique igne divini amoris exæſtuans, acriorem vitam eligens, licentia ab abbate, qui eccleſiæ præerat, accepta, Italiam petiit; eremique cultor, ſolitariam vitam ducens, opere manuum vixit. Defuncto itaque abbate Florentinenſis eccleſiæ, quæ in honore beatæ Mariæ ſemper virginis conſtructa eſt, elegit eum marchio BONEFACIUS, vir nobilis & potentiſſimus: & ita, licet invitus, bonorum tamen virorum admonitionibus ſuperatus, abbas ejuſdem loci ordinatus eſt. ubi multo tempore ſubditos pro poſſe ſuo ſanctè & regulariter rexit. Sed quia vita juſtorum eſt detrimentum peſſimorum; monachi qui tempore prædeceſſoris ſui indiſciplinate vixerant, conſtantiam regulæ patris Benedicti, qua eos regulariter conſtrinxerat, ferre nolentes,

Digitized by Google

lentes, ſed in omnibus bonis operibus ſibi reſiſtentes, detrimentum vitæ ei machinati ſunt. Et quia pluribus annis in hoc laborans, nullomodo ſe in eis vidit proficere, ſaluti propriæ proſpiciens abbatiam deſeruit, & ad proprium locum, ſcilicet Fiſcamnum, rediit, in quo ſancte, uſquequo in epiſcopatu inthronizatus eſt, vixit. Hic eccleſiam à ROTBERTO archiepiſcopo incœptam complevit: & adſtante Vvillelmo Normannorum duce, poſtea Anglorum rege, cum omnibus ſuffraganeis ſuis, Concilium in Rotomagenſi eccleſia de caſtitate conſervanda, & ceteris ſanctorum patrum inſtitutionibus, paſtorum incuria negligenter poſtpoſitis, viriliter reſtituendis, religioſe celebravit. Poſtea perfecta eccleſia, dedicavit eam, adſtante Vvillelmo Normannorum duce, anno MLXIII. Dominicæ incarnationis, regnante HENRICO nobiliſſimo rege Francorum; adſtantibus etiam comprovincialibus epiſcopis, ſcilicet ODONE Bajocenſi, JOHANNE Abrincenſi, HUGONE Lexovienſi, GUILLELMO Ebroacenſi, YVONE Sagienſi, GAUFRIDO Conſtantinienſi, ceteriſque venerabilibus abbatibus, præſidente etiam ſedi Apoſtolicæ papa VICTORE II. Multa etiam bona de Chriſtianæ legis & eccleſiaſticæ religionis reſtitutione fecit. Jejuniis & orationibus & eleemoſynis uſque ad ultimum diem inſiſtens, v. Idus Auguſti animam Deo reddidit. Defuncto venerabili antiſtite Maurilio præfatus Vvillelmus, &c. *Narrat Anonymus geſta Johannis, qui beato viro ſubſtitutus eſt. Nos vero ipſius Maurilii elogium ex aliis auctoribus, uti incœperamus, proſequamur.* ANN. CH. MLXVII. AUG. IX.

7. *Factus itaque totius Normanniæ primus antiſtes, nihil magis in animo habuit, quam ut deceſſoris ſui probra dilueret, & reſarciret damna quæ ipſius negligentia eccleſiæ illata fuerant. Ea de cauſa primo ſui pontificatus anno concilium indixit, quod Rotomagi habitum eſt. Huic adfuere omnes provinciæ epiſcopi, atque in eo, ut ſcribit Bochellus, & quidem id ipſum habet noſter Anonymus, actum eſt* de caſtitate, & ceteris Patrum inſtitutis ſervandis, Paſtorum incuria neglectis. *Alterum concilium ibidem habitum memorat Dadræus primo Stephani papæ IX. anno, id eſt anno* MLVII. *aut ſequenti. Celebrior fuit ſynodus ſeu potius conventus Cadomenſis, cui non ſolum epiſcopi & abbates, ſed etiam totius provinciæ optimates juſſu Guillelmi Ducis interfuerunt anno* MLXI. *ut publicæ ſecuritati, utilitatique tum eccleſiaſticæ tum ſæculari communi conſilio provideretur. Huc etiam ex diverſis eccleſiis ſacræ reliquiæ apportatæ ſunt juxta Ducis imperium, idque ut major ex religione celebritas conventui accederet; religioſiuſque decreta à ſingulis obſervarentur, quæ in ſanctorum provinciæ Tutelarium præſentia ſancita fuiſſent. Rotomagenſes ſanctorum Romani & Audoëni corpora, alii alias ſanctorum detulere reliquias. Porro ibi indultum eſt à Principe, ut induciæ cuilibet darentur ſingulis hebdomadibus à veſpera feriæ quartæ ad feriam ſecundam hebdomadæ ſequentis, quæ induciæ* Trevia-Dei *appellatæ fuerunt. quod decretum ut firmius ſtaret, Epiſcopi in violatæ pacis reos anathema pronuntiarunt. Inter alia multa, quorum maximam partem abolevit temporum injuria, ſancitum eſt ut abbates & alii prælati* huc illucque non vagarentur cum publica offenſione. *Item*, ut quotidie ſero per ſigni pulſum ad preces Deo fundendas quiſque invitaretur, atque occluſis foribus domorum ultra vagari amplius vetitum admoneretur. Concilia cogit.

8. *Haud minus celebre fuit concilium Rotomagi habitum ad dedicandam majorem eccleſiam, quam ipſe Maurilius abſolverat. Ea de re ſic loquitur Ordericus Vitalis libro* 5. Anno, *inquit*, Dominicæ Incarnationis MLXIII. Indictione II. metropolitanam baſilicam in urbe Rotomagenſi, quam Rodbertus inchoavit, Maurilius archiepiſcopus in honore ſanctæ Dei-genitricis Mariæ cum ingenti tripudio menſe Octobri dedicavit. *Eccleſia Rotomagenſis dedicationem pariter anno* MLXIII. *conſignat laudatus Anonymus. Certe hoc ipſo anno locat noſter Pomerayus concilium Rotomagenſe, ad quod referri debere cenſet quod Vvillelmus Gemeticenſis & Ordericus libro* 3. *narrant de Oſberno, qui poſt Roberti* Eccleſiam Rotomag. dedicat.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXVII. AUG. IX.

abbatis deſertionem monaſterio Uticenſi præfectus fuit, tradita ſibi à Maurilio archiepiſcopo cambuta *paſtorali. At Robertus Uticenſis abbas fugam inierat occaſione diſſenſionum, quæ inter Guillelmum & Normanniæ proceres fuerant exortæ, quas quidem diſſenſiones fuſius exponit Ordericus ad annum* MLXIII. *quæ omnia ſatis ſuperque probare videntur, dedicationem eccleſiæ Rotomagenſis anno* MLXIII. *conſignandam eſſe, quamvis Indictio* II. *ab Orderico aſſignata loco ſupra laudato annum ſequentem videatur indicare. Verum cum hæc dedicatio die* I. *Octobris, ut ex Martyrologio ejuſdem eccleſiæ diſcimus, peracta ſit, forte hic Ordericus Indictionem à menſe Septembri, ut nonnulli facere ſolebant, inchoavit. nam idem ipſe auctor alio in loco, libro ſcilicet* 4. *Dedicationem Rotomagenſis eccleſiæ anno* MLXIII. *Indictione* I. *peractam fuiſſe ſcribit.*

Ducum corpora transfert.

9. *Porro idem Ordericus libro* 5. *teſtatur hujus Dedicationis occaſione corpora Ducum Rollonis & Guillelmi, cognomento* Longa-ſpata, *à Maurilio in ædem ſacram tranſlata fuiſſe, qui priorem, nempe Rollonem* prope oſtium auſtrale, *Guillelmum vero* ſecus oſtium aquilonare tumulavit: & Epitaphia eorum ſuper illos litteris aureis annotavit. *Hæc epitaphia refert Ordericus, quæ Maurilii opus eſſe nonnulli putant. Sufficiat aliquot ex eis verſus huc proferre, qui ad noſtri Ordinis Hiſtoriam pertinent. Inde enim diſcimus Guillelmum ita erga monaſticam vitam propenſum fuiſſe, ut eam fuiſſet amplexus in monaſterio Gemeticenſi, ſi ei per abbatem Martinum licuiſſet.*

Cœnobium pulcre reparavit Gemmeticenſe,
Et decrevit ibi ferre jugum monachi.
Fervidus invicti coluit normam Benedicti,
Cui petiit ſubdi, plenus amore Dei.
Diſtulit hoc abbas MARTINUS, Diva poteſtas
Sæva per arma mori prætulit omen ei.

De hoc Guillelmo & ejus monaſtici propoſiti amplectendi deſiderio, plura habet Guillelmus Gemeticenſis monachus, quæ huc referre non vacat.

Synodus Gemetici.

10. *Ceterum habita eſt item celebris Normanniæ epiſcoporum ſynodus anno* MLXVII. *occaſione alterius Dedicationis, ſcilicet eccleſiæ beatæ Mariæ Gemeticenſis, quam Maurilius cum ſuis ſuffraganeis, præſente Guillelmo, jam tunc Angliæ rege,* humiliter & devote perpetravit *Kalendis Julii, ut teſtantur Guillelmus Gemeticenſis monachus libro* 7. *cap.* 37. *Ordericus Vitalis libro* 4. *& alii. Dedicationis hujus memoria in Martyrologio Benedictino celebratur ipſis Kalendis Julii. At anno præcedenti iidem antiſtites cum provinciæ primatibus à Duce acciti apud Juliobonam convenerant, de expeditione Anglicana collocuturi: ſed cum ejuſmodi conventus potius Comitia provinciæ debeant appellari, quam concilia, de his dicere ſuperſedemus. In his enim procerum colloquiis, de ſæcularibus potiſſimum negotiis agebatur, quæ tunc temporis abſque Epiſcoporum conſilio, ſi quidem magni fuiſſent momenti, minime tractabantur.*

Maurilii vigilantia.

11. *Verum ex tam frequenti conciliorum celebratione colligere licet, Maurilium vigilantiſſimi paſtoris partes ſtrenue adimpleviſſe, meritoque ejus ævi ſcriptores negligentiæ accuſari, qui Decreta in iſtis ſynodis ſancita poſteritati non transfuderunt. Certe quanta ſit hæc jactura conjicere poſſumus ex profeſſione fidei de Euchariſtiæ ſacramento, quæ ad nos pervenit, in qua tam evidenter & nitide catholica veritas exponitur, ut nullus effugii locus hæreticis relictus ſit. Hanc ideo integram proferimus, ex veteri Pontificali eccleſiæ Rotomagenſis à noſtro Pommerayo deſcriptam, in quo inter alias fidei profeſſiones habetur in Ordine ſynodi celebrandæ. Mos enim exinde fuit, ut ab unoquoque epiſcopo in Normanniæ provincia conſecrando hæc fidei profeſſio exigeretur. quæ ſic habet.* Oportet etiam, fratres cariſſimi, ut fides veſtra de Corpore & Sanguine Domini, quam præſidente huic ſanctæ ſedi venerabilis memoriæ Maurilio, communi aſſenſu contra ſpurciſſimas Berengarii ejuſque ſucceſſorum voces diffiniviſtis, iterum recitetur. Corde credi-

Profeſſio fidei de SS. Sacramento.

Digitized by Google

mus & ore profitemur, panem in menſa dominica propoſitum, panem tantummodo eſſe ante conſecrationem: ſed in ipſa conſecratione ineffabili potentia divinitatis converti naturam & ſubſtantiam panis, in naturam & ſubſtantiam carnis; carnis vero non ullius alterius, ſed illius quæ concepta eſt de Spiritu-ſancto, nata ex Maria virgine: quæ etiam propter nos, & propter noſtram ſalutem flagellis cæſa, & in ligno ſuſpenſa, jacuit in ſepulcro, tertia die reſurrexit à mortuis, & ſedet ad dexteram Dei Patris. Similiter vinum, quod aquæ mixtum in calice ſanctificandum proponitur, vere & eſſentialiter converti in eum ſanguinem, qui per lanceam militis de vulnere Dominici lateris in redemtionem mundi feliciter emanavit. Anathematizamus autem contra hanc ſanctam & Apoſtolicam fidem ſuperbe atque hæretice ſentientes, & impia temeritate garrientes. *Hanc fidei profeſſionem, quæ in concilio anno* MLXIII. *habito decreta fuiſſe videtur, contra Berengarii errores ediderat Maurilius, ne quis è ſibi commiſſo grege hæreſiarchæ laqueis ſeſe irretiret. Berengarius quippe Normannos ſua hæreſi inficere conatus fuerat, ut ex his patet, quæ de conventu Brionenſi apud Durandum Troarnenſem habentur in ejus libro de corpore & ſanguine Domini.*

ANN. CH. MLXVII. AUG. IX.

Ejus de Officio divino cura.

12. *Quantum vero fuerit Maurilii ſtudium erga res divinas, intelligere poſſumus ex Johannis Abrincenſis epiſcopi epiſtola libro de divinis officiis, quem Maurilio nuncupavit, præfixa. Eam huc integram damus, prout ſimul cum ipſo libro ex mſ. codice monaſterii Salicoſani edita eſt à nonnullis Rothomagenſis eccleſiæ canonicis.* Domino vere ſancto & meritis honorando MAURILIO, venerabili ſanctæ Rotomagenſis eccleſiæ archiepiſcopo JOHANNES Abrincacenſis, omnium Epiſcoporum meritis infimus, corpore & ſpiritu totius obedientiæ munus. Quoniam tuæ paternitatis ſanctitatem de eccleſiaſticæ dignitatis profectu ſemper ſollicitam, ejus lapſu nimio errore affici, ſæpiſſimis inde mecum habitis quæſtionibus comperi: hocque dolorem tibi augmentare ejus reparationem flagranti, quod vires ad hoc tuæ ſubtraxerat imbecillitas ægritudinis. Parvitas mea tuæ ſanctiſſimæ optioni ſuffragari, non aliquo faſtu ſuccenſa, ſed pia compaſſione commota appetiit: ut quod negligentium paſtorum depravatur incuria, tuæ ſanctæ religionis reparetur vigilantia. Hinc tua auctoritate fretus, ſententias ſanctorum Patrum aggreſſus, diverſarumque eccleſiarum mores & conſuetudines proſpectans, & ea quæ ad divini cultus officia pertinent, quodque in ſe myſtice continent, nihilominus conſiderans, quamdam quaſi confectionem ex ea diverſitate compoſui: quam omnibus adhuc occultam tuæ ſagacitatis repræſento examini, ut ſuſceptum opuſculum inſpicias, & inſpiciendo eam, precor, diligentiam adhibeas, qua te nobis eum eſſe ſignifices, quem in paternitate ac magiſterio ſat decenter exhibes. Tua quippe refert, ut ſi aliqua ſint quæ valeant, paterno affectu velis annuere: ſi vero è contra, vigilantis magiſterii cenſura corrigere. Quod ſi utile & ratum tua auctoritate cenſetur, poſtquam de Metropolitana ſede ſtillare videbimus, Canonum ſtatuta ſequentes, noſtræ propinare ſtudebimus.

Et de locis ſacris.

13. *Loca etiam ſacra colebat Maurilius. nam præter eccleſiam Metropolitanam, quam ab eo conſummatam & ſollemniter conſecratam diximus, Robertus comes Aucenſis in charta fundationis ſancti Michaëlis de Ulteriori-portu, hoc monaſterium à ſe conditum fuiſſe teſtatur conſiliis potiſſimum Maurilii archiepiſcopi Rotomagenſis. Idem antiſtes charta Roberti Ebroicenſis comitis ſubſcripſit pro monaſterio ſancti Salvatoris Ebroïcenſis ſanctimonialium Ordinis noſtri, quod ab eodem comite ſedente Maurilio conditum eſt. Contendunt etiam noſtri Divenſes monaſterii ſui eccleſiam, ſanctæ ſcilicet Mariæ ſupra Divam, ab eodem beato Antiſtite fuiſſe conſecratam. quod innuere videtur Ordericus Vitalis libro 4. Idem Telonei apud Andeleium, juris ſui dominium, immunitatem conceſſit monachis ſancti Petri Carnotenſibus, ut ex ejus charta patet apud Sammarthanos edita.*

ANN. CH. MLXVII. AUG. IX.

Viros pios fovet.

14. *Nec minus curabat ut viri pii & ad miniſterium ſacrum idonei eccleſiis præficerentur. Vvalkelinum à Guillelmo Anglorum rege Vvintonienſi ſedi ejus opera præfectum fuiſſe aſſerunt, quem antiſtitem tanti viri commendatione haud indignum fuiſſe teſtatur Vvillelmus Malmesburienſis libro* 3. *ubi de eo ait:* Vvalkelinus.... cujus bona opera famam vincentia, vetuſtatem oblivionis à ſe repellent, quamdiu ſedes epiſcopalis Vvintoniæ durabit, &c. *Theodericum vero Uticenſem abbatem, cujus elogium ſupra dedimus ad annum* MLVIII. *monaſterii regimen dimittere cogitantem, aliquamdiu impedivit. Cum enim pius ille abbas ob turbas in monaſterio ſuo exortas baculum paſtoralem Vvillelmo duci reddidiſſet, Dux cauſam ſcandali Maurilio indagandam commiſit. quare anno* MLVI. *ut narrat Ordericus lib.* 3. *Maurilius, Hugo Lexovienſis epiſcopus, Ansfridus Pratellenſis abbas & Lanfrancus Becci Prior, aliique viri illuſtres Uticum convenere, ibique Apoſtolorum Petri & Pauli ſollemnitate peracta*, auditis & ſollerter diſcuſſis diſſenſionum fomentis, Theodoricum abbatem præeſſe juſſerunt, atque Robertum *loci priorem, qui tumultus in monaſterio excitabat*, ut patri ſuo obtemperaret copioſa ſermocinatione admonuerunt. *Sed diu non ſtetit illa pax. vix enim unus annus abierat, cum iterum emerſerunt nova diſcidia. quare Theodericus, vere pacis filius, onus regiminis coram* mæſtis præſulibus, *inquit laudatus auctor libro* 6. Maurilio Rothomagenſi, & Hugone Lexovienſi depoſuit.

S. Anſelmum ad monaſticam vitam adducit.

15. *Maurilio ſuum etiam debet* ANSELMUM *Ordo monaſticus. quippe cum ille animo fluctuaret de vivendi forma quam ſequeretur, Lanfrancum tunc temporis Becci priorem conſuluit, quid eſſet facto opus.* Lanfrancus, *inquit Eadmerus initio libri* 1. *de Anſelmi Vita*, differt ſententiam ferre, ſuadetque negotium ad venerabilis Maurilii Rotomagenſis epiſcopi audientiam magis referre. *Adquieſcit Anſelmus, ſimul Rotomagum pergunt, Archiepiſcopumque adeunt: cui cum Anſelmus animi ſui anxietates expoſuiſſet:* Nec mora, *inquit Eadmerus*, monachicus Ordo præ ceteris laudatur, ejuſque propoſitum omnibus aliis antefertur. Anſelmus hæc audiens & approbans, omiſſis aliis, ſæculo relicto, Becci monachus factus eſt anno ætatis ſuæ vigeſimo-ſeptimo. *Eumdem poſtea priorem monaſterii electum, à dimittenda fratrum ſuorum cura avertit, ut idem Eadmerus narrat.* Sed cum, *inquit*, *Anſelmum* inter hæc diverſa diverſorum negotia fatigarent, & nonnumquam illius mentem à ſua quiete turbarent, conſilium ſuper his à ſupradicto venerandæ memoriæ archiepiſcopo Rotomagenſis eccleſiæ Maurilio poſtulaturus Rotomagum venit. Cumque ſui adventus cauſam Pontifici exponeret, ac inter verba pro amiſſa ſui ſtatus tranquillitate vehementiſſime fleret, ab onere prælationis, quod ſibi fatebatur importabile, ut relevari mereretur magnopere cœpit rogare. At ille, ſicuti vir magnæ ſanctitatis: Noli, inquit, fili mi cariſſime, quod quæris quærere, nec te à ſubvectione aliorum tui ſolius curam gerens velis retrahere. Vere etenim dico tibi me de multis audiſſe, multoſque vidiſſe, qui quoniam cauſa ſuæ quietis, proximorum utilitati per paſtoralem curam invigilare noluerunt, per deſidiam ambulantes ſemper de malo in pejus profecerunt. Quapropter ne tibi, quod abſit, hoc idem contingat, per ſanctam obedientiam præcipio, quatenus prælationem quam nunc habes retineas, nec eam, niſi tuo jubente Abbate, quomodolibet deſeras; & ſi quando fueris ad majorem vocatus, eam ſuſcipere nullatenus abnuas. Scio enim quod in hac quam tenes non diu manebis, verum ad altiorem prælationis gradum non poſt multum proveheris. Quibus auditis: Væ, inquit, miſero mihi. In eo quod porto deficio; & ſi gravius imponitur onus, rejicere non audeo. Repetit Præſul edictum, & ut primo jubet ne tranſgrediatur.

Obit.

16. *Meritis itaque plenus & annis antiſtes Maurilius è vivis exceſſit anno* MLXVII. *qua in re conſentiunt omnes veteres ſimul & recentiores hiſtorici, præter unicum Fiſcamnenſem Chronographum, tomo* 1. *Bibliotheca-nova Labbei, in quo*

Digitized by Google

beati viri obitus anno ſequenti mendoſe conſignatur. *Eum* anno MLXVII. v. Idus Auguſti cum ſuo Rege Chriſto jam victurum liberum & gaudentem deceſſiſſe *ſcribit Guillelmus Gemeticenſis libro 7. cap.* 38. *quem* annis duodecim tempore Victoris, Stephani, Nicolai & Alexandri Paparum *floruiſſe ait Ordericus Vitalis libro* 5. *breveque ipſius elogium his duobus verſibus comprehendit.* Ann. Ch. MLXVII. Aug. IX.

Præſul Maurilius, doctrinæ luce refertus,
Moribus eximiis præfulſit, & actibus almis.

At libro 4. *ad annum* MLXVII. *de ejuſdem ſancti viri obitu paullo fuſius agit, ibique refert epitaphium ipſius tumulo appoſitum.* Duodecimo, *inquit*, epiſcopatus ſui anno in lectum decubuit. Peracto autem quidquid religioſo Dei vernulæ competit, v. Idus Auguſti ad Deum, cui diu ſervierat, migravit. Corpus vero ejus in epiſcopali eccleſia, quam ipſe ante annos quinque Indictione I. ſanctæ Dei genitrici Mariæ dedicaverat, delatum eſt, & ante Crucifixum honorifice tumulatum eſt. Epitaphium autem ejus à Ricardo Herluini filio ejuſdem eccleſiæ canonico editum eſt, & ſuper ipſum in cupri laminis ex auro ſic ſcriptum eſt.

Ejus epitaphium.

Humani cives lacrymam nolite negare
Veſtro pontifici, Maurilio monacho.
Hunc Remis genuit, ſtudiorum Legia nutrix
Potavit trifido fonte philoſophico.
Vobis hanc ædem cœptam perduxit ad unguem;
Lætitia magna fecit & encænia.
Cum tibi Laurenti vigilat plebs ſobria Chriſti,
Tranſit, & in cælis laurea feſta colit.

17. *Monaſticæ vitæ exercitia Maurilium etiam archiepiſcopum haud dimiſiſſe præter alia argumenta ex eo probari poteſt, quod vix umquam ejus nomen apud coævos auctores, abſque monachatus mentione legatur. Hoc patet ex ejus Epitaphio hic à nobis relato, ſicut & ex aliis Guillelmi Gemeticenſis & Orderici Vitalis quamplurimis teſtimoniis, quæ paſſim in hoc elogio protulimus. In Chronico Cadomenſi legitur anno* MLXVII. obiit Maurilius Rotomagenſis archipræſul monachus Fiſcamnenſis. *Eadem verba habet Chronicum Rotomagenſe apud Labbeum tomo* I. *Novæ bibliothecæ. Et Guillelmus Conquæſtor morti proximus, ut jam ſupra ex Orderico obſervavimus*, Maurilium venerabilem cœnobitam *eccleſiæ Rotomagenſi archiepiſcopum procuraſſe ſibi gratulatur.* Monachi nomen pontifex retinet.

18. *Hic porro rem miram omittere non licet, quam referente Vuillelmo Malmesburienſi libro* 3. *de geſtis Regum Angliæ, paullo ante Maurilii obitum contigiſſe diximus. quam etiam ex codice mſ. ſancti Victoris Pariſienſis noſter Hugo Menardus in Appendice ad obſervationes in Martyrologium Benedictinum deſcripſit, & Pomeraïus in Hiſtoria archiepiſcoporum Rotomagenſium ex altero mſ. codice, ſcilicet ex Bibliotheca cathedralis eccleſiæ Rotomagenſis, gallico idiomate edidit. ſed eam Vuillelmi, utpote auctoris antiquiſſimi, verbis referimus. Sic itaque habet.* Malgerio ſucceſſit Maurilius Fiſcannenſis monachus, multis virtutibus, ſed maxime abſtinentia laudatus. Is poſt bene & ſancte actam vitam, cum ad extremum Deo vocante veniſſet, vitali privatus halitu, ferme dimidia die jacuit defunctus. Verumtamen cum jam pararetur in eccleſiam ferri, anima reſumta circumſtantes lacrymabili gaudio perfudit, ſtupentes hoc ſermone corroborat: Attenti animo eſtote, ultima paſtoris veſtri verba excipientes. Naturali morte reſolutus fui, ſed ut vobis intimarem quæ vidi, reductus ſum; nec aliquanto diutius ſubſiſtam, quia in Domino ſoporari delectat. Ductores ſpiritus mei vultibus & veſtibus ad omnem Mira ejus viſio.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXVII. Aug. IX.

elegantiam erant compoſiti, concordabat verborum lenitas cum nitore veſtium, ut nihil deſiderarem præter talium virorum obſequium. Itaque blandis aſſentationibus gaviſus, ibam, ut vere mihi videbatur, verſus Orientem. Promittebatur mihi ſedes paradiſiaca non multo poſt intranda. in momento præterita Europa, ingreſſi Aſiam, venimus Jeroſolymam, ibi ſanctis adoratis Jordanem pertendimus: citerioris ripæ accolæ ductorum meorum contubernio mixti, lætum cœtum fecere. Ego viſendi ulteriora ſtudio tranſitum maturabam. Tunc comites Deum præcepiſſe ferunt, ut ante dæmonum viſione terrificarer, quatenus veniales culpæ, quas confeſſione non dilueram, pavore horrendarum formarum purgarentur. Cum dicto adſtitit alteri parti tanta dæmonum vis haſtilia acuta vibrantium, ignes efflantium, ut ager ferreus, aër flammeus videretur. Eorum horrore ita ſum affectus, ut ſi terra dehiſceret, ſi cælum pateſceret, tuto mihi utrobique refugiendum non æſtimarem. Ita meticuloſus, dum quo vadam dubito, repente, ut * hæc dicens veſtræ ſaluti niſi negligitis conſulerem, halitum recepi confeſtim effuſurus. Dixit, & cum verbo pæne ſpiritum emiſit. Corpus in eccleſia ſanctæ Mariæ tunc humi defoſſum, miraculo, ut aiunt, divino altius tribus pedibus ſuper terram elevatum eſt.

* *al.* ad.

Sancti titulo donatur.

19. *Cum vero Maurilii mors adeo pretioſa in conſpectu Dei fuerit, mirum non eſt, ſi ejus ſanctitatem poſteri agnoverint, quem etiam* ſancti, *aut* beati *titulo donare veriti non ſunt.* Sacer Maurilius *ab Orderico dicitur libro* 3. *Rotomagenſem eccleſiam* ſancto ac venerabili archipræſule Maurilio *viduatam fuiſſe ſcribit Milo cap.* 5. *auctor vitæ ſancti Lanfranci, ipſi ſynchronus. Eum Trithemius in Chronico Hirſaugienſi editionis ſancti Galli, ad annum* MLXIV. Virum ſanctiſſimæ converſationis *appellat, qui* propter doctrinam & vitæ meritum *Malgerio archiepiſcopo ſubſtitutus fuit. Tum de eo ſic ſcribit:* Virtutibus & miraculis clarus habetur, cujus geſta conſcripta ſunt. *In veteri editione:* Sanctus Maurilius ex monacho cœnobii Fiſcamnenſi ordinis noſtri archiepiſcopus... vir multarum virtutum decore ornatus, caritatis abſtinentiæque cultor inſignis, de cujus ſancta converſatione præcelſa laudum præconia feruntur. *Eadem fere repetit libro quarto de viris illuſtribus Ordinis noſtri cap.* 120. *Hinc nomen ejus in variis Martyrologiis Gallicanis & monaſticis inſcriptum reperitur, die* 9. *Auguſti, quo defunctus eſt: quamvis alii, occaſione alterius Maurilii, memoriam ejus die* 13. *Septembris recolant, atque hac ipſa die apud Ferrarium memoratur. Bucelinus eum utraque die celebrat, immo & die* 26. *Februarii Maurilium monachum Fiſcamnenſem memorat, quaſi is alius eſſet ab Archiepiſcopo. cui viſionem, quam ſupra ex Vvillelmo Malmesburienſi deſcripſimus, attribuit. Eum etiam hac occaſione memorat Bollandus inter prætermiſſos die* 26. *Februarii. Eumdem ſanctum Antiſtitem Fratres Sammarthani & noſter Pommerayus in Archiepiſcopis Rotomagenſibus, Marlotus in Metropoli Remenſi, aliique paſſim auctores, quos ſingillatim recenſere inutile foret, multis laudibus celebrarant.*

Ejus memoria.

Cultus, ſepulcrum.

20. *Nondum tamen ullum in Rotomagenſi diœceſi officium publicum beatus Maurilius obtinuit, quamvis ejus ſepulcrum, quod vulgo* tumba ſancti Maurilii *appellatur, apud Rotomagenſes, præſertim à Metropolitanæ eccleſiæ clero venerationi ſemper habitum fuerit, quod etiam ſtatis diebus ſollemniter thurificari ex antiqua traditione mos erat. ſed cum anno* MCCCCLXXX. *Rotomagenſes canonici Guillelmo Cardinali de Stotavilla tunc archiepiſcopo conceſſiſſent, ut ibidem ſepulcrum ſibi conſtrueret, effoſſa humo loculus lapideus inventus eſt, in quo præter beati viri oſſa, particula lignea crucis, ac ſacrarum veſtium aliquot reliquiæ ſupererant. Poſitus eſt tamen ibi Cardinalis tumulus, in quo anno* MCCCCLXXXIII. *cor ejus conditum eſt. ſed hæc omnia Calviniana ſecta hæretici anno* MDLXII. *violaverunt; nec deinceps ulla beati viri reliquiarum aut ſepulcri memoria ſuperfuit.*

Digitized by Google

DE VENERABILI FRIDERICO abbate Hirſaugienſi.

1. JAM ab annis circiter quinquaginta monaſterium Hirſaugienſe incultum plane ac deſolatum jacebat, cum ſanctus Leo IX. ſummus Pontifex in Germaniam advenit. Hujus loci advocati, Comites de Calba *, in direptores, pro peſſima illorum temporum conſuetudine, tranſmutati fuerant, atque tunc temporis comes Adelbertus, ex ſorore beati Pontificis nepos, majorum ſuorum ſecutus exempla, monaſterii rebus, nihilo prorſus ad divinum cultum dimiſſo, potiebatur. quin & ſancti Aurelii martyris corpus, olim à Nottingo Vercellenſi epiſcopo Hirſaugiam tranſlatum, ita neglectum fuerat, ut nemo jam ſciret quo in eccleſiæ loco fuiſſet depoſitum. Facinus adeo immane ferre non potuit beatiſſimus Pontifex, magniſque ſacramentis Adelbertum comitem adſtrinxit, ut monaſterium brevi reſtauraret, ſatageretque ut ſancto Martyri, in cujus honorem eccleſia Hirſaugienſis jamdudum fuerat conſecrata, debitus cultus reſtitueretur. His, adſtante coram Pontifice, conſenſit Adelbertus, ſed rei exſecutionem poſt ejus diſceſſum adeo in longum protrahebat, ut promiſſorum ſuorum vix memor eſſe videretur; actumque fortaſſe fuiſſet de monaſterii reſtauratione, niſi precibus ac monitis Vviltrudis ſuæ ipſius uxoris ſollicitatus, operi tandem manum admoviſſet; atque eo pacto anno MLX. nova eccleſiæ fundamenta poſita fuerunt. Hirſaugiæ monaſteriũ reſtauratur. * Calvve.

2. Nondum conſummata erat eccleſia Hirſaugienſis ceterorumque monaſterii ædificiorum fabrica, cum pia Vviltrudis moræ impatiens, veritaque conjugis inconſtantiam, ab eo obtinuit, ut monachi loco ſacro reſtituerentur. Miſſum eſt itaque ad monaſterium Eremitarum, quod vulgo Einſidlenſe appellatur, indeque duodecim monachi accerſiti ſunt, ex quibus Fridericus cum Abbatis titulo ceteris præfectus eſt. Id ad annum MLXV. revocat Trithemius in veteri Chronici Hirſaugienſis editione, quod tamen in nova, Sangallenſi ſcilicet editione, quæ anno MDCXC. ex typis monaſterii ſancti Galli prodiit, anno MLXVI. conſignavit. Hanc vero poſteriorem editionem, utpote ab ipſo Trithemio recognitam, emendatam & auctam, potiſſimum ſequemur. Sic autem ibi habet. Anno nativitatis Domini MLXVI. Indictione Romanorum quarta, die menſis Decembris ſimiliter quarta, ab obitu CONRADI abbatis ultimi LXV. à prima vero monaſterii fundatione comitis ERLAFRIDI anno CCXXVIII. FRIDERICUS abbas cum monachis duodecim de monaſterio Solitariorum venit in Hirſaugiam, ad petitiones comitum de Calba ADELBERTI & VVILTRUDIS, nedum conſummato monaſterio. Paullo poſt eamdem chronologiam firmat, ubi Fridericum Hirſaugiam adveniſſe ait die 4. Decembris, anno vacantis abbatiæ poſt Conradi obitum LXV. menſe III. & die 14. Tum ſubdit eum fuiſſe communi fratrum voto electum, & ordinatum in abbatem, numero undecimum, ab Einhardo Spirenſi epiſcopo in die feſto ſancti Thomæ apoſtoli; cui quidem loco annis duobus, menſibus quatuor ac diebus viginti eumdem præfuiſſe ait, computato ſcilicet ipſius regiminis tempore ab ipſa die, qua primum Hirſaugiam advenerat. Porro ad annum MLXXXV. idem Trithemius recenſet varias auctorum opiniones, quorum nonnulli Fredericum è monaſterio Schaffuſen Hirſaugiam acceſſiſſe putarunt, alii ex Gundelfingenſi, alii ex Augienſi, alii ex aliis locis. Ac reſtituitur monachis. Fridericus abbas.

3. Laudanda vero maxime hîc eſt piiſſima Vviltrudis erga noſtros animi devotio, quippe quæ eos ſummo cum gaudio ſuſcepit, ac ſuſceptis omnia ad vitam neceſſaria abundantiſſime ſuppeditavit. Hos, inquit Trithemius, ut vidit devota Chriſti famula Vviltrudis, incredibili gaudio perfuſa, Dominum in ſervis Pietas Vviltrudis comitiſſæ.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXX. VIII. Maii.

ſuis ſumma cum alacritate ſuſcepit: & omnibus quæ ad eorum ſuſtentationem videbantur neceſſaria copioſe diſpoſitis, monaſterium eis, adſtante & conſentiente Adelberto comite, perpetuo inhabitandum adſignavit. *Nec pænituit Comitiſſa tam ſanctos viros accerſiviſſe. Hi enim una cum artificibus, ædificiis monaſterii conſummandis operam ſuam adhibebant, unde eorum* fervorem & in ſancta ſedulitate conſtantiam *conſiderans pia mulier,* omnia quæ videbantur neceſſaria fratribus tradidit, & de commiſſione mariti Comitis fideliter cooperata fuit. *Hæc Trithemius de Hirſaugienſis monaſterii reſtauratione ſub Friderico abbate, cujus geſta fuſius poſtea exponit, noſque hic ejus verbis, ex laudata Sangallenſi editione proferimus.*

Friderici geſta.

4. Fuit Fridericus abbas, natione Suevus, parentibus ingenuis & antiqua familia ortus, qui puer ad litteras poſitus, cum ætate profecit non mediocriter in ſtudio ſcripturarum. Poſtea vero quam ſapere & intelligere aliquantum cœpit, ſe tota mentis intentione convertit ad Dominum, cupiens & mundum cum ſuis vanitatibus contemnere, & Deo puro ſemper corde in monaſterio ſervire. Unde præventus Spiritus-ſancti gratia de conſenſu parentum ad monaſterium Solitariorum, ubi tunc magna vigebat monachorum religio, proficiſcitur, & præmiſſa petitione ſollemni conſueta, monachorum collegio ſociatur. Monachus autem factus omne tempus lectioni, meditationi, orationi, ceteriſque monaſticæ diſciplinæ exercitiis diſtribuit, & ſine querela converſatus, nulli umquam moleſtus vel oneroſus fuit. Studio namque ſpiritualium exercitiorum conſuetus nullum potuit cum mundo habere commercium, utpote qui omne deſiderium ſuum locaverat in contemplatione ſupernorum. Fuerunt enim monachi dicti cœnobii Solitariorum illo in tempore vitam regularem ſine querela ducentes integram, rectam & ſanctam, quorum fama laudis in omnem terram longe ſe lateque cum honore & admiratione diffuderat. qui pueros in monaſterio ſecundum Regulam oblatos in omni ſcientia ſcripturarum tam ſæcularium quam divinarum, more veterum, quamoptime inſtituere ſolebant; quos etiam non minus bonæ converſationis exemplo, quam ſanctæ prædicationis verbo ad mundi contemtum ac Dei amorem provocare & incendere ſumma diligentia curabant. Horum inſtitutis ſimul & exemplis Fridericus quamoptime formatus viam ſimplicitatis, quam traditione majorum ſemper didicit, in omni vita ſua inviolabiliter cuſtodivit.

Pia exercitia.

Einſidlæ educatus.

5. *Quot annos Fridericus in Einſidlenſi monaſterio, quod etiam tunc Cella ſancti Meginradi appellabatur, tranſegerit, non expreſſit Trithemius, quamvis ex ipſius narratione facile colligi poſſit eum diutius in iſto monaſterio converſatum fuiſſe, cum ibi in litteris & bonis moribus educatus, inde exierit dignus, qui abbas aliis præeſſet. quanta vero tunc fuerit virtutis & prudentiæ vir, fuſius exponit Trithemius his verbis:* Poſt plures deinde annos, cum Adelbertus comes monachos duodecim, prædicto monaſterio, ſicut prædiximus, expeteret, nullus Friderico melior ad curam animarum promovendus occurrit, quippe qui non ſolum verbis & exemplis corda ſubditorum ad mundi contemtum & Dei amorem per amplius potuit inflammare. Nam quantum ad corporis diſpoſitionem pertinebat, ſtatura quidem mediocris fuit, nec multum brevis, nec longus nimium exſiſtens, facie corpulentus & plenus, fortis & robuſtus, pietatis habens plurimum, ſeveritatis nihil: nec pinguis fuit nimium, nec omnino macilentus, ſed media proportione recte diſpoſitus, capillis nigris canitieque hinc inde reſperſis, ſed nulla calvitie depilatus. Qui cum nomen & dignitatem paſtoralis curæ ſuſcepiſſet, nihil prioris converſationis intermiſit, ſed lectioni Scripturarum, meditationique & orationi die vacans & nocte, occupationes negotiorum ſæcularium non facile admiſit. Vagos de monaſterio excurſus, quos monachi hujus temporis multi nimium frequentant, non amabat: ſed in ſecreto reſidens, quan-

Fit abbas Hirſaugiæ.

tum

tum potuit, Dei ſalutare in ſilentio exſpectavit: vigiliis & jejuniis corpus ſuum pro Chriſti amore indeſinenter afficiens, hoſtiam ſe Domino vivam & immaculatam offerre quotidie cum ſuſpirio & lacrymis ſatagebat. In pauperes multum fuit miſericors, quibus propria ſua veſtimenta & cibos ſibi paratos, ipſe jejunans multoties impertivit. Secundum nomen ſuum pace dives & abundans exſtitit, pius & caritate plenus fuit, & magnam in omnes benevolentiam oſtendit. Coram Deo magnus cum eſſet humillimum ſe omnibus ſemper exhibuit, & numquam in aliquo de ſuperbia notari potuit. Nam inter ſcriptores locum & ſedem cum monachis habuit, & omnia quæ ad communitatem pertinebant, ſicut unus ex monachis diligentiſſime cuſtodivit. *Editio antiqua habet:* Adeo coram Deo ſeſe humiliare didicerat, ut etiam in exteriori converſatione nitor quidam gratiæ ſpiritualis relucens internam cordis humilitatem palam cunctis oſtenderet. Inter ſcriptores namque reliquos, quod officium apud veteres monachos erat valde communiter in uſu, locum tenere cum fratribus non erubuit, in quo ſe per vices ab oratione vacans utiliter occuparet. In habitu ſuo nihil differebat à monachis ſubditis, qui eo tempore omni vilitate & extremitate juxta Regulam contenti, ſubtus cucullis, deſuper vero cappis utebantur. *Paullo aliter editio Sangallenſis.* In habitu ſuo nihil ab aliis differebat, qui omni vilitate contentus juxta Regulam, ſubtus cucullam, ſicut & monachi ſupradicti monaſterii omnes, & cappam deſuper nigri coloris de groſſo tegmine portabat. Ann. Ch. MLXX. VIII. Maii.

6. *Mirum eſt tantas virtutes, quæ Friderico ſuorum ipſius diſcipulorum animos conciliare debuiſſent, occaſionem tamen eis præbuiſſe extrema quæque adverſus pium abbatem excogitandi. quorum furor adeo exarſit, ut nonniſi beati viri exauctoratione ſedari potuerit. qua id ratione contigerit, quibuſve machinationibus infandum adeo facinus fuerit conſummatum, Trithemii verbis exponere libet, cujus hæc ſunt verba ad annum* MLXIX. Anno prænotato cum Fridericus abbas monaſterii ſancti Aurelii Hirſaugienſis in ſimplicitate cordis ſui divinis omni tempore manciparetur obſequiis, lectioni meditationique ſemper pro viribus intentus, ac monachis, quos externarum rerum curatores poſuerat, omnimodam permitteret libertatem, cœperunt eum contemnere, & ejus quieti concitante diabolo invidere. Nam ſicut vita bonorum virorum bonis eſt odor vitæ in vitam, ita ſanctiſſimi hujus viri converſatio malis & reprobis monachis odor mortis fuit in mortem; & unde boni in melius proficiunt, inde reprobi ſemper in deterius prolabuntur. Sanctæ igitur tranquillitatis exercitium, quod in Abbate ſuo monachi omnes laudare & imitari pro viribus debuerant, quidam ex iis nimis temere carpebant; & quod pro ſolius Dei honore vir juſtus facere didicit, non virtuti ſed inertiæ vitio, monachorum quorumdam temeritas imputavit. O quid non præſumit cæca perverſorum ambitio, quæ Dei ſemper oblita, præſentia nimis anxie cogitat, memoriam nullam admittens futurorum! Virum honore maximo dignum monachi penitus indigni non ſolum contemnunt & deſpiciunt, ſed falſis etiam delationibus Comiti odioſum reddunt. Nam in odium concitati innocentis viri, principes factionis quidam è fratribus Comitem in vicino commorantem adeunt, paſtori ſuo nequiter detrahunt, inertem, otioſum & prorſus inutilem ad curam animarum falſo & mendaciter deferunt; animum Comitis ab ejus reverentia penitus avertunt. Uſque adeo nempe animum comitis Adelberti ſancto Abbati reddiderunt infenſum, ut depoſitionis contra illum cauſam & articulos cœperint quam diligentiſſime inquirere. Bone Deus, quam frivola monachorum turba eſt, quæ innocentem criminis paſtorem ſuum falſo & mendaciter accuſare non metuit. *Laudat Trithemius in antiqua Chronici iſtius editione piiſſimæ Vuiltrudis ſapientiam, quæ maritum ſuum pæne monachorum calumniis devictum, averterit à Fride-* A ſuis vexatur.

ANN. CH. MLXX. VIII. MAII. *rico exauctorando. Nam etſi Adelberto, ut idem auctor refert, cauſa ad id audendum non ſufficiens eſſe videretur; immo & ipſe vereretur, ne apud homines cordatos argueretur levitatis, ſi virum magnæ apud omnes opinionis ob futiles monachorum querelas loco moveret; Friderico tamen erat ab initio infenſus, quod in primo ſuo ad monaſterium acceſſu ab eo exegiſſet, ut Hirſaugienſis monaſterii ſibi ſuiſque monachis facta collatio auctoritate epiſcopi Spirenſis firmaretur, potireturque monaſterium plena libertate ab omni poteſtate ſæculari.*

Calumnias patitur. 7. *Porro Fridericus inter tot tumultus immoto erat animo, cæleſtibus ſemper pro more ſuo intentus, terrenaque parvipendens detrimenta. Sed, uti proſequitur Trithemius*, cum legitimam depoſitionis cauſam non haberent, fornicationis crimen nebulones impii in eum confinxerunt: & quem deponere à ſua dignitate jure non poterant, dejicere injuria feſtinabant. Confeſtim igitur diſcurrunt ad Comitem, reum criminis accuſant abbatem; innocentiam falſitate commaculant, mendacio veritatem obtenebrant. Et quidem de facili Comitis animum viro innocenti reddiderunt averſum; quippe qui mundanis rebus deditus, nullam internæ converſationis experientiam umquam fuerat aſſecutus. Habuerat jam pridem Comes occultum in corde adverſus Abbatem diſplicentiæ ſcrupulum, quem ſuperius in traditione monaſterii propter omnimodam libertatem conſtat fuiſſe generatum. Unde monachorum delationibus cito credidit, & quidquid mendacii confinxerunt in Sanctum faciliter admiſit. Delato igitur falſæ confictionis crimine ad eum, contra Fridericum per quoſdam ex monachis, ſicut diximus; non examinavit cauſam, nec fide digno rem teſtimonio fecit inquiri: ſed æquitati violentiam præpoſuit, & ſolos delatores monachos, quaſi teſtes idoneos ſecutus fuit.

Exauctoratur. 8. *Paullo acrius invehit in Comitem Trithemius in priori editione; quod in abbatem vir laïcus ſententiam, & quidem adeo injuſtam, ferre fuiſſet auſus.* Violentiam, *inquit ibi*, *Comes* præpoſuit, eoſque teſtes admiſit contra innoxium, quos accuſatores in cauſa ad ſe non pertinente habuerat. Depoſuit ergo virum ſanctum & innocentem judex præſumtuoſus; quem accuſatum quidem noverat, non confeſſum, non legitimo teſtimonio convictum: & quamvis ad laïcum non pertineat ratio ejuſmodi actionis, præſumſit tamen ambitio quod voluit judicantis, cui tempus favere videbatur in obſequium ſceleris, quo præſul erat ſæcularis & juvenis, & puer nomen regis ſine regimine portabat. *quibus extremis verbis, quæ in Sangallenſi editione non habentur, Imperatorem Henricum deſignat Trithemius & Henricum Spirenſem epiſcopum, quem Imperator nobili ortum genere & ſecum à pueritia educatum ex Goſlarienſi canonico in ſedem Nemetum evexerat, fruſtra renitentibus Spirenſibus canonicis; qui epiſcopum non ſolum ætate juvenem, ſed & ex alieno collegio accerſitum ſibi præfici ægre ferebant. Huic tamen eccleſiæ præfuit Henricus annis circiter octo, inopinata morte defunctus poſt dilapidata eccleſiæ bona, anno* MLXXV. *die* 29. *Decembris, teſte Bruſchio. Sed ad Fridericum redeamus, cujus egregiæ virtutes non minus poſt ipſius exauctorationem, quam antea enituerunt, uti proſequitur Trithemius.* Anno igitur prænotato Dominicæ Nativitatis MLXIX. Indictione Romanorum ſeptima, die vero menſis Aprilis 24. Fridericus abbas hujus monaſterii Hirſaugienſis undecimus, machinamentis perverſorum injuſte & mendaciter circumventus, ſicut poſtea manifeſte innotuit, præcepto comitis Adelberti deponitur, & ſine cauſa juſtus & innocens ab impiis condemnatur; qui de crimine fornicationis non commiſſo nequiter accuſatus, nec propria confeſſione reus exſtitit, nec probatione legitimorum teſtium convictus fuit.

Ejus patientia. 9. *Mirum eſt quanta patientia contumeliam adeo gravem pertulerit Fridericus, qui* quamvis, *ut ait Trithemius*, vir innocens ſe juris præſidio potuiſſet defendere, maluit tamen injuriam ſuam pro Chriſti amore humiliter diſſimulare, quam per impatientiæ vitium coronam ſibi præparatam amittere.

Digitized by Google

Depoſitus ergo ab officio dignitatis ſuæ, contumelias ſibi illatas patientiſſime ſuſtinuit: & quaſi nihil paſſus, in medio fratrum humilis, quietus, & plenus devotione innocentiam ſuam, ut prius, inviolatam cuſtodivit. Nulli umquam fuit moleſtus, nulli gravis, nulli oneroſus: ſed omni tempore ad injurias patiens, ad irriſiones quaſlibet manſuetus, tacitus & animo tranquillus. Qui cum dare potuiſſet locum iræ, noluit; ſed cum his qui pacem oderant, pacificus in omni puritate mentis ambulavit. *Manſit itaque Fridericus in monaſterio Hirſaugienſi inter ſuos, nec niſi ab amicis coactus, cum jam variis indiciis ejus innocentia perſpicua omnibus facta fuiſſet, è monaſterio exire acquievit. Sed quod in ſe ipſo patienter adeo & humiliter ferebat Fridericus, vicini abbates & viri quique religioſi ferre non potuerunt: inter quos enituit potiſſimum abbas Lauriſſenſis, qui cum tam immane facinus in piiſſimum abbatem patratum fuiſſe audiviſſet, Hirſaugiam venit, ut eum ex tam nefariorum hominum cœtu eriperet, ne forte aliquid deterius in ipſum auderent.* Audiens depoſitionem, *inquit Trithemius*, Friderici abbatis reverendiſſimi UDALRICUS abbas monaſterii Laurishemenſis, quondam notus & amicus, venit in Hirſaugiam, & cognitis injuriis contumeliiſque ſancto viro non merenti à monachis & Comite irrogatis ingemuit, & lacrymas cum indignitate facti, tum compatiens deſolationi familiaris amici amariſſimas fudit. Volens itaque paci & tranquillitati hominis amici conſulere, quaſi agnum in medio luporum converſantem eripuit, ac ſecum abductum, in monte ſancti Michaëlis archangeli, qui *Ebernsberg* dicitur, cum aliis inibi morantibus monachis paucis collocavit, cui de omnibus hujus vitæ neceſſariis ad omnem ſufficientiam honeſtiſſime providit. In eodem loco uſque ad mortem ſuam Fridericus Dei ſervus, innocentis vitæ conſervator permanſit, lectioni, orationi, contemplationi, vigiliis & jejuniis, ceteriſque piæ converſationis ſtudiis omni tempore cum lacrymis intentus, & nec ad momenti ſpatium umquam remiſſus vel otioſus.

ANN. CH. MLXX. VIII. MAII.

Alio ſeceſſit.

10. *Haud minori obſervantia Fridericum coluit Vvillelmus, in ejus locum ſubſtitutus, cujus vitam infra dabimus ad annum* MXCI. *Hic quippe ex monaſterio ſancti Emmerammi Ratiſponenſis accerſitus, cum ad Hirſaugiam 28. die menſis Maii adveniſſet*, cognita cauſa, *inquit Trithemius*, depoſitionis anteceſſoris ſui iniqua, graviter tulit, & vix perſuaderi poterat ne regrederetur, unde venit: *cumque graviter Comitem Adelbertum de tanto facinore objurgaſſet, fruſtraque eum ad reſtituendum loco ſuo Fridericum adhortatus fuiſſet, reditum in monaſterium ſancti Emmerammi parabat, quod feciſſet confeſtim, niſi monachorum Hirſaugienſium precibus & lacrymis devictus, manere eo pacto adquieviſſet, ut nec nomen, nec locum abbatis haberet, quamdiu ſuperſtes eſſet Fridericus.* Acquievit igitur, *inquit Trithemius*, plurimum rogatus ut maneret, curamque monachorum ſuſcepit humiliter, & quanta potuit diligentia prodeſſe omnibus ſtuduit, & à priore ſua ſimplicitate non receſſit. Quamdiu vero in hac vita ſuperſtes Fridericus abbas quondam exſtitit, VVILHELMUS ordinari ab epiſcopo, vel ſedere aut ſtare in loco abbati deputato non conſenſit.

Vvillelmi ejus ſucceſſoris modeſtia.

11. Supervixit autem Fridericus poſt introïtum ſancti Vvilhelmi ad Hirſaugiam menſibus undecim, diebus ſex. *Sed repetenda ſunt quæ paullo antea de beati viri obitu idem auctor ſcripſerat.* Divina tandem miſeratione, *inquit, Friderici* duros volente remunerare labores, infirmari cœpit, ac viribus carnis repente deſtitui, præmiſſaque confeſſione peccatorum, & cum ſumma reverentia ſacramentis Dominicis ex more ſuſceptis, anima ſancta de corporis ergaſterio felix egreditur, & cæli civibus in æternum coronanda ſociatur. Quo mortuo, catena ferrea ad carnem ejus nudam inventa eſt, quam non ſine dolore portaſſe multis annis creditur, quod ex livore vulnerum ejus facile probatur. Sepultus eſt in eccleſia ejuſdem montis ſub honore conſecrata divi archangeli Michaëlis, non ſine opinione

Friderici morbus.

Obitus.

ANN. CH. MLXX. VIII. MAII.

ſanctitatis, ad cujus tumulum lumina cælitus incenſa nocturnis horis ardere viſa ſunt, & ſigna divinitus oſtenſa, & innocentis viri probata miracula. Et iſte quidem exitus Friderici abbatis reverendiſſimi exſtitit, quem pravorum temeritas in multis graviter afflixit. *Idem fere repetit Trithemius anno* MLXX. *ubi hæc habet.* Anno prænotato, die menſis Maii octavo, Fridericus quondam abbas hujus monaſterii ſancti Aurelii Hirſaugienſis, in monte ſancti Michaëlis, qui Ebernſberg hoc eſt Apri-mons dicitur, non longe à monaſterio Loriſſenſi moritur; & in eccleſia ibidem non ſine opinione ſanctitatis ſepelitur. cujus innocentia vitæ multis mox ſignis & virtutibus ad ejus tumulum declaratis oſtenditur: & quam injuſte fuerit à ſua prælatura dejectus, multorum exhibitione miraculorum oſtenditur.

Ejus inſidiatores puniti.

12. *Ceterum Friderico mortuo, ut idem Trithemius ſubjungit*, ultio divina in illos tres monachos, qui depoſitionis innocentis viri auctores exſtiterant, graviter vindicavit; & comiti Adelberto metum non parvum incuſſit, qui ut iram Dei poſſet ſubterfugere, in alium virum ſubito mutatus eſt in tantum, ut quod rogatus antea dare noluerat, jam deinceps voluntate ſpontanea libens & rogans ad monaſterium offerre feſtinaret. Quidquid enim petere ab eo monachorum devotio potuit, mox totum ſine dilatione aliqua conceſſit. *Quin & Adelbertum comitem tandem cucullum induiſſe tradit idem ipſe auctor anno præcedenti, cujus verba huc addere operæ pretium eſt, quod ibi fuſius exponat, quantum Deus beati viri innocentiam in flagitioſos monachos vindicatus fuerit.* Monachos, *inquit*, illos, qui ſanctum virum de crimine fornicationis mendaciter accuſaverant, vindicta divinæ ultionis ſubſecuta eſt, ut quantam innocenti feciſſent injuriam omnibus fieret manifeſtum. Nam unus ex iis paralyſi diſſolutus miſerabili cruciatu interiit: alius de gradu cadens fracto capite exſpiravit: tertius morte ſubitanea diſceſſit; ita ut nullus eorum, qui falſæ delationi conſenſerant, biennio ſupervivere potuerit. Comes autem, qui delatorum mendaciis fidem contra innocentem virum adhibuit, cauſa tandem cognita, uſque ad mortem pæne dolens contriſtatus eſt, divinaque miſeratione compunctus in alium virum mutatus eſt. Volens igitur acceptam Deo pœnitentiam agere, non ſolum ablata monaſterio reſtituit, ſed multa etiam de ſuis propriis ſancto Aurelio pro ſatisfactione dedit. Denique tantam illi omnipotens Deus gratiam devotionis contulit, quod tandem ſub Vvilhelmo venerabili abbate, contemtis omnibus quæ mundi fuerant, uxore jam in Chriſto pie defuncta, converſationem monachi aſſumſit. *Ejus obitum Bertholdus Hermanni continuator anno* MXCIX. *conſignat, ut dicemus in obſervationibus ad beati Vvilhelmi vitam.*

Comes fit monachus.

Obitus dies & annus.

13. *Porro Friderici obitus annum & diem, antea nobis ignotos, ex Sangallenſi Chronici Hirſaugienſis editione diſcimus, ubi diſerte habetur piiſſimum hunc abbatem anno* MLXX. *die octavo menſis Maii è vivis abiiſſe, poſt adventum ſancti Vvilhelmi menſe undecimo & die ſexto. His vero opponenda non eſt vetus Chronici Hirſaugienſis editio, utpote quam ipſemet Trithemius ſe emendaſſe teſtatur; nec juvaret etiam contra hanc ſententiam nonnullorum Martyrologiorum auctoritatem proferre, in quibus Friderici memoria die* XIX. *Februarii recolitur. non enim tanta eſt, ut Trithemii hac in parte fidem poſſit elevare. Ceterum Fridericus in Martyrologio Benedictino Hugonis Menardi, in Menologio Bucelini, in Monaſteriologio Caroli Stengelii, in Kalendario Benedictino Ægidii Chrambecki monachi Schyrenſis,* ſancti *ſeu* beati *titulo honoratur die* 19. *Februarii, qua etiam die à Bollandianis, qui eum ſibi ignotum eſſe fatentur, inter prætermiſſos laudatur. at nobis ſatis fuit* Venerabilem *dixiſſe, quouſque ab Eccleſia aliud de ipſo ſtatuatur. eo tamen nomine nihil ipſius virtutibus ac ſanctitati detractum volumus. Quod vero Hartmannus monachus Einſidlenſis in ſui monaſterii Annalibus dicat Fridericum* inter alios beatos, qui ex ſacra Eremo prodierunt, à ſuis coli & venerationi haberi, *hoc de privato ſolummodo cultu, quo hunc ſanctum virum nobilis iſtius monaſterii Aſceta venerantur, intelligendum eſſe putamus.*

Cultus.

Digitized by Google

VITA SANCTI ARNULFI EPISCOPI VAPINCENSIS.

Auctore Anonymo.

Ex cod. mſ. monaſterii SS. Trinitatis Vindocinenſis.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *COMPLURES ſancti Arnulfi Galliam noſtram illuſtraverunt, ex quibus nonnullos, qui ad Ordinem noſtrum pertinebant, ſuperioribus ſæculis laudavimus. Hoc vero undecimo ſæculo præter Arnulfum abbatem Carnotenſem, de quo ſupra egimus, duo ejuſdem nominis ſancti Antiſtites claruere, quorum unus Sueſſionenſem eccleſiam rexit, de quo infra ad annum* MLXXXVII. *alter vero Vapincenſem, de quo paucis hic agendum eſt. Ejus vitam ex veteribus monaſterii Vindocinenſis monumentis contexuit noſter Hugo Menardus in obſervationibus ad diem* XIX. *Septembris Martyrologii Benedictini, unde poſtea ceteri noſtri Ordinis ſcriptores deſumſerunt quidquid fere de eo ſancto ab illis ſcriptum eſt. Nos vero ejus Vitam, qualis in codice mſ. veteri ejuſdem monaſterii habetur, proferimus. Quiſnam autem hujus Vitæ auctor fuerit, difficillimum eſſet dicere, cum nihil in codice aut in ipſa vita habeatur, unde Auctoris ejus nomen vel ætas poſſit deprehendi. Hunc tamen auctorem antiquum eſſe codicis manuſcripti in quo habetur character, ac vitæ ipſius ſtilus ſatis probant.* Plures Arnulfi.

2. *Caſtrum Vindocinum, vulgo* Vendoſme, *ubi Arnulfus ortum habuit, opidum eſt Ducatus ejuſdem nominis caput, in diœceſi antea Carnutenſi, nunc Bleſenſi, ſitum ad Ledum fluvium, vulgo* le Loir, *ubi Godefridus-Martellus Andegavorum comes cum Agnete ejus uxore illuſtre cœnobium Ordinis noſtri conſtruxerunt ante annum* MXL. *quo anno ejus eccleſia ſollemniter dedicata fuit ab Arnulfo Archiepiſcopo Turonenſi aliiſque ſeptem Epiſcopis, qui huc ea de cauſa cum eccleſiarum ſuarum primoribus multiſque Abbatibus convenerant. qui quidem omnes monaſterii donationem factam* beato Petro & Romanæ eccleſiæ in patrimonium & alodium *confirmarunt. Duo ſuperſunt ſollemnis hujus confirmationis inſtrumenta, quibus complures tam eccleſiaſtici quam alii viri nobiles ſubſcripſerunt. Primum, quod ab Arnulfo archiepiſcopo datum eſt, retulit Labbeus tom.* IX. *Conciliorum generalium col. 939. alterum vero Theoderici Carnotenſis, epiſcopi ſcillicet diœceſani, Sirmondus in notis ad opera Godefridi Vindocinenſis abbatis inſeruit, quæ ideo huc exhibere viſum non eſt.* Monaſterium Vindocinenſe.

3. *Eidem monaſterio unita eſt eccleſia Romana ſanctæ Priſcæ in monte Aventino, cum Cardinalis dignitate & titulo, atque adeo Vindocinenſis abbas exinde Preſbyter Cardinalis tituli ſanctæ Priſcæ evaſit. hanc inſignem prærogativam Alexander II. ſummus Pontifex conceſſit Oderico abbati, cujus verba etſi jam non ſemel ab aliis ſcriptoribus laudata, referre juvat.* Concedimus, *inquit*, omnibus hujus loci abbatibus eccleſiam beatæ Priſcæ cum dignitate Cardinali, ſancti Spiritus judicio decernentes, ut nulla deinceps eccleſiaſtica, ſæculariſve perſona, prædictam beatæ Priſcæ eccleſiam, ſeu eccleſiæ dignitatem eis auferre qualibet occaſione præſumat. *Hoc privilegium Oderico confirmavit Gregorius VII. Immo, cum graſſante Guiberti pſeudo-pontificis perſecutione, hæc eccleſia Vindocinenſibus monachis erepta fuiſſet, reſtituta poſtmodum fuit Goffrido, ſuiſque ſucceſſoribus abbatibus Vindocinenſibus. quam reſtitutionem multi pontifices qui ſubſecuti ſunt confirmavere. Hæc tamen tanta dignitas modo evanuit, ac ſolum Cardinalis nomen penes Vindocini abbates remanſit. Porro duodecim Vindocinenſes monachi in eccleſia ſanctæ Priſcæ morari olim conſueverant, è quorum numero aliquamdiu fuit Arnulfus. Hîc quippe degebat, cum Riperto Vapincenſi antiſtite ob ſimoniacam labem in ordinem redacto, huic eccleſiæ ab Alexandro II. præfectus eſt circa annum* MLXV. *Vapingum vero, vulgo* Gap, *urbs eſt epiſcopalis Galliæ in Delphinatu ſub archiepiſcopo Aquenſi.* Ejus abbas eſt Cardinalis.

4. *Ceterum præter Arnulfum, alii quoque viri illuſtres tunc temporis in monaſterio Vindocinenſi floruerunt. Ex his fuit Odericus abbas, jam laudatus, qui Arnulfum veſte monaſtica induit; hic in Chronico Vindocinenſi dicitur* vir famoſus in Ordine monaſtico, *& à pleriſque* Viri illuſtres Vindocinenſes.

CIRCA ANN. CH. MLXX. SEPT. XIX.

auctoribus ſanctus Odericus *appellatur. Iiſdem ac ſimilibus elogiis donantur alii ejuſdem loci Abbates, ſcilicet Berno, Fromundus ab Ivone Carnotenſi laudatus, Humbertus, de quo idem chronicon*, Humbertus vir morum honeſtate & ſanctitate plenus, *& alii; ſed præ ceteris illuſtris eſt* GOFFRIDUS, *qui Eccleſiam & præclaris moribus & eruditis ſcriptis exornavit, & Urbanum II. ſummum Pontificem factione Guiberti pſeudo-pontificis oppreſſum, pecunia, & ſollicitudine ſua liberavit, ut ipſemet teſtatur epiſtola* VIII. *libri primi, quæ eſt ad Paſchalem Urbani ſucceſſorem.*

Arnulfi obitus.

5. *Beati Arnulfi mortem die* XIX. *Septembris contigiſſe conſentiunt omnes; at annus incertus eſt. Menardus eum anno circiter* MLXX. *obiiſſe ſcribit, Sancta-marthani vero in Gallia chriſtiana anno circiter* MLXXIV. *Iidem Sancta-marthani aſſerunt beatum Arnulfum* in æde ſancti Johannis Rotunda *apud Vapingum ſepultum fuiſſe, atque ex eo loco poſt annos triginta ab Armando ejus ſucceſſore fuiſſe translatum die* XIII. *Junii. Quid vero in ea Tranſlatione contigerit ex breviario Vapincenſis eccleſiæ diſcimus, cujus verba huc proferre viſum eſt.* Epiſcopus qui tunc præerat, ARMANDUS nomine, vita pius, habitu monachus, cum clero devotus acceſſit, ac orationi incumbens, tumuli lapidem revolvi præcepit. quo veneranter amoto, ab oratione ſurgit Epiſcopus, & illato in monumentum lumine, veſte incorrupta integrum invenit corpus. Tunc adſtantibus viſum eſt, ut ad veritatis notitiam brachium à Sancti corpore ſecaretur, & extra ſepulcrum retentum ad poſterorum memoriam ſervaretur.

Tranſlatio.

Cultus.

6. *Arnulfi nomen cum elogiis in Martyrologio Gallicano inſeruit Sauſſayus die* XIX. *Septembris. quo etiam die celebratur in Benedictinis Martyrologiis Benedicti Dorganii, & Hugonis Menardi; in iſto* admirandæ ſanctitatis vir *appellatur. Bucelinus ejus elogium ex Menardi obſervationibus contexuit in Menologio. Memoratur item in Catalogo generali ſanctorum Philippi Ferrarii, & paſſim apud alios auctores. Ejus vero feſtivitatem non ſolum Vapincenſis eccleſia, ſed & noſtri Vindocinenſes, ſub duplicis feſti ritu celebrant.*

1. SICUT fructiferas vinea fertilis nutrit & emittit gemmas, viteſque uberes prorumpunt in palmites; ſic ſacræ Religionis & Ordinis monaſtici gratia viros nutrit induſtrios atque magnificos: ſacræ obedientiæ, humilis ſanctitatis, candidæ caſtitatis ſuſcipit alumnos divinis dogmatibus nutriendos. Hujus vineæ, id eſt hujus religionis & ſacri Ordinis, præcipuus & excellens incola enituit præclariſſimus monachorum Pater & dux, meritis & nomine BENEDICTUS, qui poſt ſe beatos homines imbuit regulis artis animos retundi, & colla ſemper jugo Domini ſubjugare. Iſte vero Benedictus tam per ſe quam per ſuos diſcipulos, divina opitulante gratia, per mundi climata diverſa monaſteria conſtruxerat, ſuis autem ſequacibus recte veſtigia Patris imitantibus, quamvis non habitu, mente tamen religioſi homines, monachorum ſacram converſationem conſpicientes, ad honorem prædicti ſancti Benedicti, ad ædificandum monaſteria, de bonis quæ Deus eis conferre dignatus fuerat, devotiſſime contulerunt, ut meritorum & orationum eorum participes fieri mererentur. De hac nempe vinea, id eſt de hujus extenſione religioſi Ordinis, per Prophetam Deus prædixerat. *Extendit palmites ſuos uſque ad mare, & uſque ad flumen propagines ejus.* Uſque ad flumen extendit propagines beati Benedicti ſanctorumque virorum religio: cum divino miraculo ſub nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis per Legdum * fluvium Vindocini monaſterium eſt conſtructum. Hujus autem monaſterii, divino præmonitus oraculo, fuit fundator tam venerabilis quam nobilis GAUFRIDUS Comes Andegavorum cum AGNETE uxore ſua, diebus CLEMENTIS [a] Romani pontificis. Poſueruntque ibi venerabiles monachos, quibus & dederunt patrem religioſum virum & venerabilem abbatem ODERICUM: eoſque ditavit Comes pro victu & proviſione monaſterii ſufficientibus redditibus, ALEXANDER vero Papa privilegiis præcel-

Pſal. 79. 12.

* *Le Loir.*

Monaſterii Vindocinenſis erectio.

a Monaſterii Vindocinenſis prima exordia non ad Clementis II. Pontificatum referri debent, qui anno 1046. pontificatum iniit, ſexto poſt dedicatam eccleſiam Vindocinenſem anno. Unde mirum non eſt ſi hic auctor nihil de Rainaldo primo abbate & Oderici deceſſore habeat. Videtur porro illuſtriores ſolummodo eventus ſelegiſſe. hinc paullo poſt laudatum Clementem papam, monaſterium à Comite redditibus ditatum fuiſſe ſubjungit, & ab Alexandro papa privilegiis munitum; licet inter Clementem & Alexandrum quinque interceſſerint ſummi Pontifices.

Digitized by Google

lentibus; Deus autem dono ſuæ ſanctæ Lacrymæ [a] per miniſterium prædicti venerabilis Comitis decoravit. Abbati vero præcipuum filium & fratrem, qui patri decus & honor, exemplis operum lumen fratribus exhiberet. Hic enim fuit beatus ARNULFUS, Vindocinenſis monachus & alumnus, poſtea vero * Vapienſi in eccleſia [à] prædicto Alexandro Romano pontifice, Dei gratia Præſul datus.

CIRCA ANN. CH. MLXX. SEPT. XIX.

* Gap.

2. Hic itaque beatus Arnulfus Vindocini claris parentibus ortus, ab annis puerilibus liberalibus litteris traditus fuit imbuendus. Cœpit itaque circa religioſos cum incolis ſanctæ & individuæ Trinitatis monaſterii converſari. Non ſicut ſolent ceteri, quos doctrinæ vel gratiæ deffectus cogit ad vicos, ſpectacula, vel theatra diſcurrere. Sed bonorum & ſimplicium conſortium ſequebatur: nec ſignum malum in actibus ſuæ pueritiæ videbatur, poterat enim in ejus vultu, necnon & actibus ſignum futuræ indolis prænotari, juxta hoc quod dicit Sapiens: *Ex ſtudiis ſuis cognoſcetur puer.* Videns autem abbas venerabilem in puero ſimplicitatem, contemplanſque morum in animo teneri pueri maturitatem, eum ad ſe benigniter accerſivit, & ei collobium tradidit monachale, non prece, nec pretio, nec amicorum vel magnatum ſuavis favoris motus alloquio; ſed ſola Dei gratia, quæ abbatis maturam prudentiam & bonitatis eminentiam commovebat. Adducitur igitur puer bonæ voluntatis ad monaſterium. Spe comitatur clauſtralium conſortium, non ut dominetur ſed ut ſerviat: ut jejunet, non ut comedat; non ut præeat, ſed ut obediat: non ut ditetur, ſed ut pauper fiat: & cum majorem ætatem conſcenderet, eo magis ſatagebat, ut virtutum apici ſemper ejus animus inhæreret. Ita beatus Arnulfus de mundo eripitur, in monaſterio inſeritur; in fontem rivus inducitur, ut de fonte rivus hauriatur & in fontem inſurgat, & ceteris fontibus & rivulis latices adaugeſcat; de labruſca botrus in vineam, de deſerto lilium profertur in viridarium, ut plus fructificet, ut odorem ſuum longius hinc exhalet. Hic eſt de quo ſcriptum eſt: Juſtus florebit in domo Domini plantatus. Et iterum: Juſtus ut palma florebit, ſicut cedrus Libani multiplicabitur. Sicut cedrus Libani multiplicatus fuit, cum in monaſterio præ cunctis fratribus ſcientia, & Dei ſapientia, cunctiſque virtutibus enituit, & ad ſummum gradum ſacerdotii meruit promoveri.

Arnulfi patria & parentes.

Prov. 20. 11.

Monaſtica veſte induitur.

Pſal. 91.

3. Cum igitur incœpiſſet ſic beatus Arnulfus in domo Domini operari, ut nihil bonæ indolis ei deficeret. erat enim pietatis rore propitius, prudentia ſtrenuus, humilitate gratioſus, caſtitate & pudicitia glorioſus, ſobrietate ſuccintus, quietus & pacificus; pervigil in orationibus, carnem jejuniis macerabat, corpus ſpiritui ſervire cogebat; in obedientia primus, in patientia placidus, in omni familiaritate conſpicuus; diligebat paupertatem, perpendens in omnibus honeſtatem, nihil propter corpus agebat: in omnibus ad ſalutem animæ laborabat, amore Dei fervebat, fervore caritatis Abbatem & Fratres omnes diligebat, nullum lædens, nullum diffamans, nulli detrahens, ſed cum timore Dei cunctorum obſequio promtus erat. Talibus, ut prædiximus, placere meruit Deo & hominibus, juxta id quod ſcriptum eſt: Dilectus Deo & hominibus, cujus memoria in benedictione eſt. Talem Deus eum exhibuit, ut abbas prudenter filium diligeret, in omnibus illum conſuleret, ſine eo nihil ageret, ſemper ſecum omnia faceret, & nullus propinquior illi eſſet. Non ſicut adulatores, qui ut poſſint obtinere adminiſtrationes monaſterii, proficere ſtudent abbati; ſed in omni fidelitate magis quam ſibi, reliquis & reipublicæ monaſterii proficere laborabat. Non ordinationem mandatorum noſtri Patris ſancti Benedicti prævaricari, vel ſibi mulcere vel minuere ſatagebat, ſed etiam

Ejus virtutes.

[a] Hactenus religioſiſſime aſſervatur eo in loco hæc Chriſti Domini lacryma, quæ Fidelium frequenti concurſu celebratur.

Circa Ann. Ch. MLXX. Sept. XIX.

augebat. Timebat enim ſemper, quod ſuæ ſaluti animæ laborare ſatis non poſſet, juxta illud quod in Evangelio ſcriptum eſt. Cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite ſervi inutiles ſumus.

Romam cum abbate petit.

4. Eo tempore venerabilis abbas Odericus propter negotium monaſterii Romam adiit [a], ut cum Alexandro papa haberet colloquium; nam idem Alexander dictum monaſterium curæ multum habebat, eo quod in diebus ſuis divino miraculo conſtructum fuerat, ut præcipue abbatem & monachos diligeret. Duxit autem abbas ſecum beatum Arnulfum, merito ſibi ceteris plus dilectum. Cum vero adeſſent, & Papæ conſortium frequentarent, vidit Alexander papa beatum Arnulfum elegantem & placidum, bonæque converſationis religioſum virum, & eum corde cœpit diligere. Quoniam fuit honeſta dilectio celare diutius noluit, ſed abbati benigniter indicavit. Petiit itaque, ut beatus Arnulfus prope manſionem ſuam moraretur, ut ſancti viri viſione, & ejus grato necnon utili colloquio ſæpius frueretur. Eſt enim ibi ſatis prope eccleſiam beatorum Petri & Pauli eccleſia in honorem Dei & beatæ Priſcæ virginis & martyris in monte Aventino dedicata, quæ data fuerat monaſterio ſanctæ & individuæ Trinitatis. In hac eccleſia petiit Alexander papa, ut beatus Arnulfus monachus moraretur, cujus petitionibus abbas humiliter obedivit. Manſit igitur beatus Arnulfus Romæ in prædicta eccleſia, prope manſionem Alexandri Romani pontificis; gaudebat enim dictus pontifex de affinitate ipſius & conſortio, & quanto plus beatus ipſius conſortium frequentabat, tanto plus Papa ſanctum Arnulfum ardentius diligebat. O quam amanda & venerabilis eſt dilectio, quam ſolius caſtitatis procurat operatio, nec proſapiæ ſublimitas, nec divitiarum fallacitas, nec munerum aut conviviorum prodigalitas, ſed ſolius caritatis incomparabilis bonitas. Iſte vero beatus Arnulfus non erat de genere Regum ortus vel principum, nec divitiarum pompoſus affluentia, ſed ſola Dei glorioſus erat gratia. Pauper enim erat & modicus, vilibus, ut decet monachum, protectus veſtibus. Eo magis religioſus Pontifex religioſum monachum diligebat, quantum humiliorem ſpiritu & viliorem habitu conſpiciebat. Ejus grato & amabili gaudebat colloquio, ejus ſancto & utili fruebatur conſilio, ipſius conſilii ſermonem apud ſe dicebat auctoritatem, in eis maxime quæ ad Deum pertinent, & ad animarum ſalutem. Non propter tanti viri ſummi pontificis obſequium ſuum ſanctum mutavit propoſitum, ſed magis ac magis cum humilitate ſe ſervabat inolitum, in paupertate conſpicuum, caſtitatis floribus decoratum. Nihil terrenum, nihil carnale concupiebat, ſed cæleſtem patriam totis viribus anhelabat.

Alexandro papæ carus.

5. Cum igitur, fratres cariſſimi, beatæ memoriæ Alexander ſecundus apoſtolico fungeretur officio, ac Vapienſium eccleſia ſimoniaca reperta intronizatione cujuſdam [b] jamdudum attrita ingluvie, paſtoralis curæ careret auxilio; univerſi populi habito conſilio, clerus ſupradictæ eccleſiæ præmemorati Papæ præſentiam adiit, & ut laboranti eorum miſereri dignaretur baſilicæ, non inexauditis precibus poſtulavit. Quorum juſtis petitionibus & honeſtis ipſe volens ſatisfacere, circumſpexit animo diligenter, quem inveniret qui tali ſacerdotio fungeretur. Nec invenit in conſcientia, divina cum illo diſponente gratia, beato Arnulfo honeſtate, moribus, & ſapientia digniorem. Conſiderans igitur illud Evangelicum, quod ipſius ore

Luc. 11.

Veritatis dicitur: Nemo lucernam accendit & in abſcondito ponit, ſed

[a] Aliud eſt Romanum Oderici iter, quod in veteri notitia archivi Vindocinenſis his verbis exprimitur: *Quarta feria Septuageſima poſt Veſperas .... pergente in craſtino Romam domno abbate Oderico, anno Incarnati Domini* MLVI. Etenim Alexander nondum tunc erat pontifex, qui anno 1061. electus eſt. Forte tamen auctor Vitæ hæc quæ ſub Victore II. geſta ſunt Alexandro tribuit, quod iſte Arnulfum triennio poſtea ad Vapincenſem ſedem promoverit.

[b] Is erat Ripertus, qui poſt Feraldi epiſcopi obitum hanc eccleſiam invaſerat, ab Alexandro II. circa annum 1064. exturbatus.

ſuper

Digitized by Google

ſuper candelabrum, ut qui in domo ſunt lumen videant; Vapienſibus tradidit beatum Arnulfum. Erat enim lucerna lucens intentionis bonæ, necnon operationis lumine, qui doctrinæ & prædicationis ſui fulgeret ſermonis claritate. De hoc iterum recte dicitur: Beatus ille ſervus quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam. Suſceperunt igitur Vapienſes beatum Arnulfum epiſcopum gaudentes & laudantes Deum, cujus gratia talem meruerunt habere patronum. Ipſe vero beatus Arnulfus pondus ſuſcepit pontificii, non honoris faſtigium ambiens, non divitiarum cumulum cupiens, non ſuis carnalibus bona eccleſiæ vel præbendas præbere carnaliter intendens, non vana motus gloria: ſed ſola motus Dei gratia, Romanique pontificis obedientia; non ut præeat, ſed ut obediat: non ut dominetur, ſed ut ſerviat. Onus ſuſcepit, non honorem; non requiem, ſed laborem, juxta præceptum Apoſtoli dicentis. Qui epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat; bonum opus deſiderat non ut præſit, ſed ut proſit.

Circa Ann. Ch. MLXX. Sept. XIX. Eccleſiæ Vapicenſi præficitur. *Matth.* 24. 1. *Tim.* 3.

6. Igitur pontificali cathedra ſublimatus, cum ſuſcepiſſet dignitatem, non mutavit animi paupertatem, ſed ſimplex & humilis, miſericors, amabilis, omnibus ſtudens proficere, ſibi nihil geſtiens attribuere. Sed ſui gratiam laborat in omnibus acquirere Conditoris. Omnibus in omni ſuo judicio libram rectam dirigere ſatagit juſtitiæ, nec timet homines; ſed propter juſtitiam, multa pericula, multos laceſſentium latratus ſuſtinuit & labores. Cum vero tunc temporis cenſuræ eccleſiaſticæ ſatagerent contraire, ipſe fortis athleta lorica circumtectus juſtitiæ, non permittens pravorum pedibus jus & cenſuram Eccleſiæ conculcari, ſancti Spiritus accinctus gladio, ſuæ eruditionis clypeum, non deſes aut remiſſus viriliter iis objecit. Inter eos erat quidam malignus perſecutor, claves ſanctæ matris Eccleſiæ vilipendens, cum in eum ſæpius excommunicationis ſententiam intuliſſet, & ſanctum Epiſcopum, & ipſius ſententiam contemſiſſet, vili morbo arreptus, & ſubita morte turpiter rapitur ad extrema. Sic occulto Dei judicio factum eſt, ut quemquam ulterius non moveret præſumtio ſanctionibus, maxime beato Arnulfo pontificalis cathedræ tenente regimen, inſultare.

In Epiſcopatu vigor.

7. Ut vero divinis illuminata radiis beati ſanctitas Pontificis clarius emineret, voluit divina diſpenſatio ſervum ſuum miraculis multimodis decorare. Cum itaque quadam die ſanctus Arnulfus manus ablueret, venit ad eum quidam cæcus ſuppliciter poſtulans, ut ei ſuæ benedictionis ſubſidium largiretur; videlicet ut eo ſubveniente qui ſolvit compeditos, & cæcos illuminat, ipſius meritis viſum recipere ſe gauderet. Audita oratione cæci hominis, ſanctus ex aqua quam manibus acceperat, cum digitis infudit in oculos, & ilico cæci vigor divinitus reſpiravit. Quod videntes clerus & populus, Deo qui per ſanctum ſuum cæcum illuminaverat, gaudentes gratias retulerunt.

Miraculis claret. Cæcum illuminat.

8. Interea fuit quædam ſanctimonialis multis diffamata criminibus, uno quidem peſſimo crimine inter cetera perpetrato, ſolo Dei judicio, ſic arrepta à dæmonio fuit furibunda, ut neceſſario catenis ferreis vinciretur; quam ſanctus Arnulfus conſpiciens, fuſa oratione ſigno Crucis dæmonium expulit: & rupto ferri vinculo ſanctimonialem diſſolvit, & à Deo impetrata venia, reſtituit ſanitati.

Dæmoniacam liberat.

9. Cum ſanctus Pontifex eccleſiam conſecraret, accidit ut quidam temerarius in altum conſcenderet, qui cum inordinate ſe conſcendendo regeret; lapſu gravi corruit in terram, & ſic graviter membris totoque corpore laceratus eſt; quod beatus Arnulfus audiens, accurrit velociter, & pietate motus pro eo rogavit Dominum ut miſeri miſereretur. Et facta oratione, ille miſer fractus ilico reſtituitur ſanitati.

10. Cum vero quidam inimici Eccleſiæ, immo Dei, cenſuram eccleſiaſti-

Digitized by Google

Circa Ann. Ch. mlxx. Sept. xix.

cam deprimere ſatagerent, Deum præ oculis non habentes, ſacroſanctæ matris Eccleſiæ claves vilipenderent, Dei viro viriliter obſiſtente, accidit ut quidam temerarius filius iniquitatis, ſpiritu ſeductus dæmonico in ſanctum Patrem manus dirigeret violentas, & arrepto gladio brachium mutilavit: in cujus ſceleris teſtimonium multo poſt tempore cum ſanctum corpus erigeretur de terra, repertum eſt ſanctum brachium cum pelle & carne integrum, hærentibus pelli pilis ac ſi viveret, & in violenti percuſſoris teſtimonium, brachii mutilatione cum ſanguine purpureo ac ſi recenter fieret eminente, quod adhuc in eccleſia Vapienſi cernere volentibus oſtenſum eſt. Nocte ſequente diem, quo ſanctus Pontifex mutilatus eſt brachio, arreptus eſt morte ſubita percuſſor impius, & gehennæ dæmonibus mancipatus. Nam ſicut ait Poëta,

Semper enim Deus injuſtas ulciſcitur iras.

Et ut ſanctus vir agnoſceret quali vindicta, vel quali juſto judicio, Deus Paſtorem ulciſceretur, impium ei per viſum gehennæ incendio damnatum perpetuæ revelavit.

11. Evitatis mundanis latebris, ſuperatis carnis illecebris, effugatis errorum tenebris, hoſtis antiqui pulſis inſidiis, cum divinæ diſpenſationi placuit, ſancti Pontificis dies affuit, qua talentum ſibi traditum ab eo Deus expetiit, & ad ſe ſervum bonum & fidelem benigniter accerſivit. Reddidit igitur pater venerabilis, & ſanctus Pontifex Arnulfus gaudens & confidens, terræ corpus, & cælis animam, eam angelis ſibi ſociantibus, ubi bravium vitæ ſuſcepit immortalis. Ad ſancti corporis ipſius tumulum illuminati ſunt cæci venientes, ſurdi, claudi, muti, leproſi, & omnes infirmi gaviſi ſunt ſe reſtitui ſanitati. ater morbus ipſius meritorum ſolo medicamine radicitus eraditur & curatur, ſunt & vitæ mortui reſtaurati.

Obit.

Miracula poſt mortem.

12. Unum de miraculis iſtius ſancti Pontificis cum præponendum fuiſſet, quia nimium neceſſe fuit, ad ultimum tranſtulimus deſcribendum, eo quod à Vapienſibus, quibus fuit Pontifex & qui noverant, cetera inter deſcripta miracula nullatenus reperimus. Vindocinenſes enim de ipſius actibus conſcripſerunt; ſed tamen uſque nunc, hujus fama miraculi à nemine delata, & pium eſt credere tot & tantis meritis tantum miraculum eveniſſe. Eſt enim miraculi talis famoſa relatio. Cum beatus Arnulfus Vapienſis eccleſiæ cathedræ ſumſiſſet regimen à Romano pontifice, venit Vindocinum, ut autem erat benignus & obediens, & affluens viſceribus caritatis, quatinus ab Abbate, & benedictionem & licentiam acciperet, & fratribus ſuis dilectionis & caritatis oſculo potiretur, & ſe eorum orationibus commendaret. Cum igitur acceſſiſſet ad introitum caſtri Vindocini, vidit juxta ripam fluvii Legdi quemdam puerum nudum & defunctum, qui caſu fortuito cum in aqua laſciviendo corpus immergeret, ſubmerſus fuerat, & cunctis cernentibus mortuus apparebat. Quod videns pius vir & miſericors, motus viſceribus pietatis, & miſerens, nudo cadaveri quoddam pretioſum pallium [a] quod habebat expoſuit, & eo cadaver operuit nudum. Quo facto, tantæ caritatis operi Deus volens dilectionis ſuæ viro ſancto ſignum oſtendere, animam corpori defuncto reſtituit, & cunctis cernentibus apparuit puer vivus. Sanctus vero pallium monaſterio ſanctæ Trinitatis obtulit, & de eo cappa facta fuit. Locum autem quo factum eſt iſtud miraculum, Cappam antiquitas in ejus memoria nominavit, præſtante Domino noſtro Jeſu-Chriſto, qui cum Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

[a] Pallium iſtud inter ſacras reliquias hodieque ſervant religioſe noſtri Vindocinenſes.

Digitized by Google

DE S. OFFA ABBATISSA Beneventi in Italia.

1\. *Etsi beata Offa nomen in faſtis ſacris invenire non licuerit, eam tamen prætermittere religio fuiſſet, cum ejus ſanctitatis vadem habeamus auctorem omni exceptione majorem, Deſiderium abbatem, qui poſtea ſub Victoris III. nomine Romanam eccleſiam ſanctiſſime rexit. Hic ſub libri* 3. *Dialogorum finem beata Offa geſta, quæ à patris ſui amita didicerat, exponit his verbis.* Amita patris mei, Bella nomine, in monaſterio beati Petri apoſtoli intra Beneventanam urbem poſito, in ſanctimoniali habitu à primævo juventutis flore uſque ad ultimam ſenectutem degit. quæ cum eſſet deſponſata viro, occulte de domo parentum fugiens, ad monaſterium contendit, ibique virginitatem ſuam omnipotenti Domino dicavit; & quia terrenum in terra ſponſum habere contemſit, procul dubio meruit habere cæleſtem in cælis. Ipſa mihi ſolita erat referre de abbatiſſa ſua, quæ Offa dicebatur, quia in monte, qui ſanctæ Agathæ dicitur, prope Capuanam urbem, antequam monaſterii regimen ſuſciperet, longo tempore habitaverit, ibique vitam eremiticam duxerit. Dehinc ſuſcepto monaſterii regimine, quadam nocte ſororibus adhuc quieſcentibus oratorium ingreſſa, accepit thuribulum, ut more ſolito thura adoleret altaribus. Cum itaque thus in thuribulum mittere vellet, è manu ejus cecidit, & lampade à vento exſtincta, thus invenire non valuit. Repente vero quidam juxta illam adſtitit, & tenens manum ejus, thymiama quod in thuribulum poſuerat dedit. Tantus igitur odor ex illo incenſo thymiamate emanavit, ut per totum quod reliquum erat noctis, uſque ad horam diei tertiam, non ſolum eccleſiam, ſed etiam omne illud monaſterium mira ſuavitate repleverit. Ex qua re ſine dubio datur intelligi, quod Angelus Domini fuerit, qui illud thymiama tanti fragrantiæ odoris tribuerit.

Offæ geſta in Victore III.

Ex eremo aſſumitur in abbatiſſam.

2\. Hæc eadem religioſiſſima abbatiſſa, dum multa per tempora ſollicite virginibus præfuiſſet, verbis & exemplis ſibi commiſſas Dei famulas inſtruere non ceſſans, languore tacta corporis venit ad mortem. Cumque in extremo poſita jam prope eſſet, ut Chriſto cui ſervierat, animam reddere deberet; videntibus cunctis qui aderant, è lectulo ſe quaſi ad menſuram trium cubitorum in aëre elevans, expanſis in cælum manibus ſtetit: & facta oratione, iterum ſe in lectulo collocans ultimum ſpiritum exhalavit.

Moribundæ ecſtaſis.

3\. Sed ex hoc quantæ fuerit abſtinentiæ dignoſci poteſt, quæ dum infirma jaceret in lectulo, & à multis honeſtioribus viris ac mulieribus, viſitationis gratia ad ipſam venientibus, ut aliquantulum cibi quo infirmum corpus ſuſtentaretur, caperet, rogaretur, illa deſueta deliciis: Si aliquid, inquit, mihi de infuſis leguminibus attuleritis, forſitan aliquantulum inde potero deguſtare. O abſtinentia in femina prædicanda, quæ in infirmitate poſita, infuſis leguminibus pro ſummis etiam deliciis utebatur.

Mira abſtinentia.

4\. Quæ cum fuiſſet defuncta, & in eccleſia ſepulta; quadam die ruſticus quidam frumento onuſtus per eamdem eccleſiam tranſiens, ſupra ſepulcrum ejus, parvipendens cujus meriti eſſet, quæ ibi ſepulta jacebat, ſaccum cum frumento depoſuit, & feſſus, ut aliquantulum pauſaret, juxta conſedit. Repente igitur ſaccus divinitus de eodem ſepulcro ſublatus

Honor debitus SS. ſepulcris.

Digitized by Google

Circa Ann. Ch. MLXX.

longeque projectus, omne illud, quo plenus erat, frumentum paſſim per eamdem eccleſiam ſparſit. Ruſticus ergo vehementer conterritus ab illa die didicit, quantum Dei homines in corpore venerandi ſint, cum exſtincta illorum corpora, ac in ſepulcro poſita, ne ab aliquibus parvipendantur, divina ſibi virtus voluit demonſtrare. Alter quidam nobilis vir de eadem Beneventana urbe, neſcio qua cauſa, monaſterium adventarat, ac neſcius forte ejus ſupra ſepulcrum conſiderat; cum ſubito tantus dolor viſcerum eum invaſit, ut vociferans atque ejulans ſe eadem hora moriturum putaret. ad cujus vocem, quæ erant in monaſterio virgines protinus cucurrerunt, eique cujus eſſet ſepulcrum ſupra quod ſederat, indicaverunt. qui pro ignorantia venia poſtulata, meritis Dei famulæ cælitus meruit medicinam. *Hæc Victor, quæ etiam à beato Petro Damiani referuntur libro 8. epiſtola 5. ad Petrum ſenatorem Urbis.*

Ejus ætas, &c.

5. *Eccleſia in monte ſancta Agatha prope Capuam urbem paſſim memoratur à Leone Marſicano in Chronico Caſinenſi. quam mutato nomine, poſtea ſancti Nicolai dictam fuiſſe, hodieque montem ſancti Nicolai appellari obſervat Michaël Monachus in Sanctuario Capuano, ubi beata Offa vita epitomen habet ex hiſtoria monaſtica Petri Calzolarii Caſinenſis monachi: ſed qui nihil habet, præter ea quæ ex Victore retulimus, niſi quod beatam Offam* circa annum Domini milleſimum & ſeptuageſimum *vixiſſe ſcribat; quo fundamento, alii judicent. Certe Petrus Damiani, qui, uti diximus, miracula ad ejus ſepulcrum facta didicerat à Deſiderio abbate, anno* MLXXII. *è vita exceſſit; & Bella patris Deſiderii amita, eodem Petro Damiani teſte, nam id non habet Victor, à beata Offa* in ſanctimonialis Ordinis religione genita & nobiliter educata *fuerat. Quin & jam mortua tunc erat Bella, & quidem ætate multum provecta. nam ut ſcribit Victor,* in ſanctimoniali habitu à primævo juventutis flore uſque ad ultimam ſenectutem degit *in monaſterio,* quæ dum vixit, *teſtante Petro Damiani,* religioſæ vitæ tramitem non reliquit. *Multis hanc virtutibus enituiſſe innuit idem auctor his verbis:* Ab iſtis rudimentis ſanctæ converſationis diſtrictioris vitæ ſe lege conſtrinxit, omnemque carnalis illecebræ mollitiem ſublimis intentionis pede conculcans rigidæ ſeveritatis cenſura, longe aliter educatum corpus edomuit; adeo ut in nudo pavimento membra jejuniis ſæpius attenuata collideret. Sed, ut de vita hujus taceam, quod de magiſtra ſua Offa *&c. Monaſterium ſancti Petri, ubi vixere, ſitum eſt ad radices montis Felicis, à Theoderada Romualdi ducis uxore conſtructum, ut ſcribit Paulus Diaconus lib. 6. de Geſtis Langobardorum. Vide Lubinum in Notitia abbatiarum Italiæ. Ceterum monet Monachus, Offam altaria circuire & thurificare ſolitam fuiſſe,* non inter officia ſervandæ conſuetudinis cauſa pſallentibus monialibus in choro, ſed ob ſuam tantum devotionem, ſolam & ſecreto. *Vetus tamen eſt conſuetudo in Ordinis noſtri monaſteriis, ut* ante Matutinum omnia altaria à ſacriſta thurificentur, *ut paſſim præſcribitur in vetuſtis conſuetudinibus Floriacenſis monaſterii, quas ex antiquo codice mſ. edidit Johannes à Boſco in Bibliotheca Floriacenſi.*

Bellæ virtutes.

VITA B. PETRI DAMIANI
CARDINALIS ET EPISCOPI OSTIENSIS.

Auctore JOHANNE, ejus diſcipulo.

Ex editis Cajetani, Surii & Bollandi.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. JOHANNES, *ſequentis vitæ ſcriptor, teſtis rerum plerumque oculatus fuit; ut ex Prologo & ipſa Vita manifeſtum eſt. Et in Prologo quidem de ſe ipſe dicit, quod* tanto Patri, licet in extremis pæne temporibus, individuus comes inhæſerit. *Hunc plerique non alium eſſe exiſtimant quam Johannem Laudenſem, Petri Damiani familiarem ac diſcipulum, qui poſtmodum ad ſedem Eugubinam provectus eſt.* Dilectiſſimo Johanni Laudenſi, *cum* nuper, *id eſt recens, ſæculo nuntium remiſiſſet, Petrus inſcribit Opuſculum* XLIV. *Johannes iſte mortuus eſt anno* MCVI. *atque cælitum albo adſcriptus à Paſchale* II. *Vitam ejus Johannes Cardinalis ſcripſit, apud Ferrarium relatam. Fuit & alius* Johannes Prior Fontis-Avellanæ, *cujus mentio eſt in Petri Opuſc.* 34. *cap.* 6. *ubi etiam* Johannes de Anſo *eremita laudatur. Sed Prior ille, ante Petrum mortuus, ejus vitæ ſcriptor eſſe non potuit: nec alter ei admodum familiaris eſſe videtur. Non ab re itaque hæc ſcriptio Johanni Laudenſi, amantiſſimo ejus diſcipulo, tribuitur.* Liprando Priori, & ceteris ſenioribus Fontis-Avellanæ *nuncupata eſt hæc Vita. Henſchenius hunc conjicit eſſe Ariprandum, cui Petrus inſcribit Opuſcula duo, nempe* 145. & 146. *Verum potius fuerit* venerabilis pater Liutprandus, *cujus laus eſt in Opuſc.* 34. *cap.* 1. *Multi alii recentiores, quos mitto, ejuſdem Petri res geſtas ſcriptis commendarunt, quem alium eſſe conſtat à Petro de Honeſtis clerico Ravennenſi, qui Regulam in gratiam clericorum eodem ſæculo condidit.* Vitæ ſcriptor.

2. *Fuit Petrus Damiani præcipuum ornamentum Congregationis Fontis-Avellanæ, ubi eremitorium ſub annum Chriſti milleſimum conſtrui cœptum eſt, nempe in Umbriæ diœceſi Eugubina, ad radices montis Catriæ, ubi itidem Romualdus ſeceſſum habuit, ex Vitæ ipſius num.* 29. *Quinam hujus eremitorii primus auctor; quive Priores primi fuerint haud liquet. Lodulfus epiſcopus Eugubinus apud Ughellum tomo* 1. *Italiæ ſacræ* eremum ſanctæ Crucis de Avellana ſub Benedictina temperatione fundaſſe *memoratur. Plura de ſuæ Congregationis inſtitutis refert Petrus in Opuſculo* 15. & *in Opuſculo* 14. *agit de Ordine eremi Fontis-Avellanæ: ubi quid pro bibliotheca loci præſtiterit, in fine commemorat. Hæc Congregatio ante annos centum & viginti Camaldulenſi unita eſt, eaque in multa eremitoria diſtributa erat. Quinque ex eis conſtruxit Petrus, ex Vita numero* 19. *unum quidem in Suavicinio monte, de quo ille in Opuſculo* 15. *capite* 6. Unde fit ut in illa eremo, quam auctore Deo in latere Suavicinii montis ipſi conſtruximus, pulmentum præter unum cunctis pæne temporibus penitus ignoretur. A vino autem aliquanto tempore continuimus, ita ut neque laïci, neque extrinſecus venientes, vel etiam in Paſcha Domini, aliquid hic præter aquam biberent; neque vinum hic, niſi pro ſacrificio, haberetur. Sed quoniam & hic manentes cœperunt ægrotando deficere, & quidam ad eremiticam vitam tranſire cupientes, hujus rigoris obſervantiam videbantur penitus abhorrere; fraternæ, ſive (ut verius dicam) communi imbecillitati diſpenſatorie condeſcendentes indulſimus, ut vinum ſervato ſobrietatis moderamine biberetur. *Eremum* quæ dicitur Ocri in Saxeno territorio *Petro confirmavit Leo IX. cujus ea de re bullam edidit Cajetanus initio tom.* 3. *operum Petri Damiani, ubi etiam Alexandri II. epiſtolam exhibet ad Clerum & populum Eugubii datam, qua eos monet, eccleſiam Petri Damiani in honorem ſancti Lucæ conſecratam ſub beati Petri & apoſtolicæ ſedis tutela à ſe ſuſceptam fuiſſe.* Fontis-Avellanæ Congregatio.

3. *Hanc Fontis-Avellanæ Congregationem ſub Regula ſancti Benedicti primum militaſſe teſtis eſt præter alios ipſe Petrus, qui* ſanctum Patrem noſtrum Benedictum *ſæpius appellat, ut in* Sub Regula S. Benedicti.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXII. Febr. XXII.

Opuſc. 33. cap. 1. & in lib. 1. epiſt. 11. non ſemel. Legenda eſt lib. 6. epiſt. 32. ad ſuos Gamugnenſes, ubi de monaſterio ſancti Vincentii ad Petram-pertuſam, quod ſui erat inſtituti, agens, ait conqueſtos fuiſſe loci monachos, quod cum horis canonicis quotidie beatæ Mariæ officium decantandum eis impoſuiſſet, ratos ſufficere, quod ſanctus præcipit Benedictus, nec novæ adinventionis debere ſuperponi. *Plura id genus argumenta in eamdem rem ſuppetunt. Denique eadem erat, ut in noſtris monaſteriis, Fontis-Avellanæ eremitarum profeſſionis forma, ex Opuſculi 15. cap. 7. & ſancti Benedicti in Quadrageſima feſtivitas ſollemni ritu apud eos celebrabatur, ex cap. 6. de quo non ſolum hymnos proprios compoſuit Petrus, ſed etiam ſermonem de eodem habuit, cum in feſto ejus, tum in ipſius vigilia.*

4. *Complures fuere in Congregatione Fontis-Avellanæ viri celebres, qui diſcipuli fuerunt Petri Damiani. Ex his quinque hoc ſæculo recenſentur ab Ughello epiſcopi Eugubini. Julianus nempe, Theobaldus, Rodulfus, Maynardus & Johannes. Rodulfi vitam ab ipſo Petro editam dedimus ſupra ad annum* MLXIII. *ubi & plura habentur de Petro ejuſdem Rodulfi fratre, & monacho Fontis-Avellanæ. Johannes vero Laudenſis cognominatus, is ipſe eſt, ut ſupra diximus, qui ſcripſiſſe creditur vitam Petri Damiani. obiit anno* MCVI. *ſeptimò Idus Septembris, ſepultus eſt in eccleſia cathedrali, ubi corpus ejus ſervatur incorruptum. à Paſchali II. inter ſanctos relatus eſt ſollemni ritu. Ejus autem Vitam à Johanne Cardinali ſcriptam poſt Ferrarium & Ughellum laudant Bollandiani. Celebris eſt etiam inter Petri diſcipulos ſanctus Dominicus Loricatus, cujus Vitam ſupra dedimus ad annum* MLXII. *alios ſui inſtituti eremitas in ſuis ſcriptis memorat. Ex his fuit Petrus ſacerdos, qui poſt annos ſeptuaginta in monaſterio Nonantulenſi tranſactos, in eremum ſe recepit, ubi vitam angelicam ducebat, ex Opuſculo 33. In ſequenti laudat cap. 1. Baruntii & Juventini ſanctitatem, & capite ſequenti Leonem ex Puteolano epiſcopo factum eremitam. Plura habet de aliis in Opuſculo* LI. *quod de Vita eremitica inſcribitur.*

Petri res geſtæ.

5. *Non tantum rebus in Religione, ſed & in Eccleſia geſtis clarus fuit Petrus. Cum eſſet Fontis-Avellanæ Prior, anno* MXLIV. *ſcripſit epiſtolas duas ad Gregorium VI. quæ primum inter ejus epiſtolas obtinent locum. Aliam ſcripſit ad Clementem II. Gregorii ſucceſſorem. Damaſo II. poſt breve tempus pontificatus mortuo ſucceſſit Leo IX. cui nuncupavit Opuſculum* VII. *contra perverſos clericorum mores: in cujus Opuſculi cap. 3. Pontificem* Majeſtatis *nomine compellat. Petro Pontifex reſcribere non eſt dedignatus. Exſtat una item Petri ad Victorem II. epiſtola, æſtuante zelo plena. A Stephano IX. creatur Epiſcopus Oſtienſis & S. R. E. Cardinalis: quo Pontifice contumaci ſchiſmati Benedicti antipapæ reſtitit. Sub Nicolao II. Mediolanum mittitur, qua de re Opuſculum* 30. *Sub Alexandro II. Cadaloo pſeudo-papæ ſeſe adverſarium exhibet, variis hoc de argumento ſcriptis ventilatis. Ab Alexandro permiſſus epiſcopatu cedere, nihilo minus ab eodem legatus mittitur ad Cluniacenſes, (ad quos exſtant lib. 6. epiſtolæ 4. & 5.) tum ad Gallicanos epiſcopos, dein ad Germanos, ac demum ad urbem Florentinam contra Simoniacos. Hos vero etſi dure inſectatur, in eos tamen moderatior eſt quam Humbertus Silvæ-candidæ epiſcopus, qui eorum ordinationem eſſe irritam exiſtimavit in opere ſingulari contra Simoniacos, typis nondum vulgato. Hæc ſtrictim de geſtis Petri, quæ fuſius tractantur apud Baronium in Annalibus, & apud Bollandum in Commentario prævio Henſchenii. In his vero omnibus expertus eſt Petrus, quam infructuoſa ſoleat eſſe monachorum pro publicis ejuſmodi officiis agitatio. Unde in Opuſculi 12. cap. 30. ita monachos alloquitur.* Nolite quæſo, monachi, nolite ſub eccleſiaſticæ compaſſionis ſpecie Regum aulas irrumpere: nolite aures Principum, velut ſalutaria ſuggerendo, faſtidioſa importunitate pulſare. Credite experto: credite in hujus gratiæ ſtudiis non leviter fatigato. Imperatoriæ namque majeſtati ſæpe quæ ſuggerenda videbantur expreſſimus: à ſummis Pontificibus invitati, Synodalibus Conciliis interfuimus: ſed qui hoc tempore iſta proſequitur, tamquam ſi ſemina crederet arenoſis littoribus videatur. *Confer lib. 1. epiſt. 11. Plura de ejus operibus qui volet, conſulat Conſtantini Cajetani editionem. Præclara eſt in primis lib. 4. epiſt. 11. qua libros ſuos Theodoſii Senogallenſis & Rodulfi Eugubini cenſuræ ſubjicit.*

6. *Non vacat huc adducere veterum teſtimonia, quibus res Petri præclare geſtæ laudantur. Pleraque referuntur à Cajetano initio tomi 1. ejuſdem Petri operum, & nonnulla item initio tomi 3. Hic proferre ſufficiat unicum Alexandri II. pontificis Romani locum, ex ejus epiſtola ad Gervaſium Remenſem, alioſque quatuor Galliæ archiepiſcopos, ubi de Petro Damiani, ſuo tunc in Gallias legato, ſic loquitur:* Quoniam igitur pluribus eccleſiarum negotiis occupati ad vos ipſi venire non poſſumus, talem vobis virum deſtinare curavimus, quo nimirum poſt nos major in Romana eccleſia auctoritas non habetur, Petrum videlicet Damianum, Oſtienſem epiſcopum, qui nimirum & noſter eſt oculus, & apoſtolicæ ſedis immobile firmamentum. *Laudat eumdem Lambertus Schafnaburgenſis, quod prudentia ſua Henricum Auguſtum in publico Romani Imperii procerum conventu impedierit, ne Bertam, quam duxerat uxorem, repudiaret.*

7. *Petri mortem ad annum* MLXXII. *revocat Bertholdus Conſtantienſis Hermanni Contracti continuator his verbis.* Anno MLXXII. Petrus Damiani piæ memoriæ cardinalis-epiſcopus, jamdudum mundo crucifixus migravit ad Dominum VIII. Calendas Martii, cui dominus

Digitized by Google

Gɪʀᴏʟᴅᴜꜱ, re vera monachus, ſcientia ſcripturarum inſignis, & moribus ſuo prædeceſſori non impar ſucceſſit. *Hac ipſa die memoria ejus celebratur in Necrologio Caſinenſi, ubi* venerandæ memoriæ *titulo inſignitur. Conſentit Necrologium Cluniacenſe, & in libro officiorum præſcribitur, ut* fiat officium plenum ſicut de abbatibus Cluniacenſibus pro Petro Damiano epiſcopo, qui corpus beati patris noſtri Odilonis relevavit; & in loco in quo nunc requieſcit, mira devotione collocavit, &c. *Eadem die* XXII. *Februarii memoratur in Faſtis Benedictinis; ſequenti vero feſtum ejus celebratur apud Faventinos ob ſollemnitatem cathedræ ſancti Petri, quæ* 22. *die occurrit. Hinc Ferrarius in utroque catalogo, Jacobillus & alii paſſim die* 23. *ejus memoriam conſignarunt. qua item die Bollandiani de eo fuſius agunt. Anno* MCCCLIV. *ſacrum ejus corpus à Matthæo de Callio abbate tranſlatum fuit in arcam novam die* XIII. *Aprilis, ut ex inſcriptione diſcimus, quam Ughellus & alii poſtmodum auctores retulerunt. Anno vero* MDXII. *Gallis Faventiam obſidentibus, voverunt ejus urbis cives, ut, ſi obſidio ſolveretur, ſollemniter quotannis beati Petri Damiani & aliorum patronorum feſtivitates ſub præcepto obſervarentur. quod cum factum fuiſſet, deinceps Faventiæ horum ſanctorum memoria celebris fuit.*

Ann. Ch. MLXXII. Febr. XXII.

PROLOGUS JOHANNIS.

1. DOmino Lɪᴘʀᴀɴᴅᴏ priori, & ceteris ſenioribus eremi Fontis-Avellanæ, Jᴏʜᴀɴɴᴇꜱ. Opus mirabile, Patres, quod ſanctitati veſtræ placuit meæ injungere parvitati, quam meis ſit perarduum viribus & impar ingenio, ipſemet liquido perpendo. At quia non præſumo veſtro quidquam abnegare imperio; licet ſenſus hebetudo illuſtres tanti viri actus inerti devitet committere ſtilo, nedum ſuperiora ſibi aggreditur, lectorem magis ad nauſeam, quam ad legendum excitare videatur; confidens tamen de veſtris ſanctis orationibus, almiſque ipſius pii patris noſtri Pᴇᴛʀɪ Dᴀᴍɪᴀɴɪ meritis, ad cujus vos acta exaranda meam obedientiam provocatis, devotus aggrediar veſtris obtemperare mandatis. Ipſemet enim conſultius fore cenſueram, ea me quovis rudi ſtilo interim annotare, quo digne poſtmodum à peritioribus elucidata ſcriptoribus, ad notitiam futurorum poſſent profutura pertingere, quam imperitiæ notam nimium declinando, intacta prorſus relinquere: ne forte poſt modicum caligine oblivionis obducta, non parvo mei diſcrimine de cunctorum omnino laberentur memoria. Nam cum omnibus pateat, neminem geſtorum illuſtrium virorum conſcium abſque culpæ macula ignavo ſilentio tegere; quanto magis conſtabit, non parvo me obnoxium fore delicto, qui tanto Patri, licet in extremis pæne temporibus, individuus comes inhæſerim, ſi ejus mirabilia geſta ſilentio præterire, quam divulgare maluero? Auctor Petri comes.

2. Eorum igitur, quæ relaturus ſum, partem me ex ipſius ore ſuſcepiſſe memini, partem ex quodam condiſcipulorum meorum, qui ejus contubernio ante me familiarius inhæſere; quædam autem relatu cujuſdam ipſius propinqui, viri gravis & honeſti, quæ videlicet illius converſionem præceſſerant, audivi; cetera quidem propria præſentia ipſemet annotavi. Verum jam noſtri ſermonis articulus ad hiſtoriæ ipſius vertatur exordium. Teſtes alii.

INCIPIT VITA.

3. VIr itaque Dei Petrus [a], pronominatus Damiani, famoſiſſimæ Ravennæ urbis civis, haud ignotus, liberalibus apprime diſciplinis imbutus, cum Pythagorici apicis bivium paullulum tranſcendiſſet, lævum quem ceperat conſulte relinquens, dextrum callem prudenter arripuit: ipſoque juventutis fervore, divina afflatus gratia, ſæculari pompæ renuncians, ad perfectionem monachicam avide convolavit. Qui nimirum ho- Petri patria & educatio. [a]

[a] Natus eſt Petrus anno MVII. ſiquidem *vix plane quinquennio ante mea*, inquit, *nativitatis exortum humanis rebus exemptus eſt tertius Otto*, Opuſc. 57. cap. 5.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXII. Febr. XXII.

neſtis parentibus editus, ab ortus ipſius crepundiis, rebus perurgeri cœpit adverſis. Cum ejus nempe mater, jam filiorum pertæſa, domo videlicet heredibus referta, hunc genuiſſet extremum; unus liberorum, qui tunc jam grandiuſculus adoleverat, conqueſtus exclamat: Prô pudor! ecce jam tanti ſumus, quod in hac domo vix capimur! & quam male ſibi congruunt heredum turba, & hereditas anguſta! Ad cujus verba mater vehementius ingnata, & feminei livoris zelo ſuccenſa, complexis manibus; ſe miſeram, ſeque ulterius vivere vociferatur indignam. Ilico eum, ut ita loquar, ante pæne quam lactaret, ablactat: & quaſi numquam ipſum de cetero ſuis manibus attrectandum, infauſta quædam ſibimet imprecans, à ſe prorſus ablegat. Sic filium, antequam vivere diſcat, emancipat, & quod poſſidere ſolum poſſet, à poſſeſſione materni pectoris [a] exheredat.

Matris erga eum inhumanitas.

4. Cum igitur perexile illud plaſma, quod erat omni nutriciæ ſedulitatis officio deſtitutum, fame, ſimul & algore nigreſceret: & tenuis, non dicam vox, ſed quaſi ſibilus de pectuſculo vix adhuc palpitante raucirer, cujuſdam preſbyteri femina, quæ patrii laris erat quaſi vernacula, ſupervenit: & inhumanam matris ſuæ duritiam ſevera, in quantum licuit, invectione corripuit. Numquid, domina, inquit, hoc eſt matris Chriſtianæ, quod non probatur eſſe tigridis, vel leænæ? Illæ parentes enutriunt catulos, & nos ad imaginem Dei conditos, abjicimus è noſtris viſceribus procreatos? Et hic forte qui nunc ita projicitur, ſi ad ætatis incrementa pervenerit, locum inter ſuos non infimum obtinebit. Cavendum etiam, ne cujus mater eſſe contemnis, filicida merito judiceris. Hujuſmodi plane verbis uxor preſbyteri officio functa eſt ſacerdotis, dum & maternum ad pietatem mollivit affectum, & morientem ad vitam reſtituit filium. Mox itaque non ignava virago ulnas fluentibus induviis expedit; ſubſtrata pelle, juxta ignem puerilia membra diſtendit, & undique perungendo corpuſculum, non modicæ ſummæ ſongiam [b] profligavit. Videres itaque tenellos artus liqueſcentis arvinæ fomenta combibere, & reſumpto vitali calore rubeſcere; & ſic in eo nitorem rudis infantiæ ſubito reflorere. Ubi notandum, quia & mater ejus facta fuerat Herodias, & illa facta eſt Elias: ſicque per peccatricis mulierculæ ſtudium, & deſperatus de mortis faucibus retrahitur, & mater de filicidio liberatur. quæ nimirum jam ſeſe matrem advertens, quem velut alienum immitis exploſerat, ad piæ mox dilectionis amplexum maternorum viſcerum affectibus revocat, omnemque illi nutriciæ curæ diligentiam inſtanter exhibere non ceſſat. Puer autem hac diligentia, donec ablactatur, perfruitur: qua ſane poſt modicum utroque orbatus parente, infra pueriles adhuc annos immature privatur.

Ab aliena muliere emendata.

5. Eo igitur fraternæ curæ relicto, ô incomprehenſibile divinæ diſpenſationis arcanum! unus ipſorum, qui atrox inter ceteros honeſtis moribus præditos, ſub ovina pelle latebat, fraudulenta nunc pietate pro paterna vice educandum ſuſcepit: atque dum ſibi coheredem adoptare ſe fingit, diræ, velut emptitium, ſervituti addicit. Cui ſocia conjux hærebat, quæ nullis pietatis viſceribus ab illius ſævitia differebat. Uterque igitur ſuper innocentem puerum unanimi feritate graſſantes, torvo ac novercali eum aſpectu tractantes, duris afflictionibus pendulæ illius viribus officiebant; ſervorum nempe cibariis, & quæ magis congruerent porcis, malignaque vappa, uſu ſuſtentabant aſſiduo. Pedibus nudis, veſtibus ibat incultus: verberibus vapulabat, pugnorum ac calcium crebris ictibus ſubjacebat. Porro cum jam grandiuſculus ſub tam iniquis licet oneribus fuiſ-

Fraterna in eum ſævitia.

[a] Petrum ipſum de hac ſui abjectione in ſuis Opuſculis mentionem feciſſe ait auctor infra num. 10. ſed nihil ejuſmodi in Petri ſcriptis legimus.

[b] Id eſt curationem Unde in Gloſſis Longobardicis, *ſoniare*, *curare*. Unde etiam Gallis *ſoigner*.

ſet

ſet affectus, ad porcos paſcendos ejicitur, ceteriſque mancipiorum conditionibus indifferenter ſubjicitur. Quid in his vero conſiderandum? niſi quod idcirco hunc ſuum Dominus militem permittebat acriter affici, quo ad ſpiritalis procinctum militiæ diſceret artius informari: quatenus ejus virtus eo robuſtius ardua poſtmodum quæque perferret, quo ipſe à puero expertus hujuſmodi jam fuiſſet. Hic etiam ſuccincte notabile quoddam referre non otioſum putamus. Ann. Chr. MLXXII. Febr. XXII.

6. Quadam die dum idem præfata adhuc laboraret inedia, caſu nummum reperit, & tamquam ſubito dives effectus, gratulabundus quid eo mercari aptius poſſet, diu mente revolvere cœpit. nimirum dum ſuavibus cunctis egeret, dulcis appetitus per mollia quæque puerilem mentem trahebat: quod dum prolixius fieret, ancepſque quod eſſet eligendum ambigeret, divinitus tandem inſpiratus, ait: Quid eſt quod revolvo? quidquid horum certe aſſumam, non erit ejus diuturna voluptas. Melius ergo eſt, ut tradam presbytero, qui Deo ſacrificium offerat pro patre meo. Quid hujus pueri ſimplicitate prudentius? quid hoc egente pupillo frugalius? Et ſpretis cunctis, quæ peritura cognovit, illud ſolum elegit, quod manſurum in æternum ſperavit. Porro quid hoc fuiſſe putemus, niſi quoddam futurorum præſagium, quod appetitu videlicet æternorum, contemneret temporaliter blandientia? Pietas in patrem defunctum.

7. Ut autem ad ordinem redeamus, poſtquam Domino, qui ſuorum curam non deſerit, ex præfatis etiam calamitatibus eruere placuit ipſum, pæne conſumtum ex impiorum laniatibus miſericorditer abſtraxit, & in germani alterius ſinu, DAMIANI [a] nomine, jam mulcendum tandem, fovendumque locavit. Hic eum itaque cara ſatis dilectione complectens, tantam ipſius curæ diligentiam impendebat, ut paternum excedere videretur affectum. Quem porro, jam licet grandiuſculum, litterarum [b] apicibus tradidit imbuendum, necnon & ſtudiis ſubinde liberalibus: in quibus ſcilicet tam docilis, tamque induſtrius eſt agnitus, ut ipſis ſuis doctoribus mirabilis haberetur. Cumque diſcendi finem ex omni liberali ſcientia peritus feciſſet, mox alios erudire, clientium turba ad doctrinæ ipſius famam undique confluente, ſtudioſiſſime cœpit. Damiani fratris in eum affectus. a Petri ſtudia. b

8. Inter iſta nimirum dum favore populari efferretur, dum divitiarum copia cumularetur, jam pæne potuit horum lenocinio ſæculari pompæ ſubtrahere, aut illecebris venereis illectus implicari. Sed quoniam ex electorum numero nequit ullus prorſus minui, reſpectu ilico divino præventus, ita ſecum agere cœpit: Cur delecter præſentibus, uti caro ſuggerit, ætas expoſcit? Sed numquid his perituris debeo inhærere, & non magis iſtis renuncians, potiora providere? At ſi forte poſtmodum hoc me facturum promitto, quia non multo carius, multoque Deo acceptius modo agere ſatago, dum ætas viget, dum proſpera mulcent? Jam vero poſt hæc paullatim inchoat à mundanis ſtudiis removeri, ac divinis obſequiis accingi: &, licet exterioris cultus ſpecie adhuc videatur hærere caducis, toto tamen mentis affectu bonis aſpirat æternis. Sub mollibus itaque veſtibus cilicium induit, jejuniis, vigiliis, & orationibus ſollerter inſiſtit. Et quia, calente juventa, ſtimulis acriter urgebatur carnalibus, mediis noctibus è ſtrato conſurgens, aquis ſe fluvialibus immergebat; in quibus tamdiu nudo manebat corpore, donec algentia membra rigerent, noxio recedente calore. Exinde vero regrediens, quæque venerabilia loca pſallendo circuiens, totum ante ſynaxim complebat Pſalterium. Eleemoſynis quoque Tentatio. Mortificatio.

a Ab hoc Damiano Petrus Damiani cognomentum accepiſſe nonnullis videtur. qui Damianus Ravennas primum archipresbyter, dein monachus fuit. De eo vide Petri lib. 2. epiſt. 5. & 14. Æquivocus fuit alter ſororis filius, de quo in lib. 1. epiſt. 11. & lib. 6. epiſt. 29. Eidem monacho facto ſcriptæ ſunt lib. 6. epiſtolæ 21. & 22.

b Nempe Faventiæ primum, ex lib. 6. epiſt. 30. & poſtea Parmæ ex lib. 5. epiſt. 16. Ivo ibi ejus præceptor, lib. 6. epiſt. 17.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXII. Febr. XXII. pauperum aſſiduis inſiſtens, ac frequentibus eos conviviis paſcens; ſuis lætabatur manibus, eis, tamquam Chriſto, miniſtrare devotus.

Pœna ob neglectum pauperum. 9. Inter hæc ſane non prætereundum puto, quod ædificationi multorum profuturum non ambigo. Quadam die privatus prandebat, nec quiſquam ſecum præter ſolum cæcum quemdam præbendarium diſcumbebat, qui quotidianus conviva ex more ſibi aſſidere ſolitus erat. Accidit autem, ut tunc non amplius quam unus triticeæ ſimilaginis panis adeſſet. Hic itaque illi ſolus apponitur: quid vero dari poſſit menſæ ſodali; qui non diverſis à ſe cibis ali conſueverat, non habetur. Appoſitus eſt ergo illi cibarius panis, ſuppar videlicet, & ſecundæ conſperſionis. quod hic nempe non æquis aſpexit oculis, & graviter tulit. Paullatim vero ei pavor incidit, & intra ſemetipſum cogitare cœpit: Chriſtus, inquit, ad menſam meam inferior mihi eſt? Egone comedam velut herilem panem & delicioſum, & ille puerorum meorum pane veſcetur? Hæc, & his ſimilia cum in pectore ſuo multa verſaret, incidit cogitatio, ut panem illius ſuo, ſuumque illius pane mutaret. Quid igitur ageret? quo ſe verteret? Tolleret illius panem? ſed pudor obſtabat. Suum comederet? ſed conſcientia remordebat. Quid plura? tandem vincit caro, & mens enerviter obluctata ſuccumbit. Incipiunt igitur uterque comedere; hic ſcilicet, quaſi dominus & princeps menſæ, nitidum; ille vero, clientium vel mancipiorum more, cibarium.

10. Sed cum comederet, ſenſim pavor accidit, & horror nimius omnium viſcerum ſuorum interna concuſſit. Verebatur enim divini ſuper ſe motus evigilare ſententiam. Suſpicabatur certe repentinam juſtæ ſeveritatis imminere vindictam. quod & factum eſt. Os enim piſcis gutturi ejus peſtilenter inhæſit, quod ullis omnino conatibus trahi in interiora non potuit. Glutiebat ex induſtria cibum, non deſcendebat: ſcreabat, tantumdem erat: conabatur emittere, ſed affixa pernicies nihilo minus immobilis permanebat. Erubeſcebat tamen dicere, quod intrinſecus patiebatur: clandeſtinus eum tenebat hamus, & velut incautum piſcem, per gulam trahebat ad mortem. undique illi augmentabantur anguſtiæ, & non tam mori, quam mortis turpitudo terrebat. Malebat quippe, ut ſe tela transfigerent, quam fœdus prurientis gulæ interitus deturparet. Anhelus anxiabatur ſpiritus, & mæroris tenebræ ei circa oculos volvebantur. Quid pluribus moror? Tandem Chriſto detulit, eique ſe imparem, etſi non pane, tamen poteſtate, liquido cognovit. Buccellam ſuam pauperi feſtinus appoſuit, ejuſque ante ſe vicaria permutatione locavit. Et, ô placabilem Deum ſuper malitia noſtra! ſtatim ad primum accepti panis guſtum peſtis illa pertranſivit; & interceptum fragmentum decidens in interiora purgatur. Delicioſus itaque panis ei factus eſt plaga: groſſus vero & durus, medicina. Eſcam mutavit; & laqueum, qui eum feraliter adſtringebat, abſolvit. Depoſuit ſuperbiam, cæleſtemque perſenſit de humilitate medicinam, & ſupernæ miſerationis medelam. quam nimirum ut ſe tam mirabiliter obtinuiſſe perſenſit, in ſui liberatoris præconium hujuſcemodi mox ſermone prorupit; Benedictus omnipotens Deus, qui periclitantibus ſubvenit, & in gaudium de mærore convertit; arrogantiam calcat; ſuperbientem humiliat, atque miſericordiam largitur, quatenus & ipſe nos ad miſericordiam invitat: *Eſtote, inquit, miſericordes, ſicut & Pater veſter cæleſtis miſericors eſt.* Suæque tribulationis periculum, quod eatenus erubeſcendo celaverat, jam cunctis præ gaudio narrat. Quod vis ſiquidem doloris non valuit, lætitiæ magnitudo extorſit. Et quidem ipſemet tam hoc, quam aliud, quod de ejus abjectione recenter nati ſuperius retuli, ſuis opuſculis [a] exarando inſeruit.

a Hæc in editis Petri Opuſculis non invenimus.

Digitized by Google

11. Verum, ut ad ſuum ordinem noſter jam ſermo recurrat, hic Chriſti tiro flammam ſui pectoris ad altiora votis attollens aſſiduis, quod mente conceperat, implere vehementer optabat: ſcilicet huic ſæculo funditus renunciare, habitumque militiæ ſpiritualis aſſumere. Attamen in patriis finibus prorſus hoc agere recuſabat: ne vel affinium, vel neceſſariorum affectus, quodlibet ſibi ad perfectionem tendenti noxium pararet obſtaculum.

Ann. Chr. MLXXII. Febr. XXII. Conſilium de vita religioſa.

12. Hoc autem eo meditante, atque aſſiduis orationibus exorante, quatenus ſibi à Domino aditus panderetur ſalutis; ecce duo fratres ab eremo ſanctæ Crucis Fontis-Avellanæ, cujus fama jam ſibi plane innotuerat, illuc directi adveniunt: quos cum divino nutu obvios habuiſſet, ac peroptatam converſationem habere cum eis cœpiſſet, ſui pectoris revelavit arcanum. Illi vero gratanter audientes quod panditur, piis eum monitis in idipſum roborando ſuccendunt. Sciſcitatur ergo, an ſanctus illorum abbas, cujus fama laudabilis ad ipſius jam notitiam venerat, illum ſuſciperet, ſi ad ipſius contubernium accedere voluiſſet. Illis quidem annuentibus, atque ipſum hoc perſuadentibus, ſpondet ſe, divina opitulante gratia, quantocius ad eos venturum, ut poſſit ſuum implere deſiderium: quibus argenteum ſcyphum obtulit, rogans, quod eum ſuſcipientes, domno Abbati deferrent. Illi vero vaſis amplitudinem cernentes, pondus incuſant, viæ longioris impedimentum prætendunt; dicentes, non ſe poſſe tanta ſarcina gravari, viamque prolixi itineris impedire. Cumque in ſuſcipiendo eum precibus inſtaret; aiunt illi, Si ergo nos tantopere cogis, nec tuo vacuos munere prorſus abire permittis, præbe hujuſmodi quidquam aliud; quod nos abſque viæ diſpendio, levius pro tua devotione perferre valeamus. Quod ille audiens, vehementer admirari, ſtupere, ſecumque dicere cœpit: Qui ſunt iſti, qui dum pauperes, egenique videntur, adeo quæ ſunt mundi hujus deſpiciunt, ut in optimo vaſe ferendo, aſſumere vel minimum laborem contemnant? Nonne vere liberos, vereque dixerim eos beatos, qui tanta fortitudine ambitionis jugum ſuis è cervicibus excuſſiſſe, tantaque mentis excellentia vanam mundi pompam calcaſſe cernuntur? Unde ſuper hoc plurimum ædificatus, vehementius ad ſæcularis pompæ contemptum ſuccenditur.

Congreſſus cum duobus eremitis.

13. Abhinc igitur de ſua valde pollicitatione ſollicitus, prius cupit experiri, utrum cellulæ quem audierat laborem perferre ſufficeret. Quamdam itaque cellam ingreditur, in qua nimirum quadraginta diebus, ad illius eremiticæ ſanctionis inſtar, non ſegniter exercetur. Qua ſcilicet experientia admodum roboratus, nil jam cœpit eremiticam illam auſteritatem pertimeſcere, immo toto eam affectu inhianter appetere.

Probatio ſui.

14. Tempore itaque optato ſuſcepto, quo videlicet id apte peragere præter ſcientiam ſuorum omnium poſſet, aſſumens ex ſuis bonis, quæ voluit, clam iter arripuit. Cum ad eremum perveniſſet, deſiderium ſuæ mentis ſenioribus illis aperiens, in illorum conſortium ſe recipi devote popoſcit. Cui mox, quod ſalubriter poſtulat, gratanter permittitur; atque uni ex fratribus pro novitiorum more inſtruendus contraditur. Qui cum eum ad cellulam deduxiſſet, mox ut juſſus fuerat, lineis exutum, cilicioque indutum, ad abbatem reduxit: quem abbas cuculla ſuperindui abſque mora præcepit. Ipſe vero ſuper hoc admirans, dicebat intra ſe: Quid mihi accidit? nonne debebam prius diſciplinæ hujus experimentum capere, ac poſtmodum ad ſuſcipiendum iſtum ultronee poſcens accedere? numquid valeo tam ſubito præventus obtemperare? Cumque hoc ſecum ageret, extemplo in ſemetipſum reverſus, increpare ſe cœpit vehementer, & dicere: Numquid, ſi res poſceret, ut plecti capite pro Chriſto deberes, ita effugeres, obſtinatuſve reſiſteres? Quod factum eſt, nonne

Veſtes eremiticæ ab eo ſuſceptæ.

Propoſiti inconſtantia rejecta.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXXXII. Febr. XXIII.

paullo ante conſtanter tibi omnia perpeti promittebas? Cur tam cito enerviter ſuccumbere non formidas? At ſi forte illud judicas noxium, iſtud admittas libentius; ut quo durius toleras, eo placidius in retributione ſuſcipias. His itaque propriis invectionibus reflexus, ſenioris præcepto ilico acquievit, placiduſque gratanter obtemperavit.

Fervor & rerum abjectarum amor.

15. Aſſumto vero habitu, tanto protinus fervore ſuccenditur, ut corporea cura contempta, ſola quæ ſunt ſpiritus appeteret, carnem ſpiritui totis viribus ſervire compelleret, delicata vel ſumptuoſa cuncta reſpuens, aſpera quæque & contemptibilia requireret. Porro quod dico hoc intueri vales exemplo. Dum hic eſſet aliquando cum ſuo profecturus magiſtro, molliorem ſcapularem [a] induere, atque pulcriorem quam affectaret, equum aſcendere juſſus eſt. Rogare itaque magiſtrum ſummiſſis cœpit precibus, ne ſibi hoc dignaretur præcipere, quod ipſe nimirum, velut indecens abhorreret. Magiſter vero ejus precibus acquieſcere nolebat, ne vilipendere videretur diſcipulum, quem diligebat tamquam unicum, ſi ſic eum juxta ſuum deſiderium, ſecum permitteret incultum procedere. Diſcipulus autem longe aliter ſentiens, totumque alioſum convertens, nimium erubeſcebat ſæcularibus jam apparere nitidulus, ne ipſe, qui olim ſæculo renuntiaſſe videbatur, ſæcularem pompam adhuc carnaliter quærere putaretur. Quod tamen opprobrium multo magis ille ſubire, quam inobedientiæ notam maluit; quam videlicet incurrere vehementius expavit. Videbatur enim ſibi, prout ipſe referebat, ut quicumque illum ſic comptum equitare cernerent, digito demonſtrarent, & velut carnalem ſubſannarent; ſibique non monachi, ſed ſponſi nomen aptarent. Unde tantus rubor ejus ſuffuderat faciem, ut vix caput erigere, vix in quempiam poſſet acies oculorum dirigere. Illis autem regredientibus, cum ad cœnobium [b] ſancti Vincentii, cui vicina rupis Petra-pertuſa vocabulum indidit, perventum fuiſſet; jam Domini ſervus ulterius ferre nequit ignominioſum nitidulæ veſtis ornatum. Occaſione itaque ibidem paulliſper remorandi reperta, magiſter cœpto itinere tendit ad eremum; ille vero alium ſibi ſcapularem humiliorem ſtamine & colore acquiſitum induit; ſicque velut immani ſarcina, qua depreſſus hactenus fuerat, leviatus, quantocius poſt magiſtrum, ad proprium eſt monaſterium reverſus. Nequaquam enim eos æque poterat, qui ſqualidis utebantur veſtibus, venuſtis ipſe indutus reviſere: dum moribus ornari potius geſtirent, quam veſtibus.

Eremitarũ Fontis-Avellanæ diſciplina.

16. Ut autem ad ſuperiora redeamus, bonæ indolis Chriſti miles tantis ilico jejuniorum, vigiliarum, ceterarumque afflictionum laboribus ſe cœpit atterere, ut ii, qui diuturnis jam ſtudiis exercitati fuerant, illius mores & vitam intuentes, ſua cogerentur acta contemnere. Nam dum inolitum vitiorum funditus certaret evellere, cuncta moralium ipſius loci exercitiorum genera totis geſtiebat viribus, indefeſſo operis labore complere. Porro loci inſtitutio hujuſmodi fore dignoſcitur, quod bini, diviſis cellulis commorantes, die noctuque à ſpiritali luctamine, velut in acie conſiſtentes, brachia non remittebant. Inexpugnabilibus namque pſalmodiæ, orationis, lectionis, abſtinentiæ, obedientiæque armis accincti, adverſus aëreas poteſtates infœderabiliter dimicabant. Abſtinentiæ vero modus hic erat, ut quatuor in hebdomada diebus pane & aqua contenti, tertia & quinta feria pauxillum leguminis ſumerent, quod videlicet ſinguli in ſuis cellulis decoquebant. Jejuniorum quippe diebus nequaquam pro ſuo libito cuiquam de pane ſumere licebat; ſed id quod præfixa menſura præbebat. Porro de vini uſu [c] quid memorem? cum niſi pro ſacrificio, ſeu

[a] Item infra *ſcapularem*, paſſim *ſcapulare*, quod omnibus notum.
[b] Petrus poſtea præfuit huic monaſterio, ex lib. 6. epiſtola 32. de quo ſupra in vita S. Romualdi, num 85.
[c] Confer Obſervationes prævias num. 2.

ANN. CH. MLXXI. FEBR. XXII.

forſitan pro ægro, vinum ibidem tunc prorſus deeſſe feratur. Nudipedalia paſſim per eremum cunctis temporibus exercebant: in cellis vero nec caligas induebant. Ceteris autem ſpiritalibus exercitiis, diſciplinæ videlicet, metanœis [a]; palmatis, prolixis ulnarum extenſionibus, ſedulo, prout cuique fervor virtuſque inerant, incumbebant. Porro vigiliarum hunc morem ſervabant, ut ſigno temporis perſonante, totum poſt ſynaxim pſalterium ante lucem complerent. Petrus vero hoc commune ſignum longe vigilando præveniens, quidquid tamen noctis poſt ſynaxim reſtabat, continuatis excubiis tranſigere ſatagebat, ne communem ſcilicet videretur canonem ſolvere, qui ad injuſſa quoque ſe conabatur extendere. Noverat enim ſacratius fore quod publica lege taxatur, quam quod inſtitutione privata dependitur; & quod gratuita munera, quantumlibet grandia, minime valeant à mandato legis offerentem abſolvere, quo minus quæ lege præfixa ſunt, ſtudeat diligenter implere: cui nimirum licet quælibet pro devotione adjicere, non tamen inſtituta majorum propriis amovere. Voluntaria quippe augeri merito poſſunt, excuſare omnino quæ legis ſunt, nequeunt.

Petrus capite dolet.

17. Denique dum hujuſcemodi pernoctaret excubiis, tantam læſi cerebri paſſionem contraxit, quo vix vel modico ſomno jam refici poſſet: atque poſtquam, adhibito medicamine, de concepta paſſione divina opitulatione convaluit; ſic jam diſcrete agere didicit; quatenus & remiſſionis torporem vitare, & præcipitationis curſum prudenti moderatione cohibere ſatageret. Qui nimirum dum cellulæ ſtationem rigida cenſura ſervaret, & poſt aſſuetum pſalmodiæ, precum, atque orationum perſolutum, ſedula meditatione lectioni vacaret, tanta divinarum ſcripturarum ſcientia claruit, quanta ſæcularium antea non claruerat.

Sanatus diſcretius agit.

Pompoſiam evocatur,

18. Cum tempus igitur adveniſſet, ut lucerna domus Domini erecta ſuper candelabrum omnibus luceret; jubente magiſtro, paucis illis fratribus exhortationis verba impendere cœpit. Cumque ejus opinio jam latius effuſa crebreſceret, VVIDO [b] venerabilis abbas Pompoſianus, vir ſanctiſſimus, ſuos legatos ad hujus Abbatem dirigens poſtulavit, quatenus caritate fratrum eum ad ſuum monaſterium deſtinaret, ſecumque aliquamdiu remorari permitteret: quo, poſcentibus fratribus, verbi ſacri erogare pabulum debuiſſet; ejuſque pia petitio caritate, quam poſtulat, Deo diſponente, minime fruſtratur. Illuc enim dirigitur, ubi caterva fratrum centenarium numerum ferebatur implere. Cumque ibidem fere biennio retentus, non parvum fructum ex jacto verbi ſemine fidelis operator Domino tuliſſet, accepto Abbatis ſui mandato, ſubnexo etiam obedientiæ verbo, quatenus ad ſe redire debuiſſet, licet pluribus obſtrictus precibus, teneri ultra nequaquam valuit; ſed tamquam vir Deo plenus, obedientiæ per omnia ſubditus, magiſtrum non obaudire formidans, feſtinus ad eum redivit. Sæpe namque nobis referre ſolebat, cum ſermocinandi occaſio id videretur expoſcere, quo ſui nos exemplo, velut ex propinquo, ad obedientiam efficacius provocaret; quod ſi quid olim ſibi cum obedientiæ additamento præcipi contigiſſet, tanto ſua viſcera verbum hoc ilico terrore concuteret, ut nulla injuncti operis difficultate ab ipſius exſecutione retardari valeret. Peracto igitur cum ſuis confratribus permiſſi temporis ſpatio; iterum ejuſdem rei gratia, ob quam Pompoſiam ierat, ad ſancti Vincentii, cujus ſupra meminimus, monaſterium pergere jubetur. quod nempe quanto vel turba monachorum, vel latitudine facultatum cernebatur uberius, tanto ſe monaſticæ norma diſciplinæ fore declarabat anguſtius. Ibi quoque aliquamdiu commoratus; nequaquam ſegnis à Dominicæ vi-

Dein ad S. Vincentii.

a *Metanœæ*, genuflexiones aut proſtrationes; *palmata*, pectoris tunſiones, ut quidem mihi videtur. Vide Petri Opuſculum 14. & 15. ubi de Fontis-Avellanenſium eremitarum inſtitutis agit. Palmatæ item infra, num. 40.

b De hoc Vvidone ſuperius egimus ad annum 1046.

ANN. CH. MLXXII. FEBR. XXII.

neæ cultura quievit; donec, cooperante ſibi Domino, uberem ſui fructum famulatus impenderet.

Fontis-Avellanæ regimen ſuſcipit.

19. Magiſter vero ejus tantam ipſius prudentiam ac zelum conſiderans, lætabatur ſtrenuum ſe recepiſſe diſcipulum, cui tuto committeret ipſius eremi gubernacula. Aſſumto itaque diſcipulorum conſultu, eremi procurationem ei, licet abneganti ac renuenti, poſt ſe ſuſcipiendam mandavit. Poſt migrationem vero magiſtri, regimen loci ſuſcipiens, tam ſpirituali, quam temporali cultu haud modice dilatavit. Et quia divina gratia ad uberiorem animarum fructum ejus mentem ſuccenderat, cœpit alia loca perquirere, ubi ad ſerviendum Deo congregare monachorum copiam poſſet. In Camarinenſi itaque diœceſi [a] aptum quemdam ad eremitarum habitacula locum, juxta ſuam vicinam rupem curioſus indagator invenit: ibique congregatis fratribus, oratorio fundato, ordinatoque Priore, ſub quo famulari Deo deberent, rurſum ad locum alium inveſtigandum proceſſit. Pervenit igitur ad montem Pregium, in territorio Peruſino, ibique alia eremitarum [b] fundavit habitacula: ubi videlicet cellulam quamdam invenit, in qua beatum Romualdum quondam manſiſſe ferebant. Quo igitur in loco aliis locatis fratribus, ad alium rurſus demigrans, in Comitatu Faventino congruum reperit locum, qui nuncupatur Gamonium, ubi præparatis habitaculis, alios Deo famulaturos conſtituit. Sed & vicinum huic loco monaſterium, quod Acereta dicitur, conſtruxit. Alterum quoque in Ariminenſi territorio, in loco, qui Murcianum nominatur. Hujuſcemodi autem ſtudiis aſſiduis vacare gaudebat, non quæ ſua eſſent, ſed quæ Jeſu Chriſti requirens.

Varia cœnobia inſtituit.

20. Porro quamquam his gerendis prudens Dei ſervus inſtaret, tamen dilectum ſanctæ Crucis Fontis-Avellanæ locum, & collegium, quod ipſe præ omnibus tamquam unicum diligebat, crebro, quocumque diverteret, viſitare curabat. Nequaquam ſane illorum oblivisci poterat, cum quibus à ſuæ converſionis exordio converſatus fuerat: quoſque juſſione magiſtri ſibi commendatos eſſe recolebat. Quamquam nec ceteros, quos per diverſa loca diſcipulos aggregaverat, ſua diutius viſitatione carere patiens, modo ſui præſentia, modo epiſtolis, modo dirigendo aliquos ſpiritualium diſcipulorum ſibi hærentium, omnes paterna ſollicitudine congruis vicibus inviſeret. Hanc quippe ſollicitudinem non ſolum propriis, quos ipſe fundaverat, ſed & pluribus locis aliis tam cœnobiorum, quam canonicarum [c], tamquam communis parens cunctorum, non deſinebat impartire, prout cuique videbatur expetere. Sed his paullulum intermiſſis, jam de illis aliqua loquamur, quæ Dominus per eum feciſſe dicitur: in quorum ſane relatione, Deo opitulante, quidquam immiſcere mendacii velut ex proprio, prorſus vitare curabo: illorum traditione fideliter exſequendo, qui ſe vel ipſis interfuiſſe, vel ab his qui interfuerant, accepiſſe, ſeu etiam qui erga ſe ea, quæ memorabant, geſta fuiſſe dicebant.

Miracula patrat.

21. Quadam igitur die apud præfatum Gamonium cum in cella conſiſteret, fratri qui ei miniſtrabat, ex fonte ſibi potum afferre juſſit. qui ſtatim pergens feſtinus juſſum complevit. quod magiſtro guſtante, vinum eſſe deprehenditur. Increpare itaque diſcipulum cœpit, quod pro aqua ſibi vinum tuliſſet. Illi vero aſſerenti hauſiſſe ſe ex fonte, quod obtulerat; eumdem ſibi potum magiſter porrexit, jubens guſtando ipſum experiri, quo valeret ſe teſte fallax convinci. cui guſtanti licet vinum ſapuiſſet, quod erat; nihilominus tamen, ut bene ſibi conſcius, potum illum ex fonte ſe hauſiſſe affirmabat. Cumque illi fides nequaquam daretur; alius ad eumdem fontem frater dirigitur, cujus greſſus, ne fallere ſimili-

[a] In Piceno ſcilicet ſeu Marcha Anchonitana.

[b] Petrus in lib. 6. epiſtola 30. meminit Peruſini monaſterii ſancti Salvatoris, cui ſe præfuiſſe ait. Hujus loci fratribus inſcriptum eſt Opuſculum 44. & lib. 6. epiſtola 31.

[c] Id eſt collegiorum canonicorum, quo nomine Petrus in eodem ſignificatu utitur in Opuſc. 39. cap. 1.

Digitized by Google

ter poſſet; obſervari præcipitur. qui ergo ex eodem fonte mox pleno vaſculo hauriens, concitus rediit: potum quem hauſerat, magiſtro tradidit. Verum dum hic quoque potatur, optimam eſſe vini ſpeciem æque fere probatur. Fratres quoque, qui cum eo erant, ex eodem guſtantes, vinumque optimum comperientes, Deum præ gaudio collaudaverunt omnes. Quibus Petrus ilico proſtratus ſupplicat, immo ſub obedientia interdicit, ac mandat; quatenus ſe in carne degente, nulli prorſus mortalium quod factum noverant pandant. Quo factum eſt, quod ad noſtram notitiam id ante ipſius obitum nequaquam pervenire potuerit: ſed poſtquam illius ſepulturam Faventiæ celebraſſemus, indeque redeuntes, apud præfatum monaſterium ſuum Aceretæ prima manſione hoſpitaremur; ibidem non ſolum iſtud, ſed & alia quædam, quæ, faciente Domino, miraculo huic ſubdere curabimus, nos addiſcere contigit, referentibus eadem quibuſdam ejuſdem monaſterii fratribus, necnon & prædictæ eremi, qui tunc illo convenerant.

22. Aliquando vir Dei buttem [a] vini repoſitam apud quamdam ſuam capellam habuerat. Accidit autem, ut die quadam militum turma prope ipſam capellam pertranſiret. qui dum ſiti æſtuarent, requirunt presbyterum, ſi eis vinum præbere poſſet. Quibus ille reſpondit, nil prorſus vini eo loci haberi, præter unam tinam domini Petri, quam ipſe contingere non auderet. Quo audito, is qui ceteris præerat, quique (ut aïunt) eumdem virum Dei ſubexoſum habebat, reſpondit, dicens: Utique ſi domini Petri eſt, ex ipſo ego libentius bibo. moxque ſibi famulantibus juſſit, quatenus ex vino illo ſibi ac ſociis propinare curarent. qui nempe conciti alacriter; ut genus illud hominum ſolet, ad hujuſmodi obſequium currunt, ſed evulſo terello [b], nil prorſus vini ſuſcipiunt. Vertuntur ad alium, tantumdem reperiunt. tum cuncta foramina pandunt, &, ô prodigium! dolii aditus patent; & liquor interius, ac ſi quid ſolidum, nihilominus latet. Superius itaque ſpiramen pandentes, & ſi quid intus meri contineatur, curioſe rimantes, dimidio tantum palmo vas ſemum invenerunt. Stupentes erga hujuſcemodi eventum, arbitrantes tamen adhuc, ne quid forte obſtaculi lateret intus, quo liquoris impediretur egreſſus, ingerunt ſingulas aditibus patentibus virgas: quibus deductis, eas quidem madere conſpiciunt, vinum tamen introrſum nihilominus hæret incluſum. Illa nimirum virtus, quæ Iſraëlitico quondam populo Rubri maris profunda calcanti, aquarum fluenta, murorum ad inſtar, dextra lævaque ſuſpenderat, liquori hujuſmodi fluxum conſtrinxerat: & qui hoſtiles tunc adverſariorum acies, ne greſſus piorum impediri poſſent, aquis potenter immerſit, ipſe nunc iſtorum proterviæ, ne ſuo nocerent famulo, mirabiliter obſtitit. Nam ut illorum rabida fames, interempto Dei populo, manubiorum præda ſatiari nequivit: ſic iſtorum veſanæ ſitis rapina ejus famuli reſtingui minime valuit. Dum ſuos itaque veſanos conatus ſuperna virtute deluſos fruſtratoſque perpendunt, divinæ cedentes virtuti, confuſi arenteſque diſcedunt.

23. His autem profectis, viator quidam adveniens, eidem flagitabat presbytero, ut ſibi quantolibet vini dignaretur poculo ſubvenire. cui ſacerdos eadem, quæ prioribus, verba reſpondit. Cumque viator precibus inſtaret, quatenus ex eodem, caritatis ſibi gratia, ſubveniret; ſacerdos, quæ militibus illis contigerant, ei ſeriatim enarrare curavit, ne ultra ſibi importunus inſiſtere debuiſſet. Ille tamen à ſua petitione minime deſiſtens, aïebat, ſe jam magis ex ejus ſperare beneficio, quod rapinæ arrogantium ita abſtractum fuerat, dum ipſe ſibi bene notus jam dudum fuiſ-

a *Buttis*, dolium num. 23. quod infra *tinna*, Italis *botte*.
b Id eſt obturaculo. & infra *ſemum* pro vacuo.

ANN. CH. MLXXII. FEBR. XXII.

ſet, ſuumque frequenter exhibuiſſet. Jam igitur presbyter tanta poſtulatus inſtantia, fideque mollitus, licet timide acceſſit ad dolium; & quoniam, ut ſcriptum eſt, ſuperbis Deus reſiſtit, humilibus dat gratiam; liquoris fluxus facilis mox attactu eſt haurientis manum ſecutus. Itaque mitis obtinuit inermis, quod armatis fuerat negatum ſuperbis.

24. Dum quadam die adveſperaſcente, idem Pater feſſus cum eodem, qui hoc mihi retulit, fratre à ſilva rediiſſet, ſola panis quadra cum crudis oleribus cœnanti apponitur: quem ille totum ſocio largiens, ſolis oleribus veſcens, hortabatur convivam, quod patienter illam ferret pauperem cœnam, ditiorem habiturus in craſtino menſam. Factumque eſt. Sequenti etenim die tanta eſt allata ciborum copia, quæ cunctis illic degentibus in plures dies ſufficere poterat.

25. Vir quidam magnus, admodum viro Dei devotus, onuſta piſcium exenia in præcipuis ei ſollemnitatibus legare conſueverat. Accidit autem, ut aliquando Domini propinquante Natale, nequaquam hujuſmodi potuiſſet piſces invenire, quos digne ei poſſet juxta morem dirigere. Cumque ſuper hoc non modica angeretur moleſtia, tandem in ipſa ſacra Dominicæ Nativitatis nocte grandis ei piſcis advehitur. Exhilaratus ergo, & plurimum gaviſus præcepit, ut Dei viro ilico deferretur. Porro nox tetris denſata tenebris, nullum ſtellarum lumen radiabat, via quoque nimis laborioſa & difficilis erat, quam lutoſæ nivis ſalebra omnino conſperſerat: piſcis tamen portitor nulla difficultate, die lucem præſtolari permittitur. Eo itaque cœpti itineris viam carpente, ad obſcuram quamdam ripam, profundamque pervenit: cujus extrema dum nimium, velut ignarus, perſequeretur, lapſis repente veſtigiis, in ima præcipitatur: & cum tantus fuerit caſus, ut ſolvi potuiſſent totius corporis nexus, meritis tamen viri Dei, virtute divina, totus ſervatur illæſus. Incolumis ergo & validus, onus excuſſum cervicibus lætus reſumpſit, ſicque ad Dei hominem hilariter properavit: domini ſui munus obtulit, quodque ex mortis faucibus ipſius fuiſſet meritis ereptus, gratias egit. Cui ille: Noli, inquit, fili, noli homini deputare peccatori, quod Deus tibi dignatus eſt ſola ſui miſeratione largiri. Ei tantum ex collatæ ſalutis munere gratias age, qui numquam ſibi famulantibus in tribulatione deeſt.

26. Hic unum ex diſcipulis ad quemdam aliquando direxit Abbatem, quem dum in monaſterio frater ille minime reperiſſet, eum, quo diverteret, ſollicitus requiſivit. quod cum egiſſet, regreſſus ipſius mora adeo protelata eſt, ut die qua exſpectabatur, nequaquam redire potuiſſet. Cumque ob id de correptione cœpiſſet trepidare, ſuſcepto ſocio, iter ſuum arripuit ſub ſilentis noctis obſcuro: ac dum ſimul paullulum proceſſiſſent, ejus conviator paullatim ſe ſubtrahens, furtim abſceſſit. Quo facto, monachus ille viæ quam cœperat prorſus ignorans, cœpit vehementer triſtari; cum nec ulterius progredi, nec regredi qua venerat noſſet. In arto itaque ſitus, hoc à Domino ſupplicans poſtulavit, quatenus iter ſuum meritis illius dirigeret, cui ſatagebat obedientiam exhibere. Cumque oratione facta abire cœpiſſet, quoddam bivium reperit: ubi dum paullulum hæſiſſet, ambigens, cujus tramitem terendum aſſumeret; unum tandem elegit, quem aptiorem ſibi fore putavit: in quem dum conaretur jumentum dirigere, non conſenſit; ſed alterum capiens, obſtinate pergere cœpit. Seſſor vero toto anniſu calcibus atque verberibus inſtabat ad ſuum votum ipſum reducere: illuc nihilominus tendebat, quo cœperat pergere. Cum autem hac colluctatione diutius certatum fuiſſet, nec tamen rector jumentum ſibi ad obtemperandum ullo modo revocare potuiſſet, jam demum ſuſpicatus, ne forte brutum illud animal ita ſibi contra morem divino inſtinctu reſiſteret; totas illi laxavit habenas, quatenus jam liberum

pergeret,

Digitized by Google

pergeret, quo ipſum Deus dirigere vellet. Mane itaque facto, jam luceſcente diluculo, erectis oculis quæque nota conſpexit, ſeſeque divino munere rectiſſimo tramite directum fuiſſe agnovit. Ergo ſuas preces magiſtri meritis exauditas eſſe cognoſcens, Deo gratulabundus gratias egit, necnon & ſuo magiſtro, quem adeo dignum Deo fore perſpexit. Ann. Ch. MLXXII. Febr. XXII.

27. Alio quoque tempore, quemdam nuntium cuidam deſtinabat Epiſcopo: qui dum aquæ rivulum in via reperiſſet, eum quidem facile tranſvadavit, ſed mox in ejus egreſſu; tanto ipſius equus infigitur luto, ut nullo conamine ex eo potuiſſet exſurgere. Eques vero ita ſe impeditum conſiderans, & quid ageret prorſus ignorans, deprecatus eſt Dominum, quatenus ſibi dignaretur illius meritis ſubvenire, cujus ſe noverat obedientiam gerere. qua ſupplicatione ad Dominum fuſa, confeſtim equus proſiliens concitus in aridam exivit, correptoque ſpatio, agilis ad urbem pervenit. Cum autem ad epiſcopum, cui miſſus fuerat, perveniſſet, nequaquam Epiſcopum quem quærebat, invenit: reperto tamen quodam ejuſdem patruele, honeſte ab eo ſuſceptus eſt. qui plane pro tanti viri reverentia, cum omni domus ipſius familia ei officioſiſſime deſervivit. In hoc uno tamen non modico erga eum deliquit, quod dum iſtum ſtratum locaſſet, cunctis recedentibus, ſolum in ſpatioſa illa manſione cubantem dimiſit. Quod nimirum dum ille perſenſit, tantus eum horror invaſit, ut vix quantumlibet ſoporis illa nocte potuiſſet admittere.

28. Verumtamen nec juvenis ille impunis evaſit, qui ejuſmodi erga eum negligentiam duxit. Eadem quippe nocte, dum ille ſomno reſolutus in ſtrato ſuo jaceret; vir Dei Petrus in eum violenter inſiliit, dureque virgis validis intentatis exterruit, eo quod legatum ſuum tam immaniter ſua negligentia contriſtavit. qua vero viſione completa, ilico expergiſcens, cœpit diurnam lucem præſtolari ſollicitus, quod ſuum hoſpitem reviſere & alloqui poſſet. Primo itaque luceſcente diluculo ad illum properans, diligenter eum inquiſivit, quid negligentiæ, quidve delicti circa ejus fuerat commiſſum obſequium, quod in ſe domnus Petrus tam ſe terribilem invexerat, tantiſque ſe minis, ac probris objurgaverat atque terruerat. Cui protinus ille: Tantum, inquit, hac nocte, cunctis vobis recedentibus, ſolum me relictum fuiſſe expavi, ut cum gravi moleſtia inſomnem pæne totam protraxerim noctem. Quibus viciſſim revelatis, admirati viri Dei potentiam, glorificaverunt Deum, qui tantis prodigiis ſe mirabilem in ſanctis & ſervis ſuis oſtendit. cujus videlicet ſigni is qui miſſus fuerat, ita eſt admiratione compunctus, ut ad virum Dei reverſus, confeſtim ſe illi commiſerit, promittens ſe jam ſæculo abrenunciaturum, & regularem habitum ex ipſius benedictione ad famulandum Deo aſſumpturum. Quod quidem ipſe poſt modicum implevit, idemque hoc nobis, ut digeſſimus, ex ordine totum enarravit.

29. Cum tantæ igitur ipſius ſanctitatis ac prudentiæ jam latere fama non poſſet, ad aures ſanctæ Romanæ Eccleſiæ clara defertur: & quoniam vir tantus ſacerdotio cenſetur idoneus, atque negotiis eccleſiaſticis quam maxime neceſſarius, perductus ad ſummum pontificem, tunc Stephanum videlicet nonum, ad ſuſcipiendum epiſcopalem cathedram, tam ab epiſcopis ceteris, eccleſiaſticis viris, quam ab ipſo quoque ſummo pontifice compellitur. Ipſe vero non immemor ſolitariæ quietis, in qua divinæ lectioni ac contemplationi ſuaviter vacare conſueverat, eam amittere, civilemque ſtrepitum repetere nimium perhorreſcens, ſummo & omni conamine eorum compellationibus reſiſtebat. Qui porro cernentes nil ſuis prorſus cohortationibus, nil precibus proficere, jam ei cœperunt excommunicationis ſententiam, ſi obſtinate reſiſtere ultra decerneret, intentare. Quid plura? Dominus tandem Apoſtolicus unum ſuper addere ſtuduit, Epiſcopus Oſtienſis creatur invitus.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXII. Febr. XXII. quod ab eo contemni prorſus nequivit. Sub obedientiæ namque ſibi præcepit imperio, ut obtemperans fratribus, placide quod jubebatur aſſumeret: moxque ipſius arripiens dextram, annulo ſimul dotavit & virga: quibus videlicet arrhis Oſtienſem ſibi copulavit eccleſiam. Epiſcopatu vero hoc ordine aſſumto, illud ilico in ſe agnovit impletum, quod per viſionem ſibi fuerat ante triennium revelatum. Porro viſio talis fuerat. Putabat ſibi ſponſam clariſſimam fore dotatam, quam non contingere, nec æquo ſaltem intuitu valebat inſpicere: cui tamen nullatenus renunciare audebat, tamquam ſibi jure conjunctæ. quod huic plane negotio prorſus concinuiſſe perſpeximus. Agnovimus enim ipſum ſuper hoc multoties conqueſtum fuiſſe, injunctæ tamen obedientiæ ſarcinam quamlibet onerosam, à ſuis umquam cervicibus excutere minime præſumpſiſſe.

Ut ſe gerit. 30. Cum ſe igitur perpendiſſet iſtiuſmodi jugi nexibus taliter mancipatum, nec jam ſibi licere ſolitæ contemplationi libere deſervire, arbitratus eſt præteritorum diſpendia lucris fore ſequentium compenſanda; quo Rachelis venuſtati Liæ poſſet fœcunditas comparari. Ut fidelis igitur ſervus ac prudens, Dominicæ ſe familiæ procuratorem conſtitutum cognoſcens, cœpit ſollerter procurare, quatenus ſuſceptum miniſterium taliter ſibi commiſſum impenderet, ut adventum Dominicum poſſet intrepidus exſpectare; tamque plenam & perfectam annonæ menſuram ſuis exhiberet conſervis, quo veniente Domino mereretur audire: Euge ſerve bone, intra in gaudium Domini tui. Nec hoc tamen ſibi ſufficere judicans, ſi erga unius tantum eccleſiæ [a] plebem, cui videlicet præerat, adminiſtrationis ſuæ curam prætenderet, dum ſe cunctis ſciret obnoxium conſervis, in una ſecum familia conſcriptis, ſe ſollicitum exhibebat; omneſque lucrari Deo cupiens, tamquam ſagax rimator piſcoſi gurgitis, ſollerter inveſtigabat, ſicubi pro qualibet ſollemnitate populi multitudo conflueret, quatenus divini verbi lineam ſubmittens, plures capere, & quaſi de mundani æquoris profundo ad ſuperni amoris alta ſuſtollere poſſet. Hujuſcemodi namque lucri gratia, longe diurnam lucem multoties eum prævenire conſpeximus, ſi talis conventus longiuſcule fieret, ne competens ſermocinandi ſibi hora tranſiret. Sæpenumero quoque illum novimus acribus febribus nocte confectum, mox orto ſole ingreſſum eccleſiam, Miſſarum inchoaſſe ſollemnia; & uſque ſextam fere horam, edita voce, in aure totius plebis protrahendo ſermonem, non parvum nobis ex ſe præbuiſſe miraculum, cum & robuſtiorem viribus, & clariorem eloquio cerneremus, quem jam pæne defecturum ſuſpicabamur. Quo plane daretur intelligi, non alium ipſius ore concionari, quam illum, qui diſcipulos ſuos docens, aïebat: *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Cujus videlicet eloquia, velut è largiſſima fontis vena redundantia, ſingulorum capacitati congrua propinabat. quæ nimirum, etſi aliquando fierent prolixiora, nulli tamen eſſe poterant onerosa. Quæ nempe onerofitas in illius eſſe poſſet ſermonibus, quibus erectis auribus, tamquam divinis affectibus, ab omnibus intendebatur? aut infructuoſa ejus eſſe poterant verba, cui ſancti cooperabatur Spiritus gratia? minime.

S. Crucis & B. Mariæ cultum promovet. 31. Hinc namque eſt, quod dies Crucis [b] ab innumeris fidelibus hac tota provincia ob reverentiam Dominicæ paſſionis in abſtinentia celebratur, quam videlicet obſervantiam idem paſſim omnibus prædicans, hortabatur. Hinc nihilominus conſtat, quod omnium horarum officia [c] in honore almæ Dei Genitricis in pluribus eccleſiis inſtantia, maxima geſtum parte dignoſ-

[a] Eugubinæ etiam viſitatio ei commiſſa eſt, uti ipſe teſtatur in Opuſculi 10. cap. 1.

[b] Id eſt feria ſexta, cujus jejunium Petrus magnopere commendavit, infra num. 43.

[c] Officium beatiſſimæ Virginis quotidie *cum aliis Horis canonicis* recitandi mos ſæculo XI. inolevit. Vide Petrum Damiani in lib. 6. epiſt. 32. & Opuſculo 10.

Digitized by Google

citur. quod matricum eccleſiarum clerum per Romanam provinciam undique ſibi contiguam congregatum inſpicimus, eoſque nonnulla canonici ritus veſtigia, Deo favente, imitari applaudimus: qui relictis olim cunctis canonicis inſtitutis, & à communis vitæ ordine prorſus receſſerant, & in ſingulis laribus una cum mulierculis ſæculariter degebant.

Simoniacos exagitat.

32. In ſimoniaca quoque labe & hæreſi, ac Nicolaïtarum, evellendis non minimum laboravit: quæ videlicet peſtes tam pernicioſa conſuetudine prævaluerant, tamque impune totam ferme Eccleſiam in omni Romano orbe fœdaverant, ut vix jam reprehenſorem, tamquam licitæ, formidarent. Quas, ô Domine, ô bone Jeſu, jam nos per hunc tuum egregium bellatorem, ceteroſque paucos ſibi adhærentes, eliminatas eſſe, te cooperante, gaudemus, proſtratiſque hilares inſultamus. Ob quas nimirum ex Ambroſiana [a] quoque eccleſia propulſandas, quanto ſe diſcrimini immerſerit, nequaquam ſilentio prætereundum putamus. Denique, ut idem in quodam ſuo libro, quem ipſe ſuper hoc ſpeciali negotio edidit, cui vocabulum, Actus Mediolani [b], juxta ſui proprietatem indidit, luculenter expreſſit. Propter has geminas hæreſes, ſimoniacam ſcilicet & Nicolaïtarum, inter præfatæ eccleſiæ populum & clerum non parva fuerat oborta ſeditio. Quoniam quidem hæc gemina peſtis exſecrabilis ita apud illos inoleverat, tantamque libertatem aſſumpſerat, ut ad fœditatis ſuæ nequitiam peragendam, nequaquam jam latibulum quæreret, ſed velut licita, honeſtaque negotia, publice exerceret. Nam ſi quis ad quemlibet eccleſiaſticum erat ordinem promovendus, nullatenus abſque venalitatis commercio ad conſecrantis, immo contaminantis manus valebat accedere. Alterius vero fœditas eatenus ſe impudenter effuderat, ut nuptiæ preſbyterorum nil diſcrepare viderentur ab ambitione ſæcularium. Unde divino inſtinctu tactus zelus fidelium laïcorum adverſus deteſtabiles iſtas labes, pio contigit fervore ſuccendi, ut pro tantis ſceleribus diluendis apoſtolicæ ſedis ſuffragium requiſiſſent.

Mediolanum legatus ad hanc labem reprimendam.

33. Ad quod itaque peragendum ſummus Pontifex Nicolaus ſecundus hunc, quem tam ſapientiæ, quam ſanctitatis auctoritate præditum noverat, deſtinare curavit. Qui cum profectus fuiſſet, condignaque ſibi, atque apoſtolicæ ſedi prorſus veneratione ſuſceptus, cauſam ſui apocryſariatus, totius eccleſiæ auribus intimavit. Quo factum eſt, ut mox poſt diem alterum factione clericorum, repente in populo murmur exoriretur, non debere Ambroſianam eccleſiam Romanis legibus ſubjacere: nullumque judicandi vel diſponendi jus Romano pontifici in illa ſede competere. Nimis indignum, inquiunt, ut quæ ſub progenitoribus noſtris ſemper exſtitit libera, ad noſtræ confuſionis opprobrium nunc alteri ſit, quod abſit, eccleſiæ ſubjecta. Poſtremo tumultuantium clamor attollitur, ad epiſcopale palatium undique convenitur; deinde tintinnabula perſtrepunt, tubarum clangoribus tota civitas intonat. Intentabant, ut ita loquar, ei omnia mortem: & ſibi à quibuſdam ſuis dilectoribus, & compatiendo mærentibus ſuggerebatur, quod nonnulli ejus ſitiebant cruorem.

34. Congregato itaque in eccleſia clero & populo, aſcendit pulpitum. quo vix tandem ſedato, his verbis exorſus eſt. Noverit caritas veſtra, dilectiſſimi, non me pro Romanæ huc eccleſiæ honore veniſſe, ſed veſtram prorſus gloriam quærere; ac vobis ſalutem & gratiam, quæ eſt in Chriſto Jeſu, cum ejus auxilio, ſi permittitis, procurare. Quo enim pacto honore indiget parvuli hominis, quæ laudum præconia ex ipſius ore ſortita eſt Sal-

[a] Id eſt Mediolanenſem, non illam, quæ ſingulari hoc nomine baſilica Ambroſiana appellatur. Hinc Ambroſiana parochia infra num. 35.

[b] Hoc eſt Petri Opuſculum 5. in quo tota hæc hiſtoria commemoratur. De ſimoniacis eſt Opuſculum ſequens. De cælibatu ſacerdotum Opuſculum 17. ad Nicolaum II. Opuſc. 18. contra clericos intemperantes.

ANN. CH. MLXXII. FEB. XXII.

„ vatoris? Quæ autem provincia per omnia regna terrarum ab ejus ditione „ extranea reperitur, cujus arbitrio ipſum quoque cælum & ligatur, & ſolvitur? Ceteras quippe eccleſias cujuſcumque dignitatis, ſive Rex, ſive „ cujuſlibet conditionis homo purus inſtituit, & prout voluntas erat aut facultas, ſpecialium prærogativarum eis jura præfixit: Romanam autem eccleſiam ſolus ille fundavit, & ſuper petram fidei mox naſcentis erexit, qui „ beato cæli clavigero Petro terreni ſimul & cæleſtis imperii jura commiſit. „ Illius ergo privilegio fungitur, illius auctoritate fulcitur. Unde non dubium, quod quiſquis cuilibet eccleſiæ jus ſuum detrahit, injuſtitiam facit: „ qui autem Romanæ eccleſiæ privilegium, ab ipſo ſummo eccleſiarum omnium capite traditum, auferre conatur; hic profecto in hæreſim labitur. „ Fidem quippe violat, qui adverſus illam agit, quæ mater eſt Fidei: & illi „ contumax invenitur, qui eam cunctis eccleſiis prætuliſſe cognoſcitur. His itaque aliiſque quampluribus rationibus de prærogativa & primatu ſedis apoſtolicæ redditis, populus omnino benevolus redditur, ſeſeque exſecuturum quidquid injungere placuiſſet, unanimiter pollicetur.

35. Quid multis immoror? adeſt clericorum perplurimus ille conventus, qui ex omni Ambroſiana parochia, quaſi ad ſynodum, fuerat convocatus. Communiter ergo & ſingillatim quiſque perquiritur, & vix è tanto numero quiſpiam promotus ad Ordines ſine pretio * reperitur. Hic itaque quot curis afflictus, quot ſit cogitationum ſtimulis tædiatus, quis explicet? Tam latæ ſiquidem diœceſis, tam nobilis urbis omnes eccleſias, ut verbis utar ipſius, ſacris myſteriis quodammodo profanare Chriſtianæ videbatur religionis everſio. Sed & litigioſum erat indulgere paucis, cum fere omnium eſſet culpa communis; nec legitimum videbatur diverſam in eos prodire ſententiam, cum eſſet una omnibus cauſa. Hoc etiam ſuas augmentabat anguſtias, quia niſi qualemcumque deciſionis calculum cauſa iſta ſuſciperet, niſi cum magna hominum ſtrage furentis populi ſe jurgia non ſedarent. In arto itaque poſitus, quia non poterat mala illius eccleſiæ mera canonum auctoritate corrigere, ſtuduit ſaltem perverſis ejus uſibus finem imponere, ac gratuitæ promotionis ordinem futuris temporibus providere. Exegit itaque non ſolum ab archiepiſcopo, verum etiam à cunctis ejus officialibus, ad quos pertinere videbatur, inviolabilem ſponſionem per monimenta litterarum, per ſacratæ manus attactum, poſtremo per Evangelicum ſacramentum, de ſimoniaca labe & Nicolaïtarum hæreſi extunc & deinceps delenda, funditusque pro ſuis viribus fideliter exſtirpanda.

Ut rem componit.

36. His vero ita geſtis, plurimorum ſanctorum Patrum canonum auctoritas exquiritur: quibus conſideratis, neceſſariæ diſcretionis moderamine viſum eſt, ut omnes illi clerici, accepta pœnitentia, inter Miſſarum ſollemnia reconciliarentur, ornamenta de manu epiſcopi, ex auctoritate Toletani Concilii, recipientes. Eis itaque taliter reconciliatis, decretum eſt, ut non mox paſſim omnibus redderetur officium: ſed his dumtaxat, qui eſſent & litteris eruditi & caſti, & morum gravitate honeſti viderentur: ceteris autem ſufficeret, quod ſanctæ Eccleſiæ per divinam gratiam eſſent rurſus inſerti, à qua eatenus fuerant divinæ ſcientiæ falce præciſi. Illi autem epiſcopi, quibus adminiſtrandi licentia redditur, non ex male mercata veteri ordinatione ad amiſſum reparantur officium; ſed illa potius beati Apoſtolorum principis efficaciſſima auctoritate, qua in beatum Apollinarem „ repente uſus eſt, dicens: Surge, accipe Spiritum-ſanctum, ſimulque pontificatum.

37. Hæc autem ſuccincte perſtringere curavi, ut cetera ipſius geſta ho-

* Quam alienus à muneribus ſuſcipiendis fuerit ipſe Petrus, argumento eſt quod de ſe ipſe refert in Opuſc. 53. cap. 4. occaſione vaſculi argentei, quod in hac legatione acceperat ab Abbate ſancti Simpliciani. Conſer. lib. 1. epiſt. 7.

Digitized by Google

rum inſpectione poſſint adverti. Quo denique modo ego illius acta queam ſingillatim exprimere, qui numquam in ſancta Eccleſia deſiſtebat, quidquid pravum, quidquid inſolens emergebat, evertere; quidquid vero pium, ac religioſum advertebatur, ad Chriſti gloriam inſtituere? In quibus ſane operandis non parva eum facultas divinitus comitabatur, cum ipſius auctoritatis cenſura penderet, quid in ea admittendum, quidve agendum canonicis ſanctionibus foret. Huic quidem aſſertioni tota Romanæ urbis atteſtatur eccleſia, quæ quondam doctrinæ illius ſplendore illuſtrata, ejuſque auctoritate ſubnixa, ipſius abſceſſu & ab exhortationis verbo ſe pæne obmutuiſſe, & irrecompenſabilis auctoritatis munimine caruiſſe deplorat. Illius nempe auctoritas omnes confutabat errores, vacillanteſque confirmans, ambigua ſtabiliebat: litigantium ora refrenans, ſuperborum colla premebat, menteſque humilium animans, roborabat.

ANN. CH. MLXXII. FEBR. XXII.

38. Circa miſericordiæ quoque opera qualis quantuſque fuerit, quis digne loquatur? Quis ſane in eleemoſynarum [a] ſtudio propenſior? quis in abluendis pauperum pedibus devotior? Quis in veſtiendis nudis, in reficiendis egenis, in viſitandis ægrotis promptior illo potuit eſſe umquam? Ab iſtiuſmodi namque operibus nulla pæne illi dies vacabat, ubicumque hoc fieri temporis aut loci congruentia permittebat: & dum iſta ubivis locorum agere non deſiſteret, quid putandum, cum apud epiſcopium maneret? Ibi ſiquidem turba pauperum epiſcopalia limina quotidie frequentante, alii dapibus appoſitis reficiebantur, alii accepta ſtipe revertebantur: ex quibus aſſumtis duodecim eorum aſſidue pedes lavabat. Præterea in ſuis conviviolis, quæ ſemper ex more cum hoſpitibus communicabat, ſi qui egeni circumquaque per regionem in lectulis decumbebant, oblivisci ab eo minime poterant: dum quemlibet ſuorum, quem timere Deum artius ſciret, ad horum miniſterium ſpecialiter deputatum ſemper haberet. Hujuſmodi quippe ſtudiis aſſidua exercitatione perſiſtens, talibus gratulabatur latioribus facultates Eccleſiæ theſauris infercire cæleſtibus, quas ſcilicet in propriis ſummopere devitabat aſſumere ſumptibus. Aïebat enim ſe Dominicarum rerum conſtitutum fore miniſtrum, non dominum; diſpenſatorem, non poſſeſſorem.

Caritate plenus.

39. Ut autem ſuorum quoque clientium ad hæc fideliter exercenda devotas mentes accenderet, hujuſcemodi eos ſermonibus ſatagebat commonere frequenter: Noveritis, filii, omnia iſta ſacra eſſe, & peccatorum pretia. Unde ſummopere cavendum, ne quid horum, avaritia, ſeu qualibet negligentiæ incuria Chriſti pauperibus ſubtrahatur, quibus noſtra reſidua omnia illibata debentur. Cum nobis itaque ſuppetant, quibus egeni & miſeri valeant refoveri, diligenter exquirite, pie conſiderate, qui vicinis in regionibus ægrotent; qui vel eſuriei, vel penuriæ cujuſlibet angore laborent: quatenus hujuſmodi pie compatiendo, neceſſaria miniſtrantes, æternæ mercedis fructum nobis, vobiſque communem in cæleſtibus acquiratis. Quoniam quidem ſi modo in ſeminando fideles nobis cooperatores exſtiteritis, de communi procuIdubio nobiſcum fructu beata in retributione gaudebitis. Hujuſcemodi quippe monitis pius Pater ſuos contubernales ad miſericordiæ opera inſtigabat. Hinc ſane penſandum eſt, qualis in exhibendis confratrum neceſſariis fuiſſe credatur, qui tantæ benignitatis [b] erga univerſos exſtitiſſe dignoſcitur. Verum quid de cohærentibus ſibi memorem? quandoquidem erga cunctos Dei famulos, in ſacræ militiæ propoſito conſtitutos, eo dilectionis vinciebatur affectu, quo eorum amplius, quam proprio gratulabatur ſolatio.

40. Porro dum ab exterioribus iſtis, licet ſanctis & Deo gratis, ad dul-

a Exſtat hoc de argumento Opuſculum 9. ad Mainardum.
b Ut iræ motibus dominaretur, lege Opuſculum 40. cap. 9.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXII. FEBR. XXII. Epiſcopatu cedit.

cia eremi ſecreta, tam pro refectione mentis, quam pro ablutione cujuſlibet contracti pulveris, redire [a] decreviſſet; nimia ſe inedia cellulæ mactabat ergaſtulo, quotidie, præter dies feſtos, jejunando, cantabro [b] pane cum heſterna aqua veſcendo: ſuoque corpori, licet ſenio jam confecto, ac pluribus ferreis nexibus undique conſtricto, à diſciplinarum palmatarumque ictibus nequaquam ſuis vicibus indulgendo, jugique pſallendi, orandi, legendi, atque dictandi ſtudio inſiſtendo. Nec prætereumdum, quod in eadem pelvicula, qua pauperum pedes lavabat, reficiens, panem comederet, & ſuper bibleam [c] cratem nudam ſomni quietem caperet.

Qui dat monita.

41. Porro cum aliquando ad capitulum fratrum accedere decreviſſet, facta exhortatione, mox è ſede conſurgens, de ſuis ſe exceſſibus accuſabat: pro quibus diſciplinæ judicium ex more ſuſcipiens, geminis vapulabat utrimque verberibus. Rurſumque in ſuum locum regrediens, non ceſſabat eos ſuis ſermonibus [d] informare, modo his, modo illis, modo communiter omnibus loquens. Junioribus ergo dicebat: Scire debetis, Filii, unum-
» quemque veſtrum, tam fervide, atque ſtrenue ſacræ hujus oportere militiæ
» tirocinia inchoare: tantoque ſe, dum corporeæ vires ſuppetunt, ad celſa
» tendendo exercere labore, quo tota ſeries ſecuturæ vitæ ad fortiter agen-
» dum valeat informari, tamquam impreſſione veri ſigilli. Provectioribus
» vero, de conflictu vitiorum, de diſcretione cogitationum, de compunctionis ſeu contemplationis gratia, mentiſque puritate conquirenda, quædam ſubtilius diſſerebat. Porro cum in ipſius ſermocinationibus ejuſmodi locus incideret, quo fratrum mentes ad fortiora quælibet excitari debuiſſent, hoc
» dicere ſolebat: Strenuus quiſque divinæ militiæ prælatus in omni ſpiritali
» certamine ſuas debet vires agnoſcere. Ignominioſum quippe valde eſt mo-
» nacho, & ſpiritalis militiæ profeſſionem habere, & experiendi ignavia,
» quid in certamine valeat, ignorare.

Rigide vivit.

42. Et quidem quid ipſe hæc loquendo moneret, diſcipulis ſuis liquido inſinuabat exemplis: ex quibus videlicet hæc à nobis fore commemoranda non inaniter puto. Nempe vidi illum per quadraginta dies nil, quod per ignem tranſit, in cibo ſumpſiſſe, ſed tantum pomis crudiſque terræ naſcentibus, abſque omni prorſus potu contentum fuiſſe, hoc quidem ipſe præſens agnovi. Aliud quod dicturus ſum, majoribus meis condiſcipulis referentibus, audivi: eumdem videlicet totidem aliquando diebus, nullo refeciſſe cibo, niſi parco leguminis infuſidario [e], quod tamen ſi forte hujuſcemodi nimium ſe fatigari conſpiceret, nequaquam contemnendum ducebat imbecillitati corporeæ diſcreta remiſſione aliquatenus ſubvenire; quo reſumptis iterum viribus, validior ad aliud poſſet redire certamen. Non utique vitio, ſed virtuti potius adſcribendum dicebat: ſi quis feſſa paullo brachia idcirco remittat, ut poſt robuſtior ad fortiter agendum conſurgat. Præterea mos illi erat, ut inter divina, tam nocturna quam diurna officia, nulli podio pſallens hæreret. In quadrageſimæ quoque utriuſque [f] initio, triduo penitus abſtinebat à cibo; ad quod ſane licet neminem ipſe quoque perſuaſerit, quiddam tamen ad ſpiritualis ſtudii proventum quærentibus tradendum putavit, quo ſuſcepti jejunii ipſis poſſet initiis Domino commendari.

a Id factum Alexandro II. Pontifice, cui hac de re inſcribit Opuſc. 20. Ceſſionem petierat Opuſc. 19. *Pro hac refutatione*, ut ipſe loquitur in Opuſc. 20. cap. 1. *centum annorum pœnitentia eſt mihi injuncta, per illa nimirum remedia, quæ monaſticis ſunt regulis inſtituta*. quod ipſe explicat in Vita Dominici Loricati num. 6. ſupra p. 145. ubi in ſumma *qui viginti pſalteria cum diſciplina decantat centum annorum pœnitentiam ſe peregiſſe confidat*. Petro in epiſcopatum ſucceſſit Geroldus monachus, Ratiſpona oriundus, ſcientia ſcripturarum & moribus inſignis, antea Prior Cluniacenſis, teſte Bertholdo.

b In Opuſc. 15. cap. 14. atque in Vita S. Rudolfi epiſcopi Eugubini meminit etiam *cantabricii* panis, ſic dicti à cantabro, quod furfur ſignificat.

c Id eſt juncea, à Græco βίβλος.

d Huc ſpectat ejus Opuſculum 13. de perfectione monachorum.

e Forte legendum *infuſi diario*. Ipſe Petrus *diarias panis* in Vita Dominici Loricati ſupra; idemque mentionem facit de *leguminibus infuſis* in Opuſculi 15. cap. 6.

f Nempe ante Paſcha & Natale Domini.

Digitized by Google

43. Hanc profecto voluntariæ obſervationis normam in nonnullis monaſteriis, pia devotione amplectentibus, excitando inſtituit; quatenus præfato jejuniorum triduo, totus conventus fratrum pariter in clauſtro rigorem ſilentii conſervaret: nec quiſpiam abſque inevitabili neceſſitate calceamenta ſibi indueret, donec communiter Pſalterium diebus ſingulis complevissent; ſcoparum quoque diſciplinam [a] in Capitulo cuncti ſuſciperent, in pane ſolum & aqua pariter abſtinerent. Sed & ſextam omni tempore feriam, præter paſchales vel ceteros dies ſollemnes, ſub eadem tam diſciplinæ, quam abſtinentiæ norma, ob reverentiam Crucis illis obſervandam adhibuit. Denique omnis illius exhortatio adeo, cooperante Domino, fructificaſſe dignoſcitur, ut inſigne illud quoque Caſini [b] montis cœnobium, tanto eam fervore ſumpſiſſet, quod præfata omnia inter regularia mandata conſcribenda ſtatuiſſet.

ANN. CH. MLXXII. FABR. XXII.

44. Hic porro nequaquam otioſum putamus, quædam revelationum monimenta, quæ idem ipſe ſcripſit, annumerare, quibus ſanctus ille totus in hac obſervatione ſextæ feriæ obnixe fuit ſolidatus. Ipſa itaque ipſius verba ponamus. In ægrotantium cella ſenex quidam Pater erat, LEO [c] nomine, qui jejuniis, pſalmis, & orationibus inſiſtebat attentius; & licet corporeis eſſet viribus effœtus, juvenili tamen fervidi ſpiritus erat vigore robuſtus. Hic proxima nocte, qua ſtatuenda erat hæc cenſura jejunii, vidit per ſomnium, magnum in eccleſia chorum conſiſtentium fratrum; qui nempe præclaris candidis veſtibus luculenter induti, dulciſona ſatis atque melliflua melodi concentus ſuavitate cantabant, illud ſcilicet *Alleluia*, quod dicitur: *Dulce lignum, dulces clavos*, &c. Videbat etiam, quod per omnes refectorii menſas panes erant appoſiti, & ſpecie nitidi, & nectarei guſtus ſapore melliti. Inter fratres etiam undique diſcumbentes erat vir, ſi rite teneo, valde præclarus, & inſigni decore conſpicuus: qui requiſitus, unde tales advenissent panes, quibus videlicet ſimiles eatenus non vidiſſent: Hi ſunt, inquit, panes, quibus filii Iſraël manna percipientes è cælo aliti ſunt in deſerto. Hic quoque vir tulit menſam Abbatis, quæ occidentem verſus fuerat conſtituta, & ad orientalem poſuit refectorii plagam: ubi videlicet imago Crucifixi Domini fuerat in pariete per picturam expreſſa. Perpende ergo myſterium, & myſticæ revelationis intellige ſacramentum. Quid eſt enim, quod laudes Crucis chorus ille pſallentium melodis vocibus concrepabat, niſi quia futurum erat, ut dum in honorem Crucis ſollemne jejunium inſtituerent, quam dulces ei laudum modulos ſuaviter perſonarent? Hymnum quippe in beatæ Crucis honore decantat, qui ea videlicet die, qua Chriſtus in Cruce ſuſpenſus eſt, jejunium celebrat. Et quid eſt, quod melliti videbantur panes in menſa, niſi ut nimirum dulcia Spiritus alimenta comederent, dum per amaritudinem carnis dulces Deo laudum modulos reſonarent? Tanto quippe dulcior guſtus exoritur in palato cordis, quanto major amaritudo diſtrictionis perturbat laſciviam carnis. Quid eſt etiam, menſam Abbatis ſub Crucifixi redemptoris pedibus ponere, niſi per jejunium ſextæ feriæ, quæ dies Crucis eſt, totum refectorium ſalutiferæ Crucis ſignaculo dedicare? Et quid eſt ſub Crucifixi Domini pedibus reſidere, niſi poſt ejus veſtigia tendere; & per eum, quo nos præceſſit, tramitem jugiter ambulare?

45. Verum ad hoc arctius commendandum & illud aptiſſime contigit,

a De hoc flagellationum genere agit in lib. 5. epiſt. 8. & lib. 6. epiſt. 26. ubi ſe ejus auctorem non eſſe probat.

b Exſtat Opuſculum 43. *De laude flagellorum*, inſcriptum *ſanctis fratribus in Caſini montis cæleſti ſchola degentibus*. Deſiderio abbati nuncupata ſunt Opuſcula 33. 34. 36. & 52. præter aliquot epiſtolas ad eumdem, quem *Archangelum monachorum* appellat. De quo rurſus infra, num. 47. Vitam ejus ſuo loco dabimus ad annum 1087.

c Duo fuerunt eo nomine Petri diſcipuli, nempe Leo Sitrienſis & Leo Præzenſis, de quibus in Opuſc. 51. cap. 6. & 7.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXII. Febr. XXII.

ut ſanctus quidam alius frater, Petrus [a] nomine, dum id conſtitueretur, abeſſet: qui poſtea quinta quadam feria regreſſus, eadem nocte per ſomnium vidit, quod domnus Petrus illum ad prandium convocaret, ſecumque ipſe conviva diſcumberet. Sequenti vero die in capitulum veniens, cum ceteris fratribus diſciplinam novi ritus accepit, & ſic lætus & alacer factus, exultavit in Spiritu-ſancto, dicens: Ecce, Deo gratias, prandium, ad quod me domnus Petrus Damiani vocaverat. Nec immerito ſane noſtræ carnis afflictio menſa vel refectio dicitur: quoniam unde noſtrum per continentiam corpus atteritur, inde ſpiritus ſupernæ gratiæ pinguedine ſaginatur.

46. Cunctis itaque hujuſcemodi revelationibus plane noſcentibus, ea illis cælitus tradita, quæ per os beatiſſimi viri noviter ſibi fuerant promulgata, non ſolum ad ipſorum obſervantiam ferventius ſuccenſi ſunt, verum etiam eum inſuper rogaverunt, ut ſi quid deeſſe apud eos adhuc videretur, injungeret; ſi quid ſuperfluum, tolleret; quod vero corrigendum foret, cunctis applaudentibus emendaret. Unde factum eſt inter cetera, ut projicerent copulas [b], quibus quaſi quibuſdam pileis, capita contegebant, quo de cetero ſolis caputiis honeſto eſſent monachorum more contenti. Statuerunt quoque, ut de peregrinis involucris ultra jam grandioris pretii veſtimenta non emerent; ſed ex ruſticorum textrinis vilia potius ac vernacula compararent.

Caſini energumenos liberat.

47. Ipſum vero præfatum cœnobium dum aliquando idem domnus Petrus ex more viſitaſſet, cum eſſet ibi, beatiſſimi Benedicti baſilica fundabatur, quæ auro ac lapidibus modo adornata perſpicue cernitur; aliquantos ibi reperit pueros, qui pro vectandis lapidibus venerant, arreptos dæmoniis acriter vexari: quorum, licet modicis artubus, tantum ab ipſis dæmoniis virium ferebatur, ut à binis vel ternis robuſtiſſimis viris ſinguli comprehenſi, vix aliquatenus poſſent artari. Cum autem die quadam domnum Petrum ad opus illud intuendum contigiſſet exire, Desiderius venerabilis ejuſdem cœnobii Caſinenſis abbas ipſum, ut conſueverat, ex nomine jucunde compellans, ait: Domne Petre, cur iſtos noſtros non curas operarios? Cui ille: Habent hic, inquit, ſanctiſſimi Benedicti præſentiam, qui eis, ſi velit, valet ſalutis conferre medelam. Ego enim quid ſum? Exiſtimavit tamen Abbas ex eis aliquos ad ipſius fore hoſpitium dirigendos, quatenus illorum vexationem conſpiciens, attentius pro eis, miſertus, oraret. quod quidem ille omnino prohibuit, non ſane inhumanitatis duritia: ſed obſervandæ, quod magis cenſendum, humilitatis cuſtodia. Verum tamen dum tunc contigiſſet eum viginti fere diebus ibidem propter fratrum caritatem manſiſſe, eodemque ſpatio dierum energumenos illos omnes plene curatos fuiſſe; quis illud fideliter non credat, quod cœnobitæ illi tunc temporis aſſeverantes aïebant, eum videlicet pro ipſis latenter oraſſe, ſicque eis ſalutem à Domino impetraſſe? At quia nobis difficile, immo impoſſibile eſt, illius geſta cuncta narrare, opportunum ducimus jam ad extrema ſtilum dirigere, & qualiter ſuum curſum compleverit, atque hinc ad ſuperna migraverit, Domino opitulante, depromere.

Ravennates reconciliat.

48. Dum pius igitur Chriſti ſacerdos hujuſcemodi lucrandarum animarum ſtudiis inhianter inhæreret, vitæque præſentis labor extremæ jam pæne lineæ moram teneret; juſſu Alexandri ſecundi Romani Pontificis, Ravennam patriam ſuam proficiſci præcipitur, rem valde neceſſariam ſaluti totius urbis, cleri ac populi peracturus. Erat quippe tunc temporis defunctus ejuſdem urbis archiepiſcopus [c], qui pro ſua protervi ſententia

[a] Forte is eſt Petrus eremita, de quo in Opuſc. 51. cap. 6.

[b] Nullus dubito quin legendum ſit *coſulas*, quæ aliis *coſia* & *cuſia*, viris olim ac mulieribus communes. Conſule Gloſſarium Cangianum in *Cuphia*.

[c] Henricus ſcilicet, qua de re conſule lib 1. epiſt. 14.

Romanæ

Romanæ ſynodi olim fuerat communione privatus. qui tamen cum nimia temeritate nequaquam ob illatam ſibi ſententiam tremefactus, ab archiepiſcopali temperaret officio, conſentaneum ſibi populum ſua contagione miſere fœdavit, totamque Eccleſiam illicitis auſibus profanavit. Tandem vero, de medio profanatore ſublato, præfatus Apoſtolicus tam numeroſi populi exitiale contagium fraternis viſceribus miſertus, tantum Patrem, qui auctoritate apoſtolica eumdem reconciliando abſolveret, illo delegare decrevit: neminem ſcilicet ad hoc opus gerendum digniorem vel aptiorem exiſtimans, eo quod is non modica exſiſteret auctoritate ſubnixus, ac per regenerationis gratiam ejuſdem eſſet eccleſiæ filius, ipſiuſque etiam hortatu idem ſæpenumero ad hanc clementiam provocatus. Quam utique legationem ille, licet jam ætate confectus, ut ſtrenuus filius maternis beneficiis non ingratus, optato ſuſcepit. Nam gratulabatur ſe tandem reperiſſe aliquid, quod ſui debitum obſequii piæ poſſet perſolvere matri. quo cum, Domino ſuffragante, proſpero perveniſſet itinere, in manu civium ſuſceptus ingenti cum lætitia, ſui cauſam patefecit acceſſus: ſuper quo cives illi immodice jucundati, immenſas Deo, qui eos reſpexerat, Chriſtique Vicario, qui hunc talem & tantum virum ad ſe direxerat, gratias referentes, prævaricationis ſuæ pœnitentiam humiliter egerunt: unde & reatus veniam, quam ſuppliciter poſtulabant, atque abſolutionem ex apoſtolicæ auctoritatis munere gratulabundi percipere meruere. Abſoluto itaque ab excommunicationis illius vinculo, cunctæque eccleſiæ dono gratiæ maternæ conceſſo, tota urbe immanis effecta eſt exſultatio. ANN. CHR. MLXXII. FEBR. XXII.

49. Iſtis vero aliiſque nonnullis negotiis, quæ tantum virum gerere decebat, patratis, iter ſuæ legationis egreſſus, Urbem pergere cœpit. Cumque prima manſione Faventiam tenuiſſet, apud venerabile monaſterium quoddam beatæ Mariæ Dei Genitricis, quod Foris-portam nuncupatur, decenter ſuſceptus, mox febre [a] correptus decubuit. Qua nimirum in dies invaleſcente, circa medium octavæ noctis ſilentium, quæ Cathedræ beati Petri apoſtoli anniverſariæ diei celebritatem ducebat, exitus ſui horam appropinquare cognoſcens, extemplo nobis lectulo circumſtantibus, nocturnum ſeu matutinale officium totum peragere juſſit: volens utique prius ſollemnitati apoſtolicæ vota perſolvere, ac ſic demum ſecurus abire. Tota ergo peracta ſynaxi; ſanctum poſt modicum Domino ſpiritum corporeis reddidit nexibus abſolutum: ut ea videlicet die, qua præſens meruit eccleſia in paſtorali Petrum ſede locare, eadem Petri diſcipulum cæleſtis curia in beata ſuſciperet ſede. Cum ergo ipſius tranſitus ilico nuntiatus in urbe fuiſſet, ab iis videlicet, qui circa eamdem domum excubabant, ne vel corpus exanime à ſuis monachis, qui de vicino ipſius monaſterio advenerant, furto aſportari potuiſſet; tota civitas repente ad ejus exſequias ingenti concurſu læta properavit: quorum multitudine dum eccleſia, qua locatus fuerat, ſubito referta fuiſſet, & qui pio funeri prius accedere unanimiter geſtirent, undarum more retrorſum ſe invicem repellebant; tantoque tardior cuique acceſſus patebat, quanto celerius pervenire tumultuando ſatagebat. Quicumque autem ipſum accedere, ejuſque loculum merebantur attingere, pia gratulabantur oſcula, illatis muneribus, ejus pedibus ſeu linteaminibus ipſis infigere. Porro mauſoleum interea officioſiſſime præparatur. Ab alia ſiquidem baſilica quadam eminus ſita immane labrum lapideum, nitido candore decorum, mira facilitate quantocius, non abſque ipſorum quoque deferentium admiratione, acſi leviſſima materies quælibet advehitur: atque in ipſa beatæ Dei Genitricis baſilica à fronte chori, Faventiæ obit.

[a] Quam patienter in morbo ſe geſſerit Petrus, vide lib. 6. epiſt. 19. Monaſterium vero S. Mariæ ab Angelo prope Faventiam, ubi obiit, ad Giſtercienſes monachos tranſiit, ibi etiamnunc B. viri corpus aſſervatur,

Ann. Ch. MLXXII. Febr. XXII.

juxta gradus videlicet, quibus ad altare aſcenditur, decenter componitur: ibique ſacerdotis Chriſti venerabile corpus, ſumma cum exſultatione cunctorum, reverenter [a] reconditur; omnibus in pſalmis & hymnis voces in excelſum tollentibus, dignaque Deo gratiarum præconia totis viribus exhibentibus, cujus munere, tanto ſe ditatos fore beneficio gratulabantur. Ipſi gloria, laus, virtus, honor & decus, atque imperium ſit nunc, & ſemper, & omne per ævum. Amen.

[a] Petri epitaphium, ab ipſomet, ut videtur, compoſitum, habes inter ejus carmina num. CCXIII. ſed nihil in eo notatu dignum. Corpus ſacrum Faventiæ peculiari cultu honoratur.

Ann. Ch. MLXXIII. Julii XII.

VITA S. JOHANNIS GUALBERTI ABBATIS ET VALLUMBROSANÆ CONGREGATIONIS PRIMI INSTITUTORIS,

Auctore Attone, ex Abbate ejuſdem loci quarto, epiſcopo Piſtorienſi,

Ex Domni Theſauri abbatis editione Romana.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ ſcriptores.

1. *VALLUMBROSA, ſeu Vallimbroſa & Vallis-umbroſa, ab opacis, quæ montium dorſo incumbunt, vallemque ſubjectam adumbrant, abietum ſilvis ſic dicta, dimidii diei itinere ab urbe Florentia, in alpibus Appenninis, medio Florentiam inter & Camaldulenſem eremum intervallo ſita eſt, tergo montis impoſita; cujus vallem Vicanus amnis ſeu torrens præterfluit. Illic ſedem ſuam fixit* JOHANNES GUALBERTUS, *cujus res geſtas primus litteris mandavit Andreas Jannenſis, cujus ſcriptionem nanciſci nobis haud licuit; ſecundus* ATTO, *natione Hiſpanus, patria Pacenſis, qui primum ejuſdem loci monachus, tum abbas generalis quartus, demum Piſtorienſis in Tuſcia epiſcopus fuit, deceſſitque anno* MCLIII. *Idem argumentum alio ſtilo tractavit* BLASIUS MELANESIUS, *ejuſdem Ordinis abbas generalis. Fuerunt & alii non pauci, qui eamdem vitam vulgari idiomate donarunt: quos inter Thaddæus abbas Demarradi italicè eam vulgavit Venetiis anno* MDX. *His omnibus accedit Didacus de Franchis in Hiſtoria Vallis-umbroſæ. Attonis ſcriptionem Romæ vulgavit anno* MDCXII. *domnus Theſaurus, ejuſdem Congregationis apud ſanctam Praxedem abbas: alteram, quæ Blaſii Melaneſii eſſe videtur, mutato ſtilo Surius. Nobis prior illa hoc loco ſufficiet, cujus diſtinctionem capitulorum, prout in Romana editione facta eſt, retinebimus, tametſi in mſ. codice Vallumbroſano nulla habetur. Johannes in ſanctorum numerum relatus eſt à Cæleſtino tertio, cujus hac de re litteras Theſaurus vulgavit.*

Vallumbroſani monaſterii origo.

2. *Quo tempore in Vallumbroſanam ſolitudinem ſeceſſerit Johannes, colligimus ex litteris Ittæ ſancti Hillari abbatiſſæ, quæ locum, antea Bellam-aquam dictum, ipſi ad exſtruendum monaſterium conceſſit anno* MXXXIX. *Harum litterarum authenticum exemplar Vallumbroſæ vidimus, ejuſque copiam nobis fecit vir religioſus & amicus noſter domnus Placidus Poltri Vallumbroſanus. at eas apud Ughellum editas poſtea deprehendimus. In his litteris teſtatur Itta, ſe religio-*

Ital. ſac. to. 3. p. 293.

» *ſos viros de ſancti Miniatis monaſterio in eremo, quæ Vallis-umbroſa dicitur, ſuſcepiſſe, in loco,*
» *qui dicitur Aqua-bella, ex proprietate monaſterii ſui,* quod eſt in honore ſancti Hillari, ſito
» Alfiano: *qui viri* meliorandæ vitæ gratia *eo ſe receperant. Interea poſt dies aliquot divum*
» *Conradum imperatorem auguſtum cum ſua uxore domna Ghiſla diva auguſta, & filio ſuo domno*
» *Heinrico rege glorioſiſſimo, & conjuge ſua, Florentiam veniſſe; ſanctorumque virorum fama ac-*
» *cepta, Rodulfum* Pavibronenſem (*ſic authenticum*) *ſeu Paderbornenſem epiſcopum, vacante tum*
» *poſt mortem Jacobi epiſcopi ſede Feſulana, in cujus diœceſi ſitum erat monaſterium, Vallumbroſam*

direxiſſe ad conſecrandum eorum oratorium in honorem ſanctæ Mariæ, ſanctique Michaëlis Archangeli, & ſanctorum Bartholomæi & Thomæ apoſtolorum, necnon ſanctorum Stephani pontificis, Benedicti abbatis & Nicolai confeſſoris. quod & factum eſt. Hunc vero locum piis illis viris tradit abbatiſſa eo pacto, ut quotannis in feſtivitate ſancti Hillari ejus monaſterio ceræ libram unam, unamque olei perſolvant: &, ſi quando abbas vitio ſimoniæ intrudatur, liceat ipſis ſanctimonialibus eum abjicere, & alium regularem ejus loco conſtituere. Data anno Dominicæ Incarnationis triceſimo-nono poſt mille, & anno imperii domni Chuonradi Imperatoris augusti tertio-decimo, quinto nonas Julii, Indictione decima. Actum Florentia. *Monaſterium ſancti Hillari redactum eſt in ſimplex prædium, quod Vallumbroſano ſubjectum eſt.* ANN. Chr. MLXXIII. JULII XII.

3. *In magna ſanctimoniæ opinione fuit primis temporibus Congregatio Vallumbroſana, adeoque ejus auctor Johannes Gualbertus: cui viventi Bonizo epiſcopus Placentinus libros octo ſententiarum ex ſancto Auguſtino dedicavit, ut eſt in Lambecii Bibliotheca Cæſarea pag. 790. De Vallumbroſana Congregatione Anſelmus Havelbergenſis epiſcopus, tempore Attonis mox laudati, hæc ſcripſit in Dialogorum lib.* I. Nec diu eſt, quod in alio loco, qui vocatur Vallis-umbroſa, juxta Peruſinos montes, ſurrexit Congregatio nova monachorum valde religioſa, à ceteris, qui vocantur Monachi, novo ordine & novo habitu differentes. *Habitus ille principio ferruginei coloris erat, nonniſi ab uno ſæculo in nigrum commutatus. Sed præclarum eſt in primis de illa Congregatione ejuſque auctore elogium Mathildis Marchioniſſæ ſeu Comitiſſæ, quæ naſcentis Congregationis initia vidit, eamque multis donis auxit, & privilegiis. In horum uno, quod anno ab incarnatione Domini* MCIII. *datum eſt, ait ſe quædam prædia largiri Deo & beatæ Mariæ* ad ſuſtentationem fratrum, qui ſunt in Vallembroſana Congregatione, & præcipue eorum, qui in ſancto loco illo, à quo eadem Congregatio nomen accepit, habitare videntur; aut inantea, Deo propitiante, ad ſerviendum Deo ibidem devenient ad retinendam monaſticam religionem & bonam conſuetudinem ſanctæ memoriæ domni JOHANNIS abbatis majoris, qui univerſæ ſanctæ Congregationis ipſius bonus incœptor & ordinator fuit: ut ſecundum diſpenſationem domni BERNARDI abbatis & S. R. E. Cardinalis, qui univerſæ ſanctæ Congregationi modo præeſſe videtur, & Theoderici præpoſiti, qui ab eodem Bernardo & ab univerſa Vallembroſana Congregatione in regimine totius Congregationis ordinatus eſt, vel eorum ſucceſſorum, qui regulariter ordinati, & à fratribus electi fuerint, ut habeant & teneant, & proprietario nomine poſſideant, &c. Actum in loco, qui dicitur monaſterio ſancti Salvatoris, comitatu Aretino. *Subſcribit* Matilda Dei gratia, ſi quid eſt, *cum Guidone Comite, dicto Guerra, cujus eſt etiam donatio, aliiſque. Triennio antea eadem Mathildis* una cum Guidone Comite, & ejus filio Guidone-Guerra vocato, *comperto,* venerabiles Congregationes monaſterii Valliſimbroſæ à quorumdam ſuorum fidelium præſumptione conculcari ac deſpici, eorumque habitationum ſanctiſſima loca nimiis iniquorum aſſiduitatibus conveniri; *jubet quoſcumque Duces, Marchiones, alioſque inferioris ordinis abſtinere ab ejuſmodi vexationibus in prædictos monachos,* quorum vitam, noſtro, *inquit,* tempore præ ceteris excellentius fulgere cognovimus, eorumque laudabilem ſanctitatis famam ubique redolere non ſurda aure perſenſimus. Actum eſt Florentiæ anno MC. apud Florentiam per manum Frogerii capellani, præſidente domina Matildi in palatio ſuo feliciter. *Subſcribunt cum ipſa, & Guidone comite, ejuſque filio æquivoco,* PETRUS Piſtorienſis epiſcopus, Paganus Dei gratia R. E. diaconus cardinalis, *& prædictus Frogerius, Heriberti quondam Rhegini præſulis capellanus, qui noctem iſti diplomati ſcribendo ſe impendiſſe dicit.* Vallumbroſana congregatio.

4. *Primus poſt Johannem monaſterii & Congregationis abbas fuit* RODULFUS, *ex Vita ſequentis cap.* LXXVI. RUSTICUS *hunc excepit: cui poſt* ERIZONEM *ſucceſſit* BERNARDUS. *Is ab Urbano II. creatus fuit preſbyter Cardinalis tit. ſancti Chryſogoni, ac demum epiſcopus Parmenſis: cujus vitam Romæ edidit idem qui ſupra Theſaurus abbas, in qua Bernardus anno* MCXXXIII. *mortuus perhibetur. Sub eo variæ donationes Vallumbroſanis factæ leguntur. Nam præter ſuperiorem Mathildis conceſſionem, una eſt* IMILLIÆ comitiſſæ, filiæ Rainaldi dicti Sinibaldi, conjugis Guidi comitis dicti Guerra, filii Guidonis quondam comitis, *facta anno* MCIII. *Præter ea Henricus IV. imperator anno* MCXIV. petitione venerabilis viri Bernardi Parmenſis epiſcopi, & dilectiſſimi cognati, *inquit,* noſtri Pontii Cluniacenſis abbatis, omnia monaſteria Vallimbroſanæ Congregationis, ubilibet poſita, *ſub ſua tuitione ac defenſione ſuſcipit. quod alii Imperatores poſtea confirmarunt. Abbas monaſterii Vallumbroſæ ad noſtra tempora idem fuit Ordinis præfectus generalis: ſed hic ab aliquot annis nulli certæ abbatiæ addictus eſt.* Abbates primi generales.

5. *Multos protulit viros ſanctitate inſignes hæc Congregatio, quorum elogia contexuit Hieronymus de Raggiolo, Prior ſancti Donati in Vinea, qui & librum de miraculis ſancti Johannis Gualberti ad magnificum Dominum Laurentium Medicem ſcripſit, capitulis* XXVII. *conſtantem. Beati illi, quorum laudes Hieronymus proſecutus eſt, ſunt numero viginti, Erizo decanus, Albertus œconomus, Teuzo, Rodulfus Johannis ſucceſſor, Petrus cardinalis & epiſcopus Albanenſis, omnes in ſequenti Vita laudati; Ruſticus, Benignus, & Atto abbates, Michaël, Hieronymus, Melior, Johannes, Torellus & Benedictus eremitæ; Orlandus converſus, Petrus monachus de* Viri ſancti.

ANN. CH. MLXXIII. JULII XII.

Monte-plano, Benedictus abbas ſanctæ Mariæ de Ripolis, Andreas abbas ſancti Fidelis de Strumis, denique Albertus abbas Bononienſis. De Andrea, qui etiam beati Johannis Vitam ſcripſiſſe dicitur, agunt Bollandiani die X. *Martii, de Petro eremita* XII. *Aprilis, & de Erico abbate IV. die* IX. *Februarii. Symeonem ejuſdem Ordinis celebrat Hugo Menardus die* XIV. *Auguſti. Porro Hieronymus priori libello adjungit alium de beatis ſanctimonialibus ejuſdem Ordinis, nempe de Verdiana monacha, Berta abbatiſſa ſanctæ Mariæ de Caprilia, Humilitate abbatiſſa monaſterii ſancti Johannis Evangeliſtæ extra portam Florentinam, & Margarita, quæ Humilitati exſtitit comes. Duo hi libelli inediti, uti & alius cujus ſupra, Laurentio Medici nuncupati ſunt. Prædictorum beatorum reliquiæ anno* MDC. *ab Alexandro epiſcopo Feſulano levatæ ſunt è crypta, quæ eſt ſubtus turrim eccleſiæ Vallumbroſanæ.*

PROLOGUS ATTONIS.

PLERUMQUE rogatus à pluribus congregationis Vallimbroſanæ fratribus ſatis honeſtis, congerere quæ ſcripta reperiuntur de ſancto viro JOHANNE, primo Congregationis ejuſdem abbate; fateor multum expavi hujuſmodi preces audire. Metuebam quippe, quæ à catholicis fratribus, qui ſuo tempore fuerunt, & plurima de his, quæ ſcripſerunt, propriis oculis perſpexerunt, ſilentio præterire. Illa vero quæ ab aliis fidelibus poſt ejus tranſitum, quia plurima fuerunt, & à viris boni teſtimonii ſcripta; quomodolibet ſubtrahere, vel ſupprimere formidabam, cogitans ne legentium animos ſtilus prolixior oneraret. Etenim ſæpe video quoſdam etiam prudentes, pro longinquitate ſermonis quæ valde ſunt utilia faſtidire: & quibus legere multa non vacat, ſæpius gaudere compendio. Unde precibus plurimorum, ac plurimis eorumdem exhortationibus fratrum tandem acquieſcens, non de peritia vel ſcientia mea confidens, ſed de pietate & gratia Conditoris præcipue ſperans, & de meritis ejuſdem venerabilis viri ſeu fratrum orationibus, qui ſuper hoc me multipliciter obſecrarunt, partem eorum, quæ multorum fidelium relatione facta cognovi, in hoc opuſculo conſcribere ſtudui; nonnulla præteriens ex his, quæ ſcripta prius inveni, & de his, quæ multorum aſſertione vera fuiſſe frequenter audiveram. Itaque converſationis & vitæ ſancti Johannis hoc fuit exordium.

CAPUT. I. Johannis patria.

Tempore quo Simoniaca, & Nicolaïtarum hæreſes per Tuſciam, & pæne per totam Italiam diebus Henrici Imperatoris Eccleſiam catholicam in locis pleriſque fœdabant, erat quidam nobilis, GUALBERTUS nomine, vir militaris, patria Florentinus, habens duos filios, quorum unus UGO, alter JOHANNES vocabatur: qui ſecundum etymologiam ſui nominis gratia Dei variis virtutum operibus inſignitus eſt, ut in hoc opuſculo de ipſius ſacra converſione ac piis moribus in ſequenti clarebit. Iſte dum ſatis carus parentibus ac vicinis, & qui eum noverant, pro honeſtate morum ſuorum vehementer exſiſteret; accidit, ut quidam maligno ſpiritu commotus, quemdam propinquum ejus occideret; unde occurſum ejus aliorumque prudentium, qui de conſanguinitate defuncti erant, præfatus homicida modis omnibus devitabat.

II. Condonatio offenſæ.

Sed jam propinquaverat tempus, quo gratia divina miſericorditer declararet in Johanne, quis futurus eſſet, & qualis ac quantus in exemplum humilitatis & miſericordiæ fidelibus multis eſſe deberet. Qui dum uno die cum armigeris ſuis Florentiam ire diſponeret, in eodem itinere præfatum homicidam, qui propinquum ejus interfecerat, ex improviſo obvium habuit, in loco, quem ſic arta ſemita comprimebat, ut neuter poſſet in partem aliam declinare. quem dum homicida prædictus venientem eminus conſpexiſſet, deſperatus vitæ, protinus ſemetipſum equo projiciens in terram vultu demiſſo, expanſis manibus in modum crucis, moribundus ſuum interitum exſpectabat. Juvenis autem benignus videns

Digitized by Google

eum taliter ex nimio timore ſolo procumbentem; miſericordia motus in eum, pro ſanctæ Crucis reverentia, quam brachiis & manibus lacrymando ſignabat, indulgere ſibi diſpoſuit, & ut concito ſurgeret, nec timeret admonuit. ANN. CH. MLXXIII. JULII XII.

III. Crucis miraculum in eum.

Poſtquam autem inimicum in pace tranſire permiſit, ac de cetero libere quocumque vellet abire conceſſit, progreſſus paullulum, ad ſancti Miniatis venit eccleſiam. quam cum oraturus ingreditur, Crucem ejuſdem eccleſiæ caput ſibi flectere contuetur, quaſi gratias ei redderet, quia pro reverentia ipſius, ſuo inimico miſericorditer pepercißet. Et quid mirum ſi Omnipotens ſibi hujuſmodi reverentiam per imaginem ſuæ Crucis tunc voluit exhiberi, quem ſuo timori ſubditum, obſequio deditum, circa proximum viſceribus caritatis undique plenum vidit? Ipſe ſe amantes amat, ſervientes remunerat, ſeque glorificantes glorificat. Eadem vero Crux pro indicio tanti miraculi in monaſterio ſancti Miniatis nunc [a] uſque ſub multa cautela ſervatur.

IV. Converſio ejuſdem.

Famulus autem Domini hoc videns, admiratus, & nimis pavidus factus, cœpit ſecum cogitare, quomodo poſſet melius Deo ſervire, credens, & in animo ſuo ſæpius evolvens, quanta foret præmia recepturus in cælo, ſi Domino pro viribus deſerviret, qui tantum, tamque præclarum miraculum pro parvo obſequio, ſicut ei videbatur, apparuiſſe cognoverat. Diſpoſuit itaque intra ſemetipſum, odium mundi concipere, terraneos honores, falſaſque divitias ejus prorſus abjicere; ac ſollicite cogitare, quanta gloria juſtis, quanta pœna promittatur injuſtis; quam vanum ſit ſpem in caducis rebus ponere prius, & poſt æternis ſuppliciis ſubjacere.

V. Monaſtica profeſſio expetita.

Dum talia progrediens itinere quo tendebat, anxius cogitaret, venit juxta civitatem, ubi ſuis armigeris præcipiens, ait: Pergite ad hoſpitium, ubi ſolemus deſidere, & quæ nobis, & equis ſunt neceſſaria præparate. Socii autem, ſicut eis Dominus imperaverat, fideliter ſunt exſecuti. Recedentibus eis, ſervus Domini Johannes afflatus divino ſpiritu, ab itinere, quod cœperat, divertit, & ad monaſterium ſancti Miniatis abſque mora pervenit; & deſcendens equo, monaſterii Abbatem mox quæſitum humiliter poſtulavit audire deſiderium ſuum, & ad effectum ex caritate Dei perducere; aperiens ſibi miſericordiam, quam ſupradicto homicidæ clementer impenderat, & qualiter eccleſiam poſt ingreſſus, Crucem ſibi flectere caput aſpexit; unde ſuæ converſionis initium concepiſſet. Tunc Abbas audito de Cruce, quod ei intimaverat, inauditum miraculum, & ſtupendum fore perpendens, conſuluit ei mundum ejuſque gloriam per omnia derelinquere. Verumtamen optans ejus velle ſcire plenius conſtantiam, & perſeverantiam probare; cœpit ei dura & aſpera prædicere, & quod homo corpore validus, juventute floridus, non facile poſſet monaſticam pauperiem tolerare. Cui Johannes: Non, inquit, appetenda eſt gloria temporalis, quæ cito tranſit; nec corporis fortitudo, quæ quotidie deficit.

VI.

Cumque hæc & his ſimilia colloquerentur, nec Abbas ad plenum voluntati ſuæ reſponderet; famulus, quem Florentiam præmiſerat, dominum ſuum non venire conſiderans, domum rediit, & quæ facta fuerant de eo, genitoribus ſuis innotuit. Unde pater turbatus & anxius Florentiam venit, & totam civitatem per notos & amicos diligenter inquirit; quid de filio ſuo factum eſſet ſcire deſiderans. Per eccleſias quoque diſcurrens, ad monaſterium ſancti Miniatis veniens eumdem inquirit. Quid multa? Dum illic eſſe filium ſuum audit, & ipſum monaſticas veſtes velle ſuſcipere; Gualbertus rogat Abbatem, ut filium ſuum ad ſe ducat. Abbas autem ad Johannem regrediens, admonet, ut ad patrem egrediatur. Cui Johannes

[a] Nuper tranſlata eſt in Florentinam ſanctæ Trinitatis eccleſiam, quæ Vallumbroſani eſt Ordinis, ſuburbana ſancti Miniatis baſilica monachorum cœtu deſtituta.

ANN. CH. MLXXIII. JULII XII. „ inquit: Quid dicis, domine? Carnalem patrem, cunctaque tranſitoria de-„ ſerere diſpoſui, & Deum, qui me creavit, per omnia ſequi: patrem vero meum ad hoc veniſſe cognoſco, ut me de monaſterio eruat, ſi potuerit, & ad ſæcularia ſine mora reducat. Cum autem hæc pater, foris exſpectans Abbatem, audiret, cœpit turbatis vocibus clamitare, multa ſe monaſterio illaturum adverſa, niſi filius ilico redderetur.

VII. Interea vir Domini Johannes ſalutem ſuam, & propoſitum accelerare deſiderans, intelligenſque minas ac furorem patris accreſcere, ſecum co-„ gitare cœpit: A quo dignius accipere valeo ſanctum habitum, quam ab „ altari, in quo Chriſti ſanguis immolatur, & ſumitur? Cernens ergo unius fratris cucullam tunc ſeorſum poſitam; tollens eam, eccleſiam feſtinanter ingreditur, comam ſibi primo totondit, ac deinde cucullam altari reverenter ſuperpoſuit, eamque lætanter induit, cunctis monachis de fidei ipſius integritate mirantibus & gaudentibus. Metuebat quidem non modicè, ne fortaſſis Abbas minis aut illecebris motus genitoris, ipſum redderet, vel de monaſterio pateretur exire. Poſt hæc Abbas ingrediens, & ipſum inter reliquos fratres ſedere conſpiciens, redit ad patrem, ac monet eum, ut, ſi velit, ingrediatur, videre filium. Quem cum pater monaſtico indutum habitu cerneret; dolens, vociferans, & nimium lugens, veſtes ſcindit, pectus percutit, genas lacerat, & quaſi amens effectus, miſerum ſe deſolatumque congeminat. Poſtremo diutius ab Abbate, monachiſque, ſuiſque ſociis, ac filio commonitus, tandem ſaniori menti redditus, filium multipliciter benedicens, hortatur ad meliora conſcendere: & ſic conſolatus in Domino, ad propria, non abſque mærore regreditur.

VIII. Fervor. Deinde ſervus Domini Johannes cœpit arctam & anguſtam viam pro virium quantitate ſervare. Satagebat peccata præterita quotidie plangere, jejuniis, abſtinentiis, orationibus, nimiiſque vigiliis carnem macerare: ſicque humilitatis, patientiæ, obedientiæ, ceterarumque virtutum flore ſplendebat, ut cum ſe ceteris inferiorem crederet, ab omnibus ſublimior haberetur.

IX. Electus abbas, non acquieſcit. Poſt aliquantum tempus abbas ejuſdem loci ſæpe jam dictus migravit à ſæculo. Poſt cujus obitum fratres omnes unanimi voluntate ſanctum virum Johannem in abbatem elegerunt. quod officium vir Domini humiliter ſtuduit declinare, ſubeſſe potius, quam præeſſe deſiderans, frequenter iterans cum propheta: *Ego ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Quo in tempore quidam Ubertus erat in eodem monaſterio, qui nefaria cupiditate captus, regimen abbatiæ per pecuniam ab epiſcopo Florentinæ civitatis accepit. Quod dum vir Domini comperiſſet, cum alio ſibi favente clam exinde diſceſſit, & civitatem ingreſſi, ad quemdam magnum ſenem, TEUZONEM nomine, venerunt, qui juxta

Simoniacos exagitat. monaſterium [a] ſanctæ Mariæ ſemper virginis præfatæ civitatis in quadam cellula ſe concluſerat, de qua venientibus ad ſe fidelibus ſalutifera conſilia miniſtrabat. Hic homo Dei publice ſimoniacam hæreſim damnabat, quæ pæne totum eccleſiaſticum ordinem eo tempore prorſus invaſerat. Ad quem vir Dei Johannes accedens, his verbis alloquitur. Ob-„ ſecro, mi Pater, ne mihi in hæſitatione non modica poſito ſubtrahas „ tua conſilia. Sub ſimoniaco Patre vivere valde timeo, & qualiter id decli-„ nem, prorſus ignoro. Cui reſpondit ſenex: Quod dicis ſatis gratum habeo; „ ſed quod tibi dem conſilium ignoro. Nam ut ſub Simone Mago milites, à „ me nullo modo conſilium habebis. Ad aliud monaſterium ſi te in his par-„ tibus transferas, cum te putas dentes fugere leonis, morſum non evades

[a] Celebre hactenus Ordinis noſtri cœnobium in ipſa urbe Florentia. Hujus Teuzonis ibidem ſepulti epitaphium refert Baronius ad annum 1063. ubi *quinquaginta annis eremi incola* vixiſſe dicitur, potius recluſus dicendus.

Digitized by Google

ſerpentis. Cui Johannes : Ne Pater omittas, quin conſilium præbeas. Nam paratus ſum pro veritate ſequenda quicquid juſſeris agere. ANN. CH. MLXXIII. JULII XII.

X. Cernens igitur ſenex viri fidem atque conſtantiam, exſultans ait ad eum : Perge cum tuo ſodale, & coram omnibus in foro publico civitatis; Epiſcopum [a] & Abbatem exclama eſſe ſimoniacos, & exinde cede locum. Qui ejus monita complens, ad forum veniens, die quo ſciebat majorem hominum eſſe multitudinem, Epiſcopum & Abbatem manifeſte ſimoniacos appellavit. Quod dictum magnum multis pavendum horrorem intulit; quibuſdam fautoribus Epiſcopi clamantibus: Nullatenus evadat, ſed occidatur. Tunc quidam propinquorum illius, eruentes eum de tumultu, clam dimiſerunt. Qui ad magnum ſenem reverſi, quod evenerat per ordinem retulerunt. Et ille congratulans eis, conſuluit illis in Romaniæ partes ire, & aptum monaſterium inquirere, ubi poſſent libere Chriſto ſervire.

XI. Miſericors in egenos. Illis abeuntibus per aliquantos dies ad loca diverſa, dum in victu ſuo non haberent præter unum panem, obvium habuerunt inopem unum alimoniam poſtulantem. Tunc vir Domini dixit ad comitem: Mitte manum, frater, in peram, & panem, qui nobis eſt, divide, medietatemque pauperi porrige. Cui reſpondit comes: Huic per diverſa gradienti abundanter multa tribuentur: nos autem qui præter unum panem non habemus, unde reficiemur? Et ille: Ne cuncteris ultra tribuere. Suſcepto itaque pane pauper gratias agebat. Cui rurſum imperat: Medietatem alteram tribue. Quo facto, ſodali jubet ingredi caſtrum, & aliquid victus per domos inquiri. Qui diverſas domos exquirens, ad ultimum reverſus: En, inquit, qui panem dare juſſiſti, totum caſtrum circuivi, &, præter tria ova, nihil inveni. Tunc quidam paſtores hæc audientes, ad caſtrum pergunt, quæ audierant intro nunciant: & ecce quidam miſericordia motus, panem unum eis porrexit. Item mulier una nitenti linteo alium obtulit, tertium quoque alius condonavit. Tunc Johannes: En, frater, accipe quod dediſti; nec ultra præbeas invitus, quod nobis abunde communis Conditor adminiſtrat.

XII. Camaldulo venit Vallumbroſam. Peragrantes exinde loca diverſa, nec ſibi admodum apta reperientes, ad Camaldulim venerunt: ubi per multos dies degentes, abſtinentiam, & converſationem illic habitantium perſpexerunt. Tunc Prior ejuſdem loci volens virum Dei ad ſacros Ordines promovere, & ſtabilitatem loci promittere; renuit penitus, quia fervor ejus in cœnobitali vita tantum erat, & ſecundum ſancti BENEDICTI Regulam vivere. Tunc præfatus Prior imperat eum abſcedere, ſuumque deſiderium adimplere. Fertur etiam (ſpiritu revelante divino) dixiſſe: Vade, & tuum in nomine Trinitatis incipe inſtitutum. Qui inde progrediens, ad Vallis-umbroſæ locum videre perrexit. Cui dum locus complacuiſſet, greſſum in nomine Chriſti firmare decrevit. Quo morante, & in ſancta converſatione proficiente, non eſt Deus diutius paſſus latere lucernam in tenebris, quam ad illuminandas multorum animas ſuper Eccleſiæ candelabrum conſtituere diſponebat.

XIII. Socios cogit. Ad inſinuandam igitur vitam ipſius, Creator omnium Deus è diverſis partibus ſervos ſuos, Spiritu-ſancto compunctos, ibidem ex ſua largitate ad auxilium famuli ſui mandavit. Nam dum ipſius fama paullatim per viciniora loca diffundi cœpiſſet, laïci & clerici gratia viſitationis & converſionis ad eum venire cœperunt. Inter quos tunc venit in religione ferventiſſimus ERIZO: qui cuſtos fratrum, & Prior exſiſtens, ſupra triginta annos in eodem loco ſic ſtabilis perſeveravit, ut in his nec ſemel ad villas

[a] Hic tempora confundit auctor. nam longe ſerius id contigit, nimirum tempore Petri epiſcopi Florentini, qui ſedem illam ſimoniacè adeptus eſt anno MLXII. cum Johannes jam dudum Vallumbroſam inhabitaſſet. Alia itaque ejus ſeceſſus cauſa, nempe ſolitudinis amor, & ſtudium *vitæ meliorandæ*, ut loquitur Itta abbatiſſa in litteris donationis Vallumbroſæ.

Ann. Ch. MLXXIII. Julii XII.

à monte deſcenderit. Tunc ſummæ ille gravitatis & diſcretionis ALBERTUS, qui ſupra quadraginta annos ejus cœnobii cellerarius fuit & coquus, nec umquam pro labore cellæ [a] deſeruit officium coquinæ, nec pro labore coquinæ cellæ curam omiſit. Tunc quoque magnanimus TEUZO [b] venit, qui ſic uſque ad ſenectam caritate fervens exſtitit, ut non ſolum animabus, ſed etiam corporibus illic venientium vellet ex corde præbere pro poſſe medelam.

XIV. Itta abbatiſſa favente.

Exierant de præfato cœnobio plerique fratres, cupientes ſub eo nova converſione libenter inſtitui. Hi magiſtri exemplo & exhortatione, dum in ſancta cœpiſſent converſione fervere, cœpit eorum fama undique ſpargi. Quod audiens ITTA ſancti Hillari [c] abbatiſſa, cujus juri locus ipſe præcipue pertinebat, miſit eis librorum & victuum ſubſidium aliquantulum. Quo in tempore tam gravem infeſtationem à quibuſdam viris iniquis, maligno ſpiritu inſtigatis, paſſi ſunt, cum de ipſo loco vellent ipſos exterminare, ut tæderet illos etiam vivere. Sed memores Apoſtoli dicentis: *Omnes qui pie volunt vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patiuntur*; innocentiam, & patientiam amplectentes, perſecutoribus ſuis ſæpe pro malis bona reddentes, poſt multa cum eis certamina, demum adepti ſunt pacem, gratiam, & victoriam. Manſerunt ibi multo tempore, ligneum habentes tantummodo parvulum Oratorium. Indigentiam victuum tantam tunc perpeſſi ſunt, ut plerumque tres unum per diem dividerent panem. Quæcumque erant camerulæ, veſtiarii, unius ſacci capacitas continebat: quam penuriam diu cum omni gaudio & exſultatione ſine murmure ſuſtinebant. Exinde de longinquis etiam partibus clerici & laïci cœperunt ad eum confluere.

XV. Diſcipulos habet inſignes.

Tunc venit ille magnus RODULFUS, qui tempore multo in eodem loco curam hoſpitalitatis habuit, & poſt monaſterii Muſcetani curam geſſit in Abbatis officio. PETRUS quoque, qui diu procurator aſinorum, poſtea vaccarum fuit: deinde in Paſſiniano Prioris geſſit officium, ex hinc Abbas in Ficiclo, & in ultimo Romanæ eccleſiæ Cardinalis & Epiſcopus Albanenſis exſtitit.

XVI. Tunc LÆTUS vultu & nomine, qui Paſſiniano Abbas fuit, & RUSTICUS, qui donec Johannes pater vixit, curam exteriorem geſſit, & tertius poſt obitum ſancti viri Johannis, multo tempore totius Congregationis curam Prior obtinuit.

XVII. Regulam ſervat accurate.

Cernens igitur pater Johannes tot taleſque viros ſibi cælitus in auxilium miſſos, diſpoſuit cum eiſdem beati BENEDICTI Regulam in omnibus obſervare; cœpitque noviter venientes ea probatione ſuſcipere, quam inſinuat Regula: qui variis ac multis probationibus prius in hoſpitio eruditi, poſtea in exteriori cella denuo probantur. Quibus, anno completo, veſtes optatas dabat, facientibus manifeſte regularem profeſſionem. Quibus exinde non licebat aliquid ſumere vel quærere, ſed omnia à Priore dabantur. Habebat etiam hanc gratiam ſingularem pater Johannes, ut in prima viſione ſeu colloquio noſſet, ſi veniens quilibet recto, an ficto corde poſtularet introitum. Et hoc ei donum à Jeſu-Chriſto collatum eſt, ut perſonam potentis vel divitis non libentius ſumeret, quam pauperis & abjecti. » Dicebat quippe, diviti magnum eſſe impedimentum ad cor humiliandum, » eam quam ſecum pecuniam ducit.

XVIII. Ittæ abbatiſſæ donis augetur.

Audiens interim Itta abbatiſſa locum in nomine & religione creviſſe, per diffinitos terminos tradidit [d] ſcripto in circuitu loci congruas poſſeſſio-

[a] Id eſt cellarii, unde cellerarius dictus.

[b] Alius videtur à Teuzone, qui ſupra cap. 9. de quo item cap. 19. Alterius, de quo hic, mentio paſſim infra. Prior commentarium in Regulam S. Benedicti ſcripſiſſe videtur.

[c] Hactenus nomen loco hæret, in prædium Valumbroſanæ abbatiæ ſubjectum converſo.

[d] De litteris hujus donationis actum eſt in obſervationibus præviis.

nes,

nes, & in remotioribus aliis locis plures manſos eidem loco conceſſit. Et dum famulus Chriſti Johannes, adhuc Prioris officium gerens, animas fratrum & corpora ſollicitè procuraret, ſibi maximam abſtinentiam & validum laborem impoſuit. Nam quando tempus reficiendi erat, parviſſimo cibo vel potu ſuæ neceſſitati ſubveniebat, in tantum, ut non videretur ſe recreare, ſed utcumque famis & ſitis arcere periculum. Cum vero ante tempus reficiendi ſitiebat, utpote qui operi manuum frequentius inſiſtebat; tunc in frigidam aquam manus pedeſque mittebat, ut ex nimio frigore ſitis periculum aliquantulum temperaret. Aliquid etiam ſumere recuſabat extra conſtitutas regulares horas. Unde debilitatem tantam carnis incurrit, ut in illam ſyncopem, fracto ſtomacho, ceciderit, quam legimus beatum Gregorium pertuliſſe. Etenim niſi fratres ſæpe eum reficerent, emittere ſpiritum videretur: quam uſque ad obitum ſuſtinuiſſe ſciunt, qui eum forte noverunt. Quando autem famis violentia frequenter ſe deprimens indiſcretè ſuperaret, aut refectionem differre conabatur; præ nimietate infirmitatis adeo dentes ejus conſtringebantur, quod niſi eos aliquis cultellum intromittendo divideret, & aliquem liquorem in os ejus poneret, exſpirare continuo credebatur. Verumtamen ſic incredibili languore jugiter cruciatus, nullatenus murmurabat; ſed ſuis hoc peccatis deputans, continuo laudibus divinam juſtitiam commendabat. Qui priuſquam infirmaretur, tantæ fortitudinis ſibi & ceteris, tantæque abſtinentiæ fuerat, ut niſi ille, cui cantamus, *Domine inclina cælos tuos*, ſub infirmitatis hujus occaſione mentem ejus humiliaſſet; valde rarus exſiſteret, qui poſſet ejus inſtituta ſervare. Cognita vero, & experta propria infirmitate, tantæ miſericordiæ tantæque diſcretionis effectus eſt, ut nemo miſericordior eo crederetur. Qui licet corpore foret infirmus, in omni tamen cuſtodia & ſollicitudine mente pervigil erat. Quod videntes fratres ejuſdem loci, decreverunt ipſum eligere Abbatem, quem noverant ſanum & infirmum pervigilem Priorem, & ſollicitum fuiſſe cuſtodem.

Ann. Ch. MLXXIII. Julii XII.

XIX. *Abbas renunciatur.* Itaque Florentini Teuzonis conſilio convenerunt de urbe, & de caſtellis multi religioſi, & clerici, ac fideles laïci, ſancti Hillari confeſſoris abbatiſſa id maxime cupiente; & cum fratribus ejuſdem loci ipſum prædictum Patrem elegerunt in abbatis officium. Quem nolentem, & totis viribus reſiſtentem, de lecto traxerunt, & ipſum, licet invitum, in majori ſede conſtituerunt. Qui cum ad id violenter cogeretur, dixiſſe fertur adſtantibus: Quid inſanitis? ſi pellicano nomen accipitris impoſueritis, numquam erit niſi pellicanus.

XX. *Rigidæ diſciplinæ.* Itaque vir Dei ſumpto officio & abbatis nomine, cœpit ſenſum Regulæ diligenter inſpicere, & ad ejus obſervationem totis viribus operam dare. Prohibuit monachos numquam clauſtri limitem progredi, niſi exceptis his, quibus ſuſcipiendorum hoſpitum cura erat injuncta, & exteriorum obedientia. Inter reliqua, quæ ſuos fratres obſervare docebat, non patiebatur nocte dormitorium eſſe ſine lumine claro, dicens, levius eſſe ferendum oratorium ſine lumine, quam dormitorium, ſi egeſtas utrumque non ſineret. Fratres vero, quæcumque Pater injungebat, ejus exemplo vel admonitione frequenter inſtructi, cum omni obedientia fideliter obſervabant; vilitatem & extremitatem veſtium adeo diligentes, ut cilicina tunc veſte uterentur, quam nemo ferre cogeretur invitus, nec ad ferendum volens prohiberetur. Tunc idem Pater de ſuarum ovium varia lana juſſit pannum promiſcuum fieri, cujus deſignatione ſpecialius noſceretur quicumque de ſchola tanti Patris exſiſteret. Quamvis hoc tempore plerique (prô dolor) videantur, qui ſe eſſe de hac ſchola veſtibus, & non moribus oſtendant.

XXI. Diebus autem, quibus monachi ad ipſum frequentare cœperunt, Deus,

Ann. Ch. MLXXIII. Julii XII. Converſos excipit.

cujus amore vir Dei ſibi ſubditos in via ipſius regere diſponebat, miſit ad eum etiam laïcos viros timoratos, qui legem Domini per omnia cuſtodire cupientes, in bonis moribus fere nihil à monachis diſtabant, extra veſtium qualitatem & ſilentium, quod in exterioribus occupati nequibant plenius obſervare. Tales igitur tam probatos converſos Pater ad mercatum & omnia exteriora ſecure mittebat. Erat etiam multæ auſteritatis, primo contra delinquentes; poſtea valde tranquillus ad increpandum, & corripiendum, in tantum, ut materna viſcera videretur habere. Quare qui ipſum amabant, nimis metuebant; & qui timebant, valde diligebant.

XXII. Oratorii dedicatio per Humbertum.

In illis diebus prædictus rex HENRICUS Florentiam venit; ibique dum à pluribus de ipſo multa bona audiſſet, ſic ei audita placuerunt, ut hortatu ſæpe dicti Teuzonis, catholicum epiſcopum illuc dirigeret ad conſecrandum locum, & Regina etiam exenia grata [a] mandaret. Qui veniens ad montem, altare majus in honorem ſanctæ Mariæ tunc benedixit. Deinde poſt annos aliquot, domnus UBERTUS ſanctæ Romanæ eccleſiæ, qui unus erat de ſeptem Cardinalibus, venerabilis vitæ, veniens è partibus illis, totum oratorium cum duobus altaribus conſecravit ſeptimo Iduum Juliarum, qui de titulo ſanctæ Rufinæ epiſcopus exſtitit, cujus memoria uſque hodie Romæ celebris habetur, & in multis ſanctis operibus hactenus viget.

XXIII. Ordinum ſacrorum reverentia.

Fratres aſſidue de bono in melius creſcentes, officium altaris in omni veneratione ſervantes, neminem miniſtrare patiebantur, ſi forte ſimoniacus, vel concubinarius, vel alio mortali crimine corruptus ante fuiſſet. Eorum quoque magiſter omnes eccleſiaſticos Ordines plurimum honorabat, quos catholicos eſſe ſciebat; ita ut fores eccleſiæ non præſumeret aperire, niſi prius ordinatus aliquis aperiret.

XXIV. Monaſteria alia ejuſdem inſtituti.

Per idem tempus plures viri nobiles & fideles offerebant loca ad ædificanda nova cœnobia. Alii rogabant eum monaſteria diſſoluta ſub ſuo regimine ſumere, & in normam, quam ipſe cum ſuis ſervabat, reformare. Tunc ſancti Salvii cœnobium [b] noviter conſtruxit: in Muſceta alterum in honorem ſancti Petri: in Razolo tertium, in honorem ſancti Pauli: aliud ſancti Caſſiani in Scalario monte.

XXV.

Tunc etiam in ſuo regimine vetuſtum accepit [c] Paſſinianum, & alterum in Romania, ſub honore ſanctæ Reparatæ, ubi per ſingula loca, ſollicitus pater Præpoſitos ordinavit. Quos, dum ab infirmitate ſublevaretur aliquatenus, per ſe ipſum viſitare curabat, & honeſte corrigere, moreſque fratrum ad meliora perducere. Inter cetera tenaces, qui temporalibus abundabant, durius increpabat, monens eos magis ex largitate divina confidere, quam de plenitudine horreorum.

XXVI. Leo IX. ab eo exceptus.

Quodam tempore, cum ad Paſſinianum eſſet, Leo papa cum plurimo comitatu ſupervenit, & cum ſuis refectionem accepturus, juxta monaſterium requievit. Tunc beatus Johannes interrogat œconomum, ſi piſces haberent. Ut cognovit nullum eſſe; converſos in lacum quemdam monaſterio proximum, piſcatum ire præcepit. Omnibus autem aſſerentibus, numquam piſces in lacu illo fuiſſe; juſſit tamen ut pergerent, ac Domini patrocinium abſque dubio crederent adfuturum. Perrexerunt tandem, & cunctis admirantibus, duos magnos lucios inventos attulerunt beato Johanni, quos ipſe gaudens accepit, & domino Papæ continuo præſentari fecit.

XXVII. Venerat inter ceteros ad eum Teuzo venerandus pater & ſenex, quem

[a] Id eſt mitteret, ut inferius cap. 36. quod vocabulum adhuc in familiari uſu eſt apud Italos. De hac dedicatione vide litteras Itæ abbatiſſæ ſupra, in quibus Conrado imperatori hoc factum rectius tribuitur.

[b] Nempe prope Florentiam, ubi etiam nunc ſubſiſtit.

[c] Paſſinianum, vulgo *Paſſignano*, ubi poſtea vir ſanctus obiit, ſitum eſt altero milliari ab urbe Senis Florentiam verſus.

Digitized by Google

Ann. Ch MLXXIII. Julii XII. Teuzonis caritas.

fratribus in Razolo præfecit, quem præ ceteris ex corde dilexit, eo quod ipſum in caritate ferventiorem invenit. Erat quippe pater Johannes valde miſericors, ita ut pluviales, Valli-umbroſæ oblatos, egeſtatis tempore venderet, & omne pretium pauperibus daret.

XXVIII. Berizonis obitus.

Berizo quoque ſancti Salvii abbas, habens votum moriendi, non in ſuo, ſed in monaſterio Vallimbroſano, venit ad eum, rogans ipſum, ut hoc ſuis precibus impetraret. Cujus preces devote ſuſcipiens, pro eo benignus Pater oravit, &, ut diu cupierat, ibi die tertia defunctus eſt, & ſepultus.

XXIX. Annona cælitus data.

Sub eodem tempore, dum fratres nimis indigentia premerentur, & in monaſterio non eſſet quid fratribus in cibum poſſet apponi præter tres panes, juſſit eoſdem frangi, & cuique fratri fragmen unum adminiſtrari. Præcepit iterum cellerario mactare unum arietem, & ipſum ad edendum fratribus miniſtrare. Hodie, inquit, egemus, cras vero Deo parante abundabimus. Et hæc dicens, perrexit ad ſanctum Salvium, ſperans, quod familiam ſuam nunquam Deus pateretur fame diutius laborare. Fratres vero hora prandii pergentes ad menſam, carnem appoſitam exhorrentes, pauca tantum panis fragmenta comederunt, & à carne prorſus abſtinuerunt. Sed altera die, ſecundum prophetiam ſancti Johannis, quidam homines cum aſinis onuſtis frumenti farina venerunt, dicentes, ſe directos à nobilibus viris: ſed qui fuerint, hactenus ſciri non potuit.

XXX.

Item alio tempore, dum œconomus loci cibos omnes conſumſiſſe ſe diceret, & beatum virum inquireret, quid dare fratribus deberet; vir Dei juſſit, ut unus ex tribus bobus, quos habebant, occideretur, & fratribus in fruſta conciſus apponeretur. Cui œconomus: Quid, inquit, faciemus, poſtquam hunc manducaverimus? Et ille: Poſt hunc occides & alium; quo conſumto, ſi opus fuerit, dabis & tertium. Beatus autem Johannes juſtius fratres credens carnibus reficere, quam eos fame perire; ſperabat Dei miſericordiam adfuturam, qui ſervis ſuis in anguſtiis poſitis ſubvenire conſuevit. Quid plura? Fratres hora ſtatuta pergunt ad menſam, viſiſque ſolis carnibus obſtupeſcunt, eaſque nullo modo tangentes, ſilentes, patientes manſerunt. Et cum ſervus Dei prolixius oraſſet, quidam cœpit januas monaſterii pulſare. Cellerarius audiens ſignum, feſtinanter exivit, & illic hominem cum manutergio pleno panibus invenit. Quos lætanter accipiens, fratribus velociter appoſuit, oblitus interrogare quis eos duxiſſet, quiſve miſiſſet. Qui cum poſt paullum gratias redditurus ad januas rediiſſet, neminem reperit, & de illo converſos interrogans, eo die nullum hominem illic ſe vidiſſe dicebant.

XXXI. Johannis exemplo communis vita clericorum.

Exemplo vero ipſius & admonitionibus, delicati clerici, ſpretis connubiis & concubinis, cœperunt ſimul in eccleſiis ſtare, & communem ducere vitam. Hoſpitalia quoque conſtructa & eccleſiæ vetuſtæ renovatæ ejus auxilio cognoſcuntur, & in locis pluribus ad melius commutatæ. Nec mirum ſi homines, aut loca quælibet in melius ejus exemplo ſunt immutata, cujus vita cupientibus ædificari non modicum præbebit exemplum.

XXXII. Sancta ejus converſatio.

Erat quidem in cibo parciſſimus, in orationibus ſedulus, in vigiliis intentus, in ſilentio ſtudioſus, in eleemoſynis pro virium quantitate largiſſimus; & cum aliquid dare diſponeret, hominem, ſive pecus, vel aliquid aliud, ſtudebat aliis melius dare, ſibi vero deterius tenere. Indumentis viliſſimis ſemper utebatur. Nec in tanta ſua infirmitate patiebatur corpori ſubponi fulcrum, vel capiti plumeum capitale.

XXXIII. Septimenſe cœnobium ei commiſſum.

Sed cum decumberet, die noctuque ſanctos coram ſe libros legere faciebat, ut inſtructus aſſidua lectione, peritus divinæ legis, & divinarum ſententiarum competenter efficeretur. Cumque decumberet, aut pergeret, vel equitaret, cuculla jugiter utebatur. Ipſius etiam exemplo, celebre

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXIII. Julii XII. officium in nocte ſanctæ Reſurrectionis per Tuſciam, aliiſque locis nunc agitur. Cujus fama religionis, dum in locis plurimis celebris haberetur, Comes Bulgarus diſpoſuit ſuum cœnobium Septimenſe [a] ſub ejuſdem Patris regimine conſtituere. quod cum ab eo vix impetraſſet, valde gaviſus eſt, ſperans per ejus ſtudium, locum ipſum in melius proventurum. quod poſtea claruit, dum lex [b] ignea ibidem facta, locum eumdem mirabiliter exaltavit, & antea multis ignotum, poſtea plurimis reddit nominatum.

XXXIV. Miracula. Interea vir Domini diverſis cœpit clarere miraculis. Quidam homo plenus inſania in ejuſdem Patris cœnobio morabatur, qui dum medendi gratia Paſſinianum mitteretur, ad flumen Arnum venit, repertam ſcafam intravit, & ex illa, ſicut eum ſua inſania cogebat, ſe in amnis medium projiciens ait: Hic, quis Johannes, & qualis ſit ejus vita, patebit. Quem cadentem mox aqua ſuſcipiens, ſuſtinuit, ne mergeretur, eumque ſancti viri meritis ad ripam exteriorem ſanum, ſalvumque quaſi lignum leve deduxit. Hic luce clarius conſtat, ſanctum virum Johannem Creatori ſuo fuiſſe cariſſimum, ad cujus ſolius memoriam, tam velociter, tamque benigne præfatum miſerum de mortis periculo liberavit.

XXXV. Item dum idem venerabilis Pater à viſitandis aliis cœnobiis regrederetur ad ſuum, memor plurimæ indigentiæ, qua multos premi cognoverat; introiens monaſterium, diſpenſatorem familiæ, nomine Goffredum, & fratrem Ruſticum procuratorem monachum ad ſe vocans, ait: Inſpiciamus horreum noſtrum quomodo ſe habeat. quod tunc reperit abundanter eſſe repletum. Quibus, quaſi ironice, dixit: „Quamplurimi ſub inſtanti neceſſitate famis opprimuntur, vos autem uberius abundatis. Statimque juſſit quoddam vaſculum, capiens quatuor, vel quinque modios, impleri; & ſic per ſemetipſum ab hora tertia, uſque ad nonam tam grandi largitate oneris occupatus, nullatenus inde receſſit, ſed unicuique venienti, cui multum, cui parum, diſtribuit, & ſemper plenum, Deo largiente, permanſit.

XXXVI. Deinde dum in beati Salvii cœnobio moraretur, & per Azonem, qui poſtea ſanctæ Reparatæ fuit abbas, exenia viro Dei Teuzoni incluſo pro ciborum benedictione mandaret; præfatus Azo, dum rediret, via digrediens, tugurium quoddam intravit, & cum fratribus, quos ibi reperit, multa locutus eſt. Qui ad Patrem rediens, dum ab eo quæreret, Unde venis? & ipſe reſpondiſſet, ſe quo miſſus fuerat iſſe, ac rediſſe; mox ab eo audivit: Ego quidem non te illuc, unde venis mandavi. Deinde digreſſum à via, & ingreſſum tugurii, ac verba, quæ cum inventis fratribus habuit, per ſpiritum recognoſcens, omnia per ordinem patefecit.

XXXVII. Eodem tempore, quo ſimoniaca hæreſis per Tuſciam pullulabat, dum prædictus Pater adhuc eſſet in eodem ſancti Salvii cœnobio, quidam Florentinus, cujus filius languore conſtrictus, vicinam opperiebatur mortem; ut ægrum natum ſanaret, ac redderet rogaturus acceſſit. Cui cum diceret, non hæc ſua, ſed Apoſtolorum eſſe; pater gemebundus proſtratus ejus veſtigiis, tamdiu precibus inſtitit, donec vir Dei miſeratione commotus, ipſum remittens ad propria, ſe pro eo Deum rogaturum promiſit. Tunc ſtatim eo diſcedente, convocatiſque fratribus, ſuppliciter orationi incubuit. quibus humiliter in terram proſtratis, & orationibus pro eo ad Dominum fuſis, ille, cui cantatur in Pſalmo, *Domini eſt ſalus*, per dilecti ſui interceſſionem ægrotum integræ ſanitati reſtituit. Hoc miraculum idem ipſe, cui beneficium ſanitatis impenſum eſt, ſic contigiſſe, ut diximus, donec vixit, viva voce teſtatus eſt.

XXXVIII Alio quoque tempore, quidam Miles ex opido Cerlianenſi, gravi infirmitate tenebatur, & notiſſimus erat beato Johanni: & ecce ſervus ejuſ-

a Sic dictum, quod ſeptem milliaribus abeſſet à Florentia. Vide cap. 63. & 64.

b Quid ſit hæc lex ignea, intelliges ex ſequentibus capitibus 62. & 63.

ANN. CH. MLXXIII. JULII XII.

dem militis veniens ad illum, ac beatus Johannes ubi eum conſpexit, de ſuo domino ipſum interrogavit. Cui reſpondit: Domine Pater, jam per duos menſes, & eo amplius, multa tenetur infirmitate. Quod audiens venerandus Pater, panem accepit, eique pro benedictione miſit. Poſt quartam diem per ſemetipſum ad eum venit, ac pro ſalute, quam receperat, Deo & ſibi multas gratias egit.

XXXIX. Muncra rejecta.

Deinde, cum idem vir multo poſt tempore moreretur, præcepit filio, ut equum, cui ſedere conſueverat, ſancto Johanni daret, & ut pro ſe intercederet, rogavit. Sanctus autem vir deſpiciens tranſitoria, paupertatem amans, cæleſtia concupiſcens, equum homini reddidit, & ad propria cum eo redire juſſit. Cumque multum obſiſteret, & equum ſe non reducturum aſſereret, tandem præcepto ſancti viri coactus, cum equo lætus ad ſua rediit, benedicens Deum in tanti Patris admiratione. quod factum eſt, dum adhuc eſſet in cœnobio Muſcetano.

XL. Ædificia pulcra improbata.

Quem locum dum alio tempore viſitaret, cernens in eo caſas grandiores pulcrioreſque fore, quam vellet; accerſito domino Rodulfo ejuſdem loci abbate, ſibi vultu ſereniſſimo dixit: Tu in hoc loco magnis expenſis, quibus pauperes plurimi refoveri potuiſſent, ex proprio voto palatia fabricaſti. Et converſus ad quemdam rivulum parvulum prope manantem, dixit: Deus omnipotens, qui de minimis majora facere conſueviſti, videam, per hujus rivuli paucitatem, hujus enormis ædificii cito vindictam. & hæc dicens, abſque mora, diſceſſit. O mira Dei potentia! confeſtim rivulus eo recedente creſcere cœpit, & congregans aquarum fluenta largiſſima, relicto proprio alveo, præceps de monte ruit, immenſos petrarum ſcopulos & arbores ſecum trahens, prædictas domos funditus evertit. Unde Abbas ejuſdem loci cum fratribus perturbatus, de eodem loco cœnobium mutare diſponebat. quos benignus Pater his verbis conſolatus eſt: Nolite, inquit, timere, nec habitationem mutare: quia rivulus ille de cetero nullo modo vobis ultra nocebit. quod ejus vaticinium, verum, firmumque huc uſque permanſit. Denique rivulus ille de cetero domos ibi nullatenus læſit, nec quod tunc accidit ſancti viri precibus, ulterius minime contigit.

XLI. Novitii gratis accepti.

Iterum cum audiſſet quemdam virum venientem ad converſionem, totum ſuum patrimonium ſcripſiſſe in cartula, & ſucceſſoribus hereditate privatis, ſecum ad monaſterium detuliſſe; mox ad prædictum cœnobium venit, & Abbati, qui cartam acceperat, imperavit, ut abſque mora eam ſibi deferret. Quam dum acciperet, eam minutatim diſcerpens, ejus in terram fruſta projecit. Juſtius quidem ſibi videbatur, cum exiguis vivere, quam multiplicatis opibus ſuperbire. Deinde valde commotus, Deum, ejuſque Apoſtolum invocans, inquit: Omnipotens Domine, & tu ſancte Petre Apoſtolorum princeps, ulciſcimini me de iſto cœnobio. Et hæc dicens, iratus confeſtim abſceſſit. Quo non longe digreſſo, repentinus ibi ſuccenſus eſt ignis, qui totum monaſterium ex majori parte combuſſit. Quod incendium ſocius ejus, dum cerneret, eique nunciaret, nec retro reſpexit, nec ad locum rediit, ſed via qua cœperat Vallimbroſanum cœnobium feſtinanter adivit.

XLII. Stephanum IX. adire non vult.

Alio tempore, cum in eodem eſſet monaſterio, & papa STEPHANUS per viciniora loca tranſiret, ſuos legatos ad eum miſit, & ad ſe venire rogavit. Cumque nimia gravatus ægritudine, nec poſſet ad eum ire, nec vellet; legati revertuntur ad dominum Papam, aſſerentes illum ad ſe venire non poſſe. Quibus ipſe reſpondit: Ite, eique dicite, ſi aliter non valet, in lecto duci ſe faciat. Qui, mox ad ipſum regreſſi, juſſum domini Papæ ſibi nunciant. Quod ſanctus Pater audiens, ſtatim eccleſiam intrat; Deum, ejuſque ſanctos exorat, ut aliquod ſibi conſilium abſque ſcandalo

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXIII. JULII XII.

daret, ne ad ſupradictum Papam ire debeat. Oratione completa, ad legatos Papæ exiens, lecto ſe projiciens, aliquantos Converſos venire fecit, & ſe ad Papam portari præcepit. Cumque paullulum à monaſterio proceſſiſſet, mox aër validiſſime conturbatus eſt, ut ventorum nimietas, & immenſitas pluviarum pariter prorumperent. Quod cum legati cernerent, illum vere Dei hominem credentes, ad monaſterium reverti fecerunt, & ipſi curſu concito ad Pontificem redierunt. Hoc cum dominus Papa cognoſceret, ipſumque diceret eſſe ſanctum: Nolo illum ad me ultra venire, ſed in cœnobio ſuo quiete manere; ipſumque pro me, ſtatuque Eccleſiæ catholicæ, Dei clementiam exorare.

XLIII. Fratri mortuo preces negat.

In eodem autem cœnobio fratri cuidam medicinam ſua manu tradidit, & extemplo, cauſa alia emergente, alias feſtinus abiit. Prædictus vero ægrotus, non ſe caute cuſtodiens, intra paucos dies exſpiravit: pro cujus memoria per totam congregationem, ſicut mos eſt agi pro defunctis, ejus obitum per apicem deſtinavit. Nec multo poſt vir Dei rediens, Abbatem loci de fratre illo, qualiter defeciſſet, inquirit. Ille dum ei cuncta ſeriatim refert, dixit ad illum: Mitte quam ocius, & ex omni congregatione memoriam ejus dele. Quod dum factum eſſet, evoluto aliquanto tempore, cuidam monacho ex eodem loco circa medium diem viſibiliter defunctus apparuit. ad quem inquiens, Numquid tu es monachus talis? reſpondit, Prorſus ille. Qualiter nunc agis? Tum ille: Excommunicatus, & à conſortio fidelium per patrem Johannem ſum ſegregatus. Adjecit vivus inquiens: Quomodo te juvare valemus? Iterum ait: Si ſanctus Johannes me reconciliaverit. Qui ſtatim ſanctum virum adiit, & quæcumque de mortuo viderat & audierat, plangendo plurimum illi ſeriatim retulit. Tunc ipſe, ſicut erat mente piiſſimus, Abbatem loci venire præcepit, & pro anima excommunicati fratris officium & eleemoſynam in eodem cœnobio, ac per totam congregationem, velut eodem die obiiſſet, inſtanter fieri mandavit. Quæ omnia dum fideliter completa fuiſſent; defunctus iterum poſt dies triginta eidem monacho ſimiliter apparuit, eique dixit: Vade, & ſancto patri Johanni age pro me gratias, inferens quia ego per eum reconciliatus in electorum cœtu conſiſto.

XLIV. Apoſtatæ pœna.

Alio tempore quidam Converſus inſtinctu diaboli ſæculum dereliquiſſe, & ad monaſterium ſe veniſſe pænituit. Qui cum beatum Johannem nimiis ac importunis precibus ſæpe rogaſſet à monaſterio cum ejus licentia diſcedere, tandem vir beatus non tranquillo animo paſſus eſt eum abire. Cumque paullulum à Valle-umbroſa fuiſſet, diabolo ducente, digreſſus, de alta rupe per quam ibat, ab eodem quem ſequebatur præcipitatus, confeſtim exſpiravit. Unde patenter oſtenditur, quam periculoſum fuerit ſanctum virum relinquere, aut ejus indignationem incurrere.

XLV. Sancti miracula.

Item alius homo, Florentius nomine, urbanæ eloquentiæ & civilis, qui ſimoniaca perfidia pro defenſione cujuſdam Epiſcopi valde fuerat maculatus, dum graviſſima teneretur infirmitate, morti ſe proximum penitus aſſerebat: ſed inter graves luctus crebroſque ſuorum ſingultus, per amicos ſuos à ſancto viro monaſticum habitum poſtulavit. Cui ſine multa dilatione probationis habitum minime tradidit, ſciens eſſe ſcriptum: *Probate ſpiritus, ſi ex Deo ſunt.* Qui ſuſcepto monaſtico habitu, dum jam convaluiſſet, & clauſtra monaſterii baculo ſuſtentante luſtraret, infirmitas prior eum repetiit, ita ut morti propinquus eſſe videbatur. Quod dum vir ſanctus audiſſet, adhibitis ſecum fratribus feſtinus lectum ægroti petiit, ac multis precibus eum, qui in proximo moriturus erat, Domino commendabat. Infirmus vero cœpit vultum ſuum operiri pallio, quo fuerat coopertus. Ad quem Abbas Johannes: Quid eſt quod agis? Tum ille pallens, & tremens dixit: Terribilibus oculis cerno diabolum prope aſſiſtere, ex cujus

Digitized by Google

ore miræ magnitudinis flamma, exque naribus ſulfureus fumus egreditur. Ubi eſt, inquit? En ibi eſt, domine Pater. Tunc beatus Johannes raptim abſtulit crucem ex manibus tenentis eam, & diabolum ex ea fortiter percuſſit. qui ſtatim ex oculis mirantis, ut fumus evanuit. Tunc æger voce qua poterat clamabat, dicens: Deo gratias, Deo gratias, ecce fugit, ecce receſſit; ecce nunc adeſt beata Maria, ſanctus Petrus cum ſancto Benedicto. Vix verba compleverat, & ſtatim ſpiritum exhalavit. Hinc liquido patet, quam præcelſi meriti fuerit iſte ſanctus Pater, cujus precibus ipſe languidus, per Crucis obſtaculum, ab infeſtatione dæmonum eſt liberatus. ANN. CH. MLXXIII. JULII XII.

Non longe poſt venit ad eum quidam ruſticus, & provolutus ejus genibus, magnis vocibus cœpit obnixe rogare eum pro unico ſuo in agone conſtituto: quatenus ſuis precibus ab inſtanti mortis periculo liberaret. Cui multum compatiens, fratribus imperat pro ægroto, Dei miſericordiam exorare. Quid multa? Fratribus in eccleſia orantibus, ipſe ſolo proſtratus, magnis gemitibus Chriſti miſericordiam poſtulans, panem tranſmiſit, & ſtatim ægrotanti reddit ſanitatem. XLVI.

Deinde cum adhuc famis inopia vehementer inſtaret, & prædictus Pater tunc ante fores monaſterii de Razolo eſſet, aſſpiciens vaccarum ſuarum gregem in jugo alpium paſcere, unam ex illis, dum nihil haberet, quod pauperibus alimoniam petentibus daret, à beato Paulo petivit, dicens: O ſancte Paule, ſi pauperibus his unam dares ex illis. Hæc eo dicente, una deorſum ruit, ſtatimque mortua eſt. Cujus carnes juſſit continuo dari pauperibus. Qua conſumpta, ſupplex orando ſecundam, tertiam, & quartam accepit. Quas omnes pauperibus tribuit. Qua de re paſtores triſtes effecti, duxere gregem vaccarum ex alio latere montis. Sed idem vir Dei petitioni pauperum ſubvenire deſiderans, cum non haberet quid petentibus daret, iterum ad ſanctum Paulum converſus ait: O Apoſtole ſancte, iſti locum mutando fugerunt; te, qui hujus loci patronus exſiſtis, fugere nequeunt. tu qui multum miſericordiam prædicaſti, tribue mihi quid adhuc inopibus porrigere valeam. Sic eo cum lacrymis orante, denuo quinque de vaccarum numero corruerunt; quarum omnium carnes in cibum juſſit pauperibus miniſtrari. Tunc paſtores valde turbati pro novem animalium damno, venientes adverſus eum, magnas querelas ingeminant, dicentes: Melius in tuo monaſterio Vallimbroſano ſtares, quam huc venires. Quibus ille placide reſpondit: Scio vos ſuper hoc eſſe triſtes, nec amplius vultis impendere. Ne timeatis, quia nulla earum hoc tempore plus morietur. quod & factum eſt. Et ſic ipſo orante, ruina vaccarum & mors prius fuit; & mox ut orare ceſſavit, incolumes permanſerunt. Interea ſanctus idem Pater, cujus mentem flamma caritatis urebat, cernens adhuc famelicorum inopiam, & ſe non habere quod concite dare poſſet, totum lac animalium ſuperſtitum juſſit diſtribui pauperibus: & ſic diu lactis præbendo liquorem, multos à famis periculo liberavit. XLVII. Caritas in egenos.

In eiſdem diebus, cum ad Vallimbroſanum cœnobium regrederetur, accerſito villico de Ponta, promiſit ei berbicum mittere gregem, in quo multi arietes habebantur; juſſitque illi de prædictarum ovium lacte ſe paſcere, quantoſque ſecum poſſet pauperes, atque de eodem quotidie ſuſtentare: prædictos vero arietes, donec ſupereſſet unus ex illis, inopibus largiretur. ſicque factum eſt. XLVIII.

Quidam etiam famulus ejus de Razolo Vallumbroſam venit ad eum, nuncians urſum maximum vaccarum damnum crebro facere. Cui dixit: Vade, & interfice eum. Qui regreſſus, prædictumque urſum in antro quodam arboris ſtantem inveniens, ſecuri percutiens arborem, nihilque metuens, dixit: Egredere, quia dominus Abbas imperavit ut te occidam. Egreſſus ſtatim eſt interfectus ab illo. XLIX. Alia mira.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXIII. JULII XII. L. Præterea venerabilis Pater tranſiens inde per alpes, venit ad locum, in quo tantæ arboris obſtaculum ruerat, quod multorum paria boum, & hominum multitudo leviter amovere non poterant: alia quoque via, rupibus obſiſtentibus iter mutari non poterat. Ubi modice conturbatus, quaſi queritando, ſocio dicere cœpit: Heu quid faciemus? Et converſus in precibus, cum redire ſibi grave videretur, nec procedere poſſet; divinum auxilium humiliter obſecrabat. Tunc Ugo plebanus ſancti Johannis Majoris, tentans ſi quem tranſitum inveniret; tandem aggreſſus molem arboris levavit in collo, cujus pondus homines multi, nec multorum paria boum (ut prædictum eſt) ullatenus dimoverent, eamque ſicut leve virgultum diu ſuſtinuit, ut ipſemet ſæpius teſtabatur. Sicque tranſierunt illæſi venerandus Pater, prædictuſque plebanus. Quod miraculum incolæ terræ nunc uſque teſtantur, adjicientes actum eſſe in locum, qui dicitur ad Cellas-veteres, non longe à cœnobio Razolenſi.

LI. Item prædictus Pater cuſtodibus boum de Razolo die toto arare præcepit, & in nocte pabula carpere. Illi vero reſpondentes urſos & lupos, nocturnoſque timere latrones, ait eis: Beatus Paulus illæſos eos cuſtodiat. Tunc noctu venientes latrones, unum è bobus per cornua ligaverunt, ſed de loco mutare non valuerunt. Quem mane cuſtodes adhuc ligatum repererunt, lacrymaſque more hominum fundere cœperunt, & hoc prædicto Patri nunciaverunt. Ad quem Pater accedens dixit: O bos vade, tuumque officium imple. Non enim te ſervatum à noxiis feris, latronumque rapina ſanctus Paulus perdere voluit.

LII. Poſt hæc, cum eſſet in Paſſiniano, vir quidam ex territorio Ponienſi venit ad eum, dicens ſæculum ſe velle relinquere. quem quaſi reſpuens, ut abiret juſſit: ſed homo mirabiliter inſtans, & ut ſui miſereretur ſuppliciter orans, demum, ſicut erat mitiſſimus, ejus piæ petitioni annuit. qui veniens reatus ſuos ex parte prodidit, & majores quoſdam erubuit confiteri. Quem non poſt dies plures ad ſuſceptionem hoſpitum, & peregrinorum obſequium exterius collocavit. Pius autem Pater agnoſcens inſpiratione divina, quæ nequiter occultaverat; una die dum idem Gerardus alimenta venientibus hoſpitibus miniſtraret, illum ſeorſum vocans, dixit ei: Gerarde, quare me ſic fallere præſumpſiſti? At ille tremens reſpondit: Quomodo, Pater mi? Et Pater: Quando congrue poteris ad me venias, & quod profeſſus es indicabis. At ille præceptum Patris adimplens, dum ei licuit, venit ad eum. Cui vir Domini: Numquid non mihi dixiſti, quia ex integro tuorum ſcelerum abſcondita panderes? Et ille: Utique dixi. Et Pater ad eum: Si ita dixiſti, quare tam crudeliſſimum facinus, quod in die ſanctæ Apparitionis Domini & ejuſdem diei vigilia cum uxore talis illius hominis commiſiſti, mihi patefacere noluiſti? Inſuper non tibi ſufficiebat tam gravis iniquitas, niſi ad tui confuſionem iterum in mente diſponeres ad tam grande piaculum reverti? Tunc ille mente confuſus, videns ſe mendacii proprii laqueo deprehenſum, confeſtim ad terram corruit, pœnitentiam ſui criminis lacrymis quærit, & omnia quæ ſanctus Pater indicaverat, eſſe vera fatetur.

LIII. Item dum in eodem monaſterio eſſet, vir nobilis, Ubaldus nomine, de caſtro Figlini, notiſſimus ac familiariſſimus ſancto viro, prævalida ægritudine correptus videbatur ad extrema deduci. Qui vocatis militibus ſuis & cuncta familia, de propria domo ſuiſque rebus diſponere procuravit. Tunc uxor unum è nobilibus ſuis, Benzonem nomine, marito jam in agone conſtituto, vocat, eumque ad Paſſinianum, unde maritus compatronus erat, ire quantocius mandat, & adventum ejus funeris ſancto viro nunciare. Cumque feſtinus iret, obviavit cuidam, qui dixit ei ſe redire à ſancti Caſſiani cœnobio, ubi ſanctum virum eo die dimiſerat. Nuncius hoc audiens,

ad

Digitized by Google

ad montem Scalarium ilico venit, & ſanctum hominem ante fores monaſterii pſalmos, aut aliud quid reperit meditantem. quem cum ſalutaſſet, requirit ab eo, qualiter eſſet illi. Reſpondit, Triſtis & nimis mærens me fore confiteor pro nobili viro, veſtroque fideli amico, qui nunc migrare videtur à ſæculo. Cui inquit: Quis eſt ille? Reſpondit Benzo: Veſter valde fidelis illuſtris Ubaldus. Statim venerabilis Johannes, verſis ad Orientem luminibus, in multa compunctione parumper ſubſtitit, ac deinde oratione completa, Benzonem aſpexit, eumque præcepit abire, conſolans ipſum & dicens: Quamocius ad propria regredere, quoniam infirmus ille, ſuper quo mæſtus veneras, incolumem, Deo præſtante, reperies. &, ut promiſit, orationibus ejus, per Dei gratiam actum eſt. Quod plurimi de domo præfati Ubaldi oculata fide cum uxore videntes, ac nonnulli de circumſtantibus audientes, miſericordiam Creatoris in beneficio ſui famuli collaudabant. Ann. Ch. MLXXIII. Julii XII.

Hujus præclari viri gravitatem & patientiam Gregorius, dum adhuc in apoſtolica Sede Archidiaconi officium gereret, qui poſtea ſeptimus Gregorius Papa fuit, vir omnino Deum amans; cum eum dure increpare diſponeret, præordinata quæ dicere putabat oblitus eſt verba. Qua ipſius perfectione ſic ab eo comperta, deinceps tantus inter utrumque firmatus eſt amor, quantus inter amicos cariſſimos & uterinos ſolet eſſe germanos. Hæc itaque vera fuiſſe, Rodulfus olim abbas Paſſiniani, religioſus & ſanctæ converſationis, qui tunc intererat, frequentiſſime teſtabatur: de cujus teſtimonio veridici viri nullatenus eſt hæſitandum. LIV.

Alio quoque tempore vir Domini nimis ægrotus pulmenti ſibi appoſiti fratri cuidam, Gerardo nomine, particulam porrexit. quam obedienter antea ſumſit, ſed poſtea cœpit intra ſe multa volvere verba, quomodo tam facile conſenſiſſet cibum accipere, quem ſibi cogitabat tunc neceſſarium non fuiſſe. Quod pater Johannes per Spiritum-ſanctum intelligens, expleta refectione, dixit ei cuncta quæ cogitaverat, ſibique per ordinem enarravit. Tunc prædictus frater arcanum ſui pectoris diligenter expoſuit, & omnia, quæ vir Domini dixerat, eſſe vera confeſſus eſt. Et nocte ſequenti abſceſſurus, matutinali celebrata ſynaxi cum eodem Patre, iſdem ſiti graviſſima clam laborabat. Quod Johannes pater per cordis illuminationem agnoſcens, nutu miniſtrum ſuum advocat, ac ſcyphum vino aqua mixto repletum, diſceſſuro fratri dari ſignavit. Qui porrectum ſcyphum cum vino ſumſit, & exſtincta ſiti, cum licentia Patris gaudens abſceſſit, agens gratias Deo pro tam eximii reverentia Patris, qui mentis ſuæ ſecreta tam patenter agnoverat, & in omnibus expoſuerat. LV.

Unus exinde clericus plurimum dives vendidit omnia ſua, & multos ex rebus ſuis accipiens nummos, venit ad eum. quem cum ille paupertatis amicus audiret qua de cauſa veniſſet, ſic eum alloquitur: "Quamdiu nummum unum ex his tecum habueris, vel apud te ſervaveris, nec mecum "participare, nec amicus eſſe valebis. "Hæc clericus audiens, abſceſſit, pretiumque venditi patrimonii, quod vir Domini ſpreverat, in pauperum ſuſtentationem diſtribuit, ac deinde remeavit ad illum, qui Deum, auro, & inopes divitibus præponebat. Hoc Johannes Pater audito, & quid egiſſet in veritate diſcutiens, qui ante locupletem ſpreverat, factum pro Chriſto pauperem poſt hæc dilectum ſuſcipit in filium. LVI. Clerici nummi rejecti.

Subinde divino ſpiritu inflammatus, more ſolito non contentus tantum ſuos ſubjectos, ſed etiam abſentes inſtruere & corrigere ſatagebat, quibuſdam epiſtolas mandans: quarum unam Epiſcopo Vulterrenſi ſatis utilem pro correctione ſui, ſuorumque mandavit, quam ob nimiam prolixitatem, huic opuſculo inſerere recuſavi. LVII. Johannis epiſtola.

Poſt hæc, cum longe lateque odor ſanctitatis ejus ad multorum notitiam LVIII.

ANN. CH. MLXXIII. JULII XII. Gratia apud omnes.

deveniſſet, ad eum de diverſis terris & regnis veniebant monachi, clerici, fideleſque laïci, præcipue Mediolanenſes. Audiebant quippe ſimoniacam hæreſim Johannem Patrem cum ſuis fratribus publicè condemnare, & ſupra omnes mortales modis omnibus expugnare. Propterea venientium ad eum neminem pænituit, ubi vidit illum, & audivit: nec dolere poterat ſe diſpendium pertuliſſe, vel itineris longioris ſumſiſſe laborem. Nam ſi cor dubium, aut fortaſſe tepidum aliquis viſitantium eum haberet, alacer regrediebatur, & cor in fide firmatum reportans, & marſupium profecto non vacuum. Acceperat enim à Domino Jeſu-Chriſto vultum omnibus gratum, & ſermonem placidum exhibere, manumque largam ad præbendum, dum facultas ei ſuppeteret.

LIX. Simoniæ odium.

Jam omiſſis plurimis, quæ Deus per ejus merita declaraverat, tempus expetit referre, qualem, & quantam pugnam contra ſimoniacam hæreſim Johannes pater cum ſuis, teſte maxima parte mundi, Deo propitio geſſit.

LX. Vexatio inde ſecuta.

Sicut ſupradictum eſt, Johannes pater Petrum Florentinæ eccleſiæ ſimoniacum invaſorem aperte clamaverat; adhuc etiam eligens cum ſuis potius amittere mortalem vitam, quam celare veritatem, ipſum Petrum non tantum ſimoniacum, ſed etiam hæreticum ſæpe dicebat: unde pervalida contentio in clerum, & populum Florentinum orta eſt. Alii quidem temporalia commoda diligentes, ipſum defendebant: alii cum monachis jam illorum crudelibus verbis, eidem vehementius obſiſtebant. Dum hæc igitur contentio per dies multos inter clerum & populum haberetur, & ſeditio inde frequenter oriretur; exiſtimavit hæreticus Petrus clericos & laïcos hoc modo terrere, ſi monachos necaret, à quibus verba ſibi contraria principia ſumſerant. Pro qua re miſſa multitudine peditum & equitum, nocturno tempore, juſſit ſancti Salvii cœnobium igne comburi, & monachos ibi repertos interfici. Johannem vero Patrem illic exiſtimavit tunc inveniri, ſed ipſe præterito die receſſerat. Ingreſſi igitur eccleſiam, dum fratres nocturnum officium celebrarent, evaginatis enſibus, ut immites carnifices, oves Chriſti mactare cœperunt. Alii ſiquidem in fronte tam grave vulnus infixerunt, ut uſque ad teſtudinem cerebri acies ferri veniret: alterum vero tam impie, tam graviter ſub oculis percuſſerunt, ut naſus & dentes cum ſuperiori labio à compagine ſolita divideretur, & ſuper barbam in inferiori loco penderent: alii præterea gladiorum vulnus in interiora fixerunt. Dehinc ſuper eos variis plagis illatis, demum altaria penitus everterunt, & deprædati ſunt omnia quæ invenerant. Poſt hæc, igne domibus impoſito, monachis in eccleſia ſeptem pſalmos cum letaniis cantantibus, & in nullo reluctantibus, nec ſilentium frangentibus, ipſos nudatos & ſemivivos relinquentes abierunt. Nam etiam ejuſdem monaſterii Patrem, nomine Dominicum, converſatione ſanctiſſimum, omni nudaverunt amictu. qui tamen ſic nudus, cœpit ſollicite quærere, ſi quid poſſet invenire, quod ſe indueret. Tandem pelliceum indumentum, quod ob incuriam inter fratrum lectos ceciderat, invenit, ſeque illum diſſutum & conſciſſum ac vetuſtate dilapſum induit. Sed unde inimicus victoriam & exaltationem acquirere credidit, inde detrimentum & confuſionem invenit. Nam multi de clero & populo, qui prius ejus videbantur eſſe fautores, ipſius intuentes impietatem, deinceps monachis facti ſunt adjutores, ipſius condemnantes & blaſphemantes omnimodam pravitatem.

LXI. Sequenti vero die tam homines, quam mulieres Florentiæ ad ſupradictum cœnobium venerunt, & quicumque poterant, neceſſitatibus Fratrum neceſſaria fideliter obtulerunt. Felicem ſe quiſque credebat, ſi aliquem monachorum videre valebat, aut eorum ſacrum ſanguinem fuſum ex terra, lapidibus & lignis, ſuis pannis poſſet extergere, cupientes illum pro magnis reliquiis ſecum habere.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXIII. Julii XII.

LXII.

Beatus autem Johannes Vallumbroſæ tunc poſitus, audiens quod acciderat, amore martyrii flagrans ad ſanctum Salvium feſtinus venit. Abbatem ceteroſque fratres flagellatos, cæſos, nudos conſiderans, dixit: Nunc vere monachi eſtis, ſed cur ſine me hoc perferre voluiſtis? Valde enim doluit, quod præfatæ perſecutioni minus interfuit. Verumtamen in hoc ipſe martyrii bravium obtinuit, qui diſcipulorum mentes ad omnem tolerantiam incitavit. Ad hoc etiam venit, quod ſe teneri, flagellari, detruncari ſperabat, & occidi pro defenſione catholicæ fidei. Monachi vero tanto fortiores exinde facti ſunt, quanto ſecuriores de corona martyrii, quam jam prægustaverant. Nam tempore Synodi euntes Romam, conſtanter & publice Petrum ſimoniacum & hæreticum proclamaverunt, ignem ſe profitentes intrare ad ſcelus ipſius probandum. ALEXANDER autem Papa, qui tunc apoſtolicæ Sedi præſidebat; nec tunc accuſatum voluit deponere, nec igneam legem à monachis ſumere. Pars enim maxima Epiſcoporum Petro favebat, & omnes pæne monachis erant adverſi: ſed archidiaconus ILDEPRANDUS monachorum in omnibus auditor & defenſor factus eſt.

LXIII. Florentiæ acta in ſimoniacos.

Deinde cum lis ipſa quotidie creſceret in immenſum, tanta perſecutio facta eſt adverſus Florentinum clerum catholicæ partis; ut eam non ferre valentes archipreſbyter aliique quamplures, exeuntes de civitate confugerent Septimenſe cœnobium: quibus Johannes Pater benigne ſuſceptis, omni caritate ſubſidium pro poſſe ferebat. Eo tempore Dux GOTTIFREDUS ita parti Petri favebat, ut minaretur interimere monachos & clericos eidem adverſos. qua de cauſa Petri pars tunc aliquanto prævaluit. Quæ autem lingua fari poteſt perſecutiones & anguſtias, quas ea tempeſtate catholici ſunt perpeſſi? Eiſdem quoque diebus præfatus Papa Florentiam venit, & ligna præparata & coadunata ſunt ad accendendum ignem, quem ingredi monachi cupiebant, ut comprobarent ſæpe fatum Petrum ſimoniacum & hæreticum eſſe. Quod examen Papa tunc recipere renuit; ſed clero & populo ſub eadem lite relicto diſceſſit. Sed qualiter omnipotenti Deo prædictam peſtem tandem ſedare, & prorſus exſtirpare placuerit, ut clarius poſſit intelligi, tota epiſtola Florentinorum, præfato Papæ directa, per ordinem in hoc loco ſcribitur, & quod tunc oſtendere Dominus omnipotens dignatus eſt, ad beati Petri corroborandam fidem, & ad Simonis Magi deteſtandum errorem legentibus & audientibus liquido pateat.

« LXIV. « Florentinorum hac « de re epiſtola.

ALEXANDRO, primæ Sedis reverendiſſimo ac univerſali Epiſcopo, clerus & populus Florentinus, ſinceræ devotionis obſequium. Jamdiu tædium & laborem noſtrum, necnon certamen monachorum contra ſimoniacam hæreſim paternitas veſtra bene novit: & nunc quoque dignum eſt, ut qualiter Deus excelſus pie, ac miſericorditer ſcrupulum hujus rei de cordibus noſtris abraſerit, prænoſcatis. Signa enim & mirabilia Dominus noſter in nobis fecit, & per ea cæcitatem ignorantiæ, & dubietatis caliginem, ac tenebras erroris de pectore hominum pepulit, & fidem nobis augendo & dilatando, & in ſe ſolidando, lux mentibus ſuæ veritatis clementer infulſit. Paſtor quidem bonus de cælo venit, & ovibus aſſiſtentibus, atque ad ſe totis medullis clamantibus, ſententiam ſereno clariorem, ſoleque lucidiorem, omnique dicto apertiorem, omnique viſu certiorem, de medio ignis, populo ſuo dedit. Quod vero plebi Florentinæ de PETRO Papienſi, qui ſe noſtrum Epiſcopum haberi volebat, tenendum ſit, in ſuo tremendo judicio declaravit. Sed licet miraculorum narratio videatur aliquantulum protelari, cauſas tamen, unde adhuc ventum eſt, nequaquam inutiliter putamus debere ſuccincte præſcribi. Quadam etenim die omnes Florentinæ civitatis clerici una congregati, cœpimus tam de clericis de locis ſuis expulſis, quam etiam de nobis ipſis, ante Papienſem Petrum con-

Digitized by Google

Ann. Ch MLXXIII. Julii XII.

» queri. De abjectis enim, quia conſilium & ſolatium eorum amiſeramus; & » quia etiam Prior & archipreſbyter noſter, metu hæreſis, è civitate receſ» ſerant: de nobis autem, quia bona pars civium noſtrorum nos hæreticos » acclamabat. nam videns nos ire ad eum, dicebat: Ite, ite, hæretici ad » hæreticum; ite, quia per vos hæc civitas voragini dabitur; qui Chriſtum » impietate veſtra de ipſa expellitis, & beatum Petrum Apoſtolum expug» nantes, Simonem Magum pro Deo inducendo colitis. Quid plura? Roga» mus eum, ut tam nos, quam ſe ab hac infamia liberet, dicentes: Ecce » nos ſi te mundum ſenſeris, ſi tu nobis juſſeris, Dei pro te judicium ſubire » non dubitamus; aut ſi probationem, quam monachi hic, & Romæ fa» cere voluerunt, recipere vis, ad eos imus, eoſque obnixe rogamus. Ad » hæc ille inquit, neutrum ſe jubere, neutrum velle, neutrum recipere. » Quin etiam edictum à Præſide per legatos ſuos impetravit, ut quicumque » laïcorum, quicumque clericorum ſe ut Epiſcopum non coleret, ſuique » imperio non obediret, ad Præſidem vinctus non duceretur, ſed trahere» tur. Si autem quis noſtrum, his minis territus, de civitate fugeret, ad do» minium Poteſtatis adſumeretur, quicquid poſſediſſet. Clerici vero, qui » ſub tutelam beati Petri apoſtoli agendo contra ſimoniacam hæreſim in Ora» torium ejus confugerant, aut ſibi conciliarentur, aut ſine ſpe audientiæ » extra civitatem pellerentur. Hinc factum eſt, ut veſperaſcente ſabbato » initii jejunii, cum apud prædictam eccleſiam beati Petri apoſtoli ipſi cle» rici lectionum ac reſponſoriorum ſequentis Dominicæ recordarentur; mu» nicipales præſidis, eo quod ſe cum ſalva reverentia Petri apoſtoli ſimonia» co hæretico non poſſe obedire reſponderint, illos extra emunitatem Ora» torii, beatum Petrum Apoſtolorum principem parvipendentes ejicerent. » Fit denique pro hoc ſcelere concurſus catholicorum virorum, & maxime » feminarum velamina capitum projicientium, & expanſis crinibus flebili» ter incedentium, pectora pugnis, miſerabiles ad Deum voces mittendo, » dure tundentium, & ſuper virorum ac filiorum morte triſte lamentantium. » Nam in plateas luto plenas ſe proſternentes, aïebant: Heu, heu, ô Chri» ſte, tu, hinc ejiceris; & quomodo nos deſolatas relinquis? Tu nobiſcum » habitare non ſineris; & nos quomodo hic habitamus? Vidimus quia no» biſcum manere voluiſti, ſed vadis, quia Simon Magus te non permittit. O » ſancte Petre, numquid à Simone Mago vinceris, quia ad te confugientes » non defendis? Nos putavimus ipſum in infernalibus pœnis eſſe vinctum & » catenatum: ſed ecce cernimus illum ad tuum dedecus hoſtiliter ſuſcita» tum. Virorum quippe alii ad alios dicebant: Videtis, & aperte videtis; » Chriſtus hinc diſcedit, abit, quia legem ſuam adimplens, ſe pellenti non » reſiſtit. Et nos viri fratres civitatem hanc, quo hæretica pars ea non gau» deat, incendamus, atque cum parvulis & uxoribus noſtris, quocumque » Chriſtus ierit, ſecum eamus; ſi Chriſtiani ſumus, Deum ſequamur.

» His ergo ejulatibus, hiſque doloribus, nos quoque clerici, qui ipſi Pa» pienſi videbamur fautores & aſſeclæ, & qui ab aliis hæretici acclamaba» mur, eo quod ipſum ſequebamur, permoti, ſeramus eccleſias, & more pro» jectorum, non tangimus campanas, populis non pſalmos, non denique » canimus Miſſas. Nec mora, nobis congregatis, fit Domino inſpirante » conſilium. Ad Dei monachos, qui Septimo in monaſterio ſancti Salvato» ris degunt, communi voto quoſdam noſtrum mittimus, petentes & oran» tes dubietatem hujus rei velle prodere, & veritatem cognoſcere, cogni» tamque firmiter promittentes tenere. Reſponſum autem eſt nobis, quia ſi » catholicam fidem pro viribus vellemus tenere atque defendere, & ſimo» niacam hæreſim impugnando deſtruere, virtus Salvatoris, tam hujus ne» gotii dubietatem, quam etiam cæcitatem de cordibus noſtris eliminaret. » Fatemur, promiſimus de hac re hoc ſequi, quod & ipſi, ſi ſuis factum

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXIII. JULII XII.

compenſarent dictis. Quid plura ? Statuitur dies omni voto quæſita, in qua, & dubietatem perdidimus, & ex qua veritatem, quam monachi dicebant, pro poſſe defendendo tenemus. Quarta namque feria, in prima hebdomada Quadrageſimæ, conſtituitur dies. Secunda & tertia feria ſpecialiter pro hoc Deum oramus, & ut Deus, qui unica eſt veritas, veritatis hujus reſeraret oſtium, obſecramus. Illuceſcente vero quarta feria à quodam noſtrum itur ad virum Papienſem, qui rogans eum inquit: Fac pro Dei tremore, proque remedio animæ tuæ, ſi eſt de te quod monachi dicunt. Noli clericos, noli populum in eundo laboribus afficere; noli Deum experiendo tentare, ſed hujus negotii veritatem, ad Dominum te convertendo, pande: aut ſi hoc te noſcis immunem reatu, nobiſcum venire dignare. Ad quæ ille: Nec ego illuc venio, neque te, ſi tu me diligis, ire volo. Ad hæc vero dictum eſt ſibi: Profecto Dei judicium, quia omnes vadunt, videre ibo; & quid ibi agatur, ſollerter ſcire curabo; & quodcumque Deus judex juſtus in judicio ſuo recto monſtraverit, ſecundum meum valere defenſabo. Nec tibi meum moleſtum ſit iter, quia te hodie qualis ſis, ſententia Dei recte oſtendet. Aut enim te hodie, magis quam umquam fueris, habebimus carum, aut viliorem & contemtum. Nos interim, quaſi cæleſti præmoniti oraculo, non exſpectamus nuncium: curriturque à nobis clericis, atque laïcis & feminis ad Septimum, in quo eſt ſancti Salvatoris monaſterium. O mira Domini potentia, miraque clementia, qui voluntates non ſolum expeditis, ſed etiam prægnantibus vires ad eundum donavit! Numquid enim longitudo matronas, numquid via cœnolenta multitudine aquarum delicatas terruit ? numquid pueros jejunium exaſperavit ? Congregatis denique omnibus clericis & laïcis promiſcui ſexus & ætatis fere ad tria millia ad prædictum monaſterium, interrogamur à viris Dei: Cur, fratres, veniſtis ? Reſpondetur à nobis: Ut illuminemur, & errorem relinquentes, veritatem ſequamur. Quomodo, inquiunt, illuminari vultis ? Nos inquam reſpondentes: Ut copioſo probetur igne, quod de Papienſi Petro dicitis. Quem, inquiunt, fructum hoc facto habebitis, aut quem honorem inde Deo reddetis ? Reſpondemus omnes: Et erimus vobiſcum rectam fidem defendentes, & ſimoniacam hæreſim abominando, Deo ſemper gratias agentes.

Quid longius moramur ? Fiunt ſtatim à populo duæ ſtrues lignorum altrinſecus juxta ſe in longitudine poſitæ: ſingillatim vero longitudo utriuſque fuit pedum decem: latitudo autem ambarum ſingillatim quinque pedum, & dimidium dimidii pedis: altitudo denique utriuſque ſeparatim fuit quatuor pedum & dimidium. Inter utraſque vero pyras in longitudine ſemita unius brachii exſtitit, & ipſa ſtrata ſiccis lignis, & ad ardendum bene paratis. Interea fiunt pro hac re pſalmodiæ, letaniæ, ſupplicationes. Monachus [a] intraturus ignem eligitur; juſſuque Abbatis celebraturus Miſſam ad altare procedit. Miſſa vero cantatur cum magna devotione & ſupplicatione omnium. Chorus monachorum & clericorum, necnon laïcorum ex corde lacrymatur. Ut autem ventum eſt ad *Agnus Dei*, quatuor monachi, unus imaginem Domini crucifixi, alter aquam ſanctificatam, tertius XII. cereos benedictos accenſos, quartus thuribulum thure plenum bajulantes, procedunt ad ſuccendendum lignorum præſcriptas pyras. His igitur viſis, clamor omnium in cælum attollitur, *Kyrie eleiſon* flebiliſſime pleno ore cantatur. Jeſus-Chriſtus creberrime, ut exſurgat, cauſamque ſuam defendat, oratur: Maria ejus mater, ut hoc ſibi ſuadeat, multum à viris, plurimum à feminis ſupplicatur: Petri Apoſtoli nomen, quo Simonem perdendo damnet, millies ingeminatur: Gregorius urbis Præſul, ut

[a] Scilicet Petrus, ob id Ignitus dictus, de quo ſupra cap. 15. & infra cap. ſequenti. De hoc facto lege librum tertium Dialogi Victoris tertii in parte 2. Sæculi IV. pag. 456.

Ann.Ch MLXXIII. Julii XII.

» ad ſuas verificandum properet ſanctiones, ſuppliciter obſecratur. Interea
» dum pro ingenii capacitate ab omnibus Deus oratur, preſbyter[1], perceptis
» ſalutis myſteriis, & expleta Miſſa, exutaque caſula, ceteriſque ſacerdotii
» indumentis ſibi retentis, crucem Chriſti portans, cum Abbatibus & mo-
» nachis letanias faciendo, ad ſtrues lignorum jam rogos fieri incipientes
» appropinquat: ibique Deus quam multipliciter ac uniformiter ab omnibus
» adoratur. Nulla lingua fari, nullus ſenſus colligendo valet meditari. Tan-
» dem ſilentium cunctis imponitur, & ut conditionem rei, pro qua hæc fie-
» bant, intente audiamus, & bene intelligamus monemur. Eligitur denique
» Abbatum unus clamoſus voce, apertus lingua, qui aperte ad intelligendam
» orationem, in qua conditio petitionis ad Deum continebatur, populo le-
» git. Collaudantibus autem cunctis conditionem, tunc iterum alius Abba-
» tum ſilentium petit, elevanſque vocem, alloquitur omnes dicens: Viri
» fratres & ſorores, pro ſalute animarum veſtrarum, teſte Deo, hoc faci-
» mus, ut deinceps à ſimoniaca lepra, quæ fere jam totum ſordidat mun-
» dum, caveatis. Hujus lepræ contagium tam magnum eſſe ſciatis, quod
» iſtius immanitati cetera crimina comparata, ſunt quaſi nihil. His ergo ex-
» pletis, cum utrique rogi jam ſe ex majori parte in flammivomos vertiſ-
» ſent carbones, & cum media ſemita ignivomarum copia prunarum tacta
» æſtuaret, ut uſque ad talos pedes euntis, ſicut poſt in probatione patuit,
» in prunas infigi poſſent; ſacerdos & monachus, juſſu Abbatis, hanc ora-
» tionem cum magna voce, audientibus & flentibus fere tribus millibus,
» fudit ad Dominum. Domine Jeſu-Chriſte, vera lux omnium in te creden-
» tium, tuam miſericordiam peto, tuam clementiam exoro, ut ſi Petrus Pa-
» pienſis, qui Florentinus Epiſcopus dicitur, interventu pecuniæ, id eſt
» munere à manu, quod eſt ſimoniaca hæreſis, Florentinam arripuit ſedem,
» nunc tu, Fili æterni Patris, ſalus mea, in hoc tremendo judicio ad adju-
» vandum me feſtina, & me illæſum ſine aliqua combuſtionis macula mira-
» biliter conſerva; ſicut quondam illæſos ſalvaſti tres pueros in camino ignis
» ardentis. Qui cum æterno Patre tuo & Spiritu-ſancto omnia cooperaris,
» & vivis, & regnas in ſæcula ſæculorum. Cumque omnes, qui aderant reſ-
» pondiſſent, Amen, pacis oſculum fratribus dedit, & accepit.

» Interrogamur omnes: Quamdiu vultis ipſum in igne manere? Reſpon-
» ſum eſt, ab omnibus: At, at quid dicitis? Sufficit, domini, ſatis cum ſol-
» lemni gravitate, pedetentim ignem flammaſque tranſire. Jubetur quidem
» ſacerdoti & monacho voluntati noſtræ ſatisfacere. Tunc ipſe ſacerdos con-
» tra ignis ardorem ſalutare ſignum faciens, crucemque Chriſti bajulans,
» ipſamque, non flammarum multitudinem attendens, intrepidus mente,
» hilaris vultu, cum quadam celebritate gravitatis, illæſus in corpore, illæ-
» ſus & in omnibus quæ ſecum portabat, in virtute Jeſu-Chriſti mirabiliter
» ignem pertranſiit. Nam flammæ undique concurrentes & circumquaque
» exſurgentes, albam quaſi byſſinam intrabant, & implendo inflabant; ſed
» naturæ ſuæ immemores, nihil ſibi uſtionis inferre poterant. Manipulum
» denique & ſtolam, eorumque fimbrias more ventorum ſuſtollendo, huc,
» illucque varie ferebant, ſed calore perdito ipſas in nullo comburere vale-
» bant. Pili quoque pedum ejus inter flammoſos carbones immittebantur; ſed,
» ô mira Domini potentia, ô Chriſti laudanda clementia, eorum nulli odo-
» re ignis lædebantur. Inter capillos nempe flammæ circumſurgentes intra-
» bant, eoſque flando levabant, & relevabant: ſed nec ſummitatem alicu-
» jus eorum, vires ſuas oblitæ, adurendo retorquere valebant. Erant quip-
» pe flammæ ex omni parte ipſum concludentes ad Salvatoris miraculum,
» non ad ardoris incendium. Ardorem catholicæ fidei ſentiebant, ideoque
» non ardebant. Deus profecto noſter ignis conſumens aderat, ideoque ipſo
» nolente, corporeus ignis nihil nocere poterat. Proculdubio verum erat

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXIII. JULII XII.

quod à ſervis ſuis dicebatur, quia illorum teſtis, veritate juvante, ab igne miraculoſe liberatur. Veritas enim ſemper liberat, quos falſitatis macula non coinquinat.

Poſtquam autem egreſſus eſt de igne, dum iterum vellet focum repedare: capitur à populo, deoſculantur pedes præ deſiderio. Præ gaudio quidem ſe quiſque beatum putabat, qui veſtimentorum quamcumque particulam deoſculari valebat. Gravi namque premebatur anguſtia populorum: ſed magna cum difficultate liberatur viribus clericorum. Laus Deo ab omnibus una præ gaudio, etiam flendo cantatur, certi jam quia verbum Dei numquam mutatur. Simon Petrus magnis laudibus ſublimatur: Simon denique Magus, ut ſtercus pedibus conculcatur. Nomen Petri Apoſtoli in ore omnium ſuper mel & favum cum laudibus magis, magiſque dulceſcit: nomen impii Simonis ſuper fel & ſulphur cum vituperatione magis, magiſque putreſcit. Magnitudinem quippe horum Chriſti ſignorum, copiamque gaudii noſtri, ac quotidianam gratiarum actionem, nec cordis ſenſus cogitare, nec linguæ plectrum exprimere, nec manus, ſicut eſt, umquam ſufficient ſcribere. Sed quia ſapienti de multis pauca ſufficiunt, demum ad Paternitatem veſtram ſupplicandum concurrimus. Per ipſum vero beatitudinem veſtram oramus, cujus Vicarium, tam in cælis, quam etiam in terris vos eſſe deſideramus. Dignamini plebi longa peſte demolitæ conſilium pariter, & defenſionis auxilium impendere. Dignamini nos miſeros ab importunis luporum faucibus abſtrahendo eripere. Dignamini, precamur, arma contra hoſtes Petri Apoſtoli movere, acies ſtruere, vires ſumere, ſancta bella committere, & nos oves Chriſti beato Petro, tibique vice ejus commiſſas, contra ſimoniacos prœliando, de captivitate liberare. Pleriſque etenim noſtrum beatus ipſe Apoſtolus, ut olim à Nerone in cruce confixus in viſu noctis apparet, & paſſionem ſuam oſtendendo, ut à ſocietate ſimoniacorum declinemus, pie ſuadet. Sicut inquiens me Simoni Mago numquam conjunxi, ſic quoque vos, ſi Chriſti eſſe vultis, ſi oves paſcuæ ejus eſtis, ſi me clavigerum regni cæleſtis creditis, ſi me vobis portas regni cælorum aperire cupitis, ſimoniacis nolite ſociari, nolite conjungi, nolite communicare. Nunc itaque, domine ſancte, quia fiducia recuperationis noſtræ, ſecundum Deum, in ſancta ſede Romana eſt poſita; vos qui ipſi præſidetis, oramus, ut rapacibus lupis ex adverſo aſcendatis, atque auctoritatem ſacerdotalis culminis pro ovibus vobis vice Petri creditis opponatis. Iterum, iterumque cernui ſollicitudinem veſtram oramus Pater, ut quod Paſtoris eſt, nobis dilaniatis ovibus ne pigritemini clementer impendere.

His autem cognitis Dominus Alexander papa præfatum Petrum Simoniacum de omni epiſcopali officio deponere curavit.

LXV. Petrus ignitus fit abbas,

Eo tempore Comes Bulgarus religionem & ſanctitatem, injunctamque conſtantiam adverſus hæreticos, beati Johannis, ſuorumque monachorum agnoſcens, in monaſterio Ficiclenſi venerabilem Petrum, qui per ignem mirifice tranſierat, rogavit ſanctum Johannem in Abbatis officio conſtituere. Cujus petitionibus annuens, eidem loco prædictum virum in Abbatis officio præfecit. Qui poſtmodum inde abſtractus, & Romam, Deo volente, deductus, poſt cuſtodiam vaccarum & aſinorum, quam in Vallumbroſa, juſſu beati Johannis humiliter tenuit, poſt gradum Præpoſiti penes Paſſinianum, & Abbatis officium in prædicto Ficiclo, decenter extitit Cardinalis & Epiſcopus Albanenſis.

LXVI. Miſſio Mediolanum,

Interea quidam fideles clerici & laïci Mediolano [a] petentes auxilium ſancti Johannis, aſſerentes, quod per multos annos, tam ipſi, quam plures alii, zelo divinæ legis pœnitentiam & communionem non acceperant,

[a] Vide hac de re Petri Damiani Opuſculum v.

ANN. CH. MLXXIII. JULII XII. qui ſimoniacos omnimodo devitantes, catholicorum in ſua terra nullum inveniebant. quibus miſericordia motus ait: Quod vobis conſilium poſſum impendere? At illi: Pater, inquiunt, ſancte, ſi tot miſeris vis ſubvenire, clericos, qui ex noſtra terra pro vitando conſortio hæreticorum ad te confugerunt, à catholicis fac ordinari, tales illuc remitte, & Chriſtianitatem jam pæne deletam poterunt renovare. Quid multa? Pater pius, more ſolito, nimia pietate commotus, non ſolum illos, ſed etiam, quos jam in interiori cella novitiorum habebat, & qui venerant induere monaſticum habitum, inde abſtraxit, & à Rodulfo epiſcopo Tudertino, ſanctiſſimo & catholico viro, gradatim ordinari fecit, eoſque Mediolanum direxit.

LXVII. Rodulfus Florentiæ epiſcopus. Hunc Epiſcopum poſt Petri [a] ſimoniaci depoſitionem ad regendum Florentinum epiſcopatum Papa mandaverat: &, ut magis dicam, ipſum dominum Rodulfum epiſcopum præfato Mediolano cum viris eruditis poſtea miſit, ut cunctis catholicis id omnino petentibus, epiſcopali officio ſubveniret ad conſolanda corda fidelium, diu paſtore catholico deſtituta.

LXVIII. Miracula. In eiſdem diebus una mulier cum tribus parvulis filiis, quorum unum à dextris, à ſiniſtris alterum ducens, tertium in humeris ferens, filiis ac ſibi victum circumquaque pergendo quærebat. quæ cum ad hoſpitalem ſancti Salvii, eleemoſynam quæſitura, veniſſet, eamque beatus Johannes multiplicatam filiis, & depreſſam inopia cerneret, pietate motus cuſtodem hoſpitalis Andream nomine vocat, & jubet, ut aliquid mulierculæ largiatur. Ille vero, quem egeſtatis copia valde premebat, reſpondet ſe nonniſi panem unum habere. cui reverendus Pater de eodem jubet mulieri pro Dei caritate partem porrigere. cujus juſſioni miniſter obediens, ad furnum properat, in quo panem eumdem repoſuerat, & intuens vidit totum furnum plenum panibus. Qui valde lætus effectus, ad illum rediit, ſibique quod acciderat nunciavit, meritis ejus id eveniſſe non dubitans. Quod beatus vir audiens, dixit ei: Tace, & hoc nemini dicas; panem autem, ut juſſi, petenti tribuas.

LXIX. Johannes cupit diſſolvi. Poſt hæc ad Paſſinianum rediit, ubi diem ab eo longo tempore deſideratum, ſcilicet ut diſſolveretur & eſſet cum Chriſto, devotus & ſupplex exſpectare cœpit cum magna cordis exſultatione; ſæpius hunc verſiculum repetens: *Sitivit anima mea ad Deum vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* & ſubjungebat; *Satiabor cum manifeſtabitur mihi gloria tua.*

LXX. Mortem ſuam prædicit. Languore itaque graveſcente, cœpit evidenter dicere, quod vitæ ſuæ terminus propinquabat. Mandat itaque diſcipulis, quos fratribus præpoſuerat; & ad ſe facit abſque mora venire. Quos de Ordinis obſervatione, commiſſi gregis cuſtodia præmonens, & in multis eos exhortans, benedixit eis, & oſculatus eſt eos, præcipiens unicuique continuo remeare ad propria monaſteria. qui licet mærentes & nimium flentes, nec Patris juſſioni contradicere præſumentes, inviti revertebantur. Remanſerunt tantum cum eo domnus Ruſticus Prior, & Lætus Paſſinianenſis Abbas. Iſti accedentes ad eum eadem hebdomada qua obiit, humili prece rogaverunt ipſum, ut fratribus exhortationem aliquam de concordia pacis & caritatis unitate relinqueret. Tunc juſſit hæc, quæ hic continentur, dictari, & ſcribi pro ædificatione fidelium in poſterum conſervanda.

LXXI. Epiſtola ſuos hortatur. „ Johannes Abbas omnibus fratribus in amorem fraternitatis ſecum junctis „ ſalutem & benedictionem. Me ſub gravi infirmitate diu laborantem, Deus „ ut animam recipiat, corpus meum terra, quatenus ad pulverem revertatur „ unde materiam ſumpſit, quotidie exſpecto. Et hoc mirum non eſt: quia „ ætas etiam abſque tantæ infirmitatis oppreſſione, hoc me admonet quoti- „ die exſpectare. Et hinc tranſire quaſi ſub ſilentio æſtimabam: ſed locum

[a] Sunt qui dicant, Petrum hunc facti pœnitentem in Septimianum, de quo ſupra, monaſterium ſe recepiſſe.

&

ANN. CH. MLXXIII. JULII XII.

& nomen, quod in hac corruptibili carne, quamvis non ſicut decuit, tenui, penſans; eſſe utile duxi, vobis aliquid de vinculo caritatis loqui. Et hoc non à nobis, & noviter, ſed quæ quotidie auditis, tranſcurrendo replicare breviter. Certe hæc eſt illa virtus, quæ omnium rerum Creatorem effici compulit creaturam. Hæc eſt illa, quam indicem ipſe ſuorum omnium mandatorum Apoſtolis commendans, ait: *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem*. De iſta Jacobus Apoſtolus loquitur, dicens: *Qui totam legem obſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus.* Iſta eſt, de qua beatus Apoſtolus Paulus dicit: *Caritas cooperit multitudinem peccatorum.* Hinc ergo colligere poſſumus, quod tenendo caritatem, omnia peccata operiri; ceteras vero virtutes æſtimantibus ſe obtinere poſſe, ſine hac nihil valere. Sed hæc audiens quiſque ſuperbus & inobediens, hanc in veritate cogitat habere, ſi ſe corporaliter in communione fraterna viderit perdurare. A qua, ut ita dicam, opinione falſa unumquemque beatus Gregorius, veræ caritatis finem indicando, excludit dicens: Ille perfecte Deum diligit, qui ſibi de ſe nihil relinquit. Quid vero de caritate ſingulariter loquar ignoro: quoniam omnia Dominica mandata ab hac pullulare radice ſcio: quia ſi multi ſunt rami boni operis, una eſt tamen radix caritatis. In cujus calore nequaquam reprobi poſſunt diu perdurare, Domino Salvatore dicente: *Refrigeſcet caritas multorum.* quos frigidos, & ab unitate diviſos, Apoſtolus Johannes plangit, dicens: *Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis. nam ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent utique nobiſcum.* Et ſi ita eſt, immo quia ita eſt, debet unuſquiſque fidelis ſemper penſare, qualiter ſe tam ſummo bono poſſit copulare, ſecumque quos habeat in via Dei ſocios anxius quærere. Et ſicut reprobi hanc relinquendo, à Chriſti corpore abſcinduntur, ſic electi eam in veritate amplectendo, eidem Chriſti corpori confirmantur. Ad hanc vero inviolabiliter cuſtodiendam valde utilis eſt unitas fraterna, quæ ſe conſtringit ſub unius perſonæ curam: quoniam ſicut flumen à ſuo alveo ſiccatur, ſi in multis rivulis dividatur: ſic fraterna unitas minus valet ad ſingula, ſi fuerit ſparſa per diverſa. Idcirco, ut in longo iſta caritas inviolabilis permaneat vobiſcum, volo ut in domino Rodulfo veſtra cura & conſilium poſt meum obitum pendeat, ſaltem ſicut in me pependit in mea vita. Valete.

LXXII. Angelum videt.

Tertia poſtea die priuſquam obiret, vidit ſibi juvenem aſſiſtentem, quem fuiſſe ipſius Angelum æſtimamus. quem cum ſolus, & nullus alius cerneret, ait fratribus: Quare fratrem illum non vocaſtis vobiſcum, dum comediſtis? Cui fratres: De quo, inquiunt, fratre dicis, Pater? Et ille: De illo, inquit, pulcro juvene, qui ad nos venit, & nobiſcum moratur ingrediens, & egrediens. At illi: Unde eſt, & quo nomine vocatur? Neſcitis, inquit, quia de monte Domini eſt, & Benignus vocatur? Tunc ille Spiritu-ſancto docente intellexit Angelum eſſe, & vere de monte Domini, id eſt de cælo fore, talique dixit illum nomine appellari, id eſt Benignus. De illo ſiquidem monte, Pſalmiſta ait: *Quis aſcendet in montem Domini?* & alibi: *Quis requieſcet in monte ſancto tuo?* Ad ipſum ſiquidem montem per gratiam Chriſti aſcendere cupiebat, cui diutius ipſe ſervierat. Et recte beato Johanni Angelum talis nominis deputaverat, quem miſericorditer immenſa benignitate præ multis mortalibus ditaverat. Quibus auditis, fratres abierunt, & ſuper menſam victum unius hominis poſuerunt, extra fratrum victualia conſtituta. quo adimpleto, quievit. Deinde cum ad exitum propinquaret, fecit hæc in breviculo ſcribi, & in manu poni, ſibique conſepeliri præcepit. EGO JOHANNES CREDO, ET CONFITEOR FIDEM, QUAM SANCTI APOSTOLI PRÆDICAVERUNT, ET SANCTI PATRES IN QUATUOR CONCILIIS CONFIRMAVERUNT. ut credere-

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXIII. Julii XII. tur intimo eam corde tenuiſſe, quam videbatur verbis & operibus eatenus utiliter defendiſſe.

LXXIII. Obit anno 1073. Poſt hæc Chriſto tradidit ſpiritum, corporis & ſanguinis ipſius perceptione munitum, in quem integra fide crediderat, quem pure dilexerat, cui pia intentione ſervierat, ſecum talentum ſibi creditum multiplicatum reportans. Obiit autem feliciter anno MLXXIII. Dominicæ Incarnationis, in ferventiſſimo æſtatis ardore, quarto ſcilicet Iduum Juliarum.

LXXIV. Exſequiæ ejuſdem. Tunc Abbates, qui præſentes erant, ſpe certa credentes Deum ſine fœtore poſſe ſervare Magiſtrum in æſtatis fervore, qui diſcipulum ejus in igne prius ſervaverat abſque omni combuſtione: deliberaverunt funus Patris inſepultum retinere, donec Abbates ad ejus exſequias undique convenirent. Hac itaque cauſa inſepultum per triduum permanſit: in quibus diebus ad celebranda tanti Patris obſequia, pæne innumerabilis clericorum ac monachorum multitudo convenit. Per hos autem dies & noctes qui convenerant, tanto Patri honore debitum impendentes, infatigabiliter gratias agentes Chriſto, qui curſum ejus in omni religione ſervaverat: benedicebant Deum in his, quæ de eo noverant & audierant.

LXXV. Poſt hæc ſancti viri corpus in hymnis, & laudibus debitis ſepulturæ [a] tradiderunt, ita immune ab omni fœtore, quemadmodum illæſam fidem ſuam, donec vixit, ab omni contagionis errore ſervaverat, & velut Omnipotens diſcipuli tranſeuntis per ignem carnem & incombuſtas veſtes omnimodo cuſtodierat.

LXXVI. Rodulfus ei ſuccedit. Quo ſepulto, communi fratrum electione dominus RODULFUS obedientiam ſibi à Patre injunctam accepit, & triennio rexit, & dum vixit, Vajanum, Fontem-Taonis, & Coneum ſub ſuo regimine ſumſit. Poſt cujus exceſſum, Prior Ruſticus regimen totius Congregationis tenuit, quam ſexdecim annis ſatis fideliter cuſtodivit: ſub quo cœnobium ſancti Angeli in Piſtoria, ſanctæ Mariæ in Nerana, ſancti Fidelis Strumis, ſancti Pauli Piſis, ſancti Salvatoris in Sophena; unum in monte Armato, alterum Oſellæ, in partibus Caſtellanis noviter ſunt inſtituta.

LXXVII. Miracula. Deinde poſt depoſitionem carnis, & Patris eximii ſepulturam, multa per ejus merita Deus oſtendit: quorum aliquam partem ſubjungere mihi viſum eſt utile pro utilitate legentium, & multorum ædificatione fidelium.

LXXVIII. Johannes, qui camerarius & celleratius erat, videns immenſam turbam monachorum, clericorum, ac laïcorum ad exſequias ſancti Patris undique convenire, dum non haberet quod tantis poſſet apponere, cœpit vehementer æſtuare, neſciens omnino quid ageret. Tandem ad ſe reverſus, confidens in Domino, meritiſque Patris ſancti præſumens, ait: Qui de quinque panibus quinque millia ſatiavit, poteſt interventu noſtri Patris olera, ſimulque legumina, cum aliis victualibus hodie multiplicare. Quo dicto, vaſcula, quæ more ſolito fratribus parari ſolebant, quæ quotidianis eorum uſibus vix ſufficiebant, integra fide, ſpe certa, caritate perfecta, & ad coquendum cum cibariis ſtatim præparavit, & ad ignem poſuit. O mira res, & ſtupenda! de vaſculis, quibus ſolitam annonam fratres loci illius tantum alere ſolebat, à mane uſque ad noctem ſupervenientibus ibidem hoſpitibus adminiſtravit: nec in aliquo defecerunt, ſancti viri precibus mirabiliter aucta.

LXXIX. Dominus quoque GREGORIUS VII. Papa, qui ad ſacro-ſancta Miſſarum ſollemnia veniens, in multa compunctione ſolebat accedere, continuis tribus ... cum compunctio conſueta ſibi deeſſet, in memoriam venit ei nomen & ſanctitas ſancti Johannis, cum quo, dum vixerat, amicitiam &

[a] Paſſiniani ſcilicet, ubi hodie quoque ſacrum ejus corpus ſervatur, præter unum è brachiis, quod Vallumbroſæ, & aliquot reliquias, quæ alibi habentur. Vallumbroſæ item vidimus ejuſdem ſancti Pſalterium & Manuale precum quotidianarum.

notitiam multam habuerat. quem, dum in ſuum auxilium humiliter invitaſſet, mox gratiam ejuſdem ſanctæ compunctionis multo largius, quam ſolebat habere, reſumpſit. Quod dominus Petrus Albanenſis Epiſcopus ex ipſius ore domini Papæ audiſſe, ipſe quoque verum fuiſſe coram multis crebro dicebat. ANN. CH. MLXXIII. JULII XII.

Item Dominus Teuzo Razolenſis abbas, qui de primis maximiſque diſcipulis ejus fuit, dum iter ageret, veniens Vallem-umbroſam, graviſſimo iliorum dolore ſæpius torquebatur. Cumque inter immenſas doloris anguſtias fluctuaret, redire nolens, progredi non valens, Patrem Johannem anxius rogare cœpit, & dolor ab eo confeſtim abſceſſit. LXXX.

Alia quoque vice, dum eidem abbati Teuzoni domini Prioris Ruſtici fuiſſet obitus nunciatus, & ipſe tanto languore teneretur, ut ſe nullo modo poſſet movere; calliculam benedicti Patris reverenter tetigit, & mox ſaniſſimus effectus, ad ſepulturam defuncti perrexit. LXXXI.

Item matrona quædam nobiliſſima, nomine Adalaſia, graviſſimis per unum integrum annum febribus magnis exæſtuans, ante ſepulcrum ejus aliquantulum jacuit, & ilico, ſanitate recepta, meritis ejus incolumis facta, remeavit ad propria. LXXXII.

Diebus eiſdem una lampas ante ſepulcrum ejus à Priori tunc tempore conſtituta, quæ nocturnis horis accendebatur, per multos annos ibidem manſit. quam plerumque in terram corruiſſe, & ſemper illæſam manſiſſe, qui primum iſta dictavit, cum multis ſe vidiſſe profitebatur. LXXXIII.

Sub eodem tempore, miraculum non diſſimile per ejus merita dicitur contigiſſe. Quidam preſbyter, nomine Zenobius, fuerat, qui plebem Brozenſem per quadraginta annos & eo amplius rexit. qui dum una die, ſole vergente ad occaſum, accelerarct ſe veſpertinam celebrare ſynaxim, accenſa candela, lampadem eccleſiæ feſtinabat ignire: & cum in ea minime liquorem olei reperiſſet, nec alias haberet, unde eam reficere poſſet, ſæpius replicando ipſam ignivit: ſed aqua, quæ in ea erat, abſque mora lucentem velociter exſtinguebat. Tunc animo furibundus, fideliter tamen orans, ait: Si vera ſunt quæ de Johanne Gualberto vidi & audivi propriis oculis, in ipſius nomine præcipio tibi, ut celeriter accenſa inexſtincta permaneas. Quæ ſub tanta velocitate ſubito eſt accenſa, ac ſi divinitus imperatum ei fuiſſet. Idem ipſe, qui vidit & interfuit, hæc ſcripſit, & dictando mandavit. LXXXIV.

Deinde frater quidam, Albertus nomine, qui in eodem Paſſiniani cœnobio, in quo beatus Johannes requieſcit, dum piſcem manducaret, una piſcis ſpina repente gutturi ejus hæſit, quæ ſibi gravem anguſtiam diutius intulit. Sed dum immenſum periculum conaretur effugere, nec valeret, ad ſancti Johannis patrocinium recurrit, quod efficaciter ſibi mox præſtitum ſenſit. Nam ejus nomen corde invocans, præſidiumque rogans, quod præ nimia anguſtia, voce non poterat, ſpinam repente glutivit, & affligentem ſe moleſtiam ſuffragio pii Patris evaſit. LXXXV.

Idem Pater, dum adhuc viveret in hac luce, & eſſet apud ſanctum Salvium, œconomus duos artifices in cella ejuſdem loci pro neceſſario opere poſuit. qui maligno ſpiritu ſuadente, noctu venerunt ad eamdem cellam, diſponentes furtim auferre, quæ illis apta videbantur; non attendentes Apoſtoli ſcriptum: *Qui furabatur, jam non furetur, magis autem laboret manibus, quod bonum eſt.* Ingreſſi itaque cellam, impleverunt ſaccos, quos portaverant, diverſis bonis, & eos ſibi ſuperponentes, ut aufugerent laborabant. Sed peccatorum ſuorum irretiti vinculis, & beati Johannis impediti meritis, ſic immobiles ſtare cœperunt, quaſi affixi terræ radicitus tenerentur, nec ſaccos dimittere, nec vacui recedere valebant. Cum vero prima hora diei cellam unus ex fratribus introiret vinum haurire pro LXXXVI.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXIII. JULII XII.

Miſſa celebranda, latrones admirans, ad eccleſiam rediit. Finito autem Capitulo, retulit quod in cella cognoverat: ſed Cellerarius ſe neſcire reſpondit. Beatus autem Johannes hoc totum ſancto-Spiritu revelante cognoſcens, ivit ad illos, ac vehementer corripuit; & ne talia de reliquo præſumerent, prius admonuit. Exinde partem furti pie conceſſit illis, partem nihilominus abſtulit. Qui Patris ejuſdem monitis edocti res pauperum ultra non rapere, ſed cum indigerent, humiliter poſtulare; demum abſolvit, & licentia ejus illæſi, non ſine verecundia diſceſſerunt.

LXXXVII. Sunt præterea nonnulla alia de venerabili patre Johanne litteris tradita, quæ oculis aſpexi; quædam alia, quæ fidelium narratione multorum audivi, quæ præſenti opuſculo renui copulare, veritus excedere ſuperius pollicitam brevitatem. Inſuper ad tumulum ejus, non ſolum illius terræ incolæ, verum etiam de remotioribus partibus multi crebro veniunt, plurimis anxietatibus preſſi, ac variis infirmitatibus aggravati: qui præſtante divina clementia, ſancti Johannis precibus, læti & incolumes ad propria revertuntur. Quidam monachus Piſtorienſis monaſterii ſancti Angeli, interveniente neceſſitate, dum iter ageret, ad quemdam pontem perveniens, neglexit ex equo deſcendere, ſeque confidens equo ad ſalutem convenienter tranſvehi, nihil timebat incommodi. Dum autem per pontem tranſiret, equus ex improviſo ſub pede lapſus corruit. Unde monachus qui ei ſuperſedebat, vi cadentis equi fortiter impulſus, extra pontem cecidit, & pavore mortis repentinæ perterritus, reverendum patrem Johannem fideliter invocans, ſemper paratum adjuvare, ut ei ſuccurreret, valido clamore cœpit invocare. Cui quædam imago fulgens protinus aſſiſtens, & ejus lateri utramque manum apponens, illum forti veloci impulſu ſuper pontem reduxit, eique mox veſtimenta caballus, de quo ceciderat, dum conaretur aſſurgere, genu premens, tamdiu tenuit, donec monachus manibus reductis, equum comprehenderet, ejuſque ventrem ſubintrans, pontem illæſus aſcenderet. Sicque factum eſt, dum monachus, qui morti videbatur eſſe vicinus, beati patris Johannis nomen congeminando fideliter repeteret, illius præſidio non ſolum meruit ab imminenti morte mirabiliter eripi, verum etiam priſtinæ ſanitati ex integro reſtitui [a].

[a] Sequitur in editione Romana alius liber miraculorum, quæ à recentiori auctore parum accurate ſcripta ſunt. Præferendus eſſet liber Hieronymi de Raggiolo, ſuperius laudati, qui de variis energumenis à ſancto Johanne liberatis agit.

VITA SANCTI DOMINICI
ABBATIS EXILIENSIS.

Auctore, ut videtur, Grimoaldo, ejuſdem loci monacho, æquali.

Ex Martyrologio Hiſpanico Johannis Tamayi Salaſar.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *ILLVSTRIS eſt apud Hiſpanos memoria Dominici Exilienſis ſeu Silenſis* * *monaſterii abbatis, quem nullus ferme auctor hujus gentis inlaudatum prætermiſit, nulla ferme eccleſia non celebrat. Ejus vitam ex variis auctoribus collectam conſarcinavit Antonius Yepezius in Chronicorum Benedictinorum tomo ſexto, ad annum* MLXIII. *ubi aliquot exhibet fragmenta ex Sandovallio, & ex vita à Grimoaldo monacho ſcripta, quem Dominici noſtri ſynchronum fuiſſe exiſtimat. Iis ſubjungit nonnulla miracula, quæ à beato viro patrata referuntur. Denique laudat veterem poëtam, qui verſibus Hiſpanico idiomate exarati: beati Dominici laudes cecinit paullo poſt ejus obitum. Hunc poëtam, qui alia item aliquot opuſcula ediſſe fertur, Megiam appellat Yepezius poſt Ludovicum Ariſium in Hiſtoria Abulenſis urbis; ſed hunc ipſum Gundiſalvum de Berſeo dictum & monaſterii ſancti Æmiliani monachum fuiſſe monet V. C. Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hiſpana veteri, quam Romæ anno* MDCXCVI. *lucem aſpicere juſſit piæ memoriæ Cardinalis Aguirrius.*

* Silos.

Dominici Vitæ ſcriptores.

2. *Verum iis omnibus omiſſis, vitam ſancti Dominici proferimus ex Tamayi Salazaris Martyrologio Hiſpanico, ab anonymo, ut ipſe exiſtimat, monacho beati abbatis ſynchrono editam. at hunc anonymum alium non eſſe cenſemus à Grimoaldo ſeu Grimoldo monacho, quem modo ab Yepezio laudatum dicebamus. Unum tamen ab altero diſtinguere videtur Nicolaus Antonius in laudata Bibliotheca Hiſpana tomo 2. ubi libro 7. capite 2. inter Hiſpanos auctores recenſet num.* 10. *Anonymum Benedictinum monachum ſancti Dominici de Silos in Caſtella-veteri, qui ſub Alfonſo VI. vitam ejuſdem ſancti Dominici abbatis Exilienſis ſcripſit, editam à Tamayo in Martyrologio Hiſpanico ex ſchedis Joſephi Pellicerii, quam obſervat inveniri manuſcriptam in veteri codice ejuſdem monaſterii Exilienſis, & in altero cœnobii ſancti Martini Madriti. quæ omnia ex Tamayo exſcripſit. Paullo poſt, num. ſcilicet* 13. *idem auctor laudat Grimoaldum ſeu Grimoldum monachum ſancti Æmiliani Cucullati, qui labente undecimo ſæculo,* latino atque eleganti ſtylo ſcripſiſſe refertur vitam & mortem ſancti Dominici de Silos; Tranſlationem item corporis ſancti Felicis, *&c.* & aliorum ſanctorum vitas; *tum addit eumdem etiam tranſtuliſſe* ſacra Biblia & ſancti Gregorii Moralium libros. *quæ omnia opuſcula in monaſterii tabulario aſſervari ſe factum fuiſſe certiorem affirmat. Verum hæc momenta non ea ſunt, quæ ſuadeant Anonymum à Grimoaldo diſtinguendum eſſe. neque etiam id evinci poteſt ex Hiſtoria tranſlationis ſancti Felicis à Grimoaldo ſcripta, quam inferius ad annum* MXC. *ex Sandovallio proferemus.*

Ex his præcipuus Grimoldus.

3. *In codice Madritenſi Vitam ſancti Dominici ſequuntur duo alii libri de ejus miraculis, in quorum priore quinquaginta novem, in altero autem quinquaginta quinque miracula deſcripta habentur. ſed hi libri nondum editi ſunt. Quadraginta alia miracula ab Anonymo monacho ſcripta laudat Yepezius, quorum primum era* MCCLXX. *id eſt anno* MCCXXXII. *patratum fuiſſe ſcribit: nonnulla vero ex his recenſet. quorum pleraque in liberandis à ſervitute Saracenorum captivis contigerunt. hinc Lucas Tudenſis, qui ſæculo* XIII. *ineunte florebat, de ſancto Dominico hæc in Chronico ſcribit:* Sanctus Dominicus Cluniacenſis ordinis abbas de Silos, in liberandis de carcere Saracenorum captivis gloriam præ ceteris ſanctis reportare videtur. *De illis vero aliiſque beati hujus viri miraculis ſatis ſit, eccleſia Burgenſis, in cujus diœceſi ſitum eſt Silenſe cœnobium, teſtimonium proferre, quæ in lectione* IV. *officii beati Dominici hæc legenda præſcribit:* Non poſſunt præclara hujus viri geſta brevi coartari. Nam præter induſtriam ſingularem, quam in ſubſtruendo, ampliando ditandoque commiſſo ſibi cœnobio adhibuit, tot tantaque miracula edidit, ut volumen non ſufficiat ad narrandum. nullum morbi genus eſt, nulla membrorum debilitas, quam non ille verbo Dei ſanaverit: claudi, cæci ac debiles

Ejus miraculorum libri.

Celebritas.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXIII. DEC. XX.

quicumque confugiunt ad eum tamquam ad veram ſalutem. *Beati Dominici ordinis Prædicatorum inſtitutoris mater tanta prole gravida ad ſepulcrum Dominici noſtri oratura acceſſit, ut felicem partus ſui exitum impetraret. quem re ipſa feliciſſimum fuiſſe probat tanti viri ſanctitas. hinc ipſi inditum Dominici nomen, & ejus animo adeo inſita fuit erga noſtrum Dominicum devotio, ut ejus nomini inſigne ordinis ſui monaſterium conſecràverit. Complures item aliæ ſunt paſſim in variis Hiſpaniæ provinciis eccleſiæ beato Dominico abbati conſecratæ, tametſi ex iis nonnullæ beato Dominico Prædicatorum patri ſacræ cenſeantur, ob beati Patriarchæ famam.*

Dies & annus mortis. Cultus.

4. *Circa beati viri obitus annum aut diem nulla debet eſſe difficultàs, cum utrumque in vita diſerte expreſſum habeatur: memoriam vero ejus, præter vulgata Ordinis Benedictini Martyrologia, celebrant Kalendaria plerarumque Hiſpaniæ eccleſiarum. Ejuſdem meminit Ferrarius in Catalogo generali ſanctorum, & alii auctores, quos ſingillatim recenſere nihil juvat. Tamayus Salazar, præter præcipuam ejus feſtivitatem, quæ* XX. *die Decembris apud omnes celebratur, memorat ejuſdem ſancti Tranſlationem die* 18. *Auguſti, & in utroque loco beati Dominici Epitaphium profert. De monaſterio Exilienſi ſeu Silenſi fuſe agit Yepezius in Chronicis Benedictinis. Supereſt hodieque celebre in Caſtella-veteri haud procul à Burgenſi * urbe archiepiſcopali.*

* *Burgos.*

PROLOGUS AUCTORIS.

SCRIPTURUS igitur vitam & obitum ac virtutes ſanctiſſimi confeſſoris Chriſti DOMINICI abbatis & preſbyteri, nunc obſecro pietatem veſtram, venerande pater FORTUNIO abbas Exilienſis monaſterii, fundati in honorem beati Sebaſtiani martyris, in quo requieſcit ſanctiſſimum corpus ſupra memorati patris Dominici, & totius Chriſti ſubditæ congregationis; quatenus adjutus orationibus veſtris, poſſim explere opus, quod mihi imponere dignati eſtis, & geſta jam memorati patris pro modulo ineloquentiæ meæ, ubilibet & cunctis audire cupientibus valeam pauca de pluribus referre: ut dum ea quæ egit vivens in corpore, & illa, quæ Dominus per illum jam exuto homine dignatus eſt oſtendere, noveritis, ſecurius eum laudetis, tutius eum honoretis, dignius colatis, & devotius debita obſequia venerationis ei impendatis; quatenus ubi id agentibus, ipſo patrocinante, vos & omnes illum venerantes cum eo ad æterna gaudia pervenire valeatis gaudentes. Moti igitur, fratres, vera & non ficta caritate, mecum Spiritum-ſanctum, ipſius habitatorem, invocate, ut ipſo inſpirante dignetur os meum aperire, & ſuo gratuito dono ad ſcribenda ea, quæ propoſui abſolvere. Obſecro itaque omnes hæc lecturos, ut pro Dei amore, & prædicti confeſſoris ipſius devotione, ceſſent huic opuſculo detrahere, vel irridere, & pro fraterna caritate, quæ à me minus idoneè vel indocte dicta ſunt, corrigere.

INCIPIT VITA.

CAPUT I. Genus & parentes. a

IGitur beatus Dominicus ex patre nobili ac religioſo, nomine Johanne, exſtitit progenitus, & ex villa, quæ vocatur Iranienſis [a], fuit oriundus, cujus generis linea ſemper floruit nobilitatis, religioſitatiſque norma generoſiſſima. Et revera ſatis dignum congruumque fuit, ut originem duceret de generoſa ac religioſa ſtirpe, qui, Domino præſciente & deſtinante, ipſam religionem vita laudabili decorare, & doctrina ſalubri futurus erat amplificare. Quod vero diximus de nobili proſapia illum fuiſſe ortum, non cauſa jactantiæ protulimus, ſcientes ſcriptum: *Non eſt perſonarum acceptio apud Dominum.* Et, ut ait Apoſtolus: *Sive ſervus, ſive liber, omnes in Chriſto unum ſumus.* Attamen ſi eſt perfectum converti ex ſervili conditione, perfectius eſt converti ex nobili genere, Apoſtolo teſte: *Servus*, inquit, *vocatus es? non ſit tibi cura.* Et adjecit, *ſed & ſi potes liber fieri,*

Col. 3. 25. Eph. 6. 8. 1. Cor. 7. 21.

[a] Dominicum in Canienſi opido natum fuiſſe ſcribit Yepezius, quod ſitum fuiſſe ait in Regovia provincia, haud procul ab urbe Naiara. Vide intra cap. 2.

magis utere. Et alibi diſcipulis ait : *Uno pretio redemti eſtis, nolite fieri ſervi* Ann. Ch.
hominum. Aperta claraque ſententia ſervus ad fidem converſus laudatur, MLXXIII. Dec. xx.
ſed tamen ei liber præfertur. Nullum ergo moveat illius loci humilitas, *Ib.* 23.
in quo ei accidit nativitas : quia ſacra veracique ſcriptura probatur, quod
à loco habitator non ſanctificatur, ſed locus à ſancto habitatore conſecra-
tur. Si enim locus habitatorem, & non habitator locum ſanctificaret,
neque Angelus ſuperbiens de cælo caderet, neque homo tranſgrediens
de paradiſo ejectus fuiſſet. quid enim ſanctius ſede cæli ? & quid beatius
eſt habitatione paradiſi ? ſed tamen habitatores ſuos liberare non potue-
runt, tranſgredientes enim ab ipſis ſanctis habitationibus expulſi ſunt. quo
veriſſimo argumento probatur, quod ſanctus habitator locum ſanctificat,
nullo modo ſanctus locus habitatorem impium beatificat. Vir namque ſan- Ejus adhuc
ctus tranſactis annis infantiæ, pueritiamque ingreſſus, ultra vires ætatis pueri matu-
Chriſto cœpit eſſe devotus, & quodam præſagio futurorum, nullis eſt ritas.
paſſus ſe impedire ineptiis, inertiis & fabulis puerorum : ſed jam inſpiran-
te Spiritu-ſancto, qui eum ad ſervitium ſuum attrahebat, ſagaciter in-
telligebat dictum Diſcipulo ab Apoſtolo : *Aniles & inutiles fabulas devita.* 1. *Tim.* 4. 7.
Anilibus & inutilibus fabulis implicatur, qui otioſis ſermonibus, & ad ſa-
lutem animæ non pertinentibus delectatur. Puer igitur bonæ indolis cum
mira ſimplicitate cordis, ut alter Jacob domi habitabat; nihilque præter
parentes cognoſcebat, mundanarum ſtudia litterarum deſpiciebat, ſpiri-
tualia autem mentis proſpiciebat, audiens vocem Apoſtoli dicentis : *Pru-* *Rom.* 8. 6.
dentia carnis mors eſt. Et alibi : *Sapientia hujus ſæculi ſtultitia eſt apud Deum.* 1. *Cor.* 3. 19.
Laſcivias & negligentias puerorum fugiebat, & quod de ſacris ſcripturis
capere poterat, fructificanda in imperforato ſacculo cordis recondebat.
Sic puer bonæ indolis dies pueritiæ ſuæ prudenter tranſegit, & proſpe-
rante Domino ad robur juvenilis ætatis pervenit.

Annis itaque expletis puerilibus, puer beatiſſimus ſuſcepit curam du- II.
cendarum vel cuſtodiendarum carnalium ovium, qui diſpenſante divina Fit paſtor
clementia futurus erat fidelis paſtor ſanctarum animarum; & qui debebat ovium.
eſſe paſtor in Eccleſia bonus, factus eſt in mundo paſtor figurativus, bea-
tiſſimum Abel imitatus, de quo in libro Geneſi legimus; *Factus eſt Abel paſtor* *Gen.* 4. 2.
ovium, & Caïn agricola. Digne felix protomartyr greges pavit carnales &c. Abeli com-
Gaudeamus ergo beatum Dominicum, paſtorem noſtrum, in omnibus imi- paratur.
tatum eſſe Abel paſtorem primum & protomartyrem. Imitatus eſt eum in Qui fuit
cura alendarum ovium carnalium & ſpiritualium; imitatus eſt eum in in- paſtor.
nocentia vitæ; imitatus eſt eum in corporis integritate, id eſt virgini-
tate; imitatus eſt eum in mirabili virtute patientiæ. Scimus certe eum
fuiſſe paſtorem carnalem & ſpiritualem; ſcimus eum fuiſſe innocentem : Virgo,
nemini enim umquam, nec ſe lædentibus, nocuit. Scimus eum ſervaſſe
corporis virginitatem : numquam enim carnem ſuam carnali concupiſcen-
tia contaminavit, nec aliqua immunditia inquinavit; ſed ſemper caſtum,
mundum & impollutum corpus, ut poſſibile eſt humanæ fragilitati vel
naturæ, cuſtodivit : & his virtutibus perſeveranter obſervatis, non eſt
credendum eum eſſe extraneum à juſtitia & meritis beati Abel protomar-
tyris. Cruciatus carnalis martyrii non exhorruiſſet, ſi perſecutor adfuiſ-
ſet; & dum non eſt ei conceſſum agonizare contra hoſtes carnales viſibi- & Martyr.
liter, certavit contra nequitias ſpirituales inviſibiliter; & dum defuit bel-
lum extrinſecus, legitime curavit ſuperare intrinſecus. Nullo modo ergo
eſt expers cruciatus martyrii, qui ſuperat paſſiones incentivæ carnis, &
oblectamenta maleſuadentis deſiderii. Sancta certe Eccleſia habet mar-
tyres in perſecutione, habet & martyres in tranquillitate. In perſecutione
vincuntur lacerantes carnifices, in tranquillitate deprimuntur inſidiantes
dæmones. Et ſic probamus quod beatiſſimus patronus noſter Dominicus

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXIII. Dec. XX. perfectè devictis illecebris carnalibus à merito martyrii non eſt extraneus. Jacob patriarcha pater duodecim Patriarcharum, de cujus ſemine ſcimus natum eſſe Chriſtum, legimus per viginti annos fuiſſe paſtorem ovium &c. Nunc ergo videamus quomodo beato Jacobo in ſuo facto concordet cum Dominico. Beatus Jacob carnales greges pavit; hoc & beatus Dominicus fecit. ſanctus Jacob multa & miranda de Chriſto prophetando in toto orbe ſpirituales Eccleſiæ greges paſcit; & ſanctus Dominicus in vita ſua gregem ſibi ſubditum ſpiritualiter rexit & docuit; & omnibus, ad quos pervenire potuit, gaudia vitæ æternæ, & tormenta gehennæ nunciavit.... Aquas in canalibus poſuit & oves adaquavit, quia & culturam ſummi Dei & fidem veræ Chriſtianitatis percepit &c. Ex parte cum corticibus reliquit: quia quos minus intelligentes invenit, exterioribus & minoribus præceptis docere curavit. Hoc ergo faciente Dei famulo, oves varios fetus conceperunt. Ad exhortationem ejus multi peccata erroreſque ſuos reliquerunt; & religioſius viventes, Dei ſe ſervitio tradiderunt. Sic ſanctus vir ſectando juſtitiæ ſemitam, ſecutus eſt beatum Jacob patriarcham.

Jacobo comparatur.

Moyſi. Moyſes etiam in domo Domini fideliſſimus ac legiſlator veriſſimus &c. Similiter fidelis Chriſti famulus beatus pater noſter Dominicus omnem mundanam gloriam deſpexit ac deſeruit; & ut alter Moyſes primo carnales, deinde ſpirituales ovium greges pavit: vocem Dominicam ſollicite audivit, & ſollemniter obſervavit; præcepta Domini non ſolum quos potuit docere, ſed etiam ipſe adimplere fideliter procuravit....... apoſtolica admonitione arguendo, obſecrando, increpando, quamplures ad terram viventium miſit, & ipſe intravit; & nunc tota die omnes ſua monita ſervantes, ſuaque exempla ſectantes abſque dubio ad æterna gaudia introducit.

Davidi. Beatum etiam David, ut legimus, in pueritia paſtorali cura carnalium ovium eſt functus *&c.* Beatus ergo Dominicus, ut David patriarcha, in pueritia eſt functus paſtorali carnalium ovium cura; & ut ipſe David, annis pueritiæ tranſactis, ingreſſuſque robur virilis ætatis, adeptus eſt regni gubernacula, ſubditumque populum liberavit ab omni perſequentium viſibilium inimicorum perſecutione graviſſima. Sic egregius patronus noſter Canienſis, annis pueritiæ tranſactis, roboratuſque virilis ætatis perfectione, diſpenſante divina providentia & ordinatione, & ſana fidelium accumulatione, quod in loco ſuo apertius oſtendemus, ad eccleſiaſticum regimen meruit pervenire. Quo promotus, ut alter David, robuſtiſſimus gregem ſibi ſubditum ab omni nequiſſima infeſtatione immundorum & malignorum ſpiritium, principibuſque tenebrarum viriliter procuravit eripere, & ad ſemper virentia perennis vitæ paſcua, ſalubri admonitione, pia obſecratione, ſancta increpatione, ſuavi ſtudio ſudavit introducere: eccleſiaſticos denique cultus, divinorumque miniſteriorum ritus, ac varios miniſtrorum ornatus, atque omnia ſacris ſuæ eccleſiæ uſibus congrua religioſâ atque decenti ordinavit atque ampliavit vigilantiâ; & ad hæc imitanda, omnium ſuorum corda exhortatione pia procuravit erigere.

Auctoris ætas. His & aliis multis bonis operibus manens, ut didicimus à ſuis, qui adhuc ſuperſunt, familiaribus, promiſſionem ſupernæ remunerationis, adhuc vivens in corpore, meruit accipere divinitus. Sed jam ad propoſiti ordinem redeamus.

III. Litteras addiſcit. Itaque beatus Dominicus in cuſtodia nutriendarum ovium tranſegit quadriennium. quo tranſacto, tradidit ſe ſtudiis divinarum litterarum, quarum perfectionem, ſoli animæ utilem, Spiritu-ſancto inſpirante, qui ipſum ab ejus incunabulis inſpiraverat, percepit in brevi tempore, ſperhenſque ſtudioſam mundanæ ſapientiæ inflatamque elationem, quæ prodente Paulo apoſtolo eſt terrena, ſublimante gratia Dei ad preſbyterii promoveri meruit dignitatem. quod ſacroſanctum miniſterium ſic decenter tractavit, ſicuti digne,

Fit preſbyter.

digne, donante Deo, accepit. Provectus itaque vir Domini Dominicus ad presbyterii gradus ſublimitatem, ſuperna gratia inſpirante, divinaque ſcriptura monente, aſſcendere diſpoſuit de virtute in virtutem, ut Deum deorum in Sion videre mereretur; & altiora cæleſtiaque contemplans, nomen veri & antiqui Iſraëlitæ merito ſortiretur. quod nomen juſte illi congruit, qui jam cæleſtia ſecreta contemplatus, terrena deſeruit ac deſpexit: & ut mali ſemper labuntur ad deteriora, ſic boni properanter aſſcendere nituntur ad meliora, &c. Chriſti itaque devotiſſimus famulus Dominicus Spiritus-ſancti gratia pleniter repletus, intelligens hæc omnia, & cetera alia dicta ſalutifera, ſaluti animæ proficua, laborabat omnibus viribus, ut qui jam erat ſanctus, ſanctificaretur adhuc; & ad perfectiora tendens, ſublimius gratia Dei frueretur, ac liberius, remota omni ſæculari cura, quæ nullatenus tranſigi poteſt abſque culpa, in ſervitio Dei juſtis operibus aſſiduiſque orationibus nocte ac die exercitaretur. Expleto anno cum ſex menſibus cum parentibus, poſtquam adeptus eſt dignitatem preſbyteratus, comitante corporis ac mentis integritate, vitiorum mortifera pollutione abjecta, prout mortali homini, divino munere ſubminiſtrante, licet, inſciis parentibus, eos ut latro laudabilis deſeruit, atque eremum ſolitariæ vitæ cupidus expetiit, omni mundana facultate nudatus, ac divina protectione veſtitus. Anno ergo integro cum ſex menſibus, adoleſcens fortiſſimus, divino munimine munitus, eremum habitavit ſolitudinis *, hominibus ignotus, ſoli vero Deo, cui jugi famulatu adhærebat, notus. Quas vero tentationes, vel indeficienter conflictus ab infeſtiſſimo hoſte humani generis pertulerit; vel quibus virtutibus, ſcilicet abſtinentia, vigiliis continuis, quotidianis jejuniis, & indefeſſis orationibus claruerit, non eſt noſtræ ſcientiæ vel poſſibilitatis evolvere: hoc certe ab eo nemo famulantium, nemo ſupplicantium ea potuit elicere. Hoc unum eſt notum, quia eremum probatus & laudabilis intravit, ſed probatior & laudabilior exivit.

Ann. Ch. MLXXIII. Dec. XX.

In eremum ſecedit.

Fidelis itaque famulus Dei Dominicus in colendo eremum imitatus eſt Eliam eximium prophetarum, & Johannem majorem hominum, Paulumque priorem eremitarum, omneſque, quos provexit gratia hujus religionis ad culmen ſummæ perfectionis. Inſpirante divina clementia cor ſuum ad mærorem ſanctum & timoratum flexit: & quia cohabitatione & eruditione perfectorum ſervorum Dei inſtructus & eruditus non fuerat, vehementer ingemuit, timens veridicam ſententiam, quæ dicit: Quia qui alios docere voluerit, magiſter erroris erit, ſi diſcipulus veritatis non fuit. Deliberavit ergo eremum deſerere, non propoſiti mutatione, vel inſtabilis animi levitate, ſed ut converſationem, abſtinentiam, religionemque perfecte Deo ſervientium videret, agnoſceretque; ne forte, ut de ſe aſſeverat Paulus gentium doctor egregius, in vanum curreret aut cucurriſſet. Qui Apoſtolus licet talis ac tantus fuerit vir, qui arcana cæleſtia videre promeruit, tantæ ſublimitatis, tam magni & ingentis meriti, tam incomparabilis ſapientiæ, non eſt dedignatus poſt multorum annorum curricula prædicationis ſuæ Jeroſolymam ad Apoſtolos aſſcendere, verba doctrinæ ſuæ, quam gentibus prædicaverat, illis oſtendere, ne forte, ipſo referente, in vanum curreret vel cucurriſſet: ſed ipſo teſtante, nec ipſi Apoſtoli qui videbantur eſſe columnæ, ſcilicet majores ceteris apoſtolis, nihil ei contulerunt, nihil eum à Chriſto doctum docere potuerunt: nec ipſi majores, videlicet Petrus, Jacobus & Johannes, qui ideo columnæ, id eſt maximi Apoſtolorum vocantur, quia ipſi Dominum Jeſum in monte transfiguratum viderunt, qui cetera plura videre non meruerunt. Quorum exemplo vir Deo plenus Dominicus eremum, non propoſitum eremi deſeruit, & monaſterium ſancti Æmiliani confeſſoris Chriſti egregii, quon-

IV.

Fit monachus.

* Id eſt in montibus Diſtercii haud procul à monaſterio S. Æmiliani, ut habet Yepezius.

Ann. Ch. MLXXIII. Dec. XX. dam ejuſdem propoſiti flore pollentis, expetiit, & artam anguſtamque viam, Domino Jeſu docente, arripuit, & habitum ſacræ religionis ſuſcepit, ut ſpreto & calcato hujus mundi oblectamine, ſupereſſet ſola ſpes vitæ perpetuæ; & in mundo non habens, exemplo Filii hominis, ubi caput reclinet, in futuro ab ipſo Filio hominis in terra viventium ſtolam æternæ beatitudinis reciperet &c. Beatus denique ÆMILIANUS hac mortalitate circumdatus, & in ſpirituali agone poſitus, totus vitæ ejus curſus indeficiens fuit cum principe mundi conflictus.... cujus vitam laudabilem atque inimitabilem, tranſitumque in conſpectu Domini pretioſum ac memorabilem venerandæ memoriæ BRAULIO, Cæſarauguſtanæ urbis epiſcopus ſcripſit *, & pauca de innumerabilibus (ac verum eſt) ſe narraſſe aſſeruit. Felix itaque Dominicus ſanctiſſimum cœnobium illius ingreſſus, toto conamine mentis corporiſque illum eſt imitatus. quod etiam ad effectum perduxit forti ac mirabili inſtantia, ut teſtantur hodie facta mirifica & manifeſta.

Matth. 7. 14.

V. Ejus virtutes.

Suſcepto igitur devotus Deo Dominicus habitu regulari, ac juxta inſtitutionem ſanctorum Patrum firmata ſtabilitate monachalis propoſiti, pervigilabat ſollicitius proficere ſanctis virtutibus, & ſollertiſſimus procurabat opponere ſtatutum fidei contra jacula & impetus infeſtationeſque malignantium ſpirituum. Nec in ullo rigor monaſticæ vitæ reſultat, quam in compeſcendis illicitis motibus carnalis concupiſcentiæ, quos ſpeciali animi firmitate rationi ſubdebat. Caritati, æquum omnium virtutum examen, infatigabili ſtudio inſerviebat, qua ſine fictione profuſus, non quæ ſibi, ſed quæ juſtis utilitatibus proximorum erant proficua requirebat; memor Apoſtolicæ ſententiæ dicentis: *Caritas non quærit quæ ſua ſunt, &c.* Beatus itaque Dominicus, revelante ſibi Spiritu-ſancto, hoc intelligens ſe funditus obſervationi illius mancipavit, & nulla occaſione vel exactione ab illius tramite aberravit; & ſagaci induſtria mentis cognoſcens veram caritatem eſſe integram dilectionem Dei & proximi, numquam ſe pallio fictæ caritatis palliavit, ſed in vera caritate ambulans, ab ea neque ad dexteram neque ad ſiniſtram declinavit. Neque enim uſus eſt vera caritate in tentatione vel favore inanis gloriæ, nec uſus eſt operimento falſæ caritatis, quia viſus hominum ſeducuntur blandimento pravæ ſeductionis.

Caritas.

1. Cor. 13. 5.

Humilitas. Humilitate omnium virtutum matre, ſuccenſus Spiritus-ſancti favore, ſe omni ex parte muniebat; & cum eſſet ſublimior omnibus merito totius abſtinentiæ & auſteritate ſanctæ vitæ; omnibus ſe abjectiorem inferioremque judicio ſuæ mentis, nulli umquam ſe præponens judicabat. Ut enim, teſtante ſancta ſcriptura, ſuperbia initium omnis peccati & omnium vitiorum regina eſſe noſcitur: ſic & è contra humilitas dominatrix ac nutrix omnium virtutum eſſe creditur, &c. Patientia vero, qua, Chriſto teſtante, animas noſtras poſſidemus, ita perfecte eſt uſus vir Dei Dominicus, ut non ſolum injurias vel contumelias ſibi inlatas aliquo ingenio vel vi non ſit ultus, ſed nec etiam alicui majori, medio vel minori reſponſum moleſtiæ reddiderit graviter læſus. Hac virtute merito animæ poſſidentur, &c. Obedientiam denique vir Dei omni animi virtute eſt pio ſtudio proſecutus, abrenuntians propriis voluntatibus: & perſcrutando exempla ſanctorum virorum, intellexit hanc virtutem eſſe fundamentum omnium bonorum. qua in virtute Abraham primus patriarcharum inſigniter claruit, &c. Hæc agnoſcens ſervus Dei Dominicus, ac obedienter in cœnobio ſancti Æmiliani degens, obedientiam beati Abrahæ eſt reverenter imitatus. qua & aliis inſtructionibus perfecte eruditus, brevi tempore, prout infirmitati humanæ eſt poſſibile, omnium virtutum floribus pollere

Patientia.

Obedientia.

* Hæc Vita edita eſt Sæc. I. ad annum DLXXIV. ubi de monaſterio S. Æmiliani cognomento Cucullati, vulgo *S. Milan*.

Digitized by Google

meruit, quibus ornatus ceteris conſodalibus imitandus apparuit. Videns ergo pater præfati monaſterii beati Æmiliani, omniſque fratrum congregatio tantam divini beneficii gratiam in beato viro, ſtatuerunt inter ſe ejus obedientiam, an vera, an falſa foret probare, proponentes ſibi hæc divina dicta: *Homo videt in facie, Deus autem in corde.* Accepto itaque divino conſilio, hujuſmodi obedientiam ei diſpoſuerunt injungere, in qua videretur eſſe quædam occaſio injuriæ, ut ſic ad crimen inobedientiæ moveretur; & ſic inobediens probatus, à culmine cunctarum virtutum, quibus fuerat ſubnixus dejiceretur. Præceptum eſt ergo ei ab abbate, omni cœtu fratrum conſentiente, ut iret ad domum ſanctæ Mariæ Cannienſis * villulæ, de qua, ut ſupra diximus, eremum fuerat ingreſſus. quod injunctum mandatum, ne inobedientiæ crimen incurreret, ſine mora obediens libentiſſime ſuſcepit; ac revolvens in ſemetipſo præceptum Domini dicentis: *Non veni facere voluntatem meam, ſed ejus qui miſit me*, cum Patris benedictione, ſociorumque permiſſione, à monaſterio beati Æmiliani exivit, & ad domum ſanctæ Mariæ, quæ ei tradita fuerat, pervenit. quam ingreſſus omni facultate, omnique ſupellectile, & ut breviter concludam, omni re neceſſaria exſpoliatam invenit: quod cernens vir Domini, vehementer ingemuit, & dolore cordis tactus intrinſecus graviter doluit. Sed mox inſtinctu ſancti-Spiritus, qui ejus mentem ab integro jam poſſidebat, ad ſe rediit, & memor ſententiæ Pſalmiſtæ dicentis: *Labores manuum tuarum manducabis, beatus es & bene tibi erit.* Et illud Apoſtolicum; *Qui non operatur, non manducet*, de labore manuum ſuarum ſubſidia corporalis vitæ ſibi ſuiſque ſubminiſtrare diſpoſuit. Et inſuper non modico gaudio gratulabatur, quod proprio labore victum & veſtitum quærendo, antiquos perfectoſque monachos imitabatur. Sancto ergo viro conſtituto in hujuſcemodi exercitationis negotio, evidenter completur ſuper eum Pſalmiſtæ fidelis oratio dicentis: *Inquirentes Dominum non deficient omni bono.* Et alibi: *Non vidi juſtum derelictum, nec ſemen ejus quærens panem.* Cernens igitur miſericors Deus ſervum ſuum fidelem devote ac fidenter laborantem, ſua ineffabili clementia, ſuſcitavit ad famam ejus multorum bonorum virorum corda, qui undique ad eum convenientes, & illius bona opera & miranda videntes, converſationemque æmulantes, catervatim ad eum confluebant, & cuncta, quæ ei ſuiſque erant neceſſaria, abundanter miniſtrabant; & ſic propitia divinitatis largitate, & devotorum virorum, honeſtarumque mulierum opitulatione, infra biennium eſt reſtauratum decentiſſime cœnobium ſanctæ Mariæ, domuſque ejus ornata omni convenienti honeſtate: & inſuper, ipſo agente, eſt dedicata ſummo cum honore ac debita veneratione. in qua Dominus ejus meritis multa beneficia conceſſit, & multos ſancta illius exhortatione à captivitate ſuorum malorum operum converſos, ad viam veritatis & juſtitiæ revocavit, ac felici perſeverantia donavit. Inter hos patrem ſuum, nomine Johannem, bonæ religionis virum, cujus ſuperius memoriam fecimus, ac fratres ſuos à ſæculari vanitate convertit, & ad amorem ſupernæ vitæ accendit; & in monaſtica vita perſeverantes, ut credimus, cæleſtis vitæ fecit eſſe participes. At vero ſuam genitricem, ſua ſalutaria monita ſpernentem ac ſæculariter viventem, dum ægrotaret viſitare noluit; & dum adhuc viveret, aliquod ſolatii genus ei impendere recuſavit. quod fecit, non ſpernendo ſexum vel matrem, ſed dum vidit illam incorrigibilem, & ad opus Dei inconvertibilem, judicavit illam non mereri ſervorum Dei viſitationem. At cum migraſſet & è vita deceſſiſſet, & ad cœnobium ſanctæ Mariæ ad tumulandum perlata fuiſſet, pro abſolutione animæ ejus hoſtiam ſalutarem religioſe obtulit, exhincque honorificæ ſepulturæ tradidit. Et hoc ideo egit, ut palam oſtenderet, quia nullus animabus fidelium defunctorum, quamvis peccatis criminibuſve gravatis,

Ann. Ch. MLXXIII. Dec. xx.

Probatur ejus obedientia.

* Cañas.

Monaſter. Cannienſe reparat.

Johan. 6. 38.

Pſal. 127. 2.

2. Theſ. 3. 10.

Pſal. 33. 11.

Pſal. 36. 25.

Parentes ſuos convertit.

Ann. Ch. mlxxiii. Dec. xx.

Ab abbate S. Æmiliani revocatur.

officia humanitatis ſeu caritatis ſubtrahere debet. Quo in loco Domini gratia per eum multa ſigna dignata eſt oſtendere, multoſque converſos à peccatorum ſuorum errore, dignos reddidit ſua benedictione. Interea dum præconium beati viri crebreſceret, & fama ſanctiſſimæ converſationis illius circumquaque pervolveretur, & etiam ad exteras & longe poſitas regiones profflueret, hoc comperto, Abbas ſupradicti monaſterii ſancti Æmiliani indicare procuravit cunctæ congregationi, & expetere ſalubre conſilium, ut vir tam ſanctæ converſationis, tam admirabilis ac ſingularis ingenii revocari ac regredi deberet ad proprium, in quo ordinatus fuerat, cœnobium, quia atteſtante Domino Jeſu: *Non poteſt civitas abſcondi ſupra* (Matth. 5. 15.) *montem poſita; ſicut neque abſconditur ſuper candelabrum lucerna accenſa, ut à lumine ejus illuminentur omnes, qui domum ingrediuntur.* Quo exemplo juſtum congruumque Abbati videbatur, ut ſanctus vir ad ſedem propriam, unde exſulabat, ſine aliqua revelatione reverteretur; atque forma ſanctitatis religioſitatiſque illius male viventibus, negligentibus, ac deſidioſis imitanda proponeretur. quo ipſe pro ſua ſancta vita, ac pro bono exemplo, duplici retributione remuneraretur, Dominica enim voce dicente: *Videant* (Matth. 5. 16.) *bona veſtra opera, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.* quod ſaluberrimum conſilium omnimodis placuit conventui fratrum. Sed à cunctis dubitabatur, utrum obedire vellet, & à ſuo monaſterio aliquo pacto erui poſſet.

VI.

Statim itaque ut cauſa hujus ſancti conſilii per quoſdam fratrum delata eſt ad aures venerabilis viri, non contradixit, non recuſavit, non reſtitit: ſed ſicut ſine mora ut egrederetur obedivit, ſic ſine aliqua tarditate ut regrederetur obtemperavit. Qui ad monaſterium regreſſus, mox abbatis

Ubi fit præpoſitus.

juſſione, & totius conventus fratrum concordi electione, licet renitens, licet coactus, tamen ne in aliquo inobediens deprehenderetur, præpoſitus monaſterii ſancti Æmiliani eſt regulariter ordinatus. Qui ſuſcepta ordinatione, firmus ac ſtabilis permanſit in ſui propoſiti humilitate, memor illius dicti: *Principem te conſtituerunt, noli extolli.* (Eccli. 32. 1.) Et Dominus Jeſus: *Si quis voluerit inter vos primus eſſe, ſit omnium ſervus.* (Matth. 20. 27.) Prudentiſſimus ergo vir ita officium ſibi commiſſum exemplariter tractavit, ſic ſagaciter ordinavit, quatenus ipſe omnibus prodeſſet, nullis obeſſet, & ipſe ab omnibus diligeretur ac veneraretur; nihil de rectitudine ſuæ inimitabilis vitæ minuens, ſed in eo quod cœperat perſiſtens, ut aſſuetus fuerat, vigiliis, jejuniis, orationibus, ceteriſque bonis operibus ſedulus inſiſtebat; & ut in gradu omnes præcellebat, ſic in ſancta vita omnes anteibat. Ante omnia autem cunctos humilitate ſuperabat: affectus veræ caritatis nec à corde nec ab ore illius recedebat, ſed in ea radicatus ac plantatus, mentem ſuam nec ad momentum evellebat; ſed omnia opera ſua dulci illius temperamento condiebat & indulcabat. Perſpicaci enim intellectu mentis intelligebat, quia ſicut à comedente omnibus cibis non ſale conditis epulum eructatur & rejicitur, ſic ab omnipotente Deo omne opus ſine caritate factum abominatur & deſpicitur. Sectabatur etiam habere in omni ſuo actu temperantiæ virtutem, omnium virtutum moderatricem. Ut enim ante oculos hominum omne pulmentum conditione ſalis indulcatur ac ſaporatur; ita ante oculos Dei omne opus bonum admixtione virtutis temperantiæ acceptatur atque recipitur. quo exemplo in lege præcipitur: *Non auferes ſal de ſacrificio Domini Dei tui.* (Levit. 2. 13.) Sal de ſacrificio Domini aufert, qui aliquod opus bonum ſine condimento virtutis temperantiæ Deo offert: & ideo ſummopere eſt obſervandum, ut omne opus bonum temperantiæ accipiat condimentum, ſine quo temperamento, non virtuti reputatur ſed vitio. Falſitatis vero & mali ingenii doloſa argumenta, & ſeductionis amara blandimenta, ac deceptionis ſubdola oblectamenta fugiebat amicus pacis

Marginal notes: Ejus virtutes. — Humilitas, caritas. — Temperantia, &c.

Digitized by Google

& dilectionis ut venena mortifera, nullum umquam cupiens vel vi opprimere, vel blanditiis ſeducere. Opprimentium conſortium vitabat. dictum enim à Propheta audierat: *Per vim nihil rapueris.* Et illud Apoſtolicum: *Raptores regnum Dei non poſſidebunt.* Decipientium collegia exhorrebat. Deceptionem enim à diabolo inventam eſſe cognoſcebat; nam deceptione primum hominem ſeduxit, ac beata immortalitate nudavit. Quod enim veneno mortem alicui dare cupivit, hauſta calicis melle mixta libamina, ut dum hoc quod eſt dulce guſtatur, ſine aliqua tarditate ad hoc quod eſt mortiferum pervenitur: unde in lege jubetur, quod mel Deo numquam offeratur, nec ipſius ſacrificio miſceatur. nam per dulcedinem mellis accipitur aſtutia deceptionis. Felix itaque Dominicus ſecutus quod prætulimus, ſal in ſacrificio Deo obtulit. nam virtute temperantiæ omnia opera ſua condivit. Mel vero numquam in ſacrificio miſcuit. nullomodo enim verbis blandæ adulationis vel verſutæ deceptionis uſus fuit: ſed audiens quod Dominus ait: *De omni verbo otioſo, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die Judicii*, verbis inutilibus ac deceptoriis omni virtute animi renuntiavit. Cum autem vir Deo plenus felicibus actibus eſſet intentus, & omnes res & cauſas monaſterii rectiſſime tractaret, induſtrieque ordinaret, omnis & fratrum congregatio ſine intermiſſione intenta eſſet omnipotentis Dei ſervitio, hoſtis antiquus generis humani invidia hoc nullo modo patienter tulit; ſed ad conſueta arma recurrens, mille artes nocendi exercuit adverſus famulum Dei per membra ſua, ſcilicet per pravos homines, malignis artibus utentes, qua calliditatis arte eum à prælatione dejiceret, & ab habitatione monaſterii eum expelleret, inquiſivit. Intolerabiliter enim dolebat, quia omne monaſterium ſub ſagaci induſtria & ſingulari norma redactum eſſe videbat. Diu itaque & argute contra militem Chriſti per ſatellites ſuos diabolus omnium malorum inventor pugnavit, per quos eum ſuperare non potuit; ac cernens ſe ab eo devinci, fortiora arma requiſivit. Nam cor Regis invadens, regiam iram contra eum accendit, quæ ſic fuit infeſtiſſima, ut ſervo Dei habitationem, omnibuſque habitantibus monaſterii deſerere coëgerit. Tunc memoriæ reducens quod Dominus ait: *Cum vos perſecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam*, imitatus igitur Paulum apoſtolum, regali iræ ſeque perſequentibus ceſſit & receſſit. Et optime, &c.

ANN. CH. MLXXIII. DEC. XX.

Ezech. 18. 7.

1. *Cor.* 6. 10.

Levit. 2. 11.

Matth. 12. 36.

Dæmon ei inſidiatur.

Et Regem in eum movet.

Matth. 10. 23.

VII.

Igitur eo tempore GARSIAS [a] rex filius SANCII regis Majoris, frater FREDELANDI * regis tenentis imperium provinciæ Legionenſium, obtinebat regnum provinciæ Najarenſis, vir certe corpore decorus, actibus clarus, ſermone directus, armis ſtrenuus, & uſu militiæ bellicoſus, ut teſtantur frequentes, nobiles, ac memorabiles ipſius victoriæ ſuper ſpurciſſimam gentem Agarenorum obtentæ, & ſuper reſtitutionem Calagurritanæ civitatis, quæ quondam fuit auctoritate ſcripturarum, ſedes epiſcopalis [b]. Hic itaque Rex cum quadam die ad cœnobium ſancti Æmiliani veniſſet, & ſecundum ſuam pravam conſuetudinem de facultatibus monaſterii ſibi dari requiſiſſet, vir Domini fultus conſtantia fortis animi dari renuit; & evidentiſſima ratione probavit illicitum fore Regem, vel aliquam perſonam ſæcularem vel eccleſiaſticam, res monaſterii debere invadere, vel diripere, vel aliquo deteſtabili more aut occaſione accipere, quæ ad uſus Deo ſervientium monaſterio ſunt donatæ. Rex autem hoc reſponſo à viro Dei ſuſcepto, atque magno iracundiæ felle commotus, tale reſponſum dedit famulo Dei. Mihi, & omnibus qui ſunt viri intelligen-

* i. Ferdinandi.

[a] Fuit hujus nominis IV. Navarræ rex, cujus frater Ferdinandus, qui hîc Fredelandus dicitur, Caſtellæ rex; Legionenſe regnum, occiſo anno 1036. Veremundo III. obtinuit.

[b] In veteribus provinciarum Notitiis occurrit Calagurritana civitas ſub metropoli Tarraconenſi Nunc paret Burgenſi archiepiſcopo, Caſtellæ veteris metropolitano per Gregorium XIII. inſtituto. Vulgo dicitur *Calahorra*, cui unitus eſt Calciatenſis epiſcopatus, *Calzada*; hinc ille epiſcopus duas habet ſedes.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXIII. DEC. XX. » tes, nimis injuſtum & inconveniens videtur eſſe me facultatibus patris » mei & avorum, parentum meorum, carere debere; & ea quæ prædeceſſo- » res mei poſſederunt, non poſſidere. Cui vir Domini reſpondit: Fateor, » Rex glorioſe, tua ac patris tui & avorum parentum tuorum fuiſſe, & eſſe » omnia, quæ hoc monaſterium dignoſcitur poſſidere: ſed tunc cœperunt » tua non eſſe, quando cæleſti Regi, ſanctoque Æmiliano, ad neceſſaria ſibi » ſervientium ſunt conceſſa. Ergo intellige omnino eccleſiaſtico juri contra- » rium eſſe, laïcas perſonas res Eccleſiæ datas uſurpare: & ſcito te in his » partem habere, conſortemque mercedis parentum tuorum eſſe, ſi permiſe- » ris facultates, quas tui parentes ſtuduerunt Deo & beatiſſimo Æmiliano » ad uſus ſuorum ſervorum pacifice integras permanere; & non ſolum per- » manere, ſed etiam tueri & augmentare: ut ſicut illi remunerantur à Deo » pro beneficiis impenſis Domino famulantibus, ſic & tu pro illis cuſtoditis » & pro conceſſis remunereris. Tunc Rex vehementer ira ſuccenſus, cum juramento minabatur, quia pro hoc reſponſo vir Domini oculorum lumine privaretur. Sed illo in conſtantia permanente, & ſine timore libere reſpondente: Poteſtatem habes, fac quod vis. Rex nimio furore repletus, æſtimans ſe ab eo irrideri ac deſpici, teſtabatur rurſus cum juramenti confirmatione, ſe illum privare officio linguæ. Sed viro Dei è contra fidenter reſpondenti, Fac, quia & hoc habes in poteſtate. Jam pro hac reſponſione Rex minatus eſt illi mortem inferre. Sed illo immota animi conſtantia perſiſtente, ac dicente: Animam à corpore potes expellere, qua expulſa jam amplius non erit in tua poteſtate, nec poteris ei quidquam boni ac mali facere. Rex ſe contemtum arbitratus, à conventu fratrum receſſit furibundus & ultra modum iratus. Vir autem Domini tota mentis contritione ad Dominum converſus, in loco ſuo ſtetit ſecurus & imperterritus. Iterum Rex videns conſtantiam beati viri, de eo ſermonem conſiliumque habuit cum cœnobii Abbate [a], volens eum à gradu præpoſituræ deponere, & à monaſterii habitatione expellere. At vero Abbas, comperta Regis intentione atque voluntate, & jam percuſſus in ſecreto cordis mortifero jaculo invidiæ, pro tam admirabili Dominici conſtantia & ſanctiſſima converſatione, cum conſenſu Regis eum & à gradu prioritatis injuſto & damnabili judicio depoſuit, & ab habitatione proprii monaſterii expulit; & tamen fraudulenta aſtutia tres cellulas ad regendum ei tradidit. At vir ſanctus fundatus firmiſſime in vera & non ficta conſcientia, & patientia, intelligenſque ſagaciter eorum machinamenta nequiſſima, omnem ſpem ſuam in Domino, memor ſententiæ Prophetæ dicentis: *Benedictus homo qui confidit in Domino*; & rurſus: *Maledictus homo qui confidit in homine*, poſuit: & ſecundum beati Job deliberationem, donec deficeret, ſe ab omni innocentia ſua non recedere deliberavit; & cellulas, quamvis fraudulenter commiſſas, obedienter & cum incredibili humilitate ſuſcepit. In eas ingreſſus, & pro ſalute animæ ſuæ, & pro corporis ſuſtentatione viriliter laborabat, nec ab ullo bono opere in Domino deficiebat. Pietas enim Domini nullum juſtum derelinquens, infatigabilem ejus longanimitatem, atque ipſius inſuperabilem patientiam conſiderans, illius opera in omnibus dirigebat; & ſic juvante Domino, in ſuo bono propoſito permanebat, & veſanam invidiam diaboli, per quam, teſtante Scriptura, mors in orbem terrarum introivit, perſecutionem iniquorum hominum ſancte vivendo irridebat.

E monaſterio pellitur. — *Jerem. 17. 7.* — *Ibid. 5.* — *Sap. 2. 24.*

VIII. *Rurſus à Rege exagitatur.*

Adeſt rurſus tentatio diaboli contra hominem Dei. nam ſupra memoratus Rex, inimico totius bonitatis inſtigante, non eſt paſſus vivere eum quiete. Nam vix tranſacto dimidii anni ſpatio, denuo ipſe Rex ad eum pergens, omnique humano pudore carens, facultates, quas vir Domini

[a] Hunc Ferrutium appellat Sandovallius.

Digitized by Google

nec habebat, nec ab ullo vivente acceperat, diabolica immiſſione ab eo exigebat. Tandem vir Dei ſentiens fraudulentam rabiem inimici, tale reſponſum dedit Regi, à ſe quæ non dederat, nec commiſerat requirenti. Rex venerande, monaſteria, vel prædia, vel aliquod beneficium à te non accepi, de quorum facultatibus ſit dignum, ut ſerviam tibi. Et nunc dico tibi, ut alium diſpoſitorem, diſpenſatorem, ac proviſorem monaſteriorum tuorum requiras, & eligas tibi, qui pro libitu tuo de facultatibus eorum obtemperanter ſerviat tibi. Ego autem hactenus Domino ac creatori meo, ac redemtori pio, qui eſt verus Rex, pius & electus, & non alicui terreno Domino ſervire diſpoſui; & dum tecum non valeo habitare, neque animam meam ſalvare, cogente perſecutione, & prohibente inquietudine, omnipotens Deus ſua gratuita miſeratione, & benigniſſima conſolatione dignetur mihi locum ſuo nomini ac ſervitio congruum providere atque oſtendere; in quo poſſim, remota ac depoſita omni ſæculari ſollicitudine, devote ac ſecure ſacratiſſimo ac exoptabili ſervitio ipſius inſiſtere, quamdiu pietas ejus ac providentia me conceſſerit manere in hoc fragili ac mortali corpore, & emenſo corporeæ vitæ tempore, ipſe merear ſpiritum mihi à ſe commiſſum ſine damnabili contaminatione reddere. His dictis, omnibuſque reverenter ſalutatis, ab illa regione ſeceſſit, & ad palatium glorioſi Fredelandi regis, Domino inſpirante ac ducente pervenit. Hoc autem totum benigna & miſericordiſſima Dei benignitas & diſpoſitio ordinabat, qui Exilienſi monaſterio incuria & negligentia, necnon deſidia pæne ad effectum deſolationis redacto, ſtrenuoſiſſimum reſtauratorem bonumque paſtorem providebat. In hoc ſuo facto verus Chriſti famulus Dominicus Paulum & Barnabam eſt imitatus, qui Judæis verbum Dei non recipientibus, ſed è contrario blaſphemantibus, perſecutioneſque excitantibus, Spiritus-ſancti inſpiratione ab eis recedentes, ad gentes converſi ſunt. Hoc itaque exemplo prudentiſſimus ſervus Domini Dominicus videns Regem à ſtatu ſanæ intelligentiæ dejectum, ceteramque gentem illius provinciæ cupiditate cæcatam, & avaritia obtenebratam, ignorantiæ caligine, & omnium bonorum operum inertia imbutam, nec ex toto corde velle recipere verborum Domini fructificanda ſemina: ſed amiſſo omni pudore peccandi, ſemper tendere ad perditionis infima, ſecundum increpationem prophetæ dicentis: Peccatori ſine omni verecundia peccandi . . . meretrici . . . . . eſt tibi noluiſti erubeſcere, juſte & abſque aliqua reprehenſione provinciam Regis ſe perſequentis deſeruit, & ad manſionem ſibi à Deo præparatam, ipſo greſſus ejus dirigente pervenire promeruit.

Secedit in regnum Ferdinandi.

In illis igitur diebus in monaſterio Exilienſi, fundato in honorem beatiſſimi martyris Sebaſtiani martyris Chriſti, erat quidam venerabilis vitæ, Licinianus [a] nomine, ſerviens Domino in ſancta converſatione die ac nocte cum magna reverentia & humilitate, continuus in jejuniis, aſſiduus in orationibus, pernoctans in vigiliis, & jugiter intentus omnibus bonis operibus. Qui videns varios caſus & everſiones ac deſolationes præfati monaſterii, ac recordatus antiquæ illius dignitatis ac nobilitatis, affligebatur magna cordis contritione, & angebatur intolerabili amaritudine, atque indeſinenter irrigabat faciem amaro lacrymarum flumine, Iſraëliticum populum imitatus, qui de Jeruſalem in Babyloniam in captivitatem ductus, ſuper flumina Babylonis ſedit, & flevit; & recordatus gloriæ montis Sion, ac nobilitatis templi Domini, cum ingenti triſtitia organa ſua in ſalicibus ſuſpendit, & canticum de canticis Sion cantare noluit. Et quia in ipſa captivitate Deo ſacrificium contribulati ſpiritus offerre ſtuduit, nec idololatriæ ſe ſubdidit, ſed pro poſſe divinæ legis præcepta obſervavit, poſt ſeptuaginta annos captivitatis ſuæ ad terram repromiſſionis, & ad gloriam

IX. Monaſterii Exilienſis ſtatus.

[a] *Lucianum* appellat Yepezius.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXIII. Dec. XX. montis Sion, & ad nobilitatem templi Domini redire promeruit. Hoc exemplo hunc venerabilem virum Licinianum, non dubitamus à Domino eſſe exauditum, cum certe orationis ejus affectum & effectum inſimul videmus eſſe completum. Nam cœnobium Exilienſe, pro cujus ploravit deſtructione, & oravit reſtitutione, operante divina Majeſtate, quæ flectitur, & non dubitativa oratione ad priſtinum ſtatum nobilitatis priſcæ religionis, corporalibus oculis videmus rediiſſe; & hoc accipere meruit, quia
Jac. 1. 6. in fide & ſine hæſitatione, Jacobi apoſtoli admonitione, oravit, &c.

X. Fidelis igitur Dei famulus Dominicus à Najarenſi provincia & à monaſterio ſancti Æmiliani egreſſus, glorioſum regem Fredelandum adivit, qui eum honorifice & cum magno gaudio ac lætitia ſuſcepit. Jam enim audierat ac noverat, divulgante fama, quam laudabilis eſſet ipſius vita, & quam glorioſa ejus merita, & quam ſagax & perſpicua illius induſtria. Lætabantur illuſtres Comites cum optimatibus, gaudebat & omnis reliquus populus utriuſque ſexus. Omnes gratias & laudes Deo pro adventu ipſius referebant, unanimiterque famulo Dei applaudebant, videntes inexplicabili lætitia & incredibili exſultatione tripudiare omnem populum, contemplantes eum veluti ſpecioſum theſaurum ſibi divinitus miſſum. Dum hæc agerentur, Rex cum providenti conſilio, accerſitis Comitibus, qui
» tunc aderant, & optimatibus, ſic eos alloquitur: O amici dilectiſſimi, non
» puto vobis eſſe incognitum monaſterii Exilienſis ſtatum quondam fuiſſe
» glorioſum, nunc vero exigentibus peccatis ac negligentiis inhabitantium,
» pæne eſſe redactum ad nihilum; & ideo nobis magnopere eſſet procuran-
» dum, & prudenter tractandum, ut idoneus paſtor ac prudens rector eidem
» loco fere deſtructo provideretur, cujus prudentia, cum meo veſtroque
» juvamine, in Dei ſervitio reſtauretur, & in facultatibus neceſſariis cor-
» poralibus reintegretur. Cuncti principes regium conſilium ſibi placere ac ratum fore firmarunt, & ut ad effectum ducat exorant. quo reſponſo Rex
» compunctus ait: Si vobis omnibus in communi placeret, mihi videbatur,
» ut huic prudenti viro, qui, ut credo, miſeratione Dei ad nos venit, ſub
» paſtorali cura idem locus ei committatur: & confido in Domino, quia ad
» priſtinum decorem redibit ipſius ſummo ſagacique ingenio. Annuunt cuncti adſtantes Regis conſilium eſſe ſaluberrimum, & jubente Rege, hoc ad aures totius populi eſt delatum & expoſitum, omnibuſque annuentibus, & acclamantibus decretum Regis eſſe bonum & laudabile. Mox honorati & nobiliſſimi viri cum beato viro miſſi ſunt à Rege, qui eum cum devoto honore perducentes ad monaſterium Exilienſe, omnia quæ à Rege, principibus & omni populo dicta fuerant, retulerunt; & cum pontificali benedictione, ac totius congregationis acclamatione eum paſtorali regimini ſubrogaverunt [a]. Adeptus igitur beatus vir regimen Exilienſis cœnobii, ſedulus & pervigil pertractabat anxia ſollicitudine animi, quomodo domum Dei ſibi creditam, omni divina religione & humana ſuſtentatione pæne deſtructam, priori decori & honeſtati reſtitueret; & talem concionem fratrum in ea coadunaret, quæ Deo debitæ officium venerationis diurno diuturnoque tempore perſolveret, & regularia jura ſacræ religionis adimpleret, cujus rei auxilium à Deo requirendum dignum fore judicavit; & quia funditus in Domino ſpem ſuam poſuit, à deſiderio ſuo non fraudatus, om-
1. Cor. 9. 22. niſque voluntas & juſta petitio in effectum tranſiit. Omnibus itaque Apoſtolicâ ſententiâ omnia factus, omnium mentes ad ſui favorem amoremque inclinabat, nec ullo modo ſuis aliquibus intentus commodis omnium uti-
1. Cor. 4. 12. litatibus inſerviebat, operibuſque manuum, imitans Paulum Apoſtolum,
Prov. 31. 27. indeſinenter inſiſtebat; &, ſecutus imitabile exemplum fortis mulieris,

Cui Dominicus præficitur.

[a] Munionem tunc temporis abbatem Exilienſem fuiſſe ſcribit Yepezius, qui in Dominici gratiam monaſterii regimen dimiſit.

panem

Digitized by Google

panem otioſus non comedebat, intelligenſque, monente ſacra Scriptura, ſemper orandum eſſe & non deficere; omnes inimitabili exemplo ſemper provocans; ſine intermiſſione orabat, ac veræ humilitati operam dans; cum eſſet omnibus prælatus, omnibus ſe ſincero cordis affectu ſubdebat; & viliorem atque abjectiorem ſe cunctis arbitrans ſ nullis, nec etiam infimis, ſe ullo modo præponebat; ac ſemper ad meliora tendens, ſedule ſtudioſeque quietem humiliter perquirebat, & omnia terrena ac tranſitoria, necnon fugitiva hujus mundi, tamquam falſa ac deceptoria oblectamenta, pro nihilo ducebat. Affluentes etiam ac ſuperfluentes divitiarum immoderatas abundantias, deliciarumque illecebras, ut inimicas totius humanæ ſalutis, exhorrebat; & ſuos omneſque quos poterat ab hujuſmodi contagiis compeſcebat. Hæc igitur omittamus, & ad ea, quæ per illum Dominus operari dignatus eſt, articulum convertamus.

Ann. Ch. MLXXIII. Dec. xx.

Exordiis, incrementis & geſtis beati viri ſecundum modulum intellectus noſtri expletis, ad ea, quæ Dominus Jeſus, qui ait: *Sine me nihil poteſtis facere*, & per eum adhuc viventem in corpore dignatus eſt facere, accedamus. Omne enim quod referemus idonei teſtes, ſi neceſſe fuerit, vel ſi tantum cauſa increverit, eccleſiaſtico jure roborabunt; qui adſtantes ac præſentes & videntes fideliter interfuerunt. Hoc & teſtantur creberrima, quæ, Domino donante omnique populo teſtante, ad ejus ſacratiſſimum tumulum evidenter facta oſtenduntur miracula. Vir igitur ſanctus pro reſtauratione cœnobii ſibi commiſſi quotidianæ anxietati deditus, & pro ſalute & augmentatione gregis ſibi crediti aſſiduæ meditationi & orationi ſubditus, inſtabat indefeſſus divinis ac felicibus laboribus, ſollicituſque ne ad Dominum ſuum ſine lucro rediret. Volens autem miſericors Deus conſolationem attribuere juſtis & ſanctis ipſius cogitationibus atque ſudoribus, dignatus eſt illi poſt laborem in ſtrato quieſcenti, per viſum mittere conſolatores, vultu habituque fulgentes, qui & de remuneratione præteritorum ipſius bonorum operum, ſanctæque converſationis, mentem ejus redderent ſecuram, & pro præſentibus ac futuris ſanctis operibus certam retributionem promitterent. qua oſtenſione dulcis viſionis eum ad meliora provocarent, & provocando ad ſublimiorem perfectionem incitarent. Qua viſione Chriſti famulus, moderata cum eſſet lætitia, exhilaratus, convocatis probatæ converſationis fratribus, ſibi admodum familiaribus, indicavit quæ in viſione viderat, & quod à viſitantibus dictum audierat; & ſic ipſam viſionem referebat. Videbam, inquit, in viſione hac nocte me juxta quemdam fluvium ſtare, de quo fluvio emanabant duo parvi rivi nimium profundi, unus renitens ad inſtar coloris candidi, alter vero ad ſimilitudinem ſanguinis. Et dum ambo rivi de flumine procedere viderentur, alter tamen alteri non jungebatur. Super fluvium vero videbatur mihi eſſe pons vitreus, ſpatium palmi & dimidii habens amplitudo illius: in hujus pontis extremitate ſtabant duo viri, ultra humanam pulcritudinem pulcherrimi, veſtibus albis induti, quorum pectora zonis aureis, miro fulgore fulgentibus, erant præcincta. Unus ergo ex his duas coronas aureas, nimio & incredibili ſplendore ſplendentes in manu tenebat; alter vero unam ſolam ferebat, quæ ſeptemplici fulgore illas duas, quas alter tenebat, ſuperabat, & inſuper tota ex lapidibus pretioſis contexta erat. Itaque ille, qui duas coronas tenebat, me vocabat, & ut ad eos venirem jubebat. Sed è contra me reſpondente ac dicente: Non poſſum, domine, nimis certe anguſtus & fragilis eſt pons iſte, quem omnino nequeo pertranſire. Reſpondens dixit mihi: Noli timere, ſed ſecurus libere tranſi, & veni. Ejus præcepto obtemperans, proſpero & inoffenſo gradu anguſtum & vitreum pontem tranſivi, & ad eos veni. Statim unus eorum dixit mihi: Hæ duæ coronæ quas vides, tibi à Domino ſunt datæ, & quia jam illas

XI. Joban. 15. 5. Viſione cœleſti recreatur.

ANN. CH. MLXXIII. DEC. XX.

» meruiſti, ab eo per nos ſunt tibi tranſmiſſæ. Ego nimio gaudio repletus, » & præſentia aſpectus eorum, veluti cæleſti refectione refectus, dixi: Do- » mine mi, pro quo merito à Domino per tam clariſſimos miniſtros hæc acce- » pi? Qui dixit mihi: Hæc prima corona à Chriſto datur tibi, quia ipſum » ſequens, & perfectiſſimo præcepto illius obediens, perfectè ſæculum reli- » quiſti, & pravis operibus ejus abrenuntiaſti: quam coronam ſi vis perpe- » tuo poſſidere, oportet te uſque ad mortem in hoc propoſito felici perſe- » verantia perſeverare. Secunda corona tibi à Domino datur, pro reſtitu- » tione eccleſiæ, quam reſtituiſti ſanctæ Dei genitricis Mariæ, & pro ſancta, » qua ſemper uſus es erga eam devotione, & pro tua Deo accepta integri- » tate, quam ab adoleſcentia decreviſti cuſtodire abſque omni contamina- » tione. quam coronam ſi deſideras perpetua poſſeſſione poſſidere, neceſſe » eſt te omni vigilantia vigilare, & contra dæmonem fornicationis legitime » certare, quo poſſis virginitatem tuam ſine corruptione cuſtodire. Tertia » corona, quæ eſt pretioſior, tibi præparatur pro cœnobio Exilienſi, quod » es à fundamento ædificaturus, & ad priſtinum decorem reducturus, & pro » populo, quem in eo es adquiſiturus Deo. Si ergo ea, quæ à me audiviſti, » perſeveranti inſtantia implere curaveris, has tres coronas, quas propriis » oculis intueris poſſidebis, & cum Chriſto ac nobiſcum ſine fine regnabis. » Et hæc dicens. viſio à me ablata eſt: & à ſomno expergefactus, de his quæ » videram, cœpi intra me tractare ſollicitus. Et nunc inſtemus, dilectiſſimi, » vigilanter operibus piis & mandatis Domini, ut in ſuo ſancto ſervitio nos » perſeverantes regni ſui faciat eſſe conſortes. Quam promiſſionem ſibi oſten- ſæ viſionis ab eo audientes, tunc quidem funditus fidem dare negleximus. Denique quæ ab eo dicta fuerant, de integro tunc intelligere non potui- mus, ut nunc: quia certiſſime probata illius felici perſeverantia, & inſu- per crebra illius videntes miraculorum inſignia, intelleximus eum tunc & veram vidiſſe viſionem, & nunc eum jam percepiſſe veræ viſionis promiſ- ſionem: quia perſeveranter certe complevit præconis ſibi à Deo miſſi ad- monitionem. Ergo hæc viſio fidelis ſervi Dei Dominici fidenter & ſine omni confuſione poteſt aſſimilari viſioni beati Martini, qui vidit Chri- ſtum parte chlamydis ſuæ tectum, &c. Hoc modo Dominicus famulus Chriſti per veros miniſtros ejus per viſum meruit lætificari atque admone- ri, quo inchoata opera bona perfectionis proveheret augmento. quibus perfectis & ad perſeverantiam perductis, ad hereditatem ſuperni paradiſi meruit efficaciter pervenire. Sed nos, eo vivente in corpore, his & aliis quampluribus ejus felicibus actibus fidem penitus accommodare dubitavi- mus: nunc autem omni dubitatione poſtpoſita, ſecure illum jam cum Chri- ſto regnantem laudemus & honorificemus: & hoc eſſe digne agendum ac devotiſſime, ipſius ſacratiſſima membra licet defuncta admonent, & at- teſtantur aſſidue. Quicumque enim, ut à plurimis jam certiſſime exper- tum eſt, ad tumulum ejus devotus advenerit, & juſtum ſuum votum offe- rens Deum per illius merita & interceſſionem invocaverit, & in fide & ſine hæſitatione poſtulans oraverit, vere effectu ſuarum juſtarum petitio- num non carebit. Hoc audenter & abſque trepidatione dicimus, quia vi- ſibilia beneficia fidem dant beneficiis inviſibilibus.

Auctoris ætas & fides.

XII. *Prophetiæ ſpiritu claruit.*

Sanctiſſimus itaque Dominicus etiam prophetiæ ſpiritu claruit aperte reſponſis in pluribus, multa enim incognita & ventura prædixit ſuis fami- liaribus, familiariter eum interrogantibus. Et ne hæc oratio noſtra ab auditoribus, nobis individua non præbentibus, infirmetur & falſitati de- putetur, pauca de plurimis ad medium deducamus; ut dum hæc quæ re- ferimus vera eſſe probaverimus, non dubitetur à fidelibus de his, quæ ti- mentes prolixitatem ſermonis ſilentio præterimus.. Tempore Fredelandi regis Hiſpaniarum, glorioſi & ſtrenuiſſimi, præfuit monaſterio ſancti Pe-

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXIII. DEC. XX.

tri de Arlanza GARSIAS abbas, vir omnino vitæ venerabilis, & felici perſeverantia memorabilis, cui per viſum eſt divinitus revelatum, ut de civitate Hiſpaniæ, quæ vocatur Abela [a], transferret ſanctorum martyrum Vincentii, & ſororum ſuarum Sabinæ & Chriſtetæ corpora, illic in negligentia poſita. quod etiam factum eſt præeunte Domini gratia, & adminiſtrante ſupradicti Abbatis labore & induſtria. Huic ſacræ glorioſorum Martyrum tranſlationi [b] adfuerunt totius provinciæ venerabiles ac Deo digni Epiſcopi cum Abbatibus, & cum clericis omnis eccleſiaſtici ordinis, cum conventu principum & nobilium ac virorum plebeïorum, & utriuſque ſexus populorum: adfuit etiam cunctorum decus vir Domini Dominicus. Religioſe enim, ut decebat tam præclariſſimos viros, completis divinis officiis, & omnibus ex more confectis quæ videbantur congruere honoribus & uſibus ſanctæ religionis, Epiſcopi, Abbates, & multi qui convenerunt religioſi viri, expoſcunt præfatum Abbatem de reliquiis ſanctorum Martyrum ſibi pro benedictione dari. Conſenſit vir venerandus juſtæ ac religioſæ eorum petitioni, ac placuit quod devote petebant tribui: at ſervus Domini Dominicus de reliquiis Sanctorum accipere neglexit, ſed ab Epiſcopis & abbatibus, ac ceteris religioſis viris poſtulata & accepta benedictione, ad proprium monaſterium receſſit. Igitur eo reverſo ad cœnobium, convenit ad eum omnis congregatio fratrum, contriſtata nimium eo quod, ut ceteri, non detuliſſet pro benedictione de reliquiis ſanctorum Martyrum. Quibus conquerentibus vir Domini tale retulit reſponſum: « Dilecti filioli, pro reliquiis ſanctorum Martyrum quas non detuli, non « contriſtemini. nam ſi volueritis audire & adimplere præcepta Domini, di- « centis: *Qui audit verba mea & facit ea, ille eſt qui diligit me.* & alibi: *Si quis* « *diligit me, ſermonem meum ſervabit.* & alias: *Beati qui audiunt verbum Dei & cu-* « *ſtodiunt illud.* & dictum Apoſtolicum: *Non auditores tantum legis juſti ſunt apud* « *Deum, ſed factores*; & mandata Domini in cordibus veſtris retinueritis, & « opere adimpleveritis, & juſtis monitis meis obedientes fueritis, & à via « veritatis non declinando neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram non de- « viaveritis, ſine dubio vobiſcum ſanctum habetis, cujus meritis ac ſuffra- « giis, omnibus vicinis veſtris ac ſociis non eritis inferiores. Hoc reſponſum audientes omnes adſtantes, quid reſponderit, vel quem ſenſum reſponſio talis habuerit, non intellexerunt. Attamen quidam prudentes fratres interfuerunt, qui divino inſtinctu compuncti & illuſtrati, reſponſionem hanc non negligenter ſed ſagaciter memoriæ tradiderunt, mentique non oblivioſæ condiderunt. Quæ reſponſio illis divinitus prolata omnibus diebus vitæ ejus fuit incognita, quamvis polleret multis miraculis virtutibuſque: at vero eo ab hac caduca & mortali carne ſubtracto, & mirabilium virtutum fulgore coruſcante illius corporis tumulo, recordati ſunt fratres illius ſententiæ, qua prædixit: Si boni eritis, & mandata Dei atque mea « monita cuſtodieritis, ſanctum habetis, cujus meritis, omnibus circum ha- « bitantibus non inferiores ſed ſublimiores & glorioſiores eritis. intellexe- « runt eum hoc de ſemetipſo dixiſſe: & quod tunc ipſe aperta noluit ratione exprimere, vel palam divulgare, nunc publicatur quotidie, prodente mirabilium operum ejus evidentiſſima oſtenſione.

Trans. SS. Vincentii, &c.

De ſe prophetat.

Johan. 5. 24.

Johan. 14. 23.

Jac. 1. 22.

XIII. Alia mira omittuntur.

Multa alia quæ erant ventura vir venerandus longe ante prædixit ſuis familiaribus, quæ huic opuſculo intermiſcere omiſimus, timentes importuni eſſe audientibus, & faſtidium legendi afferre devotis lectoribus. qua neceſſitate cogente plura prætermiſimus, & plurima prætermittemus. Qua

[a] Abula urbs epiſcopalis, vulgo *Avila*, quam S. Thereſiæ Carmelitarum reformatricis natal a hiſce temporibus celebrem fecerunt. In veteribus notitiis ſub Emeritenſi metropolitano occurrit, ſed poſtea, Compoſtella in metropolim erecta, ei ſubjecta fuit, hodieque ſubeſt.

[b] De hac Tranſlatione agit Yepezius centuria 6. Chronicorum ordinis capite 5.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXIII. Dec. XX.

ergo indigemus lectionis narratione, qui aſſidue perfruimur & incredibiliter & intimo cordis affectu lætificamur ipſius exoptata beneficiorum largitione, & creberrima mirandorum miraculorum viſione? Ait certe Dominus Jeſus perfidæ & incredulæ genti Judææ: *Si mihi non vultis credere, vel operibus credite.* Quo argumento fides aliquo modo verbis etiam veris poteſt ſubtrahi; operibus vero bonis publice & ſine aliqua falſitate vel ſubdoloſitate factis, nulla ratione niſi infecta mendacio & incredibilitate, fides poteſt denegari: & ſic probamus veris verbis fidem ſubtrahentem eſſe infidelem; operibus vero juſtis & ſanctis, publicaque ſanatione ac probabilitate roboratis, fidem non attribuere infideli eſſe deteriorem. Poſſemus itaque differere de illius innumeris mire geſtis miraculis: ſed enim ea explicare non eſt neceſſe, nec noſtræ poſſibilitatis. At pro poſſe ac ſcire referamus de plurimis pauca, quæ ipſe vivens in corpore geſſit miracula, ut certe meminimus nos jam retuliſſe. Omnia ſua facta ſanctiſſima ſummo ſtudio laborabat tegere, & ſoli cæleſti Regi vero remuneratori placere deſiderans, ac inanes hominum favores, ut diripientes latrones devitans, viſus intuentium fugiebat; & quidquid boni faciebat, pro tempore & pro poſſe ab omnium oculis abſcondebat; inſtructus Dominico præcepto, omnium ſuorum felicium operum mercedem recipere laborabat ab eo, qui omnia ſolus videt in abſcondito, ut tamen his fruens non exorbitabat à mandato Domini dicentis: *Videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt.* Dei namque famulus ſic in utraque parte erat prudentiſſimus, ut & aliquando ſua bona opera viſus hominum humanaſque laudes fugiendo abſconderet, & denuo non ut ipſe, ſed ut Deus glorificaretur, oſtenderet; & ſic prudenter inſtans ſanctiſſimo operi, non deviabat ab utroque præcepto Domini. Sic namque ſua bona opera facta condimento virtutis temperantiæ condiebat, & ſic ſe à tentatione & ſeductione antiqui tentatoris & ſeductoris muniebat, ut ſemper bona opera ejus eſſent in publico; ſemper omnimodis laudes hominum devitando, illius intentio eſſet in abſcondito. Geſta itaque miraculorum ejus, quæ referimus, quædam omni populo teſtante cognovimus, quædam referentibus viris illuſtribus ipſius familiaribus didicimus; quædam vero nos ipſi præſentes oculis noſtris vidimus, & Deo largiente videre non deſiſtimus.

Johan. 10. 38. — Sua pia opera tegit. — *Matth. 5. 16.* — Auctoris ætas.

XIV. Virginem recluſam.

Beatus igitur Dominicus parvulam quamdam, nomine Oriam, infra annos pueritiæ ſpernentem blandas illecebras mundanæ laſciviæ, ac deſiderantem ferre auſteritatem vitæ ſolitariæ, quatenus remotis omnibus ſæcularibus curis & concupiſcentiis, ſecure ac libere Chriſto, quem totis viribus diligebat, poſſet adhærere, & illius ſanctis obſequiis ſine intermiſſione, ſancte vivendo, valeret inſiſtere, habitu ſanctæ religionis conſecraverat, ac cellulæ hujuſmodi operi congruenti incluſerat; in qua Dei famula jam per aliquantos annos ſui normam propoſiti optime ſervans demorata fuit. Sed ejus feliciſſimis operibus hoſtis antiquus invidens, & aſtu fallendi ab inceptis obruere nitens, ac recordatus antiquæ deceptionis, qua decepit & dejecit patrem humani generis, ad amicam ſibi beſtiam, ſcilicet ad ſerpentem, ſuæ ſeductionis adjutricem recurrit; & verſutus ac verſipellis tentator oranti Deo devotæ puellulæ in ſpecie ſerpentis ſe obtulit, & die nocteque aſpectui ejus infeſta importunitate aſſiſtebat, nec ad momentum alicubi ſe divertens abſcedebat. Cujus viſione horrenda & intolerabili præſentia famula Dei nimio horrore trepidantis mentis territa, ad divinum, omni humano auxilio & conſilio deſtituta, refugit præſidium, videlicet ad inſtantiam orationis. At tentatore nec ſic ab ejus aſpectu recedente, ſed immobiliter trepidæ faciei ejus adſiſtente, direxit nuntium ad Dei virum cum feſtinatione, pandens ei per eum, qua ſerpentinæ præſentiæ moleſtia teneretur. Quam querimoniam famulæ Dei vir Domini

Digitized by Google

mox ut audivit, fraudem diabolicam eſſe per ſpiritum intellexit, & ſine aliqua dilatione feſtinanter ad eam cucurrit, ſacrificium Deo pro illius ereptione tentationis obtulit, communionem corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu-Chriſti ei tradidit; aquam benedixit, qua ipſam & cellulam per feneſtram aſperſit; moxque ſerpentis phantaſma evanuit; nec ulterius famulam Dei tentare præſumſit, nec umquam in eadem cellula apparuit. Famula autem Domini in ſancta converſatione felici perſeverantia permanſit, & curſu temporalis vitæ peracto, beato fine quievit, &, ut credimus, ad cælicas ſedes perrexit. ANN. CHR. MLXXIII. DEC. XX. Liberat à vexatione dæmonis.

Cæcus quidam, nomine Johannes, Exilienſis opidi indigena, venit ad monaſterium Exilienſe, multis annis preſſus cæcitate. quem non ſolum affligebat cæcitas, ſed etiam eorumdem cæcorum oculorum quædam aſſidua & intolerabilis gravabat infirmitas. Requiſivit igitur obnixis precibus ab habitatoribus monaſterii ſancti viri præſentari aſpectibus; ad cujus præſentiam ſtatim eſt perductus à ſuis comitibus, & eum pedibus ejus proſtraverunt, & medicamentum divinum ipſius cæcitati & infirmitati ab eodem beato viro humana ſapientia vacui ac divina fide pleni impetrare cœperunt. Miratus igitur famulus Dei & intelligens imperitiam eorum, ſed à probabili fide ſuperatus, mox exemplo Domini ad curationem ſervi centurionis morituri ſurgentis, & ad eum ſanandum pergentis, ſine mora ſurrexit, & Deo devota fratrum caterva convocata, & pro expoſcenda atque impetranda hujus cæci & infirmi ſanitate cohortata, cum eis eccleſiam intravit, ſalutare ſacrificium pro illius recuperanda ſalute Deo devote obtulit. At ubi more eccleſiaſtico eſt completum divinum officium, ventumque eſt ad percipiendum corporis & ſanguinis Domini ſacramentum, & miniſtris officium inchoantibus communionem guſtare, & videre quam ſuavis eſt Dominus; repente & inſperate oculi cæci longa cæcitate preſſi, ſunt aperti, omnis alia infirmitas fugata, ac præſentibus omnibus, magnaque admiratione admirantibus, & nimia alacritate lætantibus, qui venerat cæcus & infirmus, priſtinæ ſanitati ſub omni celeritate eſt redditus; & à beato viro ſalubri exhortatione admonitus, ut de reliquo ſollicitius Dei ſervitio invigilaret, vitam moreſque ſuos, ab omnibus iniquitatibus ſe ſubtrahendo, corrigeret, ne deterius, voce Domini, aliquod ei contingeret, gaudens, Dominumque benedicens ab eccleſia receſſit, ſanus & incolumis domum ſuam abiit, & in eadem incolumitate uſque ad diem obitus ſui permanſit. Omnis enim ſanitas ſive carnalis, ſive ſpiritualis, quæ divinitus conceditur, de integro datur, neque aliqua ſui parte diminuitur, ut à Domino Judæis ſe pro curatione infirmi in ſabbato curati perſequentibus dicitur: *Quæritis me interficere, quia totum hominem ſanum feci in ſabbato, &c.* Quod in omni ſuo facto complevit vir Dei Dominicus. Omnes enim quos ab infirmitate carnali in carne ſanavit, omnes ab omni ſpirituali malignitate in mente mundavit. Igitur totum hominem ſanat, qui interiorem hominem ab omni vitiorum ſorde, & exteriorem ab omni lavat infirmitatum labe. XV. Cæco viſum reddit. *Matth.* 8. 7. *Johan.* 7. 23.

Mulier quædam Maria, ex vico Caſtrocinienſi, ſana & incolumis, nec ullum habens in ſe ſignum alicujus parvæ vel magnæ infirmitatis, à domo ſua exierat, atque cum omni alacritate forum pergebat. quæ ſubito eſt percuſſa invaletudine tam graviſſimi doloris, ut omnia membra corporis illius funditus propriis privarentur officiis. Ingraveſcente moleſtia intolerabilis infirmitatis, in tantum excrevit infortunium ipſius debilitatis, ut non jam prætenderet miſeranda mulier formam ægrotantis corporis, ſed miſerabile & horribile monſtrum informis & fœtentis cadaveris, excepta importuna inquietudine magnæ & funditus confuſæ vociferationis. Comites ipſius itineris etenim contriſtati nimium de tam infelici adventu ipſius incommoditatis, requirunt inter ſe ſollicite, quo ſolamine, vel quo juva- XVI. Mulieri ægrotæ ſanitatem.

Digitized by Google

Ann. Ch. mlxxiii. Dec. xx. mine, mulieri miſeræ in ſupremis conſtitutæ poſſent ſuccurrere. Sed ipſis omni certo conſilio deſtitutis, & de ſalute & infirmitate mulieris deſperatis, venit ad memoriam fama & virtus beati viri Dominici: & continuo ſe invicem cohortantur; ut ipſam in lectulo ad eum deferrent, pedibus ejus exponerent; & omnem illius ſalutis reſtitutionem providentiæ ac pietati ejus committerent. quod & factum eſt. Nam manibus adſtantium perlata eſt, & non tam ſemiviva quam pæne exanimis, ad pedes beati viri à delatoribus projecta eſt. Vir igitur ſanctus omni pietatis gratia plenus fidem deferentium laudavit, juſtæ petitioni eorum benigne aſſenſum præbuit, infirmæ ac morti jam proximæ condoluit; & ut ejus membra jam pæne in mortem reſoluta priſtinæ ſanitati ac vitæ reſtitueret, Domino preces pura cum devotione obtulit. Quo completo, paullulum vini ſibi deferri juſſit, & propria manu benedicens ori decumbentis mulieris tradidit: & protinus ut liquorem ſacrati vini ſenſit & bibit, ac ſi nullam infirmitatem habuerit, celeri curatione obſtupuit, Deumque benedicens, curatori ſuo ſupplices gratias reddidit, & cum omni hilaritate ad propriam domum rediit. Erant itaque mirabilia beati viri beneficia, & ſicut mirabilia ipſa, ita velox virtutum efficacia, nulla cum eſſet mora ad ſanandum; ſic venientium cum fide erat frequentia ægrotantium.

XVII. Captivo libertatem procurat.

Vir itaque quidam, nomine Dominicus, natus ex villula quæ dicitur Sotus, à Saracenis captus, & jam per multum temporis duro onere catenarum ingentium afflictus, & incluſione, horrore, obſcuritateque diri carceris vehementer fatigatus, exigebantur ab eo quingenti nummorum ſolidi, quibus ſolutis redderetur libertati. Amici autem ejus ac parentes illum à captivitate eripere cupientes, ſummamque pretii ipſam ſuperimpoſiti congregare ac reddere diſponentes, omnia quæ juris illius eſſe videbantur diſtraxerunt. Quo facto, omnique pretio facultatum ejus in unum coacto, illud quod à captivo exigebatur complere non potuerunt. Qua de re nimium contriſtati; & non modica anxietate conſternati, in magna ingentis doloris tribulatione conſtituto condolebant, & eum ab ea quantocius liberare cupiebant, ſed auxilio omnium ſuarum facultatum facere non valebant: & idcirco hac neceſſitate compulſi, ut mos eſt, auxilia bonorum virorum, honeſtarumque mulierum exquirebant, ut quod nequibant propriis adimplere facultatibus, ſaltem perficerent gratuitis eleemoſynas pro Deo largientium impenſis. Inſtantes autem huic labori omnino laudabili, adierunt ſervum Domini, hujuſmodi mercedem petituri. qui libenter ab eo ſunt ſuſcepti & auditi, & vera ac non ficta caritate plenus, ut ſuperius nos dixiſſe meminimus, ſtatim eis pro juvamine eripiendi captivi equum tradidit, & hoc etiam ſubintulit: » Hoc modicum ſolamen æquanimiter ſuſcipite, & vobis majus me adhuc impenſurum ſcitote. Exoranda ac placanda eſt aſſiduis obſecrationibus facies Domini, ut quod humana actione non poteſt effici, impleatur efficaci potentia divini ſubſidii. Illis igitur diſcedentibus, & pro accepto ſalubri conſilio, & pro conſecuto ſolatio gratulantibus, vir Dei, quod devote promiſit, devotius contulit. Sequenti namque die ſacrificium pro miſero in carcere conſtituto hoſtiâ ſalutiferâ Domino Deo digna contritione obtulit; & in eadem ſacrificii hora, annuente Domini pia ſuos fideles ſuo juſto deſiderio & labiorum voluntate numquam fraudante clementia, diſrupta fuerunt ferrea & inextricabilia alligati vincula: aperta eſt tenebroſi & continua nocte damnati carceris, divina & non humana vi impellente, cuſtodia; & Domino ſancti viri oratione, & ſacrificii oblatione ad miſericordiam flexo præeunte, nullaque adverſitate obſtante, ſed omni proſperitate comitante, cum magna lætitia rediit ad propria. Parentes vero illius ſtatim ut eum viderunt, oratione ſancti viri eum eſſe liberatum intellexerunt, & cum magnis gaudiorum ju-

Digitized by Google

bilationibus ab ejs ſuſceptus, mox eſt præſentatus ſancti viri aſpectibus. qui ab eo requiſitus, per ordinem pandit cauſam ſuæ ereptionis, ut diligenter omnes inquirentes diem & horam ipſius evaſionis, invenirent eumdem certiſſime fuiſſe, quo ſunt à beato viro fuſa pro eo orationis & immolatæ oblationis divina ſubſidia. Ergo omnes tanta virtute comperta, in communi ineffabilem miſericordiam noſtri Redemtoris alacribus animis benedixerunt, & præclarum meritum miſeri captivi ereptoris dignis laudibus extulerunt. Summa animi, dilectiſſimi, diligentia eſt gaudendum; & magno vocis præconio eſt prædicandum beatum Dominicum tanta virtutum efficacia fuiſſe præditum, ut abſente eo, & etiam longe poſito, meritis ejus & orationibus, ſuperna virtus ferreos nexus diſrumpendo confringeret, clauſtra carceris omni humana arte obſerata aperiret, & miſerabilem captivum, omni humano ſolatio deſtitutum, exoptabili patriæ reſtitueret. Ann. Ch. MLXXIII. Dec. XX.

Comes quidam Galleciæ provinciæ, Petrus-Palagii nomine, diuturna oculorum caligine afflictus fuerat, & pro ſpe recuperandæ ſanitatis multa loca Sanctorum adierat, & multam in medicos pecuniam erogaverat; nihilque proficiens omniaque pro eadem infirmitate explodenda expenderat, ſine aliqua ſui utilitate, quæ & alia in vanum conſumſerat. Jamque omnino deſperans, famam virtutum viri Dei, referentibus plurimis agnovit: & quia ei ſatis notus erat, & creberrime domeſtica familiaritate ei hæſerat, feſtinus ad eum pervenit, moleſtiam ſuæ diutinæ, nimiumque omnibus profectibus ſuis importunæ infirmitatis oſtendendo, innotuit. Vir autem Domini ſemper affluens viſceribus pietatis, ex intimo cordis affectu flebiliter ei condoluit, & ad ſibi conſueta ſe convertens medicamina, Domini miſericordiam pro eo ſupplicaturus orationi ſe tradidit. Completa itaque oratione, vir beatus ſurrexit, aquam ſibi dari petiit, quam propria manu benedicens, oculos languentis preſſos longa calamitate caliginis, nomen Domini cum magno ſuſpirio invocans, perfudit, &, dictu mirum! nulla mora interveniente, integræ ſanitati reſtituit. Mirati ſunt adſtantes de tam magna & miranda hujuſmodi miraculi magnitudine, & multo magis mirati ſunt de tam inſueta curandi celeritate. Mirabile eſt certe infirmum longa ægritudine fractum cum mora quavis prolixa ſanare, at mirabilius eſt ſine mora curare. XVIII. Oculis laborantem ſanat.

Quidam etiam vir nobiliſſimus, nomine Garsia-Munionis, de villa, quæ vocatur Gomel, ortus, horribili atque exſecrabili infirmitate, quæ juxta operis ſui effectum, congruo ſibi ſatis vocabulo gutta-cadiva vocitatur, miſerabiliter erat detentus, nec omnino ulla ſpes ſuæ ſalutis ei ſupererat. Sed ducens vitam, ultra quam ſermone ullo exprimi poteſt, miſerabilem, omnibuſque ſe videntibus vehementer formidabilem, aſſiduis votis, ut ejus infelix & amara vita morte clauderetur exorabat. Non ſolum enim ſe ipſum vita ejus infeliciſſima dedecorabat, ſed etiam omnes ſibi conſanguinitate vel familiaritate adhærentes exterrendo, nimio cruciatu affligebat, ac inſolita ſuo generi maculatione dehoneſtabat. Omnino denique in ſuæ infirmitatis opprobrio, dedecore vel infortunio, nihil diſtabat ab illo dæmoniaco, quem prodit ſcribente Evangeliſta Marco evangelica lectio; vel, ut ita dicamus, nihil differebat à peſſimo omni humano ſenſu de integro privato lunatico, quem horret, trepidat, & fugit omnis humana fidelium & infidelium, ſapientium & inſipientium communio. Nos autem cognoſcentes, natura & arte dictante aliud eſſe naturaliter accidentem corporis infirmitatem, atque aliud eſſe promerentibus culpis dæmoniacam tentationem, diffinire funditus non præſumimus, quod obſtante humana conditione, divinique numinis omnem ſcientiam præbentis nobis perfecte non conceſſa largitione ignoramus: tamen teſtamur quod de XIX. Et epilepticum.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXIII. DEC. XX.

eo vidimus. Dum hujus infirmitatis calamitas eum arripiebat, illiſus ſpumabat, dentibus ſtridebat, & areſcebat, & pæne omni humana effigie privatus auditione & locutione carebat. Ergo hac invaletudine horrendæ infirmitatis hoc miſerrimo homine laborante, fama moleſtiæ illius ad virum Dei pervenit; eumque ad ſe per ſuos officiales deduci fecit, ſuiſque aſpectibus exhiberi præcepit. cujus horrendam infirmitatis moleſtiam ſollicite conſiderans, ac ſupra conſuetudinem ſuam demirans, pro eo jejuniis, afflictationibus, & orationibus diurnis nocturniſque incubuit. At divina revelatione inſtruente, non alio, quam oratione ſola & jejunio, fore medio curandam peſſimam hujus hominis infirmitatem intellexit; cui probabili operi ſine intermiſſione inſtitit, nec ab eo ullo modo, donec perfecte hominem ſanitati redderet, deſtitit. Numquam equidem infirmum, quem ſanare diſpoſuit, tam difficulter & laborioſe ſanitati reſtituit: multos autem eum, ut ſupra retulimus, ſine mora & abſque difficultate ſanaſſe vidimus; hic etſi cum magna oppoſitione fuerit ab infirmitate curatus, tamen integram ſanitatem recepit, nec ulterius umquam illius exſecrabilis incommoditatis infeſtatione laboravit; ſed omni tempore vitæ ſuæ recepta incolumitate felix permanſit.

XX. In morbum incidit.

Igitur beatus vir completa affluenti exhortatione, atque conſiderata ſollerti ſtudio, & diſpenſata omni monaſterii utilitate, correptus eſt gravi corporis infirmitate. qua quotidie ingraveſcente, in lectulo decubuit. Longo tempore eadem incommoditatis moleſtia laboravit, qua præſentis vitæ curſum ac labores ſuæ actionis eſſe finiendos, ac remunerandos gaudio æternæ beatitudinis intellexit. Itaque ante quartum diem migrationis ſuæ Præpoſitum monaſterii, atque diſpenſatorem ad ſe vocavit, quibus
„ ait: Omnia quæ bene noveritis eſſe neceſſaria præparate, ac ſollerti in-
„ duſtria, quæ fuerint congrua & honeſta, providete. Regem nempe ac
„ Reginam cum Epiſcopo ad hanc domum quantocius venturos eſſe ſcitote.
Cujus verba ipſi fratres non intelligentes, de his ad invicem requirebant,
„ dicentes: Cur hoc nobis Abbas dixerit, omnino non intelligimus, nec
„ animadvertere valemus; aut quid nobis agendum ſit ignoramus: at for-
„ taſſis valida infirmitate prægravatus, irrationabiliter eſt nobis locutus.
„ Denique Regem & Reginam ad præſens ad hoc monaſterium non eſſe
„ venturos pro certo ſcimus; utrum autem Epiſcopus ſit venturus, incerti
„ ſumus. Ut tamen ipſius præcepto ne inobedientes eſſe videamur, ad ſuſ-
„ cipiendos omnes hos ſupervenientes hoſpites nos diligenter præparemus;
„ & inſuper ipſum Epiſcopum ſtudioſe præſtolemur. quem die quartæ feriæ,
„ in qua eſt feſtivitas ſanctæ Mariæ, venturum fore arbitramur. Itaque ſecundum arbitrii eorum definitionem, SCEMENIUS [a] epiſcopus in vigilia feſtivitatis ſanctæ Mariæ venit adveſperaſcente jam die. Illuceſcente autem ſequenti, prædictos fratres vir beatus ſecundo vocavit, quibus ait:
„ Ante hos quatuor dies obſecrando & admonendo intimavi vobis, ut ad
„ ſuſcipiendum Regem ac Reginam atque Epiſcopum vos honeſte præparaſ-
„ ſetis, & cum omni diligentia, cuncta, quæ tantis poteſtatum dignitatibus
„ ſunt congrua ac neceſſaria, ſollerter providiſſetis. qui rurſus verba illius
non advertentes, & cur talia proferret prorſus ignorantes, reſponderunt,
„ dicentes: O venerande pater, ob quam rem nobis talia præcipias, ni-
„ mium ſtupendo miramur, & mirando deficimus. Unum enim pro certo ſci-
„ mus, quia hoc præſenti tempore Rex vel Regina ad hanc domum non ac-
„ cedet. heri ſero venit cum paucis ſolus Epiſcopus. Quibus vir Domini,
„ quaſi cum quadam indignatione reſpondit: Vos fratres, cur teſtificamini

[a] Aucenſem ſive Ocenſem regebat eccleſiam, cujus ſedes tunc temporis ob Maurorum vaſtationes incerta erat. Nam Auca deſtructa ſedes epiſcopalis primum ad urbem Gamonal tranſlata fuit, ac paullo poſt labente hoc ſæculo XI. in Burgenſem, vulgo *Burgos*, quæ tandem in metropolim evaſit.

Regem

-Regem & Reginam ad hoc monaſterium ad præſens non veniſſe? Egò enim « ANN. CH. MLXXIII.
dico vobis vere eos hanc domum iſta nocte intraſſe, & me cum eis à pri- « DEC. XX.
mo pullorum cantu uſque modo in eccleſia demoratum eſſe, & ab eis me «
invitatum eſſe, ex quo, hoc triduo tranſacto, cum ingenti gaudio lætus «
& felix eorum celeberrimo ſacratiſſimoque convivio intereſſe. His auditis, «
apertiſque intellectibus intimi ſenſus, fratres cognoverunt virum Dei, non de terreno Rege vel Regina locutum eſſe, ſed quidquid dixerat, de Domino Jeſu cæleſti Rege, ac de genitrice ejus Maria cælorum regina dixiſſe: expenſas autem, quas tam providenter jubebat præparare, prævidebat ſuæ ſepulturæ neceſſaria eſſe. qua manifeſtatione præclaræ cognitionis, necnon intelligentia cæleſtis convivii, cognoverunt certiſſime adeſſe in proximo diem ipſius vocationis atque migrationis. Nulli itaque debet eſſe dubium, eum exuto homine eorum feliciter invitatum * gratulanter, quibus in corpore poſitus fidele, devotum atque aſſiduum exhibuit famulatus obſequium.

XXI. Celebrata ergo & peracta ſollemnitate beatæ Mariæ, Epiſcopus cupiens & diſponens à monaſterio recedere, virum Domini venit viſitare ac conſolari, benedictionemque humiliter ab eo expoſcere, atque ei valefacere. Cui ait ſanctus vir: Congruum ſatis eſſet, Pater ſancte ac venerande, ſi «
placeret paternitati tuæ, ut hodie nobiſcum morans nos non deſereres, «
quo per totum diem nos tua dulci præſentia & allocutione perfruendo fa- «
veres & lætificares, & ſequenti die, Domini voluntate annuente, abſce- «
deres. Ad quem Epiſcopus, ſenſu ſermonis non intellecto: Non poſſum, «
inquit, pater mi, hic hodie manere, cogente, quam omnino non valeo «
devitare ſine gravi diſpendio, neceſſitate. Cui vir ſanctus alacri vultu ac «
modeſta reſponſione: Vade, inquit, cum Dei benedictione; ſcito tamen te «
in proximo reverſurum eſſe. Completum eſt igitur, ut vir beatus prædixit.
Nam illuceſcente die ſextæ feriæ ſibi circumſtantibus ait: Obſecro vos, cito «
ite, atque Epiſcopo dicite, ut abſque omni dilatione non dedignetur ad «
me venire, quia adſunt qui me invitare dignati ſunt. Cui quidam fratrum, ſenſu ſermonis illius intellecto, reſpondit, & lacrymans ait: Adeſt jam «
hora migrationis tuæ, Pater? Reſpondit vir Dei, & ait: Adeſt vere, fra- «
ter dilecte. Sed ab invitatoribus meis inducias impetravi, donec veniat «
Epiſcopus, ad quem direxi. His dictis obticuit, nec alicui amplius, etiam «
importune aliquid inquirenti, reſpondit. Congregata autem omni multitudine fratrum, expletiſque ſecundum regularem morem omnibus ſacris inſtitutis eccleſiaſticorum officiorum, cunctiſque rite tradito caritativæ pacis oſculo, atque percepta devotiſſime ſacra Dominici corporis & ſanguinis communione, cunctis etiam tam fratribus, quam omnibus qui convenerant religioſis viris, flentibus, venit Epiſcopus, videnſque beatum virum omnino jam conſtitutum in ſupremis, lacrymis perfuſus, his verbis eum eſt allocutus: O cariſſime pater, gratias omnipotenti Deo referimus, « *Suſceptis ſacramentis.*
quia te, ſuperatis omnibus mundi laboribus, & antiqui hoſtis callidiſſimis «
innumeriſque artibus, ad loca tranquillæ pacis & perpetui refrigerii tran- «
ſire credimus. Nunc ergo precamur, ut jam de tua gloria ſecurus, pro no- «
bis apud Dominum, ad quem pergis, intercedas, atque tuis precibus no- «
bis, adhuc in periculis animarum noſtrarum conſtitutis, ſuccurras; atque «
nos poſt obitum noſtrum, quod noſtris non meremur actibus & meritis, «
tuis interceſſionibus tecum vivere & conregnare obtineas. Hæc dicente «
atque ſupplicante Epiſcopo, vir Domini utraſque manus & oculos ad cælum erexit, quas deorſum deponens pectori ſuo appoſuit, oculos ſuos felici ſomno clauſit, & ſic beato fine quieſcens ſpiritum Deo reddidit. In hora *Obit.*
ſui exitus quidam de puerulis, migranti beato viro adſtantibus, viderunt duas coronas aureas nimio fulgore fulgentes ſuper caput ipſius, quarum

Ann. Ch. MLXXIII. Dec. XX. nimio fulgore omnes humanæ lucernæ ante beatum virum poſitæ obſcurabantur, atque præeunte hoc incredibili, immenſoque coronarum lumine, in cælum Dominicus ferebatur. quod licet puerulis aſſerentibus non diſcredidimus, ſed potius puerorum relationi fidem dedimus; attribuentes illas coronas fuiſſe, quas ille in viſione à viris albatis eſſe oblatas & promiſſas, ſi in propoſito perſeveraret, credidimus. Igitur beatus Dominicus abbas XIII. Kalendas Januarii, die VI. feriæ, æra MCXI. anno videlicet ab Incarnatione Domini MLXXIII. feliciter receſſit à ſæculo, perenniter regnaturus cum Domino, ubi gaudet angelorum cœtibus ſociatus, atque ovium ſuarum præſtantiſſimus interceſſor effectus. Ergo ab Epiſcopo & ab omnium fratrum devoto collegio, atque à cuncto undique confluente utriuſque ſexus populo, beati viri exſequiis, ut decebat, religione devotiſſima diſpoſitis, venerationeque devotiſſima completis, tumulatum eſt corpus illius ſacratiſſimum cum magno ſibi conveniente honore intra clauſtrum fratrum ante portas eccleſiæ, ubi per quædam annorum curricula quievit: multis etiam ac memorandis miraculorum beneficiis, infirmis cum devotione ac fide ad eum venientibus impenſis, venerabile glorioſumque ſepulcrum ejus coruſcavit.

Sepelitur.

XXII. Creſcente igitur mirabilium operum beati Dominici præclara magnificentia, qua ſunt evidenter manifeſtata veneranda meritorum ejus inſignia, cœpit etiam creſcere erga venerabile ſancti viri corpus ſumma populorum devotio, & infinita promiſcui ſexus ad ſacrum tumulum ejus properantis frequentia. Deo dignus itaque Scemenius epiſcopus, qui omnibus illius felicibus interfuit actibus, viſis tot tantiſque ſignorum virtutibus, cum conſilio venerabilis viri FORTUNII ejuſdem monaſterii abbatis, & cum piæ devotionis affectu totius devotæ congregationis, & cum conſenſu ac voluntate ALDEFONSI [a] Hiſpaniarum regis glorioſiſſimi, filii Fredelandi regis, omni regali ſtrenuitate opinatiſſimi, fratris SANCII regis, omni devota pietate, & bellicoſa virtute, chriſtianaque religioſitate pollentis, & cum voluntate omnium vicinorum Epiſcoporum & abbatum atque optimatum, omniumque circum habitantium populorum decrevit, dignumque judicavit corpus beati Dominici ad venerabilioris ſanctitatis, eminentioriſque dignitatis locum eſſe merito transferendum. Sacratiſſima denique membra tanti viri apud Deum tanta meritorum ſanctitate excelſi, indignum cunctis videbatur retineri loco humili; quod & religioſa devotione completum eſt, annuente clementia Domini. Adveniente denique prænominato pontifice cum ſuorum devoto conventu clericorum, ac præfati loci abbate Fortunio cum religioſorum agmine monachorum, convenientibus etiam plurimis turbis nobilium, plebeïorumque populorum, ac digna reverentia, debitaque religioſitate completis divinis Miſſarum hymnorumque officiis, tranſlatum eſt corpus ſanctiſſimi viri à ſepulcro, in quo primum excedens à ſæculo fuerat reconditum, & intra eccleſiam ante altare beati Martini, ubi nunc veneratur, honorifice eſt tumulatum: quo in loco ad uſus divinorum ſacrificiorum ara in ipſius honore ac nomine eſt conſtructa, ubi creberrime monſtrantur divina, ipſo obtinente, beneficia omnibus cum fide & devotione ad ipſius venientibus poſcenda ſuffragia.

Sollemnis tranſlatio.

Altare ſub ipſius nomine.

XXIII. Auctoris peroratio. Nos igitur, dilecti fratres, qui tam digniſſima merita, tamque præclara beneficia tanti patroni quotidie oculis intuemur, & aſſidua ipſius largitate perfruimur: monita ejus ſalubria, ſaluti animarum noſtrarum congrua, quibus ſuos omnes auditores adhuc in corpore manens, omni vigilantia verbis inſtruxit, & adhuc, licet anguſtia ſepulcri clauſus, clareſcentibus miraculorum ſignis, inſtruere non deſiſtit, à mente numquam abſcinda-

[a] Hic poſt varias fortunas Sancio fratri ſuo ſucceſſit, Legionis & Caſtellæ rex, Toleto capto, ibi regni ſedem fixit, ac ſe Imperatorem proclamari juſſit. Obiit anno 1109.

Digitized by Google

mus, ipſis intento ſtudio inhæreamus. Errores & culpas quas fecimus, ante oculos cordis revocemus; de ipſis antequam obtenebreſcat, ideſt antequam mors ſubripiat, fructus dignos pœnitentiæ faciamus: mortifera & venialia crimina funditus abjiciamus, amicos in Deo & inimicos propter Deum diligamus, indigentibus & impotentibus ſecundum noſtrum poſſe ſuccurramus: ſuper omnia autem veram caritatem, quæ eſt vera dilectio Dei & proximi, obſervemus; fidelibus defunctis quotidianum juvamen orationum & eleemoſynarum impendamus: nullis moleſti, omnibus benevoli ſimus. Si enim his atque ejuſmodi bonis operibus intenti fuerimus, & Deum propitium, & omnibus noſtris deſideriis & orationibus fautorem habebimus; & juvamine atque interceſſione beati patris noſtri Dominici, (cujus hodie Tranſlationis feſtiva gaudia una cum ſanctiſſima regina HELENA, Magni Conſtantini matre, quæ etiam hac die [a] in cælos coronata tranſcendit, cordialibus & ſollemnibus officiis celebramus) procul dubio digni erimus conſequi meliora & frequentia tutamina. Eſt nempe maxime nobis utile, ſic unanimiter ſic ſinceriter tranſitoriam temporalemque feſtivitatem illius celebrare, ſic illi debitas laudes perſolvere: quatenus ipſius meritis & precibus ad numquam finiendam, ſed æternaliter permanſuram, ſupernorum civium feſtivitatem, curſu hujus vitæ peracto, felices & gaudentes mereamur introïre, præſtante Domino noſtro Jeſu-Chriſto, qui cum Deo Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. ANN. CH. MLXXIII. DEC. XX.

[a] Celebratur in Martyrologio Romano feſtum B. Helenæ die 18. Auguſti, unde Tamaius ad hanc ipſam diem revocat S. Dominici Tranſlationem in Martyrologio Hiſpanico.

DE V. GODERANNO ABBATE Malleacenſi, tum epiſcopo Santonenſi.

ANN. CH. MLXXIV. AUG. VI.

1. *PLURA diximus de Malleacenſi cœnobio ſupra ad annum* MXIV. *ubi de tranſlatione ſancti Rigomeri actum eſt. Hic de Goderanno ejuſdem loci abbate paucis agendum, quo jubente Petrus Malleacenſis monachus de ſui monaſterii antiquitate ſcripſit libros duos, qui tomo 2. Bibliotheca Labbeana editi ſunt. Vitam ejus ſeu potius vitæ initium ex ſchedis noſtris proferimus, quibus ea quæ aliunde colligere fas fuit ſubjungemus, ad illuſtrandas pro modulo noſtro viri hujus venerabilis actiones. An vitæ vero hujus fragmentum pars ſit ejus geſtorum, quæ à Trithemio laudantur libro 3. de viris illuſtribus Ordinis S. P. Benedicti cap. 329. nobis non conſtat. ſic autem ſe habet.* Goderanni Vitæ fragmentum.

2. GODERANNUS igitur Remorum civis, celſo Francorum genere, patre Hamelino, matre vero Andrada oriundus exſtitit, qui ſicut ipſe narrare ſolitus erat, ad Chriſti militiam adhuc puerulus, Deo diſponente deputatus, à parentibus ad educandum ſimul & erudiendum juxta ætatulam ſuam, ab amita quadam ſua in monaſterio feminarum ſuſceptus eſt. ubi ſi qua earum contra canonem & pudicitiæ profeſſionem aliquid factura illum præſentem, utpote parvulum, amovere minus curabat, poſtea graviſſimum teſtem & propalatorem ſuæ nequitiæ ſuſtinebat. Hoc non ſemel fecit, ſicut ipſe mihi ſæpius dixit. In quo facto nihil aliud quam amatorem eum caſtitatis futurum Spiritus præſagabatur. Hinc dum adoleſceret, ad monaſterium, quod Altum-villare dicebatur, tranſlatus eſt. Ibi cantum & totum eccleſiaſticum officium didicit, necnon & grammaticam

prælibavit. Verum quia ibi regularis diſciplina dormitabat, timens adoleſcentiæ ſuæ, jam juvenis, Remis ad monaſterium ſancti Remigii emigravit, ob gratiam cujuſdam magnæ, quæ inibi eſſe ferebatur, diſciplinæ & converſationis religioſæ. quod ſecus invenit. Nam cum multos & fere omnes per abrupta vanitatis indifferenter ire, & quod magis dolebat in monachis, pudicitiam prodere, caſtitati injurias inferre cerneret, pœnituit eum tandem adventus ſui. Quod in religione non potuit, in litteris quantum valuit profecit.

Ad Cluniacenſes tranſit.

3. *Horum pertæſus Goderannus, meliora æmulatus chariſmata, in Ordinem Cluniacenſem tranſmigrare decrevit, qui tunc ſub ſancto Hugone ſanctitate celebris erat. qua id occaſione, quove tempore fecerit incertum. Certe Hugonem, qui concilio Remenſi ſub ſancto Leone IX. in ipſa ſancti Remigii baſilica celebrato interfuit, videre potuit Goderannus anno* MXLIX. *Eum Hugoni præ ceteris acceptum fuiſſe colligitur ex Chronico Cluniacenſi, in Bibliotheca Cluniacenſi col. 1642. ubi idem Goderannus* monachus & capellanus ſancti Hugonis *appellatur. Huic officio incumbebat, cum ſacram Euchariſtiam, quam Leproſo cuidam miniſtraverat ſanctus Abbas, cum vomitu excreatam, fide accenſus abſorbuit. quod diſcipuli ſui facinus ipſe Hugo miratus dicitur. Id refert Chronici ſupra laudati auctor, ſed alium omni exceptione majorem proferimus teſtem, Hildebertum Cenomanenſem epiſcopum, in ejuſdem ſancti Hugonis vita, ubi ea de re ſic loquitur.* Didicerat [ex hoc hominum conſortio ad conſortium provehi angelorum] monachus ille Goderannus, qui relicto beati Remigii monaſterio, cum artioris diſciplinæ gratia Cluniacum demigraſſet, meritorum titulis & prærogativa ſcientiæ à Domino audire meruit: Amice aſcende ſuperius. Prius enim Malleacenſis abbas effectus, poſtea Santonenſis eccleſiæ adeptus eſt dignitatem. Accidit autem ut eo præſente, leproſo cuidam per manus beati Hugonis Euchariſtia traderetur. Qui dum ſuſcepta ſacri panis portione uti non poſſet, diuque luctatus in vacuum niteretur, ſacramento cum ſalivis & ſcreatibus horrendis viſu ex ore lacerato decidenti Goderannus utramque manum ſuppoſuit, & glorioſius de ſe, quam de quolibet hoſte triumphans, adhibitum ori totum abſorbuit. Quo viſo beatus Abbas obſtupuit, craticulam Laurentii hoc animi tormento dicens eſſe meliorem.

Fit abbas Malleaci.

4. *Sub modio comprimi tanta virtus diu non potuit. quare defuncto Humberto Malleacenſis monaſterii abbate, Goderannus in ejus locum ſubſtitutus eſt. Obſcure de ejus electione loquitur Petrus, tunc temporis Malleacenſis monachus: licet innuat monaſterii neceſſitatem tunc exegiſſe, ut poſthabitis proprii loci monachis, tantus abbas aliunde accerſeretur. Hæc ſunt ejus verba, ex quibus etiam diſcimus quo anno monaſterii regimen ſuſceperit Goderannus. ſic itaque habet tomo 2. Bibliothecæ Labbeanæ pag.* 237. Vir manſuetiſſimus & humilis, vocabulo Humbertus, quindecim annis Malliacenſe cœnobium ſat modeſte rexit, atque patientiæ & longanimitatis ſuæ clariſſimum cariſſimis filiis ſpecimen relinquens, milleſimo ſexageſimo anno ab Domini Incarnatione vivendi finem fecit. Poſt hunc quoque eidem regimini quidam præfuit Goderannus, natione, uti ego accepi, Gallus, alterius quidem monaſterii monachus, ſed neceſſario, ut multis videtur, illuc exſtitit ſubrogatus. Nam de eo tenet ſermo, quod ſi rebus tum geſtis quando electus eſt, digna imponatur conſideratio, vere ſecundum viri prudentis aſſertionem, ipſe in tempore iræ factus eſt reconciliatio. Sed quoniam dum hæc ſcribimus adhuc humanis intereſt rebus, ejus ex actibus ſilentium nobis indicimus, ne adulatoris notam incurramus. Utrum autem amore Domini an odio dignus ſit, poſteris judicandum ſervemus.

5. *Hoc ſuum ipſius opus Goderanno nuncupavit Petrus, quo adhortante ab eo ſuſceptum fuerat. Ex eo autem loco, quem laudavimus, emendandus eſt Abbatum Malleacenſium catalogus in Gallia Chriſtiana, ubi Humberto anno* MLXIX. *de-*

Digitized by Google

functo Goderannus anno MLXX. *ſubſtitutus fuiſſe dicitur. Errori anſam præbuit, ut opinor, Chronici, quod vulgo Malleacenſe appellant, auctor, apud eumdem Labbeum tomo laudato pag.* 211. *qui ad annum* MLXX. *hæc habet:* Apud Malleacum Goderannus epiſcopus [Santonenſis] & abbas, qui ſucceſſor Umberti. *Sed præferenda Petri auctoritas, qui ſub ipſo Goderanno abbate in cœnobio Malleacenſi ſcribebat; deinde Chronographus Malleacenſis non affirmat hoc ipſo anno* MLXX. *Goderannum Umberto ſucceſſiſſe; ſed innuit ſolummodo eum jam tunc ad Santonenſem ſedem fuiſſe evectum. Quid vero ſive abbas, ſive Epiſcopus fecerit, nemo, quod quidem ſciamus, ſcripſit. Id unum ex Vita ſancti Hugonis loco ſupra laudato diſcimus, quod* ad epiſcopatum Xantonicum promotus, quo altius aſcendit, eo latius refulſerit. *Conceſſit monachis Vindocinenſibus locum ad domum conſtruendam in portu Malleacenſi, ut patet ex ſubjecto inſtrumento, quod deſcriptum eſt ex Vindocinenſi chartario.* Ego GODERANNUS, Deo largiente abbas cœnobii Malliacenſis, ob cuſtodiam mutuæ caritatis concedo domno abbati ODERICO monachiſque ſibi ſubjectis cœnobii ſanctæ Trinitatis caſtri Vendocinenſis domum habere ad portum noſtrum in tali loco cimiterii; ubi non poterant corpora defunctorum ſepeliri, ea ratione, ut ſingulis annis per ſuccedentia tempora quatuor denarios cenſus perſolvant monachis loci ſupra taxati. Actum eſt hoc decimo Kalendarum Febroariarum, regnante Philippo Rege Francorum, Duceque Vuillelmo Aquitanorum, præſidente atque ſedi Apoſtolicæ Alexandro ſecundo, ſui pontificatus anno [quarto], milleſimo ſexageſimo-quarto anno ab Incarnatione Domini, Indictione ſecunda, coram omnibus monachis in capitulo inſidentibus tunc temporis; annuente etiam domno Hugone præcellentiſſimo abbatum Cluniacenſis monaſterii. Quicumque vero huic donationi contraire voluerit, iram Dei incurrat Omnipotentis. ANN. CH. MLXXIV. AUG. VI. Et Epiſcopus Santonenſis.

6. *Abbatiam ſimul & epiſcopatum adminiſtraſſe Goderannum innuit Chronici Malleacenſis auctor non ſolum loco ſuperius memorato; nam ad annum* MLXXIV. *ſic quoque habet:* Defunctus eſt & Goderannus epiſcopus octavo Idus Auguſti, cui ſucceſſerunt in epiſcopatu Boſo, & Drogo in abbatia, qui relinquens poſtea abbatiam incluſit ſe Cluniaco, ubi & bona morte obiit. *Mirum eſt à Sammarthanis hunc Drogonem in Malleacenſium abbatum catalogo omiſſum fuiſſe, qui Boſonem ex hoc ipſo Chronici loco inter Epiſcopos Santonenſes Goderanni ſucceſſorem memorarunt. Quin & idem Drogo aliunde notus eſt, utpote qui Charta Raymundi Vaſatenſis epiſcopi pro monaſterio Regula cum epiſcopis & aliis abbatibus ſubſcripſit anno* MLXXXII. *apud Beſlium in Hiſtoria comitum Pictavenſium pag.* 481.

7. *Porro ex eodem Malleacenſis Chronographi teſtimonio compertum habemus, quo die, quove anno Goderannus exceſſit è vita, die ſcilicet Octavo Idus Auguſti, anno* MLXXIV. *Ejus tamen memoria à Bucelino celebratur die* III. *Idus Auguſti in Menologio Benedictino, ubi* ſanctus *appellatur. Eodem donatur titulo à Trithemio libro* 3. *de viris illuſtribus Ordinis ſancti Benedicti cap.* 329. *qui eum appellat* virum ſanctæ & religioſiſſimæ converſationis. *Memoratur etiam inter* ſanctos *in Kalendario quodam Benedictino, ſed non multum antiquo, ut obſervant Bollandiani ad diem* 28. *Martii. quo Goderannus inter prætermiſſos laudatur. Denique Arnoldus Vuion eumdem* ſanctum *appellat in Ligno vitæ, inter epiſcopos qui monaſticam vitam ſunt profeſſi, ejus tamen nomen in Martyrologio Benedictino non ſcripſit, ſicut nec Hugo Menardus, nec alii faſtorum ſacrorum ſcriptores; præter Dorganium, qui eum ſub* ſancti *titulo recenſet inter eos quorum dies natalitius ignoratur. Numquam tamen, quod quidem ſciamus, ullo publico honore ſive apud Santones, ſive apud Malleacenſes cultus fuit, unde ſatis viſum eſt eum hic* Venerabilem *nuncupare.* An inter ſanctos computatus.

Digitized by Google

Circa Ann. Ch. MLXXV. Mart. III.

VITA S. GERVINI ABBATIS CENTULENSIS IN PONTIVO.

Auctore Hariulfo, Chronici Centulenſis ſcriptore ſubæquali.

Ex tomo 4. Spicilegii Acheriani & mſ. cod. Centulenſi autographo.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ ſcriptor.

1. De Hariulfo vita beati Gervini auctore nihil hic obſervandum occurrit, præter ea quæ de illo diximus in priori hujus Sæculi parte, ubi ad annum MXLV. vitam venerabilis Angelramni ex eodem auctore exhibuimus. Hic auctor ignotus fuit ſociis Bollandianis, qui tomo I. Martii vitam beati Gervini ex Chronico Johannis Capellâ ediderunt. at cum iſte ſæculo ſolummodo decimo-quinto exeunte ſcripſerit, in varios impegit errores, ac Bollandianos ipſos gravibus difficultatibus implicavit, ſed quæ Hariulfi noſtri ope ac lectione facile ſolvi poterunt.

Obitus annus & dies.

2. Porro non una omnium eſt ſententia in aſſignando anno, quo Gervinus ipſe è vita exceſſit, quod notæ chronologicæ, quæ ab auctoribus afferuntur, inter ſe componi nequeant. Claudius Robertus Gervini obitum revocat ad annum MLXXI. ſed hæc opinio ſuſtineri non poteſt. Etenim eo anno paſcha celebratum eſt die 24. Aprilis, ac proinde Cinerum dies incidit in nonam diem Martii; & tamen ex Hariulfo certum eſt Gervinum jam inchoato Quadrageſimæ jejunio, die 3. Martii abiiſſe ad ſuperos. Neque felicius Bollandiani beati viri obitum anno MLXXIII. illigarunt, quod eo anno dies 3. Martii occurrerit Dominica III. Quadrageſimæ. Favet eis Indictio XI. quam Vitæ auctor infra aſſignat. at cetera non congruunt eidem vitæ. Hunc in errorem impegerunt decepti teſtimonio Malbranci, qui ſcripſit Gervinum mortuum eſſe ſecunda hebdomada Quadrageſimæ, die Dominica, & quidem ipſam ſecundam hebdomadam ſequente, ut Bollandiani interpretati ſunt. At Hariulfus diſertis verbis affirmat Gervinum feria tertia hebdomadæ II. Quadrageſimæ, quæ in v. Nonas, id eſt diem tertiam Martii, eo anno incidebat, obiiſſe; & quidem anno MLXXIV. ut ex ipſius vitæ contextu patet. Unde hunc ipſum annum Gervini extremum fuiſſe ſcripſerunt Sammarthani in Gallia chriſtiana. Verum huic anno non conveniunt alii characteres Chronologici, ab ipſo Hariulfo, quos ſupra laudavimus, aſſignati. Nam anno MLXXIV. Paſcha celebratum eſt die 20. Aprilis, proindeque dies cinerum incidit in diem quintam Martii. atque adeo Gervinus hoc anno mori non potuit die 3. Martii, quæ fuerit feria tertia ſecundæ hebdomadæ in Quadrageſima. Melius fortaſſe ad annum MLXXV. Gervini obitus revocaretur. Huic enim anno characteres Chronologici omnes, excepta Indictione, ab Hariulfo aſſignati conveniunt. Nam hoc ipſo anno Paſcha in diem 5. Aprilis incidit, ac proinde dies Martii tertia fuit feria tertia hebdomadæ ſecundæ in Quadrageſima, quam Hariulfus extremam Gervino exſtitiſſe ſcripſit. Immo annus, quem idem Hariulfus MLXXIV. appellat, non alius fuit ab eo quem vulgo MLXXV. nuncupamus, ſi eo loci veterem Gallicanum numerandi modum ſecutus ſit. Nam juxta illum calculum, anno à Paſchatis feſto incipiente, Martius menſis, quo conſtat Gervinum obiiſſe, ac duo præcedentes anno MLXXIV. tributi fuiſſent, licet juxta hodiernum computandi modum ad annum MLXXV. re ipſa pertinuerint. Fatendum tamen eſt huic expoſitioni non favere Hariulfi verba numeri 27. quibus aſſerit Gervinum intrante Dominicæ Nativitatis anno MLXXIV. in extremum morbum incurriſſe.

Memoria & cultus.

3. Mirum eſt Gervini nomen in Martyrologio Benedictino deſiderari. Sauſſayus tamen ipſum ad primam Martii diem, in Martyrologium Gallicanum invexit. cujus etiam meminit in Supplemento ad diem XVII. Aprilis. at hoc poſtremo loco procul dubio Gervinum abbatem Centulenſem, cum alio ejuſdem nominis abbate Aldeburgenſi, qui re ipſa obiit die 17. Aprilis confudit. Malbrancus in hiſtoria Morinorum, Morlerius in Antiquitatibus Ambianenſibus, aliique ſcriptores Gervinum noſtrum, uti ſanctum virum laudibus extulere. Feſtivitatem ipſius die III. Martii celebrant noſtri Centulenſes ſub duplici ritu; ejus tamen reliquiis nullus umquam honos eſt habitus. Nuper in crypta ſubterranea detectum eſt ſepulcrum, omnia ferme hominis membra, excepto capite, continens, quæ quidem creduntur eſſe noſtri Gervini, quod nuſquam reperiatur

Digitized by Google

alium quempiam alicujus nominis virum eo loci ſepultum fuiſſe; at cum nullum ejus rei inventum fuiſſet certum indicium, oſſa ipſa eo modo quo inventa fuerant, loco ſuo reſtituta ſunt. CIRCA ANN. CHR. MLXXV. MART. III.

1. EX territorio igitur Remenſi [a], patre Guillenco, matreque Romilde GERVINUS natus eſt; & à primævo ævo litterarum ſtudiis imbuendus in eccleſia ſanctæ Mariæ noſtratis Galliæ hierarcha, ubi eo tempore famulabatur Domino clerus vere clarus, traditus eſt. Sed, ut fieri ſolet, cum adoleſcens Grammaticæ operam daret, & patulo ſenſu ipſorum jam carminum vim perpenderet, animadvertit interea quædam, quorum omnis intentio hæc eſt, ut aut expletas luxurias referant, aut quomodo quis explere voluerit, vel explere potuerit recenſeant: & dum talium aſſidua meditatione polluitur juvenis mens caſta, tum juvenili fervore, tum turpium verborum auditione, maxime vero diaboli inſtinctu, ad hoc cœpit impelli, ut ea faceret quæ tantorum Poëtarum æſtimabat narratione celebrari. Ad hoc igitur hortatu ſodalium perductus eſt, ut infauſtos expeteret complexus, quando quidem carnis ardorem non aliter reſtringendum, poëtarum oraculis, & juvenum jam corruptorum ſuggeſtione compererat. Ventum itaque illo uſque eſt, quo caſtitatis jura frangerentur; ſed Deus omnipotens, qui ſibi eum aptum vas gratiæ ordinarat, tanto eum ſubito pudore reſperſit, ut non ſolum male cogitata non perageret, ſed etiam talia voluiſſe, viſceraliter eum pœniteret. De pellicis itaque ſe oſculantis, & ad crimen incitantis amplexu, & vere de mediis diaboli faucibus exſilivit; & tanta auctoritate vim iniquæ voluptatis in ſemet compreſſit, ut ipſa priſcorum poëmata audire ex tunc deſiverit; ne, ut pæne acciderat, dum litteram diſceret, animam jugularet. Hoc vero non ideo referimus, quod inſolitum ſit hominem carnis laſcivia fuiſſe tentatum: ſed quia tali occaſione mens probanda erat, quæ jam diſpoſuerat fieri pudicitiæ habitaculum. Hæc ergo cauſa ei fuit, qua ſæcularia ſtudia deſeruit, unde nec magnam illarum artium peritiam habuit; tamen quia hæc ex parte guſtaverat, facilius divina ingreſſus eſt, in quibus poſtmodum & verbo & opere peritus habitus eſt.

[Margin: a Gervini parentes. — Lectione malorum librorum depravatur. — Convertitur.]

2. Defunctis patre & matre, cum totius, quæ magna erat, familiæ Gervinus proviſor & dominus haberetur, eſſetque Remenſis matris eccleſiæ Canonicus, cogitabat repulſis ſæculi tumultibus, Deo ſtrictius militare; ſed ejus deſiderio contraibat duarum forte ſororum cuſtodia. Inter multos igitur, quos lege beneficii ſub ſe habebat vaſſallos, erat quidam vir bonus & efficax, ſummæque ſtrenuitatis miles, nomine Baymo; huic vero Gervinus terrenorum pondere ſeſe exonerans, delegat patrimonii ſui ſummam, tradens ei germanam in conjugium, nomine Rotſellinam. Altera autem quæ viri thorum recuſavit, Chriſti ſponſalibus meruit ſubarrhari, & in monaſterio ſanctimonialium vitam religioſam, monialis & ipſa devote peregit. Hac tempeſtate florebat virtute modeſtiæ venerabilis abbas RICHARDUS [b], quem multa bonitatis fama omnibus amabilem venerandumque efficiebat: hunc ergo Gervinus expetivit, & ut ſibi monachi veſtem, normamque conferret exoravit. Ille autem vir Dei repletus fonte doctrinæ, atque ſervator Regulæ ſanctæ, protraxit virum, juxta quod monet Pater BENEDICTUS *; proponit dura, aſpera prædicit, ardua docet, monſtrat anguſtum callem, qui ducit ad vitæ regnum. Verum cum magna diceret doctor, majora refert auditor. nam dicit ſemet ad omnia promtum velle habere, licet ſint dura vel inaudita, & quæ natura non aſſuevit:

[Margin: Canonicus Remenſis. — b — * Reg. c. 58.]

a Sic in autographo legitur, quamvis alia manu aliquis ſuperſcripſerit *Laudunenſi*, quam lectionem ſecutus eſt Acherius noſter in Spicilegio.

b Richardus ex Decano Remenſis eccleſiæ abbas S. Vitoni Virdunenſis, cujus vita habetur tomo ſuperiori ad an. 1046.

Circa Ann. Ch. MLXXV. Mart. III.

omnia ſpondet toleraturum, dummodo ſibi non differatur clauſtri ingreſſus. Richardus tantis tractus promiſſis: En præſens, inquit, adeſt Regula ſancta, vide ſi potes his obedire, quæ tibi liber hic intimabit. Si deprehendis iſta te poſſe perpetim pati, excipieris; ſi autem non vis, ſive non potes iſta ſervare, liber veniſti, liber diſcede.

Talibus induciis prope totus volvitur annus.

Monaſticam vitam ſuſcipit.

3. Itaque viro rite probato traditur ſacra Regulæ veſtis, jungiturque ſacræ Congregationi militanti ſancto confeſſori & epiſcopo Vitono. Factus itaque ſanctæ obſes religionis, omnibus obediens, omnibus devotus, omnibus benignus, atque ob hoc omnibus erat carus; ſed ut humilitatis ejus conſtantia certius noſceretur, factus eſt puerorum cuſtos, ut qui Dei judicio Paſtor animarum erat eligendus, tali officio paſtoralitatis præſagium portenderet. Ubi vero & in hoc aptiſſimus apparuit, cœpit eum pater Richardus ferventiori dilectione ambire, in tantum ut & ſibi capellanum, & ceteris multorum proviſorem commodorum ordinaret. Hinc Gervinus ſancto animatus deſiderio cupiebat loca ſancta inviſere, quibus Domini noſtri Jeſu-Chriſti nativitas & converſatio, mors & reſurrectio celebratæ noſcuntur; ſed dum Patri votum indicare formidat, ne non conceſſionem adquireret, ſed reprehenſionem; eodem Dei nutu, qui voluntatem timentium ſe facit, cordi paterno acceſſit voluntas. Itaque dum Gervinus orat Deum, ut ſibi tradat voti effectum complendi, Abbas jam dictus caro ſodali ſibi ineſſe hoc prodit velle, ut loca ſancta Jeruſalem eat videre; rogat ut ſuus comes eſſe velit, quo illo agente cito pararentur commoda vitæ. Et ille ovans, quod quæ optabat diceret Abbas, mox feſtinavit ea parare quæ in illa via erant portanda. Cum ergo jam ſacerdotio polleret, cum abbate Richardo & aliis optimis viris, jam dictæ urbis mœnia petiit [a]: quò cum pervenit, oſcula ſanctis locis affixit, lacrymas fudit, preces allegavit, orans pro ſancta & univerſali matre Eccleſia.

Jeruſalem petit.

4. Expletis igitur votorum & precum ſollemniis, redeunt ad propria. At non multo poſt, quadam agente neceſſitudine, regali aulæ ſeſe contulerunt, cum ecce HEINRICUS rex, memor comminationis à domno ANGELRANNO [b] ſibi intentatæ, ipſum Richardum abbatem his ſupplex verbis exorat. Intra regni noſtri ditionem exſtat cœnobium à priſcis Regibus munifice ſatis conſtructum, & quamquam ante hæc tempora à paganis demolitum ſit, ejus tamen nomen inter ſancta loca non habetur infimum. huic exſtat paſtor, actu & nomine Prudens Angelrannus, qui perfecto vitæ ſuæ fideliſſimo curſu jamjam carnis exuvias linquere cupit, & ideo ſibi ſuccedi in animarum regimine rogat. precor veſtræ ſanctitatis bonitatem, quatenus fratri Gervino permittatis ejus loci accipere paſtoralitatem. Venerandus autem vir, tametſi tanti ſodalis diſpendium ægre ferret, conceſſit, & fratri Gervino donum regium ſuſcipere imperavit. Tunc reverendus Princeps jubet concito greſſu cum aliquantis aulicis viris..... [c] venitur. Excipiuntur nimis gratanter, dein diſponunt maturato Centulam expetere. Tunc Gervinus obſtitit, dicens locum ſe non viſurum, donec unanimis Fratrum electio ſuis auribus referretur. Diriguntur ergo è clero viri prudentes, qui hæc Centulenſi nuntiarent congregationi. Aditur venerabilis Angelrannus, indicatur ei electum eſſe à Rege virum, qui Chriſti ovilis opilio digne debeat dici, ſed nolle eum præcipitanter iſthuc venire, donec ipſius velle cognoſcat omniumque Fratrum electionem. Et venerabilis Angelrannus pro his exſultat, & confitetur id ſe optare, ut

Fit Abbas Centulæ.

a Hujus itineris ſeriem fuſe narrat Hugo Flavinia-cenſis in Chronico. Vide alteram Vitam B. Richardi tomo ſuperiori.

b Hujus Vitam habes in tomo ſuperiori ad annum 1045.

c Detrita eſt hîc in autographo ſeſquilinea.

talis

talis homo ſibi ſuccedat, qui Chriſti gregem paſcere norit. Dein congregata fratrum unione intimat lætus regium opus, qui eorum curam providendo benigne, virum delegiſſet boni amicum, rectique tenacem, ut eis præſit jure Abbatis. Agite, inquit, & quid ſuper iſto veſter animus velit nobis intimare, ut veſtra turma tanto Paſtore cito ornetur. Hæc audientes omnes collaudant, approbantque factum. Deinde ſcribitur Conſenſus electionis, redditur à ſancto viro cura paſtoralis, in qua non ſe digne miniſtraſſe humiliter valde confitebatur. Recipiunt iſta legati Pontificis; & præpeti gradu redeunt Ambianis, deſignantes Epiſcopo & Abbati benignam fratrum electionem, & ſancti ſenis conceſſionem. Ea igitur die qua intemeratæ Virgini Domini Jeſu nativitas futura per angelum Gabrielem nuntiata eſt, Abbas ſacratur, ſicque ſequenti luce noſtris ſedibus infertur Paſtor optatus. Circà Ann. Ch. MLXXV. Mart. III.

5. Sublimatus ergo honore regiminis, arripit arma continuæ humilitatis, non veſte ſubtili, non cibo delicatiori, non ſupercilio dominii utens, ſed victu communi, humilitateque pari Fratribus & filiis amorem ſui immittens. Sane è ſui monaſterii * monachis aliqui, eum gratia caritatis attrahente, extemplo proſequuntur viri honeſti, & tam litterarum peritia, quam & ſæculari providentia admodum clari. Horum unum Præpoſitum fecit, dictum Guarinum; alium ordinavit Decanum, nomine Regneguardum. Verum, &c. *Plura ex Angelranni geſtis inſerit auctor, quæ ſuo loco retulimus.*

* S. Vitoni.

6. Gervinus igitur commiſſorum curæ inſiſtens, delinquenteſque corripiens, in eorum cordibus verbis prædicationum & exemplis operum, plantaria virtutum ſerebat. Quorumque etiam hominum ſceleſtorum confeſſiones recipiens, eorumque animas ſaucias ſanctarum fomentis Scripturarum reſolidans, ad Dei miſericordiam revocabat; ex quibus ſi aliquos ditiores ſenſiſſet, domos orationum erigere cauſa promerendæ veniæ hortabatur: cujus pia intentio noſtrati patriæ multum contulit decoris profectuſque, dum quæ non erant erigebantur, vel quæ lignis fuerant compactæ, cæmento & lapide reficiebantur. Ipſe vero circa locum commiſſum ſatis ſollicitus, veterata novare, diſſipata ſarcire, numquam facta exſtruere contendebat; unde & cryptam ſatis inſignem condidit hodieque perſeverantem, quam conſecrare obtinuit ad honorem noſtræ Dominæ ſanctæ Dei-genitricis Mariæ. In qua crypta per quatuor quæ ibi ſunt altaria tanta tamque glorioſa Domini Chriſti, & Sanctorum ejus repoſuit pignora, ut ſi alia non eſſent, his revera ſatis ſuperque decenter inſigniretur noſtra patriola. Harum ergo ſacrarum Reliquiarum indiculum apponimus, ut quanta gloria ſacer ille locus vigeat, poſteritas queat noſſe. Titulantur in præſenti Reliquiæ, quarum multitudine decoratur majus altare cryptæ Centulenſis, quod eſt dedicatum in honore Dominicæ Annuntiationis, Nativitatis, ac ſanctæ ac victorioſiſſimæ Crucis, & beatæ ac glorioſæ ſemper virginis Mariæ, & ſancti Johannis apoſtoli & evangeliſtæ, & præclariſſimi confeſſoris Chriſti Richarii, & beatæ Cæciliæ virginis, & omnium ſanctarum Virginum, quorum quarumque hæ ſunt reliquiæ. De ligno ſanctæ Crucis, de ſepulcro Domini, cera de ſancta Reſurrectione [a], de columna ubi Dominus fuit ligatus, de lapide ubi ſtetit quando adſcendit Crucem, de linteo quo fuit præcinctus quando diſcipulorum pedes lavit, de præſepe Domini, de virga Moyſis, de manna, de veſtimentis ſanctæ Dei genitricis Mariæ, de capillis ejus, de filo quem ipſa nevit, de ſepulcro ejus, de ſancto Johanne Baptiſta, de corpore Iſaïæ prophetæ, de ſancto Johanne evangeliſta, de ſanctis Innocentibus, de ſancto Stephano protomartyre; de ſanctis Martyribus Stephano papa, Felice papa, Euſebio epiſcopo Vercellen-

Cryptam ædificat.

Quam ditat SS. Reliquiis.

[a] Id eſt, ni fallor, de cereo paſchali, ſeu de illa lampade quæ Jeroſolymis divinitus accendebatur ſingulis annis in Vigilia Paſchæ.

Circa Ann. Ch. mlxxv. Mart. iii.

ſi, Florentio, Blaſio, Criſpino, Criſpiniano, Paterno. dens ſancti Livini martyris, de ſancto Hermete, Præjecto, Romano martyribus. Reliquiæ Confeſſorum, ſanctorum Martini, Remigii, Nicolai, Vedaſti, Medardi, Caſſiani, Amandi, Eligii, Caydoci, Salvii, Pauli, Machuti, Gaugerici, Autberti, Ranulfi, Acharii, Otberti, Guandregiſili, Bertini, Philiberti, Bavonis, Gualarici, Mauronti, Guingaloëi, Judoci, Cutberti. Reliquiæ vero Virginum Petronillæ, Anaſtaſiæ, Juſtinæ, Priſcæ, Praxedis, Gertrudis, Auguſtæ. Item ad meridianam partem cryptæ dedicatum eſt altare in honore Adventus Spiritus-ſancti, & beatiſſimorum apoſtolorum Bartholomæi, Matthæi, & Lucæ evangeliſtæ; ſanctorumque Mauricii, Nicaſii, Leodegarii martyris, & ſanctarum Agathæ, Luciæ virginum. Hæ inibi ſunt Reliquiæ, de capillis ſancti Bartholomæi, de capite ſancti Matthæi, de capite ſancti Nicaſii, de ſanctis Mauricio, Leodegario, Firmino, Cyriaco, Agapito, Criſpino, Criſpiniano, Anthimo martyribus. Item de ſanctis Cornelio & Cypriano, de ſancta Agatha, de ſancta Sabina, de ſepulcro Domini. Item dedicatum eſt altare ad Septemtrionalem partem cryptæ in honore glorioſæ Reſurrectionis Adſcenſioniſque Domini noſtri Jeſu-Chriſti, & ſanctorum apoſtolorum Jacobi, Simonis & Judæ, ſanctorumque Quintini, Luciani, Fuſciani, Victorici, Gentiani, Lamberti; ſanctarumque Agnetis, Scholaſticæ virginum. Hæ ſunt Reliquiæ. De veſtimentis apoſtolorum Petri & Pauli, cum pulvere de ſancto Jacobo. Dens ſancti Simonis apoſtoli, de ſanctis Chriſtophoro, Georgio, Criſpino, Criſpiniano; de capillis ſancti Quintini & de ejus corpore, & de clavo quo perforatus eſt; de caſula ſancti Lamberti, de ſancto Hilario, de ſanctis Agnete & Scholaſtica virginibus. Item dedicatum eſt altare ſubtus altare ſancti Richarii in honore ſanctæ ac individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus-ſancti; & ſanctorum Dionyſii, Ruſtici & Eleutherii, Gervaſii, Protaſii martyrum; & ſanctorum confeſſorum Ambroſii, Auguſtini, Hieronymi, atque Athanaſii & omnium ſanctorum. Hæ ſunt reliquiæ. De ſanctis Dionyſio, Ruſtico & Eleutherio, Gervaſio, Protaſio martyribus, & de ſancto Satyro, Ambroſio, Auguſtino confeſſoribus.

7. Hæc tanta tamque pretioſa Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac ſanctorum pignera ſagaciſſimus paſtor Gervinus, per diverſa Galliæ loca ſtudio ingenti quæſita, partim etiam apud ſanctiſſimum Richarium reperta, in altariis quæ in crypta erexit honorifice collocavit XIV. Kal. Novembris, eamdem domum Deo omnipotenti, & ſanctæ Mariæ veneranter dedicans. Sunt igitur alia multa quæ erga loci diligentiam vir bonus exercuit, tam in palliis adquirendis, quam in tapetibus faciendis, vel terris redimendis, quarum rerum cum præ oculis multa ſint experimenta, aliqua tamen hic ponenda ſunt indicia. *Subjicit Chronici auctor multa de prædiis, quæ Gervinus monaſterio ſuo aſſeruit aut adquiſivit, ex quibus ea tantum referre viſum eſt, quæ ad Gervini pietatem commendandam aut ad Hiſtoriam illuſtrandam conferre poſſunt, cum facile ſit cuilibet cetera in Spicilegio Acheriano legere.*

8. Guillelmus Nortmannorum Dux Gervinum magnopere deprecatus eſt ut de ſancti Vigoris corpore, quod Dei gratia præeunte, noſtris olim fuerat ſedibus illatum, aliquid ſibi impertiretur.... Enimvero in geſtis domni & ſancti Angelranni invenitur, qualiter ipſe magnificus Abba de ejuſdem ſancti corpore certus ſit effectus, & quod libellum vitæ illius à Neuſtria deferens, & ex eo glorioſi ejus tranſitus diem agnoſcens, natalem ejus coli ſtatuerit. Hoc itaque ſtatutum ad hæc uſque quæ diſſerimus glorioſi Gervini tempora permanſit, qui Domini timore Sanctorumque vigens amore, multa in divino cultu circa nos melioravit &c.... Marchio vero Guillelmus, miſſo ad nos monacho de monaſterio Ceraſiaco, nomine Guarino, unum ſancti Epiſcopi de dextero brachio os promeruit, quod apud idem monaſterium Ceraſiacum infinita venerabilitate colitur. Eſt

S. Vigoris brachium monachis Ceraſiaci conceſſum.

Digitized by Google

autem idem locus, in territorio Bajocaſinenſium ſitus [a], ex quo vir Domini Vigor epiſcopus, ut in Vita ejus legitur, dum adhuc in hujus peregrinationis exilio moraretur, immanem effugavit anguem, & ob hanc virtutem traditus eſt ſancto viro locus, in quo nunc etiam ſervorum Chriſti Congregatio habetur. Cum itaque monachi ibidem degentes, cum ineffabili gaudio ſanctiſſimi ſui patroni Reliquias ovanter excepiſſent, voluerunt experiri utrumnam vere illud os de ſancti Vigoris corpore fuiſſet. Sciebant autem quod inter alia dona virtutum, quibus fulſerat ſemper, immo fulgebat, hoc quoque excellentius obtineret, quod nullo modo ardore ignis lædi, aut comburi poſſet. Itaque ſtruem lini quod ſcilicet facile nimis incenditur, faciunt, & brachium illud ſanctiſſimi Pontificis ſuperponunt, deinde linum deſuper congerunt, & ita aridam & tenuem materiem igne ſuppoſito inflammant [b]: & licet Deus omnipotens in ſui ſervi merito tentandus non fuiſſet, eoſdem tamen fratres, qui non quolibet vitio, ſed certitudine capiendæ gratiæ id fecerunt, miraculi ac virtutis eventus non fefellit. nam non ſolum ſancti dexteram ignis ille non læſit, ſed etiam linum quod fuerat appoſitum, ab igne permanſit intactum. Sic Fratres illi de Patris pignore certi facti ſunt. Necdum poſt hoc factum octo fluxerant dies, cum ecce homo dæmonio plenus, eorumdem fratrum miſeratione aquam, ex qua forte illud beatum os fuerat lotum, accepit, qua bibita ſalutem corporis & libertatem recepit, & deinceps inimici infeſtationem non pertulit. Hæc quidem duo miracula, per ſancti Vigoris Reliquias à nobis illuc relatas, apud Ceraſiacum monaſterium Chriſtus Dominus peregit.

Circa Ann. Chr. MLXXV. Mart. III.

Cujus veritatem igne explorant.

9. Poſt aliquot autem annorum ſpatia, convocatis honorificis viris, Epiſcopis ſcilicet & Abbatibus, Gervinus pater ejus ſacratiſſima membra de ea capſa, in qua à tempore Ingelardi abbatis pauſaverant, abſtulit, & per manus Pontificum convocatorum, populo fideli demonſtravit: deinde in aliam auro & argento paratam repoſuit honorifice, ut decebat tantum Dei Confeſſorem. Hæc vero tranſlatio beati corporis XII. Kal. Aprilis facta eſt; quæ dies omni anno quadrageſimalis jejunii ambitur religione, quod divino nutu factitatum credimus, ut tunc populi fideles ſanctiſſimi Pontificis oſſa videre meruiſſent, quando ſtrictioris ac per hoc purioris vitæ ſacrificium Deo obtuliſſent.

Gervinus ejuſdem ſacrum corpus transfert.

10. Igitur poſt relationem neceſſarie de ſancto Vigore habitam, ad noſtri Gervini acta revertamur, & quomodo villam, quæ dicitur Portas, noſter locus habuerit, paucis perſtringamus. Ac primo quoniam dono Pontivorum Comitum illam meruimus, dignum putatur ut eorum ſeries breviter intimetur. Quo primum igitur tempore Pontiva patriola munitionibus caſtrorum aucta eſt, ablatis monaſterio tribus Centulo opidis, Abbatis-villa, Sancto-Medardo, & Incra, & his caſtellis effectis, in eorumque ſtipendia multis aliis ſancti Richarii villis & reditibus ab Hugone rege prærogatis, noſtra hæc provincia non Comite utebatur, ſed regiis Militibus hinc inde præpoſitis conſervabatur. Anteriori tamen tempore à pleriſque noſtris Abbatibus, Comitis nomen gerentibus, plerumque fuerat defenſata. Verum quoniam hi moderno tempore diſpoſiti, non omnes caſtrorum municipes, vel domini exſiſtebant; ob hoc reliquis Paribus ſuis Hugo Abbatenſis fortior factus eſt, quia & caſtelli fretus munitione, abſque timore quælibet efficiebat, & reliqui ſi quid conabantur, non habentes refugium facile ſuccumbebant. Attamen huic numquam Comitis nomen acceſſit,

Series comitum Pontivorum.

a Hodieque ſubſiſtit monaſterium illud, vulgo *Ceriſy*, ſub Benedictino ordine, nulli congregationi addictum.

b Preces quæ in ejuſmodi Reliquiarum probatione per ignem fiebant editæ ſunt ex cod. mſ. bibliothecæ Remigianæ apud Remos, in appendice ad opera S. Gregorii Turonenſis recens edita.

CIRCA ANN. CH. MLXXV. MART. III.

ſed erat illi inſigne, quod ſancti Richarii vocabatur Advocatus; quæ res etiam plurimum ei contulerat fortitudinis, dum advocationis obtentu, ſancti Richarii villarum reditu, & ruſticorum ſervitio utebatur. Hic poſtquam abſque nomine & dignitate Comitis mortuus eſt, ſucceſſorem habuit filium, nomine Angelrannum, hic quoque nomine Advocati contentus fuit, donec Bolonienſem Comitem prœlio interimens, & ejus relictam ſibi in matrimonio copulans, à Comitiſſa uxore nomen Comitis vindicavit. Angelrannus itaque aſſumtum ſibi Comitis nomen in poſteros tranſmittens, poſt longævam ætatem moriens, reliquit honoris & nominis heredem, nomine Hugonem, qui poſt expletum vitæ tempus, dum morti proximum ſe videret, ſupradictam villam, quæ dicitur Portas, delegavit ſancto Richario, optans ut pro remedio ſuæ animæ, monaſterii noſtri uſibus ſerviret. Genuerat vero quatuor filios, quorum primus nomine Angelrannus, homo formæ mirabilis, qui patri ſuccedebat, in die depoſitionis ejuſdem patris ſui, jam dictam villam Sancto contradidit &c.

II. Præterea quidam Miles, nomine Gualterus, quem vulgus vocitabat Tirel, villam ſancti Richarii, dictam Noguerias, ſibi volens vindicare, poſt illa omnia quæ ſupra ſcripta ſunt tempore domini Angelranni geſta fuiſſe, de hac eadem villa, à rege Henrico, & à perfido Hucberto, cujuſdam quaſi juſtitiæ rectitudine, ſibi eam deberi ex aliquo ſucceſſionis jure adſtruebat; talique ratione ſuam colorans avaritiam, villam invaſit, tenuit, & per aliquod tempus Fratribus eum excommunicantibus, ſibi uſurpavit. Verum cum ei ſuggererent amici, illam excommunicationis ſufferentiam, animæ mortem illi operari; tandem, Deo ſe reſpiciente, aliquatenus ceſſit, & quamdiu ipſe vel ejus conjunx viveret, ſibi medietatem retinuit, medietatem Sancto reſtituit, poſt ſuum obitum integerrimam in Sancti jus eam redire ſtatuens. Pro qua ratione venerabilis Paſtor ſcriptum chirographum archivis noſtris repoſuit, quod ita ſe habet.

Reſtitutio villæ Noguerias.

„ In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego frater GERVINUS abbas „ monaſterii ſancti Richarii, Notum volo omnibus ſanctæ Dei Eccleſiæ fide„ libus, quos in adoptione filiorum per ſanguinem ſuum, perque ſanctifica„ tionem baptiſmatis, fratres ſibi adoptavit Chriſtus, quia Miles quidam „ VValterus, quem vano cognomine Tirellum plerique appellamus, No„ guerias villam ſancti Richarii, jamdudum diu à prædeceſſoribus noſtris „ poſſeſſam, & nobis jure hereditario traditam, malitioſe invaſit, invaden„ do ſubripuit, ac ſubripiendo ſub anathematis obligatione aliquamdiu deti„ nuit: at tandem contradicentibus amicis & injuriam hanc in perniciem „ animæ ſuæ crebro referentibus, victus erubuit, & inſanæ cupiditatis mali„ tiam deſerens, à ſancto Richario, atque à Fratribus veniam expetivit, red„ ditaque villa, & condonata nobis olim fundata capella, abſolutionem ex„ communicationis, cum præſente uxore ſua Ermina, terræ proſtratus acce„ pit; ita dicens, cauſam componens, ut præfata capella, ſicuti ſibi, vel „ ſuis hactenus, ſine quolibet ſynodali reſpectu deſerviens permanſerat, ita „ per futura ſæcula ſub eadem libertate perſiſtat. Acta ſunt hæc VII. Idus „ Octobris, anno Domini MLIII. Indictione VI. Anathematis confirmatio„ nem, eodem Milite cum aliis ſubnotatis teſtibus reſpondente, ne quis ex „ illo die, pro quacumque occaſione, aut ex progenie eorum, vel alicujus „ horum incitatione auderet temerarius hanc ſibi villam ulterius uſurpare; „ ego Gervinus, noſtræ etiam Religionis Preſbyteri, cum Diaconibus, ſi„ mulque hujus inſtitutionis monachis, ex auctoritate Dei Patris omnipoten„ tis, & beatæ Mariæ ſemper Virginis, & beati Petri Apoſtolorum princi„ pis damnamus & in perpetuo anathematizamus omnes qui ex præſenti die „ voluerint hujus redditionem villæ, & donum atque libertatem capellæ, „ aliquo auſu reſcindere, aut demere ſeu contradicere. Amen. Hujus rei

Digitized by Google

teſtes fuere Odo, &c. Regnante HENRICO rege Francorum, anno XXI. &c. «CIRCA ANN. CH. « MLXXV. MART. III.

12. Interea mortuo rege Francorum Henrico, poſt annos ſui regni XXVIII [a], PHILIPPUS adhuc puer regiæ dignitatis culmine jam ſuſcepto à patre, regendi poſſe & ſcire nondum habens, BALDUINO Flandrenſium Comiti cuſtodiendus cum regno traditur: quo regnum moderante, Gualterus miles filius Hugonis regii Buticularii, terram quamdam in Vimmaco pago ſitam nobis ſubripere voluit. Et quia potens erat, nec ex adverſo ei reſiſtere in promtu habebatur, ſollicitus paſtor Gervinus verens ne eccleſia prædium amitteret, maluit virum pecunia lenire, quam itatenus tanto damno multari. At ille non tam pecunia illectus, quam ſancti viri prece veneranda coactus, poſtulanti gratiam tribuit, & ne ipſe vel quilibet alius eamdem terram ſancto loco deinceps demere poſſet, teſtamentum inde fieri popoſcit, &c. Non multum fuerat tempus elapſum, cum pervigil ac ſollicitus proviſor Gervinus, qui & verus Eccleſiæ filiorum amator & cuſtos jugiter exſtitit, precibus aggreditur Comitem Guidonem, orans ut de villa quadam, quæ olim quidem noſtro ſervierat monaſterio, ſed ante aliquos annos ab ipſo Comite, ſeu ab aliis militaribus viris nobis tulta fuerat, aliquem miſericordiæ reſpectum penes locum ſanctum habere non abnueret. Quod ergo Dominici amoris inſtinctu agebat, non poterat eſſe caſſum, propitia divinitate, nam Comes aſſenſum ex aliquanto præbuit, placatus, non tantum beati viri prece, verum etiam Eccleſiæ munere. Igitur ex his quæ illo tempore ſancto Richario reddidit tale confectum eſt ſcriptum. In nomine, &c. Anno Regis Philippi imperii VI. Incarnationis Dominicæ MLXVII. Ind. VI. Epacta III. concurrente VII. &c.

Et aliorum prædiorum.

13. Regi Anglorum HETGUARDO [b] Gervinus ſemper carus & venerabilis fuit, & ab illo ſi ejus fines intraſſet, mira honorificentia attollebatur. Quique Rex ſi eum in aliqua vel pro aliqua loci noſtri neceſſitate anguſtiari comperiſſet, munificus valde in ſuccurrendo, omni remota excuſatione, exſiſtebat. Regina etiam conjunx ejuſdem, nomine Edith, ſatis ſuperque Gervinum pro ſuæ merito ſanctitatis diligebat & venerabatur, & juxta mariti exemplum, admodum liberalis, ſi aliqua petiiſſet, libens conferebat. Quadam vero vice accidit, ut Abbati nuperrime terram illam ingreſſo oſculum ſalutationis & pacis Regina porrigeret, quod ille gratia conſervandæ ſinceritatis abhorrens excipere noluit. At illa ferox, videns ſe Reginam ſpretam à monacho, nimis moleſte tulit, & quædam quæ ut pro ſe oraſſet illi donare ſtatuerat, irata retraxit. Verum marito id ipſum increpante, quod Abbatem tam religioſum pro non infracto rigore, odio inſequi voluiſſet, & aliis honeſtis viris ſuggerentibus non eſſe odiendum hominem, qui ſic Deo ſe mancipaſſet, ut ne Reginæ quidem oſculo ſe pateretur contra Ordinem mulceri; placata eſt Regina, & hujuſmodi factum non ſolum in illo non vituperavit, ſed magnæ laudis attollens præconio, in ſui regni Epiſcopis vel Abbatibus, talem manere conſuetudinem deinceps conqueſta eſt. Multis ergo honoribus & donis [Rex] eum fulciens, remittebat onuſtum; hoc ſolum ab eo repoſcens, ut tempore orationis inter benefactores computari mereretur. Uxor etiam ipſius Regis donavit ei amictum valde pretioſum, auro & lapide pretioſo mirifice decoratum, quem Abbas detulit in noſtræ eccleſiæ theſaurum. Poſtea autem cum contigiſſet Ambianorum pontificem Guidonem hunc vidiſſe amictum, nimia ejus pulcritudine & pretioſitate illectus, rogavit Abbatem, ut iſdem eccleſiæ matri

Gervinus Angliæ Regi carus. b

Oſculum Reginæ reſpuit.

[a] Legendum, ut videtur XXVIIII. Nam Henricus Patri ſucceſſit anno 1031. eo quippe anno die 20. Julii Rotbertus obiit, Henricus vero, anno 1060. die 4. menſis Auguſti.

[b] Is eſt beatus Eduardus confeſſor, qui ab anno 1043. uſque ad anni 1066. initia regnum Angliæ tenuit. quo defuncto Haraldus comitis Godvvini filius regnum invaſit, at Guillelmus nothus Normanniæ Dux, Haraldo victo & in prœlio cæſo, Angliæ Rex paullo poſt ab omnibus agnitus eſt.

Circa Ann. Ch. mlxxv. Mart. iii. Ambianenſi tranſmitteretur amictus, pro illius concambio eccleſiæ ſancti Richarii duo Altaria perpetim habenda ſe velle dare affirmans. Et amantiſſimus vir ejus precatibus aſſentire ratum judicans, jam dictum amictum Epiſcopo, & eccleſiæ ſanctæ Dei-genitricis ſemperque virginis Mariæ tradidit; & in ſui juris poteſtatem duo altaria recepit conſenſu & conceſſu totius eccleſiæ Ambianenſis, quorum unum eſt in villa noſtra Argubio, alterum in villa quæ Monsheliſi nuncupatur, &c.

14. Hetgvardus Anglorum rex decurſo feliciter vitæ mortalis ſpatio, ut creditur, migravit ad æternam gloriam. Sed dum adhuc vivens terreno regno floreret, quidam nobilis, natione Britto, nomine Radulfus, apud ipſum Regem potens & honoratus, gratia eleemoſynæ donavit ſancto confeſſori Chriſti Richario, per manum memorabilis Gervini aliqua prædia, & quoſdam reditus, quorum ſumma poſt modicum notabitur. Poſtquam autem mortuus eſt Rex Hetgvardus, Herioldus quidam Comes regnum ſibi accepit contra fas, & contra fidem ſacramenti quod prædicto Regi juraverat, ſpondens quod pronepoti ipſius Regis, nomine Elfgaro, regnum cederet abſque ullo impedimento. At cum regni poteſtate & faſcibus injuſte uteretur, expulſo Etguardi pronepote Elfgaro, ſummus & ſuper omnia potens Deus, in cujus juſſu conſtant regna terrarum, & qui donat ei cui vult, ſigno mirabili è cælo oſtenſo, deſtinavit Guillelmum Ducem Nortmannorum, Anglorum Regem fieri, & quia veraciter Dei nutu idipſum Guillelmus appetebat, rei proſperitate probatum eſt. ſed quia illius geſtorum recens habetur memoria, nos ea ſeponentes noſtra potius exſequamur.

Guillelmus Angliæ rex.

Gervinus in Angliam tranſit.

15. Anno regni ejus ii. venerabilis Gervinus, illa quæ ſuperius meminimus prædia viſurus, ad maris ingreſſum properavit, quem nominant plebeïales Guizant, ubi fuerunt cum illo, tam Abbates quam monachi pluſquam centum, præterea militarium virorum, & negotiatorum plurima multitudo: qui omnes mare conſcenſo, in Angliam tranſvehi cupiebant. Februarius tum menſis ducebatur, quem notum eſt aëris colliſione & ventorum nimietate, pluviarum quoque inundatione, ac nivium profuſione ſemper conſtare queruloſum. quo etiam tempore ſævius perſtrepit mare, dum tempeſtatum ſævitiam ventorum nimietate continuat. Quindecim igitur dierum expenſo curriculo, dum æquor à ſuo fervore non quieſcit, & deſperatur ingreſſus, ſtatuitur reditus ad propria, quandoquidem tranſitu denegato, & deficiente ſumtuum copia, ibi amplius morari non poterant. Sane abſque conceſſu Gervini & licentia, qui ſanctitatis odore cunctos afflaverat, abire non fuit conſilium, ſed tamquam cæleſtem conſulem & divini juris conſcium, facto conventu interrogant quid ſibi eſſet agendum, qui tamdiu præſtolatum non quirent mereri tranſitum. Adſtruunt bonum eſſe ut redeant, referentes loci illius ariditatem ad tantæ frequentiæ non poſſe ſufficere victum. Tunc Gervinus tanta deſperatione obſeſſos benigne refovet, hortans ut de Dei miſericordia non diffidentes ſequenti mane feſtinato veniant ad eccleſiam, quo divini officii perfecto miniſterio, coram Deo humiliati poſtulent miſericorditer commeatum: deinde pedibus nudis ſancti Petri apoſtoli, quæ vicina erat, petant eccleſiam, per ejuſdem Apoſtoli merita gratiam à Chriſto quæſituri. Omnibus placet conſilium: venitur ad baſilicam archangeli Michaëlis; exhibitis hymnis matutinalibus vota proferuntur, & ab unoquoque tranſire volentium, denarius pro gratiarum actione oblatus eſt. quam pecuniam Gervinus decreto ceterorum in ſuam redigens ſententiam, ſuper omnes qui aderant quaſi principari videbatur, & emta cera, duos permagnos cereos conficiens, unum offert archangelo Michaëli & ſancto Nicolao confeſſori, alterum ſervat vovens illum Chriſti virgini & Margaretæ martyri, quæ

citra mare eccleſiam poſſidebat. Hinc jam diſpoſito agmine, cum è ſuis monachis unum ſtatuiſſet præcentorem, nomine Saxogualum, nudis greſſibus incedendo, & tales qui Dei miſericordiam exorarent cantus præcinendo, jam dictam beati Petri apoſtoli eccleſiam vadunt, ubi peracta oratione, & decantatis ab eodem viro honeſtiſſimo Gervino Miſſarum ſollemniis redierunt, implorata nimiumque flagitata Chriſti Domini pietate. Sequentis igitur noctis quiete potiti, exorto mane coëſſentes redeunt ad Gervinum; cum ecce Dei potentia ſopitum æquor, & omni remota tempeſtate tranquillum conſpiciunt; ſicque Chriſto actore, conſcendentes maria, ventorum nullo percelluntur fragore. Tanta certe fuit pacati æquoris quietudo, ut hodie vento deficiente oppanſa vela vix transferret, quod heſterna qualecumque non capiebat remedium. Exeuntes tandem de navibus, eccleſiam prænominatæ repetunt Virginis, & reddita gratiarum actione, oblatoque cereo partes dirimunt, dum unuſquiſque quo cupiebat velox divertit. Verumtamen hanc tranſeundi celeritatem meritis Gervini fuiſſe donatam omnes crediderunt, & magnis laudibus prædicaverunt. Circa Ann. Ch. MLXXV. Mart. III.

16. Gervinus igitur tali modo feliciter tranſvectus, adiit curiam regalem, annuntiat Chriſtum ejuſque mandata; ſuggerit mala confiteri, hortatur pœnitentiam, ſuadet pacem tenere, & omnia imitari quæ Deo cognoſcuntur placita. Regi Guillelmo adnuntiatur adeſſe, qui tanti pendebat eum, ut quod Epiſcopis & Abbatibus negaverat, huic conceſſerit, hoc eſt ſuum abſque dilatione conſpectum, & illius ad ſe ſine difficultate ingreſſum. Rogatur itaque Rex ab Abbate, ut illi quæ Etguardi diebus ſancto donata fuerant Richario prædia annuat, & ſuæ auctoritatis præcepto perpetim habenda confirmet. Aderat & is qui eadem contulerat Radulfus cum filio ejuſdem nominis, qui idipſum regiam majeſtatem facere precabantur. Igitur Abbatis & amicorum precibus annuens, tale ſuper eis conſcribi juſſit edictum. In nomine ſanctæ &c.

17. Hæc itaque aliaque perplura modeſtus Pater & ſollicitus nutritor Gervinus ſalubriter procuravit; quibus promeritis adjuvante illo, pro cujus hæc amore gerebat, & cujus Vicarius exſiſtebat, magno ſacerdote & magnifico abbate Richario, ſupernis eum civibus credimus ſociatum. Verumtamen cum multarum ſollicitudinum anxietate premeretur, ſemper recurrebat ad orationem & ſtudium compunctionis, velut nauta ad tutiſſimum portum, ut ſi quippiam dum in ſæculi curis, tamquam marinis fluctibus laborabat, aliqua ſubreptione fuiſſet turbatus, tamquam firma anchora, interna contemplatione iterato ſolidaretur Deo inhærens. Unde etiam loca ſilveſtria & ab omnibus ſegregata appetiit: ad quæ dum rerum ſollicitudine æſtuaret, recurrens, quaſi paradiſi amœnitate recreabatur. In territorio igitur Ambianorum Cellam poſſedit, eo loci quo martyris Gratiani corpuſculum quieſcere perhibetur. In eodem etiam territorio aliam adquiſivit, vocabulo Buliacum, ubi in honore beati Luciani martyris, & ſanctiſſimi Richarii eccleſia habetur. Sed & in ſolo Neuſtriæ, in nemore ſcilicet Augenſi, tertiam habuit Cellam, eccleſiam in honore beati Martini continentem, quam ceteris amplius diligens frequentius viſebat, pſalmorum & laudum ſpirituales jubilos Domino indefeſſe continuans.

18. Quia ergo qualis actore Deo, in rebus eccleſiæ amplificandis fuerit, ex parte monſtravimus, operæ pretium exſtat maxime ſanctitatem boni viri retexere. Quod dum facere ambimus, rem neceſſariam nobis exercere videmur, quia quem erga Eccleſiæ res terrenas bene ſollicitum monſtravimus, quod nonnumquam & pravi imitantur, potius magis habebitur, ſi ejus quanta fuerit ſanctitas recenſeatur, in quo nonniſi vere bonis aliquatenus noſcitur imitandus. Omni igitur vitæ ſuæ tempore, quo ſine incommodo viguit, ut parum ſomni percepit, grabatulo ſeſe excutiens, Pia ejus exercitia.

Digitized by Google

Circa Ann. Ch. mlxxv. Mart. iii. domum orationis intravit, omnes quorumque ſanctorum aras orando & gemendo, genuaque flectendo circuivit, pro ſe & pro ſibi commiſſis, pro amicis quoque, & oratione vel confeſſione conjunctis, proque defunctorum requie precum vota exaggerans, ac pro ſanctæ univerſalis Eccleſiæ ſtatu & augmento, & pace principum, Domino Deo Patri, & Filio ejus Jeſu-Chriſto, ſanctoque Spiritui, laudum & orationum victimas cordis pingues contritione, & lacrymarum commendabiles ubertate, iterum iterumque conſignans: at ubi tali exercitio carnis infirma materies fatigata laſſeſcebat, pauliſper ſe in lectulum dejiciens iterandis laboribus ſe aptabat; cum modica quiete quaſi recreatum ſe ſentiret, iterum exſiliens excubias repetebat. Præter orationum munia & pſalmorum dulciſſimam modulationem hæc attentiſſime obſervabat, ut de ſancta Trinitate, tum de Spiritu-ſancto, poſt hoc de Reſurrectione Domini, atque de ſancta Genitrice Maria, poſt hæc de Angelis, poſtque de ſancto Petro vel omnibus Apoſtolis, ſive omnibus Sanctis nocturnalem & diurnalem canonem, excepto clauſtrali canone cui numquam pæne deerat, quotidie Domino perſolveret. Deinde iterum altaria ſanctorum regyrando conveniens, unicuique proprium & conveniens pſalmi votum concinebat. His autem Deo digne expletis, ſi ſenſiſſet horam eſſe qua Fratres aſſurgerent, ilico refugiens ne ab aliquo æдituorum vel janitorum videretur, ad lectum redibat, ut ſcilicet hæc quæ de eo feruntur bona, quo occultiora, eo firmiora poſſideret. Horam itaque nocturnalis officii eccleſiæ ſigno indicante exſurgebat, & ita ſe quaſi ſopore ſatiatus, & tamquam noctis totius quietem occupaſſet agebat, cum immenſæ vocis gallicinio, illud beatiſſimi Benedicti edictum cuſtodiens: Sic ſtemus ad pſallendum, ut mens noſtra concordet voci noſtræ. (Reg. c. 19.) Quem electiſſimum virum ne quis nos reprehendat gallum vocitaſſe, recurrat quis ad illam beati Gregorii Romani Papæ ſuper verba ſancti Job expoſitionem, ubi dicitur à Domino, Quis dedit gallo intelligentiam; quam dum capacitate ſenſus tenuerit, intelliget profecto galli parabolam, non cuilibet infimo, ſed ſanctæ vitæ virtutibus decorato homini convenire.

19. Intentus ergo divinæ ſervituti Gervinus, numquam feſſus itinere, (Reg. c. 11.) vel detentus infirmitate, niſi forte gravi, omiſit, quin juxta Regulæ mandatum, poſt lectiones xii. Dominicis diebus, vel Sanctorum feſtis habitas, Evangelii lectionem ipſemet legeret; ſicque omnibus officiis præſens, Fratribus exemplum ſobrietatis & ſancti fervoris exhibebat. Cum vero expletis nocturnis laudibus fratres plerique, ſæpe autem omnes, in proprios lectulos ſe reciperent; Gervinus non corporis appetebat requiem, ſed quæ ante nocturnam ſynaxim egerat reinchoans, interſtitium naſcentis auroræ & diſcedentium tenebrarum, precum continuatione, ac genuflexionum perſeverantia occupabat. Et quia veraciter illi dies aderat internus, juxta quod docet Doctor noſter apoſtolus Paulus, Nos qui diei ſumus, invigilemus & ſobrii ſimus: hoc indeſinenti exſecutione profitebatur. His illo ſtudiis intento, ubi dies cum ſolis ſpiculo refulſiſſet, clauſtro ſe recipiens, codicemque percurrens, divini verbi favos ſibi congerebat, quæ in conventu Fratrum revolvens, eos ad ſtudia piæ actionis & correctioris vitæ informabat. Verum ubi ſuam mentem, orationis inſtantia quaſi exhauſtam, lectionis refeciſſet ſancto edulio, ſtatim eccleſiam rediens Miſſarum ſollemnia auro intellectus fulgens, purpura fortitudinis eminens, bis tincto cocco, flamma ſcilicet geminæ caritatis, ardens, & byſſo, id eſt, carnis mortificatione nitens perſolvebat. Diebus vero Quadrageſimæ Domini noſtri jejunio ſanctificatis, major ſibi à ſemet imponebatur auſteritas, devota membra cilicio obvoluta domando, tritico confectum panem rariſſime ſumendo, deputata pro potione modica aquæ quantitate; talique

taliqueutens cibi ſolamine interim poſt triduum reficiebatur. Lecti pompa congeſta vili mattula procul aberat, ſicque dure jacentem non facile ſomnus invadebat, cujus linguam difficile pſalmi finebant. CIRCA ANN. CH. MLXXV. MART. III.

20. Numquam certe cura loci, aut neceſſaria ſollicitudo, aut itineris occaſio, aut corporis niſi maxima ægritudo, pſalmorum ac laudum, ſeu ſupradictorum canonum, obtinere apud illum quiverunt dimminutionem. Si quolibet iter agebat, more ſancti ac beatiſſimi patris noſtri Richarii, aut pſalmi ex ejus ore reſonabant, aut ſalutaris prædicatio, ſeu correctionis admonitio audiebatur. Hoſpitio receptus non coquorum ſtudia vel inventiones quæſivit, illius utique non particeps ſed contemtor, qui deſtruit muros Jeruſalem. Cum comites itineris emenda & paranda vidiſſent, ipſe ſcamno quieſcens Domino vigilabat. Cœna apparata ſi accubuiſſet pranſurus, lectionis auditione, vel divinæ legis meditatione implicari ſtudebat. Hinc jam ſi eccleſia vicina exſiſteret, illo ibat conſuetudinaria votorum tributa à ſemet exacturus; ſi eccleſiæ domus defuiſſet, lecto citius quaſi pauſaturus tradebatur, & operto capite vivifica verba trutinabat. Cumque ſocii itineris peractis neceſſariis ſe cubitum locaſſent, Gervinus velociter abſque ullo ſtrepitu aſſurgebat, & poſito marſupiolo, quod ſemper penes ſe habebat, ſanctorum Reliquiis plenum, illa quæ ſupra meminimus ab eo in monaſterio fieri, orationes ſcilicet & genuflexiones impendebat. Sicque complebatur in illo ille veridicus ſermo quo dicitur, Ubi fidelis anima, ibi & templum Dei. Inter cetera ſane virtutum exercitia, hoc illi quamdiu ſoſpitate viguit, perſtitit immobile, ut vigilia Natalis Domini, vigilia ſancti Paſchæ, atque Paraſceve, vigilia Aſſcenſionis, vigilia Pentecoſtes, necnon ſancti Johannis-Baptiſtæ, ac beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, ſancti quoque Laurentii martyris, atque Aſſumtionis ſanctæ Mariæ, omnium Sanctorum, ac beati Andreæ apoſtoli, omnino à cibo abſtinens, totum ex integro Pſalterium Domino modularet. Et cum tantopere carnem propriam edomaret, tanta alacritate utebatur, ut non eſurire, ſed opulentis eduliis æſtuare inclytum Abbatem ipſa vultus hilaritate putares: quam tamen ſic retinebat hilaritatem, ut nihil levitatis ineſſe appareret, ſervata in omnibus honeſtatis gravitate.

21. Præterea tanta illi erat in convertendis atque ſalvandis peccatorum animabus curæ inſtantia, ut peccaminum faſce oppreſſis mirabiliter compatiens, & concurrens, videretur illius ſpiritu gubernari, qui dixit: *Filioli mei quos iterum parturio.* Non ſolum vero hujus noſtratis patriæ, ſi quos cognoviſſet homines ſceleſtos, corrigebat; ſed etiam Neuſtriam & Flandriam, Galliam quoque & Aquitaniam, necnon Hungariam, pia gyrans ſedulitate, criminoſorumque confeſſiones acceptans, & ſaluberrimis monitis eorum vitam in melius commutans, Evangeliſtæ & Apoſtoli opus abſque nomine perexplebat, illud Dominicum in ſe cunctis portendens edictum: *Poſui te in lucem gentium, ut ſis in ſalutem.* Vidimus perſæpe cum eſſet in Centulo apud glorioſum confeſſorem Richarium, totius diei ſpatium in conclavi abſque omni corporali edulio illum peregiſſe, dum aliis recedentibus, aliiſque ſuccedentibus qui animæ cura indigebant, & quorum ſalutem quærebat, delectabatur, ut cæleſtis archiater, infirmis eorum animabus mederi. Erat enim ſuper hoc officio ei deputata cellula, quam fratres Confeſſionem vocabant, in qua per Dei gratiam in ſe habitantem iſdem vir beatus, multorum hominum ſcelerum enormitate devias, per confeſſionis humilitatem & ſuæ precis interventionem divinæ miſericordiæ reſtituit animas, ſicque revera effici meruit, cui divinus ſermo competenter diceret: *Si feceris dignum ex indigno, quaſi os meum eris.*

Studium erga animarum ſalutem. *Gal.* 4. *Iſai.* 45. *Jerem.* 15.

22. Sed quod umquam bonum non ſecuta eſt ac æmulata invidia? Nam Clerici multi quorum, pro dolor! ſtudium exſiſtebat melioribus invidere, non

Circa Ann. Ch. mlxxv. Mart. iii.

conſiderantes quia lege non ſtringitur ſancti-Spiritus donum, noſtrum Equitium [a] verbis venenatis carpebant, cur abſque Apoſtolici licentia homo non Epiſcopus prædicare auderet; & peccatorum confeſſiones ſeu converſiones, cur præſumtor non ſui officii inquireret, oblatrantes. Hoc nequam rumore, aliquorum animos corrumpentes, id tandem peregerunt, ut Papæ Romani auribus hæc hominis Dei geſta inſonarent: quique cum bonitatis ejus ignarus, voces detrahentium dijudicare nequiret, dedit auctoritatis ſuæ præcepto mandatum, ut homo quem temerarium fama ferebat, ad Sedem apoſtolicam vocaretur, ſuæ præſumtionis, ut dicebant, rationem Papæ daturus. Gervinus itaque edicto Papæ accitus, ovans expetit Romam, ſupernum ſibi non defuturum juvamen confiſus; & ubi à Papa potuit conſpici, ilico reverendiſſimæ vitæ virum ipſa vultus * habudine contuens ipſe Papa, ipſam quæ in illo habitabat magnifice veneratus eſt Divinitatis præſentiam. Denique venienti aſſurgit, ſatiſque humiliter pacis oſculum præbuit: dein jubet ſecum reſidere, &, ut ei ſolitum erat, cæleſtia coram eo verba tractare. Sane cum illi relationem prælibatæ detractionis intimaviſſet, & ab eo an illa quæ dicebantur arripuiſſet, aperiri ſibi popoſciſſet, Gervinus proponit Scripturarum exempla, quæ præcipiebant, eos qui ducuntur ad mortem liberare ne ceſſes. Itemque Jacobus apoſtolus dicit: *Scienti bonum & non facienti, peccatum eſt illi.* Quoniam quidem ergo, ait, domine mi Papa, meæ humilitati boni ſcientiam præſtitit miſericors Deus, jubetis ne ut commiſſam verbi ſcientiam ſubtrahens, cum pigritanti ſervo damnationem incurram pro non diſpenſata pecunia? Simul & conſiderari decet, quod Jacobus item apoſtolus ait: *Si quis converti fecerit peccatorem ab errore vitæ ſuæ, ſalvabit animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* Si igitur peccatores convertens, non tantum illorum animas ſalvo, ſed & pro impenſa caritate, mea quoque peccata diluo, videatur, inquam, an talis operatio ſit cohibenda à ſummo Paſtore, ut ſcilicet non ſit copia cuilibet devoto caritatis exſequendæ. Ille igitur vere Apoſtolicus Pontifex Leo, qui bona non arcere, ſed ſemper augmentare cuperet, tam utilem & tam proficuam intentionis rationem audiens, lætior efficitur. Et quia Ambianorum præſulem, tunc temporis Fulconem, non animarum ſaluti, ſed volucrum captioni, & ferarum venatui ſtudere compererat, tali auctoritate roborat venerandum Abbatem, his eum verbis confirmans: „Nequaquam, amantiſſime frater, ob invidorum ſuſurria vel detractationes, tantam pereuntium animarum conſolationem deinceps refugies operari, quo & Dominicæ vineæ fructus te cultore accreſcat, & te pro impenſis laboribus Chriſti Domini gratia comitetur, abſque dubio æterna mercede quandoque munerandum. Ecce auctoritate Domini noſtri, & beati Petri apoſtoli, ac noſtra non ſolum auctoritate, ſed etiam deprecatione concedimus & imperamus, te in recipiendis ſceleſtorum confeſſionibus, & tradenda pœnitentia, noſtri officii participium tenere; ut quæ ligaveris, Chriſti Domini auctoritate ligata; & quæ ſolveris, ejuſdem Domini miſeratione ſint ſoluta. Hæc dicens ſanctus Papa, ſimul & ſandalia offert, jubens ut his Gervinus utatur; ut qui prædicationis exercebat ſtudium, prædicatoris inſignibus ornaretur. Venerabilis tamen Abbas cuſtos veræ humilitatis, eadem ornamenta recuſavit, dicens, ſibi ſufficere ſolam Apoſtolicæ licentiæ auctoritatem ad exercendam circa infirmas animas divini verbi ſtipem. Multimodo igitur favore Pontificis auctus regreditur, & cœptum Domini opus, quo liberius, eo melius latiuſque reincipit exercere.

Apud ſummum Pontificem accuſatus.

* *f.* habitudine.

Purgatur Romæ.

Sandaliorum uſu donatur, quem recuſat.

[a] S. Equitium in provincia Valeriæ Abbatem, apud ſummum Pontificem pariter accuſatum fuiſſe, quod temere verbum Dei prædicaret, teſtis eſt Gregorius M. lib. 1. Dialogorum cap. 4. ad quem locum Chronographus alludit.

23. Verum quia ſe præbuit occaſio, æquum valde putamus breviter iſtic ſcribere, ille de quo fuit mentio, qualis quantuſque fuerit Leo * papa, natione Teutonicus, parentum excellentiſſima nobilitate præfulgens, & cæleſti viſione denuntiatus antequam natus, in Lotharingia mundo proceſſit. Qui ſacris litteris atque liberalibus ſtudiis accuratiſſime eruditus, & per omnem pueritiam, juventutemque & adoleſcentiam, timoratæ mentis honeſtatem conſervans, electione cleri & populi, eccleſiæ Tullenſi ordinatus eſt Epiſcopus, cum jam ei propinqui, viri imperiales, de Romano Apoſtolatu ei conferendo tractarent. Sane quoniam cum nobilitate parentum non deerat ei ſanctiſſima claritas morum, non recuſavit homo inclytus pauperculæ civitatis curam ſuſcipere; immo obtentu majoris evitandi honoris, ad hanc facile deductus eſt. Et cum epiſcopus eſſet Tullenſis opidi, electione pontificum cum Imperatoris aſſenſu, in Romanum levatus eſt pontificem: & quia antea vocatus fuerat Bruno, propter Papatum vocari meruit Leo, qui tanta mentis puritate virtuteque viguit, ut per illius merita Domino omnipotenti placuerit miracula magna patrare. Quia etiam cum beatiſſimi Remigii Remorum pontificis eccleſiam dedicare veniſſet, venerabilem Gervinum, ut ejuſdem confeſſoris corpus efferret, cum aliis tribus æque ſanctis viris delegit.

Circa Ann Ch. MLXXV. Mart. III. Leo IX. Papa.

24. Gervinus itaque, Deo auxiliante, laudabili vitæ operosè inſiſtens, & populis Chriſtianis verbi divini ſemina pandens, quæ ſunt cavenda intimabat, & quæ amplectenda edocebat. In tantum vero bona illius converſatio Deo complacuit, ut etiam miraculis dignaretur declarare illius devotionem. Nam quodam tempore, ut quemdam iter faciens locum devenit, ubi audita fama ſancti Abbatis, ſic enim vocabatur à populis, quædam ægrota advenit, quæ publice cœpit omnibus referre, quid ſibi divinitus eſſet inſinuatum, quia ſi hujus venerandi viri benedictione potiretur, continuo ſoſpitatem mereretur; ſed cum vir Domini non adeſſet, nam à fidelibus abductus, eadem hora animarum morbis conſulebat in remoto, illa quam dira angebat calamitas, in Dei nomine popoſcit, ut ejus virga paſtoralis, quam vulgus crociam vocat, & quæ pro more ſummotenus curvabatur, dilueretur aqua, indeque potus ſibi conferretur. Tunc monachus ejuſdem virgæ cuſtos & bajulus, qui & hodie, dum hæc ſcribimus ſupereſt hæc ipſa teſtificans, nomine Radulfus, admirans fidem illius, precibus ejus annuit. abluta ergo crocia, cum illa aquam ablutionis potaſſet, Deo volente qui ſuos ſervos mirificat, omni malo ſalvata eſt.

Ægrota Gervini meritis curatur.

25. In caſtro quoque Augenſi *, quod ſitum eſt in ipſo Neuſtriæ ingreſſu, aliud pro ejus meritis Chriſtus Dominus peregit ingens prodigium. Nam cum illo adveniſſet aliquando Gervinus, erat ibidem quidam puer, nomine Odelricus, qui litteris diſcendis inſudabat. Hic vi febrium irretitus, quid de ſe agere poſſet neſciebat. Verum ubi comperit ſanctum Abbatem adventaſſe, ſpe certi remedii ſuffultus adiit ejus familiares, precatur & obſecrat, ut aqua qua ſancti hominis manus ablutæ forent, ſibi ſorbenda daretur; at illi pietate obtenti, precatis obediunt. Lavat Abbas manus, illi aquam reponunt: qua infirmus percepta & bibita, nulla interveniente mora, omnimoda caruit febre. Sane hic ODELRICUS hodieque vivit, & apud Corbeïam monachi & Abbatis habitu vel honore potitur.

* Eu. Item puer febre laborans.

26. Igitur abbas bonus in boni loci reparatione vel cuſtodia, ſtudioſa curioſitate pervigilans, diruta reſtruere, exſtructa conſervare, & aptis regimentis munire inſiſtens, animarum quoque ſaluti devotiſſime conſulens, regni cælorum ſibi ingreſſum aptabat. Inter cetera vero quæ loco noſtro contulit, multorum librorum copiam ad ædificationem ibi Deo ſer-

* Leonis IX. Papæ vitam edidimus ad annum MLIV.

CIRCA ANN. CH. MLXXV. MART III. Libris bibliothecam inſtruit.

vientium præparavit. Et quia hæc ipſa quæ condimus ad hoc ſcribuntur, ut futuri horum incitentur exemplis, utile credimus apponere de eiſdem quæ venerabilis Gervinus nobis contulit voluminibus notamina. Epiſtolas Ignatii, Eccleſiaſticam hiſtoriam Euſebii Cæſarienſis, Ambroſii Apologiam de David, de Joſeph, de Noë, de Abraham, Ambroſium de Trinitate ad Gratianum imperatorem, item ad eumdem de Spiritu-ſancto, Ambroſii Paſtoralem, Ambroſium de Sacramentis, de obitu Theodoſii, contra Auxentium, de baſilicis tradendis, de ſanctis martyribus Gervaſio & Prothaſio depoſitis & inventis, Ambroſium de morte Satyri, de Incarnatione Domini, & alia quædam ejuſdem. Gregorii Nazianzeni Apologeticum; ejuſdem de Epiphaniis, de Pentecoſte, in ſemetipſo de agro regreſſo, de Jeremiæ dictis, de grandinis vaſtatione. Hieronymum, Virorum illuſtrium, Epiſtolas Hieronymi, Hieronymum ſuper Zachariam, Hieronymum ſuper Iſaïam. Auguſtinum ſuper Johannem vol. I. Auguſtinum contra quinque hoſtium genera, de ſancta Virginitate I. de bono conjugali, ad Simplicianum epiſcopum de diverſis quæſtionibus, ad quemdam Comitem. ad Paulinum Nolenſem, de cura pro mortuis, Auguſtinum ſuper Pſalterium vol. III. Auguſtinum de natura & origine animæ, Auguſtinum de conjugiis adulterinis, Auguſtinum de jejunio Sabbati, Auguſtinum de Symbolo, Auguſtinum de quatuor virtutibus caritatis, de cantico novo, de ultima quarta feria, de cataclyſmo, contra Felicianum, de tempore barbarico, de Trinitate, de decem chordis, de quantitate animæ, ad inquiſitiones Januarii, de ſollemnitate paſchali, de Paſtoribus, de ovibus, de perfectione juſtitiæ hominis, contra mendacium; item Auguſtinum de mendacio, item Auguſtinum de avaritia & luxuria, de prædeſtinatione ſanctorum, de doctrina Chriſtiana, de agone Chriſtiano, de vita Chriſtiana, de diſciplina Chriſtiana, de gratia novi Teſtamenti, Confeſſionum ejuſdem libros XIII. Retractationum, de Hæreſibus ad Quod-vult-Deum epiſcopum, de caritate ſuper Epiſtola Johannis apoſtoli, Enchiridion, contra Judæos, Sermones ejus. Johannem Chryſoſtomum de Compunctione cordis; ejuſdem, Quod nemo poſſit ab alio lædi, niſi à ſe prius fuerit læſus, de Reparatione lapſi, de Pœnitentia, Librum Laurentii de tribus temporibus pœnitentiæ. Item Johannem Chryſoſtomum de Converſatione vitæ, de oratione Dominica, de pſalmo quinquageſimo. Regiſtrum beati Gregorii Papæ, quintam partem & ſextam Moralium ejus in Job, Homelias ejuſdem ſuper extremam partem Ezechielis prophetæ. Codicem de Canonibus. Paſchaſium de corpore & ſanguine Domini. Tripartitam hiſtoriam. Codicem magnum de paſſionibus & geſtis ſanctorum Apoſtolorum, & plurimorum Martyrum cum vita ſancti Mauri. Vitas ſanctorum Patrum eremitarum. Vitas ſanctorum Baſilii, Remigii, Vedaſti, Furſei, Ambroſii, Lupi, ſanctæ Mariæ, Germani Autiſiodorenſis, Romarici, Auguſtini, Hieronymi, Amandi, Guandregiſili, Audoëni, Anſberti, Mariæ Ægyptiacæ, cum Tranſlatione beatiſſimi Benedicti in I. volumine. Item vitas ſanctorum Richarii, Auguſtini, Hilarii, Columbani, Fulgentii, Medardi, Firmini, Salvii, Bertini, Bavonis, Vitoni, Martialis, Severini, Felicis; ſimul & paſſiones ſanctorum Hermagoræ epiſcopi, Georgii, Blaſii, Mennæ, Theodori, Lamberti, Timothei & Apollinaris, Perpetuæ & Felicitatis, Anaſtaſiæ, Sabinæ, cum vita ſanctæ Genovefæ in uno volumine. Hæc omnia venerabilis Gervinus in XXXVI. voluminibus compingens, gravi & inabſolubili anathemate condemnavit quicumque ea ſancto loco demere, & qualibet occaſione ſubtrahere auderet. Non ſolum librorum, ſed & palliorum, ceterorumque quæ vel ipſe aggregarat, vel à ſuis anteceſſoribus aggregata invenerat, ornamentorum perpetualiter excommunicavit fraudatorem.

Digitized by Google

CIRCA ANN. CH. MLXXV. MART. III.

S. Angilberti corpus reperit.

17. Enimvero quoniam illo tempore domni & ſancti ANGILBERTI [a] abbatis tumulus certiſſime non ſciebatur, & ob hoc nullo terreno honore potiebatur, quamvis ejus celeberrima memoria in ore univerſorum Francicorum vel Pontivorum, atque aſpectu egregii templi quondam ab eo fundati reſplenderet, ſtuduit venerabilis Gervinus, quibus poterat conatibus, ejuſdem ſancti viri corpus perquirere, quo, ſi Dominus ejus votis annueret, poſſet illud condigno exaltare honore. Denique quodam tempore, ivit cœnobium Gorziam [b], quod eſt ſitum in confinio Mettenſis civitatis, ubi inventum codicem, qui de ejuſdem ſancti viri, aliorumque noſtratum Abbatum geſtis aliqua retinebat, ab illis fratribus mutuavit, Centulam detulit; in quo ſcilicet repertum eſt, quomodo ſanctus Angilbertus, terreni corporis molem relinquens, XII. Kalend. Martii tranſivit ad gloriam. Et quia ab eo tempore, quo ſub Guaramundo pagano combuſtum fuit monaſterium, uſque ad hanc cognitionem, Centulenſes monachos diem tranſitus ejus latuerat: magno iidem Fratres exhilarati ſunt gaudio, ob quod diem cognoviſſent, quo tantus vir pro vitæ virtutumque merito honorari deberet. Igitur Gervinus, qui merito vir deſideriorum dignus eſt dici, cupiens, ut dictum eſt, eumdem ſanctum dignius honorare, cœpit perquirere ad fores eccleſiæ, quo compererat illum primo tumulatum fuiſſe, ſanctam corporis ejus glebam; & illius quidem non ibi corpus invenit, ſed in eodem quo pauſaverat ſarcophago, invenit lecticam ligneam coriatam domni NITHARDI filii ejus, abbatis & Comitis, corpus continentem ſale perfuſum: in cujus capite videbatur illa percuſſura, qua eventu prœlii fuit occiſus. Recludens itaque eumdem tumulum, aliorſus eum quærere cupiebat, ſed quo quæreret neſciebat, niſi potentia divinæ Majeſtatis, per quemdam monachum in hac re eum direxiſſet. Nam perſuaſit ille frater, nomine Theudoaldus, ſæpefatum ſanctum inveſtigari debere in ingreſſu chori à parte occidentali, ubi videlicet in ſuperficie pavimenti ſcriptum habebatur: REX. LEX. LUX. PAX. Hæ autem quatuor partes in illius antiquo Epitaphio, primæ fuerunt & ultimæ, & harum monoſyllabarum partium ratione, affirmabat idem Teudoaldus oportere conſiderari, quoniam ille qui ipſum repoſuerat, ob hoc ſuper illum has Epitaphii ejus ſyllabas cenſuit deſcribi, ut earum ſimilitudine quærenti innueretur, quo ſancti corpus Angilberti quieſceret. Venerabilis Gervinus hæc audiens acquievit; & quod anhelanter ſitiebat, ſanctum Angilberti abbatis corpus invenit. Eadem vero hora qua repertum & diſcoopertum eſt, mirificæ ſuavitatis odor emanavit, & non ſolum hi qui ibi aderant ſuaviſſimo afflati ſunt odore; verum & omnes qui in ipſa erant quovis loco eccleſiæ, admirabilem fragrantiam perſenſerunt, in tantum, ut hodieque teſtetur domnus Radulfus, cognomento Benignus, quod eadem inventionis hora ſuper valvas cryptæ ſedens & ſcribens, dulcifluo ſit refectus odore. Erant vero ipſa ſancta oſſa confuſo ordine conglomerata, pallioque viridi obvoluta; unde certum eſt poſt Ribbodonem [c] abbatem, qui eum integrum tranſtulerat, ab aliis fidelibus timore paganorum itatenus eum fuiſſe repoſitum. Inventi autem ſancti theſauri gaudium illa fuſcabat ratio, quod nullum ſcripturæ vel chartæ indicium reperiebatur, quæ illud Angilberti fuiſſe corpus teſtaretur, ſed piæ Abbatis vel Fratrum curioſitati divina cito providentia conſuluit, quæ ſupranominati fratris Teudoaldi cordi immiſit, ut ejuſdem Sancti caput accipiens curioſo oculo rimaretur; quod dum fa-

a Ejus elogium, vitam, &c. ſuo loco dedimus ad an. 814. Sæc. IV. parte I. p. 91.

b De Gorzienſi cœnobio fuſius egimus Sæculo præcedenti ad annum 973. quo edita eſt B. Johannis ejuſdem loci Abbatis vita.

c Tranſlationem ſancti Angilberti à Ribbodone factam deſcribit Hariulfus Chronici ſui lib. 3. cap. 5. Ribbodo vivere deſiit anno 844. ex eodem auctore. Porro nuper cum reſtauraretur eccleſia Centulenſis, detectum eſt B. Angilberti corpus, quod è terra levatum eſt, & fidelium venerationi expoſitum in theca ſervatur.

Circa Ann. Ch. mlxxv. Mart. iii.

ceret; invenit in repagulo narium brevem membranulam, qua omnis dubietatis anxietas ablata eſt. Si quidem eadem paginula aperte manifeſtavit veritatem, dicens hoc eſſe corpus ſancti Angilberti abbatis. Sic quæ cupiebat venerandus Paſtor adeptus, eumdem ſanctum cum honore relocavit, ſemper deinceps celebrari ejus memoriam inſtituens. Sancti quoque confeſſoris Caydoci, ſociique illius corpora à terra levavit, & eorum reliquias decentius collocans, fidelibus populis honorandas cenſuit.

In lepram incidit.

28. Poſtquam venerabilis Gervinus mundum in maligno poſitum, ſuæ ſanctæ vitæ illuſtrarat exemplis, poſtquam multas peccatorum animas ſanctis monitis inſtruendo, de perverſitate traxerat ad correctionem, & de fauce diaboli erutas, Chriſti omnipotentis reſignaverat gratiæ; poſtquam almiflui confeſſoris Chriſti Richarii eccleſiam fratrum numero & religioſitate, ædificiis, libris, palliis, auro & argento, variiſque decorarat & augmentarat ornamentis; cum & omnium populorum laude ac præconiis attolleretur, & ejus ſacer ac immaculatus cœlibatus omnibus ſanctæ Eccleſiæ membris appareret mirabilis, volens pius Pater Deus eum ſibi omnimodis aptare, ut juxta vocem Prophetæ, omnis illius ad purum excoqueretur ſcoria, morbo lepræ eum perculit, ut ſi quippiam minus in Dei peregiſſet ſervitio, in iſta vita reciperet: vel ſi aliqua pro bene geſtis laudis humanæ eum cupido vulneraſſet; ſimiliter purgaretur. cujus mali ut primam potuit ſentiſcere originem, non putans fore inextricabilem illam infirmitatem, medicorum ſibi ſtuduit adhibere peritiam, quo, Deo annuente, infirmitatibus animarum adhuc ſuccurrere non præpediretur. At ubi recognovit ſe à Patre benigno irrevocabiliter, quantum ad carnem, percuſſum, totis præcordiis in Deum refuſis, magnas gratias ſuo rependebat flagellatori, indeſinenter exorans Dei pietatem, ut hæc corporis moleſtia, ad animæ proficeret ſempiternam ſalvationem. Igitur cum, ut omnibus notum eſt, ille talis morbus ei abſtuliſſet vocis facultatem, non tamen omittebat quin ea omnia compleret, quæ ſupra ſignavimus ab illo geri, id eſt, prolixitatem orationum, genuflexionum continuationem, ſacrarum ædium circuitionem, ſacrorumque canonum de ſancta Trinitate, de Spiritu-ſancto, deque ſancta Maria, de omnibus ſanctis expenſionem. Et cum ad cibum ſumendum, ad requiem capiendam præ infirmitate deficeret, ad hæc omnia divini officii obſequia deficere neſciebat. Idem ſemper in orationis aſſiduitate, in Pſalmorum recitatione, in exhibenda Fratribus admonitione exſiſtebat, præter quod infirmitatis qualitas à cœtu Fratrum eum aliquando ſegregari cogebat. Verum cum ipſe ſemet hac ratione volens arceret, illorum tamen quos educarat dulci affectu, ut pater bonus, piaque ſedulitate vallabatur.

Succeſſorem à Rege impetrat Gervinum nepotem.

29. Latius ergo latiuſque aggraveſcente ipſo languore, cum agnoſceret ſe non prævalere ad conſervandam curam animarum, valetudine præpediente, advenienti fortuito regi Francorum, tum juveni Philippo, ſui allegavit cauſam languoris, orans ut monaſterio, quod ipſe pro poſſe bonis ampliarat, talis daretur paſtor & cuſtos, qui congregata non diſgregaret, ſed diſgregata noſſet unire: flagitavitque ut pius Princeps cederet ſuo regimen nepoti, quem & dicebat ad tale opus ſat eruditum; qui erat ſancti Remigii monachus, nomine Gervinus. Et quia omnes qui eum noſſe poterant, non illi obedire, uti ſancto viro putabant ſacrilegum; Rex præfatus annuit, & ut ſuus poſt ſe regimen obtineret nepos conceſſit. Anno igitur Dominicæ Incarnationis mlxxi. finiente menſe Octobri, die x. Kal. Novembris, Ind. viii. ordinatus eſt ſecundus Gervinus Centulenſis monaſterii abbas.

30. Reverendiſſimus autem avunculus videns ſe magis ac magis viribus corporis deſtitui, & magni languoris urgeri gravamine, ac per hoc diem

Digitized by Google

mortis non multum differendum ſentiens, indefeſſe Domini precabatur ſibi quantocius miſericordiam advenire. Anno quoque ſuæ ægritudinis quarto, fervente nimis ſæpe fato malo, ita anguſtiatus eſt, ut fiſſis & partitis naribus & labris, ceteraque cute in hiſpidam verſa faciem, vix poſſet verbum formare. Sed cum infatigata divini verbi meditatio in eo permaneret, duobus fratribus, aut ſæpe uni, jubebat ea omnia coram ſe adimplere, quæ dudum meminimus illum valentem omnia perſolviſſe. Evenit autem intrante Dominicæ Nativitatis anno MLXXIV. Ind. XI. ut ſecunda die menſis Februarii, qua Domini noſtri Jeſu-Chriſti ab intemerata Virgine Matre celebrata in templum oblatio, & juſti Simeonis perfecta eſt exſpectatio, ex devotione quæ apud illum numquam friguerat, Miſſam faceret in crypta noſtræ Dominæ ſanctæ Mariæ, in qua ſolito acerbius dolore anxiatus, vix valuit inchoata myſteria perficere. quibus tamen per Dei gratiam, quæ in illo commanebat, rite peractis, nimio angore fatigatum, dextra lævaque ſuſtentando ad cubile Fratres reducebant: cum ſubito inter mæſtorum filiorum colloquia, hæc ipſe admiſcuit verba: Noveritis, ô dulces filii, me hodie à Domina noſtra ſancta Maria accepiſſe licentiam abeundi. Illis interrogantibus quorſum ire deberet. Ubi, ait, ſemper cupivi, & pro quo Dei pietatem ſemper precatus ſum. Fratribus vero dicentibus adhuc illum vivere poſſe, & Domino omnipotenti ſacrificia ejus manibus fore offerenda, ſubjunxit inquiens: Numquam amplius frater Gervinus Miſſam cantabit. Exin quotidie in majus excreſcente dolore, affatim decubuit. Superveniente autem Quadrageſimali obſervatione, in ipſa feria IV. quam caput jejunii vocat conſuetudo Eccleſiæ, convocavit fratres natu majores & ſacerdotii gradu ornatos, & quantocumque anniſu valuit exſurgens aſſedit, illiſque coram tum demum ſic ora reſolvit: Ut beatus Germanus fratribus Coepiſcopis dixit [a], ſic & ego, filii, vobis dico. Commendo vobis, cariſſimi, tranſitum meum, ſentio enim proximare horam, qua diu à Domino exquiſita mihi ſalus proveniet. Et hæc meæ ſemper fuit orationis intentio, ut in his ſanctis diebus qui modo ſuperveniunt, meum miſericors Deus obitum fieri imperaret; verum quia, ut confido, meis fauturus eſt votis, volo vobis in conſpectu Domini confiteri mala quæ feci, & de quibus animæ meæ timeo, credens quod hæc confeſſio, pietate Domini præeunte, & veſtro interceſſu adjuvante, me mundabit. His ab eo dictis, & Fratribus ubertim lacrymas fundentibus, recitavit coram illis gravia quædam, & quæ numquam eum feciſſe noverant omnes. Denique octo [b] principalibus vitiis ſeſe onuſtum denuntians, in mirum redegit Fratres ſtuporem, qui ejus ab infantia cœlibatum vitæque innocentiam compererant. qui & dicebant, Ut quid, bone pater, taliter te incuſas, cum manifeſtum ſit te non feciſſe quæ adſtruis. certe homicidium, adulterium non perpetraſti. Quibus ipſe reſpondit: Parcite, fratres, parcite quæſo, & meam animam nolite gravare. nam ſi ſub mea cura aliqui perierunt, quod fortaſſe omitti non potuit, profecto in Dei judicio pro eorum animabus reus tenebor. De adulterio autem, audite quid Chriſtus veritas dicat: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mæchatus eſt eam in corde ſuo.* Fieri autem non potuit, ut non hac aliquando illectus fuerim laſciviæ voluntate; ob hocque ita reus exſiſto quod voluerim, ac ſi opere perfeciſſem. Hæc & alia ſe incuſando exprobrans, commendavit Deo & eorum precibus ſui exitus tutelam.

31. Intrante igitur ſacri jejunii conſuetudinaria obſervatione, grabato tenebatur, ablata omnimoda canendorum pſalmorum, vel quippiam lo-

Circa Ann. Ch. MLXXV. Mart. III.

Anno 1074.

Peccata ſua confitetur ſacerdotibus.

Extremus morbus.

[a] In ejus Vita per Conſtantium lib 2. cap. 19.

[b] Septem vitia, ut vocant capitalia, vulgo tantum enumeramus, plerique tamen veterum maxime è Græcis octo enumerabant. Vide ea de re Caſſianum in Inſtitutionum libris.

Circa Ann. Ch. mlxxv. Mart. iii.

quendi poſſibilitate, & tamen curſus ſpiritales coram eo inceſſanter recitabantur; nec enim omiſit, quin, uti valens aſſueverat, omni die Quadrageſimæ, totum pſalterium per unum è fratribus, quia per ſe non poterat, decantaret. Fratres ergo videntes eum jamjam in mortem reſolvi, juxta ſancti Jacobi apoſtoli mandatum, oleo benedicto perungentes eum, valde alacrem tali obſequio effecerunt. Interrogatus vero ubi vellet ſuum corpus ſepeliri, nullum locum voluit deſignare, hoc in eorum collocans arbitrio. Sed cum amplius à fratribus flagitaretur, ut ſepulturæ locum ipſe ſibi deſignaret: Dicerem, inquit, vobis meum ſuper hac re velle, ſed vos non illud impleretis. Tunc fratres qui revera eſſent parati, in quocumque quamvis ſancto eum ſepelire loco, omnino ſe impleturos quæ juſſiſſet ſpoponderunt. Et ille ait, Scio, inquit, quia non facietis; verum ſi faceretis magnum mihi proveniret inde ſceleſto remedium. Nectentes pedi meo reſtem, trahite me, & projicite in ſterquilinium in medio platearum, quia non meliori dignum me credo ſepulcro. Hæc fratres audientes, iteratos planctus continuant. Oravit autem, ut quacumque hora exitus ei advenisſet, ſtatim intra ſancti Richarii baſilicam eum ferrent, ſpiritum Deo inibi redditurum. Jamque ſacri jejunii evoluta fuerat prima ſeptimana, & ſecunda ducebatur, cum ecce venerabili Gervino, & utique jam beatificando imminebat ſalutaris tranſitus. Nam feria tertia ſecundæ hebdomadæ, quæ habebatur v. Nonas Martii, poſt finitos Matutinos, fratres ſolliciti eum viſerunt, inveneruntque eum extremum flatum trahentem. Innuebant ergo alterutrum quod moreretur: quod ipſe adhuc ſentiens, manu propria innuit eis ut ferretur in eccleſiam. At fratres eum accipientes ſuſtulerunt, & ſtrato cilicio, ante ſancti Johannis-Baptiſtæ, quod vicinum erat, altare poſuerunt. Dein oppoſito obtutibus ejus crucifixi Domini ſigno, & ſuper pectus ejus poſito Reliquiarum, uti ipſe diſpoſuerat, ſaccello, Congregatio tota inchoavit Litaniæ ſupplicationes, ſanctos Dei ut ei ſuccurrerent invocantes, à quibus cum dicebatur; *Sancta Maria ora pro eo*, ipſe qui jam fuerat in morte compoſitus, tetendit manus, orans & ipſe, *Sancta Maria ora pro me.* At ubi ventum eſt ut diceretur, *Sancte Richari ora pro eo*, abſque omnium ſpe mirabiliter ſe ſurrigens, manuſque altius protendens, lacrymando clamavit, *Sancte Richari ora pro me.* Poſt hoc quietior factus, cum Fratres Litania finita, & initiata commendatione fideli, illo uſque veniſſent ut dicerent, *Suſcipiat te Chriſtus*, ille ad hæc verba ſpiritum efflavit. Quod ubi innotuit, inedicibilis & infinitus ſubito Centulam omnem mæror excepit. flebant viri obitum tanti Paſtoris, matronæ vociferantes cum crinium evulſione ſancti Abbatis hominis Dei mortem dolebant. Nec mora, ruit omnis provincia Pontivorum ad exſequias viri Dei, & conſideratione tanti obſequii, omnis neceſſitas mox abdicatur. Conveniunt in baſilicam, & vere deſolatam domum elatis vocibus plangunt. O, inquiunt, ſancte Richari, cur talem tui honoris, tam cito ſiviſti mori amatorem? Bone confeſſor, cur non tam bonum tibi reſervaſti famuliſque tuis conſervatorem? Sic viri, ſic feminæ, ſic nobiles ignobileſque, optimi viri mortem lugebant.

Pius obitus.

32. Nudato itaque ad lavandum corpore ejus, tanta enituit gratia membrorum, ut ipſam cutem non putaretur quilibet morbus umquam fœdaſſe. In ipſis autem genitalibus tantus virginei honoris decor apparuit, ut non tam virilia quam venerabilia ſeptennem puerum imitarentur. Ex aſſiduitate autem genuflexionum, in poplitibus ſeu cubitis inventa eſt obdurata cutis excreviſſe; & qui ejus ſtudia, vitamque neſciſſet, hujus conſideratione rei contemplationi divinæ ejus ſemper hæſiſſe animum liquido cognoviſſet. Componentes ergo ipſa ſancta oſſa, nam carnes tam abſtinentia, quam morbo defecerant [a], tulerunt in potiorem locum eccleſiæ, devotis excubiis,

[a] Quæ ſequuntur, alia manu, licet antiqua, deſcripta ſunt.

excubiis, uti mos eſt, animum Deo commendantes. Miſſarum itaque ſollemniis ab Abbatibus, & à cunctis qui adfuerunt ſacerdotibus, copioſe expletis, ſepultus eſt ſervus Dei Gervinus, abba venerabilis, ante altare beatæ Mariæ in crypta orientali, cum univerſorum, id eſt, Comitis Guidonis, Abbatum, Procerum, Militum, vel generalis vulgi gemitu & dolore. Guido ſane Comes Pontivorum indulgendo remiſit pro illius amore omnes conſuetudinarias exactiones, quæ ſibi debebantur in Nova-villa: Super ſanctam, inquiens, ſancti Gervini tumbam hoc donum do. Geſta ſunt hæc Centulo, anno Verbi incarnati MLXXIV. Ind. XI. regnante Philippo Francorum rege anno XIV.

CIRCA ANN. CH. MLXXV. MART. III. Sepultura.

EPITAPHIUM.

Epitaphium

Inclytus iſte Pater, dæmon per quem ruit ater,
  Hos pius in populos, dormit in hoc tumulo.
Ardua rectarum ſcandens qui rite viarum,
  Corporis aſſiduus martyrizator erat.
Regula virtutum, rectorum lux monachorum,
  Exſtitit à puero, corpore virgineo.
Tunc ſic florentem, ſtudioſe juſta docentem,
  Mars tua tertia lux abſtulit, itque redux.

DE B. EBERHARDO, EX COMITE Nelleburgenſi, monacho Schaffuſæ.

CIRCA ANN. CH. MLXXV. APRIL. VII.

I. *HABEMUS apud Bollandianos die 7. Aprilis beati Eberhardi vitam, ex Helvetia-ſacra Johannis Mureri Carthuſiani, Latine redditam à viro erudito Daniele Papebrochio, quam idem Murerus ſe ex veteri quodam chronico manuſcripto Schaffuſiani monaſterii hauſiſſe ſcribit. Verum cum in iſta lucubratione navi paſſim occurrant, qui nonniſi ope ipſius Chronici, quod nobis ſicut & Papebrochio videre non licuit, detergi poſſunt, viſum non eſt nobis operæ pretium huc eam deſcribere integram, ratis ſufficere, ſi in tanta monumentorum certorum penuria, ea quæ nobis veri ſimiliora videntur, tum ex laudata Mureri vita, tum ex aliis vulgatis auctoribus lectorum oculis exhibeamus.* Eberhardi vita.

2. *Eberhardus Eppone comite Nellemburgenſi patre, & matre Hedvvige, ſancti Stephani filia, proindeque ſancti Henrici imperatoris ex ſorore Giſila nepte, natus dicitur apud Murerum. Sed obſervat Papebrochius, Hedvvigem apud Stumphium in Chronico Helvetiorum libro 5. capite 17.* regia quidem ſtirpe prognatam *dici, at nihil ibi de ſancto Stephano haberi. unde merito Murerum reprehendit, quod cum ex Stumphio hanc Eberhardi genealogiam ſe accepiſſe dicat in ipſo narrationis initio, in tantum ſcopulum impegerit. Stumphius vero ſuam de Eberhardi parentibus narrationem ſe ex Chronico Augienſi depromſiſſe ſcribit. Hedvvigem Toxonis Hungariæ regis filiam non ſemel appellat Bucelinus. qui etiam in Germania ſacra, ubi de monaſterio Omnium-ſanctorum, Eberhardum ait fuiſſe Leonis IX. Papæ Dasburgenſis comitis cognatum. Ejuſdem feminæ pietatem miraculo comprobatam narrat Murerus in vita laudata. Cum enim ſingulis noctibus à lecto ſurgere ſoleret ad pſalterium recitandum, quadam nocte, ipſa profundius dormiente, ſurrexit Eppo ejus maritus, ac ejus librum in ignem projecit, ſed codex die ſequenti ſuper prunas poſitus omnino illæſus inventus eſt. qua occaſione Eppo, qui antea ſæcularibus curis omnem ſuam* Parentes.

CIRCA ANN. CH. MLXXV. APRIL. VII.

operam dabat, ad meliora converſus, uſque ad vitæ finem piis in exercitiis perſeveravit.

3. *Paullo poſt natum Eberhardum Eppo exceſſit è vita; Hedvvigis vero de pia & religioſa filii ſui educatione potiſſimum ſollicita, eum Lupardo cuidam ſacerdoti, viro gravi & pio, inſtituendum credidit. Demum cum jam Eberhardus ex Itta uxore ſibi adſcita aliquot filios procreaſſet, pia mulier Hedvvigis, relictis omnibus ſæcularibus pompis, ad cæleſtia animum prorſus tranſtulit, ſeceſſitque in diœceſim Moguntinam, ubi ædificato apud Scuvabenheim nobili virginum Ordinis noſtri monaſterio, in monaſticæ vitæ quam profeſſa eſt exercitiis reliquum vitæ ſuæ tranſegit. Piæ matris exempla Eberhardus in ſæculo poſitus, quantum ei fas erat, imitabatur, nec repugnabat ejus uxor Itta, piiſſima etiam femina, ex qua, teſte Murero, ſex filios ſuſcepit. Ex his celebriores fuere Otto ſeu Odo, vel, ut alii eum appellant, Utto ſive Udo, poſt Chunonis ſeu Cunradi archiepiſcopi Trevirenſis necem, ad hanc ſedem evectus anno* MLXIV. *Cujus laudes egregias Brouverus Annalium Trevirenſium libro* 12. *proſequitur. Hunc tamen Eberhardi fratrem, non filium eſſe contendunt nonnulli, ſed abſque legitimo fundamento. Priorem ſententiam tuetur Trithemius in Chronico Hirſaugienſi novæ editionis. Alter Eberhardi filius dicitur à Murero Eggehardus, qui è monacho Augiæ, ut vocant, Divitis, ejuſdem loci abbas factus dicitur anno* MLXXI. *poſtea, ut Bucelinus ſcribit in prima parte Germaniæ ſacræ, Auguſtanus epiſcopus à Guelfone duce evocatus anno* MLXXXIX. *deceſſit in itinere, ſeu potius in proprio monaſterio, quo ſeſe, ut refert Bruſchius, letali morbo correptus deportari juſſerat. Albanum, Stumphio Aldabertum, tertium Eberhardi filium appellat Murerus, quem, poſt duos, quorum nomina exciderunt, ſecutus eſt Burchardus, qui in paterno Comitatu ſucceſſit. Nam cum Eberhardus poſt varia, pro illorum temporum more, ſuſcepta pia itinera, in quibus etiam miraculis nonnullis claruiſſe dicitur, monaſterium Schaffuſæ in Salvatoris Domini noſtri Jeſu-Chriſti, & omnium ſanctorum honorem conſtruxiſſet, abjecta prorſus omni ſæculari cura, in illud ſe recepit.*

Ejus uxor. — Filii. — Monaſterii condit.

4. *Schaffuſiani monaſterii initia ad annum circiter* ML. *revocat Trithemius in Sangallenſi Hirſaugienſis chronici editione, ubi habet:* His temporibus Eberhardus comes quidam in Suevia, cooperante ſibi uxore ſua, nomine Ida, cupiens Deum bonorum ſuorum conſtituere heredem; monaſterium noſtri Ordinis, quod Scafhauſen nuncupatur, condidit. quod multis prædiis & poſſeſſionibus pro ſuſtentatione ſervorum Domini dotavit. *Monaſterii fabrica intra duodecim annos conſummata, eccleſia à Rumoldo Conſtantienſi epiſcopo anno* MLXIV. *conſecrata fuit, ut habet Murerus, qui ſubjungit eamdem eccleſiam ab Alexandro II. ſummo pontifice privilegio donatam fuiſſe. Litteræ datæ dicuntur anno* MLXVI. *ſed etſi hæc vera eſſe nolimus inficiari, haud tamen eidem auctori aſſentimus, ſcribenti Sigefridum, quem primum Schaffuſienſem abbatem fuiſſe dicit, ex Hirſaugienſi monaſterio ſimul cum aliis ſociis evocatum fuiſſe. Certum eſt enim ex Trithemii Chronico Hirſaugienſi, nullos tunc temporis monachos apud Hirſaugiam exſtitiſſe. Etenim Fridericus, qui cum duodecim monachis ad reſtaurandam in Hirſaugienſi monaſterio vitam regularem advectus eſt, illuc nonniſi die* 4. *Decembris anni* MLXVI. *pervenit. Quin & idem Trithemius ad annum* MLXXXV. *obſervat, ipſummet Fridericum Hirſaugienſem ex monaſterio Schaffuſienſi fuiſſe evocatum; & cum memoraſſet Sigefridum & ejus ſucceſſorem Dietpoldum Schaffhuſienſi cœnobio abbates à Vvilhelmo Hirſaugienſi deſtinatos fuiſſe, hæc habet:* Digna plane & pulcra commutatio! quoniam Hirſaugia, quæ unum ex Scaffhuſen abbatem Fridericum & paucos monachos habere meruit, matrem fœcunditate jam longe ſuperans, illi duos deſtinavit. *Hinc collige, aut Sigefridum primum Schaffhuſæ abbatem non fuiſſe; aut certe duos hujus nominis fuiſſe abbates, quorum prior anno* MLXIV. *ab ipſo Eberhardo inſtitutus fuerit, non quidem ex Hirſaugienſi monaſterio, quod tunc deſertum erat, ſed aliunde accerſitus; alter vero longe poſtea, fama ſcilicet Vvilhelmi Hirſaugienſis jam ubique diſperſa, à Schaffhuſianis monachis in abbatem expetitus.*

Digitized by Google

Circa Ann. Ch. mlxxv. « Apr. vii. « Apoſtatā revocat.

5. *Narrat Murerus qua tandem occaſione Eberhardus relicto plane ſæculo monaſticam vitam amplexus fuerit. Erat, inquit, his temporibus Mangoldus quidam ſancti Georgii Steinenſis, (monaſterium erat haud procul à Schaffhuſa diſſitum) abbas, qui habitu Ordineque dimiſſo ad ſæculum redierat. Hunc Eberhardus quadam die obvium habens ſic affatus eſt:* Ecquid, Mangolde, reſponſurus es Judici tuo in die illa, qua perfidiæ & apoſtaſiæ tuæ rationem ſimul & pœnam exiget? Revertere miſer unde divertiſti: neſcis enim quando comprehenſura te ſit illa hora; temporanea & fluxa hæc vita eſt, ſed quæ ſequitur æterna. *His aliiſque ejuſmodi verbis fractus Mangoldus, ad Comitis pedes provolutus eum exoravit, ut ſibi Eccleſiæ Ordiniſque pace conciliata, veniam obtineret à Steinenſi abbate eo pacto, ut ſibi ſaltem liceret in Schaffhuſienſi monaſterio ultimum omnium vivere. quod cum ille impetraſſet, reliquum vitæ ſuæ in luctu & pœnitentia Mangoldus peregit, ibique defunctus eſt. Aliquamdiu vero poſt mortem Eberhardo oranti viſus eſt adſtare, cui ſe quidem ab æternis cruciatibus ob reditum in ordinem abſolutum eſſe indicavit, ſed tamen ſe piacularibus purgatorii flammis graviter cruciari aſſerebat. quare ab eo enixe efflagitabat, ut ſibi precibus, eleemoſynis, aliiſque piis operibus ſuppetias ferre non gravaretur. quod ille pollicitus ſtatim re ipſa adimplevit. Ereptus demum è flammis Mangoldus, iterum Comiti apparuit gratias ei relaturus: à quo cum ille an ipſius opera Deo placita eſſent requiſiviſſet, reſpondit defunctus:* Placent, & magis placebunt, ſi bonis bona pergas adjicere conſtanter proficiens.

Fit monachus.

6. *His motus Eberhardus, conſentiente Itta ſua ipſius uxore, in monaſterium à ſe conſtructum receſſit, ubi emiſſa monaſtica profeſſione, ſex annos totus obedientiæ, humilitatis aliarumque virtutum exercitiis deditus tranſegit, quibus abſolutis ſexagenarius è vita exceſſit die* vii. *Aprilis anno, ut creditur, circiter* mlxxv. *Sepulcrum ipſius crebris miraculis illuſtratum fuiſſe refert Murerus, quæ ab eodem auctore narrantur apud Bollandianos die 7. Aprilis. Bucelinus in Germania ſacra parte* ii. *refert, Idam Eberhardi uxorem, (quam alii comitem Palatinam de Tubingen, alii Sueviæ principem ex filio Bertholdo Burcardi Magni Alemanniæ ducis neptem eſſe volunt,) mariti ſui exemplum ſecutam in monaſterium ſanctimonialium in honorem ſanctæ Agnetis item Schafhuſæ à ſe conditum ſeceſſiſſe, ibique facta profeſſione monaſtica, virtutibus illuſtrem obiiſſe. Utrumque cœnobium ſub Ordine noſtro poſtea illuſtre fuit. De priori Trithemius hæc habet ad annum* mlix. *Chronici Hirſaugiani noviſſimæ editionis.* In hoc cœnobio per ſucceſſum temporis multi doctiſſimi atque ſanctiſſimi viri ſub Regula ſancti Benedicti abbatis claruerunt. De quo etiam plura monaſteria noſtri Ordinis nova monachos & abbates primos inhabitatores diverſo tempore habuerunt. *Ibi perſeveravit uſque ad ejuratam in his partibus religionem Catholicam. Schaffhuſa quippe ex parvis initiis occaſione monaſterii ad urbis amplitudinem provecta, tum opibus aucta, imperialium civitatum privilegiis donata, ſeſe abbatum poteſtati ſubduxit, ac tandem ad Lutheri partes accedens, monaſterium ipſum, cui ſuam debebat originem, penitus deſtruxit. Hinc Eberhardi memoria vix in faſtis ſacris invenitur, cujus nomen nequidem legitur in Martyrologio Benedictino.*

Ejus uxor ſanctimonialis.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXVIII. AUG. XXVI.

VITA B. HERLUINI BECCENSIS ABBATIS PRIMI ET CONDITORIS.

Auctore GISLEBERTO CRISPINO abbate Weſtmonaſterienſi, ejus diſcipulo.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ auctor.

1. C*OENOBIUM Beccenſe conditorem ſuum, & primum abbatem agnoſcit beatum Herluinum, de quo hic agendum nobis eſt. Ejus vitam ſcripſit Giſlebertus Criſpinus, qui primo ab eodem beato viro educatus, poſtmodum à beato Lanfranco monaſterio Vveſtmonaſterienſi in Anglia præfectus fuit. Quiſnam fuerit ille auctor diſcimus ex Appendice ad Vitas priorum abbatum Becci, quas Milo Criſpinus edidit, ubi de Giſleberto hæc leguntur.* Willelmus Criſpinus filium ſuum, in tenera ætate, nomine Giſlebertum, *Herluino & Lanfranco*, Deo nutriendum, ſub regulari diſciplina obtulit, & multa de rebus ſuis temporalis vitæ ſubſidia cum puero miniſtravit. quorum informatus doctrina & ſanctæ converſationis exemplis, ſic cum divino profecit auxilio in divinis & philoſophicis inſtitutis, ut omnes artes, quas liberales vocant, ad unguem addiſceret, & earum rivulos pluribus ipſe perfectus in religione propinaret. Cujus tanta fuit in activa & ſpeculativa vita perfectio, ut cum Deus Lanfrancum Cantuarienſi eccleſiæ in ſummo pontificatu præficeret, eum Lanfrancus ad regimen Weſtmonaſterii, Deo vocante provideret; tantaque ſanctitatis gratia, ut credimus, Deo & hominibus placuit, ut humilitatem præ cunctis ſui temporis Prælatis, & ſpecialiter prætenderet, & ſublimius prædicaret. Hic triginta duobus annis loco magis profuit quam præfuit, & in ſenectute bona, plenus dierum & ſanctitate, patribus ſuis appoſitus, hujus vitæ terminum clauſit. *Hæc ibi, quibus conſentiunt Chronographus Beccenſis, Harpsfeldius & alii paſſim. Piſeus in libro de illuſtribus Angliæ ſcriptoribus, ejuſdem Giſleberti opera recenſet, ſicut & Maiheuus in Tabula tertia Trophæorum Benedictinorum, quæ Remis anno* MDCXXV. *edita ſunt. ſed longe antea Guillelmus Gemeticenſis & Florentius Vvigornienſis eumdem multis laudibus celebraverant.*

Altera vita.

2. *Præter hanc Vitam aliam invenimus in vetuſto codice Beccenſi, quam à ſe ſcriptam teſtatur ejus auctor, quod prior, licet à viro erudito exarata fuerit,* tædioſa *tamen &* inſipida *nonnullis videretur,* ob prolixitatem & incompoſitam dictaminis barbariem. *Pauca habet quæ in priori non habeantur: cum tamen priori Vitæ lucem afferat, ex eaque illuſtrari etiam poſſit Vita beati Lanfranci, quam infra ſuo loco dabimus, viſum eſt eam hic preferre. Ejus porro auctorem divinare non licuit, quam tamen haud multo poſt Giſleberti obitum exaratam fuiſſe, præter alia, evincit codicis unde eam deſcripſimus vetuſtas, quippe qui ad annos ſexcentos videtur accedere.*

Becci monaſterii origo.

3. *Monaſterii Beccenſis initia revocat ejus Chronici auctor ad annum* MXXXIV. *quo Herluinus depoſito militiæ cingulo, primo apud Burnevillam, hereditatis ſuæ prædium, monaſterium ædificavit. Verum paullo poſt ob ingratum loci ſolum & aquæ penuriam, divino monitu, priori hoc loco dimiſſo, ad alium tranſmigravit, qui à Becco fluviolo illic defluente Beccus appellatus eſt. Quin & paullo poſt ex ima valle ob aquarum illuviem, in montis declivium paulliſper recedere coactus fuit. Verum tanta egeſtate premebantur ibi monachi, ut nequidem ad lampadem in eccleſia, pro more, accendendam ſumtus ſuppeterent: ex qua poſtmodum relevati, monaſterii officinas, atque præclaram baſilicam abſque ullo Regum aut Principum adjumento, ut teſtatur Vitæ auctor, conſtruxerunt. De his locorum mutationibus ſic loquitur Chronographus:* Anno Domini MLXXIII. in vigilia feſtivitatis omnium Sanctorum, monachi Beccenſes exeuntes de prima veteri eccleſia, ſollemni proceſſione & magnæ devotionis gaudio, venerunt in novam eccleſiam, quam beatus Herluinus ejuſdem loci glorioſus abbas, Lanfrancus & Anſelmus viri magnæ auctoritatis, ædificaverant. *Et paullo poſt de eadem re iterum agens, ait.* Nota quod venerabilis vir Herluinus, non ſine nutu & providentia Dei, qui omnibus in ſe proſperantibus præparat bona meliora, eccleſiam cum omnibus officinis mutavit loco tertio, non longe à ſupra dicto loco, qui nunc dicitur, Capella beati Herluini, quæ prima fuit in

hoc rivo Beccenſi fundata; & iſtam, de qua nunc loquimur, ædificavit multo majorem, ampliſſimas officinas, &c. ANN. CH. MLXXVIII. AUG. XXVI.

4. *Haud minus illuſtrarunt monaſterium Beccenſe ſub regimine Herluini viri ſanctitate & doctrina celebres, quàm ædificiorum amplitudo. Aliquot ex his recenſet Vita auctor num. 13. Conſentit Chronographus jam à nobis ſæpe laudatus, ſic ea de re ſcribens:* Ad eumdem locum tot & tanti viri, tam clerici, quàm laïci ex nobili genere nati confluxere, ut ſancto Herluino abbati ſatis decenter poſſet dici: Ab ubertate domus tuæ inebriaſti faciem terræ, & à torrente ſapientiæ eorum repleſti orbem terrarum. *Loci famam auxerunt novæ monachorum coloniæ inde ad alia monaſteria ſeu reſtauranda, ſeu de novo conſtruenda, tempore Herluini deductæ. Ex his celebre fuit ſancti Stephani Cadomenſis cœnobium*, ad quod, *teſte Chronographo Beccenſi ad annum* MLXII. *Lanfrancus* plures de Becco ſecum duxit, qui paullo poſt ad dignitates ſunt promoti. *Monaſterium Uticenſe, quod olim ſanctus Ebrulfus exſtruxerat, primam quoque ſui reſtaurationem Herluino noſtro debet, quod poſtea beati Theoderici opera, ut in ejus elogio ad annum* MLVIII. *diximus, priſtinum ſuum ſplendorem recepit. nec omittendus eſt beatæ Mariæ de Prato, ſeu, ut vulgo appellant, de Bono-nuntio prope Rotomagum prioratus, cujus fundationem revocat Chronographus Beccenſis ad annum* MLXIII. *quo*, tempore, *ut ipſe ait*, Herluini primi Paſtoris & fundatoris cœnobii Beccenſis Willermus potentiſſimus Dux Normanniæ, qui poſtea Angliam acquiſivit, cœpit ædificare eccleſiam.... quæ vocata fuit eccleſia beatæ Mariæ de Prato, & ibi conſtituti fuerunt monachi de monaſterio Becci ad Dei ſervitium ibidem faciendum. *Præcipuas tamen partes ea in re habebat Mathildis Guillelmi uxor, unde hæc pia Princeps monaſterii Boni-nuntii conditrix paſſim nuncupatur. Nonnulli etiam Henricum eorum filium ejuſdem monaſterii conditorem appellant, nec immerito, quia, ut ſcribit Guillelmus Gemeticenſis*, Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Prato, à matre ſua dudum incœptam pæne conſummavit, [&] clauſtro & officiis monachis congruentibus, & ambitu murorum ipſum locum decorans, nonnulla prædia tam in Normannia, quam in Anglia, ad opus ibidem Deo ſervientium, cum ornamentis pretioſis contradidit, &c. *Hujus autem regis defuncti corpus in Angliam delatum fuit, at viſcera ante altare majus beatæ Mariæ de Prato tumulata ſunt. Hunc etiam locum illuſtrarunt complures viri illuſtres, ex quibus nonnulli in aliorum monaſteriorum abbates aſſumti fuere. Celebris eſt inter alios beatus* LETARDUS, *ex priore Boni-nuntii factus abbas Beccenſis, de quo Sæculo proximo agendum; Gaufridus, ſimiliter ex priore factus abbas Becci, demum ad Ebroicenſis eccleſiæ infulas evectus anno* MCCCXXXIV. *Denique ibi celebratæ ſunt aliquot Normanniæ provinciales Synodi. Primam ibi habuit Guillelmus Flavacurius anno* MCCXCIX. *alteram Ægidius Aycelinus anno* MCCCXIII. *Tertiam tandem Petrus Rogerius, qui poſtea Pontifex Romanus, ſub Clementis VI. nomine, creatus fuit. Ceterum hic locus poſt caſus varios quos pertulit, immo poſtquam tempore obſidionis Rotomagenſis anno* MCCCCCXCII. *plane deſtructus fuiſſet, pace reddita, tandem priſtinum ſplendorem recepit; & reſtauratis regularibus locis, modo à noſtris incolitur. ſed ad Herluinum redeamus.*

Viri illuſtres.

Alia monaſteria exſtructa.

5. *Herluinus conſummatis monaſterii ſui ædificiis, ex hac vita migravit anno* MLXXVIII. *ætatis ſuæ octogeſimo-quarto, monachatus vero quadrageſimo-quarto, ut notat Chronographus ſæpe laudatus, cum Orderico Vitali lib. 5. hiſtoriæ. & recte quidem; nam anno* MXXXIV. *quo ſæculo Herluinus valedixit, quadragenarius cœpit litteras ediſcere, ut obſervat vitæ ejus auctor, indeque ad annum* MLXXVIII. *quo obiit, alii quadraginta quatuor anni ſunt elapſi. proindeque ea de re nullus ſupereſt dubitandi locus. A ceteris tamen auctoribus diſſentit Matthæus Pariſienſis, qui* beati Herlevvini *obitum anno* MLXXVII. *conſignavit.* Herluini obitus.

6. *Herluini ſanctitatem celebrant omnes ejus ævi auctores & qui poſtmodum ſubſecuti ſunt, cujus elogium ex ipſis Giſleberti verbis contexuit Guillelmus Gemeticenſis monachus lib. 6. Hiſtoriæ Normannorum cap. 9. Matthæus Pariſienſis, quem modo laudabamus, eum* felicem animam ſuo reddidiſſe Creatori *ſcribit. In aſſignanda vero Herluini ſeceſſus cauſa ab aliis diſſidet Ordericus Vitalis, qui libro 3. Hiſtoriæ eccleſiaſticæ narrat Giſlebertum in pagum Vimnacenſem cum exercitu irrupiſſe, ibique ab Ingelranno Pontivi Comite victum atque fugatum fuiſſe. qua occaſione, uti proſequitur, cum inter alios fugeret Herluinus, Deo vovit ſe nulli umquam niſi ſoli Deo militaturum, ſi ſoſpes evaderet. quod cum obtinuiſſet à Deo, ſtatim abjecto ſæculo Becci monaſterium condidit. ſed huic narrationi prævalere debet Giſleberti Criſpini auctoritas, qui rem alia ratione contigiſſe in ejus Vita narrat; teſtiſque eſt diſcidia, quæ inter Giſlebertum comitem & ejus æmulos exarſerant, à Roberto Normanniæ duce abſque ullo certamine compoſita fuiſſe. Verum etſi Ordericus ea in re à ceteris diſſentiat, ab eis tamen non recedit in laudanda ejus ſanctitate. Sic porro de illius morte loquitur libro quinto Hiſtoriæ.* Venerabilis Herluinus abbas, dedicata Beccenſi eccleſia valde gaviſus eſt, viſoque quod vehementer in hoc ſæculo deſideraverat, ulterius inter mortales commorari dedignatus eſt. *Plura habet Chronographus Beccenſis de beati viri obitu, quem his verbis deſcribit.* Anno MLXXVIII. beatus HERLUINUS prædicti loci Beccenſis abbas primus, miles Chriſti glorioſus, inter choros juſtorum ab angelis ſuſceptus eſt, pretioſum corpus terræ relinquens, animam cælis inſerens à

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXVIII. AUG. XXVI. ſepultuſque eſt & tumulatus in medio capituli, quod ipſe ædificaverat; obituſque ejus dolor ſuis, gaudium angelis fuit. Cui etiam Dominus corda hominum revelavit, & animas de corpore exeuntes à dæmone arreptas plangentes audivit, & plangendo cognovit. De virtutibus ejus vita & moribus, ſi dicere voluiſſemus, dies deficiet. Mittimus igitur prudentem lectorem ad Vitam deſcriptam, ubi abundanter inveniet quo inſtrui poſſit.

Beccenſium devotio erga B. V.

7. *Præcipua Herluini monachorumque Beccenſium animi propenſio erga beatiſſimam Virginem enituit, unde factum putamus, ut ejus loci monachi veſtibus albis uterentur præter morem aliorum aſcetarum Ordinis noſtri, qui ab atra veſte, monachorum nigrorum nomen tulere. Ejuſmodi albas veſtes ſervarunt Beccenſes uſque ad ſæculi hujus initium, quo illud nobile cœnobium congregationi noſtræ ſancti Mauri aggregatum eſt. In Appendice jam laudata Chronici Beccenſis, ubi agitur de Criſpinorum nobili genere, Vvillelmus ejuſdem familiæ caput, dicitur interceſſione beatæ Mariæ, quam Herluinus invocaverat, è mortis periculo mirabiliter ereptus. Hæc ſunt ejus verba, ex quibus facile colligitur, quanti fecerint viri pii ejus temporis Herluini, etiam tunc viventis, meritum. Sic enim Vvillelmus oraſſe ibi memoratur:* Domine Jeſu Chriſte miſerere mei, & per merita patris Herluini & fratrum ejus, quibus me ſuppliciter hodie commendavi, libera me de hoc periculo mortis.... Virgo virginum, ſi qua tibi cura eſt de TUO Beccenſi HERLUINO, ſuppliciter obſecro, ut me, &c. Mater miſericordiæ per orationes ſervorum tuorum Becci Herluini & fratrum, &c. *Non inanis fuit Vvillelmi in beati Herluini meritis fiducia, nam cum paullo poſt mortis periculum, ut diximus, evaſiſſet, hanc gratiam ſibi Herluini abbatis interceſſione conceſſam fuiſſe, ipſa revelante beatiſſima Virgine didicit. Is eſt Vvillelmus, qui poſtea à beato abbate veſtem monaſticam ſuſcepit in monaſterio Beccenſi, ubi tandem pie vitam finivit.*

Cultus.

8. *Porro etſi tanta fuerint Herluini merita, ejus tamen memoria nullo cultu publico celebratur, nequidem apud noſtros Beccenſes, ubi hactenus viſitur ejus ſepulcrum in medio Capituli, nigro lapide variis figuris ornato tectum, ac paulliſper è terra elevatum. Anniverſarium ejus annis ſingulis ſollemniter celebratur, cum ornamentis pretioſioribus & feſtivo campanarum ſonitu; ſed dicitur Miſſa pro defunctis. Invenimus tamen in vetuſto cod. mſ. Gemeticenſi tres orationes in ſancti Herluini invocationem compoſitas, quæ ſane innuere videntur eum aliquando pro ſancto habitum fuiſſe. Has orationes infra exhibebimus. Herluini nomen in Martyrologiis Benedictino & Gallicano locum invenit, & Menardus libro* I. *Obſervationum in Martyrologium Benedictinum, vitæ ejus compendium exhibet, ſicut & Bucelinus in Menologio itidem Benedictino. alii vero auctores eum* ſanctum *aut* beatum *paſſim appellant. Certe hunc titulum præfert utraque ejus vita in vetuſtiſſimis codicibus, quem ideo in hac editione retinere viſum eſt.*

PRÆFATIO AD VITAM

SANCTI HERLUINI.

a I. CONSUETUDO fuit apud veteres, Majorum ſuorum imagines erigere, & præclara eorum facta memoriæ ſcribendo commendare ad informationem poſterorum; ad exemplum ſcilicet virtutis, & incitamentum probitatis. Quod ob id utique actitare curabant, ut qui aliam ignorabant vitam, hoc modo ſibi, & iis quos ſcribere ſuſcipiebant, præſentem quam maxime memoriam efficerent longam, laudemque, ut putabant, mererentur perennem. E contra Eccleſiaſtici ſcriptores, Paſſiones & Vitas Sanctorum, qui planum iter juſtitiæ ſequentibus laboribus ſuis reliquerunt, & Deum in vita, & in morte ſua glorificaverunt, eadem quidem via, ſed non eadem intentione ſcribere ſtuduerunt. Nam perinde ſuccedentibus decedentium Patrum vitas & mores intimare voluerunt, non ad captandum vulgi favorem; ſed ut agnoſcentes religioſas eorum converſationes, ad gloriam Dei laudibus attollerent, & ſibi exemplar propoſitum bene vivendi, actibus proſequerentur; ut æternam promererentur remunerationem. Unde quidam Sapiens hortatur dicens: *Laudemus viros religioſos & parentes noſtros in generatione ſua.* (Eccl. 44. 1.) atque Apoſtolus: *Mementote præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei, quorum intuentes exitum converſationis, imitamini fidem.* (Heb. 13. 7.) Ad hoc enim

a Præfatio hæc non eſt Vitæ auctoris, ſed alterius, quem fuiſſe Milonem Chriſpinum Beccenſem cantorem ſuſpicatur noſter Acherius.

Digitized by Google

ſcribuntur vel leguntur ſtrenui actus, & miræ virtutes Sanctorum, ut in his laudetur Deus, de cujus gratia ſunt, & minores veſtigia majorum quæ ſequi debeant aſpicientes, ſine offenſione paſſibus boni operis currant viam ſalutis ad gloriam, & ad bravium ſupernæ vocationis Dei. Hoc fecerunt antiqui, hoc faciunt adhuc iſtius tempeſtatis multi, nolentes præterire tacendo, quos alicujus momenti fuiſſe putarunt. Inter quos Beccenſes primos ipſius loci ſtructores & erectores, quia Deo noti, & hominibus cari fuerunt, ut rebus ipſis claruit, mandando litteris, poſt ſe venturis eorum piam reliquerunt memoriam: hoc eſt beati patris HERLUINI, nobilis quoque VUILLELMI, atque ſapientiſſimi BOSONIS: ſancti vero ANSELIMI vitam (qui ſecundus Abbas exſtitit ipſius loci) quidam [a] Cantuarienſis edidit, qui ei adhæſit, & uſque ad mortem in Archiepiſcopatu deſervivit; quo, Deo volente, tranſlatus fuit; & quidquid de eo videre vel audire potuit, ſcriptum reliquit.

ANN. CH. MLXXVIII. AUG. XXVI.

INCIPIT VITA.

2. QUoniam in re militari quæ quis memoratu digna egit, ſcripto eduntur ad poſteritatis exhortationem; & laudibus attolluntur, prout ingenium ſcriptoris, & facundia præſtat; ſilentio ſuperſederi non debet ad divinæ virtutis gloriam, & magnæ in Deum fidei formam, quæ in ſatellitio Chriſti noſtra memoria præclare egit abbas venerabilis HERLUINUS Beccenſis: cujus virtutis hoc ad quemdam titulum præſcribatur, quia mundum jocundiſſime ſibi, & ad votum arridentem, ea ætate penitus recuſavit, qua vehementius alii ſe ingerunt recuſanti, & in qua patria tunc incolumem armis militem abrogatis, monachum fieri portentum habebatur. A Danis qui Normanniam primi obtinuere, pater ejus originem duxit: mater proximam Ducum Flandriæ conſanguinitatem attigit. ANSGOTUS ille, iſta HELOYS nomen habebat. GISLEBERTUS Brionenſis [b] Comes, primi RICHARDI Normanniæ Ducis nepos ex filio conſule Godefrido, illum enutritum penes ſe inter omnes curiæ ſuæ primates habuit acceptiſſime. Habilis hic ad arma plurimum erat, nec minori ea animoſitate geſtabat. Omnes omnium totius Normanniæ majorum familiæ in electis illum habebant, in armis omnique rei militaris uſu, & cultu corporis ſui attollebant: ab inhoneſtis avertebat animum, honeſtis quæ curiæ magni faciunt, impendebat omne ſtudium. Domi ac militiæ commilitonum ſuorum præſtantiſſimus erat: quibus de rebus non ſolum ſingularem domini ſui obtinuerat favorem, verum & apud ROBERTUM totius patriæ Ducem, & apud exterarum dominos regionum pepererat ſibi nomen plurimum, acceſſumque familiarem. Alia, quæ ad captandum nomen in ſæculo, plurima fecit, omittamus: hoc ad fortitudinem illius animi ac fidei conſtantiam, & in armis confidentiam non ſileamus. Indigne paſſus aliquando factam ſibi à domino injuriam famulatus ſui commodum ei ſubtrahendo, contulit ſe, eo inviſo, longe aliorſum. Eo itaque ſub tempore, Comes ipſe Giſlebertus quorumdam potentiſſimorum Normanniæ laceſſitus injuriis, multam militum manum contraxit, injurias ſuas effere volens ultum iri, homo ferocis animi, magni potentatus, nominiſque ſupremi avidus, utpote Ducum tantorum propinquus, ad potentiæ ſuæ oſtentatum per nuncios eis non prope diem belli, ſed per plures ante dies id ſe facturum, & quando, tranſmiſit. Ita condicto tempore bellum utrimque apparatur,

B. Herluinus ex nobili progenie.

Miles virtutem colebat.

a Eadmerus ſcilicet eccleſiæ Cantuarienſis monachus, qui beati Anſelmi vitam duobus Libris edidit, ac præterea Hiſtoriam, ut vocat, Novorum, quam ſcripſit præcipue de eodem ſancto Anſelmo, ut ipſe in Præfatione teſtatur.

b Superſunt etiamnunc rudera caſtri Brionenſis in monte editiſſimo prope opidum cognomine ad Rillam, ubi habitum eſt Concilium celebre occaſione Berengarii. Hodieque ſedes eſt nobilis comitatus.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXVIII. Aug. XXVI.

quod exſequi non poſſet ſine multa partium utrarumque ſtrage, nec amplius evitari ſalva eorum dignitate. Quod vir animoſus, quem ſcribendum accepimus, ubi compertum habuit, ilico injuriarum oblitus, viginti ſecum delectos milites aſſumens pergit ad diem certaminis, minime cum domino, verum ſeorſum procul ab agmine illo: etenim ſuæ ſuorumque ſalutis objectu, fidei ſuæ ſponſionem aſſerebat, mortis periculo appetebat, nullius emolumenti ab illo vicem exquirens. Dictum ſatis eſt, & hic lucidę agnoſci poteſt quis fuerit. Non deſertores pugnæ, quos in aliorum perniciem metus abſolvit, ſi quos in dominorum necem, & patriæ excidium cupiditas inducit, hoc exemplo alloquimur, nec tam militaris gloriæ obtentu, quam ſervandæ cauſa fidei proferimus. Dux per excelſi montis latus agmen cum deduceret, videt à tergo viginti armatos eminus in plano ſubſequi, ac hoſtile aliquid verens imperat confeſtim, qui eſſent ſcitum ire. Accedunt, ſuos & cauſam agnoſcunt; approbant plurimum magnanimitatem, ac Duci renunciant. Admiratus pro injuriis tanti ſibi ſervitii vicem reſtitui, ilico remittit acceſſum, cum ampliori gratia reddens omnia, quæ ſua fuerunt. Bellum quod inſtabat craſtinæ lucis ſub exortu, nuncii prædicti provinciæ Ducis Roberti, noctu ante venientes dirimunt, jus fidemque ſacram obteſtati, ut ab armis diſcedant, & judicium belli curiæ ſuæ exſpectent definitioni. Itaque pars utraque, ac neutra ſuperior altera, diſceſſit ab armorum exciſione. Divina ſibi providentia lignum illud ad omne opus bonum utile conſervabat. Nolebat ſummus artifex violentia ſæcularis auræ jam plus illud diſtorqueri, aut infructuoſis affectationibus exhumectari.

A terrenis ſubtrahit animum.

3. Vitæ hujus jocundiſſimo ſtatu annos ille jam exceſſerat triginta ſeptem, cum tandem divino metu ſuccendi amore mens illius cœpit, & ab amore mundi tepeſcere, ſenſimque in dies frigeſcere, ab exterioribus oculum cordis convertens ad ſe ipſum: ibat frequentius ad eccleſiam, orabat devote, ac ſæpe prorumpebat in lacrymas, ludicra re omni omiſſa. Jam minus frequens erat in curia, qua hoc ſolo retinebatur, quod prædia ſua Deo ſecum lucrari ſatagebat; quod & obtinuit, extorquens ea ſibi à domino ſuo multa inſtantia ſervitii. Sæpe ſub diem pernoctabat orans in eccleſiis, & mane primus in curia coram aderat ad menſam domini: quia inter ſodales parſimoniam exercere volebat, multiſque adinveniebat impedimentis abſens. Sæpe totum jejuniis tranſigebat diem; in armis, in cultu corporis, non idem ſtudium quod prius, ſatis indicabat altercationem animi illius, quam adhuc ſeria diſſimulatione celabat. Angebatur mens, & in plura cogitationum deliberatione diſtrahebatur: militiæ ac ceteræ ſæcularis rei uſum relinquere ſumma erat voti. Verum quo ſe conferret, quod vivendi genus aſſumeret, ignorabat. Rarus in Normannia tunc recti tramitis index, aut pervius erat: ſacerdotes ac ſummi Pontifices libere conjugati, & arma portantes ut laïci erant, veterum ritu Danorum univerſi adhuc vivebant; ſed ſicut Spiritus ubi vult ſpirat, ita quem aſpirat unctio ejus docet de omnibus. Abrenuncians ergo militiæ, vili tegumento indutus, barba & crine intonſus, inter aulicos, ea quidem diu, qua diximus, intentione ſervivit exiturus ab Ægypto verus ille Hebræus, ea videlicet tranſſiliens quæ tranſeunt, ac omni conamine ſe extendens in ea quæ æterna exſiſtunt, ab eis qui remanebant mutuatum in opus Dei aſportare conabatur quid pretioſum poterat. Jam domini ſui lætus aſſidens ad menſam, inter multimodas epulas & comeſſantes pane aſperiori veſcebatur, & aqua: ridebatur ab univerſis, amentiæ quidquid agebat reputabatur; minis, promiſſis, injuriis, officiis dominus, & univerſi ſatellites nil poterant, à propoſito ſuo eum avertere conantes. Mittebatur homo olim univerſis acceptiſſimus ſæpenumero ad curias ſedens aſinum; mæror, ac riſus diverſis quo adveniebat, ſervitiorum quidem gratioſitate, quia

Pia ejus exercitia.

Deſpectam vitam agit.

Digitized by Google

quia metuebat ſæculo irretiri, nec equitare jam volebat, aſinando ſerviens domino, ſine cujus permiſſu diſcedere nolebat. Et quia pro Deo abjectus eſſe nequaquam erubuit; nec Deus illum erubeſcens, ſuper terram quoque ampliſſimam illi reſtituit vicem. Ann. Chr. MLXXVIII. Aug. XXVI.

4. Comes Giſlebertus de cujuſdam compatriotæ ſui damno agens, quod in illius vergebat perniciem, ad principem Normanniæ Robertum, cujus quidquid ſuper hoc agebatur intererat, prædicto viro hac de re impoſuit allegationem: at vir pacis ferre damnoſa alicui machinamenta penitus recuſavit. perſtat dominus in ſententia, hortans & comminans, ut homo ſibi intimus verbum conſilii ſui ad dominum ſuum perferendo referat. Agitur ut jam oſtendat miles ad utrumlibet poſitus, cui ſervire ſuperno, an terreno domino malit. Sed mox ut ſuperni cauſa Domini exegit, ilico iſte funem, quo ſub terreni ſervitio domini retinebatur, abrupit. Abdicata omnino legatione diſcedit à curia. Quin tamen iret Comes Giſlebertus nullo modo diſcredens poſt paucos dies curiam ivit, reſcire volens quid Dux reſponderet: verum ut cognovit ad eum non fuiſſe perlatum, efferatus in illum, cui impoſuerat, mandat abduci quidquid habebant ille & ſui. Continuo abripiuntur omnia ſua, nec curat; vaſtantur quoque pauperes ſui, unde non parva ſollicitatur cura. Pauperum ergo tranſmiſſus queſtu & lacrymis, poſt parva dierum intervalla rediit ad dominum, nullamque ſui curam gerens egit ſuppliciter cauſam innoxiorum. accerſitur negotium totius curiæ, acerrime in cauſam deducitur: intenduntur crimina quæ humili & ſufficienti ratione cuncta purgando removebat, quia in eo judici reſpondebat Spiritus Dei: tacitis unde judex potius erat infeſtus, alia quædam admiſſa intendebat, ſciens iſte quid lateret in fundo. Quæ mea ſunt, inquit, hinc accepta univerſa diſtrahantur, dum pauperibus, qui veſtram nullo crimine iram meruerunt, ſua reſtituantur. Motus ad pietatem dominus, quem mundanæ celſitudinis faſtus plurimum obtinebat, adducto in partem viro, perquiſivit animi tantam commutationem, & finem conſilii. Cui paucis ille verbis, cum multis lacrymis reſpondit: Sæculum amando, & tibi obſequendo, nimium Deum, ac me ipſum hactenus neglexi: quæ corporis erant cultui omnino intentus, nullam animæ meæ eruditionem accepi. quapropter precor, ſi quid umquam bene merui à te, liceat vitæ quod ſupereſt in monaſterio tranſigi, ſalvo circa me amore tuo, & da mecum Deo quæ habui. Habitæ diu deliberationi finis iſte conſedit: corde in lacrymis concitato, ſuſtinere nequit ille ulterius loquentem; abripit ſe in cameram. Pietas humana in eo multa erat circa illum militem ſuum, multa & illi circa dominum: ac vix ab eo miſſionem requirere valebat, ſed prævalebat fortis ut mors dilectio. Tandem gratiſſimo clienti expetitam concedit tam ſui quam ſuorum omnium facultatem; quem eatenus ut bene obſequentem ſibi amaverat, jam cœpit amare ut dominum, ac libens obſequebatur illi plures dies; multo cum honore detentum apud ſe debita honorificentia remiſit, ditioni illius ac ſervitio tradens quidquid paterni juris habebant fratres ſui, qui eadem dignitate geniti pares exſtiterant ſibi: quia dignior, & vera nobilitate generoſior germanis efficiebatur, jure ab eis illi ſubjici nec indignum, aut injurioſum æſtimabatur.

Roberto Duci propoſitum patefacit.

5. Protinus in villa, quæ dicitur Burnevilla [a], exſtruendum ſervitio Dei opus arripuit non parvum, brevi peractum: ipſe non ſolum operi præſidebat, ſed opus ipſum efficiebat, terram fodiens, foſſam efferens, lapides, ſabulum, calcemque humeris comportans, ac ea in parietem ipſemet componens: quibus alii horis aberant, ipſe congerebat quæ ad opus exigebantur, excludens otium ab omni parte diei. Quanto vanitate tumida olim

[a] Exſtruit monaſterium.

[a] Hodie dicitur *Boneville*, eſtque juris monaſterii, una fere leuca circiter ab eo diſſita. Eadem ferme habet Chronicum Beccenſe.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXVIII. AUG. XXVI.

delicatior, tanto vera humilitate nunc ad omnem laboris tolerantiam propter Deum patientior. Cibum præter quibus non licet diebus, ſemel accipiebat, nec exquiſitum, & parce ſatis, expleto cum die opere ſuo. Et quia interdiu nequibat, ediſcendo pſalterio noctem pæne totam impendebat. His exercitiis multa jocunditate exercebatur novus tyro Chriſti. Prima litterarum elementa didicit, cum jam exſiſteret annorum prope quadraginta, & divina opitulante gratia eo uſque proceſſit, ut etiam ipſis apprime eruditis grammatica, in exponendis, ac intelligendis divinarum Scripturarum ſententiis, merito haberetur admirabilis. quod ut ſolius divinæ gratia efficientiæ actum credatur, nocturnis tantum horis, huic ſtudio vacabat: quia propter lectionem numquam diurni operis intermiſit exſecutionem. Non ſolum in cithara confiteri Domino, verum & in pſalterio decem chordarum pſallere geſtiebat, congrua temporum diſtributione, nunc attentus bonæ actioni, nunc intentus lectioni atque orationi.

Quadragenarius litteras diſcit.

6. Nova rurſus molimina contra eum hoſtis antiquus invenit, quod ſummum in humana vita ille excogitaverat, monaſterialis videlicet ordinis faſtigium, pæne diſſuaſit his occaſionibus. Cœnobium quoddam adiit gratia inquirendi de vita monachorum; habita oratione, acceſſit omni cum reverentia, multo cum timore, ad oſtium clauſtri velut ad oſtium paradiſi, deſiderantiſſimus ſcire qui monachorum habitus, qui mores, quæ in clauſtro ſedendi ſit religio: vidit longe ab ea, quam cœnobialis ordo expoſcit, gravitate morum omnes haberi. Turbatus eſt, jam ac omnino incertus quod vivendi genus approbaret. Ad hæc qui monaſterii cuſtos erat, ut illum ſic introrſus accedentem conſpexit, furem ſuſpicatus, immiſſo quanta vi potuit collo illius pugno, per capillos foris uſque ad oſtium extruſit. At vir patientiſſimus pro illata ſibi injuria nullum monacho laïcus verbum impatientiæ reſpondit. Talibus quidem accedere plurimum extimuit: ſed palmes propagatus ab ea quæ Vitis vera exſiſtit, nullo adverſitatum æſtu areſcere poteſt, alte radicatus in illius caritate, quæ omnia ſuffert. Hoc de illo referens ædificationis ſolatium, aliud ea de re proximo Natali Dominico adiit majoris nominis cœnobium. Feſtiva proceſſione cum fratres in die ſollemnitatis exiſſent, vidit indecenti benevolentia monachos paſſim arridere laïcis, aggaudere in paratioribus ornamentis, oſtendendo ea aliis, ad introitum contentioſo tumultu anticipare aditum. Ad hæc inſiſtentem ſibi nimium fratrem, quidam monachus monachum pugno repercuſſum avertit, ac impulſum ſupinis dentibus demiſit ad ſolum: adhuc enim, ut dictum eſt, omnes omnium per Normanniam mores barbari erant. Hac rerum inſolentia ne bonum damnaret incœptum, tantam actuum levitatem, tantam improbitatem morum contuens in illis, ad quorum normam vitam ſuam corrigere nolebat, Dei manus effecit ſubveniens labanti. Sequenti nocte, expleto matutinorum officio, diu ante lucem aliis emiſſis, oraturus ipſe remanſit occultatus in quodam angulo oratorii. mox quidam monachus eo non viſo prope conſtitit ad orandum, qui nunc toto corpore proſtratus, nunc tantum genibus flexis, cum lacrymis orans uſque ad mane clarum perſtitit. Ejus igitur exemplo omnino redintegratus eſt. Referimus miracula, ſed eis unde vulgus fert ſententiam, multum pauciora, quamquam non defuerunt & ipſa. quid enim glorioſius, quod victus ab eo ubique hoſtis, Deo vincente, ſuccubuit? Robur conſtantiæ illius duris hactenus adverſitatum ictibus perfringere conabatur; * ſed conamen ejus omne fruſtrabatur. Hunc malis pravorum exemplis ſuffodere molitur: verum, ut in Canticis Canticorum legimus, *Uniuſcujuſque viri enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos*, ſeu diurna oppugnatione ſeu nocturna, ſubdolæ rationis alicujus ſuggeſtione accedat, invenit eum excubantem in propugnaculis: gerit in manu gladium, qui univerſas hoſtis compages ac medullas exſequi-

A propoſito deterrere conatur dæmon.

* al. nunc.

3, c. 8.

Digitized by Google

Ann Ch. MLXXVIII. Aug. XXVI.

tur, dinoſcens ac exterminans quæque ab illo cogitationes, atque intentiones ſuggeruntur; ad excipiendos ictus, longanimitatis & patientiæ forti clypeo munitur: poſitus infra divinæ cuſtodiæ murum ad omnia illius molimina, à Vigilis ſui commonitione ſollicitatur, quia *non dormitabit, neque dormiet qui cuſtodit Iſraël.* Pſal. 120.

Fit monachus, Sacerdos & Abbas.

7. Igitur non exploratis ad votum quæ volebat caſtrorum Domini, redit firmaturus ſuum, quod contra ſpirituales incurſus exſtruebat: avulſit ilico paternas domos, unde ſervorum Dei habitacula conſtruxit. Sacrata vero quam conſtruxit eccleſia ab Epiſcopo Lexovii, nomine HERBERTO [a], comam totondit, ac ſæcularem habitum deponens ab eodem Pontifice ſacræ habitum religionis accepit miles Chriſti, per tot pericula fortis ante expertus: ejuſdem Ordinis cum eo jugum ſubierunt duo ſui. Poſtmodum à præfato Præſule ſacerdos [b] conſecratus; pluribus ducatui illius jam adſcitis fratribus Abbas præficitur: tuto imitandus aliis præponitur, qui per annos tres improperium vitæ ſpiritualis patientiſſime tulit coram ſæcularibus, alienatus ſpectaculis, quibus innutritus quotidie alios videbat oblectari; rigorem abſtinentiæ non relaxans inter affluentiſſimas dominorum menſas, omni denique abjectioni corpus ſuum ſubjiciens in curia. Quos ergo regendos acceperat, artiſſime, ſed more patrum * piorum regebat. Videres peracto in eccleſia officio Abbatem collo ſementem, manu raſtrum, vel ſarculum geſtantem, ad agriculturam præire monachos omnes, ruris operi ſub diei terminum inſiſtere: ſentibus & ſpinis alii agrum emundabant, alii fimum ſcapulis comportantes ſpargebant; hi ſarriebant, illi ferebant; nemo panem aſſumebat in otio; ad horam agendi officii in eccleſia omnes ad unamquamque horam conveniebant. Victus quotidianus panis ſiligineus, & herbæ cum ſale & aqua: aqua nonniſi lutulenta, quia fons nuſquam præter ad duo milliaria habebatur. Cæleſte aïebant beneficium, cum panis melior, & caſeus, vel aliquid aliud edulium undecumque habebatur. Exemplum magiſtri & conatus omnem murmurandi excludebat aditum: Abbas prior ad opus, ab opere diſcedebat ultimus, operator ipſe continuus. Simili ſe inibi propter Deum ſervituti nobilis mater ejus addixit, & conceſſis Deo prædiis quæ habebat, ancillæ fungebatur officio; ſervientium Deo pannos abluens, & quidquid injungebatur extremi operis accuratiſſime agens. Ad opus ſervorum Dei quadam die cum annonam torreret, neſcio quo caſu domus undique ſuccenſa eſt. cucurrit quidam ejulando nuncians Abbati domos combuſtas, & matrem ejus inibi eſſe combuſtam: at ille licet lacrymis ſuffuſus, ad Deum manus levavit: Gratias tibi Deus, inquiens, quod in officio ſervientium tibi matrem meam ignis abſumſit. Fortis in amore Dei conſtantia, quæ tot diaboli arietibus impulſa labare non poterat! malleos ac ignes inimicus ſuggerebat neſciens, quibus vir patiens minime fundebatur, ſed purgatus ad coronam gloriæ formabatur. Nihil tamen mali in illa conflagratione prædicta domina paſſa fuit.

* al. priorum.

Ejus mater ſe monaſterio donat.

Monaſterium Becci ædificat.

8. Dein poſt aliquantum temporis per viſum divinitus commonitus eſt, ut dimiſſa ſolitudine campeſtri, quæ competenti oportunitate omnino carebat, eum ad locum ſui juris manſionem transferret, qui à rivo illic manantí BECCUS appellatur, ad milliarium à caſtro quod vocatur Brionnium valle. Eſt hic locus in ipſo ſaltu Brionnenſi, valle ima, montibus ſaltuoſis

[a] Is Roberto ad ſedem Conſtantienſem tranſlato ſucceſſit, interfuit Concilio Remenſi ſub Leone IX. anno 1049. ac paullo poſt obiit, ſiquidem anno ſequenti Hugo *d'Eu* ejus ſucceſſor Theodericum Uticæ abbatem benedixit.

[b] Hæc uno & eodem anno non contigiſſe docet nos Ordericus Vitalis libro 5. Hiſtoriæ his verbis, *Herluinus .... anno Dominicæ Incarnationis 1034. ætatis vero ſuæ 40. ſæcularem militiam deſeruit, vitam mutavit, & à domno Herberto Luxovienſi epiſcopo ſacræ Religionis habitum ſuſcepit. Deinde poſt tres annos, ab eodem Præſule ordinatus eſt, atque Abbas conſtitutus eſt. Inde initium Beccenſe cœnobium cœpit habere.*

ANN. CH. MLXXVIII. AUG XXVI.

hinc inde occluſa, omni oportunitate humano uſui commodus propter denſitatem, ac rivi recreationem: ferarum illuc multum erat accurſus, trium * tantum molendinorum tres domus illic erant, & ſolum habitabile permodicum: quid ergo faceret? molendinorum in uno pars ſibi nulla, aliorum duorum ſua pars erat tertia, nec tantum ſoli liberum quantum oportuna domuum capacitas exigebat. Comes Giſlebertus nil uſquam eo ſaltu pretioſius poſſidebat. Quid plura? ſpe in Deo firmata, cœpit operari, ac Deus evidentiſſime cooperari. nam conſortes & contermini, quas ibi habebant partes, ſeu venditione, ſeu gratuita donatione, omnes ſibi ſuas dedere, ac brevi ſub tempore ſilvam Brionnii, quæ circum erat, totam obtinuit. Conſecrata, paucis exſtructa annis, non parva eccleſia, columnis ex ligneis clauſtrum conſtruxit, in quo ad morem patriæ fratres jam nuſquam progreſſuros conſidere inſtituit. Nocte vero ſubſecuta; orationi eo intento in ſtratu ſuo, diabolus futuri illic bonorum operum incrementi primordia cernens, impatientiſſime tulit, tectum dormitorii multa vi conſcendit: unde quaſi conamine colligens ſe, ſupra novam novorum parietum inſiliit cooperturam, ac in unum ad terram univerſa dejecit. Verum is non erat ſemen, quod in petroſis ortum areat, quia non habet humorem, ſed pingui terra exceptum attulit fructum in patientia: mane quia inimicus hoc fecerat indicavit fratribus, & dejectos eorum animos redintegrans, clauſtrum ex lapidibus reædificare cœpit uſta *.

Diabolus dormitorium evertit.

** f.* juxta.

Radulfus cedens Patris monita moritur.

9. Vicinus degebat, nomine Radulfus, cognomine Pincellus, homo ſæculi plurimum addictus concupiſcentiis: qui ab ipſo Abbate cum ſæpe numero ad bene vivendum moneretur, ſpernabatur, ridebat irridendo; cum ab armis defeſſus, ac mundi voluptate ſatiatus eſſet, monachum ſe futurum reſpondebat. Quadam ergo die Dominica pro quibuſdam altercationum controverſiis prædictum Abbatem adiit, penes quem demoratus in veſperum; nocte jam ingruente, more ſolito admonitus, rogatus, & irridens domum rediit, & circa ejuſdem noctis medium morte ſubita præventus hominem exivit: quod Abbas ipſe eadem hora agnovit, animam illius raptam à dæmonibus audiens miſerabili planctu ejulantem, & ita per longum temporis & loci intervallum abduci. Mittit ſub acceleratione quid de illo ageretur inquiſitum iri: legatus illuc pervolans pulſatas fores irrumpit, irrumpens ad cubile pervenit, in cubili jam gelidum, ac membris omnibus rigidum ad latus neſciæ uxoris ſuæ invenit. Hujus miraculi unum è fratribus teſtem habuit, qui cum eo eoſdem ejulatus audivit.

Dæmon monachum abducit.

10. Quadam die circa veſpertinas horas cum foris ad opus reſideret, vidit dæmonem ſub habitu clerici prope locum tranſire, & eam dormitorii officinam in qua fratrum ad neceſſaria ſeceſſus eſt adire: revera ſuſpicatus clericum, & quod ad oratorium ire voluiſſet, fecit à compluribus inclamari qua ibat non eſſe viam oratorii. nequaquam exaudientem proſequitur. miſſus qui revocaret, ſed elapſi nulla prorſus veſtigia invenit. Intellexit tandem inimici præſtigium, ac rei eventum exſpectavit. Nocte proxima quidam monachus de monaſterio fugiens, per eadem loca egreſſus diſceſſit, ut è veſtigio ſubſecutus prodidit. quod mane ille cum comperiſſet, dixit, Cui militabat, & qui eum abducere ſategit, à veſpertinis horis præſtolabatur ibi immundus immundum, dominus ſatellitem per immunda jure abducturus. Variis ergo ſimultatibus, quæ ſæpe introrſus oriebantur, cœpit dolere

a Ex hoc loco manifeſtum eſt mendum irrepſiſſe in textum concilii Verolamienſis in Anglia, apud Spelmannum tomo I. pag. 314. ubi rex Offa, qui labente ſæculo VIII. Merciorum regnum tenebat, multa bona contuliſſe dicitur monaſterio ſancti Albani, ibique *monachorum quoque conventum ex domibus ordinatæ religionis, maxime tamen ex domo Becci in Neuſtria, ad tumbam congregaſſe.* Certe huic errori anſam fortaſſe tribuit id quod in vita ſancti Lanfranci refertur, Gondulfum nempe ex monacho Beccenſi epiſcopum Roffenſem abbatiam ſancti Albani in priſtinum ſtatum revocaſſe, conſtituto ibi abbate Paulo Cadomenſi monacho, *qui ibi ordinem & eccleſiaſtici officii uſum inſtituit, ſicut cernere eſt uſque hodie.*

Digitized by Google

multum & anxiari: ad ea enim componenda qui in clauſtro præſideret minime erat, ſumtuum congerendorum neceſſitas illum extra immorari compellebat. Hac de re multoties Dominum cum jam exoraſſet, divina ſibi miſeratio accommodavit auxilium, ſufficiens ad univerſa quæ agenda forent ſuffragium. Ortus Italia quidam vir erat, quem latinitas, in antiquum ab eo reſtituta ſcientiæ ſtatum, tota ſupremum debito cum amore & honore agnoſcit magiſtrum, nomine LANFRANCUS, &c. [a] ANN. CH. MLXXVIII. AUG. XXVI.

11. Abbas peritus erat in dirimendis cauſarum ſæcularium controverſiis, prudens in iis quæ ad exteriora pertinent; in ædificando & procurando quæ neceſſaria forent, nec prudentior neque efficacior ſalva religione poterat eſſe: præſentia corporalis foris inter curas mundi cum reſidebat, animus ad ſui curam, & amorem Dei præcipue intendebat: nullam ſæcularis pompæ curam gerens, ſoli Deo in actibus ſuis gratificari geſtiebat. Humillimus, ſummæ patientiæ, in exſequendo carnis appetitu modeſto rigore continentiſſimus, ſemper ad orationem primus exſurgebat; nec diurni laboris multa defatigatio illum in lecto poſt alios retinebat: quo jure, qua tranquillitate ſubditos ſibi regebat. Legum patriæ ſcientiſſimus, præſidium ſuis erat contra iniquos exactores, & ſi quid inter eos controverſiæ naſcebatur, æquiſſimo confeſtim ſtatu componebat. Undecumque, vel quibuſcumque loquebatur, ſermo ejus dignitatem in ſe maximam gerens obaudiebatur. at doctor * ille maximus in clauſtro omnem operam impendebat quieti, & ſilentio cordis ſui novalia Verbi ſacri excolens * aſſidua lectione, irrigans ea dulci, quam ſæpe obtinebat, lacrymarum compunctione. Sic per tres annos vixit ſolitarius in frequentia hominum, gaudens quod ibi neſciebatur præter pauciſſimos, quibus aliquando loquebatur, omnibus innotus. Rumor ut hoc factum prodidit, & longe lateque protulit, & fama viri præclariſſima, Beccum & abbatem Herluinum brevi per orbem terrarum extulit; accurrunt clerici, Ducum filii, nominatiſſimi ſcholarum latinitatis magiſtri, laïci potentes, alta nobilitate viri multi pro ipſius amore multas eidem eccleſiæ terras contulere. Ditatur ilico Beccenſis locus ornamentis, poſſeſſionibus, perſonis nobilibus, & honeſtis: interius religio atque eruditio multum accreſcere; exterius rerum omnium neceſſariarum ſubminiſtratio cœpit ad plenum abundare: adimpletur viſio, quæ in eodem monaſterio viſa eſt paucos ante dies, quam vir ille tantus ad ordinem cœnobialem veniſſet. Fons videbatur ortus in valle monaſterii, cujus aqua ad montium cacumina excreſcens, hinc inde effuſa per campeſtrium diffundebatur amplitudinem. Abbas fons erat, in convalle ſcilicet humilitatis exortus; aquæ exundantes, & hinc inde latiſſime effluentes, monachi, qui ab illo incrementum acceperunt religionis divinæ, videlicet eruditionis diſciplinam, qua multi ab eodem loco longe lateque poſtea ſunt meliorati.

Herluini egregiæ dotes.

* *Lanfrancus.*

* *al.* extollens.

12. Hanc fructuum Deo ſuaviſſimorum flagrantiam, cujus ex odore domus Dei per orbem impleta eſt, quam & ipſe Abbas abſens jocundiſſime ſenſerat, poſtea præſens quanto vicinius, tanto jocundius ſenſit, profectus ad eum in Angliam. Quo in itinere evidentibus miraculorum ſignis multa circa illum gratia divina innotuit: cum enim Boloniam veniſſet, volens egredi ad portum [b], qui plus ſex leucis ab urbe non diſtat; tentavit qui cum eo ibat comitatus, Comitiſſa quoque Comitis Euſtachii conjux, femina Deo amabilis, perſuadere plurimum ſategit, ut in urbe remaneret: quoniam in portu navis nulla erat, & ventus qui de tranſmarinis eas referret, jam per quadraginta fere dies nullus omnino exſtiterat. At ille certiſſima

Lanfrancus pergit in Angliam.

[a] Hîc vita Lanfranci fere integra in codice habebatur, ſed cum eam loco ſuo inferius daturi ſimus, viſum eſt operæ pretium hic illam omittere.

[b] Forte Caletum, aut Ambletuſa, nam infra ad portum Doffrenſem, id eſt Dorovernum, appuliſſe dicitur.

ANN. CH. MLXXVIII. AUG. XXVI. in Deo ſpe ait: Ibimus ad navalia, naves ſine mora habituri; fratres qui domi remanſerunt oraturi pro nobis ſine cunctatione nobis eas præſto habebunt. Dixit, & ſtatim ventus convertitur. itur ſub omni acceleratione ad portum, quo tunc prius ſexdecim naves appulit ventus, quam perveniſſent. Noctis erat tunc primordium, cujus ante medium, rurſus aſpirante vento qui transferret, circa auroræ exortum puppes omnes in fluctus retrahuntur. Ingreſſurus navim, aliis ad alia quæ tam tumultuoſæ rei conveniunt intentis, abbas cum monachis haud procul letaniam dicebat; repente juxta quidam, neſcitur unde, adſtitit homo grandævæ ætatis, & modeſtiſſimæ alacritatis; frater qui letaniam proferebat illum vidit, & ab univerſis putabat conſpici, æſtimans pauperem eſſe qui præſtolaretur, ut finitis letaniis poſtularet aliquid ſibi dari. verum intrantibus eis, vidit eumdem jam in navi loco eminenti conſediſſe. Suſpicatus igitur magni alicujus meriti illum exſiſtere, qui pauper habebatur, ſe tam imperioſe aſſidens, prope circa illum attentius manebat. Navis cum in altum mare evecta fuiſſet, territi ſunt nautæ quibuſdam monſtris, quæ in ſalo videbant. Hac tumultuatione proſpectantibus aliis, ille gravi quadam dignitate ſubridens, metum eorum reprehendebat, tunc primo, ut aïebant, viſus ab eis. Exigentibus confeſtim nautis quis foret, quis induxiſſet, vel quo pretio navem locaret; eo auctoritate multa ſe habente, & nil omnino reſpondente, dixit frater, qui jam diu eum viderat: Ex quo letaniam diximus, in portu nobiſcum manet, &, ut credo, plus eo navigium, quam ipſe navi indiget. Cœperunt ergo mirari, & mirando illum omnes contueri. Viderat Abbas quemdam cui valde conformis erat, & quæſivit nominatim an is eſſet. Ille paullulum vultu exhilarato, hoc ſolum reſpondit: Non ſum. Hoc unum in tota ea navigatione protulit verbum. Navi proſperrimo curſu apud Doffrenſem * portum appulſa, per comitatus hominum, qui in navibus erant, multum requiſitus ille comes navigii, nuſquam reperiri, vel qui eum exiiſſe vidiſſet, potuit. Dein omnium rerum cum incolumitate, quinto die ad Archiepiſcopum Abbas pervenit. Quæ tunc inter eos ſummittendi ſeſe ad invicem pia contentio? ſummus Antiſtes, & in eccleſiis tranſmarinis vices apoſtolicas gerens, ſubmittebat ſe ſuo quondam Abbati ut alius quivis monachus, &c. [a]

* V. Douvre.

[a]

Redit in Normanniam.

13. Prædicto Abbati, rurſus mirabili rerum ſucceſſu, ad votum omnia ceſſerunt mox ut redire diſpoſuit. nam die qua voluit, circa ſextam diei horam venientibus quos ad mare Archiepiſcopus præmiſerat, ac renunciantibus ventum omnino contrarium eſſe, & pelagus infeſtum, aſſueta in Deo ille confidentia, diſceſſit ad mare, obluctantibus univerſis, & nocte jam ingruente, quo, multa parte noctis exacta, perveniens, ventum quem volebat, & qui commodior erat ad * transferendum, hora eadem præſto habuit. Interim ſomnum capiens, dum naves ad mare impelluntur, primo lucis ſub exortu navem ingreſſus, tam ipſe quam omnes ſui confeſtim tranſvecti ſunt proſperrimo omni navigii eventu. Non amplificamus rem geſtam, ſed ſimplici narratione ſcribentes, relinquimus eam aliis conſiderandam, dignaque amplificatione attollendam.

*f. transfretandum.

Viri illuſtres è Beccenſi monaſterio.

14. De arboris illius magnæ radicibus, quæ in horto ſuo remanſerunt, ut per ſomnum viderat [b], vidit poſtea prædicandus vir pullulantes quaſdam virgulas in arbores magnas excreviſſe, multos videlicet ad magna bonorum operum incrementa per illius inſtitutionem acceſſiſſe. Illius etenim ſementis exſiſtit quidquid umquam boni fructus in Beccenſi cœnobio, vel ab eo exſtiterit. Arbor fructibus optima fuit venerabilis ANSELMUS,

[a] Et id lege in vita ſancti Lanfranci cap. 7.

[b] Viderat Herluinus arborem præclaram, quam ex Beccenſi horto in ſuum tranſtulerat Willelmus rex Angliæ, ſed ita tamen ut radices ut plurimum in Herluini horto remanſiſſent. Adi vitam ſancti Lanfranci cap. 6.

ecclesiæ Auguſtenſis clericus, qui illum Doctorem maximum ad ordinem monachorum ſubſecutus, ad Prioratum quoque ejuſdem cœnobii Beccenſis poſt eum acceſſit; & defuncto beatæ memoriæ ſupradicto Herluino abbati ſucceſſit; ac demum poſt ipſum Lanfrancum, archiepiſcopus Cantuarienſis exſtitit. vir ingenio admirabilis, facundia non impari, & quod ad humanum ſpectat judicium, morum omnium probitate inſignis. Quod de approbanda actuum ejus honeſtate dicimus, vicinitas univerſa teſtatur, longe lateque Normannia atteſtatur, & Gallia ampliſſime conteſtatur. Arbor fructuum jocunditate plurimum acceptabilis fuit, eccleſiæ Cormelienſis [a] Abbas VVILLELMUS, apprimè nutritus vel eruditus. Arbor alta atque fructuoſa exſtitit HENRICUS Cantuarienſis eccleſiæ Decanus, qui poſtmodum Abbas fuit de Bello, vir eccleſiaſticis omnibus diſciplinis optime inſtructus. Arbores bonorum operum fertilitate multum gravidæ in domo Domini exſtiterunt, venerabilis HERNOTUS eccleſiæ Roffenſis epiſcopus; & qui ei ad idem officium ibidem ſucceſſit, vir morum ſanctitate admodum reverendus GONDULPHUS [b] epiſcopus. Hos eccleſiæ ſuæ filios vidit grandævus Pater aliis eccleſiis Patres conſtitutos: hi ſunt filii de quibus in Pſalmo dicitur: *Filii tui ſicut novellæ olivarum*, qui ab inferioribus extenuati, ad ſuperiora roborati, caritatis Dei adipe & pinguedine repleti, aliorum animas verbis ac bonis exemplis reficiendo roborant, roborando ſuſtentant, ſuſtentando ad ſumma virtutum incrementa educunt. Multam quoque educaverat ſobolem ſpe certiſſima poſteritatis ſpiritualiter in Domino jam juvenes centum: nobiliſſimorum etenim atque optimorum, tam clericorum, quam laïcorum, ex multis partibus orbis illic adunatus numerus, ad centenariam pertingebat ſummam. Vidit filios filiorum, ex ſancto videlicet Cadomenſi cœnobio fratres ad idem opus aſſumtos, in extremis nationibus multos gignere in Domino.

ANN. CH. MLXXVIII. AUG. XXVI.

Pſ. 127. v. 3.

15. Corporeæ eum vires jam deſerebant, quas per tot annos laboris vehementia, vigiliarum & inediæ continuatio plurimum attriverat, viſus maxime deſtituebatur officio, & ab horis veſpertinis indigebat ducamine: quam ob rem non in dormitorio cum fratribus, neque ad pſallendum choro intereſſe jam valebat: ſed tamen ad nocturnale officium primus ſurgebat, nec ulla diurni laboris defatigatio in lecto illum poſt alios retinebat. Cibi ac potus parcimonia quæ in juventute, eadem ſervabatur in ſenectute, præter quod ab omni fratrum Conventu coactus, exceptis legalium jejuniorum diebus, bis comedebat in die: quod quidem ipſum non tam refocillandi laſſi corporis cura conceſſerat, quam ut eſcam ſumens eis ſumentibus, quibus ad opus præſidebat, inſiſtere poſſet, operi uſque ad veſperam, ac perſæpe etiam uſque in noctem inſiſtebat. Otium; aut voluptas nullum in eo ſibi locum ſortita eſt. Non ætas eum annorum numerum jam excedens, de quo dicitur in Pſalmo: *& amplius eorum labor & dolor.* non vehemens, qua multum ſæpe internis angebatur, infirmitas illum ab actionibus neceſſariis retinebat. Paterno affectu omnimodo circa monachos ſuos intentus, diſtricta eos diſciplina regebat, & affectuoſiſſimo amore diligebat. Si quem inter fratres ſegnem, ſi quem ſui ordinis ac ſtudii litterarum negligentem, ſi quem in eccleſia ſomnolentum deprehendebat, hunc omnino inviſum habebat: Semper inquiebat, Homo litterarum, & mandatorum Dei neſcius, quid præſtat? Quem conſiderabat vigilantiorem, ſtudioſiorem, ad virtutum exercitia promtiorem, hujus non Abbas, ſed ſervus exſtabat; pleroſque plus ad ſtudium incitabat illius favor, quam ſcientiæ ipſius amor: ſedulus enim perquirebat, quis omnium eorum qui erudie-

Hilduini jam ſenis virtus.

89. v. 10.

[a] Hactenus perſeverat pæne diruta, vulgo *Cormeille*, in diœceſi Lexovienſi, ſub ordine Benedictino, nulli addicta congregationi. Fundata eſt à VVillelmo filio Oſberni, qui ibi ſepultus jacet.

[b] Ejus Vitam à monacho Roffenſi ſcriptam habes in Angliæ ſacræ tomo 2. pag. 273.

ANN. CH. MLXXVIII. AUG. XXVI.

bantur accuratioris ingenii eſſet, quis tenacioris memoriæ exſiſteret, quis vehementius inſtaret, cujus ſtudio valeret: denique ex omnibus quis ad ſingulas virtutes, & amorem Dei plus intenderet; nec minus quam in ſe amabat, & enutrire ſatagebat, quidquid amandum videbat in ſingulis. Litteratus aliquis volens fieri monachus, quando ad illum veniebat, qua exſultatione ſuſcipiebatur, quæ ſuſcepto benignitas & veneratio exhibebatur? Laïcos qua inſtantia ut ad diſcendum Pſalmos intenderent, agebat? quibus modis, ut quod inchoaverant amando tenerent, inſtabat? Omnibus omnia ſe conformans, omnes ut filios, & illi ut patrem eum amabant.

Litteratos quomodo ſuſcipiebat vir ſanctus.

16. Nova necdum ſacrata erat eccleſia, quam ab ipſo, cujus eam * conſilium inchoavit, & auxilium conſummavit, exſpectabat conſecrari; inſtanter hoc à Deo expoſcens: cujus petitioni qui ad cetera ſibi benignus exſtiterat, optatum Deus conceſſit effectum, adimplens per omnia ſuper hac re illius affectum: multo enim ampliori quam præſumere poterat, honorificentia conſecrata eſt, & à quo exoptabat. Nam pro quibuſdam negotiis tam ſæcularibus quam eccleſiaſticis, ſæpe ſupra memoratus gentium tranſmarinarum Apoſtolicus, ad curiam venit eminentiſſimi regis Anglorum VVILLELMI in ſua terra Normannorum tunc commorantis, &c. [a] Dies ergo à multis per multos annos multum exoptatus longe lateque inſinuatur, ex longinquis regionibus viri conſulares, eccleſiaſticorum graduum ſummæ perſonæ, hominum genus infinitum adventurum prænunciatur, libentiſſime accipitur; congeruntur maximi ſumtus ad ſuſcipiendum omne genus hominum. Ubi adimpletur: *Pluviam voluntariam ſegregabit Deus hereditati ſuæ.* Nihil ab aliquo exactum, nihil expetitum, ſe ipſo ſufficiens, quod cœperat perfecit. Deus qui de ſtercore erigit, ac in ſublimi pauperem ponere conſuevit, ſolo ſuæ manus geſtamine, cujus in conſummatione hujus operis ſui manus adeo larga exſtitit: quod res ſumtuoſiſſime acta, univerſis ad votum & ſufficientiam fuit, nec ullam in poſterum contraxit indigentiam, ad tantum ſollemnitatis tantæ gaudium, languor, qui per octo ante dies vehementiſſimus tenuerat, mortis imminentis metu ipſum monaſterii Patrem adeſſe minitabatur. Porro ne quod mæroris nubilum diei illius lucem offenderet, Deo miſerante, ad diem pleniſſime convaluit.

* al. conſilio & auxilio.

Conſecratur Eccleſia Beccenſis.

Pſal. 67. 10.

An. 1077.

17. Igitur decimo Kalendas Novembris, anno ab Incarnatione Domini milleſimo ſeptuageſimo-ſeptimo, ſanctæ omni Eccleſiæ reverendus gentium tranſmarinarum ſummus pontifex Lanfrancus advenit, conſecrando conſummaturus eccleſiam, quam inſpirante Deo, inchoavit, & in cujus exſtruendis fundamentis lapidem ſecundum, ipſe manu ſua impoſuit. Convenerunt univerſi Normanniæ Epiſcopi [b], Abbates, & alii quique religioſi viri: affuerunt proceres regni, Rex aliis detentus negotiis adeſſe non potuit. Regina MATHILDIS libens affuiſſet, niſi regiis detenta occupationibus fuiſſet: affuit tamen per condecentem beneficentiæ ſuæ largitionem. Noluit Rex supernus operi gratiæ ſuæ regem terrenum ſupremam manum imponere, ſibi totum reſervans operis conſummati gaudium, quod infra ſexdecim annos ſolis pauperum expenſis complevit monaſterium, cum omnibus officinis, opus pulcrum & maximum. Affuerunt & regni Franciæ clariſſimi conſules, & ex aliis regni ejuſdem primatibus complures, clerici, monachi ex univerſis adjacentibus provinciis: confluxit innumerum genus hominum. Agitur dedicatio lætiſſima ſollemnitate, & ſollemniſſima omnium alacritate, alacritati hominum aër ipſe puriſſimus, dieſque luci-

Solis pauperum expenſis conſtructum monaſterium.

[a] Lege ejuſdem Lanfranci vitam cap. 8. ubi ipſe dicitur Becci aliquamdiu commoratus fuiſſe, abjectis ſuæ dignitatis inſignibus, ita ut priorali ſede contentus eſſet, nec tunc voluerit anulo ſuo, excepta Miſſarum celebratione, uti. In refectorio ſimul cum aliis fratribus comedebat, &c.

[b] Chronici Beccenſis auctor præter Lanfrancum Epiſcopos tantum quinque nominat, qui ibi affuerunt, ſcilicet Odonem Bajocenſem, Guilbertum Lexovienſem, Gilbertum Ebroicenſem, Robertum Sagienſem, & Ernaldum Cenomannenſem.

diſſimus

diſſimus arridebat : præ tumultu circumeuntium populorum vix exaudiuntur chori canentium : in tanta compilatione nullus læſionis alicujus moleſtiam ſenſit : nulla in agendis turbatio obvenit. Peracta proceſſione, vix Pontificibus intrare licet ſine colliſione. Irrupit ſequens populus avulſis omnibus januis, univerſis tamen illæſis, quantum eccleſiæ ſpatioſitas potuit adſtringere. Diſtribuuntur altaria conſecranda Pontificibus, ipſum principale ſacrandum archiepiſcopo remanſit. Fit per totam eccleſiam ſumma celebritas, & in agenda celebritate pia quædam contentioſitas. Vix ſemetipſum quiſque cantantium exaudit præ multitudine vociferantium. multi jubilantes, quid dicebatur neſcientes, aut quibus concinerent, minime attendebant. Graves ejuſdem monaſterii perſonæ, quæ propter nimiam aliorum multitudinem paucæ aderant, ſolis lacrymis & devotione cordis ſollemnitatem explebant. Perſonabat in aliis vox lætitiæ & jocundationis, in illis modulabatur Domino cum lacrymis ſola ſibi ſoli tota intenta affectio mentis. quid plura ? Finitur majori quam cœpta fuerat jocunditate ſollemnitas : itur ad refectionem, paſchales nulli defuerunt epulæ, à mane uſque ad profundam noctem ſuccedentibus fratrum turmis qui ad feſtum venerant, quantum refectorii tabulæ continere valebant. Univerſis tam notis quam ignotis, nec ſolum in domibus circumpoſitis, verum in villis etiam remotis, quæ ad uſus neceſſarios petierunt, ſponſata Deo Regi Eccleſia libens miniſtravit affluentia nuptiali majoribus quibuſque ſic ad placitum & ſufficientiſſime, ut qui accipiebant, dicerent modum exceſſiſſe : neque ſolum ea die, ſed multis per aliquot ante dies dum opperiebantur, ita ſervitum eſt. Venerabilis Abbas requirens à miniſtris qui ibant ac redibant, nec momento uno loco ſtare poterant, quid agerent, quid dicerent, an ſumtus adhuc deficerent, cum potius abundare audiebat ab eis : quoties illa die dixit : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* & dicendo iſta, ſolas retribuebat Domino lacrymas, agens gratias pro conceſſis ſibi tot beneficiis : ac merito, quia excluſa omni penuria, omnium à Deo ſumminiſtrata ſerviebatur ſufficientia.

Ann. Ch. MLXXVIII. Aug. XXVI.

Pſal. 115. v. 12.

18. Tertio die, ſæculis memorandus jam ſæpe dictus Cantuariorum archiepiſcopus, ab univerſis fratribus eundi miſſionem popoſcit. quis tantum tantæ inter eos benignitatis virum recedentem ſiccis oculis aſpicere potuit ? Omnes eruperunt in lacrymas, parvuli non valebant conſolari : conſulto maturavit receſſum, quatinus à fletu ſe continerent vel poſt ejus diſceſſum. Abbas Herluinus eum ſupra omnes mortales amans, & ab eo amatus, diſcedentem per duo milliaria proſecutus eſt amicum, ad ſuos viſus numquam in hac vita ulterius rediturum. Quæ cordis amaritudo ! qui fletus ! quamvis comprimerentur in ipſo ultimo vale, & ultimo ab invicem diſceſſu. Poſtquam reverſus eſt ſedens in camera ſolus cum ſolo, qui ſibi ex omnibus erat familiariſſimus, concitatis permittens lacrymis habenas, ad cælum manus levavit, & his verbis ait : Nunc dimittis ſervum tuum Domine in pace : quia viderunt oculi mei quod ut viderem antequam morerer ſummopere optabam, & indeſinenter à te orabam. Adimpleſti quæ volui ; nunc ſervus tuus lætus ad te ibit quacumque hora tibi placuerit. Sic verba compreſſit, ſed lacrymarum affluentiam cohibere non potuit, donec frater qui cum eo loquebatur, diutius nequiens ſuſtinere, aliunde ſermonem induxit. Extunc omni membrorum officio deſtitui penitus cœpit, & longe ante diei ipſius revolutionem anima quod oraverat obtinuit. Nam proxime ſubſecuto menſe Auguſto, decimo-tertio Kalendas Septembris, die Dominico, ex toto, lecto decubuit. Senſit certis indiciis pater longævus jam adeſſe mortem : quod ubi amantiſſimæ congregationi innotuit, mors quædam univerſos pervaſit ; angor, & ex angore quidam ſtupor, animos cunctorum obſedit. cibus percipi non poterat, ſomnus receſſit ab

Redit in Angliam Lanfrancus.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXVIII. AUG. XXVI.

oculis. Tertio die abſolvi ſe, & cetera quæ morientibus exhibentur officia, ſibi exhiberi rogavit.

Herluini morbus extremus.

19. Adſunt filii vale facturi amantiſſimo Patri, eo primo orbandi, lacrymis ac ſingultibus pſalmos, & ceteras orationes interrumpentibus. Tandem ventum ad agendam confeſſionem; confiteri cœpit: verum remanentium pietate filiorum ſuperatus, & ipſe in lacrymas effuſus dicere nihil potuit. Vix tamen eluctatus in vocem abſolvit filios, danſque benedictionem & pacem omnibus, tam præſentes quam abſentes immortali eos Patri omnes commendavit, ac diſcedentes, quia plus non poterat, ut pro ſe orarent, poſtulavit. Dolores, lacrymæ, orationes fiebant, quoniam vix ab eis pſalmus continuari valebat; dum quiſque in alterum reſpiciebat, quaſi jam cerneret fratrem patre orbatum, erumpebat in lacrymas: coram illo plangere nequaquam audebant, quia ſpe bona lætabundus non lacrymantes, ſed lætantes eos omnes videre volebat; ſi cujus in lacrymas concitati ſingultum ſentiebat, confeſtim ſolita gravitate compeſcebat. Profunda jam noctis parte tranſacta quæ in ſabbatum illuceſcebat, cujus ad veſperum obiit; reverendiſſimus vir ejuſdem eccleſiæ Prior Anſelmus, de proximo illius fine non tam ſuſpectus, quam certus, collocavit ſe longiuſcule ab eo, & clanculo, nolens ut ille agnoſceret, quia moleſte ferebat aliquem circa ſe: verum ut mox primum ad matutinas ſonuit ſignum, ilico excitavit domnum abbatem ROGERUM [a], qui ſecus caput ejus accumbebat, & ait: Excitate Priorem, ut dicat nobiſcum matutinas. Plurimum miratus eſt ille quomodo id agnoviſſet, quia nec coram eo venerat, nec aliquis ei dixerat, & poſt accubuerat. Summo vero mane omnes diei horas coram ſe dici rogavit. Denique jam ingruentem mortis horam ſentiens, communicari ſe expoſtulavit, & animam ſibi commendari. Feſtinato ivit Abbas Rogerus, ſed nullam in Euchariſtia invenit hoſtiam. turbati ſunt fratres univerſi, mors inſtabat, & tutamen ſalutare Dominici corporis quod ille acciperet, non erat. Verum circa morientem minime defuit, quæ circa viventem miſerationis divinæ gratia ſemper præſto fuit. Forte tunc ſacerdos quidam pro eo Miſſam celebrans ſumendum adhuc in manibus tenebat corpus Dominicum. Ejus itaque oblationis, quæ pro commendando illius exitu oblata Deo fuerat, prædictus Abbas portionem unam ſuſcepit, & ei ad viaticum tulit. Commendaturi exitum ilico fratres omnes accurrunt, quorum lacrymationem nec tunc ſuſtinere prævalens, peracta ex more Chriſtiano communicatione, quo valuit nutu, verboque monuit, ut in clauſtrum redeant, tanto inſtantius ei ſubvenientes, quanto ad exitum propinquare videbant. Jam ſola exitus hora exſpectabatur, ac precum, & lacrymarum armis communitur. Quotiens cameræ in qua decumbebat oſtium aperiebatur, verens quiſque ne jam migraſſe nunciaretur, attonitus proſiliebat, & quod verebatur audire, exſpectabat. Tranſegit diem ſic uſque ad veſperam, ac ſæpe quaſi aliunde reverſus dicebat abbati Rogerio qui proximus adſtabat: Quid faciunt domini noſtri? cur morantur? quid eſſe putatis, cur non accedunt? Ille quamquam eum de aliis crederet loqui perſonis, reſpondebat ac ſi loqueretur de fratribus monaſterii: Quid, inquiens, jubetis, ſunt in clauſtro, orant pro vobis, aderunt mox ut voletis. Tacebat, & parvum poſt intervallum eadem commotius iterabat. laborabat ille addiſcere quorum moram cauſabatur, & acceſſum præſtolabatur; verum nihil ab eo plus audiebat.

Obit.

20. Veſpertina à fratribus peracta ſynaxi, cum diei ac diurni officii fine,

[a] Exaquenſem, ex altera Vita consentit Arturus Monſterius in Neuſtria pia. Porro Exaquium, gallice *Leſſay*, cujus primus fuit abbas Rogerius ex Beccenſi monaſterio aſſumtus, ſitum eſt in Conſtantienſi diœceſi exſtructum anno 1064. in honorem SS. Trinitatis, & hactenus perſeverat ſub Ordine Benedictino, nulli Congregationi addictum.

Digitized by Google

vitæ humanæ ſtadium felici curſu peregit; nocte jam proxima, quæ in Dominicum illuceſcebat, ſeptimo Kalendas Septembris. Irruunt univerſi, nec jam ſolum monachi; verum ex familia ſervientes, & qui ex villis confluxerant fores & clauſtra effringere conati. quos abbas Rogerius qui ſancto viro in ultima ægritudine obſequentiſſimus fuerat, prudenti confortatione adhortans detinuit, donec corpus decentiſſime funeratum, ſollemni proceſſione in eccleſiam eſt perlatum. In communi poſito jam licet omnibus communem lamentari deſolationem: quæ vivum ſemper aſſequebatur, in funere quoque illum gloria comitatur ad perſolvendum ultimum obſequium * fratri, qui apud omnes maximi amoris atque reverentiæ ob eximiam religionem fuit. Animo libenti convenerunt plurimi Abbates, multæque perſonæ venerabiles: advenit, & totum exſequiale officium celeberrime egit, Ebroïcenſis epiſcopus, honeſtæ vitæ, magnæque litterarum ſcientiæ, vir venerandus GISLEBERTUS. Actum eſt in capitulo illi monumentum bonorum actuum, æternum filiis monumentum. Jure quo de ſpiritualibus locuturi ſtudiis conveniunt, illius præſentatur memoria, qui ex tyranno religioſus, ex multum ſæculari omnino ſpiritualis, loci illius atque ordinis primus exſtitit fundator, & Abbas. Maximos patre amantiſſimo orbatorum filiorum queſtus referre ſuperſedeo, ne dolorem legenti inferam, neu lectorem inferendo moveam in lacrymationem. Illo decenti honorificentia tumulato; largiſſimis expenſis recreantur pauperes, qui ex tota vicinitate confluxerunt. Æternam animæ illius recreationem præſtet, ſi votis opus eſt, Deus, qui vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

ANN. CH. MLXXVIII. AUG. XXVI.

* *f.* patri.

ALTERA VITA.

Ex mſ. cod. monaſt. Beccenſis.

Incipit Prologus in vitam ſancti HERLUINI abbatis primi & fundatoris Beccenſis cœnobii.

1. QUONIAM Chriſti militis HERLUINI vitam vel actus nonnullis audire delectat, & ſingulis annis die tranſitus ejus à devotis eadem devote recolitur, duo in illa ſtili novitate pari ſuſcepimus devotione corrigenda. Licet enim olim digeſta ſit à viro, ut fertur, erudito; ſeu etiam lingua diſerto, ſterilem tamen in ea prolixitatem & incompoſitam dictaminis barbariem modernorum abhorret urbanitas: præſertim cum ex uno inſipida, ex altero tædioſa non immerito judicetur. Nos autem noſtratim ſcribentes, ut à noſtris ſolito lectitetur avidius, & facilius capiatur, utrumque prout valuimus vitium devitavimus, ne aliena correcturi, noſtra itidem aliis corrigenda relinqueremus. Plano itaque pariter & brevi juxta propoſitum utentes dictamine, diffuſum opus & obſcurum ſuccincte perſtringendo dilucidavimus.

INCIPIT VITA.

2. FElix in Domino vir Herluinus primus pater & fundator Beccenſis ovilis, ut dominus fundi, cujus vitam breviandam & enucleandam ſuſcepimus, quod in primis magni eſſe mortales exiſtimant, nobilis claruit generis proſapia; ſed morum elegantia longe nobilior. Pater ejus ANSGOTUS à Dacis * ut fertur de proximo ſanguinis traxit originem, qui armis ſtrenui & ſollertes militia Neuſtriam invadentes ſibi nuper ſubjugaverant, jure illam perpetuo poſſeſſuri; mater vero Ducum, ut legimus, Flandrenſium generoſis orta natalibus, tam generoſi linea ſtemmatis nihilominus exſtitit generoſa. Vir autem Domini prædictus, qui nobis apponitur & ſcribendi materia & recte forma vivendi, primo quidem miles exſtitit ſæcularis, quod ex generis fieri oportebat ſucceſſione, poſtea Chriſti.

Herluini parentes, &c.

* *l.* Danis.

ANN. CH. MLXXVIII. AUG. XXVI. 1. Cor. 15. 46. Non enim prius, juxta Pauli ſententiam, quod ſpirituale, ſed quod animale, poſtea quod ſpirituale. ſed cum conſtet de milite, non tamen nimis timidus vel qualiſcumque credendus eſt exſtitiſſe, nec à præfato genere in armorum ſtrenuitate degeneraſſe.

Militiæ vacat. 3. Erat in illis diebus vir valde famoſus in Nortmannia, prædives & præpotens, utpote primi RICHARDI nepos Nortmannorum ducis egregii, GISLEBERTUS comes Brionnienſis, in cujus educatus curia & ad militaria arma decenter inſtructus, eiſdem ab eo ſuſceptis, ei fideliter adhærens,& debitum ut domino militare reddens obſequium, aliquandiu militavit: huic ſpecialiter & ſoli de jure tenebatur militare. Hujus enim ditioni & miles ſubditus erat, & militis immobilis poſſeſſio. Contigit aliquando comitem Giſlebertum, ut virum magnanimum & acerbæ mentis inſolenter in quibuſdam ſe habentem, ſæpedicto militi ſuo indebitam irrogaſſe injuriam. qua de re vir in omnibus circumſpectus & amator honeſti à domini ſui declinare conſpectu, & tempus iracundiæ aliorſum conſumere partem eſſe remedii & ſub honeſto credidit contineri. Et factum eſt ita. Interea præpotens ſuarum non immemor injuriarum, earum immemor quas aliis irrogavit, contra quoſdam potentes & patriæ magnates ſibi olim illatas ulciſci volens injurias bellum indicit, diem & locum à longe præfigit certaminis, ut major hoc ſigno ſignificetur inexpugnabilis potentiæ oſtentatio. Mandat arroganter certiſſime ſe iturum, ut viribus & armis multa ſanguinis effuſione animadvertat in illos, quod in ipſum olim deliquerant. Audiens autem miles egregius tam ferale domini ſui propoſitum & tanti tumoris edictum, reminiſcitur etiam, quia ubi erat impetus ſpiritus illuc gradiebatur & non facilè revertebatur à propoſito, donec ſatiaretur voluntas; jam tunc immemor injuriæ, memor fidei, nolens ei rependere quod ex merito, ſed quod ex fidei debito reddere tenebatur, notato die & loco, cum viginti armatis & electis militibus ad locum properat, primum belli congreſſum præveniens. Erat enim homo ſub poteſtate conſtitutus habens ſub ſe milites. Aſſerit etiam irretractabili aſſertione ſe ſuoſque uſque ad corporis & animæ diſcidium pro domini ſalute & honore tamquam pro ſe ipſis dimicaturos. Comes autem per devexa montis latera gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ, tandem montis occupavit ſuperficiem, qui fuerat hoſtibus aſſignatus ad certamen. Circumſpiciens vero videnſque præfatos viginti milites fulgentibus armis ejuſdem promontorii è regione procul à latere anticipaſſe planitiem, arbitratus inſidias quid niſi hoſtes crederet? Mandat celeriter inquiri, & in inſtanti quinam ſint & ad quid venerint ſibi renuntiari. Cognitoque quod Herluinus eſſet, ultra quam credi poteſt admirans, opus approbat dignum memoria, commendatque magnatibus ſuis ejus in armis confidentiam, quam quidem dudum agnoverat, ſed & morum fideique conſtantiam, quam plene nondum fuerat expertus, præſertim ut pro injuria tanti vicem beneficii umquam rependere crederetur. O virum in armis commendabilem,& in fide moribuſque hujus temporis, etiam perfectioribus, imitabilem! In articulo neceſſitatis non injuriam,ſed juſtitiam conſuluit, juxta illud Apoſtoli, Cui honorem, honorem; cui timorem, timorem. Noverat etiam quia in neceſſitate probatur amicus. Jubet eum Comes protinus acceſſiri, & ſuſceptum in oſculo pacis ampliori donavit gratia, quam antea donaverit, in ſolidæ dilectionis ſinu familiarius de cetero confovendum. His ita geſtis dux Northmannorum ROBERTUS miſſis epiſtolis utramque partem convenit, inſperatas ab utriſque depoſcens inducias, in vi præcepti præcipiens cauſam conflictus in ſua præſentia curiæ ſuæ judicio determinari. quod & factum eſt. Neque enim illis tutum erat Duci pariter & æquitati duplici arrogantia contraire. Miles adhuc ſæcularis uſque ad triceſimum-ſeptimum ætatis ſuæ annum militavit, totus in armis ſalvo in omnibus æquitatis jure & exſecutione honeſti. In amore domini ſui commilitantium nulli ſecundus, omnium erat primus, à ſecretis enim ejus conſcius ſecretorum, ad ſecreta committenda ceteris omnibus vocabatur ſecretius, apud nobiles quoſque & potentes circumquaque nobilis & ipſe non inter mediocres locum amoris obtinebat. Moribus etenim cognitus & nomine vir famoſus habebatur, æſtimatus à ſingulis ipſorum amore digniſſimus cum debita reverentia.

Rom. 13. 7.

A terrenis ſe ſubtrahit. 4. Ex illo tempore cœpit ab amore mundi de die in diem tepeſcere, ad amorem ſupernorum votis omnibus magis ac magis devotus anhelare, vana vanis velle relinquere, armis & pompæ ſæculi quantum in ipſo erat penitus abdicare, tempus exactum in vanitate fructu redimere pœnitentiæ: jejuniorum & parſimoniæ, vigiliarum & orationum inſtantia ſpiritum roborat hominis interioris, illicitos exterioris reprimit appetitus. Vultu, geſtu, cultu, ſermone & actu alteratus homo exterior, alterationem evidenter denotat interioris. jamque equitare deſiſtens, ſi quando eum neceſſitas iter aggredi compuliſſet, aſino potius quam equo ferebatur, ut & in oculis ſuis vilior appareret, & divinæ majeſtatis acceptior eſſet obtutibus. Memor erat ut laïcus Chriſti adventus in Jeruſalem quem in aſino conſtat illo adveniſſe, ut in ligno confixus operaretur ſalutem in medio terræ. Hæc tamen vehemens tamque repentina viri mutatio, quibuſdam riſus, quibuſdam fletus erat materia. non minis, non blandimentis, non terroribus, non promiſſis ab exſecutione pii propoſiti poterat revocari. Unus tamen erat, ut jam dictum eſt, cui dominus quotiens expediſſet cordis

arcana ſecretius exponeret. Contigit aliquando ut injunctam ſibi ab eo legationem ad Ducem præfatum deferre recuſaret, in qua pernicioſe de cujuſdam magni viri damnoſa pernicie tractabatur. nolebat quippe qui vitam toto quærebat conamine, cauſa damni vel excidii eſſe alicui, ne damna mortis pernicioſius in ipſum retorquerentur. Hac de cauſa diſcedens à curia liberius interim vacabat propoſito. Poſt aliquot dies Comes ipſe Ducem expetiit, ignorans verbum conſilii ſui ad eum minime fuiſſe delatum. ſuſpicatus tamen in mora periculum, ſcire per ſe voluit quod exſpectabat reſponſum. Cognitoque quod factum fuerat, turbatus eſt à furore oculus ejus interior, dicenſque ſe contemni cum mandato ſuo, ira ſuperatus, quæcumque illius erant, & quæ ſubditorum juſſit adduci. Tandem venit ad curiam, cauſa ſuorum aſſumta, ſua omnino prætermiſſa, ſe inter divitem & pauperes ſuos medium conſtituit ſe ſuorum advocatum, ſe reſponſalem, ſe in cauſa oppoſuit defenſorem. Sic ergo exorſus eſt: Domine, inquit, ſi ego, ut aſſeris, in tui peccavi contemtu, mihi ſoli ſi judicas æquum, quæ debetur pœna irrogetur. Iſti qui oves ſunt, quid fecerunt? Injuſte ſemper criminis arguuntur, quos conſtat eſſe innoxios. Nunc ergo, ſi bonum eſt in oculis tuis, ſint mea tibi non repetenda, tantum meis ſua reſtituantur. His ita peroratis, Comes motus pietate, pronior effectus eſt ad ignoſcendum, ſi quid oporteret ignoſci. Rebus igitur omnibus tam ſibi quam ſuis ex integro reſtitutis, commota ſunt etiam viſcera domini ſuper dilectum ſuum, ita quod ab intimis erumpebant lacrymæ, & non poterat ſe continere. Quæſivit tamen ab eo ſecretius, paucis quidem verbis, multis autem lacrymis, ſibi adhuc incognitum cordis ejus propoſitum, & quid ſibi vellet tam inſperata vivendi mutatio. Ad quem ille: Hactenus, inquit, domine, tibi militavi, pæne penitus eorum immemor quæ ſola veram operantur ſalutem: nunc vero, ſi gratiam umquam in conſpectu tuo merui vel reperi immeritam, liceat mihi per reliquum vitæ meæ tempus Deo militare, & in his exerceri quæ vitæ januam aperiunt, datis mecum Domino prædiis, quæ ſub ditione tua mei juris eſſe noſcuntur. Hac enim ſuſpenſione detentus tibi diutius militavi, & moram in ſæculo feci longiorem. Jamque tempus arbitror opportunum petendæ miſſioni, ut ipſo probetur effectu qua me dilectione diligis ſemper revera te diligentem. Inter hæc verba, quæ præ nimio dolore, crebriſque ſingultibus vix proferri poterant, plerumque pro voce gemitus prorumpebant, & uterque fletibus magis ac magis ſeſe rigabant. Dura ſiquidem nimis erat illis corporalis ab invicem ſeparatio. Denique Comes ut loqui potuit, piam conſiderans petitionem, pie petenti facilem inclinavit aſſenſum, necnon & fratres ſancti viri ſubdidit illi, cum his quæ jure paterno nihilominus hereditarie poſſidebant. quorum ſucceſſores uſque ad præſens eccleſiæ Becci ſubditos eſſe novimus.

5. Poſt paucos dies liber à curia diſcedens, libere jam cœpit vacare propoſito, quo liberius tranſiret in libertatem gloriæ filiorum Dei. Veniens enim in vicum ſuum, qui dicitur Burnevilla, ilico cœpit tota ſollicitudine & labore domum Deo conſecrandam ædificare, officinalibus habitaculis inſiſtere, domos paternas evellere, quibus ad ædes monachorum conſtruendas materialis augmentaretur congeries. Per diem ſedulus inſiſtebat operi, nocte lectioni vacabat & orationi: cibum ſemel & ſobrie poſt diurni laboris exercitium, ſomnum vix aut raro, & hunc brevem accipiebat, cum eum nimia neceſſitas compuliſſet. Mirum eſt quod dicitur & inſolitum audiri. Erat annorum quadraginta, cum prima litterarum didiciſſet elementa; ſed in hoc exercitio, Spiritu-ſancto inſpirante, in tantum poſtea provectus eſt, ut etiam ſummis illius temporis doctoribus prædicando, ſententias exponendo, quæſtiones abſolvendo, admirandus haberetur. Dicebant enim ſuper hac re non aliud dici debere, niſi quia Spiritus ubi vult ſpirat. Sic ergo utrumque laborem, diei ſcilicet & noctis, irremiſſe continuans, in victu tenui pariter & ſomno breviſſimo conſummavit in brevi & explevit tempora multa. Fuit enim ſemper, ut re ipſa probatur, Dominus cum eo, per quem erat vir in cunctis proſpere agens. Talibus initiis, tamque certis meritorum indiciis tentator non defuit, qui ſancti mentem à ſancto propoſito conaretur avertere, & malitiæ ſuæ multiplici verſutia bonis ejus actibus in omnibus contraire. Nam cum diu ſecum de modo vivendi deliberaret, incertus adhuc quo habitu, quo religionis genere perfrueretur, quo tramite per anguſtam portam intrare contenderet in terram viventium, quoddam adiit cœnobium, inquirendi cauſa de vita monachorum. Cumque per oſtium introrſus conſpiciens, aliter ſe habentes videret monachos quam expoſcit religioſa maturitas, ab eiſdem fur æſtimatus, non ſine gravi injuria inde repulſus eſt. Poſt breve tempus aliud majoris nominis volens explorare cœnobium, die Natalis Domini proceſſionali inter alia quæ non convenirent, vidit itidem fratrem à fratre cernentibus turbis irreverenter injuriari. Invidus hoſtis hæc illi apponebat fercula, ut quem ſæculi dulcedine non potuit irretire, guſtata ſaltem amaritudine dulcem evomeret intentionem. Nocte ſecuta expletis...... devote matutinis......... atibus orandi gratia remanſit in angulo, viditque in parte........ monachum quemdam à quo non videbatur, qui nunc flexis ad terram genibus,..... nunc toto corpore ſolo proſtratus..... oſis ſuſpiriis reliquum noctis in oratione pernoctavit. Hujus igitur exemplo ſibi prius à dæmone factam agnovit illuſionem, & in monachatus propoſito de cetero perſtitit immobilis.

Via ejus exercitia.

Vincit diaboli artes.

ANN. CH. MLXXVIII. AUG. XXVI.

Fit monachus.

6. Tunc depoſitis omnino laïcalibus indumentis, cum jam eſſet in re, nomine & habitu monachus effectus eſt, & ita cum in aliis ſignum rem ſoleat præcedere cujus eſt ſignum, res in ipſo ſignum præceſſit. Duo etiam ſui ejus exemplo & amore converſi, delicias abdicantes, cum eo pariter arduum iter ingreſſi ſunt. Deinde quam plurimis ibidem fratribus in Domino congregatis, quibus dignus non erat mundus, ipſe presbyter ordinatus eiſdem abbas præficitur. quod procul dubio divinitus factum eſt, ne grex Dominicus ſub alio poſitus pateretur detrimentum, qui ſub eo magnum ſuſcepit incrementum in numero & gratia. Cœpit ergo Deo dignus miniſter digna dignis altaribus digne miniſtrare. gregem ſibi commiſſum per ſemitam tepidis incognitam ſe prævio deducere, de florido ſponſæ horto flores honeſtæ inſtitutionis undecumque colligere, quos plenius atque ſuavius noverat in ordine redolere. Et quoniam optimi mores veterum in Northmannia tunc admodum confuſi erant & barbari, novitate ſupervenientium ſuper normam Northmannorum vivendi ſibi normam inſtituit. Novus enim miles nova condita eccleſia novum gregem aggregavit. Etſi enim nova penitus, per eum eſt in melius innovata religio. quod accedere volentibus rei potius effectu quam ſermonis probatur auditu. In hac domo excepto labore divini operis, & eorum quæ ordini competebant intrinſecus, nemo tempus conſumebat, nemo panem comedebat in otio; expletis enim mane cum ſumma reverentia miſſarum ſollemniis, cum his quæ prætermitti non licebat, omnes agriculturæ vel labori manuum de cetero dediti dabant operam in ſudore vultus ſui, juxta illud propheticum: Labores manuum tuarum manducabis, beatus es & bene tibi erit. Exibant ergo ad opus ſuum & ad operationem ſuam uſque ad veſperam, nullum ordinis dignitas, nullum generis nobilitas à labore manuum poterat excuſare. Abbas exeuntes ad opera præcedebat, revertentes ab opere ſequebatur; & omnes velut aquæ Syloë quæ vadunt cum ſilentio. Hora refectionis panis ſiligineus cum herbis ſale & aqua cœnaturis appoſitus, & mentis inſolentiam & carnis comprimebat habenas.

Pſal. 117. 2.

Matris ejus pietas.

7. Mater etiam Abbatis, matrona nobilis & honeſta, odore reſperſa ſalutifero, ſe ſuaque Deo conferens, in eodem converſa eſt monaſterio, ut ancillæ fungeretur officio, ut Deo famulantium famulatu Regi ſummo cui cuncta famulantur elementa, familiarius mereretur famulari. abluebat veſtimenta monachorum, & quælibet abjectiſſima domus opuſcula, dummodo forent utilia, faciebat, quanto major fuerat in ſæculo ſe in omnibus humilians. Quadam die cum ad opus monachorum annonam, ut fertur, ſubpoſito igne ſiccare ſatageret, caſu terribili atque repentino, flammarum impetu pervalido libere undique ſæviente, tota domus cum his quæ in ea erant rebus ſuccenſa eſt & redacta in favillam. Clamor tanti doloris in cælum attollitur, cum ejulatu magno flere univerſi non damna rerum, non domus incendium, ſed matrem abbatis deflebant ſuper tam miſerabilis mortis infortunio. Currunt ad abbatem, nuntiatur ei cum gemitu nuntiantis in domo illa officinali & cum domo matrem ejus ignibus concrematam. Abbas autem hoc audito, qui ſuam ſuorumque cauſam ſupra Dominum jactaverat, perfuſus quidem lacrymis dilectæ matris pietate, tamen gratias ibidem Deo reddere non diſtulit, qui non derelinquit ſperantes in ſe. Aïebat enim; Sicut Domino placuit ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum, qui matrem meam in ſervitio ſervientium ſibi ſuſtinuit concremari. Illam vero meritis, ut creditur, filii ſui Dominus inter flammas cuſtodivit, ipſa cum ceteris modum ſuæ liberationis ignorante. Hoc tam evidenti miraculo voluit Dominus ſervi ſui celebre nomen haberi, & ad aures multorum longe lateque deportari, ne latens ſub modio lucerna lumen in tenebris non effunderet.

Monaſterium transfert.

8. Poſtea vero divinitus eſt admonitus, ut de loco campeſtri propter aëris intemperiem & aquæ fluentis penuriam, in locum nihilominus ſui juris ſe transferret, qui Beccus à rivo appellatus inibi manante vocabulum traxit. præſertim cum nec hortus nec artes diverſæ. . . . . competenter ibi poſſent exerceri. ita venit ergo ſervu. . . . . mandato divino, ſed. . . . expoſitus ad laborem in ſpe. . . . . ſine fine permanentis cœpit. . . . . ædificare, & qui mutandi locum fuerat admonitor individuus comes. . . . . exſequendi operis exſtitit coadju. . . . . niſi Dominus ædificaret domum, in vanum laborarent ædificantes eam, qui. . . . . juris comes Giſlebertus & alii. . . . . in valle poſſidebant in molend. . . . . . in ſilva, in pratis, & aliis redditibus d. . . . . nutu ceſſit in jus monachorum ſub. . . . . brevi. Juxta locum tria molendina reſervaverat antiquitas, in quorum duobus Abbas de jure tertiam tantummodo partem, in tertio ne unam quidem poſſidebat. Sed quemadmodum antea partitum exſtiterat, ſic totius ex integro tam dono quam pretio dominus & poſſeſſor effectus eſt; & factum eſt ibi mirabilis commutationis admirabile conſilium. vallis enim, quæ propter nemoroſam ſolitudinem & fontium amœnitatem prius fuerat ferarum latibulum, facta eſt refugium & ſolitudo monachorum fugientium de Babylone, recedentium ab Ægypto, quærentium faciem Dei Jacob. Vir itaque juſtus & diſcretus à Deo per viſum loci ſui conſiderans incrementum, & præcavens in futurum, ne laboris oppreſſione ſuſtineret in ſpiritualibus detrimentum, decretum ſtatuit, ut juxta patriæ morem in clauſtro degentes, extra deinceps ad opera non exirent: ſed multorum occupatione Marthæ derelicta, optimam partem eligentes, cum Maria uni neceſſario adhærerent.

Digitized by Google

9. Patrata vero quam incœperat & ſacrata eccleſia, ad nova novus operator Abbas conſtruendis inſiſtebat officinis indefeſſus. Jamque dormitorium condiderat, ſed & clauſtrum ligneum quidem, ſtudio tamen lectionis & ſecreto ſilentii ſatis ad tempus opportunum. Nocte quadam ceteris ſomno depreſſis, Abbas in ſtratu ſuo ab exteriorum intentione cogitatus ſuos recolligens, corde contrito cum lacrymis ex aſſueto vacabat orationi ſecretius & æternis conſulendis, ad litteram etiam implere ſatagens illud Pœnitentis: Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo. Tunc invidus hoſtis accelerans, qui plurimum illi & ſalutaribus bonorum initiis vehementer invidebat, cum nimio ſtrepitu tectum dormitorii conſcendit, volens ſi poſſet ipſum ſuper monachos præcipitare dormientes; ſed Dominus cuſtos qui de nocte, qui non dormit neque dormitat cuſtodiens Iſraël, meritis patris in lecto mærentis & orantis oramine, ſed & filiorum, ut res ipſa docuit, filiali delectatus odore, non permiſit tantum malum fieri. unde confuſus hoſtis & magis iratus ſic abſcedere dolens, fecit tamen malum quod licuit. quod abbas apud ſe pro minimo duxit. nam quanto potuit conamine ſupra clauſtrum proſiliens, totum undique confractis columnis dejecit ad ſolum. & abiit. Abbas autem facto mane fratribus retexit per ordinem quicquid ea nocte pervigil audierat, & contra hoſtem eos validius animavit ad certamen, ne timerent ejus inſidias. pollicens eis clauſtrum ſolidius facturum atque lapideum. à cujus exſecutione vir verax in ſermone non deſtitit, donec plenè quod promiſerat mancipavit effectui.

Ann. Ch. MLXXVIII. Aug. XXVI. Fruſtratur diabolus.

Pſal. 6. 7.

10. Erat juxta locum miles quidam, Rodulfus cognomento Pinellus, divitiis affluens, & ob hoc ſæculi deliciis & carnis illecebris magis irretitus. Hic ſæpe & multum, quia frequenter illuc ut inermis veniebat, admonitus ab abbate, ut de vitiis ad virtutes, de vanis & caducis ad veritatem, de mammona iniquitatis ad Deum qui fecit illum, converteretur: ille vitæ conſilium aure ſurda præteriens ridendo deridebat. aïebat enim: Cum ab armis defeſſus fuero, & carnis ad plenum voluptate ſatiatus, tunc, pater, faciam quod hortaris. Sic & ſic Chriſti miles ſæculi militem admonebat; ſic & ſic vitiis militans Chriſto militanti reſpondebat abbati. tandem venit quadam die circa veſperam locuturus ad abbatem pro quibuſdam controverſiis, quæ tunc inter eos agebantur. Abbas vero verbo ſalutis avide repetito, non ceſſabat admonere contemnentem, juxta illud quod ſcriptum eſt: Si annuntiaveris impio & converti renuerit, ille in peccatis ſuis morietur; tu autem animam tuam liberaſti. Admonebat itaque illum & monendo arguebat, increpabat, obſecrabat inſtans opportune, importune ut noverat oportere, tamquam revera patenter loqueretur dicens: Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te, quibus famularis. quæ autem præparaſti cujus erunt? ille vero datis ex more reſponſis, in riſu caput agitando receſſit in veſpere. quippe qui tenebras peccator diligebat, in tenebris receſſit à lumine. Mira res & auditu valde terribilis geſta eſt. Ipſa nocte in grabato nocturnæ quietis vir animæ ſuæ contemtor morte repentina defunctus eſt. Abbas autem eadem hora orationi ex aſſueto, ut diximus, invigilans, per receſſum contemplationis in abſcondito vultus Dei à conturbatione hominum abſconditus, dum in exceſſu mentis per noctes quæreret quem diligebat anima ſua, miſeram illam animam de corpore cognovit egreſſam à dæmonibus ad tormenta deferri. quæ eadem infelix dum ad interminabilem deportaretur miſeriam, planctus emittebat miſerabiles, & miſeros ejulatus. quos audiens vir ſanctus per longam noctis moram, per longum aëris ſpatium, certiſſime recognovit illius eſſe animam, cum quo ſero ſermonem admonitionis habuerat. Vir autem pius condolens & compatiens illi in tam miſera ſorte, nuntios ſtatim ad ejus domum ſub noctis profunditate direxit, quæ circa illum agerentur ſibi mox renuntiari præcipiens, ut res ſibi nota ipſo certificaretur effectu. Venientes autem domum intraverunt, & irrumpentes in cubiculum, invenerunt eum in cubili, ad latus dormientis uxoris, gelidis jam membris, nihil caloris, vel ſenſus habentem. Admirantes igitur plurimum & perterriti revertuntur, rem geſtam Abbati per ordinem referentes. Hujus autem miraculi teſtis exſtitit quidam de fratribus, qui præfatos audivit ejulatus, ſed quid eſſet penitus ignorabat.

Horrenda mors indurati.

Ezech. 3. 19.

11. Quadam die operariis & operi ſedulus operator aſſiſtens vidit ſatanam, qui ſe transfigurat etiam in angelum lucis, in forma clerici & habitu venientem, tamquam oratorium vellet ingredi ut oraret, ut moris eſt clericorum: ille vero cœptum iter non deſerens, ad explendæ malitiæ propoſitum pronus & extentus domos adivit neceſſarias oratorium prætériens. Vir autem ſanctus clericum arbitratus, fecit clamari poſt illum in hæc verba: Quo tendis? hac iter eſt, non eſt ibi via ad oratorium. Satan vero cum poſt eum curreret inſtanter qui revocaret, ſignato ad quod venerat veſtigio, tenues evaſit in auras. Tunc pater illuſorem fuiſſe comperiens, rei tacitus præſtolabatur eventum. Nocte igitur ſubſecuta quidam monachus, qui ducem illum itineris ad immunditiam elegerat, per immundum tramitem ad immundum egreſſus eſt. Dux ſiquidem immundorum in mundum immundum egreſſuro immundo per immunda loca immunditiæ ſuæ ſignaverat fero veſtigia.

12. Pro his & hujuſmodi quæ contingere ſolent animarum detrimentis dolebat quamplurimum, quod virum intus non haberet litteratum & in ſpiritualibus coadjutorem, dum fra-

Lanfrancum à Deo impetrat.

ANN. CH. MLXXVIII. AUG. XXVI. tribus & loco neceſſaria foris eum detineret exterior occupatio. Proinde devotis ſuper hac re precibus frequentius incumbebat, aures clementiæ Dei ad vota ſua inclinare ſatagens precum inſtantia, ut is cui militabat, à quo omne datum optimum & omne donum perfectum deſcendit, illuc aliquem dirigeret, ſicut noverat expedire ſibi & domui ſuæ neceſſarium. Dominus autem vota humilium reſpiciens, exaudivit de templo ſancto ſuo vocem ejus, quia clamor ex intimis prolatus viſceribus introivit in aures ejus, & miſit ei virum ſecundum cor ſuum. Vir quidam venerabilis in Italia oriundus venerat illis diebus in Northmanniam, nomine LANFRANCUS, famoſitate notus aliis regionibus, ſcientia præclarus, in quo tunc temporis omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ ſæcularis credebantur abſconditi: non tamen ut avarus poſſeſſor retroactis temporibus ſcientiam occultaverat, quaſi pecuniam abſcondens Domini ſui, quia fontes ſui foras derivati ſunt, & aquas ſuas diviſerat in plateis ad multorum doctrinam. nam Græcia, ut fertur, artium magiſtra liberalium, ejus diſcipulos in eiſdem artibus diſſerendis libenter audiebat, & audiens prædicabat admirabiles. Hic cum jam tempus adveniſſet, ut aquas biberet de ciſterna & fluento putei ſui, ſecum de converſione cogitans, locum requirebat humilium & pauperum Chriſti, ſciens quia Deus ſuperbis reſiſtens humilibus dat gratiam, & judicium pauperibus tribuit. Audiens itaque domum Beccenſem initiis & virtutum aromatibus ſub abbate Herluino ſuaviter redolentem, ibidem Deo placiturus, à ſtrepitu vitiorum & favore popularis auræ abſcondi providente Deo propoſuit, ad locum uſque feſtinans, tum quia nova domus eſſet & pauper, tum quia litteratos non haberet, qui pro litterarum ſcientia ut tanto magiſtro debitam ei reverentiam exhiberent. Cumque intraret, in opere luteo clibani propriis manibus conſtruendi zona præcinctum laboris Abbatem invenit: abbas autem ob perſonæ reverentiam illud opus humile prætermiſit, ſe viſitatum à Domino & exauditum per ejus adventum intelligens. Prædictus vero magiſter, habito prius ad invicem de vitæ dulcedine colloquio, coram Abbate ad tam humile opus humiliato, proſtratus in terra humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, ſuſcepto in loco humili humilitatis habitu. Ingreſſus autem ſolis vacabat ſpiritualibus, totus in illis, & ſic per triennium intus delituit, ab omnibus foris incognitus, exceptis paucis, quos ejus ſcientia latere minime poterat. Exinde perſona ejus paullatim in famam egrediens, ſub brevi tempore ad multorum ingreſſa eſt notitiam. Cœpit ab omnibus honorari, cœpit nomen ejus, ſed & abbatis, immo totius per eos eccleſiæ, fama crebreſcente circumquaque dilatari. Crevit fama, crevit eccleſia, crevit facultatibus, crevit redditibus, crevit honeſtarum ornatu perſonarum, laïcis nobilibus ſe ſuaque certatim monaſterio conferentibus, viris litteratis undecumque confluentibus cum ornamentis & ſpoliis quibus ſpoliaverant Ægyptum, quæ cultui tabernaculi poſtmodum forent accommoda. Poëtarum quippe figmenta, Philoſophorum ſcientia & artium liberalium diſciplina Scripturis-ſacris intelligendis valde ſunt neceſſaria.

Lanfrancus de ſeceſſu cogitans. 13. Cum vero Lanfrancus aliquamdiu jugum Domini ſuave & onus ejus leve monachi portaſſet ſub habitu, audiens nomen ſuum non ſolum in compitis platearum, verum etiam in auribus principum excellenter reſonari; qui prius, ut diximus, auram fugerat popularem, cœpit itidem ſecum cogitare de vitæ mutatione: in auſteriorem eremum concupiſcens, à cibis abſtinebat conventualibus, cum in ipſis nulla eſſet quantitatis vel qualitatis nimietas, ſed inter multum & parum mediatrix ſufficientia; quorumdam autem carduorum & hujuſmodi vilium herbarum veſcebatur radicibus, ad probandam in ſe parcimoniam, ut aſſuefactus in grege victui eremitico, ſolitariam eremi non vereretur paupertatem. Quærentibus autem cur vir tantæ diſcretionis ſic ageret, cur jumento ſuo pabulum ſubtraheret quotidianum? reſpondebat hæc graminea cibariola ſibi medicabiliter profutura. nulli adhuc notum erat hujus ſecretum voluntatis. Deus autem æternus qui abſconditorum eſt cognitor, qui novit omnia antequam fiant, noluit abbatem Herluinum tanto talique ſocio remanere deſolatum, noluit itidem iſtud vas electionis fieri tamquam vas perditum. quod utique fieret, ſi vir tam utilis, tantique conſilii ſolitarie vivens maneret inutilis. ipſe enim ſciebat quid de illo eſſet facturus.

Miraculo impeditur. 14. Accidit itaque quoddam ſuper hac re memorabile miraculum, & inter pios pia dignum relatione. noctis igitur profunditate ante ortum auroræ quidam monachus, Hugo nomine, nuperrime defunctus, ſæpe dicto patri per viſionem apparuit, cujus nepos exſtiterat. Vir autem Domini, ſicut ſcriptum eſt: Juſtus ut leo confidens abſque terrore erit, *Prov. 28. 1.* in ejus aſpectu defixis confidenter obtutibus, exſtitit imperterritus. tandem comperto quod nepos ejus fuerat, ſic eum alloquitur, dicens: Fili cariſſime, deſiderio deſideravi ſcire poſtquam ab hac vita deceſſiſti quæ circa te geruntur, ſive noxia, ſive ſalubria? Dicito igitur mihi, dum licet, quod tibi receptaculum; quæ pœna, vel quies ſit deputata? Ad quem ille: Pater, inquiens, ſancte, per te mihi proſpera cuncta ſuccedunt, & ad vota felicia redundat feliciter. tuis etenim meritis & pio interventu pœnalem gehennam & tormenti totius evaſi periculum, jam receptus in requie; eſt pars mea Dominus in æternum. ſed nunc miſit me Dominus ad te & Spiritus ejus, ut annunciem quod imminet & ignoras damnoſum

ſum hujus eccleſiæ detrimentum & amarum tibi calicem mæroris imminentis. Magiſter enim Lanfrancus, quem à Deo petitum cum lacrymis ab eodem tibi datum cum gaudio ſuſcepiſti, jam ordinis hujus affectus tædio parat à te recedere, ad vitam anhelans ſolitariam. propter hoc enim crudis veſcitur herbis & herbarum radicibus. Nunc igitur, cave tibi ne illum amittas, ſollicitare ut ſpeculum Eccleſiæ retineas: quia ſi perdideris, multa bona perdes. His dictis, puer diſparuit; abbas vero reliquum noctis in Dei laudibus & precibus lacrymoſis tranſivit inſomnis. Mane autem facto, quam citius potuit, Lanfrancum in ſecretum vocavit locum, cœpit flere fletibus uberrimis cum gemitu cordis, crebriſque ſuſpiriis ſine vocis expreſſione, quia dolor vocem intra fauces comprimebat. Cœpit à fletu & in fletu peroravit; Lanfrancus etiam flenti patri condolens, flebat & ipſe, cum in ejus corde cauſa fletus eſſet, & ignoraret. tandem ex quo valuit, cauſam ejuſdem fletus ſic exorſus eſt: Frater venerande, cum mea ſis petitio quam à Deo diu & devote poſtulavi, & in qua, te huc veniente, me ſperabam exauditum, ob quam culpam meam me deſerto properas in deſertum? qui mei riſus, gaudii & laboris pium ſolamen eſſe debueras, jam nunc, verſa fortuna, mihi jugis cauſa doloris efficeris, dum in luctu me deſeris amore deſerti. Cumque Lanfrancus hoc nemini commiſiſſet ſecretum, neminem ejus conſcium exiſtimans, admiratus eſt valde: illi vero quærenti qualiter ſibi hoc innotuerit, abbas præfatam expoſuit viſionem. Tunc Lanfrancus procidens ad pedes ejus, arcano cordis patefacto, veniam poſtulavit, promittens in verbo Domini ſe numquam ab eo, niſi juſſu ejus & voluntate, de cetero receſſurum. Inter hæc mutuam lacrymarum profundebant viciſſitudinem, donec gaudio lacrymas uterque commutat. Hoc miraculum Vvillermus abbas Cormelienſis ſcripſit abbati Vvillelmo, ſicut ab ore Lanfranci totum didicerat. Poſt modicum tempus, quam citius potuit, abbas Lanfranco Prioris injunxit officium, ſciens quia tunc illud onus recuſare non auderet. Inſtituit etiam ut intus & foris ejus nutu cuncta diſponerentur, & tota domus utilitas ex ejus penderet arbitrio. Ambo itaque erant ſolliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis, ſolliciti ad opus Dei, ad animarum lucra, & virtutum incrementa, ut paſtores boni, vigilantes & cuſtodientes vigilias noctis hujus ſuper gregem ſuum.

Ann. Chr. MLXXVIII. Aug. XXVI.

15. Tantam inſuper gratiam in conſpectu procerum invenerant, ut dux Vvillelmus eorum frequenter uteretur conſilio. Orta eſt tamen aliquando inter eos repentina perturbatio, ita ut Lanfrancum de terra ſua ſine mora præciperet exterminari, & vicum eccleſiæ, qui Parcus dicitur, incendio concremari. Relatum enim ei fuerat à delatoribus ſuis & amicis diſcordiæ, quod idem Lanfrancus criminis objectione in ejus perſonam inſolenter deliquiſſet a. Paretur in utroque Ducis effrenatæ juſſioni. cumque Lanfrancus juſſu flentis abbatis recederet, gaudio rurſus in lacrymas commutato, Ducem obvium habuit in eadem qua gradiebatur via, quem quaſi ludendo joco decenti ſic alloquitur: Ecce, domine, juſſioni tuæ parere paratus tripes recedere non valeo. ſi vis igitur, ut incunctanter tuis obtemperem mandatis, da mihi quadrupedem. equus enim in quo ſedebat graviter uno claudicabat pede; cum præ nimia exſequendi præcepti celeritate melior quæri non potuiſſet. Dux autem hæc audiens, cum ex indignatione prius ab eo vultum avertiſſet, tandem converſus ad ſuos, in hæc verba ſubridendo reſpondit: Quis umquam ab irato Principe munera popoſcit, quem occulte & injuſte criminis arguiſſet? Tunc Lanfrancus confidenter audientiam poſtulavit. qua conceſſa, cauſam pro ſe ipſo exorſus ut orator diſcretus & diſertus optato fine terminando peroravit. quid plura? ruunt uterque in oſcula & amplexus alterius, & facta eſt ibidem firma colliſi amoris redintegratio. pius enim paſtor qui domi remanſerat, quique apud Deum in omni petitione ſua conſuevit obtinere, portum interioris orationis apprehendens, locum ſuum non deſeruit, juxta illud: Si aſſcenderit ſuper te ſpiritus poteſtatem habentis, locum tuum non deſeras. ſimiliter & conventus fixis in terram genibus Deum precabatur, ut ſuper hac ſe deſolatos conſolari dignaretur. Dum hæc ita gererentur, Dux dilectum ſuum Lanfrancum cum gaudio remiſit ad patrem, cum ampliori gratia combuſta reſtituens: veniente autem Lanfranco, intravit gaudium in luctum, ut luctus gaudio fugaretur. quod factum eſt dum triſtitia eorum verſa eſt in gaudium.

Uterque Vvillelmo Duci gratus.

Lanfrancus gratia excidit. a

Regi reconciliatur.

Eccli. 10. 4.

16. Poſtea vero creſcente fratrum numero ſupra loci capacitatem, cœpit Prior conſtriſtari & mæſtus eſſe, eo quod brevitas officinarum tanto gregi minime ſufficeret. Cœpit ergo ſuper hac re pium patrem convenire, monere frequenter, & exhortari de loci majoris amplitudine providenda, illud Iſaïæ ſibi dictum reputans: Anguſtus eſt mihi locus, fac mihi ſpatium ut inhabitem. At ille nimiis jam fatigatus laboribus, tantum opus aggredi metuens nolebat acquieſcere; ne forte de illo diceretur in opprobrium, quia hic homo cœpit ædificare & non potuit conſummare. Verebatur etiam ne tempus conſummationis mors inopinata præſcinderet, & ætas fragilis opere clauderetur imperfecto. tandem quod hominis non potuit, divina fecit admonitio, quæ non tam voce quam ſigno loquens, totum eccleſiæ proſtravit preſbyterium, tanquam diceret: Ecce ut incipias, tibi major incumbit ne-

Monaſterium amplificant.

Iſai. 49. 20.

a Adi B. Lanfranci vitam cap. 3. infra ad annum 1089.

Digitized by Google

ANN. CHR. MLXXVIII. AUG. XXVI.

ceſſitas. Cœperunt igitur pius Abbas, & Prior ad opera promtus, in loco ſalubriori ædificare, & Dominus juvare paratus ædificantibus aſſiſtere: Chriſtus ſpes ædificantium poſitus eſt fundamentum, & lapis quem reprobaverant ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. cumque per triennium huic inſtitiſſent ſollicitudini, & nihil eis umquam in ſumtibus Deo proviſore defuiſſet, Ducis Vuillermi petitione & abbatis aſſenſu, Prior Lanfrancus abbas Cadomenſis præficitur, ex eadem Beccenſi eccleſia ſecum ibidem conventum inſtituens.

Lanfrancus fit Archiep. Cantuariæ.

17. Interea ſæpe dictus dux Northmannorum Vuillelmus cum magno apparatu regnum invadens Anglorum, ſubacta rebellione, totum armis & viribus ſibi ſubdidit imperium, & dux manens rex efficitur. qui ſtatum Eccleſiæ reformare cupiens & in melius erigere, ſicut illis partibus tunc erat neceſſe, voluntate ſummi Pontificis eccleſiæ Cantuarienſis abbati Lanfranco contulit præſulatum, ad quem nullus reperiri poſſet tam ſufficiens. Hæc tranſlatio arboris fructuoſæ in hortum regionis alterius per viſum beato Herluino nuper oſtenſa fuerat. Habebat in horto ſuo arborem malum ſummæ proceritatis, diffuſæ latitudinis, miræ pulcritudinis, foliis & frondibus decenter ornatam, fructu etiam pulcro viſu & ad veſcendum ſuavi, odoris circumquaque latiſſime reſpirantis, quam Rex in hortum ſuum ejus transferebat aſſenſu. Verumtamen omnes cum illa radices inde evelli non poterant, ſed remanentes ibidem magnas & fructuoſas pullulabant in arbores. Præterea Rex idem invitabat eum ad videndam arboris ſuæ fructuoſitatem. quod deinceps factum eſt. hæc eſt viſio, & patens eſt ejus interpretatio. Sanctus interea Herluinus, licet ad tempus opus eccleſiæ prætermiſerit pro tanti deſolatione conſortis, tamen divino fretus auxilio, finem ad optatum uſque peregit. Audiat in hoc loco pium & celebre miraculum fidelium devotio, ut referre ſoliti ſunt per quorum manus ſumtus miniſtrabantur. Peracta ſeptimana cum ante horam mercedis diſtribuendæ, quod dari poſſet operariis non haberetur, ad horam undecumque ſufficienter affluebat. Illius tamen beato viro juvamen non defuit, cujus ope & admonitu cœpit opus inſtitui. quia juxta Domini præceptum, patrem ſuum honorabat, & matrem, Beccenſem ſcilicet eccleſiam, ut eſſet longævus in terra viventium.

Pecunia multiplicata.

Herluini iter in Angliam.

18. Denique vir Domini, juxta tenorem præfatæ viſionis, arborem ſuam videre diſponens, qualiter in novo novi Regis horto novos flores, novoſque fructus protuliſſet per ſe ſcire deſiderans, venit Boloniam. Erat autem tunc valde pelagus inquietum, & naves ex Anglia reducere volentibus ventus omnino contrarius, adeo ut per quadraginta fere dies nullus inde redire potuiſſet, & in illa parte nulla navis haberetur. Cumque vir in Domino confiſus, ab omni rogaretur comitatu & à multis aliis, ut ibidem perendinans maris & aëris opportunam exſpectaret temperiem, noluit acquieſcere, dicens: Ecce vado ſecurus ad navalia in nomine Domini cum aura ſalubri navem protinus habiturus. Hæc cum dixiſſet, ilico Dominus elementorum imperavit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna. Veniens autem ad portum ſub ejuſdem veſpere diei, qui ſex tantum à Bolonia leucis diſtare dinoſcitur, flante borea flatu ſecundo, naves ſedecim jam appulſas invenit in litore, quæ de venti repentina converſione lætantes, nocte ſub ipſa rurſus omnes in æquora relabuntur. Dum autem tumultus qui circa rem hujuſcemodi fieri ſolet tumultuantes agitaret, & Abbatem ſeparatim letaniæ ſupplicatio detineret, adſtitit ei perſona quædam reverendi vultus & habitus, multorumque dierum. Videbat illam Abbas qui letaniam pronunciabat, arbitratus eſſe pauperem alimoniæ ſubſidium exſpectantem. intrantibus autem illis, vidit idem eumdem in loco navis eminenti jam ſibi ſedem elegiſſe, & intuebatur vultum ejus tamquam vultum angeli ſtantis inter illos. Cumque mari navigantes in profundo, vela vento nautæ dediſſent, cœperunt turbari, quædam in ſalo tempeſtatis ſigna videntes. At ille benigno reſpectu, ſereno vultu, modeſto riſu ſubridens, diffidentes & pavidos confidenter à pavore compeſcebat, tamquam diceret voce, quod res effectu locuta eſt: Nolite timere, me præſente, proſperum iter euntes & proſperum redeuntes habituri. Nauticis autem quis eſſet, vel unde ſciſcitantibus: cum illum antea non vidiſſent quando vel qualiter introiſſet; quis pro eo navem conduceret, quave fultus auctoritate tam imperioſe ſe haberet. Ille multis ſibi objectis nullum penitus dedit reſponſum, unde magis omnes mirati ſunt. Tunc frater qui prius foris eum viderat, & ab ejus aſpectu non deſiſtebat in navi, dixit: Antequam navim aſſcenderemus nobis comes conjunctus eſt individuus, & credo quia plus eo eget navigium quam ille navigio. Abbas autem intuens eum, quemdam ſibi notum cui conſimiliter habebatur exiſtimans, an ille ſibi notus eſſet ab eo nominatim requiſivit, ad quem ſolum de tanta multitudine ſuo dignum eloquio, ſolum hoc & breve reſpondit verbum: Non ſum. Cumque proſpero curſu portum apprehendiſſent, inter egreſſos & egredientes per omnes eum comitatus ſollicite requiſitum non invenerunt, ſed nec ejus ſaltem aliquod indicium, cunctis aſſerentibus qua receſſerit vel abierit, neſcio, Deus ſcit. Vir autem egregius, cujus meritum etiam ſigna prædicabant, veniens ad Archiepiſcopum, ut patet ad filium, cum quanto debuit honore ſuſceptus eſt. Ille ſummus Anglorum pontifex haud immemor filialis erga patrem affectus, in tantum illi ſe ſummittebat, ut illo præſente non dominus, ſed diſcipulus vellet haberi. Nam, ut cetera prætaream, dando vel accipiendo quicquam de manu ejus

Digitized by Google

eamdem manum, niſi raptim & ſubito retraheret, volebat oſculari; & quidquid honoris & reverentiæ ſimplex monachus debet abbati, totum illi ſi liceret exhibere ſatagebat. Ille vero fructus, flores & odorem admiratus arboris pulcherrimæ, congratulabatur illi. Hæc eſt enim arbor ejus olim de virgulto tranſlata per viſum. Hæc in regno Anglorum dominando à mari uſque ad mare quaſi therebintus extendit ramos poſteritatis ſuæ, & ramus ejus honoris & gratiæ. Ipſe nimirum, qui per arborem deſignatur, in clero, monachis & populo barbaros ritus exſtinxit, mores bonos inſeruit, ſtatum reparavit religionis; & totam in partibus illis floribus aptam, fructibus uberrimam cum odore ſuavitatis tempore ſuo reddidit Eccleſiam. cujus flores initiorum, bonorumque fructus proventuum, & famæ ſuavis odorem, juxta tenorem viſionis juxta poſitus plenius quam de longe videndo probare, & probando videre deſideranter cupiverat, vidit & gaviſus eſt. Ann. Ch. MLXXVIII. Aug. XXVI.

19. Porro virgulæ de radicibus pullulantes, & in arbores magnas excreſcentes, viri fuerunt nobiles & famoſi, quos eadem Beccenſis in ſpiritualibus educavit eccleſia, quorum primus & maximus ſanctus exſtitit ANSELMUS, paſtor egregius doctorque præcipuus: qui de Priore ſecundo ſecundus abbas Beccenſis, ex abbate poſt Lanfrancum archipræſul effectus eſt Cantuarienſis, cujus geſta & ſcripta penes nos habentur; cujus vita mirabilis fine commendatur laudabili. Fuerunt & alii quamplures ex vitæ munditia & morum gravitate & nitore ſcientiæ, pontifices & abbates, ex tunc ex eodem monaſterio diverſis in locis ad regimen aſſumti eccleſiæ, quorum nomina locaque dignitatum reticemus, ne cum prolixitate notam inanis gloriæ mereamur incurrere. Aſſuevit enim Dominus ab inſtitutione loci, tamquam à fonte religionis Eccleſiæ dare vinitores ex eodem loco. Erat nimirum ille locus ab illis diebus velut hortus irriguus, & quaſi fons, cujus non deficiunt aquæ. Cujus fontis aquæ viſæ ſunt aliquando in viſu noctis ſummos ſupergredi montes. Viri illuſtres Becc.

20. Abbas itaque cum ſatisfactum eſſet oculis ſuis de viſione arboris, juxta quod ei dictum fuerat à Rege, Veni & vide, redire properavit ad propria, petita miſſione. Tunc miſſis ad mare nunciis, à redeuntibus nuntiatum eſt illi tranſitum minime fieri poſſe. Erat enim ventus contrarius. Cumque ſatis & multum ab Archipræſule rogaretur, ut tempus exſpectaret idoneum, non acquievit; ſed vale dicto receſſit ad navalia, ſpe ſubnixus in Domino. Veniens autem ad portum, juſſit ſibi navem præparari, & interim dedit ſomnum oculis ſuis, quia nox erat, & palpebris ſuis dormitationem: cumque ſurrexiſſet, cunctis aſſerentibus navem fluctibus non eſſe committendam, cum omnibus ſuis navem intrat, ventus convertitur, & proſpero curſu deſideratum tranſvecti ſunt ad litus. Quid ergo dicemus ad hæc? Dominus ſolus dux ejus fuit, qui producit ventos de theſauris ſuis. Credimus etiam illum comitem itineris ſui, cujus ſuperius mentio facta eſt, quo duce, tranquilla pace elementorum transfretaverat, illi redeunti non defuiſſe, licet hac vice non apparuerit. In monaſt. redit.

21. Denique vir vitæ laudabilis, quia grandævus erat, multiſque confractus laboribus, vigore carnis & viſu corporeo cœpit graviter deſtitui. numquam tamen ingraveſcente ſenectute ab exſecutione ſoliti rigoris & cenſura diſciplinæ compreſſit habenas, primus in oratorio, primus ad opus Dei, vel inter primos ſemper aut pæne ſemper poterat inveniri. Quos autem in oratione devotos, in lectione ſtudioſos, & in omni bono ferventes agnoſcebat, tamquam cor ſuum diligebat; eiſque non tam abbas quam ſocius, vel etiam diſcipulus apparebat; negligentes vero & deſidioſi tenentem in manibus baculum terroris & virgam correptionis ſentiebant. Grex autem monachorum, quos ſecum aggregaverat, numerum attingebat centenarium, ut numero perfecto caritatis & ordinis notaretur perfectio, & ut ad dexteram Dei crederentur transferendi. Ejus in ſenectute fervor.

22. Unum tamen Abbati deeſſe videbatur, juxta illud: Unum tibi deeſt; quod eccleſia quam conſtruxerat, nondum erat conſecrata. unde inter alia devotionis ſuæ precamina, ſedulis Chriſtum precabatur vocibus, ut ejuſdem eccleſiæ conſecrationem videre mereretur, priuſquam oculi ejus in morte clauderentur: & ab illo fieri, cujus fuerat inchoata conſilio, & qui ſecundum jecit lapidem in fundamento. Petivit, & juſte petenti minime defuit piæ petitionis effectus. venit enim Lanfrancus ad Regem in Northmanniam pro quibuſdam diœceſis ſuæ negotiis. Tunc Regis aſſenſu & gratia, cum gaudio magno, cum honore multo, debitaque reverentia, mater à filio conſecrata eſt. Cum vero poſt triduum dilectus à dilecto in ultimo pacis oſculo receſſiſſet; rediens ſenex ab ejus conductu, ſedenſque in camera, poſt imbrem lacrymarum quæ diu vocem repreſſerant, in vocem ſenis Symeonis dicitur exclamaſſe: Nunc dimittis Domine ſervum tuum in pace, quia viderunt oculi mei quod videre in hac vita ſummopere deſiderabam. Ab illa die cœpit magis ac magis per deſcenſus naturæ ſeneſcentis ad metam deſcendere vitæ mortalis, & ad humanæ ſortis inevitabilem declinare defectum. quod cum fieret, prædixit fratribus ſuæ vocationis ſibi tempus imminere, & in proximo per debitum carnis ab eorum conſortio ſe receſſurum. Hæc autem dicens flebat, & flendi diſcipulis materiam immittebat: non quod diſſolvi & eſſe cum Chriſto, (quod multo melius) renueret; ſed quia paternis viſceribus filios diligebat ut paſtor non ut mercenarius, non poterat ſine dolore ſuam ablationem ab illis pronuntiare. *Marc. 10. 21.* Becci eccleſiæ dedicatio. *Luc. 2. 29.*

Ann. Ch. MLXXVIII. Aug. XXVI. In morbum incidit. Ungitur.

23. Infra ipſum dedicationis annum, prima die Dominica menſis Auguſti, juxta quod prædixerat, irrevocabiliter in lecto decubuit morte prima moriturus, non lædendus à ſecunda. Feria tertia fratribus undique contrementibus viſitatus eſt, & oleo ſalutiferæ unctionis, juxta morem eccleſiaſticum perunctus, cunctis eo uberius lacrymantibus, quo de patris obitu certiores exſiſtebant. cum autem ventum eſſet ad quotidianam confeſſionem, quæ ſub illo dici ſolet officio; prævalente luctu doloris ex pietate remanentium fratrum, nihil omnino potuit exprimere. Tandem ut valuit lugubrem eluctatus in vocem data pace ſingulis, benedixit illis; præcipiens ut recedentes orationi pro illo incumberent. illi quippe moleſtum erat voces audire vel gemitus lacrymantium; ſed nec quempiam juxta ſe morari patiebatur. Forte metuebat adventum, quem deſiderabat angelorum, hominum impediri adventu poſſe præſentium; & bonum erat ei præſtolari cum ſilentio Domini mandatum, quod per angelos fieri confidebat. Feria ſexta, prima vigilia noctis quæ terminatur in ſabbatum jam pæne tranſacta, prior Anſelmus in dormitorium ex more ſe finxit ire, non tam ſuſpectus quam certus de proximo patris obitu. Vir autem Deo dilectus & hominibus Anſelmus, cujus memoria in benedictione eſt, receſſit, ab eo non receſſurus; & receſſit latenter quaſi receſſiſſet, in parte domus longiuſcule, ubi nec videri poſſet ab illo nec audiri, ſe collocans. Cum vero primum ad matutinas ſignum pulſaretur, pater Rogerium abbatem Exaquienſem excitavit, præcipiens ut & ipſe Priorem vocaret matutinas ſecum auditurum. prædictus enim abbas ſecus pedes ejus latebat, qui ceteris ei familiarius obſecutus eſt in extremis. Ambo itaque ſuper hac re valde mirati ſunt, qualiter id ei, niſi per Spiritum-ſanctum innotuerit, ignorantes. Cum vero ſol oriens noctis tenebras effugaret, omnes ejuſdem diei fecit ſibi horas dici canonicas. quo facto, juſſit ſibi ſalutis afferri viaticum, & animam dum viveret commendari. cumque ex inſperato corpus Dominicum in Euchariſtia minime poſſet reperiri, & ſub admiratione turbarentur univerſi: accidit quiddam inſolitum audiri. nam cum monachus quidam Miſſam pro eo celebraret ad exitus ejus commendationem, & in ipſa hora perceptionis corpus adhuc teneret in manibus, pars ejuſdem Euchariſtiæ inde veneranter aſſumta, data eſt ſeni ad viaticum, panem angelorum eſurienti, facta ſubſequenter, ſicut præceperat, commendatione. quæ tamen præ dolore & lacrymarum ubertate vix expleri potuit. Data licentia, fratres ad clauſtrum receſſerunt. nolebat enim planctus, vel gemitus audire lacrymantium, qui ad gaudium anhelabat angelorum. quorum moram poſtmodum frequenter ipſa die cauſabatur his verbis: Moram faciunt Domini mei; quare tamdiu morantur? Quid æſtimandum eſt? ut quid non veniunt? Abbas vero Rogerius quamquam aliud in his verbis intelligeret, tamquam de conventu loqueretur, de conventu reſpondebat. Ecce, pater, in clauſtro ſunt ad veſtram parati venire juſſionem. Ad hæc ille nihil dicebat. Poſt modicum idem verbum repetebat, ſic & ſic ſæpius aïebat: illo ſemper de conventu reſpondente, & quinam eſſent illi quos exſpectabat flebili & modeſta voce requirente; ſed nullum aliud verbum ab ejus ore poterat extorquere. unde non dubium eſt illum certiſſime adventum exſpectare angelorum, qui eum de carnis ergaſtulo educerent, & recto itinere ad terram viventium deducentes, ab aëriæ poteſtatis tuerentur incurſu, quod & factum eſt. poſt diurnæ pariter & veſpertinæ laudis officia cum fine diei ſimul & hebdomadæ, vitam brevem ut morti obnoxiam morte finivit breviori.

Viaticum miraculo recipit.

Obit.

24. Tranſivit autem ſeptimo Kalendas Septembris, veſpere ſabbati, quæ luceſcit in primam ſabbati, de curſu in ſtadio vitæ perveniens ad bravium; de via, ſicut credimus & ejus teſtantur merita, receptus in patria, cum Chriſto qui finis eſt omni vere credenti, ſine fine regnaturus à ſæculo & uſque in ſæculum. Amen.

Ex alio codice mſ.

Anno milleſimo ſeptuageſimo-octavo beatus Herluinus primus Abbas Becci, miles Chriſti glorioſus, inter choros juſtorum ab Angelis ſuſceptus eſt, pretioſum corpus terræ relinquens, felicem animam cælis inferens, ſepultus eſt & tumulatus in medio Capituli, quod ipſe ædificaverat. Obitus ejus dolor ſuis, gaudium angelis fuit: cui etiam Dominus corda hominum revelavit, & animas de corpore exeuntes à dæmone arreptas plangentes audivit, & plangendo cognovit. De virtutibus ejus, Vita, & moribus, ſi dicere voluerimus, dies deficiet. Mittimus igitur prudentem lectorem ad vitam ejus deſcriptam ubi abundanter inveniet, quo inſtrui poſſit.

Defuncto itaque patre Herluino ſeptimo Calendas Septembris, anno ætatis ſuæ octuageſimo-quarto, monachatus vero quadrageſimo-quarto; paucis interpoſitis diebus, electus eſt Abbas ejuſdem loci Anſelmus, qui Prior quindecim annis fuerat: ſequenti vero anno, in feſto S. Petri, quod dicitur Cathedra, benedictus eſt Abbas in eccleſia Becci ab Epiſcopo Ebroïcenſi Gilleberto.

Subjungimus hic duo epitaphia Herluini, ex codd. Beccenſibus, à Guillelmo Gemeticenſi etiam relata libro 6. Hiſtoriæ Normannorum, quæ vel ab ipſo vitæ auctore, aut certe ab aliquo

Digitized by Google

ei ſynchrono edita fuiſſe non dubitamus. Tertium item ex cod. Beccenſi & Picardo ſubjungit Arturus du Mouſtier, quod apud ipſos quivis videre poteſt. ANN. CH. MLXXVIII. AUG. XXVI.

EPITAPHIUM B. HERLUINI.

Hac tegitur Petra fundator primus & Abbas
   Hujus cœnobii, monachus ex laïco.
Ter poſt undenos, ac tres, & quatuor annos
   Grammata neſcierat, poſtque peritus obit.
Quatuor undecies tranſegit cœnobialis
   Annos, rite ſuos dimidiando dies.
Cum Phœbus novum ſub virgine protulit ortum,
   Commigrando diem clauſit, & hebdomadem.
HERLUINUS erat, ſi quis de nomine quærat,
   Cui cum Sanctis det quidquid eis Deus eſt.

ALIUD EPITAPHIUM.

Hunc ſpectans tumulum, titulo cognoſce ſepultum,
   Eſt via virtutis noſce quis ipſe fuit.
Cum quater hic denos ævi veniſſet ad annos,
   Quæ fuerant ſæcli ſprevit amore Dei.
Mutans ergo vices, de mundi milite miles
   Fit CHRISTI ſubito, monachus ex laïco.
Hinc ſibi more patrum ſocians collegia fratrum,
   Cura qua decuit, rexit eos, aluit.
Quas * quantaſque vides hic primus condidit ædes,
   Non tam divitiis, quam fidei meritis.
Quas puer haud didicit ſcripturas poſtea ſcivit,
   Doctus, ut indoctum vix ſequeretur eum.
Flentibus hunc nobis tulit inclementia mortis,
   Sextilis quina, biſque die decima.
HERLUINE Pater, ſic cælica ſcandis ovanter,
   Credere namque tuis hoc licet ex meritis.

* Quot. *al.* ſolus

ORATIO DE SANCTO HERLUINO.

DEus qui beatum Herluinum ab amore mundi converſum, & in tuo ſolidatum, ducem animarum conſtituiſti: ejus nobis merita ſic tribue venerari, ut & hic eum contra noxia defenſorem & in gloria valeamus habere conſortem. Per, &c.

Alia.

IN te ſperantes miſericors Deus & abbatis Herluini precibus confidentes, ad obtinenda corporis & animæ quæque ſalubria non differas clementer exaudire. Per, &c.

Alia.

DA nobis quæſumus Domine, ſancti Patris noſtri Herluini ita ſemper inhærere veſtigiis, ut ejuſdem & exemplis informari & meritis mereamur adjuvari. Per, &c.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXIX. JULII XII.

VITA S. LEONIS ABBATIS CAVENSIS SECUNDI.

Auctore abbate Venuſino anonymo, ſubæquali.

Ex Surio deſcripta

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

De hujus vitæ auctore & monaſterio Cavenſi diximus in obſervationibus prævtis ad ſancti Alferii vitam, in priori hujus Sæculi parte ad annum M L. *nec plura ſuppetunt quæ hic proferantur. Si quæ in Anonymo ibidem laudato, qui quatuor primorum abbatum Cavæ vitas compendioſe ſcripſit, dignum relatu occurrat de noſtro Leone, hoc ipſum in notulis ad vitam ſuo loco proferemus. In Kalendario pervetuſto ſic Leonis obitus indicatur.* IV. Idus Julii, depoſitio domni Leonis abbatis. *& in Chronico brevi ad cyclos paſchales:* Anno MLXXIX. Leo abbas ſanctæ Trinitatis obiit, & Petrus abbas ſtatuitur, qui matrem habuit neptem domni Adelferii abbatis. *Alferium & Leonem abbates Cavenſes laudat Victor tertius ſub finem libri tertii Dialogorum.*

Leo Alferii diſcipulus & familiaris.

1. SECUNDUS Cavenſis monaſterii pater LEO, vir valde venerabilis fuit, viri reverendiſſimi Alferii diſcipulus inſtitutione, ſed ſocius ſpiritu & virtute, quia fructum ejuſdem magiſterii in perfectione protulit ſummæ & ſanctiſſimæ converſationis. Hic namque Tuſcus genere, civis Lucenſis, in Salerni partes veniens, ubi ejuſdem Patris celebrem famam comperit, ei ſe protinus in ſanctiſſima converſatione erudiendum dedit. In qua nimirum ita brevi profeciſſe cognoſcitur, ut non ſolum æmulator laborum magiſtri ſui, ſed etiam mirabilium operum cooperator exſiſtere videretur. Siquidem cum pro reſuſcitando mortuo vir venerandus Alferius orare propoſuit, hunc ſolum ex omnibus diſcipulis ſecum retinuit, cum quo pariter ſe in orationem dedit. quod utique vir ſanctus non faceret, niſi ex vitæ ejuſdem perfectione colligeret, quia ad obtinenda tam grandia adjutorium ſibi præſtare potuiſſet. Qui licet magiſtri ſui tempore magnus haberetur, tamen poſt ejuſdem mortem magis claruit. Nam ut diſcipuli ejuſdem, qui uſque ad noſtra tempora in monaſterio fuerunt, referre ſoliti ſunt, in tantam cordis puritatem profecit, ut venerabilem Domini noſtri Genitricem orationis tempore videre mereretur.

B. Mariæ devotus.

Pauperum amator.

2. Præterea tantæ humilitatis atque miſericordiæ vir exſtitiſſe dicitur, ut ab adjacenti cellæ ſuæ eremo lignorum ſarcinas propriis humeris Salernum ferret, eaſque diſtrahens, panes emeret, quos pauperibus erogaret. Haud ſecus utique ſe Matris Domini adſpectum promereri noverat, quam ſi magnis virtutibus polleret, & ſe magna humilitate dejiceret; ut deſpectus foris, intus nequaquam intumeſceret, ſed virtutum tenerum ædificium in ſummæ humilitatis petra ſolidaret. Et fortaſſe vir ſanctus ſe illi miniſterio conjunxit, quia ad æternam vitam per labores temporales ire diſpoſuit. Opus ergo miſericordiæ illud probavit, quod cum corporei laboris ſacrificio convenire cognovit, ut ex utroque velut pingue omnipotentis Dei holocauſtum fieret, amoris videlicet flamma ſic totus affluens, ut corpus omne laboribus, & totam mentem dedicaret pietati.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXIX. JULII XII.

Eulogiam dat Giſulfo.

3. Ferunt etiam quia quadam die cum à prædicta civitate veniret, & lignorum ſuorum pretium in pane pauperibus divideret, GISULFO quoque Salerni principi ſudoris ſui panem porrexit. qui cum primo oblatum ſibi panem deſpiceret, reprehenſus à Militibus, quod non panem, ſed in pane Dei hominem ſperneret, confeſtim reverſus eſt; de viri Dei manibus panem accepit, & comedit, atque ex illo jam die tanto Patri familiaris fuit. Ex qua nimirum gratiæ ubertate accidit, ut in multam donorum meſſem panis ille fruſtra, ut putabatur, diviti oblatus creſceret, & quaſi bonum ſemen fructus ſui copiam abundanter effunderet [a]. Nam cum idem Princeps, ſæculari potentia tumidus, plura crudelia ſævaque proponeret, hic ſolus audebat obſiſtere, ſolus pravis ejuſdem diſpoſitionibus libera auctoritate contraire. quem nimirum ſæpe humilibus precibus liniens, ſæpe comminationibus impetens, nonnumquam ſibi ſubjectum & obedientem ita reddidit, ut obtineret quandoque quæ peteret, quandoque quæ impendere nollet, ab invito auctoritate non precibus extorqueret. Nam ſcriptum de hujuſmodi ſanctæ Eccleſiæ potentibus eſt, *Juſtus ut leo confidit.* & iterum ſacra Scriptura loquitur, dicens: *Leo fortiſſimus beſtiarum ad nullius pavebit occurſum.* Vir ergo Domini ſignificatum ſui nominis virtute magnæ conſtantiæ exhibebat. Pauper ſiquidem rebus, cæleſtis patrimonii deſiderii dives, hujus mundi divitibus tanto liberius obſiſtere poterat, quanto in mundo, quem non amabat, perdere nil metuebat.

Reis & miſeris ſuccurrit.

4. Eodem namque tempore memoratus Princeps contra Amalfitanos bellum moverat, in quos ita ſævire viſus eſt, ut quoſcumque ex eis caperet, magnis tormentorum cruciatibus deputaret. Quis vero explicare ſufficiat, pater venerabilis Leo quanta tunc capitis auctoritate, quanta liberalitate ſuccurrerit, quam largiter carceratos paverit, ſpoliatos induerit, vinctos abſolverit, tortos eruerit, atque à vicina membrorum amputatione liberaverit? Nam tanta libertate pro eis, qui ad pœnas ducebantur, eidem Principi obſtitit, ut eos ab ipſis cruciatibus violenter auferret, atque non juſſus abſolveret.

5. Quadam namque die, dum ad menſam cum fratribus ſederet, triſtis nuntius affuit, qui venerando viro tres homines privari lumine juſſos à Principe indicavit, & ejulans atque exclamans ſubjunxit, dicens: Curre Pater, curre, quia jam miſeri producuntur. Tunc Pater venerabilis à menſa ſurgens, & velut alter Tobias, prandium deſerens, Salernum concito gradu perrexit; & jam viros illos extra civitatem perductos inveniens, tenuit & abſolvit, atque abire liberos juſſit. Cumque carnifices vehementer timerent, ipſe pro eis ſe Principi reddere rationem promiſit, quam profecto ut promiſit exhibuit: quia ſe, ut dixit vadem pro eis obtulit. ſed de crudelitate, quam in Chriſti fideles exercebat, non ut vas pœnarum, ſed ut tutor juſtitiæ vehementer increpavit. Cui etiam aliquando indignanti, & ſuperbiæ tumore ſalutis monita contemnenti, crudelitatis ſuæ meritum per prophetiæ ſpiritum pronunciavit, dicens: Pro crudelitate tua poſt parum temporis hujus terræ dominus non eris. Quod cum princeps audiſſet, timuit, ſed tamen feritatem ſuam non reliquit: unde non immerito viri Dei minas expertus eſt. Poſt non multum denique temporis Salernitana civitate à ROBERTO Duce obſeſſa [b] & capta, ut vir ſanctus prædixerat, regimen, quod pie moderari Princeps noluit, amiſit. Quo jure trium Patrum gratia floruiſſe venerandus Pater agnoſcitur: Tobiæ ſcilicet, qui ut mortuos reconderet, reliquit prandium: ſancti Nicolai, qui ut in-

Principi ſævo exilium prædicit.

[a] In altera vita additur: *Præfatus ſiquidem Princeps beato viro ejuſque monaſterio donationes plurimas & privilegia multa conceſſit.*

[b] Id anno 1075. contigiſſe tradit Anonymus Caſinenſis. In altera vita ſic habetur: *Etenim non multo poſt, in anno ſcilicet Domini* MLXXVI. *Rupertus Guiſchardus dux Salernitanam civitatem obſidione oppugnavit, & Giſulfum à principatu ejetit, &c.*

Ann. Ch. MLXXIX. Julii XII.

ſontes eriperet, tenuit ſpiculatoris manum: ſancti Benedicti, qui regi Totilæ futuram mortem nunciavit, & ejuſdem feritatem, quam ex toto auferre nequivit, terrendo minuit. Juſtorum quippe fulgore enituit, qui more ſanctorum paracleti Spiritus gratia plenus fuit.

[a] Depoſitum ut ſervat.

6. Neque [a] illud ſilendum arbitror, quod Gisulfus Princeps cum Amalfitani cujuſdam opes depoſitas Salerni apud obedientiam monaſterii, videlicet ſancti Nicolai de Palma, cognoviſſet, ad locum acceſſit, & depoſitum eruere tentavit. quod cum beato viro innoteſceret, prævenire Principem ſtuduit, ut videlicet arcæ illi inſideret, ne depoſitum quod intus latebat, ſine ſui injuria educi potuiſſet. Tunc Princeps, qui tanto Patri injurias inferre metuebat, quaſi per jocum manus ad arcam tendere, & ut ſurgeret de eadem arca rogare cœpit. Sed vir Dei exterioris calliditatis arte blandienti eadem voluit arte illudere, ut prave callentis intentio effectum habere minime potuiſſet. nam quoties ad arcam Princeps per jocum manum tendebat, vir Domini quaſi ſancte ludendo manum Principis baculo ferire minabatur. Cumque hoc ſæpius fieret, & idem Princeps jam non joco, ſed ſerio & importune res arcæ latentes exigeret, vir Dei irato Principi non ſolum non acquievit, ſed etiam facti temeritatem vehementer increpavit. Tunc Princeps tam conſtantia quam ſollertia ſancti viri ſuperatus receſſit, & depoſitum hominis intactum reliquit. Sed de tanti viri auctoritate iſta tetigiſſe ſufficiat. nam ſi quis per ſingula cuncta deſcriberet, quoties ſcilicet ſe pro ſolvendis vinctis objecerit, quoties ut alios eriperet ſemetipſum obtulerit, quibus aut quantis blandimentis & precibus, quibus minis & terroribus, quot item vicibus & artibus eumdem Principem aggreſſus fuerit; non paginam, ſed enormem codicem impleret. quod profecto beati viri propoſitum, quantum Domino placeret, apertis rebus oſtenſum eſt.

B. Cæciliæ quam devotus.

7. Feſtum quippe beatæ virginis & martyris Cæciliæ, pro affectu quem erga ejuſdem meritum habebat, ſollemniter celebrare conſueverat. Die autem illo, qui feſtum ejuſdem prædicandæ Virginis præibat, ita apud jam ſæpedictum Principem pro abſolutione vinctorum fuit occupatus, ut ad Cellam niſi incumbentibus jam noctis tenebris redire nullatenus valeret. Peractis ergo negotiis, & more ſuo carceribus deprædatis, cum extra Cellam manere noluiſſet, ad lumen cerei ſequentibus fratribus iter arripuit, & reverti ad monaſterium cœpit. Tunc orta tempeſtate, inter immenſa ventorum flamina atque ingentis pluviæ inundationem, ardentem cereum detuliſſe fertur, & ita ſicca veſtimenta, ac ſi ſereno & tranquillo aëre, aut operta porticu veniſſet.

Draconem prece necat.

8. Speluncula etiam erat non longe à monaſterio, quam miræ magnitudinis ſerpens obtinuerat. Cumque terrore illius beſtiæ locum adire incolæ vehementer metuerent, venerando patri Leoni hoc intimare curaverunt. quod ut cognovit, ſe homo Dei in orationem dedit, atque in loco illo, in quo erat, ita draco exſtinctus illius oratione eſt, ac ſi non hunc verbis impeteret, ſed trabali telo viſcerum ejuſdem ſecreta perculiſſet.

[b] Moritur.

9. His [b] ergo & hujuſmodi virtutibus clarus, cum jam plena dierum ſenectute gravaretur, æternæ quietis levamine, pondere carnis depoſito, ſuſceptus eſt. Cujus utique meritum, ut ipſa etiam ejuſdem morte clareſceret, ſævioris elementi virtute ſubtracta, non ſine ingenti omnium mentium ſtupore monſtratum eſt. Venerabile namque ſancti viri corpus à flen-

[a] Deeſt totus hic numerus in altera vita.

[b] Loco eorum quæ ſequuntur, hæc leguntur in altera vita: *His ergo & aliis multis virtutibus & miraculis clarus, cum jam plena dierum ſenectute gravaretur, onuſque regiminis jam ferre non poſſet, ſucceſſorem in monaſterio ſibi conſtituit beatiſſimum Petrum, ejuſdem monaſterii monachum. Ipſe vero ad eccleſiam ſancti Leonis de Veteri, quam paucos ante annos ipſe conſtruxerat, ſeceſſit, divinarum illic rerum contemplationi vacans; nec paullo poſt glorioſo fine quievit* IV. *Idus Julii*, MLXXIX. S. Petri vitam dabimus ad annum 1123.

tibus

tibus & orantibus diſcipulis in oratorio ſervabatur, cum unus ex cereis ſuper feretrum cecidiſſet, & ſuper pallium quo operiebatur, ut erat ardens incubuit: ſed ut tanti viri meritum panderet, vim luminis habuit ſine ardore combuſtionis. Nam cum ad eumdem * lectum quidam fratres oculos levarent, ardentem in pannis ignem adſpicerent, combuſtionis damnum accidiſſe crediderunt; cumque feſtinanter eumdem cereum levarent, ita operimentum ſancti corporis illæſum apparuit, ac ſi ignis in eo nullus cecidiſſet. Tunc fratres omnes ingenti miraculo mirabilique lætitia ſtupere, atque ſimul exſultare cœperunt, dum ſancti Patris merita naturæ ſuæ ceſſatione elementa muta prædicarent, quod fortaſſe ideo foris oſtenſum eſt, ut ſpiritualis etiam viri dignitas convenienti miraculo ſpiritualiter ſignaretur. Aperte quidem recolimus, quia rubus in quo Dominus in igne apparuit, illuminatus eſt & non arſit; habuit lumen, ardore caruit: ſed ut ſedes Dei meritum habeat lucis, non habeat defectum diminutionis. Pater ergo venerabilis inſignibus & convenientibus miraculis oſtenſus eſt: quia hunc, ut locum proprium divina lux ſemper incoluit, quem ut emeritum illuſtravit, & quæ in eo per ardorem punirentur nequaquam invenit. Cujus etiam meritum ſi quis aliter velit, hac oſtenſione cognoſcere facile poteſt. nam perfectioribus electis per ſemetipſum Veritas repromittit dicens: *Capillus de capite veſtro non peribit.* Illius ergo operimentum corrumpi igne non potuit, cujus nullus labor periit, ſed fructum optimum meruit æternæ mercedis.

Ann. Ch. MLXXIX. Julii XII.

* id eſt feretrum.

DE S. SISEBUTO ABBATE Caradignenſi in Hiſpania.

Ann. Ch. MLXXXII. Mart. XV.

I. C*ELEBREM eſſe in Hiſpania ſancti* SISEBUTI *memoriam probant ejus gentis auctorum teſtimonia. At acta ejus vel nemo ſcripſit, vel, ſi aliquando ſcripta fuerint, non habentur. Laudat quidem Tamaïus in Martyrologio Hiſpanico Acta ſancti Siſebuti quæ Johannes de Areballo in Caradignenſis monaſterii Hiſtoria ex pervetuſtis, uti ait, membranis deſumſit. Sed hæc ipſa quæ ex Arebelli libro exhibet, mutuatus eſt ex Tepezii annalibus, quæ nec antiqua ſunt, nec ſatis prolixa, ut Actorum titulo poſſint donari. Quin & ipſe Tepezius ad annum* MLXXVI. *fatetur hæc Acta nihil aliud eſſe quam breve ejuſdem ſancti viri elogium, ſeu vitæ ſummarium ab Areballo ipſo concinnatum. Illud tamen Bollandiani die* XV. *Martii adoptarunt poſt Tamaïum, nec aliud fere quidquam habetur ad commendandam tanti viri memoriam.* S. Siſebuti geſta.

2. *Siſebutus ibi dicitur tertius, ſcilicet poſt reparatum monaſterium, Caradignenſis abbas, qui tempore Gometii epiſcopi, Ferdinando I. tum Sancio II. ac denique Alfonſo VI. regnantibus, eccleſiam ſibi commiſſam ita egregie adminiſtravit, ut defunctus inter alios abbates non fuerit ſepultus, quod ei ob vitæ ſanctimoniam locus eminentior deberetur. ſepultus eſt vero in capella ſancti Jacobi in monumento lapideo ſub arcu marmoreo, ubi cum diu jacuiſſet, miraculorum frequentia excitati ſunt monachi ad tanti viri reliquias in digniorem locum transferendas, quæ recondita ſunt in theca honeſta & exculta, ac tandem incluſa in majori altari juxta ſacrarii tabernaculum, ubi hodieque aſſervantur. Hæc ille.* Compendioſè dantur.

3. *Addunt laudati auctores veterem apud Caradignenſes monachos conſuetudinem fuiſſe, ut illi, etiam ante tranſlatas ex capella Jacobea ſancti Siſebuti reliquias, ſingulis ſabbatis poſt veſperas, huc convenirent, ibique antiphonam cum collecta de* Ejus memoria.

ANN. CH. MLXXXII. MART. XV.

eodem ſancto abbate concinerent. Nomen ejus inter Confeſſores celebrant veteres Litaniæ. Immo inter alia ſanctorum ſuffragia, quæ in vetuſtis ejuſdem monaſterii breviariis occurrunt, memoria ſancti Siſebuti cum propria collecta habetur. Eumdem Sandovallius, Yepezius & alii paſſim laudant. Hugo Menardus in Martyrologio Benedictino, Bucelinus in Menologio, Tamaïus, Bollandiani, &c. ejus commemorationem die XV. *Martii conſignant, quo quidem die obiiſſe dicitur, anno* MLXXXII. *Caradignenſe monaſterium hodieque ſupereſt apud Burgenſes celebre in veteri Caſtella. Hunc locum martyrio glorioſo illuſtravit* STEPHANUS *abbas, qui cum ducentis monachis ſub Arabum perſecutione Sæculo* IX. *ineunte ob Chriſtiani nominis confeſſionem jugulatus eſt. Eorum feſtivitatem ex Clementis VIII. indulto celebrant ſub ritu duplici Valiſoletanæ Congregationis Ordinis noſtri monachi Hiſpani die 7. Augusti, tametſi pridie paſſi fuiſſe dicantur. ſed eorum ſollemnitas ob Transfigurationis Dominicæ feſtum in ſequentem diem tranſlata eſt.*

ANN. CH. MLXXXII. SEPT. XXX.

VITA B. SIMONIS COMITIS CRESPEIENSIS ET MONACHI.

Auctore anonymo æquali.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ auctor.

1. CELEBRIS *adeo fuit hoc ſæculo undecimo illuſtriſſimi Comitis* SIMONIS *fama, ut eum prætermittere nefas fuerit. Ejus vitam ab auctore anonymo ſcriptam, & quidem æquali, ut ex ejuſdem vitæ Prologo & fine conſtat, jam typis vulgavit noſter Lucas Acherius in Appendice ad opera Guiberti abbatis Novigentini, quam ad codices 2. mſſ. contulimus, huc referendam cum notis & obſervationibus, quæ ad tanti viri familiam, aut res ejus præclare geſtas illuſtrandas conferre poterunt.*

Simonis genus.

2. *Simonem Radulfi, viri divitiis & viribus potentiſſimi, filium fuiſſe diſcimus ex ipſo vitæ auctore; at quiſnam hic Radulfus fuerit, ille auctor non expoſuit, quod ideo ex aliis auctoribus inquirendum eſt. Unus ad id ſufficiet Guibertus Novigenti abbas, cui Simon ob temporum & locorum viciniam notiſſimus fuit. Hic lib.* 1. *de vita ſua cap.* 10. *de Radulfo beati Simonis patre ſic loquitur:* Qui quidem RADULFUS quam celebris ubique Francorum potentiæ fuerit, quas urbes invaſerit, quot opida quæſita, mira ſagacitate tenuerit, multi ſuperſtites qui ejus actuum meminere, ſunt teſtes: quantus etiam fuerit ex eo uno conjici poſſet, quod Henrici regis uxorem, Philippi itidem regis matrem, in conjugio poſt mariti deceſſum habuerit. *Ex his Guiberti verbis diſcimus Radulfum beati Simonis patrem hunc eſſe Radulfum, alterius Radulfi filium, comitem Creſpeïenſem, & Vadienſem ſeu Valeſium *, qui Adela Comitis Barrenſis filia, legitima uxore ſua dimiſſa, Annam Ruſſiæ regis filiam, Henrici Francorum regis relictam, conjugio adulterino ſibi copulavit. Quare Adela Romam petens apud Alexandrum II. ſummum Pontificem conqueſta eſt, quod à viro omnibus ſpoliata, ac falſo fornicationis crimine ſibi impacto, expulſa fuiſſet: quam rem Gervaſio Remorum Archiepiſcopo, atque Senonenſi item Archiepiſcopo eorumque ſuffraganeis diſcutiendam commiſit Pontifex, ſcripta ea de re epiſtola, quæ eſt inter ejuſdem pontificis litteras vigeſima-quarta apud Labbeum tom.* 9. *Concil. col.* 1133. *Quid vero ea de re judicaverint illi Antiſtites, ex eorum epiſtolis non liquet. Gervaſius tamen in epiſtola, quæ apud Cheſnium Hiſtoriæ Francorum tomo* 4. *imperfecta habetur pag.* 207. *Alexandro ſcribit Franciæ regnum non mediocriter eſſe conturbatum, quod Regina Comiti Radulfo, qui Adelam propriam uxorem cum injuria dimiſerat, nupſerit. Ferunt Radulfum ob illud adulterii crimen, & quod bona eccleſiarum injuſte invaſiſſet, à fidelium cœtu ſegregatum fuiſſe: qua in excommunicatione cum obiiſſet Radulfus, inde converſionis occaſionem ſumſiſſe Simonem ejus filium volunt.*

* *Valois.*

3. *Idem Simon fratrem habuit Vualterum nomine, duaſque ſorores, ut diſcimus ex charta quadam archimonaſterii Remigiani apud Remos, in qua ipſorum pater pro Vualtero filio ſuo,*

qui prope Remos occiſus in eccleſia ſancti Remigii ſepultus eſt, nonnulla eidem monaſterio conce-dit, apud Marlot. Metrop. Remenſis tom. 2. lib. 1. cap. 39. Hoc autem totum, *inquit*, ita ſtatuo & confirmo, & laudare facio Simonem filium meum, duoſque generos meos quos de filiabus meis habeo, id eſt Heribertum Comitem, & juvenem nobiliſſimum Bartholo-mæum. *Junioris filiæ Radulſi nomen ignoratur; at priorem Adelam vocatam fuiſſe tradunt, quæ poſt prioris mariti ſui, Theobaldi ſcilicet Campaniæ Comitis, obitum Heriberto IV. hîc laudato Viromandenſi Comiti nupſit; atque eo pacto, cum Simon monachus factus nullos liberos reli-quiſſet, Comitatus Creſpeïenſis aliæque multæ poſſeſſiones ad Comites Viromandenſes tranſierunt. Sed ejuſmodi res perſequi fuſius noſtri non eſt inſtituti. quare ad alia tranſire juvat: ſi quis vero plura de his cupiat, conſulat eos auctores qui de variis familiarum nobilium ſtemmatibus ſcripſere, ac inter alios Labbeum Tabellarum genealogicarum Franciciæ domus tab. 15. ubi eo-rum ſententiam refellit, qui Simonem noſtrum Radulſi Viromandorum comitis filium nothum fuiſſe arbitrati ſunt.* ANN. CHR. MLXXXII. SEPT. XXX.

4. *Licet varii varias Simonis converſionis cauſas aſſignent, certum eſt tamen nihil magis animum ipſius commoviſſe, quam patris ſui jam defuncti corporis conſpectum, cum ipſum è loco in quo primum ſepultum fuerat, ad monaſterium ſancti Arnulſi Creſpeïenſis transferri curavit. Hujus rei teſtem idoneum proferimus Guibertum Novigenti abbatem libro primo vitæ ſuæ cap. 10. ſcribentem his verbis.* Juvenculus igitur Simon, cum mortem pater obiiſſet, obtento comi-tatuum ejus honore brevi tenuit. Nam cauſam adeo maturatæ confeſſionis hanc aliqui fuiſſe ferunt. In quodam opido, quod ſibi uſurpatione potius quam hereditate provenerat, ejuſ-dem patris reliquiæ conditæ fuerant. Quod filius verens, ne animæ patris officeret, ad il-lud quod ſibi ex jure conſtiterat deferre propoſuit: quo ante delationem detecto, & ſub oculis filii ad nudum revelato, cum potentiſſimi genitoris, quondamque ferociſſimi tabi-dum attendiſſet corpus, ad contemplationem miſeræ conditionis ſe contulit. Et exinde quid-quid ſublimitatis ſibi arridebat & gloriæ, faſtidire jam cœpit. Concepta itaque hac ipſa voluntate, fervente tandem deſiderio, quod parturiebat emiſit, & patriæ ſuorumque fugax, fines excedens Francicos, Burgundiam ad ſanctum Eugendum in territorio Jurenſi conceſſit. *Ejuſdem rei teſtem luculentiſſimum habemus Theobaldum de Malliaco, cujus ea de re fragmen-tum verſibus barbaris antiquo idiomate Francico expreſſum laudat Labbeus in Tabulis Genea-logicis, quod quidem huc referre nemini ingratum fore exiſtimavimus.* Converſionis ejus occaſio.

De l'Eſtoire li Romans de monſeignor Thiebault de Mailly.

Ains vos vueil amentoivre de Simon de Creſpy,
Qui le Comte Raoul ſon pere defouï;
Et trouva en ſa bouche un froit plus que demi,
Qui li rongeoit la langue, dont jura & menti.
Li Cuens * vit la merveille, moult en fut. eſbaï: *i. le Comte.
Eſt-ce donc men peres, qui tant chaſtiaux broï?
Ja n'avoit-il en France nuz prince ſi hardi,
Qui oſaſt vers li fere ne guerre ne eſtri.
Quant qu'il avoit au ſiecle laiſſa & enhai,
Bien le laiſſa voir, que ſa terre en guerpi,
Dedans une foreſt en eſſil s'enfoui,
La devint charbonners, i tel ordre choiſi.

5. *Simon in monaſterium Jurenſe ſeceſſit, cum ibi abbas eſſet Odo, qui huic loco ad annum* MLXXXIV. *quo exceſſit è vita, præfuit. Hunc ſeceſſum Albericus in Chronico conſignat an-no* MLXXVI. *quem ſecutus eſt Vignerius in Chronico. quæ quidem ſententia confirmari poteſt ex charta Philippi regis, quam ex Bibliotheca Cluniacenſi infra laudabimus. In ea quippe, quæ data ibi dicitur anno* MLXXVI. *laudatur* domnus Simon dudum Comes, modo Dei gra-tia effectus monachus. *Id tamen ante annum ſequentem contingere non potuit, ut probatur ex ipſius Simonis charta, qua monaſterio Creſpeïenſi nonnulla confert priuſquam fieret monachus, anno* MLXXVII. *Omnem vero mendi ſuſpicionem tollere debent nota chronologicæ, Concurrens, Indictio & epacta, ibi appoſita, quæ apprime anno laudato congruunt. Immo ibi Simon patris ſui corpus nonniſi elapſo poſt ejus mortem triennio ſe tranſtuliſſe dicit, quod eidem anno* MLXXVII. *convenit, cum omnes Radulſi mortem anno* MLXXIV. *conſignent.* Quo anno in monaſterium ingreſſus eſt.

6. *Simonem, antequam ad monaſterium Jurenſe tenderet, multa bona variis locis ſacris con-tuliſſe nemo neſcit. Quid vero monaſterio ſancti Arnulſi contulerit, ex ejus donationis charta jam laudata dicimus, quam hic ideo integram exhibere viſum eſt, maxime quod ex ea conſtet Simonem Radulſi filium legitimum fuiſſe, ſiquidem matrem ſuam ibi ejus uxorem appellat.* Abbatiæ Criſpeiac. multa concedit.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus-ſancti, Amen. Om-nis qui ſemetipſum intelligit hominem, duabus naturis, anima videlicet rationali & corpore,

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXII. SEPT. XXX.

conſtare cognoſcit; qua in re ſaluberrimum eſſe videtur parti utrique digne quæ ſua ſunt providere; & quia juſtum eſt de reſurrectione cogitare, valde neceſſarium eſt pro peccatis offerre. Unde beatus Auguſtinus, animas inquit defunctorum poſſe relevari pietate ſuorum viventium. Quapropter ego SIMON Dei gratia Comes, de ſalute animæ meæ, immo & patris mei venerabilis Comitis RADULFI, præcavens in futurum, præſentis vitæ dies nihil eſſe conſpiciens, atque mentem pro poſſe in conſideratione æternitatis figens, ſupradictum Radulſum patrem meum de Monte-Deſiderio *, jam per tres annos poſt ſui diſſolutionem corporis ibi jacentem, aſportare feci, & eccleſiæ ſancti Arnulfi, quæ ab eodem & ab anteceſſoribus ſuis in caſtello Creſpeïaci honorifico ſchemate fundata eſt, in qua etiam ex aqua & Spiritu-ſancto renatus fuerat, reddidi; ibique more antiquorum juxta ſepulcrum matris meæ uxoris ſuæ, necnon & prædeceſſorum noſtrorum, cum pſalmis & orationibus in ſpelunca duplici collocare feci, & ut melius apud Deum, eumdem Archiepiſcopum & martyrem, videlicet beatum ARNULFUM, habeamus pro animabus noſtris interceſſorem, eidem eccleſiæ, per anulum aureum totam terram de Bonooculo *; quam hactenus in dominio habebam, cum ſervis & omnibus appendiciis ſuis concedo, tali videlicet tenore, quod in vita mea medietatem habeam ejuſdem terræ, eccleſia autem ſimiliter. poſt mortem vero meam tota pertineat ad eccleſiam. Dono etiam eccleſiæ eidem duo candelabra valde pretioſa, quatenus per merita ſancti Martyris animam patris mei lux æterna poſſideat. Hæc autem dono & voluntarie concedo & manu propria firmo; & ut aliorum manibus hæc chartula roboretur poſtulo. Si quis vero, quod futurum eſſe non credo, de heredibus meis contra hanc donationem aliquid calumniaverit: ejus repetitio effectum non habeat, ſed cum Simone mago, & Juda Iſcariote, Dathan quoque & Abiron iram omnipotentis Dei incurrat; qui vero bene adminiſtraverit particeps ejus eleemoſynæ fiat. Actum hoc eſt in Creſpeïac. caſtello, undecimo Calendas Aprilis, anno Incarnati Verbi 1077. Indictione xv. Epacta XXIII. concurrente VI. regni autem Philippi Francorum Regis anno..... Signum Philippi Regis Francorum.

* Mont-Didier.

* Boneuil.

7. *Monaſterium Criſpeienſe in honorem ſancti Arnulfi beati Remigii diſcipuli, quem Turonenſem epiſcopum ordinatum fuiſſe ferunt, conſtruxit Vvalterus-Albus Radulfi patris Simonis avus; quod poſtea Simon noſter Ordini Cluniacenſi ſubjecit, ut ex ſequenti epiſtola patet, quæ ex ejuſdem monaſterii Chartario deſcripta eſt.*

Eam Cluniaco ſubjicit.

Venerando abbati HUGONI & omni Congregationi Cluniacenſis cœnobii, SIMON Comes veſtræ ſocietatis ſervulus ſalutem. Notum ſit veſtræ celſitudini, beatiſſime pater, me vos pluſquam omnes homines in carne viventes in Domino diligere, atque proficuum honorem veſtrum, in quantum valeo, quærere. Concedo itaque vobis & omnibus ſucceſſoribus veſtris Abbatiam ſancti Arnulfi, quæ conſtructa eſt in caſtellum quod vocatur Creſpy, ut omnino ſubjecta ſit vobis; & ut ibi Abbatem de veſtris monachis eligatis, qui ſecundum Deum & ſecundum Regulam beati Benedicti illud monaſterium regere poſſit. Volo ergo ut ſciatis me feciſſe cum conſilio & voluntate meorum hominum ſcilicet majorum, necnon & Regem hanc meo deprecatu ſic firmaſſe chartulam, PHILIPPO videlicet, adſtante, & concedente Silvanectenſi Pontifice YVONE. Teſtes SIMON Dapifer, Simon, Milo, Orphanes. Factum in domo ſanctæ Mariæ Pariſienſis die feſtivitatis omnium Sanctorum. Signum PHILIPPI Regis.

Et nonnulla prædia.

8. *Alias etiam donationes monaſterio Cluniacenſi Simonem feciſſe colligitur ex charta Philippi regis, Medunta data anno* MLXXVI. *in qua nonnulla ab eodem Simone monaſterio Cluniacenſi collata, & à ſe ablata reſtituit. Hæc habetur in Bibliotheca Cluniacenſi col.* 527. *quam hic ideo integram exhibere viſum non eſt. Nonnulla item archimonaſterio Remigiano apud Remos, ubi frater ejus Vvalterus, ut ſupra diximus, ſepultus eſt, dedit, quæ apud Marlotum tomo* 2. *Metropolis Remenſis ex veteri notitia memorantur. At mirum eſt ejuſdem beati viri vitæ auctorem nihil de variis locis ſacris ab eo dotatis, aut à fundamento erectis dixiſſe. Aſſerit tamen Jacobus Vignerius in Chronico Lingonenſi ad annum* MLXXVI. *duodecim aut ſaltem decem monaſteria, ſeu, ut vulgo appellant, prioratus, ab eo fuiſſe conſtructa, ex quibus ſex aut ſeptem in Lingonenſi diœceſi ſita eſſe monet. Ejus verba referenda ſunt, ex quibus horum locorum aliqua notitia habebitur.* Hoc ipſo anno, *inquit*, palam facta eſt admirabilis converſio SIMONIS, illuſtriſſimi, potentiſſimique, Barri ſuper Albam *, Criſpeii ſeu Valeſii, ac Meduntæ Comitis; fundatis ab eo, illo ipſo tempore, decem aut duodecim minoribus monaſteriis, quos Prioratus vocant, ſub cura ſancti Eugendi, ex quibus ſex aut ſeptem ſpectant ad hunc epiſcopatum. Primus in urbe ipſa Barralbulenſi, Petri nomine vocitatur, conjunctamque habet præcipuam opidi parœciam. Secundus ſanctæ Germanæ ſacer, poſitus eſt in monte vicino, ubi reſtant præclara & ampla caſtrametationis Romanæ veſtigia, quam alicubi deſcripſimus cum aliis notis antiquitatis. Tertius, ut & priores, ſat bene dotatus, in opido Firmitatis ad Albam, jucundiſſimo aſpectu. Quartus Silvæ-rubræ * ſeu Roboretæ, in eadem valle, ſecundum Albam fluvium; ut & quintus ſancti Leodegarii. Sextus apud Confinium * in eodem tractu. De Motenſi * in inſula eſt dubitandi locus. Sarmaſienſis *, qui

12. monaſteria conſtruit & dotat.

* Bar-ſur-Aube.

* Syvarelle.
* Cunſins.
* Moté.
* Sermaiſe.

ei quoque attribuitur, de facultatibus quidem ejus, ſed Hugonis Comitis Campaniæ nepotis; non ejus fundantis proprie fuit, nec eſt epiſcopatus noſtri. *Hæc ille, qui paullo poſt ait, Stephanum Comitis Riſnellenſis filium, converſionis Simonis ſocium, primum priorem monaſterii ſanctæ Germanæ inſtitutum fuiſſe; indeque poſtea à Roberto Lingonenſi epiſcopo abbatiæ Beſuenſi fuiſſe præfectum, quam, inquit*, rigore diſciplinæ, fervore mirifico, & variis erectis ædificiis *illuſtravit*. ANN. CH. MLXXXII SEPT. XXX.

9. *Certe Simonis exemplo multos viros illuſtres ſæculo ſpreto vitam monaſticam amplexos fuiſſe certum eſt. Eum enim* infinita utriuſque ſexus agmina *ad meliorem vitam provocaſſe in itinere, quod poſt monaſticam profeſſionem in Franciam ſuſcepit, teſtis eſt cum auctore vitæ ejus Guibertus. Sponſa etiam ſibi deſtinata perſuaſit, ut in ipſamet nuptiarum nocte Virginitatem Deo voveret, atque ilico, veſtibus mutatis, cum duobus Simonis affinibus, in monaſterium Caſæ-Dei ſe recepit. Idem narrat Albericus in Chronico ad annum* MLXXVI. *ubi & de Hugone Duce hæc habet.* De converſione tanti viri SIMONIS fama volante factum eſt, ut HUGO Burgundiæ Dux, Comes quoque Matiſconenſis, & alii ejuſdem ordinis quam plures, illius amoris dulcedine inflammati, arma deponerent, ſæculum relinquentes. Viri nobiles ejus exemplo converſi. Ejus ſponſa.

10. *De Hugone agit Ordericus Vitalis lib.* 7. *Hiſtoriæ eccleſiaſticæ, & fuſius lib.* 13. *ubi ejus genus ex* ſanguine Regum & Auguſtorum *deducit, & jure quidem. nam patrem habuit Henricum, avum vero Robertum Henrici alterius, regis Francorum fratrem. Eumdem duos habuiſſe fratres ex eodem Orderico diſcimus, unum Odonem, qui ei in ducatu ſucceſſit; alterum vero Robertum, qui in eccleſia Remenſi ſub Brunonis tunc ſcholaſtici, poſtmodum Cartuſianorum inſtitutoris magiſterio educatus, poſtea ad ſedem Lingonenſem evectus circa annum* MLXXXV. *multa bona monaſteriis ſuæ diœceſeos, potiſſimum Moliſmenſi tunc naſcenti contulit. ubi etiam monaſticam veſtem ſuſcepiſſe dicitur, paullo antequam è vivis excederet. quod anno* MCXIII. *contigit. Hugo itaque vanitatum mundi pertæſus Cluniacum ſe contulit, ibique à ſancto Hugone abbate conſanguineo ſuo veſte monaſtica donatus eſt circa annum* MLXXVIII. *Etenim defuncto Roberto ejus avo, anno* MLXXV. *cum jam ab aliquot annis pater ejus mortuus fuiſſet, Burgundiæ ducatu potitus eſt, eique tribus annis ex Orderico Vitali libro* 7. *præfuit. Idem colligitur ex epiſtola* 17. *libri* 6. *Gregorii ſeptimi, quæ Indictione ſecunda, id eſt anno* MLXXIX. *data eſt. nam in ea Gregorius ſummus pontifex Hugonem Cluniaci abbatem reprehendit, quod in tanta bonorum principum penuria, Ducem ad ſe venientem recepiſſet, qui Eccleſiam variis agitatam turbinibus debuiſſet tueri.* Cur, *inquit*, frater cariſſime, non perpendis, non conſideras, in quanto periculo, in quanta miſeria ſancta verſatur Eccleſia? Ubi ſunt qui ſe ſponte pro amore Dei opponant periculis, reſiſtant impiis, & pro juſtitia & veritate non timeant juſtitiam ſubire?.... Tuliſti vel recepiſti Ducem in Cluniacenſem quietem, & feciſti ut centum millia Chriſtianorum careant cuſtode..... Cur gemitus pauperum, lacrymæ viduarum, devaſtatio eccleſiarum, clamor Orphanorum, dolor & murmur Sacerdotum & monachorum te non terruerunt? ut illud quod Apoſtolus dicit: Caritas non quæ ſua ſunt quærit. Caritas quæ in te ſolet habitare, me vindicando cor tuum transfodiet, & quantus mihi dolor eſſe debeat de bono Principe ablato matri ſuæ oſtendet, &c. *Ex quibus apparet quo in pretio tum apud Pontificem, tum apud omnes Chriſtianos fuerit Hugonis virtus, etiam antequam veſte monaſtica donaretur; & merito quidem, ut patet ex variis chartis, in quibus ea quæ vel à patre ſuo, vel ab aliis ſuis prædeceſſoribus eccleſiis ablata fuerant, reſtituit. Ex iis tres profert Andreas Cheſnius in probationibus ad hiſtoriam Ducum Burgundiæ pag.* 19. *& ſeqq. In prima legitur, quod poſt reſtitutionem monachorum in cœnobio ſancti Marcelli Cabilonenſis*, in primis Dux Hugo, quidquid prædeceſſores ejus uſurpaverant inibi, dimiſerit & abjecerit. *Idem erga ſancti Benigni Divionenſis monachos præſtitit, eorumque privilegia confirmavit*, accepta ab eis ſancta ipſorum ſocietate bonorum. *Tertia tandem charta Beſuenſium monachorum ſecuritati providit, cui ipſe cum aliis nonnullis nobilibus viris ſubſcripſit. De eo ſic loquitur Ordericus, lib.* 13. *laudato.* Paternam hereditatem tribus annis inſigniter tenuit. Juſtitia inſignis mitibus & juſtis placuit: irreligioſis autem & exlegibus terribilis ut fulgur incubuit. *Verum longe majora dedit virtutis ſuæ argumenta, poſtquam monaſticam vitam fuit amplexus. Sic de eo loquitur vetuſtus ſcriptor Miraculorum ſancti Hugonis abbatis Cluniacenſis, ubi de illuſtribus ejuſdem beati viri diſcipulis agit, in Bibliotheca Cluniacenſi col.* 159. Vidimus, *inquit*, & Hugonem Ducem prius Burgundiæ, & poſt militiæ ſpiritualis ſigniferum, qui ſolebat calceos ungere fratrum, ſeque ita deſpicere & humiliare, ut omnes viles perſonæ ſtuperent, cum ſub ſe viderent talem Principem ſternere. Hic poſt certamen quod geſſit, ſuſtinendo etiam corporalem cæcitatem, tandem obtinuit æternam quam meruit lucem, & ſuaveolentia nobis reliquit exempla. *Obiit pius princeps & monachus anno circiter* MXCIII. *ut ex Orderico colligimus, qui eum ait annos fere quindecim apud Cluniacum egiſſe. Sepultus eſt retro Capellam ſanctæ Mariæ dictam de cœmeterio, cujus tumulo hoc epitaphium ſcriptum eſt, quod in Chronico Cluniacenſi refertur.* Hic requieſcit vir celebrandæ memoriæ, magnuſque ſæculi contemtor, Hugo olim Dux Burgundiæ, poſtea Sacerdos & monachus hujus ſanctæ eccleſiæ Cluniacenſis. Anima ejus requieſcat in pace. Amen. Hugo Dux Burgundiæ monachus.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXII. SEPT. XXX.

Guido Comes Matiſconenſis.

11. *Hac de Hugone occaſione beati Simonis hic potius annotare viſum eſt, quam in Sæculo ſequenti, ubi de beati Hugonis diſcipulis in ejus vita acturi ſumus, quod hic Hugo præſens ſæculum undecimum, & vita & morte ſua illuſtraverit, debeatque Simoni noſtro ſuam converſionem. Idem dicendum de* GUIDONE *Comite Matiſconenſi ejus converſionis ſocio, qui ſemetipſum cum tota ſua familia monaſterio Cluniacenſi tradidit; atque adeo deficiente ejus ſtirpe, Matiſconenſi Comitatu Burgundiæ Duces potiti ſunt, ut notat Cheſnius lib. 3. Hiſtoriæ Burgundionum cap. 64. Guido monachus factus monaſterio Silviniacenſi à beato Hugone præfectus eſt, quo poſtea onere abſolutus Cluniacum rediit, ibique mortuus eſt. Ejus elogium breve in libello de Miraculis ſancti Hugonis, Bibliotheca Cluniac. col. 459. refertur his verbis.* Venerabilis Guido ex Comite Matiſconenſi factus à radice pauper Chriſti, obtulit Deo tam perfectæ converſionis holocauſtum, ut uxorem cum filiis traheret poſt ſe in odorem cæleſtium virtutum. Qui cum tenuiſſet ad tempus regendum cœnobium Silviniacenſe, & voluntate ſancti patris domni Hugonis abſolutus ad clauſtrum rediit, ibique poſt legitimum curſum, religioſam vitam mutavit, potiuſquam terminavit: quia in bono fine recedens, ſummi Boni participium adeptus eſt, ſicut vera fide credimus. *Sed hæc de iſtis ſufficiant, jam ad Simonem redeamus.*

Annus mortis Simonis.

12. *Simonis mortem ad annum* MLXXXII. *Albericus revocat, & quidem ad ultimam diem Septembris. At vita ipſius auctor, quamvis hunc quoque diem Simoni extremum aſſignet, de anno nihil habet. Non tamen Alberico contrarius eſt referendo Simonem à Gregorio Pontifice Romano accerſitum fuiſſe, ad componenda aliquot diſcidia, quæ inter ipſum & Robertum Apuliæ Ducem exarſerant, ne eorum diſcidiorum occaſione civitati Romanæ aliquid adverſi contingeret. Hæc quippe omnia ad annum* MLXXXI. *& ſequentem apte revocari poſſunt, modo ea diſcidia quæ Simon inter Pontificem & Robertum Ducem compoſuiſſe memoratur, non admodum gravia fuiſſe dicantur. Hæc enim jam ab anno* MLXXX. *omnino ſopita fuerant; ſed forte leviores quaſdam diſſenſiones voluit indicare ille auctor, ob quas timebat Gregorius, ne auxilio Roberti deſtitutus, ab Henrico imperatore ipſi infenſiſſimo penitus opprimeretur. Et quidem id Gregorium veritum fuiſſe patet ex ejus litteris ad Deſiderium Cardinalem & abbatem Caſinenſem datis, apud Baron. ad annum* MLXXXI. *in quibus aſſerit Pontifex, Henricum omnem lapidem moviſſe, promiſſa etiam ipſi Roberto in uxorem filia ſua, ut eum in partes ſuas pertraheret.*

Memoria.

13. *Sauſſayus in Martyrologio Gallicano & Ferrarius in catalogo generali ſanctorum Simonis nomen memorant cum* beati *titulo. haud tamen liquet an ullo umquam cultu publico honoratus fuerit. Legitur in vita ſancti Arnulfi epiſcopi Sueſſionenſis, quam infra ſuo loco edituri ſumus, eidem ſancto antiſtiti tunc recluſo Simonis mortem divinitus fuiſſe revelatam. Pro coronide ejus epitaphio ab Urbano II. pontifice edito ſubjungemus infra aliquot verſus, quos paullo poſt beati viri obitum ſub epitaphii nomine ſcripſit Fulcoïus Meldenſis ſubdiaconus, qui ex codice mſ. majoris eccleſiæ Bellovacenſis deſcripti ſunt.*

INCIPIT PROLOGUS
in vita Simonis Comitis.

Auctoris ætas.

I. QUONIAM quorumdam virorum Dei obſecratio & neceſſitas inſtat, ut de beati viri SIMONIS actibus ad utilitatem audientium aliquid loquamur; geſta illius ſingula colligentes, & certa agnoſcentes, verbis explicare curavimus, & ſcriptis & verbis aſſignare. Dignum quippe eſt quod opere geſſit litteris oſtentari, cujus vita nulli hominum, tempore iſto potuit comparari. Merito Dominus, ut ſcriptum eſt, mirabilis prædicatur in ſanctis. Spiritus enim ipſius ubi vult ſpirat, quos perverſos reperit à perverſitate divertens opere ſimplices, animo innocentes, eloquio dulces, ſimulque ſanctæ Dei Eccleſiæ ſocios reddit pariter & adjutores. Sed in quo magis quam in Simone Dominus mirabilis denunciatur? Lupum namque vidit, & agnum manſuetiſſimum reddidit; raptorem, & ovem innocentiæ deſtinavit. Et quia in Simone denuntiatur mirabilis, mirabilia ejus quæ in Simone monſtrare dignatus eſt, neceſſe eſt ſilentio non reprimenda.

Pſal. 67.

Johan. 3.

Digitized by Google

INCIPIT VITA.

1. FUit igitur vir quidam SIMON nomine, vita mirabilis, moribus egregius & genere inſignis. Conſul primum, & Regis Francorum Primipilus, deinde monachus probatiſſimus effectus eſt. Pater ejus RODULFUS, divitiis & viribus potentiſſimus; mater ADELA vocabatur. Qualiter ergo propoſitum fidei ad profectum perduxit actionis, narrationis ordo enucleatius exhibebit. Is itaque cum jam in primævo juventutis flore arte militari multos excelleret, & in iis quæ mundi ſunt pæne totus inhiaret; forte die quadam in agro ad ſpatiandum progreſſus manu tenens accipitrem, ut avem capiendo deciperet, impegit; at ipſe nihil accipiens deceptus eſt. Quod factum, ut ipſemet referebat, talis & tam perverſa cogitatio ſubſecuta eſt, ut omne quod bonum eſt proponeret non diligere, malum vero nullo modo odiſſe, & ſicut de beato Benedicto ſcriptum reperitur, quia ave recedente ſuggeſtionis immundæ dente acerrime morderetur: ſed ſancti Spiritus gratia tam ſubito perverſitas illa diſparuit, ut diabolicum illud, quod prius diligebat, omnino diſpliceret, ibique ſanctæ converſationis initium ſumens, bonum jugiter in voluntate habuit, licet ſæcularibus immixtus, opere implere nequiret.

Genus & parentes. — *Greg. lib. 2. Dialog. c. 2.*

3. Parente vero utroque orbatum Rex Francorum Philippus, malignitatis ſpiritu permotus, quæ jure ſucceſſerat, hujus hereditatem ſurripere geſtiens, utpote juvenem ſolum ſine conſilio, abſque parentum adjutorio, leviter expugnare exiſtimans: primum inſidiis molitur appetere, dein in aperto belli commovet tempeſtatem. Cœpit namque ipſe Rex igne, præda, gladio, villas deſtruere; prædia, municipia & quæ ejus videbantur, prout poterat, omni modo diſſipare. Is vero intrepide confiſus in Domino erigens ſe contra ſe, ad hoc etiam ut malum ageret invitus trahebatur: præcingit ſe, & præparat fortiter reſiſtere. Concitat namque gentem ſuam, & velut frendens leo, licet corde dolens, perturbat & devaſtat quod in Regis reperit poteſtate: & donec proprium poſſideat, aſſerit nullo modo retroïre.

Bellum adverſus Regem ſuſtinet.

4. Ecquis bonitatis Dei plenitudinem non admiretur in illo? Ecce inter tot flagella poſitus, bellorum negotiis impeditus, tamen patri condolens jam defuncto (quippe quem dum adhuc viveret, nimis ſæcularibus intentum, mundi cupiditatibus noverat graviter irretitum, caſtellum [a] quoddam, quo ſibi ſepulturæ locum præparaverat, ejus poſſeſſori vi ſurripuiſſe, & velut proprium detinuiſſe meminerat) Romanum Pontificem quid ſuper hoc acturus eſſet, & quomodo patri ſic defuncto ſubvenire potuiſſet, per nuntium conſulit. Papa vero GREGORIUS, qui Hildebrannus dictus eſt, ab eo quem injuſte abſtulerat loco penitus tollendum, & pro anima Miſſarum ſollemnia, eleemoſynarumque largitatem Deo ſuppliciter offerenda, pie mandare curavit. Simon vero benigne mandatum ſuſcipiens, in omnibus quæ ſibi propoſuerat obtemperavit: corpus ſcilicet removens, & eccleſiam, quæ beati Arnulfi dicitur apud Criſpiniacum caſtrum, ubi tranſlatum eſt, de facultate propria largiſſime dotavit: viduis, orphanis, & omnibus indigentibus victus neceſſaria ampliſſime erogavit. Hæc fides vera, & hæc eſt dilectio firmiſſima, in qua non carnalis, ſed vita perpetua cogitatur, non caro moritura, ſed anima in æternum victura proponitur. Erat vir Dei hoc in facto perterritus timore, ſi mundum antea contemtibilem,

Pro patris defuncti peccatis ſatisfacit. — *Et pie vivit in ſæculo.*

[a] Simon in ea charta, quam in Obſervationibus protulimus, hoc caſtellum dicit eſſe Montem-Deſiderii, vulgo *Mont-Did.er*, ſitum in finibus diœceſis Ambianenſis, verſus Noviomum, ubi celebris eſt prioratus ordinis Cluniacenſis B. Mariæ ſacer, quem patres ejuſdem Ordinis obſervantiæ ſtrictioris incolunt, ſicut & S. Arnulfi Creſpeienſis monaſterium.

ANN. CH. MLXXXII. SEPT. XXX.

tunc horribilem judicavit; & ſi in aliquo dilexerat, quaſi anguem venenoſum fugiendum docuit: & licet mundiali certamine & belli negotiis detineretur extrinſecus, militiæ Domini inſerviens, arma Dominica geſtabat intrinſecus. Nam cùm fere triennio labore militari implicitus, caro illius requiem non haberet; nocte tamen armorum fatigatione minime detentus, ſolo tantum comite contentus, eccleſiarum limina ſubiens matutinis ſemper intereſſe gaudebat. Si monachum, clericum, ſeu peregrinum quempiam religione famoſum alicubi reperiſſet, vitæ corporalis neceſſaria præbens, ſe ejus orationibus commendabat. Jejuniis vero & eleemoſynarum largitate pollebat. carnem namque, conditos cibos, pigmenta, & cetera ejuſmodi quæ apponebantur in menſa, aliis hunc ſaturari credentibus eſuriens, quibus numquam caruit pauperibus erogabat; veſtium quoque varietate deſuper indutus, cilicio corpus aſpero macerabat.

5. Interea dum regio Regis & ipſius vaſtatione conſumitur, homines à propriis ſedibus effugantur, timorem de malefactis amplectitur. Mox belli certamina ad tempus differens, ſanctorum Apoſtolorum, Petri videlicet & Pauli, habitacula viſere, & dominum Papam Gregorium, ut ſibi pœnitentiam indiceret, adire proponit. Nec mora, paratis omnibus quæ viatori neceſſaria ſunt, Romam ducente Domino pervenit; illicque ſanctæ Sedis apoſtolicæ Præſulem reperiens, quid quæreret indicavit. At ille petitioni ejus non ſtatim acquievit: Niſi prius arma deponeret, inquiens, inanis fieret abſolutio renitentis. Tunc vir Domini Simon aliquantulum in dubio ſubſiſtens, memor tamen illius Evangelici præcepti: *Qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus*, ſe facturum quicquid præciperet, ilico promittit. Præcepta igitur armorum depoſitione [a], Præſul pœnitentiam indicit, & indictæ partem ſuper ſe detinuit, duobuſque religioſiſſimis viris qui tunc præſentes aderant partem diſtribuit, & ſic abſolutum reatibus ad propria remittens, iis quibus ſpoliaverat arma reinduit, terramque gubernandam, donec cum Rege pacem reformaret, iterum commendavit: adhibens etiam boni teſtimonii & ſummæ auctoritatis cuſtodiam, HUGONEM ſcilicet Dienſem epiſcopum, qui tunc Legationis in Galliis functus eſt officio, Abbatemque [b] Cluniacenſem, quorum doctrinæ & obeditioni ſubjectus lege divina redderetur inſtructus. Revertens igitur ſancta jocunditate repletus, rurſus Regem aggrediens, certamen, ut miles optimus, amplexatur, & donec victor exſiſteret, licet invitus, à belli negotio minime relaxatur. Ad ultimum vero regione depopulata, & utriſque laboris gravi pondere depreſſis, conſilium de pace concipitur. Colloquium ab utroque mandatur. Quid plura? fit conventus nobilium, fit judicium à ſapientibus: quæ jure contigerat hereditas Simoni judicatur & redditur, pax & concordia confirmatur.

Romam petit.

Pacem cum Rege componit.

6. Pace igitur reſtituta, & quæ belli longitudine inordinata videbantur, rebus omnibus collocatis, uxor ei eleganti forma, facie pulcherrima, genere nobilis, quæ nulli in tota regione Arvernica ſecunda videretur, eligitur. Ipſe vero quaſi talibus adgaudens, ut bonum quod in ſe latebat penitus operiret, ſe eo iturum denuntiat, ſtatimque iter arripiens profectus eſt. Quo Deo diſponente perveniens, à ſponſæ genitore, Hildeberto videlicet Conſule, honorifice ſuſcipitur, ibique aliquamdiu commoratur; poſt verba tali facto congrua, data fide & accepta, ſe eam accepturum ni ſecus ageretur affirmat: & ſic nuptiarum die conſtituto, cum gaudio regreſſus eſt in propria. Ecce ſtatutus dies appropinquat, magnatum multitudo mandatur, ornatus diverſitas appetitur, & ex ordine diſpoſitis omnibus, regio-

Ducit ſponſam.

[a] Hæc etiam refert Albericus in Chronico, ſicut & alia pleraque, quæ in hac vita habentur, unde ea videtur deſumſiſſe.

[b] S. ſcilicet Hugonem, quem Gregorius Pontifex in pleriſque negotiis Hugoni Dienſi, Legato ſuo adjunxit, ut ex ejus epiſtolis patet.

nem

nem petens Arvernicam, ut decebat, ad fœdera promiſſa revertitur. Mox illis appropinquantibus clamor turbæ vociferantis excipitur, ſponſa venienti Simoni oſcula porrigens amplexatur. Quis auditu non obſtupeſcat? Quis tali dulcedine commotus non lugeat? oſcula dabantur ſanctitate condita, amplexus implicabantur luxuria ſemota, aliiſque credentibus eorum dicta laſciva jocunditate repleta: vir Domini prædicationis verbum, & dulcia vitæ colloquia, ut ambo ſæculo renunciarent, cordi illius inſerebat. Nec [a] mora ipſius monitis acquieſcens, religionis habitum accipere & ſanctimonialem ſe fieri devovit. Nocte igitur ſequenti vir beatus, Patre ceteriſque ignorantibus, junctis illi * converſione & generis propinquitate collegis duobus, monaſterio quod Caſa-Dei nuncupatur, tranſmittens, illic habitare diſpoſuit. Ibi ilico mutata veſte ſæculari, tres pariter ſumunt habitum monaſticæ profeſſionis, quorum alter religioſitate pollens poſtea Bituricæ civitatis ordinatur Epiſcopus [b]; alter in humilitate ſubſiſtens, diu in monaſterio perſtitit dans operam religioni; domna vero Deo devota ſanctiſſime degens, multis poſt annis ſuperfuit. Ad hæc pater ſomno excitus, credens filiam amore meretricio detentam lenonum quempiam proſecutam, ſe deluſum æſtimabat. Tunc triſtis & ejulans Simonem accerſens, quaſi commiſſi hujus reus alloquitur; O dulciſſime juvenis, quid agam, quid faciam, funditus ignoro: te prodidi, tibi fidei meæ commiſſo longoque terrarum ſpatio nobis accito inſidias intuli, de pretio fraudatus ſum quod promiſi; promiſſum namque ſublatum eſt, ſed neſcivi. Parce igitur, parce inſcio delinquenti. At ille corde lætitiam retinens, dolorem extrinſecus, quaſi conſolans aïebat: Noli, domine mi, noli triſtari, quem potius dilexerit, diligentius exſequitur; & ſi tibi carior factus ſum, vilis forſitan illi. His dictis, accepta ab eo licentia feſtinus in Galliam repedavit. Quid filia ejus egerat, quemadmodum ſanctimonialem ſe devoverat, Hildeberto per nuntium mandare curavit. O virum per omnia laude dignum! Cui melius ſimilem quam ſancto Alexio dixerim? Ipſe namque cum ſponſa ſua, cum jam thalamum ſubintraviſſent ambo pariter quieturi, quemadmodum & Simon verbum prædicationis intulit, luxuriam declinandam, conſervare præmonens caſtitatem. Illa vero dictis obtemperans admonentis, ſe virginem devovens carnis munditiam Domino conſecravit.

Ann. Ch. MLXXXII. Sept. XXX.

** ſponſæ.*

Quæ fit monialis.

7. Simoni vero in propria vix ad modicum quieſcenti, ecce Rex Anglorum potentiſſimus, VVILLELMUS nomine, qui eum nutrierat, ad ſe veniendum ſub velocitate mandavit, addens etiam ut caſtello nec villa niſi ſolius noctis quietem aſſumeret, uxorem ſibi debitam nullo modo deſponſaret, quoad uſque ad ſui colloquium Normanniam feſtinus occurreret. Tunc ille Regis metuens edictum, abſque recraſtinatione aliqua, ubi conſtituerat abire diſpoſuit. Videns ergo Rex hunc ad ſe venientem, lætus efficitur, ſecreto vocans eum & dicens: Quoniam fidem & dilectionem tuam ex longo expertus ſum, & nutrimentum meum, quod in te eſt augmentare cupiens, qui pro filia mea rogaturi diu mecum converſati ſunt regis Hiſpaniarum ANFURSI [c] & ROBERTI principis Apuliæ neglectis nunciis, tibi eam tradens in uxorem, te elegi, te hereditatis meæ filium adoptavi: deliciæ meæ tibi reputabuntur, amici mei tui erunt, & inimici ſimiliter. Ad hæc vir beatus, hanc diaboli credens proſperitatem, qui electorum corda multis circumdat inſidiis, licet nihilum & inane corde reputans, gratias tamen voce humillima referens, aïebat: Magnum & apertum eſſe beneficium quod pueritiæ meæ præſtitiſti, ſed grates tibi refero multo melius

Rex Angliæ ei filiam ſuam in uxorem offert.

a Idem habet Guibertus Novigenti abbas lib. I. Vitæ ſuæ cap. 10.

b Hunc non alium eſſe puto ab Audeberto, qui ex Abbate Dolenſi Archiepiſcopus Bituricenſis electus eſt anno circiter MXCIII. hancque ſedem ad annum MXCVII. tenuit, fratrem habuit Garnerium de Monte-Maurelionenſi, qui depoſito militiæ cingulo in monaſterio Caſæ-Dei veſtem monaſticam ſuſcepit.

c Haud dubium quin legendum ſit *Alfonſi*.

Ann. Ch. mlxxxii. Sept. xxx.

pollicenti. Dignitas tua, ſicut ſcriptum eſt, in humilitate deſcendit, ut exaltetur humilitas mea; niſi in gratiarum actione tibi jugiter ſubjiciatur, meretur ut deterius corruat. At obſtaculum nobis opponitur quod valde ambiguum eſt & grave, & ſcrupulum cogitationi meæ videtur inferre. Domina mea namque Regina [a] uxor tua, & ego, ut fertur, cognatione jungimur parentali & generis propinquitate. Quamobrem à ſapientibus inquirendum eſt, ſi quo modo fieri poſſit, & qua ratione. Ad hæc Rex: Si ab antiquis & ſenibus populi noſtri cognatio vera probatur, Epiſcopos, Abbates, & Clericos viros prudentes ſcientes legem, & alta ſapientes, ſi eleemoſynarum largitate, ſi monaſteriorum ædificatione, ſeu aliqua alia re congrua id ordinari queat, adunare & ſcrutari neceſſe eſt. Simon autem ſpem ſuam ſemper ponens in Domino, ait: Adhuc ſupereſt aliud; tantum voluntas adſit tua, quod neceſſarium eſt & ſalutare. Volo namque, ſi placet, Romam adiens ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli & domni Apoſtolici ſuper hoc conſilium & adjutorium flagitare, ut accepta licentia, quidquid in his nobis agendum eſt cum fiducia perpetretur. Cui Rex aſſenſum præbens reſpondit: Quidquid ſuper hac re bonum tibi videtur, favente Deo & mea voluntate, diſpone. Et his dictis pariter abſceſſerunt.

Fit monachus apud S. Eugendum.

8. Deinde quæ parari videbantur omnibus per ordinem diſpoſitis ad ambulandum, relicta domo, omiſſis deliciis, quarum ubertas tanta illi affluebat, ut pæne poſt Regem, in tota regione, nullus ditior, nec rebus opulentior videretur; cum Romam ire debuit, ſe monachum devovens, ſanctum Eugendum adire diſpoſuit. Quo poſtquam perventum eſt junctis ſibi de familia quibuſdam viris nobiliſſimis, omnes pariter cum gaudio ſanctæ Trinitatis religionis habitum ſuſceperunt. Nam cum olim adhuc in ſæculo poſitus vi febrium teneretur, beatus Arnulfus & ipſe ſanctus Eugendus, aliuſque cujus nomen & faciem ignorabat, dormienti illi in viridario apparuerunt, admonentes ut illuc abiret, ibique Deo militans permaneret, permanens ſub Abbate monachus ordinaretur & eſſet. Qui ſtatim à lectulo ſurgens ab infirmitate convaluit & voce magna clamavit, dicens: Sanus ſum, & hi qui aderant tres domini ubi ſunt? & quo abierunt? Qui vero de familia præſentes affuerunt, ignorantes quid diceret, ſe neſcire profeſſi ſunt.

Item alii nobiles ejus exemplo.

9. Igitur Flandriæ, Normanniæ, ceteriſque Galliarum partibus uſque ad fines Germaniæ, tanti viri rumore ſuſcepto, ſtupore repleti mirabantur, quippe qui notus regionibus illis, dilectus Deo, & tam carus omnibus erat, quatenus Hugo [b] Burgundiæ Dux, Comeſque Matiſconenſis & ejuſdem ordinis quamplures, pietatis affectu & illius dulcedine inflammati arma deponerent ſæculum relinquentes. Quis enim illius exemplo, converſionem morum penitus non appeteret, ac vitæ propoſitum in melius non mutaret? Nobiles pariter & ignobiles audito ejus nomine mutabantur. Nunc ad ea quæ monachus explevit, redeamus.

Exercitia in monaſterio.

10. Hic eſt Simon obediens, ſed non ille primus: hic ut nominis ſui heres exſiſteret, numquam inobedientia dicitur reſtitiſſe. Ubi vero monaſticum ſumſit indumentum, ſtatum ſuum in ſecretario eccleſiæ ponens, nocte ſub ſilenti lectulo ſurgens, ſolus in oratorio orationi vacabat. Jejuniis vero tam præpotens erat, ut tempore illo cum præ egeſtate quæ regionem illam vehementer affligebat, triticum ut panis fieret etiam ad opus illius defuiſſet, panem avenæ ſiccum, gratias agens in refectione perciperet: cumque genuum inflexione, jejuniorum afflictione, infirmitas quæ vehemens irruerat, crura turgida reddidiſſet & quaſi ſopita, adeo ut ignis ardo-

[a] Hæc erat Mathildis filia Balduini Inſulenſis comitis Flandriæ & Adelæ Roberti Francorum regis filiæ.

[b] De eo & Guidone comite Matiſconenſi plura diximus in Obſervationibus præviis.

rem, licet pati videretur, minime ſentiret; Abbas ſuus voce humillima precabatur, ut levigandi gratia caligas abſtraheret. at ille ut erat mitis eloquio, humiliter abnegans ſe ad modicum perpeti reſpondit, & hoc leviter poſſe ſuſtinere. Nocte vero ſubſequenti, Domino propitiante, illo ceteriſque ignorantibus abſtractæ ſunt caligæ. Cumque ex more ut ad Matutinos pergens mane ſurrexiſſet, crura ſenſiſſet, & caligas in cruribus minime reperiſſet, admirans quod acciderat, coram ſe in lectulo plicatas invenit. quas iterum accipiens, ſicut conſueverat, reinduit. *Ann. C hr. MLXXXII. Sept. XXXI*

11. Eſt & aliud memoriæ dignum, quod Dominus ſervo ſuo monſtrare dignatus eſt. Nocte etenim quadam, priuſquam fratres ad debitæ ſervitutis officium proceſſiſſent; ille alios antecedens, monaſterium ante altare dominicum oraturus ingreditur. Cumque in oratione perſiſteret, ſurſum caput elevans, eccleſiæ feneſtras luminis ſplendore coruſcantes, treſque renitentiſſimi habitus viros monaſterium ſubintrare ſpeculatur, uſque in preſbyterium feſtinantes; quorum unus ſacerdoti ſimilis, alter diaconi; tertius vero ſubdiaconi ſpeciem gerebat. Ubi ſuper ſanctum altare, inſpectante viro Dei, quaſi ſollemnia Miſſæ devotiſſime celebraverunt. Extrema vero oratione finita, qui ſacerdos videbatur, Simonem benedicens una cum ſociis ab ejus oculis evanuit. Quod Abbati ſuo, ut moris eſt, confeſſionem faciens non celavit, exigens ab eo ut quamdiu in hac vita ſubſiſteret, nulli penitus hominum denudaret. Abbas autem videns Dei hominem profectum attendentem, & paullatim quæ Dei ſunt virtutes multas amplectentem, altiori quam quo ingreſſus eſt Capituli loco aſſcendere & ſedere præcepit. quod ipſe admodum triſte ferens, veniarum multiplicatione miſericordiam poſtulabat, & hoc tamdiu actum eſt, donec ad ſedem priſtinam revocari promeruit. *Gradum altiorem reſpuit.*

12. Perpendens itaque honorem ſibi à fratribus impenſum, metuenſque ne jejuniorum ſuorum afflictio, ſeu alia quælibet animæ neceſſaria alicui in conventu tædio viderentur incommoda, eremi ſolitudinem concupivit. unde monaſterii patrem adiens, ut illuc gradiendi licentia ei daretur prece non minima depoſcit & adeptus eſt. Qua accepta, aſſumtis ſecum paucis de fratribus, quorum vita religioſitate pollebat, cum humilitate recedit. Quid ibi adveniens geſſit in opere, quantaque pro Chriſti nomine perpeſſus eſt, ut exemplum fiat audientibus propalare neceſſe eſt. Cœpit namque ut de proprio manuum viveret, ubi novale fieret ſcindere cum ſecuri. Cibus erat tenuis, panis cum aqua, legumen & poma ſilveſtria cum labore gravi, & hoc ſemel in die, excepta Dominica & die ſollemni: & quæ domi contulerat aquam collo deferens, ipſe mala cum pulmento decoxit. Et cum ad quid operandum foras egrederetur, ſi quis pauper accurreret ſibi eleemoſynam poſcens, diſpenſatori ſuo præceperat ut nullo modo vacuus abiret. *Secedit in eremum.*

13. Accidit autem ut quadam die viator eſuriens illic agapem poſtularet: quæ ſola remanſerat libram panis ei miniſter obtulit. Tunc vir Dei cum fratribus ſilva regrediens, ſi refici poſſent inquirit. Cui ſervitor: Panis, inquit, deeſt, ſed ſunt poma ſilveſtria: qui ſero ſuperfuit, panem indigenti præbui. Mox lætus & Deo gratias agens, fratremque qui illud egerat benedicens, eccleſiam ſubiit orationi incumbens. Necdum orationis verba finierat; & ecce vir quidam onuſtus panibus adveniens, hoc diſpenſatori ſub Simonis nomine tradidit. Qui, viro Dei cum ſociis accerſito, quid acciderit & quemadmodum Dominus ſervorum ſuorum non eſt oblitus indicavit. Illi autem ſub tali facto ſtupefacti, hoc viri Dei fidei deputantes, Deum pariter laudaverunt, cibum in refectione ſumentes. *Omnia in eleemoſynam erogat.*

14. Rurſum in nemore, cui fere nullum tempus habebatur vacuum, ligna ſuccidenti ferramentum arbore excuſſum vulnus pede incutiens ve- *Vulneratus mire ſanatur.*

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXXII. Sept. XXX.

hementer reddidit afflictum, adeo ut domum regrediens alienis ſuſtentaretur humeris. Quo fratres opido contriſtati, ut ad medicum mitti deberetur inſinuant. Quibus ille renuens, excepto Dei medicamine, nullatenus ſe curari velle reſpondit, & tamen procurante Deo mox priſtinæ reſtitutus eſt ſanitati.

Induit veſtem ferream.

15. Sub idem vero tempus, vir quidam religioſus tanti viri famam audiens, ferreo veſtitus amictu ſuper nudo, de longinquo viſendi gratia venit ad eum; qui devote veniens devotius ab eo ſuſceptus eſt. Quem poſtquam ſecretius alloquens neſcio quo docente ſic indutum comperit, ſummopere deprecatur pœnitentiale illud ſibi dari. qui precibus ejus annuens, licet invitus, dimiſit, & abſceſſit. Simon vero ab Abbate vix accepta licentia, corpus tenerum, abjecto cilicio quo utebatur, durius illud induit, diebus multis cadaver afficiens ſemimortuum: quod ferrugine tinctum, clavorum tunſionibus attritum, tam lividum & dilaniatum reddidit, ut qui viderit aſſereret etiam ſaxeum pectus pie in fletibus molliri poſſe videretur.

In Franciam miſſus.

16. Eodem vero tempore bonæ memoriæ Hugone abbate Cluniacenſium rogante, ut ipſe beatus vir in Galliam proficiſcens, pro eo regem Francorum Philippum, qui ſibi quædam auferebat, alloqueretur & corriperet, Abbatis ſui imperio in Galliam profectus eſt. Accidit autem eo proficiſcente apud Compendium opidum Regis, ut ſudarium Domini levari debuiſſet, & capſa aurea decentius deponi [a]. Quod vir Domini audiens, ab itinere quod rectius videbatur, ut illuc abiret, aliquantulum divertit, ac in brevi Deo ducente pervenit. Qui beati Cornelii quaſi occulto templum oraturus ingreſſus, à quibuſdam qui feſtivitati intererant ſtatim agnoſcitur, & mox fama pervolante rumor in auribus vulgi ſuſcipitur. Vox populi, & turbæ lætantis clamor attollitur: Simon fere ab omnibus clamabatur, Simon certatim aſpicitur, & ſic uſque ad palatium Regis vix, turba premente, ſubtrahitur. Quem Rex qui nuper advenerat diligentiſſime intuens, honore perdebito ſuſcepit, eumque blande alloquutus, ſi quid ab eo poſtularet, ſe obſequi paratum libentiſſime repromiſit. Ille vero petitionis ſuæ non immemor, quid ſibi quæreret, innotuit, & ſicut petierat impetravit.

Sudarium Chriſti apud Compendium.

In Normanniam pergit.

17. In craſtino itaque ſollemnitate peracta, & Domini perſpectis reliquiis, Anglorum Regem & Reginam qui eum nutrierant, viſendi gratia Normanniam uſque properavit, illucque perveniens contra filium Robertum nomine, Regem dimicantem invenit [b]: qui utrique compaſſus, pace reformata, peſtilentiæ malum à regione fugavit. Audita vero ejus fama qui ſui in ſæculo dicebantur, aliique quamplures pæne milites mille in adventum ejus læti obviam proceſſerant, & quiſque de proprio aurum vel argentum, mulam ſeu palefridum ut acciperet devotiſſime precabantur. Ille vero foris gratias agens, corde pro nihilo reputans, nullum penitus accipiens, hæc omnia ex adverſo conſpicatur. Ad ultimum vero Regem ſecreto adiens & Reginam, mæſtos pietate pariter reddidit & gaudentes, adeo ut Regina, ſicut bonarum moris eſt mulierum, loqui nequiret, verba intercidente ploratu. Poſt dulcia itaque eorum colloquia, reliquias, aurum & argentum & cetera, quæ hujuſmodi ſunt munuſcula illi offerunt, ut benigne ſuſciperet ſummopere deprecantes. Ille autem præter reliquias hæc omnia vilipendens, nullum in accipiendo præbuit aſſenſum. Ignorante tamen illo, qui cum eo ſocii fuerant, quædam optima ſub abſconſo capientes munera detulerunt. Itaque male * facto & accepto, ad monaſterium regredi meditatur. O mira Dei diſpenſatio! Quis hominum tantum dilectio-

Reſpuit oblata munera.

* f. mane.

[a] Aſſervatur etiamnunc in celebri abbatia S. Cornelii hoc pretioſiſſimum Sudarium, in aurea capſa, multis lapidibus pretioſis ornata, quæ à Regina Mathilde ea occaſione data eſt.

[b] Hæc anno circiter 1081. contigere, quæ apud varios ſcriptores legere licet.

Digitized by Google

nis donum ab hominibus impertitum temporibus iſtis promeruiſſe dicitur? Noti pariter & ignoti Simonem diligebant, Simonem cernere lætabantur, non hoc fortuitu ſed Dei diſpenſatione fieri credendum eſt. ANN. CH. MLXXXII. SEPT. XXX.

18. Ecce occurrit in memoria miræ ipſius patientiæ bonum, quod eodem itinere ſuſtinuit neceſſitate compulſus. Nam cum apud Firmitatem [a] caſtellum, quæ olim ipſius hereditas dicta eſt, in propria demoraretur, amicum quemdam ad ſe de villa venientem videndi deſiderio accenſum, unus ex iis qui raptores dicuntur, improviſe proſiliens, captum rapuit, & abſceſſit. Quod ubi milites & viri nobiles adverterunt, triſte admodum ferentes quæſierunt, & repertus eſt; eruere oculos ſeveriter juſtitiam facere minabantur. Vir autem Domini innocentiam, & illud quod ſcriptum eſt corde retinens: *Mihi vindictam; ego retribuam dicit Dominus*, fieri omnino prohibuit. Tunc unus ex ſociis accerſito eo ſecreto alloquitur, ſcire volens, qualiter & quo animo illam injuriam illatam ſuſtineret, ſi dedecus illatum ab aliquo in propria ſentiret; magis eſſe ſe lætum & gratias Deo exhibere reſpondit, quia patientia ſalvabimus animas noſtras. Illatam injuriam non ulciſcitur. Rom. 12. 19.

19. Peractis igitur in itinere quæ perpetranda erant, eremum regrediens, quæ prius propoſuerat iterum inchoavit, ibique quantum licuit labori corporeo inſiſtens, in humilitate conquievit. Sed ne civitas ſuper montem poſita & lumen lateret in tenebris, ſanctæ Romanæ ſedis memoratus antiſtes tanti viri nomen audiens, Abbati ſuo ut ad eum mitteretur litteris denuntiat. Ille vero tanti mali fama dolore commotus, ne alii turbarentur, ſigillum abſcondiſſe nec manifeſtaſſe dicitur, donec domnus Papa rurſus aliud mitteret quod duriora bajularet. Secundo namque per litteras edictum dedit, niſi quantocius in Simone tranſmittendo feſtinus exſiſteret, abbas & cuncta congregatio à ſpirituali officio vacaret. Quid plura? Turbatur Abbas, fratres pariter contriſtantur. Quid aliud facerent? Eccleſiæ namque ſolamen amittitur. Diſpoſito ergo itinere in his quæ parari videbantur, Simon cum ſociis ad Urbem dirigitur. Quem poſtquam venientem domnus Apoſtolicus comperit & appropinquantem oculis intuitus eſt, lætus efficitur, cum honore perdebito ſuſcipiens eum. cui ubi blande alloquutus pacis oſculum tradidit; juxta beatæ Theclæ Virginis eccleſiam domus ad habitandum congrua eligitur: qua ſanctiſſime converſanti & orationi vacanti omnis ſocietas ſuorum famulorum pro infirmitate loci morte ſubtracta eſt, relictis ſolummodo duobus monachis, quorum alter ad monaſterium regreſſus; alter vero illi ſerviens uſque ad finem vitæ Urbis inæqualitatem cum eo ſuſtinuit. In monaſterium reverſus ſtatim Romam accerſitur. A Papa honorifice exceptus.

20. Accidit eodem tempore, quod domnus Papa & Robertus quidam Apuliæ Princeps ab invicem diſſentirent. unde Præſul metuens, ne civitas belli contentione in aliquo perturbaretur, Simonem accerſivit, ſummopere deprecans, ut pacandi gratia, illuc proficiſceretur. cui ſtatim obediens, ſe profecturum promittens, adjuncto ſibi viro religioſiſſimo iter accepit cum benedictione jubentis. Eo igitur adveniens Principem quærit & invenit, quem quaſi epulis in viſu ſuo refecit, unde pacem reformans, quod voluit opere perpetravit. Omnibus itaque illuc pacificatis revertitur in itinere plures alloquens, ut ad Deum converterentur admonuit. Cujus allocutioni conſenſum præbentes, pæne ſexaginta milites ſæcularibus omiſſis arma Dominica ſuſceperunt, & ſic viri Dei prædicatione monachalem habitum per diverſa provinciæ loca cum benedictione ſuſceperunt. Pacem inter Papam & Apuliæ principem componit.

21. Ad urbem itaque regreſſus Pontificem adiit, & quidquid egerat de pace narravit. Ille autem & gratum habuit quod accepit, & illud quod fecerat approbavit. Nec multo poſt habens in voluntate ad monaſterium

[a] Plura hujus nominis opida, vulgo *la Ferté*, occurrunt, in Francia; illud de quo hic agitur videtur eſſe ad Albam fluvium ſitum, ubi Simon prioratum, ut vocant, erexit, haud procul à Claravalle celebri abbatia.

ANN. CH. MLXXXII. SEPT. XXX.

reverti, licentiam ab eo cum humilitate depoſcit. Qui, nec primo, nec ſecundo ejus precibus aurem accommodans, tale fertur dediſſe reſponſum: Sicut nec meis meritis, cariſſime, nec mea, ſed domni Petri dominatione paſtorali huc accerſitus adveniſti; ita nec mea eſt in poteſtate permiſſio revertendi. Vade ergo, & oratorium ingredere beati Petri, & quid in voluntate habeat orationibus perſcrutare. Qui nocte ſubſequenti ſicut ipſe præceperat, templum precaturus ingreditur, totam pervigilem ducens orationi intentus, ut priuſquam inde procederet, qua ſublatus eſt vitæ mortis infirmitate corripitur. Mox inde progrediens ad habitaculum & lecto decidens, ad confeſſionem ſuam Pontificem invitat, & ad ſe viſitandum. Qui voluntati ejus obtemperans, & mundatum à vitiis abſolvit, & pariter benedicens abſceſſit. Nec multo poſt pretioſi corporis & ſanguinis Chriſti munimine roboratus, pridie Kalend. Octobris ſpiritum Deo reddidit *. Et qualis in vita religione perſtiterit, finis ſanctiſſimus in aſſumtione monſtravit.

Obit.

22. Ecce civitas omnis rumore concutitur, diverſi ſexus & ætatis gens in funere concitatur, & quod viventi minus tribuerat, funeri ejus obſequium ab eis miniſtratur. Tunc præcipiente Epiſcopo ſepulturæ locus inter Apoſtolicos præparatur; & quia apoſtolicam vitam ſtuduit imitari, merito hujus apicis adeptus eſt dignitatem. Præſul tamen non affuit infirmitate detentus, ſed clerum omnem convocans dirigit illuc Epiſcopos, Abbates, Clericos, & Moniales cum cereis & luminaribus, ita ut triginta quinque congregationum numerus cum populorum turbis funeri ejus obſequium miniſtrarent; & ſic cum miſſarum ſollemniis & celebritate à principibus Romæ corpus in foveam delatum deponitur. Cenſus vero denariorum non minimus à Præſule collatus pauperibus erogatur. Ecce Dei ſervus abſque pecunia & cognatione aliqua paullo ante pauper, in fine dives efficitur, ſed adhuc ditior fit cum in ſede cælica collocatur. Regina vero Anglorum, Mathildis nomine, dives & præpotentiſſima, quia eum nutrierat & conſanguinitate dicebatur proxima, ob viri Dei memoriam ad ſepulturam componendam Romam auri quamplurimum & argenti monacho deferente tranſmiſit. Quæ ſtudioſe quadris & politis lapidibus & marmore diverſi coloris intexta, adhuc peregrinantibus bonitatis exempla præbet in aperto poſita.

Inter Pontifices ſepelitur.

Ejus funus.

23. Monachus vero qui cum Simone diu converſatus incommoda corporis pro ejus amore multa ſuſtinuerat, poſt ejus aſſumtionem, poſtque ſepulturæ ſuæ inſtructionem, relicta Roma, monaſterium reviſit, ubi multis diebus abſtinentiæ & labori operam dans, ſummæ humilitatis omnibus exempla monſtravit. Priuſquam vero ad mortem, quæ eſt exitus vitæ, propinquaſſet, Simon beneficii & ſervitutis impenſæ non immemor, nocte quadam apparuit ei cum ceteris quieſcenti, vocans eum & dicens: Roberte, ſic enim appellatus eſt. At ille inquit, Tu quis es? Tunc Simon reſpondens: Ego, inquit, Simon ſum. & adjecit, Cur hoc in me olim facere voluiſti? Nam cum apud Romam ad novum ſepulturæ locum corpus meum transferres, nihil pro anima mea pauperibus erogaſti. Cui Robertus: Pauper, inquit, eram, & cenſus mihi deerat. Ille è contra: Certum eſt te habuiſſe aliquid quod impertiri debueras. Et ut ipſe poſtmodum retulit, duos aureos habebat. Ad quem iterum Robertus: Dilectiſſime mihi, quæ gloria, & quæ requies tibi maneat, ſi placet, inſinua. Requies, inquit, & gloria mea magna eſt. Nam Dominus meus inter Apoſtolos requiem mihi dedit, & ſedem glorioſam. At ille: Et quod eſt gaudium, quis cantus ante Dominum, rogo, ſi potes edicas? Magnum eſt, inquit, & incomprehenſibile, nec verbis narrari, nec ſenſu cogitari poteſt. Tamen ſi pergamenum, pennam & incauſtum in proximo habuiſſes, certum te ſcribendo

Socio ſuo apparet.

* Eadem ferme habet Albericus ad annum MLXXXII. quæ fortaſſe ex hoc ipſo vitæ auctore deſcripſit.

in aliquo reddidiſſem. Et adjecit: Volo ut ANSELMO ſanctæ Mariæ Becci abbati prudenti & reverendiſſimo viro, quod modicum in Deo mihi contulit auxilium, ex parte noſtra denunties: æſtimabam quippe in eo erga animæ meæ ſalutem, fidem & dilectionem non modicam. His dictis confortans eum ad ſervitutem & obedientiam ſalutarem, diſparuit. Frater vero quod audierat beato viro, ſicut præceptum eſt, enarravit. qui Abbas lacrymando reſpondit, dicens: Crede mihi, frater, crede mihi, vera intulit ſervus Dei. Nam peccatis meis exigentibus, illud quod deberem pigritia detinente poſtpoſui; ſi vero orando, eleemoſynam faciendo, ſeu aliud quid, quod Deo placeat, exhibeam, operam do *, omnibus modis, ut in his participetur, exopto. Et his dictis pariter abſceſſerunt. Hic eſt vir ille religioſiſſimus Anſelmus, qui ex Abbate Cantuariæ Archiepiſcopus, & legationis apoſtolicæ in Anglia ſortitus eſt dignitatem.

Ann. Ch. MLXXXII. Sept. XXX.

* al. operando.

24. Hæc & alia quæ de Simone ſcripta ſunt, hi qui de propria familia in ſæculo viri religioſiſſimi cum eo habitum ſpiritalem ſuſceperunt, quæ oculis intuiti ſunt, & auribus audierunt, quemadmodum ſcripſimus ita eſſe teſtati ſunt.

Auctoris ætas & fides.

EPITAPHIUM [a] SIMONIS COMITIS

Scriptum in pyramide ejuſdem, à domno Papa URBANO, *cognomento Odone.*

SIMON habens nomen, majorum ſanguine claro,
 Francorum procerum, pars ego magna fui.
Paupertatis amans, patriam mundumque reliqui,
 Chriſtum divitiis omnibus anteferens.
Poſt ad apoſtolicam cæleſtis Principis aulam
 Eximius tanti me Patris egit amor.
Quo duce promerear tandem ſuper aſtra levari:
 Hoſpitor hic ſacras conditus ante fores.

Olim facta patris renovans dictamine fratris
Diſcipulis normam ſcripſi ſub paupere forma;
Sed quia nec ſpernit Deus hæc, nec pauperiora,
Oſtendit Moyſes, operi capiendo minora.
Quare lectorem cupiens auxiliatorem,
Me legat abſentem poſco virtute carentem.

TITULUS SIMONIS COMITIS.

Principis in caula, SIMON in Simonis * aula,
Cum cruce, cum pera, nunc inter ovilia vera,
Deſpicit incurſum, cujus ſapientia ſurſum
Tendit; quæque ſuper terram ſunt temnere nuper
Conſtituit, laqueos fugiens & retia mundi,
Per cultus, per opes, per equos, per tela, per enſes,
Per genus & ſpeciem, per rura, per opida Romam
Venit, & à Roma cæli ſuper atria plaudit.
Sic Petrus petræ per ovilia mittit ovile,
Magno paſtori paſtor, quem credidit agnum,

* i. S. Petri.

[a] Illud Epitaphium habetur etiam in cod. mſ. monaſterii Clarimariſcenſis in Flandria cum ejuſdem Simonis vita. Verum ſex verſus poſteriores videntur eſſe auctoris vitæ, qui eos prioribus ab Urbano pontifice editis adjunxit.

Ann. Ch. MLXXXII. Sept. XXX.

Agnus in agno, cuſtos in cuſtode quieſcit.
Petrus cum petra, Simon cum Simone regnat.
Publica res eadem, Rex unus, grex ſit ut idem.
Gallia quem genuit, quem natum, quemque renatum,
Nec ſic obtinuit, cum re, cum nobilitate.
Spreta dolet genitrix * ; ſi non ſit captus amore
Cæleſtis patriæ, qua mittit Roma fidelis ;
Invidet hunc Romæ : tamen exſequialia parva,
Hunc ne deſpiciat, lacrymas & carmina mittit.

* Gallia.

Ann. Ch. MLXXXIV. Feb. XXIII.

DE B. BARTHOLOMÆO ABBATE Majoris-monaſterii prope Turonos.

Majoris-monaſterii ſtatus.

1. *RESTAURATA per ſanctum Maïolum abbatem Cluniacenſem regulari diſciplina in percelebri Majori-monaſterio Turonenſi, locus ille olim adeo celebris, qui per multos annos incultus plane jacuerat, brevi ita priſtinum ſplendorem recepit, ut nullo deinceps alio monaſterio & ſanctitatis fama & monachorum numero inferius cenſeretur. Quanta vero celebritatis fuerit ſub hujus ſæculi undecimi finem, diſcere poſſumus ex Orderici Vitalis initio libri quarti hiſtoriæ eccleſiaſticæ, ubi paucis his verbis egregium Majoris-monaſterii elogium abſolvit.* Majus enim, *inquit*, monaſterium à ſanctiſſimo Martino Turonorum archiepiſcopo cœptum eſt, ibique bonorum hominum religio crevit inſpirante Deo, & multiplicata eſt. Noſtris temporibus, Albertus & Bartholomæus, Bernardus & Hilgotus ac Guillelmus Nanticenſis abbates huic monaſterio præfuerunt, qui ſanctitate & probitate multis profuerunt, & longe lateque famoſi, vicinis & externis viriliter micuerunt.

Fama.

2. *Non vacat hic de innumeris propemodum locis ſacris ſingillatim agere, quæ iis temporibus ſub prioratuum nomine Majori-monaſterio ſubjecta fuerunt, in quibus monachi conſtituti ſub ejuſdem monaſterii abbatum regimine & juriſdictione verſabantur. Certe nulla fere fuit non modo provincia, ſed civitas aut diœceſis in tota Gallia, quæ ea tempeſtate Majoris-monaſterii monachos apud ſe habere non ambierit. Monachos Majoris-monaſterii* in ſancto propoſito *viventes laudat Iſembertus epiſcopus Pictavenſis in charta pro eodem monaſterio data ſub Alberto abbate. Sed obſervatione dignum eſt quod Ordericus Vitalis libro tertio narrat de Radulfo quodam viro nobili Geroii, ob egregia facta cognomento Herois, filio, qui tunc temporis in Majori-monaſterio monachus factus, præclarum pœnitentiæ ſpecimen exhibuit.* RADULFUS, *inquit*, relictis mundi lenociniis ad Majus-monaſterium confugit, ibique ſub Alberto abbate monachus factus Deum ſuppliciter rogavit, ut inſanabilis lepræ morbo in corpore fœdaretur, quatinus à peccatorum ſordibus in anima emundaretur. Quod pie deprecatus eſt obtinuit ; & poſt converſionis annos fere ſex feliciter deceſſit. *Albertus vero defunctus eſt anno* MLXIII. *cujus memoria in Necrologiis ſancti Benigni Divionenſis, & ſancti Germani à Pratis memoratur decimo-tertio Calendas Junii. Ei Bartholomæus ſubſtitutus eſt, qui præ ceteris hujus loci abbatibus celebris exſtitit.*

Albertus abbas.

Bartholomæi abbatis geſta.

3. *Bartholomæi vita in manuſcripto codice Majoris-monaſterii habebatur, ut didicimus ex aliquot noſtrorum ſchedis : & quidem Anonymus auctor, Majoris-monaſterii alumnus, qui libellum de actibus Epiſcoporum Turonenſium & operibus abbatum Majoris-monaſterii ſcripſit, affirmat Bartholomæi* vitam miraculis & virtutibus

Digitized by Google

tibus plenam in armario reperiri. *Verum, neſcimus quo caſu, codex ille paucis ab hinc annis evanuit. quam jacturam gravi animo ferimus, quod ex hac vita ſæculi hujus Benedictini hiſtoria plurimum illuſtrari potuiſſet; nec aliunde ſuperſint monumenta idonea ad res beati hujus abbatis præclare geſtas, quantum res poſcunt, exponendas. Quare ne tanti viri memoria in his ſanctorum Actis deſideretur, viſum eſt ea hic in unum colligere, quæ de eo in variis auctoribus & in vetuſtis aliquot chartis reperire licuit, quibus tandem ſubjiciemus hiſtoriæ Majoris-monaſterii inſigne fragmentum ex manuſcripto codice monaſterii Villarienſis Ordinis Ciſtercienſis in Brabantia, in quo multa, & quidem obſervatione digniſſima, quæ ſub Bartholomæo abbate, ejuſque ſucceſſoribus in Majori-monaſterio contigere, fuſius narrantur. Hoc opuſculum deſcribi rogatu noſtro curavit R. P. Albertus de Chamblcy prior Villarienſis, qui illud ad nos anno* MDCLXXII. *tranſmiſit.* ANN. CH. MLXXXIV. FEB. XXIV.

4. *Fallitur auctor Anonymus Majoris-monaſterii monachus ſupra laudatus, qui Bartholomæum abbatem ad ſui monaſterii regimen anno* MIV. *aſſumtum fuiſſe, eique annos viginti, ad annum ſcilicet Chriſti* MXXIV. *præfuiſſe ſcripſit. quem quidem errorem ex ſcriptorum vitio, qui omiſſis litterulis duabus* LX. *irrepſiſſe facile mihi in animum induxiſſem, niſi ille ipſe auctor ſuum errorem alio ſimili prodidiſſet, aſſerens Bartholomæum, poſt reſtauratam à ſancto Maïolo in Majori-monaſterio regularem diſciplinam, quintum abbatem fuiſſe. Certum eſt autem ex variis monumentis novem abbates inter Maïolum & Bartholomæum interceſſiſſe; & quidem Bartholomæum anno* MLXIV. *abbatiæ regimen ſuſcepiſſe colligitur ex multis donationum chartis, quæ in Majoris-monaſterii archivis ſervantur, quamvis fateri oporteat aliquot inter eas haberi, quæ ejus electionem anno præcedenti videantur conſignare. quod contigiſſe crediderim occaſione turbarum, quas adverſus Bartholomæum movit Goffridus cognomento Barbatus conſul Andegavenſis, cui tunc temporis Turonum civitas parebat. Etenim hic non ſolum Monaſterii-majoris terras ſuo dominio ſubjicere conabatur, verum etiam exigebat, ut Bartholomæus à ſe virgam paſtoralem reciperet. quod cum ille conſtanti animo facere renuiſſet, multa ab eo paſſus, diutius extra regionis fines verſari coactus fuit. Unde conjicimus fieri potuiſſe, ut licet jam ab anno* MLXIII. *Bartholomæus in abbatem fuiſſet electus, nonniſi tamen anno ſequenti, ſcilicet* MLXIV. *monaſterii ſui regimen inierit. ſed hic referenda ſunt quæ de hac re habentur in geſtis Conſulum Andegavenſium, à monacho quodam Anonymo Majoris-monaſterii ſæculo ſequenti conſcriptis, qui opus ſuum Henrico Anglorum regi nuncupavit. Sic vero habet capite* 10. *tomo* X. *Spicilegii Acheriani pag.* 484. Quo anno electus.

5. Quantæ cupiditatis & avaritiæ, quantæ etiam crudelitatis & ſuperbiæ Goffridus Barbatus fuerit, & quomodo ei Deus reſtiterit & humiliaverit, ut legitur: Deus ſuperbis reſiſtit; &, Frangit Deus omnem ſuperbiam: locus in præſenti habetur. Diabolus cujus cibus & delectatio eſt à mundi principio ſancta depravare, pacifica perturbare, bonis operibus obviare, & electionem Bartholomæi abbatis Majoris-monaſterii, atque benedictionem ſanctiſſime factam molitus eſt modis quibus potuit infeſtare. Inſtigavit igitur comitem Turonenſium, nomine Goffridum, cognomento Barbatum, ut locum Majoris-monaſterii ſuo dominatui ſubjugaret, & Abbatem loci cogeret, ut de manu illius baculum paſtoralem reciperet. Grex igitur beati Martini Majoris-monaſterii ſtupefactus, ac mente confuſus ex tam inaudita hactenus ratione, cogitare cœpit ac dicere, quo fieri poſſet, ut tanta & tam longa regalis poteſtas, & ſpecialis ſemper domini Martini gloria ex priſcis, & ex ſuis etiam ipſis temporibus, qui dum adviveret proprium ibi abbatem eſſe conſtituit, nomine Galbertum, qui nunc ibidem humatus quieſcit, ab Imperatoribus & Regibus huc uſque inviolabiliter conſervata, modernis temporibus alicujus dominio niſi regio, ſicut ſemper, aut Abbati proprio ſubderetur. Aïebant enim: Habemus namque non minima Imperatorum Regumque præcepta, necnon & Apoſtolico- Multa patitur à Goffrido conſule.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXIV. FEB. XXIV.

rum perplurima privilegia, quibus hic noſter locus pro veneratione pii patris noſtri domni Martini, qui eum fundavit, ſpecialem obtinet dignitatem & gloriam; & numquam ab aliquo Regum, niſi aut Regi, aut Abbati proprio ſancti Martini fuit ſubjectus; qualiter etiam eſt ab omni præſulum dominio, in quantum in ordinandis monachis neceſſitas cogit Eccleſiæ, ſequeſtratus, cum quibus ne id fiat ſatis defendere poſſumus. Una igitur mente atque decreto venit idem grex ad prædictum Comitem, illique hæc omnia retulerunt, ut ſcilicet hanc abbatiam Majoris-monaſterii, nec ipſum monaſterium in alicujus dominium, niſi in ſuum proprium abbatem ullatenus devenire permittat: ne honor & gloria tanti Patris, quæ ſemper creſcit in cælis, aliquatenus videatur minorari in terris, à tantis hactenus inviolabiter conſervata regibus, patribus, atque principibus. Comes autem obſtinate, immo fortiter in ſua ſententia permanebat, & ſi hoc fieret, locum deſtruere minabatur. Monachi vero Comitem ſæpe & rationabiliter convenerunt, & per perſonas eccleſiaſticas atque ſæculares diſcreti ſanique conſilii nitebantur commotionem Comitis tranquillare. Comes autem quanto magis videbat monachos reſiſtere ſuæ voluntati, tanto vehementius turbabatur; tantoque indiſcretius non jam loco ſolummodo, ſed & ipſis monachis minabatur, & minas crudeles crudeli opere adimplebat. Locum namque Majoris-monaſterii & loca appendentia, ubicumque poteſtas ejus attigit, aggreſſus funditus adnullare, poſſeſſiones monachorum & ſubſtantias hominum monaſterii rapere violenter & vaſtare, & quomodo ſævitiam ſuam expleret, etiam in corpora monachorum cœpit attentius obſervare, ut compleretur quod ſcriptum eſt: Obſervabit peccator Juſtum, & ſtridebit ſuper eum dentibus ſuis: in tantumque deſæviit perſecutio & excrevit, ut etiam ſæculares homines Comitis intemperantiam mirarentur, & imprecantes Comiti, Deum pro monachis precarentur. Monachi autem cum hæc diu cum patientia toleraſſent, nec jam poſſent pericula imminentia ſuſtinere, orationes quas pro ſuis perſecutoribus juxta Evangelii effundebant præceptum, ſtatuerunt devotius ampliare; nudatiſque pedibus ad corpus beati Martini proceſſerunt, aſſumtis ſecum debilibus & leproſis, quos de victu vel veſtitu monaſterii ſuſtinebant, & quorum preces apud Dominum valere confidebant quamplurimum: ubi unanimiter in orationibus perſiſtentes, implorabant Deum & ſancti merita, ut peſtem illam tam ſæviſſimam ſua miſericordia temperaret, ne locum illorum perſecutor ille deſtrueret, unde ipſe poſtmodum in infernum pœnas luiturus deſcenderet. His peractis, etiam ad Abbatem Cluniacenſem recolendæ memoriæ virum, HUGONEM nomine, ſuam petitionem direxerunt, ſuppliciter exorantes, ut ipſe & ſancta Cluniacenſis congregatio pro tanta perſecutione mitiganda Dei clementiam precarentur; inſuper ut ipſe abbas locum Majoris-monaſterii conſolari ſua præſentia dignaretur. qui benignus ut erat, petitioni eorum benigno animo adquievit. Cumque Majus-monaſterium perveniſſet, conſolatus eſt fratres, & Turonis ad Comitem ſunt profecti: cujus pedibus proſternati eum, ut ab illa perſecutione jam ceſſaret, precabantur humiliter, ſed incaſſum. Nam Comes in ſuam ſævitiem obſtinatus, nec lacrymis flexus eſt monachorum, nec Abbatis precibus adquievit, nec ſe vel modice à perſequendis monachis temperavit. Quibus ad monaſterium redeuntibus, Abbas quoque reverſus eſt Cluniacum, abbate Majoris-monaſterii comitante. qui videlicet abbas Majoris-monaſterii, antequam inde rediret, ſuſcepit ſacros ordines Sacerdotis; quando enim electus eſt in abbatem, adhuc diaconi miniſterio fungebatur. Porro Deus qui erigit eliſos, & ſperantes in ſe non deſerit, non dormitabat cuſtodiens Iſraël ſpiritualem, & afflictioni ſervorum ſuorum, qui, ut ſcriptum eſt, jam duplicia pro peccatis ſuis receperant, miſereri

Pſal. 36. 12.

ultra non diſtulit: qui cum ſit omnipotens atque juſtus, in caput Comitis juſte fecit ejus injuſtitiam redundare. Nam ut manifeſtum fieret, quam injuſtus Comes ille adverſus Abbatem & illos monachos exſtitiſſet, & ut appareret quam juſta ultione puniendus erat, qui ſanctam illam eccleſiam tam irrationabiliter infeſtabat, Deus qui ſemper in ſanctis ſuis mirabilis, pro ſuis fidelibus dignatus eſt inſigne miraculum operari. Poſtquam enim Comes contemſit abbatem Bartholomæum, & abbatem Cluniacenſem, & monachos exaudire, parvo intervallo interpoſito, frater ejus, Fulco nomine, adverſus eum cum manu valida inſurrexit, nec ab ejus perſecutione ceſſavit, donec eum captum, & ab honore privatum per multos annos in captionem detinuit. Ibique afflictus, & divina ultione datus etiam in reprobum ſenſum, vixit poſtea pluſquam triginta annos in hac miſeria, etiam hoſtibus miſerandus. Certe juſto judicio privatus eſt & corporis & animi libertate, juſte tota vita ſua miſerabiliter oppreſſus eſt unius hominis poteſtate, qui contra Dominum ſæviens nitebatur multos ſervos Dei injuſta ſervitute deprimere; juſto judicio amiſit in perpetuum dominationem quam tenebat, qui in poſſeſſiones Dominicas injuſta tyrannide ſæviebat. ANN. CH. MLXXXIV. FEB. XXIV.

6. *Sedata hac tempeſtate Bartholomæus Turonos reverſus, totum ſeſe dedit in componendis diſcidiis, quæ inter ipſum monaſterium & pleroſque vicinos mota erant. Complures de iis rebus conventiones factæ ſunt, quibus Bartholomæus alios precibus, alios monitis, nonnullos etiam erogata pecunia ad pacem invitabat. Illuſtre præ ceteris hujus rei monumentum habemus, epiſtolam ſcilicet ejus ad Ernaldum, quem alii Arnaldum appellant, epiſcopum Cenomannenſem ſcriptam, qui donationem Vivonii Monaſterio-majori à Vvilgrino deceſſore ſuo factam, & à Capitulo Cenomannenſi firmatam reſcindere conabatur. Eam huc integram ex authentico proferimus.* Paci ſtudet.

Domino ac venerabili Cenomannenſium Dei gratia epiſcopo E. & cuncto beatiſſimi confeſſoris Juliani inclyto gregi, Majoris-monaſterii humilis abbas frater B. cum fratribus ſuis fideles orationes. Ejus epiſtola ad Epiſc. Cenoman.

Miramur valde, domine venerande Præſul, prudentiam veſtram quid ſibi velit, ut nobis calumniam de altari de Vivonio inferat: qui hoc de veſtra bonitate ſperabamus, quod ſi aliunde nobis calumnia inſurgeret de illo altari, vos contra omnes calumniatores invictum defenſorem haberemus. Scitis enim quod anteceſſor veſter, pie ſemper memorandus Vvlgrinus epiſcopus, illud altare nobis in perpetuum abſque relevamento tenendum donavit cum aſſenſu omnium primatum eccleſiæ veſtræ, immo & totius Capituli beatiſſimi Juliani. Cujus etiam donationis cauſa ita in Chriſto caritate fœderati ſumus & uniti, nos ſcilicet monachi ſancti Martini, & vos canonici beati Juliani, ut vos in ſocietatem totius benefacti noſtri receptos, quidquid deinceps in orationibus vel eleemoſynis apud Deum boni promereremur, totius mercedis noſtræ ac retributionis in æternum conſortes haberemus, firmato inter nos & vos pacto, quod nos pro veſtris canonicis in obitu ſingulorum facere debeamus, & vos pro noſtris monachis. Quam unitatem noſtram in Domino ne quis poſterorum per ignorantiam ſcindere ulla occaſione tentaret, ſcriptum de hac re diligenter à vobis compoſitum eſt: quod ut inviolabilem obtineret firmitatem, ipſius domni Vvlgrini epiſcopi, omniumque veſtræ eccleſiæ primorum auctoritate munitum & corroboratum eſt. Cum hæc igitur omnia bene noverit prudentia veſtra, domine venerande Pater, quomodo tam profunde obdormivit ratio animi veſtri & antiqua benignitas, ut tam evidentem injuriam fratribus veſtris excellentia veſtra facere non metuat? Quod ſi vos fraternæ injuriæ reſpectus non movet, numquid pro nihilo aut leve ducitis, quod Cenomannenſis eccleſiæ & epiſcopalis dignitas & canonicalis auctoritas pari conſilio firmavit, hoc violare ullo modo ac deſtruere? In quo tam male de vobis meruit ſancta eccleſia beatiſſimi Juliani, quæ vos ſibi rectorem atque paſto-

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXIV. FEB. XXIV.

rem præfecit: quam vos totis viribus veſtris honorare & exaltare debueratis; quia & ipſa prior vos honoravit gratis & exaltavit? Quid meruit, ut cum omnes eccleſiæ totius Franciæ & Aquitaniæ, immo & totius Galliæ hanc obtineant dignitatem, ut quod ſemel in Capitulo earum firmatum eſt, nullus poſterorum violare præſumat; vos Cenomannenſem eccleſiam hac dignitate, quam per tot ſæcula uſque ad veſtra tempora obtinuit, ſpoliare non vereamini? Cur inter omnes totius Galliæ eccleſias inferior erit ſancta mater eccleſia Cenomannenſis, ut cum illæ omnes, & majores & minores, firmam Capituli auctoritatem habeant, mater eccleſia Cenomannenſis nullam habeat auctoritatem? Si aliqua ſæcularis perſona quamlibet potens hoc facere præſumeret, dignum quidem fuerat epiſcopum cum toto clero ſuo propter amorem Dei & Eccleſiæ ſuæ mortem potius libenter appetere, quam eccleſiam ſuam dehoneſtari ullatenus conſentire. Verum hæc quoquo modo ſe habeant, vos beatiſſimi Juliani grex inclyte, ſummopere admonemus, ne vos antiqua veſtra dignitate ulla ratione denudari patiamini. Poſtremo ut noſtram de hac re ſententiam ſciatis, de re tam legitime ac tanta auctoritate firmata, numquam in judicium venire decrevimus. Bene valete.

His litteris munera adjecit Bartholomæus, queis epiſcopi animum adverſus Majoris-monaſterii monachos commotum mitigaret. quibus tandem devictus Ernaldus ab omni controverſia ceſſavit.

Loca ei ſubjecta.

7. *Creſcente Bartholomæi, monachorumque ſub ejus regimine viventium, ſanctitatis fama, per varias Galliarum provincias Majoris-monaſterii inſtitutum propagatum eſt, epiſcopis, viriſque aliis nobilibus ex eo loco monachos efflagitantibus, qui aut nova monaſteria incolerent, aut vetera in quibus diſciplina regularis intepuerat, ad meliorem ſtatum revocarent. Quin & in exteras etiam nationes nomen eorum pervenit. Unde Guillelmus Conquæſtor poſt Haraldum Angliæ regni invaſorem devictum, in ipſo pugnæ loco inſigne cœnobium in honorem ſancti Martini condidit, quod ob eam cauſam Bellum voluit appellari; & è Majori-monaſterio Turonenſi accivit monachos, quos ibi locavit, uno ex eorum numero in abbatem electo, ut narrant hiſtoriæ Anglicanæ ſcriptores. De hujus monaſterii quod in agro Suſſexienſi ſitum erat, initiis, poſſeſſionibus ac variis privilegiis fuſe agitur in Monaſtico Anglicano tomo 1. pag. 310. ubi etiam referuntur aliquot diplomata tum Vuillelmi regis ipſius conditoris, tum aliorum Angliæ Regum, quæ huc referre nihil juvat. Circa idem tempus, id eſt anno* MLXVII. *Radulfus Paganellus nobilis Anglus eccleſiam ſanctæ Trinitatis, quam Eboraci habebat, Majoris-monaſterii abbati & monachis* tradidit, cupiens ſervitium Dei, quod in ea deperierat reformare.... quatenus, *inquit*, aſſiduis ipſorum orationibus partem beatæ reſurrectionis in futuro habere merear. *Varias deinde poſſeſſiones adjecit ad monachorum ſuſtentationem, quæ omnia Alexander II. ſummus pontifex confirmavit. Ejus diploma in tomo laudato Monaſtici Anglicani refertur pagina 564. ubi plura habentur de eodem ſanctæ Trinitatis prioratu.*

8. *Nec putandum tot cellas, quæ tunc temporis Majori-monaſterio ſubjectæ fuerunt, ab Abbate aut monachis ejuſdem loci emendicatas fuiſſe, cum è contrario gratiam ſibi præſtari exiſtimarent illi, quibus aliquot ex iſta Congregatione monachi concederentur. Id quippe eorum ſanctitati deferebatur, ut ex multis donationum chartis, quæ ſuperſunt probari poſſet. Unam ex his integram referre in ſpecimen viſum eſt, quæ eſt Gervaſii, cujuſdam viri nobilis Cenomannenſis, de eccleſia ſancti Guingaloei apud Caſtrum-Ledi, quam Majoris-monaſterii monachis poſſidendam contulit. Sic autem habet.*

Ego GERVASIUS homo militiæ ſæculari deditus, curam gerens de ſalute animæ meæ, & perpendens me jejuniis & orationibus meis ad Deum pervenire non poſſe, cogitavi aliquo modo me illis commendare, qui Deo in talibus die ac nocte deſerviunt, ut eorum interceſſionibus, quæ per me

Digitized by Google

non poteram, ſalutem illam mererer invenire. Cum igitur aliquid hujuſmodi hominibus ad ſubſidium vitæ præſentis iſtius rei gratia vellem impendere, nec mihi de rebus meis ſuppeteret, quod eis digne poſſem offerre, ſubiit ſpes de miſericordia Dei, quod ſi ea quæ à majoribus meis Deo ad uſum ſervorum ejus collata fuerant, ſed modo deſerta ſunt ac vaſtata, in priſtinum ſtatum revocare poſſem, & peccatorum meorum conſequerer veniam, & animæ meæ ſalutem perpetuam. Eſt ergo in pago Cenomannenſi in Caſtello-Ledi * eccleſia in honorem ſancti Guingaloei conſtructa, cui multa majores mei contulerunt ad uſum Deo inibi ſervientium, ad quod Dei ſervitium canonicos conſtituerunt. Orto autem bello inter Comitem Gaufredum & dominum illius caſtelli, cum idem Comes cuncta per circuitum caſtelli ferro & flammâ diſperderet, res quoque hujus, quam dicimus, eccleſiæ ipſas rapere ac vaſtare ſicut & cetera minime formidavit; ita ut plerique de canonicis inopia coacti diffugerent, & eccleſiam cui deſerviebant deſererent. Ex eo jam tempore & divinum officium cœpit negligentius in ipſa eccleſia celebrari, & res ejus quotidie decidere, & in deterius devenire. quod ego conſiderans, & maxime dolens non ea qua dignum erat honeſtate ac reverentia famulatum Deo in ſæpe dicta eccleſia exhiberi, cœpi mecum anxius pertractare, ſi forte poſſem invenire tales homines, qui & honeſte divinum cultum in ipſa eccleſia frequentarent, & res ad eam pertinentes jam pæne annullatas in priſtinum vigorem repararent. quorum etiam ſuffulti orationibus, ego ſcilicet Gervaſius, & pater meus Rotbertus, & mater mea Elizabeth, & uxor mea Aremburgis, necnon & avus meus Amelinus, & avia mea Hildeburgis, & GERVASIUS Remorum archiepiſcopus, qui locum illum fundaverunt, peccatorum veniam à Domino conſequamur & ſalutem. Itaque adhibito procerum meorum & amicorum, necnon & epiſcopi Cenomannenſis domni ERNALDI conſilio, rogavi venire ad me domnum BARTHOLOMÆUM Majoris-monaſterii abbatem, eumque multis precibus oravi, ut ſuſciperet à me in dominium ſancti Martini hanc, de qua loquimur, eccleſiam cum omnibus ad eam pertinentibus, conſtitueretque in ea monachos, qui ibi die ac nocte divino cultui diligenter deſervirent. Quod cum, Deo donante, apud illum obtinere meruiſſem, tradidi ei ſæpe dictam eccleſiam cum omnibus ſibi ſubjectis rebus, de quibus donata uſque tunc temporis erat, ſicuti illius loci canonici in die illa tenebant, & cetera cuncta, quæ prius in ſua poteſtate habuit, & quibus per malorum tyrannidem deſpoliata erat, promittens quoque me ei vindicaturum, & ſicut antea habuit, in jus ſuum traditurum. Omnia hæc conceſſi libera & quieta ab omni conſuetudine exactionis vel vicariæ, ſeu ceterorum vectigalium, quemadmodum majores mei eidem eccleſiæ legitime contulerunt, ita ut eam ſine ulla mea, vel cujuſquam ſucceſſorum meorum contradictione, Congregationi Majoris-monaſterii ſuiſque ſucceſſoribus cum abbatibus, qui eis pro tempore præerunt, liceat jure perpetuo poſſidere: & quidquid inde agendum decreverint, liberam poteſtatem habeant faciendi, ordinandi, & qualitercumque eis placuerit, meliuſque viſum fuerit, diſponendi, tam præſentibus quam futuris temporibus: & in arbitrio ſupradicti abbatis, & eorum qui ei ſucceſſuri ſunt, qui abbates Majoris-monaſterii fuerint, pendeat de numero & qualitate illorum fratrum, qui ad prædictum locum ſunt tranſmittendi. Hanc autem donationem feci conſenſu & auctoritate matris meæ, omniumque fratrum meorum, & canonicorum ipſius loci omnium. Quæ ut ſtabilis & inconvulſa in perpetuum exſiſteret, nec deinceps ſibi ab aliquo calumniam inferri pertimeſceret, ego Gervaſius quatuor millia ſolidorum, mater mea Elizabeth centum ſolidos, Adam decem libras, Rotbertus decem libras, Gervaſius clericus & centum ſolidos, Urſus Ca-

ANN. CH. MLXXXIV. FEB. XXIV.

* Château-du-Loir.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXIV. FEB. XXIV.

nonicus quadraginta ſolidos, Haimo canonicus triginta ſolidos, Rannulfus canonicus quadraginta ſolidos, Odricus canonicus triginta ſolidos, Guido canonicus quadraginta ſolidos, Fulcodius canonicus ſexaginta ſolidos, Gualterius canonicus viginti ſolidos, Herbertus canonicus quadraginta ſolidos, Teduinus canonicus quadraginta ſolidos, Wvitermus canonicus quindecim ſolidos, Guarnerius canonicus viginti ſolidos. Hoc autem notum ſit omnibus, quod de denariis domni Gervaſii, quos ei dedimus, ſuos canonici denarios acceperunt.

Nomina monachorum qui locum receperunt, Bartholomæus abbas, Fulchardus monachus, Gualterius monachus, Ernaldus monachus, Adraldus monachus, Anſegiſus monachus, Guillelmus monachus, Girulfus de Relliaco clericus, Guarinus clericus, Doſelinus clericus.

9. *Habemus epiſtolam G. Lugdunenſis presbyteri ad Rodulfum Turonenſem epiſcopum, à Cordeſio poſt Hincmari epiſtolas editam, qua eumdem antiſtitem obteſtatur, ut à Bartholomeo Majoris-monaſterii abbate obtineat è ſuis aliquem, qui Sabiniaci abbatiæ præſit.* Deprecor, ut domnum B. Majoris-monaſterii abbatem cum multa dulcedine ex noſtra parte & veſtra monendo, deprecando exoretis, quatenus mihi ſuo dilecto & deſolatis fratribus miſericordiam ſuam poſcentibus conſulere non differat. Mittat patrem, mittat paſtorem, qui cum tanta cautela gregem ſuum cuſtodiat, ne antiquo hoſti ex aliqua parte aditus pateat, per quem ad ipſum gregem umquam inrumpere valeat. *Porro ea ipſa ſanctitatis fama quæ multos adducebat ut poſſeſſiones ſuas Majori-monaſterio conferrent, nonnullos etiam, & quidem ex viris nobilibus, movit ut non ſua ſolum, ſed & ſe ipſos monaſterio traderent. Ex his fuere Fulco de Boëria, qui eccleſiam ſanctorum Cyrici & Julittæ ſub Alberto abbate aliaque bene multa monaſterio tradiderat, Salomon de Sablolio, Beringerius de ſancto Lupo, aliique non pauci, qui variis in chartis memorantur.*

10. *Hæc ex pluribus proferre viſum eſt de Bartholomeo abbate, cujus res geſtas fuſius proſequi aliquando fortaſſe licebit, ſi umquam ejus Vitam virtutibus & miraculis claram, quæ in codice manuſcripto, ut jam diximus, habebatur, recuperare liceat. Nomen ejus in Martyrologium Benedictinum die 23. Februarii invectum eſt ab Hugone Menardo, quem poſtea ſunt ſecuti, qui faſtos Benedictinos adornarunt. Die ſequenti laudatur à Bollandianis inter prætermiſſos, & quidem recte. nam ſexto Calendas Martii obiiſſe dicitur in libello jam à nobis laudato Anonymi de actibus epiſcoporum Turonenſium & operibus abbatum Majoris-monaſterii, ubi dicitur* humatus in ſiniſtra parte ad altare Apoſtolorum, *& eccleſiam ſuam* obedientiis multis *ampliaſſe. Mutato altaris titulo, ſepulcrum ejus etiamnunc viſitur in ſacello Annuntiationis beatæ Mariæ ſub exiguo lapide ad pavimentum ſtrato, ubi hæc brevis inſcriptio habetur:* Hic jacet Bartholomæus quondam abbas loci iſtius. *Obiit anno* MLXXXIV. *Nullo cultu publico celebratur, quare ſatis fuit eum* beati *nomine deſignare. Miraculum ab eo editum, quod Johannes Dolenſis Comburnii in Britannia minori dominus ſcriptis mandavit, hic ſubjungimus, quale ex Majoris-monaſterii veteri exemplari erutum eſt. Brandricus vero & Hugo, qui in eo Archiepiſcopi dicuntur, Dolenſis eccleſiæ præſules fuere. nemo quippe neſcit Dolenſes epiſcopos ad Innocentii III. tempora hoc nomen ſibi attribuiſſe, reclamantibus licet Turonenſibus metropolitanis. at tandem ſub Innocentio III. Dolenſes cauſa ceciderunt, relictis ſolummodo Dolenſibus epiſcopis, cruce & aliis archiepiſcoporum inſignibus.*

Cultus.

Bartholomæi miraculum.

11. JOHANNES dictus Dolenſis, Comburnii dominus, omnibus fidelibus ſalutem in Domino. Ego futurorum notitiæ declarare decrevi quod plurium relatione audivi & didici, ſcilicet quod Maino filius Theonigete dedit Deo & beato Martino Majoris-monaſterii, & abbati Bartholomæo, & monachis ejuſdem cœnobii apud Comburnium commorantibus eccleſiam ſancti Martini de Gugnen *, & eccleſiam ſancti Martini de Voel, cum omnibus appendiciis ſuis, perpetuo jure poſſidendas. Deſcenderat

* *al.* Qugnen.

enim aliquando iſdem venerabilis abbas in Britanniam, cauſa viſitandi domos quas habebat in Britanniæ partibus; & hoſpitandi gratia venit Comburnium. Tunc venit ad eum ſupradictus Maino, rogans eum, ut deſcenderet apud Gugnen viſitare filios ſuos Haimonem & Gauterium, qui gravi tenebantur infirmitate. Deſcendit, & ſignum Crucis frontibus eorum impoſuit, & ſtatim obdormierunt, & poſt ſomnum integræ ſanitati reſtituti ſunt. Quo viſo, & audito quod leproſum oſculo ſanaverat ſupradictus abbas, & aquam in vinum converterat; ſupradictus Maino & Theonus pater ejus ſenior ſupradictas eccleſias ei dederunt, concedentibus filiis ſuis Haimone & Gauterio; & Alanus filius Floaudi quidquid juris in eccleſia de Gugnen habebat, eidem Abbati conceſſit, & monachis Comburnii. Monachi vero Gauterium preſbyterum ibi conſtituerunt, & BRANDRICO archiepiſcopo præſentaverunt, & in tempore ipſius Gauterii tertiam partem decimæ de Gugnen habuerunt. Hæc ego Johannes à pluribus audivi, & quæ ſequuntur vidi, ſcilicet quod Haimo preſbyter de Gugnen in præſentia HUGONIS archiepiſcopi ſe depoſuit, & ad juriſdictionem monachorum ſupradictam eccleſiam pertinere recognovit, & de manu Guillelmi prioris ipſe Haimo eccleſiam recepit, & Hugoni archiepiſcopo eum prior Guillelmus præſentavit, & Hugo hoc conceſſit, & conceſſionem ſigillo ſuo confirmavit. Necnon ſciant omnes, quod Alanus filius Jordani & Eudo-ſpina donationes anteceſſorum ſuorum conceſſerunt de eccleſia de Gugnen, & innovaverunt in præſentia Hugonis archiepiſcopi, videntibus iſtis, Guillelmo priore, Turpino & Durando monachis, magiſtro Guillelmo Sueſſionenſi, Evano-Cato, Normanno de Litreio, & filio ejus Gaufredo, Philippo de Boteniguel & magiſtro Herveo, Gautero Braſart & multis aliis. Dedit inſuper coram iſtis prædictus Alanus per manus Hugonis archiepiſcopi eccleſiam de Trunchet cum omnibus appendiciis ſuis, concedente Gauterio ejuſdem loci magiſtro & omnibus fratribus ejus.

Ann. Chr. MLXXXIV. Feb. XXIV.

DE REBUS GESTIS
in Majori-monaſterio ſæculo XI.

1. CETERUM ut ad noſtra revertentes, jam ea quæ munificentia divina inter nos & erga nos, licet indignos, operari dignata eſt, & ad laudem nominis ejus, & ad ædificationem poſterorum, quo poſſumus ſtilo, proferamus: non immerito, ut opinamur, animæ fidelium Majoris-monaſterii ſuffragia referuntur expetere, in quo tanta tam pro vivis quam & pro defunctis in orationibus & eleemoſynis fiunt beneficia. Quidni enim illic votorum obtineatur effectus, ubi patrocinatur præpotens & ſublimis ille ſacerdos Martinus, qui humillimi magiſtri Jeſu-Chriſti humilis & conſtans imitator, maxime humilitatis meritis, & perennem ejuſdem loci ſui ſanctificationem & verbi, fideliter oratum venientibus obtinere poteſt à peccatis abſolutionem? Nec incongrue etiam revelante Deo prædictus ſolitarius de ſtudio & efficacia fratrum ejuſdem monaſterii circa cultum & frequentationem ſacramentorum, quæ ſupra retulimus, vel vidit vel effudit; quoniam, ut ipſi perſpeximus, mos erat ipſius cœnobii, ut à prima aurora uſque in horam prandii propter ſacerdotum copiam, continua miſſarum celebratio protraheretur. Quæ tam digne ac reverenter fiebat, ut magis angelica quam humana exhibitio putaretur. Unde nec laudabilem & imitandam eorum circa fratres defunctos antiquitus obſervatam

Majus-monaſt. ſub S. Martini tutela.

Ejus loci monachorum fervor.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXXIV. Feb. XXIV. Erga defunctos caritas. conſuetudinem prætereundam cenſemus. Cum enim aliquis fratrum nuper obiiſſet, confeſſor ejus in communi ſuper indicta pœnitentia inquirebatur. qua audita, mira compaſſione videres cunctatim à fratribus fratris onus ſuſcipi: hic pſalmos, ille miſſas, alius jejunia, aliuſque diſciplinas verberum ſibi rapiebat. Implebatur profecto miro ordine Apoſtolicum illud: Alter alterius onera portate. (Gal. 6. 2.) Tunc denique exoneratus defunctus ab impoſita ſatisfactione pœnitentiæ, liber, ut credimus, tranſibat ad requiem, & conventus aſſequebatur gratiam. Amen.

2. Hujus etiam cœnobii abbas, nomine BARTHOLOMÆUS, privatis orationibus frequentius inſiſtebat. Cui aliquando in oratione poſito duo fratres, qui ejus tempore obierant, viſibiliter apparentes dixerunt: Bene quidem, pater, tam pro te quam pro grege commiſſo in orando pervigilas, ſed noveris etiam correctione agendum circa eos. Sunt enim inter illos, qui pro fratribus ſuis defunctis non ſatis ſolliciti ſunt, ille ſcilicet & ille, & nominaverunt quoſdam. (Arguuntur negligentes.) Age ergo, & in communi conventu ſuper defunctis mentionem faciens, univerſos & ſingulos exhortare, ne diſſimulent, neve differant fratribus ſuis defunctis conſtituta à ſanctis Patribus debita perſolvere. Hoc enim tibi dicimus in verbo Domini, quia qui fratribus ſuis dum vivit non exſolvit quod debet, quod ei defuncto ab aliis exſolvetur, non in ſuam ipſius, ſed in eorum proficiet utilitatem, quibus per ſuam negligentiam tenetur obnoxius. Illos autem quos nominatim expreſſimus, privatim convenies, duriuſque increpabis ad emendationem, de cetero admonitione pariter & præcepto eos inſtituens. quod ſi neglexerint, horrendum ſibi noverint imminere judicium. His dictis diſparuerunt. Abbas autem ſollicitus injuncta ſibi exſequitur; negligentes eatenus ad cautelam evigilant, boni meliores redduntur.

Studium adjuvandi morientes.

3. Quantum fides propria poſſit, comprobat aliena, quod & in baptiſmo luce clarius patet, & nonnullis ſanctorum inſtitutionibus demonſtratur. Inter cetera vero facta monachorum, præclarum & plenum fide quiddam comperimus; quod ſcilicet dum quis eorum in extremis agit, omnes omnibus negotiis intermiſſis occurrunt: non comedendi aviditas; non dormiendi neceſſitas, non Dei familiaris occupatio, non publicæ utilitatis diſpenſatio quanta quanta, omnino vel revocat vel retardat; quominus conveniant univerſi & ſinguli ad ferenda ſuffragia. Porro nemo vacuus vel manibus nudis, ſed armati omnes accelerant ad morientis tutelam, armis quidem fidei, & gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei. Ubi enim ſignum extremæ illius neceſſitatis auditum fuerit, ſtatim ſymbolum catholicæ fidei in perſona morientis omnes incipiunt, ei ſcilicet perhibentes teſtimonium quod in hac fide vixerit, & in hac fide à corpore diſcedit: ne videlicet hoſtis antiquus ad Creatorem ſuum revertenti audeat occurſare, cui audit fidei teſtimonium undique reſonare. Quod quam ſalubriter ſit inſtitutum in cœnobio Majoris-monaſterii, evidenti indicio dignatus eſt Dominus oſtendere. Quoniam dum quidam frater ageret in extremis, pro ſollemni more illius eccleſiæ, nonnulli ex fratribus circumſtabant lectum morientis, precibus & orationibus ejus exitum munientes. Unius itaque aperti ſunt oculi, & ecce vidit Angelum Domini reſidentem ad altare, & fratris animam præſtolantem: vidit & diabolum prope adſiſtere, ut animæ exeunti fieret impedimento. Anima quoque fratris de corpore egreſſa, in ſpecie infantuli viſa eſt ſuper proprium corpus reſediſſe, & quaſi tremebunda maligni formidare præſentiam. Tum ſubito vox conventus advenientis auditur, clamantium pro fratre & dicentium, *Credo in unum Deum.* Ad quorum teſtimonium confuſus hoſtis abſceſſit, & ſanctus Angelus ad vocem cantoris reſponſorium pronunciantis, *Subvenite ſancti Dei, occurrite Angeli Domini*; prævidente eo cui divinitus fuerat revelatum, animam fratris ſuſcipiens in cælum uſque deduxit.

4. Erat

Digitized by Google

4. Erat in eodem cœnobio vir religioſus Hildebrandus [a] nomine, cui pro vitæ ſuæ merito ab Abbate ſacramentum confeſſionis commiſſum fuerat. Quidam autem de fratribus ad extrema veniens ſupradicto religioſo conſcientiæ ſuæ patefecit arcanum, & ita deceſſit è vita. Poſt non multos autem dies, mediæ noctis libramine, quieſcentibus de more fratribus in lectulis, ecce frater ille qui nuper obierat, ſuper lectum Hildeberti vigilantis adſtitit, & magnis cum vocibus cœpit inclamare, dicens: O pater Hildeberte, tibi, quaſi Chriſti vicario peccata mea confeſſus, ſecundum fidem Eccleſiæ me ſalvum ab eis credebam; & ecce dæmones pœnas eorum à me terribiliter exigunt. Et ille: Et mihi, ait, quaſi Chriſto Domino confeſſus es, & ego pro te Chriſto Domino in die judicii reſpondebo. Ad hanc tantæ fidei profeſſionem confuſi dæmones abſceſſerunt. Defunctus autem confeſſori ſuo gratias egit, & ab hoſtium manibus liber evaſit. In quo ſcilicet facto Deus nobis & inimici erga nos malitiam, & ſanctæ confeſſionis virtutem inſuperabilem demonſtravit.

ANN. CH. MLXXXIV. FEB. XXIV.

NOTA Confeſſionis virtus.

5. Preſbyter quidam ſæcularis in cœnobio Majoris-monaſterii monachum profeſſus ſæculum dereliquit, qui ſuſceptis monachalibus ſacramentis; dum quadam die in domo infirmorum lectulo decubaret, fratrem ad ſe vocat, cui talium cura commiſſa erat, & ait ad eum: Dominum Abbatem exhibete mihi, quia priſtinæ converſationis aliqua ipſam ad memoriam reduxi, quæ illi confiteri habeam. Cui ille: Meridiani, inquit, temporis ſomno pro more ſollemni dominus Abbas nocturnas modo recompenſat vigilias, nec quiſquam eum his horis excitare audet: nonæ vero horæ ſigno pulſato, licenter ad eum introiens adducam. Et æger: Neceſſitas, inquit, legem non habet, ſed ve * cui gravis exſiſtam, loco & vice ejus, vobis, cui ab eo ſum commiſſus, confitebor; urget enim extrema neceſſitas. Nec mora, æger de culpa pœnitens culpam confitetur, ſatisfactionem ſibi injunctam devote amplectitur, pro more ſacramenti à reatu abſolvitur. Hiſque geſtis, ipſiſque reſidentibus, ait: Jam nunc pugnare habeo cum hoſtibus feris. Tu igitur nuſquam abſcedens, præſentia ſolare, orationibus vaca. Neque enim viſurus es cum quibus præliabor, immo horrido aſpectu formam ſibi ſatis congruam, corvinam ſcilicet induerunt. Dixerat, & ſubito ejus facies tota immutatur, oculi venis intumeſcunt ſanguineis, & verſati terribilem præbent intuitum; os diſtortum in partes ſpumas ſanguine infectas evomit, cum membra ejuſdem nulla quiete fruantur. Interea frater qui aderat, cœpit trepidare. quis enim non paveat ad hoc? Solo autem metu orationi procubuit, tamque diu protrahitur agonia pugnantis, dum qui adſtabat ſeptem pſalmos pœnitentiales & letaniam expleret. Tuncque tandem æger rediit in ſeipſum, & ſibi adſtanti ait: En, inquit, frater, Deo protegente, hoſtes evaſi; tuque mihi laboranti quaſi collaborans adſtitiſti, jam parumper indulge quieti. Nocte enim imminenti mecum vigilare habes, diſceſſuro à vobis. Verba ſequitur effectus, ipſaque nocte, ut prædixerat, diſſolvitur à corpore. O quanta Dei clementia, qua in corpore poſito & pugnare dedit contra dæmones hominem, & pugnantem vincere: ut & labore pugnæ præterita errata purgaret, animæ autem ſuæ abſolutionis horam notam faceret.

* f. ne

Moribundi lucta cum dæmonibus.

6. Per idem fere tempus quidam laïcus de caſtro beati Martini in eodem cœnobio converſus, ad exitum properabat. Hic in quodam diverſorio domus infirmorum, ne vel alii moleſtiam ab eo, vel ipſe ab aliis pateretur, cubabat. Media autem die, ecce dæmones viſibili ſpecie Æthopibus ſimiles ingreſſi ad eum, lectulum ejus circumſteterunt. Quorum unus & ipſe terribilior, & magnitudine procerior ceteris, ſtratum ejus aſcendens, toto

[a] Sic Apographum, dicitur tamen infra ſemel & iterum *Hildebertus*. numero autem 13. infra occurrit iterum Hilidebrandus ſenior

Ann. Ch. MLXXXIV. Feb. XXIV.

ſe corpore ſuper eum extendit, ita ut etiam os ſuum ori ejus applicaret. Ille vero cum præ pondere incumbentis ſe movere penitus non poſſet, quod potuit fecit, & ſputum de ore ſuo in faciem dæmonis ſe prementis injecit. Quod diabolus non ferens, retro reſilivit, & quaſi propriam volens ulciſci injuriam, ad artes callidas ſe convertit. Denique coram eo argenti & auri pondera immenſa, veſteſque pretioſas exponit, choros puellarum, equitantium viventium cuneos, ut quos etiam agnoſcebat ſibi videre videretur. Inter quæ quaſi exſultans diabolus, aïebat ad eum: Ecce miſer, gloria quam reliquiſti ante tempus miſeriarum, ſpontaneis te ſubdens miſeriis, cum iſtis poteras adhuc florere, ſi noſtra conſilia non ſpreviſſes. At ille conſtanter è contra reſpondebat. Nos quoque floruimus, ſed flos fuit iſte caducus. Jam nunc abſit mihi gloriari niſi in cruce Domini noſtri Jeſu-Chriſti. Ad hæc verba turba dæmonum tamquam fumus evanuit; & ecce beatus Martinus pontificalibus redimitus infulis coram ægro aſſiſtens: Eia, frater, ait, confortare in Domino, nec te decipiant inſidiæ malignorum. Ceciderunt enim à latere tuo, & à dextris tuis, amplius ad te non appropinquabunt. Et addidit: Cognoſciſne me? Quod cum ille negaret, ait: Ego ſum, inquit, Martinus, hujus loci tutor & proviſor, ſub cujus auxilium confugiſti. Ad quam vocem enitens ille proſilire de lectulo, poſt tantæ viſionis abſceſſum à ſervientibus ſibi repertus eſt pedem exterius, ut ſancti pedes amplecti voluerat. Inde accito œconomo decubantium: Sacræ, ait, unctionis myſterium mihi quantocius exhiberi ſatagite, quia dominus meus Martinus ita mihi præcepit. Quod poſtquam ſuſcepero, de cetero me ſciatis nec quidquam locuturum, nec quidpiam guſtaturum. Satis enim fidelis eſt à quo hæc audivi. Nec mora, pro more fidelium inungitur, & ut prædixerat, quamdiu ſupervixit, nec quidquam locutus eſt, nec quidpiam guſtavit.

Alium S. Martinus inviſit.

7. In eodem cœnobio puer quidam intra decimum ævi annum, nomine Johannes, de Caſtro ſancti Martini à parentibus religioni datus eſt. Cujus in ævo puerili maturitas, maturis etiam ſenſibus admirabilis erat. Nemo eum reſolutum riſu, nemo cenſuram ſilentii excedentem, nemo dum vigiliæ agerentur, cum coævis ſomno vidit; ut moris eſt, indulgentem. Refulgebat in vultu ejus quædam cum gravitate ſimplicitas, ejuſque pueriles oculos pudor innocentiæ confovebat, ut in ſe aſpicientibus divino quodam intuitu caſtigaret levitatem, ac divinum timorem inſpiraret. Cujus ſenectutem venerabilem non diuturnam Dominus feſtinans educere de medio iniquitatum, intra annos innocentiæ innocentem puerum moleſtiis corporalibus affligi permiſit. Quibus in dies augmenta capientibus, religioſus puer præſcius extremorum, Abbatem loci, Garterium [a] nomine, ad ſe venire rogat, confitetur humiliter corde contrito de admiſſis, benedictionem monachi poſtulat fideliter, devote ſuſcipit. Inde ſecundum traditionem apoſtolicam inungitur. Quo facto vivificis ſacramentis munitur; tum vero crucis Dominicæ præſentato ſibi vexillo, nihil jam pueriliter præter annos in ipſo apparuit. Quanta devotione ipſam crucem amplectitur, quam piis eam lacrymis rigat; quibus ſingultibus videns Domini pendentis imaginem, ejus paſſioni conformis efficitur! His de more peractis, in lectum ponitur, poſitus in eccleſia beati Benedicti, ut eſt conſuetudo illius eccleſiæ, defertur, ubi requiſitus à ſervientibus, ſi aliquid ſibi miniſtrari pro corporea neceſſitate depoſceret; nihil prorſus mortale ſonuit: ſed pueros, qui ſtolas ſuas in ſanguine Agni laverunt, Davidica voce ad laudem Creatoris invitabat dicens: Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini. Sit nomen Domini benedictum, ex hoc nunc & uſque in ſæculum. Cujus

Pia mors pueruli.

[a] Nullus fuit hujus nominis abbas Majoris-monaſterii. Legendum haud dubio *Garnerius*, qui ab anno 1137. uſque ad annum 1155. præfuit.

pſalmi duos verſus itidem itidemque repetens, extremum ſpiritum exſpiravit; illorum, ut credimus, aggregatus conſortio, quos ad Dei laudes in extremis invitabat. **Ann. Ch. MLXXXIV. Feb. XXIV.**

8. Preſbyter quidam de ſancto Spano, Herveus nomine, poſtpoſita ſui dignitate ordinis, tam ſæcularibus negotiis, quam voluptatibus deditus erat. Creſcebat in immenſum pecunia ejus, poſitis in fœnore nummis, quæ ſcilicet quo plus creſcebat, tanto magis hunc capiebat. Hoc ſolum tamen in eum ſpem futuræ ſalutis, etſi ſegniter, nutriebat, quoniam viros religioſos, & præcipuè Majoris-monaſterii monachos maximo venerabatur honore. Denique ſanus & adhuc florens in ſæculo ſeſe ſuaque eis donavit. Nec tamen tunc mundum, cujus catenis irretitus erat, deſeruit. Tandem mortis avara manus, quæ æquo pulſat pede pauperum tabernas, regumque turres, corporalis moleſtiæ tactu eum graviter adegit. Qui mortis horam vicinam ſentiens pariter & tremiſcens, ſupradictos Majoris-monaſterii fratres ad ſe feſtinato venire mandat; factaque primum de peccatis humili, vivaci, gemebunda, plena amaris lacrymis, ut dignum erat, confeſſione, confratribus prius & pauperibus partem ſuæ ſubſtantiæ diviſit; reliqua vero omnia mobilia immobiliaque ſæpedictis fratribus ſeſeque ipſum tradidit. Inſuper & debitores ſuos undequaque venire fecit, quæque ſibi debebantur, debenda fore monachis, & nominatis temporibus reddenda ſancivit. Inter reliquos autem venit quidam compater & familiaris ejus, cui nemine conſcio, exceptis ipſis duobus, L X. libras commodaverat. Qui jacenti locutus in dolo: Domine, inquit, timeo mihi ab auditu tantæ pecuniæ, & quamvis per veſtram gratiam, neminem tamen vellem conſcium noſtri ſecreti, ſicut nec antea fuit. Ego autem ſub fidei meæ & jurisjurandi ſacramento polliceor vobis & eam me redditurum, & eo quem mihi aſſignaveris die. Ad hæc æger: Non eſt, inquit, opus ut mihi juretis. Expertus enim fidem veſtram, quæ mihi ſpondetis non incredulus exſiſto, oſculo ſancto pacis & fidei peracta ſolo firmentur. Quod ille libenter amplexus ſub fidei ſuæ & ſacri Ordinis ſigno pollicetur ſe eis, quibus, & quo decreverit tempore, debitum ſoluturum. Aſſignat ergo debitori preſbyter, ut vice ſui fratribus Majoris-monaſterii illud reſtituat, terminumque reddendi unius anni indulget ei ſpatium. His ita peractis, induitur ſacris veſtibus Religionis, & delatus ad monaſterium, monachalia ſacramenta pro ritu Religionis ſuſcipiens, pravis tranſactæ vitæ bono fine condemnatis actibus, quievit in pace. Jam annus exactus erat, cum debitor ille nec debitum exſolvit, nec patientiam precatur. Nemine ſcilicet teſte, poſt mortuum lucro ſibi totum putat remanſiſſe. At defunctus, cui monachi debitum fraternitatis non exſolverunt negligenter, ſollicitus fuit ne fraude debitoris amitteret quod ei reddendum mandaverat. Quadam igitur die Capellano eccleſiæ, cui ipſe præfuerat, eunti Turonem monachali habitu efficitur obvius. Quem ille clara luce diei agnoſcens, reminiſcenſque mortuum, primo ejus aſpectu ingenti terrore concutitur. Cui defunctus: Nihil, inquit, timeas, ſed crucis Dominicæ ſigno frontem armatus, ſecurus audito quæ dicam. Non enim nociturus, ſed profuturus tibi & aliis permiſſus ſum apparere. Et addidit: Tu noſti, inquiens, quam perdite multo tempore vixi, & vere & abſque remedio perditus eſſem, ſi non per orationes ſanctorum fratrum Majoris-monaſterii Domini immenſa miſericordia mihi ſubveniſſet. In igne tamen purgatorio debitos dolores ſuſtinui, quibus, ſi quidquid tormentorum in vita mortali tolerari poteſt, comparetur, leviſſimum, immo nec tormenta reputabuntur. Nunc autem in refrigerio poſitus, majorem adhuc beatitudinem etiam ante univerſale judicium præſtolor, ſed retardat me fallacis illius compreſbyteri noſtri diſſimulatio. Tranſgreſſus eſt enim terminum quem illi conſtitueram, ut dominis meis Majoris-mo-

Preſbyteri converſio.

Ann. Ch. MLXXXIV. Feb. XXIV.

naſterii fratribus debitum meum exſolveret. Tu quidem ex parte mea nunc ibis ad eum, & ne amplius diſſimulet facere, quod ſub fidei & pacis oſculo mihi ſpopondit reddere, annunciabis. Quod ſi diem quem illi per te aſſigno, negligenter præterierit; ſciat procul dubio ejus animam ſummi Judicis ſubituram vindictam. His dictis defunctus diſparuit. Capellanus autem promtus ac ſollicitus exſequitur juſſionem, presbyterum convenit, ſuper depoſito viſionem enarrat, ut reddat debitum adhortatur. At ille eum inſaniæ fantaſia deceptum, ſe in nullo umquam defuncto fuiſſe obnoxium proteſtatur. Nec mora, tranſacto die quem defunctus per internuncium ſtatuerat, debitor immenſis doloribus arreptus, jamjamque ſeſe exſpirare formidat. Fatetur itaque, etſi ſero, cuncta Dei cernentis neminem poſſe effugere judicium. Quid plura? Monachos ſæpedictos per internuncium evocat, debitum primo reddit, inde ſeipſum & omnia ſua in manus eorum tradens, creditoris ſui pia in fine ſubſecutus veſtigia. In quo opere vere Dominus & clementer miſericordiæ & diſtricte bene intelligentibus demonſtrat judicem.

Defunctus preces flagitat.

9. Duo germani erant in eodem monaſterio honeſtæ vitæ & laudabilis converſationis, quorum alter ad Abbatis nutum in Angliam directus, cælum, non animum mutans, ibi quoque religioſe converſatus eſt. Contigit autem ut expletis diebus vitæ ſuæ obdormiret in Domino. In eadem igitur nocte qua de vita exceſſerat, fratri ſuo in conventu fratrum quieſcenti apparuit dicens: Eia, frater, Ecce hodie ex hac vita me vocavit Dominus; & ego ad Sanctorum requiem perventurus viatico indigeo; beneficio ſcilicet fratrum noſtrorum ex more mihi debito. Porro ille à ſomno excitus ſecumque viſionem reputans, minus fidem adhibuit, quam ſomnium parvipendens. ſurgitur interim ad matutinos. Tum inter pſallendum, ut fieri ſolet, parumper obdormiens, eamdem viſionem vidit. Cœpit igitur aliquanto ſollicitius tractare ſecum quæ repetita viſione monitus erat. Itur poſt matutinos dormitum; & ecce defunctus fratrem ſuum in viſu convenit, hortatur ſollicite, ut jam tertio monitus Abbati & fratribus ſuum nunciet obitum, & germanæ dilectionis intuitu debitum ſibi ab eis exigat beneficium. Mane itaque facto, frater de fratre, præſertim triplicata viſione admonitus, ſollicitus erat, & quemdam de cuſtodibus ordinis in partem evocans rem ex ordine pandit, depoſcit conſultum. At ille: Non eſt, inquit, ut melius noſti, conſuetudinis noſtræ, ut alicui debitum exſolvamus niſi breve allatum fuerit, quo Kalenda obitus agnoſcatur, præſertim pro ſomno cujus fallax & vana perſæpe illuſio eſt. Nec mora, die eodem nuncius advenit breve manu portans, quo fratris obitus & Kalenda legeretur: Kalenda porro ipſius erat diei. Officium pro mortuo de more celebratur, æſtimantibus cunctis jam inſtare annuum diem quo obiiſſet. At Germanus ejus ceteris pro illo ſollertior foras egreditur, quaſi cum brevis bajulo curioſius de fratris ſui obitu locuturus. Ille autem nec reperiri potuit, nec aliquis eſt repertus qui ſe eum vidiſſe diceret. Concurrentibus itaque ſibi & viſionis triplicatæ miraculo, & nuntii ſubito diſparentis adventu, germanus defuncti & eodem non quidem anniverſario, ſed ipſo identitatis eſſentia quo viderat viſionem, quodque nuncius advenerat, veridica relatione fratrem ſuum dedicit emigraſſe. ſatiſque compertum eſt quam larga Domini miſericordia eſt, quæ & defuncto permiſit ut ſuum debitum exigeret, quamque ſollicitos nos eſſe conveniat, ne defunctis fratribus debitum ſuum exſolvere negligamus.

Procurator defunctos fraudans punitur.

10. Ejuſdem cœnobii frater erat, Urricus nomine, qui rerum temporalium callebat prudentia. Hic in cella, quæ dicitur Tavent, Procuratoris fungebatur officio. Erat autem durus admodum & inhumanus, cum fratribus conſtitutam annonam nonnumquam partim ſubtraheret, ipſis recla-

mantibus cogebatur invitus reddere quod ſuum erat. At vero defunctis tanto licentius benefacta ſtatuta vel ſubtrahebat, vel in deterius commutabat, quanto rarius inveniebatur qui jus eorum deffenderet. Contigit igitur, ut dormienti ei duo fratres qui ex hoc mundo migraverant, apparerent, & eum duris verbis pro illata defunctis injuria increparent. Ille induratus quaſi ſomnium mane viſionem pro nihilo duxit. Secundo itaque defuncti ad eum in viſu venientes reclamant pro injuria, pœnas imminere, niſi damna reſtituat, comminantur: at ille nihilominus emendatus permanſit. Tertio igitur venientes tantis eum verberibus affecerunt, ut per annum dimidium lectulo quaſi moriturus decubaret. Vix tandem convaluit, ſed priſtinam corporis alacritatem numquam poſtea recuperare valuit. Hinc conjice, lector, quid in futuro immineat defunctorum debita defraudantibus, quia etiam in præſenti corporali vindicta defunctos ipſos Judex permittit exigere. Ann. Chr. MLXXXIV. Feb. XXIV.

11. Frater quidam ex eodem monaſterio egreſſus, ſæculum repetit, monachum diffitetur. Qui etſi turpiter coram Deo, quippe ſanctæ illius refuga profeſſionis, coram hominibus tamen honeſte ſe agebat. Denique in Cameracenſium diœceſi profeſſus preſbyterium, cuidam eccleſiæ attitulatur, in qua per multum tempus ſacerdotio functus, quem ordine & dignitate populum ſibi commiſſum, quantum ad faciem ſpectat, legitime gubernavit. Et quia mundana non mediocriter callebat prudentia, multam ſibi coadunavit pecuniam. Conſortium etiam muliebre ſibi adſciſcens, ad teſtimonium illius ultimæ & ſæcularibus licitæ caſtitatis, & ex ea filios genuit: jam quarta præteribat vigilia, & adhuc ille dormiebat, cum ecce fons miſericordiæ Deus, mirabiliter eum excitavit, & primo quidem uxoris ſolatium filiorumque carnalem dulcedinem, morte eos exterminando, ab ejus animo abſcidit; inde corporali eum affligens moleſtia lectulo proſtravit. Tunc tandem in ſe reverſus, ſecum quid fuerit, unde exierit, quod evenerit, quæ ſe inevitabilis maneat in extremis ſententia, rugitu cordis & medullarum ſudoribus retractare cœpit. Aïebat ergo: En mea cygneas imitantur tempora plumas; & ecce univerſo, ut dignum erat, deſtitutus ſolatio, ut lignum aridum & truncus inutilis æterni ignis pabulo tantummodo aptus remanſi, & vere merito ſolum me relictum invenio, qui ſanctæ congregationis dignum Deo & angelicum reliqui contubernium. Væ mihi miſero, qui cum poſſem ad eos redire, non volui; nunc autem cum ſero velim, non valeo. Talia ſecum dicens flebat uberrime. Tandem poſt multas lacrymas, ſpe per Dei miſericordiam animatus, ait: Certe faciam quod vel nunc poſſum. Credo enim & confido, qui & latronem in cruce ſeſe confitentem miſericorditer ſuſcepit, me quoque etiam in ultimis veraciter pœnitentem non abjiciet. Dixit, & dictum transduxit in opera. nam Majoris-monaſterii fratres, quos propius potuit reperire per internuncios evocat, revelat eis ut Domino viam ſuam; & quia prægravatus valetudine ſe eo venturum diffidebat, quo legitime ſatisfaceret, ſupplex exorat, ut pro ſollemni diſciplina in eum verbera virgarum exerceant, ac deinde ſacræ habitum religionis quem abjecerat, clementer indulgeant. Nec differre conſilium fuit, quia & pœnitentis ſupplicatio, & imminentis periculi urgebat eventus. His igitur peractis cum nocte inſecuta matutinos inibi celebraſſent, æger ſomno indulſit; & ecce Martinum pontificali redimitum infula cum multitudine candidatorum, ſanctumque Benedictum cum monachorum caterva ſibi videt in dextris adſiſtere, porro in parte altera diabolum & angelos ejus. Tum prior diabolus: Injuſte, ait, agitis ad hunc accedentes, qui à vobis refuga ſe mihi mancipavit; & modo longevæ militiæ, qua mihi ſervierat, præmia percepturus, propter unius horæ lacrymas, & momentaneam pœnitentiam ac

Monachus apoſtata.

Pœnitens veniam obtinet.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXXIV. Feb. XXIV.

ſi juſtus à vobis viſitatur. Cui clemens Martinus: Ignoras, inquit, miſer, divinæ bonitatis inexhauſtas divitias, qui per Prophetam duræ vitæ contraria intonat verba dicens? In quacumque hora ingemuerit peccator, omnes ejus iniquitates oblivioni tradentur; & per ſemetipſum, ille qui tyrannidem veſtram ſuæ trophæo crucis edomuit, Non veni, inquit, vocare juſtos, ſed peccatores in pœnitentiam. His dictis cum ſancto Benedicto converſus ad jacentem, Per Salvatoris, inquit, gratiam, & collatam ab ipſo nobis potentiam, à cunctis te peccatis abſolvimus: de cetero tu correctius vive, & jam amplius noli peccare. Et addidit, De lecto, inquiens, ægritudinis hujus convaleſce, ad matrem tuam eccleſiam à qua receſſeras rediturus, ibi juxta quod magiſter tuus, quem præſentem cernis, ſanxerit, ſatisfactionis viam univerſam percurrens, caveto ſummopere, ne quid quod tuam remordeat conſcientiam à patre abſcondas monaſterii. jam etenim non multo tempore ſupervives. His dictis ſomnum & viſio pariter abierunt. Nec mora fratribus ad ſe vocatis quæ viderat, quæ audierat per ordinem pandit, ſe divinitus ſanatum inſinuat, rhedam inſtruit, cum qua cum ſuis copiis provehatur, ad Majus-monaſterium venit, quæ ſecum detulit ſcilicet viginti quinque millia ſolidorum, & vaſa argentea octo, equos etiam in quibus venerat, patri monaſterii adſignat. Inde miſericordiam ſupplex exorat, aditum humiliter precatur, nihil ſibi laxari permittit quominus univerſam expleat ſatisfactionis diſciplinam. Dies pauci fluxerunt, & ecce iterum lecto proſternitur: cumque expleto ſacræ unctionis myſterio crucem dominicam adoraret, vidit diabolum prope adſiſtere. Reſpiciens autem ex adverſo ſollicitis perquirebat oculis, ſi forte protectores ſuos, quos antea viderat, etiamnunc videret: nec prius ſalutiferum crucis vexillum ab ejus manibus avellere potuerunt, quam beatos patronos ſuos ad ſui cuſtodiam veniſſe gloriaretur. Quorum confiſus præſentia, ad diabolum converſus: En, inquit, cruenta beſtia, protectores habeo contra te. Adeſt Martinus ſignipotens, adeſt & pater Benedictus, non timeo quid faciat mihi homo. His dictis in ſanctorum qui advenerant manibus vultu alacri animam exſpiravit; ſicque divinitus oſtenſum eſt, quanta ſit apud Deum multorum innocentia, apud quem tanta eſt peccatorum pœnitentia.

Fulconis comitis viſio.

12. Fulco Comes iturus Hieroſolymam, in feſto *Pentecoſtes venit* Turonos, ut ei Archiepiſcopus ſacræ crucis ſignum pro more tantæ peregrinationis imponeret. Quo facto cum poſt miſſarum ſollemnia commilitones & participes menſæ ſuæ præſtolaretur, ad feneſtras aulæ, quæ Majus-monaſterium reſpiciebant, cum duobus preſbyteris ſeſe comitaturis ſtabat, neſcio quid ſecretum confabulans, cum ecce reſpiciens videt primam * Majoris-monaſterii flammis nimiis ita ſuccenſam, ac ſi funditus combureretur. Quo viſu exterritus: En, inquit, Majus-monaſterium incendio concrematur. Videtis, ait, qualis flamma jam in ſuperioribus dominatur? Videntes preſbyteri condolent pariter & mirantur. Nec mora, vocatos de militibus ſuis nonnullos, concito curſu jubet ire illo, & ſibi renunciare quid ibi fuerit. Adſcenſis equis illi properant, Majus-monaſterium veniunt, inquirunt de igne, nec etiam mentionem reperiunt. Comes illos præſtolatur. quibus regreſſis, nihilque tale ſe vel vidiſſe renunciantibus, ſollicitus Comes cum preſbyteris ſuis de viſione tractabat. cui unus eorum ait: Domine, digna ſatis viſio pro negotio quod cœpiſtis, pro ſollemnitate præſenti, pro loci reverentia in quo apparuit vobis, divinitus oſtenſa eſt. Nam & vos, Spiritu-ſancto inſpirante, dominicum ſignum vobis hodie impoſuiſtis, & ipſe Spiritus-ſanctus hodierna die ſuper Apoſtolos in igne deſcendit, & locus Majoris-monaſterii dignus eſt, in quo ſe demonſtret deſcendere, quem tantus conventus eodem Spiritu inflammatus cohabitat. Placuit viro illuſtri digna dignæ viſionis interpretatio, nec moratus in craſti-

* *f. pinnam.*

Digitized by Google

no eo venit, viſionem conventui refert, fratrem ſe & participem beneficii rogat effici, ipſumque locum & ejus incolas condigna reverentia deinceps habuit. ANN. CH. MLXXXIV. FEB. XXIV.

13. Aëris ſiccitate terræ ſterilitas imminebat, corporumque inæqualitas peſtem rebus minatur humanis. Conventus igitur Majoris-monaſterii, nudi pedes deferentes pignora ſanctorum, ad tumulum beati Martini proceſſionem pro clade imminenti fecerunt, ibique celebrata Miſſa, cum jam regredi vellent, corpus beati Corentini, quod ſecum detulerant volentes levare, movere penitus nequiverunt. Attentabant plurimi, ſed labor caſſus nihilominus fruſtrabatur. Tum mæror ingens & luctus omnium, quippe qui beneficia potituri advenerant, damno inreparabili multabantur. Cum ecce ſenior quidam, Hilidebrandus nomine, baculo quem dextra geſtabat, feretrum percutiens, ait ad ſanctum: Eia Brito, Brito, novimus certe Britannorum ſuperbiam. & en, credo, Martini & Bricii tumbas æmularis aureas, eo quod tua vilis & lignea ſit. Nunc igitur ſecurus nobiſcum revertere, & te, ſicut iſti ſunt, auro veſtiemus. His dictis, ad bajulos feretri converſus: Superponite, inquit, humeros oneri, in nomine Domini nihil hæſitantes. Quibus juſſa faceſſantibus, in ſumma facilitate ſanctum levaverunt, antiphonaque impoſita, poſt mærorem lætitia perfuſi ad propria redierunt.

14. Laïcus in eodem cœnobio converſus pſalmos addidicit, & per annos quinquaginta in ipſo monaſterio religioſe converſatus numquam ad cellas exteriores exire ad manendum voluit. Jacebat autem in eccleſia luminaria concinnans, verrenſque pavimenta, parietes extergens, & quibuſcumque ſanctis miniſteriis poterat, ſedulus inſiſtebat: pſalterium ex ordine quotidie decantabat, poſt matutinos numquam quieti lectuli indulgebat. Sed cum nimia eum laſſitudo compuliſſet, ad locum refugii integer habitu * ſanctorum neceſſitati corpuſculum admittebat. Advenerat igitur beati Martini ſacra ſollemnitas, qua, peractis matutinorum ſollemniis, ceteri fratres requiei gratia ad lectulos redierunt. Ille autem cum privatis orationibus, & genuum flexionibus ſeſe fatigaſſet, ad memoratum refugii locum receſſit; cumque levi ſomno, ut matutinis horis fieri ſolet, parum raperetur, ecce duæ perſonæ venerando habitu, præclara facie fulgentes, coram altari adſtiterunt; dixitque alter ad alterum: Domnus glorioſus Martinus beato huic loco pro reverentia ſollemnitatis hujus ſuam hodie exhibebit præſentiam, fratrem etiam iſtum, qui nos audit, quia ei non mediocriter devotus exſtitit, die craſtina educi jubet è corpore. Ea propter ipſo etiam audiente hæc ex induſtria loquor, quatenus tantæ neceſſitatis hora tam propinqua, eum paratum inveniat. His dictis viſio diſparuit, ſomnuſque receſſit. Quare ille exitus horam ultimam, tam de vicino imminentem, ſollicitis & formidoloſis orationibus exſpectat. Mane autem facto, frater Abbati quæ viderat, quæque audierat ſuggerit; ille vero ut ſomnium parvi pendens, non adhibendam ſomniis fidem. Imperat tamen ſuper licentiam, ut inungatur. Quo facto, dominicis etiam munitus myſteriis, ſanus & incolumis cum ceteris in conventu verſatus, nocte inſecuta, circa Laudes viribus corporis cœpit repente deſtitui; nec jam valens ſubſiſtere, ad manus in cellam infirmorum deducitur. Mane adveniente, pro bona iterum devotione Dominici corporis & ſanguinis ſacramenta percepit, ubi cum poſt ſanguinem, vinum ebibiſſet, inter manus ſeſe bajulantium exſpiravit. Ita Martinus in ſua feſtivitate ſibi devotum aſſumſit, ita Chriſtus præcedentis gratiæ donum ſubſequenti gloria remuneravit. Amen.

Pii fratris obitus.

NOTA.

15. Dicamus etiam quoddam miraculum, quod noſtris temporibus, divina operante clementia, eveniſſe non dubitamus. Duo ex monachis beati

Ann. Ch. mlxxxiv. Feb. xxiv. Navis miraculo ſervata.

Martini Majoris-monaſterii, Junianus ſacerdos Calumnenſis, & Burgardus Præpoſitus Litinenſis, venientes de obedientiis ſuis navigio, ſecumque ferentes centum quadraginta alauſas, quas emerant ad opus refectionis fratrum, tendebantque pervenire ad Majus-monaſterium. Cumque veniſſent ad quemdam locum valde periculoſum, ubi aliquis propter excluſas & molendina, quæ inibi amplius abundant, vix illæſus iter ſuum valeat peragere tutum. Monachi ſolliciti, cauſa vitandi periculum, præceperunt famulis ſuis ut in navicula remanerent, & diligenter eam gubernare certarent. Illi vero accipientes navigalem funem, deſcenderunt in terram, ut valide trahentes citius tranſvolare naufragium poſſent. Sed callidus hoſtis, qui numquam quieſcit omnibus adverſari bonis, aliquantulum propoſitum illorum perturbavit; non tamen ad damnum & contumeliam ipſorum, ſed ad laudem & gloriam nominis Domini noſtri Jeſu-Chriſti. Nam cum famuli recto remigine ſulcantes undas elaboraſſent illam anguſtam tranſire portam, & monachi peragentes juxta litus viam ſuam extenſo fune fortiter naviculam ſuam traxiſſent, mirabile dictu! mox quaſi inciſus rumpitur funis. Quod perſentientes famuli, & mortem ſibi imminere videntes, vix hærentes manibus, tabulis molendinorum evaſerunt. Navis quippe ſtatim mergitur, non ut aqua impleretur, ſicut ſolet fieri, ſed quod magis periculoſum eſt, puppi & prora deorſum converſis in terram, reſupina cœpit fluctuare in undis. Magna voce inter hæc clamantibus monachis: O beate pater ſancte Martine, ſanctis precibus & meritis tuis ſalva piſces in illa navi, quos ferebamus noſtris filiis & ſervis tuis. Poſtquam ergo navicula diu ab undis fluminis depulſa natitavit, monachi & famuli non credentes neque ſperantes quidquam funditus remanſiſſe in ea, tandem magno cum labore pertraxerunt ad terram. Cumque convertiſſent & erexiſſent puppim ſurſum, quæ diu reſupina nataverat, viderunt piſces ſuos immotos & ſalvos, & ita ordinatim ſicut collocaverant poſitos, nullusque illorum omnium quos fratribus Majoris-monaſterii deſtinaverant, in aqua periclitavit. Triginta quidem piſces quos ſeparatim poſuerant, ut captoribus & hujuſmodi hominibus largirentur, illi ceciderunt in aquam & perierunt; ſpolia quoque famulorum in flumine demerſa ſunt, liber vero monachorum, id eſt breviarium, ita illæſus permanſit, ſicut & piſces fratrum. Quod videntes monachi & famuli, & omnes qui aderant, gaudio magno repleti glorificaverunt Deum, qui numquam deſeruit ſperantes in ſe, qui non ſolum voces exaudit fidelium ſuorum clamantium ad ſe, verum etiam deſiderium & affectum cordis eorum, ſicut in quodam loco Propheta teſtatur: Deſiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationes cordis eorum audivit auris tua.

16. Quia ſicut ſcriptura dicit: Secretum regis abſcondere bonum eſt; opera autem Dei manifeſtare atque confiteri honorificum eſt; utile eſſe cognovimus quamdam viſionem ſcripto relinquere poſteris noſtris, quam divina clementia noſtris temporibus apud Majus-monaſterium revelare dignata eſt. Quondam enim quidam monachus Majoris-monaſterii, vir boni teſtimonii, Oddo nomine, præpoſitus de ſancta Gemma, cum perſenſiſſet in loco obedientiæ ſuæ ſe mortali infirmitate correptum, quantocius ad Majus-monaſterium ſe deferri præcepit. Cumque in domo infirmorum fratrum poſitus eſſet, aliquantulum in infirmitate ſua examinatus, ad ultimum univerſæ carnis viam cœpit ingredi. Hoc autem cognito à Priore, qui, jam adveſperaſcente die, gratia perſcrutandi qualitatem ſuæ infirmitatis illum viſitaverat, finito Completorio ſignificavit tribus fratribus ut ad illum cuſtodiendum, ſicut mos eſt illius eccleſiæ, poſtquam ita fit proximus morti, venirent, & totam noctem circa eum in Pſalmis & orationibus expenderent. Fratribus igitur obedientibus ſine mora ſigno Prioris, feſtinanter

Monachi pia mors.

Digitized by Google

ſeſtinanter venerunt in domum infirmorum, & circa fratrem in extremis poſitum reſidentes, fere uſque ad medium noctis in pſalmis & orationibus perſtiterunt. Cumque jam hora propinqua eſſet, in qua fratres ad matutinos ſurgant, admoneri ſolent, ecce unus ex tribus fratribus, quos ſupra memoravimus, Gergonius nomine, apertis oculis, non per viſionem aſpiciens ſurſum in directum, vidit quamdam avem ſpecioſam nimis in columbæ ſpecie ex toto albam, per radium cujuſdam ſplendoris magni venientem ſuper fratrem infirmum & morti proximum, cœpitque ſupra pectus ejus volitare & volitando illum circuire. Sed antequam illa avis advolaret, frater infirmus graviter anxiabatur, & mortis ſtimulis nimium urebatur; ubi vero advenit, pacatum illum & quietum cito reddidit, neque poſtea tantos planctus tamque graves anhelitus emiſit. Cumque aliquamdiu illum circuiſſet, & ſuper pectus ipſius viciſſim volitaſſet, pariter & frater ſuum Domino ſpiritum reddidit, & avis qua via deſcenderat, adſcendit. Nulli hoc incredibile videatur, ſed Dei operibus fidem rectam adhibeamus, & illi aſſidue grates debitas reddamus, qui ſemper ſuos conſolatione pia viſitat, & in ſe ſperantibus gaudia cæleſtia largitur & præparat.

ANN. CH. MLXXXIV. FEB. XXIV.

17. Vir venerabilis, ſimul & præpoſitus & archidiaconus Claromontenſis eccleſiæ, ad feſtum beati Martini quotannis venire conſueverat, pariterque Majoris-monaſterii cœnobium viſitare. Qui cum inibi multam religionem fervere conſpiceret, pio converſationis deſiderio eſt accenſus. Aliquando igitur de more ad ſancti Martini feſtum venturus theſauros ſuos & veſtes oloſericas, multamque divitiarum ſupellectilem ſecum afferri fecit. Cum igitur tota nocte & die ſollemnitatis ſacris officiis devotus interfuiſſet; in comitatu ſuo recedit ad hoſpitium, ac inter confabulandum poſt epulas ait ſuis: Vobis craſtino de labore quieſcentibus, ipſe ſolus paulisper egrediar ad prandium reverſurus; nihil igitur de me fueritis ſolliciti, ſed parate nobis. Mane igitur facto, induens ſe vir nobilis cujuſdam ſervi ſui habitu viliori ad Majus-monaſterium venit, repertoque abbate GUILLELMO [a] procidit ad pedes ejus, & pro amore Chriſti & beati Martini, monachatum ſibi concedi exorat: cujus humilem ſupplicemque petitionem pio abbas attendens intuitu, benigne concedit quod ille humiliter precatur. Inde ad ſuos regreditur, mirantibus nimirum cunctis, quomodo vel qualiter in tali habitu proceſſiſſet. reſumtis veſtibus, diſſimulato voto, tota dies illa in lætitia agitur. Denique videt in craſtino ſuum iter parari, quaſi ad patriam rediturus. Ducibus autem comitatus mandat ſecreto, ut cum ventum primum fuerit ad Majus-monaſterium, divertant greſſum. Itaque oratione prius celebrata, ſe poſcit ad Abbatem deduci. cui Abbas adſurgens, jam enim fama præconante quis eſſet, audierat; in oſculo pacis gaudens excipit illum. Rogat etiam pro conſuetudine & hoſpitalitatis gratia, ut laborem itineris ſui ibidem quieſcendo relevet, ne dedignetur beneficium domus ſuſcipere: cui ſacer Martinus & expenſas providet, & expendendi voluntatem largitur. Tum ille: Domine, inquit, non dedignor aut reſpuo beneficium beati Martini & veſtrum; me enim in monachum ſuſcepiſtis, & ad hoc hodie veni. Mirari abbas ſe illum eatenus non vidiſſe. Ille è contra: Non, ait, meminiſtis vos heri quemdam pauperem clericum in tali & tali habitu recepiſſe in monachum? Hoc, inquit abbas, recordor. Ego, ait, ille ſum, jam nunc ſi placet me & mea ſuſcipite: de his qui mecum ſunt ſi quis eodem vitæ deſiderio tactus eſt, precor ut pro Deo mecum ſuſcipiatur. Gaudet Abbas, Clerici contriſtantur. Duo tamen ex eis, ceteris cum luctu abeuntibus, remanſerunt. Factus igitur monachus, quo ſublimior in ſæculo fuerat, eo ſe exhibuit humiliorem. poſt non multum temporis ſacriſta efficitur, attributis ei ſociis bonæ vitæ ſuper eo ut dece-

Archidiaconus Claromontanus fit monachus.

Guillelmus abbas.

[a] Hic ab anno 1104. monaſterio præfuit uſque ad annum 1124. Dicebatur Guillelmus de Combornio.

Ann. Ch. MLXXXIV. Feb. XXIV.

bat ſollicitis : at ille magis magiſque in Deum proficiens, ſecum cœpit tractare, qualiter omnibus fratribus ita deſerviret, ut omnes lateret. Denique nocturnis horis cum ceteri quieti concederent, ipſe clam cunctis aquam hauriebat, & lavatorium implebat. Hoc cum multo tempore jam feciſſet, omnium ſanctorum advenit ſollemnitas : ceteris itaque poſt matutinos ad lectos redeuntibus, ipſe operi aſſueto ſuccedit, quo expleto de more, redit in oratorium, incumbit orationi. Et ecce ex ea parte eccleſiæ qua beati Martini lectus habetur, audit immenſæ multitudinis dulciſſimas voces. Erigens autem caput vidit tres perſonas Pontificalibus infulis decoratas, quarum qui medius erat & honore & vultu videbatur ceteris præeminere. Deinde abbates multos, ac monachorum infinitas catervas, omnes lætos & dulci melodia jubilantes. Incipit interim ille Archiepiſcopus ℟. I. *Concede nobis*. dictoque & repetito ℟. complet ordinem. Secundo agitur pro defunctis. Tertio pro illius loci Congregatione. Incipit ille Archiepiſcopus antiphonam : *Civitatem iſtam tu circumda Domine*. Et ſubjungit ℟. *Fiat pax in virtute tua*, & collectam. *Deus qui renunciantibus ſæculo manſionem paras in cælo, dilata hujus ſanctæ Congregationis temporale habitaculum cæleſtibus bonis, ut fraterna teneantur compagine caritatis unanimes : continentiæ præcepta cuſtodiant ſobrii : ſimplices & quieti gratis datam ſibi gratiam fuiſſe agnoſcant : concordet illorum vita cum nomine, profeſſio ſentiatur in opere. Per Dominum noſtrum, &c.* quibus expletis, beata illa & glorioſa proceſſio qua venerat redire cœpit. Ille autem curioſius intuens, nonnullos quos noverat obiiſſe, recognoſcens, alloquitur illos ; inquirens qui hi eſſent. At illi MARTINUM eſſe qui medius incedebat Epiſcoporum, qui ut meritis ita vultus eminentia præcellebat ; FULGENTIUM atque CORENTINUM, qui ei obambulabant ; Abbates ipſius loci, & deinde monachos, qui Martini meritis ſui laboris fructibus non parum fruebantur ; eoque incedere eos ordine, quo ad Chriſtum migraverant. Proſiterentur Abbatem etiam ODONEM [a], qui tunc loco præerat, eodem anno ad ſuam ſocietatem accerſendum denunciant. Referebant etiam, quod beatus Martinus cum ipſa proceſſione cum ſuo illo, ut ſemper, frequentiſſimo diſcipulorum ſanctiſſimoque comitatu ipſum monaſterium ſæpiſſime frequentaret. His auditis vir venerandus, quoſdam de ſociis excitare feſtinat, Guarnerium ſcilicet ejuſdem loci poſtea Abbatem, & nonnullos ex aliis, qui à ſomno exciti & voces cantantium audierunt, & aliquos de noviſſimis ipſius proceſſionis videre meruerunt. Quam beatam putamus, quamque mundam viri conſcientiam, cui adhuc viventi in corpore, præſtitum eſt Martini gloriam & ſanctorum eum comitantium contemplari.

Odo abbas. a

a Guillelmo ſupra laudato ſucceſſit ad annum 1137.

Digitized by Google

VITA S. GREGORII PAPÆ SEPTIMI.

Auctore Paulo Bernriedenſi, ſubæquali.

Ex Gretſero, &c.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. MAGNIS *controverſiis occaſionem præbuit ingens illa Sacerdotium inter & Imperium diſcordia, quæ ſub Gregorio ſeptimo papa & Henrico quarto imperatore exarſit. De his alii aliter ſcripſere auctores hiſtoriarum, tum veteres cum recentiores, prout ſcilicet partibus addicti fuerunt. nec animus eſt ejuſmodi quæſtiones refricare, quæ nihil ad noſtrum inſtitutum pertinent, & ex aliis auctoribus facile haberi poſſunt. Satis erit nobis Vitam hujus Pontificis proferre, quam à Paulo Bernriedenſi, æquali auctore, paullo poſt ipſius Gregorii mortem litteris mandatam ex Gretſero & Bollando mutuati ſumus. Addemus in notulis aliorum auctorum loca, ſi quæ occurrant apta ad illuſtrandas potiſſimum res monaſticas, & ad calcem hujus Vitæ aliquot Domnizonis coëvi auctoris verſus, quibus ejuſdem Pontificis geſta multum commendantur. Porro Paulus Vitæ hujus auctor, fuit primum Ratiſponenſis eccleſiæ canonicus, qui cum ex ea urbe ab Henrico IV. quod ejus partibus non faveret, fuiſſet ejectus, in cœnobium Bernried recens conſtructum ſeſe recepit, ubi ſuſcepto canonicorum regularium inſtituto, aliquot annis degit. Inde Romam profectus pontificibus familiaris fuit. Præter Gregorii vitam alia item opuſcula conſcripſit, è quibus ipſemet beatæ Herlucæ vitam infra laudat, quam ab eodem Gretſero editam Bollandiani die 18. Aprilis ediderunt.* Gregorii vita à Paulo Bernried. ſcripta.

2. *Recentiores nonnulli Gregorium ex prænobili Aldobrandinorum familia ortum fuiſſe ſcribunt, ad quod probandum vix aliud quidquam proferre valent, præter nominum ſimilitudinem: Hildebrandus quippe vocabatur, priuſquam eveheretur ad pontificatum, ut omnibus notum eſt. ſed quam ſit frivola ejuſmodi ratio, nemo non videt. Baronius è contrario Gregorium humili loco, patre ſcilicet fabro lignario, natum fuiſſe ait, quod Gregorio probro verti non poſſe, Jeſu-Chriſti Domini noſtri exemplo evincit. qui cum Verbum Patris & verus Dei filius eſſet, ex paupere Virgine naſci, & fabrum patrem, ut putabatur, habere non eſt dedignatus. Papebrochius vero licet primam opinionem rejiciat, alteri tamen non aſſentitur in præmiſſis ad vitam Gregorii VII. die 25. Maii Bollandiani, ubi Gregorium è nobili familia prodiiſſe probari poſſe exinde cenſet, quod in Actis Pontificum manuſcriptis, quæ penes ſe aſſervari dicit, legatur Gregorii* nepotem *fuiſſe* Ruſticum præfectum Septem-ſoliis, *ſeu domui, quam inſtar arcis munitam fruſtra machinis bellicis expugnare conatus fuit Henricus imperator. quod quidem officium, inquit ille, plebeïo homini commiſſum minime fuiſſet. Eamdem ſententiam ſuam confirmat Pauli ipſius auctoritate, qui in Gregorii vita, obſervat eumdem Pontificem habuiſſe avunculum abbatem monaſterii ſanctæ Mariæ in Aventino. Verum cum in antiquis monumentis nihil certi ad dirimendas ejuſmodi controverſias, auctoribus minime ſibi conſentientibus, inveniatur, fruſtra iis fuſius agitandis vacare non licet. Eumdem in Tuſcia natum diſerte aſſerit Paulus, quod alii Senis, alii apud Soanam contigiſſe volunt. His adverſatur Hugo Flaviniacenſis in Chronico Virdunenſi, ubi Gregorium* Romæ natum ex parentibus civibus Romanis, *diſertis verbis affirmavit.* Ejus familia.

3. *Aliquot futuræ ejus ſanctitatis præſagia profert Paulus: at ſilet quod ei adhuc infantulo contigiſſe aiunt in fabri, quem quidam volunt, ut mox dicebamus, ipſius patrem fuiſſe, officina; ubi ex ſegmentis rejectaneis cum adhuc neſciret litteras, tamen ludendo eas ita compoſuiſſe memoratur, ut Davidicum illud exprimerent oraculum,* Dominabitur à mari uſque ad mare. *Aliud ejus futuræ potentiæ priori adjicit præſagium Theodoricus Engelhuſius canonicus Hildesheimenſis in Vitis Imperatorum ex domo Brunſvvicenſi oriundorum, ubi in Vita Henrici III. imperatoris, cognomento Nigri, narrat Hildebrandum, qui tunc Henrici filii ejus pædagogus erat, viſum fuiſſe in ſomnis ipſi imperatori cum ſuo ipſius filio ad menſam aſſidere, cornua habentem ad cælum uſque ſublimia, quibus eumdem Henricum filium in lutum dejiciebat. quam viſionem cum* Præſagia.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXV. XXV. MAII.

Auguſta de Henrico filio per Hildebrandum ex imperiali ſede exturbando interpretata fuiſſet. Imperator eumdem Hildebrandum in vincula conjeciſſe fame enecandum narratur, quem poſtea tamen, uxoris interceſſione, liberum abire permiſit, ne temere ſomniis fidem adhibendo, innocuum perire juberet. ſed hæc incerta ſunt, ſicut & alia multa à recentioribus conficta, quæ proinde omittere viſum eſt.

Monachus fuit.

4. *Certum eſt omnino Gregorium ab ipſa pueritia monaſticæ profeſſioni nomen dediſſe, quam reliquo vitæ tempore & dilexit; & ejus exercitiis, quantum patiebatur rerum gerendarum neceſſitas, incubuit. Eum à* puero monachum *fuiſſe diſertis verbis tradit Ordericus Vitalis, auctor illorum temporum accuratiſſimus, libro 4. Hiſtoriæ eccleſiaſticæ. Idem repetit libro 7. ubi fuſe ejus hiſtoriam proſequitur. Eumdem* profeſſione monachum *appellat Chronographus noſter Saxonicus mſ.* Adoleſcentiam, *inquit Hugo Flaviniacenſis in Chronico Virdunenſi*, aſſumto ſanctitatis propoſito, inter mundi contemtores, non ſine magnis perfectionis indiciis perdomuit. *His accedit Domnizo in vita Mathildis, cujus aliquot fragmenta inferius proferemus, ubi Gregorii mortem monachos præ ceteris, quod ipſe monachus fuiſſet, defleviſſe obſervat. Et quidem Petrus Damiani in Opuſculo 32. quod adhuc monachus ipſi Hildebrando nuncupavit, eum ſemper* fratrem *ſuum appellat, tum in præfatione, tum in totius operis decurſu. Omittimus Theodoricum ſupra num. 3. laudatum, Trithemium & alios ejuſmodi auctores. locum vero in quo monaſticam profeſſionem vovit, indicaſſe videtur ipſe Paulus num. 9. ubi ſcribit Hildebrandum à pueritia avunculo ſuo abbati ſanctæ Mariæ in monte Aventino commendatum fuiſſe, ad litteras ſimul & morum diſciplinam addiſcendas, quod brevi ab eo factum fuiſſe commemorat.*

An Prior Cluniaci.

5. *Eumdem in percelebri monaſterio Cluniacenſi monaſticam vitam egiſſe ſentiunt plerique ſcriptores, potiſſimum recentiores, qui eum teſtantur ibidem Prioris officio fuiſſe donatum. Id diſerte tradit Otto Friſingenſis epiſcopus, ſcriptor haud ignobilis, qui refert Leonem IX. ab Imperatore pontificem deſignatum in Italiam properantem Cluniacum divertiſſe, ubi tunc Hildebrandus prior erat, cujus conſilio eumdem abdicatis pontificalibus inſignibus, ſub peregrini habitu Romam perrexiſſe ait, comitante eum eodem Hildebrando, qui Romanos ad eligendum ipſum jam ab Imperatore electum induceret. Certe Gregorium erga Cluniacenſes optime affectum fuiſſe nemo in dubium revocare poteſt. Ipſe etiam ſancto Hugone familiariter utebatur, ut ex ejus vita patet. Sub ſancti Maioli, ſeu potius, nam ibi memoria lapſum fuiſſe Paulum cenſemus, ſub ſancti Odilonis diſciplina in rebus ſpiritualibus eum eruditum fuiſſe colligi poteſt ex Vitæ initio, ubi legitur, ſcintillarum viſionem ſæpius oſtenſam primitus in Hildebrando Cluniacenſis monaſterii patrem ſanctum Maiolum adnotaſſe, eique illud Johannis-Baptiſtæ adaptaſſe: Iſte puer magnus erit coram Domino. Obſervat idem auctor, Hildebrandum* adoleſcentiam ingreſſum in Franciam profectum *fuiſſe*, domiturum ibi carnis petulantiam & moleſtia peregrinationis & inſtantia eruditionis. *quæ fortaſſe in monaſterio Cluniacenſi, tunc temporis celeberrimo perfecit. Romam reverſus, indeque cum Gregorio VI. exſulare coactus, rediit procul dubio Cluniacum, ubi Prioris officio donatus fuit, ſi tamen hac umquam dignitate potitus fuit. Certe eumdem in monaſticis diſciplinis eruditum fuiſſe inde colligi poteſt, quod à Leone IX. poſt reditum in Urbem, monaſterio ſancti Pauli præfectus fuerit, ut eo in loco regularem diſciplinam, quæ ibi tepuerat, reſtitueret. Is eſt ipſe, qui eo nomine Vindocinenſibus eccleſiam ſanctæ Priſcæ in monte Aventino Romæ ſitam eo pacto ceſſit, ut ibi ſemper duodecim monachi Vindocinenſes, nec umquam minus quam octo* regulariter vivant. *Id diſcimus ex litteris Alexandri papæ, quinto pontificatus ſui anno datis, quibus* convenientiam *confirmat ea de re factam* inter Hildeprandum archidiaconum atque cœnobii ſancti Pauli œconomum ſeu rectorem, *& Odericum Vindocinenſem abbatem. Qua ratione nonnulli eum Vallumbroſano Ordini nuper adſcripſerint, fuſe exponit & confutat Papebrochius, paragrapho 4. ſed nulla ea de re apud eruditos auctores poteſt eſſe difficultas. Diſtinguendus eſt tamen noſter Hildebrandus ab alio ejuſdem nominis Cluniacenſi priore ſive præpoſito, qui in Vita ſancti Odonis laudatur, ſupra Sæc. V. pag. 151. Vide & Elogium ſancti Maioli num. 16. eodem Sæculo pag. 766. Quanta vero fuerit noſtri erga profeſſionem monaſticam, cum ad Pontificatum evectus fuit, propenſio, ex variis ejus epiſtolis liquet, in quibus paſſim monachorum ſanctimoniam laudat eorumque quieti, adverſus quoſlibet eis infenſos, paterne providet. Legenda eſt ea de re ejus epiſtola 13. lib. 1. ubi Manaſſem Remorum archiepiſcopum monachos ſancti Remigii vexantem comprimit; plures ad Lanfrancum ſcripſit in gratiam monachorum Angliæ. Eorum pleroſque in Cardinalium collegium adlegit; ſtatim atque Pontifex fuit renuntiatus, Caſinenſem abbatem ſibi adeſſe voluit. ac morti proximus Hugonem Dienſem, Ottonem ex Remenſi canonico monachum, tunc Cardinalem Oſtienſem, ac Deſiderium Caſinenſem, ſolos ut ſibi ſubſtituantur dignos deſignavit, ex quibus duo ultimi Benedictini pontifices fuere. Denique, ut ait Ordericus Vitalis libro 4.* alios quoque monachos, prout ratio ducebat promovit, & diverſarum eccleſiarum tutelæ digniter præfecit.

Eccleſiaſticæ diſciplinæ vindex.

6. *Auctoritatis & diſciplinæ eccleſiaſticæ acerrimus vindex fuit Gregorius, tam ante quam poſt initum pontificatum. Fervebat potiſſimum ejus ſtudium adverſus ſacerdotes concubinarios, & ſimoniacos, quæ duo vitia tunc temporis Eccleſiam peſſum dabant in Germania potiſſimum & in Longobardia. Ii cum Henricum Germanorum regem, occaſione inveſtiturarum jam in pontificem*

Digitized by Google

male affectum ſuas in partes traxiſſent, nec id ferre poſſet Gregorius, magnum in Eccleſia Catholica incendium excitarunt; cum alii Pontifici, alii Regi faverent. Pontifex Regem tamquam multorum criminum reum, & fruſtra ſæpius per litteras & legatos admonitum communione, tum regno privavit. quæ res adeo Henricum ejuſque ſectatores commovit, ut & ipſe Pontificem è ſede diſturbare conatus fuerit, procurata per epiſcopos ſibi adhærentes adverſus Gregorium Guiberti Ravennatis electione, qui Clementis III. nomen uſurpavit. Hinc natum graviſſimum ſchiſma; & Epiſcoporum, procerumque conventus frequentes tunc temporis fuere. Ann. Ch. MLXXXV. XXV. Maij.

7. *Placet omnino Gregorii cautio, quam in concilio Romano anno* MLXXVIII. *habito adhibuit in ferenda excommunicatione. Ut enim ſimpliciorum hominum qui ad ejuſmodi diſſenſionum cauſas apprime diſcernendas non erant ſufficientes, conſcientiæ quieti provideret, declaravit tales homines excommunicationis vinculo innodatos non eſſe; ſicut neque illos, quibus pro conditione, ætate, aut natura excommunicatorum conſuetudinem vitare non licebat. Gregorii verba proferenda ſunt ex Hugonis Flaviniacenſis Chronico Virdunenſi ad annum* MLXXVIII. Et quoniam multos peccatis noſtris exigentibus, pro cauſa excommunicationis cotidie perire cernimus, partim ignorantia, partim etiam nimia ſimplicitate, partim timore, partim etiam nimia neceſſitate, devicti miſericordia, anathematis ſententiam, prout poſſumus, ad tempus opportune temperamus. Apoſtolica itaque auctoritate ab anathematis vinculo ſubtrahimus videlicet uxores, liberos, ſervos, ancillas, ſeu mancipia; necnon ruſticos & ſervientes, & omnes alios qui non adeo curiales ſunt, ut eorum conſilio ſcelera perpetrentur, & illos qui ignoranter excommunicatis communicant, ſeu illos qui communicant cum eis qui communicant excommunicatis. Quicumque autem orator, ſive peregrinus aut viator, in terra excommunicatorum venerit, ubi non poſſit emere, aut non habet unde emat, ab excommunicatis accipiendi licentiam damus. Et ſi quis excommunicatis non ſuſtentatione ſuperbiæ; ſed humanitatis cauſa aliquid dare voluerit, non prohibemus. *Idem teſtatur Bertholdus Conſtantienſis preſbyter in Chronico ad annum* MLXXVIII. *Hæc procul dubio didicerat Gregorius ex beati patris Benedicti Regula, qui ſemel & iterum vetat, ne illi, qui quanta ſit excommunicationis pœna ignorant, ea feriantur. Et quidem cum ejuſmodi cenſuræ nonniſi ad ædificationem adhibendæ ſint, aliter agendo, in deſtructionem eas frequentius uſurpari contingit. Plura habentur variis in conciliis, quæ ab eo pontifice congregata ſunt, ad diſciplinæ eccleſiaſticæ reſtitutionem, vitiorumque exſtirpationem præclare ſancita, quæ hic fuſius deſcribere non eſt noſtri inſtituti, & quidem habentur in vulgaris conciliorum collectionibus.* Excommunicationis uſus.

8. *Idem reformandæ Eccleſiæ, virtutiſque promovendæ ardens ſtudium, pleriſque in ejuſdem beati Pontificis epiſtolis elucet. Inter quas complures ſunt ad varios totius orbis Chriſtiani reges & principes, quibus bonos laudibus & gratulationibus ad majora pro Eccleſiæ utilitate ſuſcipienda adhortatur; vitioſos vero nititur minis & eccleſiaſticis cenſuris ad meliorem frugem revocare. Alfonſum Caſtellæ regem, qui uxoris ſuæ conſanguineam in conjugem adſumſerat ab inceſtuoſo connubio deterruit; Robertum Guiſchardum Normannorum in Italia principem, qui Eccleſiæ terras devaſtabat communione privavit, ac poſtea facti pœnitentem reſtituit communioni eccleſiaſticæ. E contra optimos principes modis omnibus quibus valebat, ſibi ſatagebat devincire. Hinc mitræ uſum Bohemiæ Duci ab Alexandro II. jam permiſſum, confirmavit. Sueino Danorum regi litteras non ſemel ſcripſit, quibus ipſi, ob propenſiſſimam in ſedem Apoſtolicam voluntatem gratulatus eſt, atque ab eo expetiit ut unum è ſuis filiis in Italiam mitteret, qui* Dux, Princeps ac Defenſor Chriſtianitatis *eſſet. Ad ejuſdem regis Sueini filium, jam patri defuncto ſuffectum ſcripſit, ut eum patris ſui virtutis æmulum ad Eccleſiarum defenſionem invitaret.* Regibus & principibus ſcribit.

9. *Ingens etiam illi deſiderium inerat omnes eccleſias in unam fidei concordiam revocandi: quantum vero efflagitaverit unionem eccleſiæ Græcæ cum Romana, diſcere licet ex ejus epiſtola decima-octava libri* I. *quæ eſt ad Michaëlem Orientis Imperatorem data. Quin & in Orientem proficiſci meditabatur, quod Henrico Romanorum regi epiſtola* 30. *libri* 2. *teſtatus eſt, non ſolum ut Græcos, Armenos alioſque hæreticos Eccleſiæ reconciliaret, ſed etiam ut Chriſtianos eriperet, qui ſub Saracenorum ſervitute gemebant.*

10. *Omnes ita Romanæ eccleſiæ communionem ambire volebat, ut etiam rituum diſcrepantiam ægre ferret; hinc tantopere deſudavit, ut ritum Mozarabicum, quo à compluribus ſæculis Hiſpaniarum eccleſiæ utebantur, penitus auferret. Exſtant ea de re ejus epiſtolæ* 63. & 64. *libri* I. *ad Alfonſum Caſtellæ, & Sancium Arragoniæ reges. Miraculo hac occaſione Mozarabicum ritum divinitus approbatum fuiſſe aiunt vulgati auctores Hiſpanici, ita ut projecto in ignem libro Mozarabico ſimul cum eo qui ritum Romanum complectebatur, iſto in favillas ſtatim redacto, prior illæſus ſervatus fuerit. At nemo hoc ſcripſit ante Rodericum archiepiſcopum Toletanum, ut obſervat piiſſimus Cardinalis Bona, qui Rodericus circa ſæculi decimi-tertii medium vivebat. Nec veriſimile eſt ritum hunc ab Hiſpanis fuiſſe dimiſſum, eo ipſo tempore, quo tam aperto miraculo ab ipſo Deo comprobatus fuiſſet. quamvis non ita in Hiſpaniarum eccleſiis ejus uſus abolitus fuerit, ut in pleriſque monaſteriis, immo etiam in nonnullis eccleſiis cathedralibus, adhuc tempore Roderici, non ſervaretur. Typis tandem editus eſt, jubente Cardinale Ximenio, qui in ca-* Ritus à Romano diſcrepantes tollit.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXXV. XXV. Maii.

pella quadam eccleſia Toletana, nonnulliſque in eccleſiis parochialibus hodieque obſervari dicitur. Ceterum eodem flagrabat deſiderio Gregorius cum ſ. Sueonum regi gratulatus eſt, quod Gallicanos quoſdam verbi Dei adminiſtros ſuſcepiſſet, à quibus ritus Romanæ eccleſiæ acceperat; ipſum vero interpellat epiſtola 11. *lib.* 8. *ut nonnullos è ſuis clericos aut epiſcopos Romam mittat, qui ſedi Apoſtolicæ* gentis moribus & terræ habitudinibus *expoſitis, inde mandata in patriam referrent, queis tota gens imbueretur. Ad idem pertinet epiſtola* 13. *libri* 8. *in qua Olaum Norvegiæ regem monet, (quod ſe jam Danorum Regi ſcripſiſſe dicit) ut de junioribus & nobilioribus regni ſui aliquot ad aulam Romanam mittat, qui ſub alis* Apoſtolorum Petri & Pauli *eruditi, poſtea in patriam reduces, totam regionem in Romanæ eccleſiæ conſuetudinibus erudire poſſent. Nonnulla ab eo circa ritus eccleſiaſticos inſtituta refert auctor Micrologi, quæ à Baronio laudantur ad annum* MLXXXV.

Berengarium emendat.

11. *Berengarium hæreticum poſt iteratas condemnationes ſæpius ad vomitum redeuntem compreſſit vigilantiſſimus pontifex, & quem anno* MLV. *ſub Victore II. tunc ſedis Apoſtolicæ legatus in concilio Turonenſi, ad ejurandam ſuam hæreſim jam compulerat, pontifex factus eumdem Romam accerſitum ſemel & iterum in duobus conciliis, poſt editas duas fidei confeſſiones Eccleſiæ reſtituit. ſed de hac re actum eſt in præfatione huic tomo præfixa.*

Devotio erga SS. Sacramentum & BB. Virginem.

12. *At hic omittere non licet, ſummam ejus in ſacroſancti Euchariſtiæ ſacramenti frequentatione devotionem, ac pietatem in beatiſſimam virginem Mariam, quæ duo tamquam firmiſſima in humani generis hoſtem propugnacula, Mathildi comitiſſæ ita commendavit, ut ſimul ea cum peccati odio, humilique cordis contritione conjuncta eſſe voluerit. Legenda eſt ea de re ejus epiſtola* 47. *libri primi.* Inter cetera, *inquit*, quæ tibi contra principem mundi arma, Deo favente, contuli, quod potiſſimum eſt, ut corpus Dominicum frequenter acciperes indicavi, & ut certæ fiduciæ Matris Domini te omnino committeres præcepi. *tum profert ſelecta ex ſanctis Ambroſio, Gregorio, & Johanne Chryſoſtomo teſtimonia, quibus illi ſanctiſſimi viri ad frequentanda ſacramenta, ſui ævi fideles invitabant; tandem laudata beatiſſimæ Virginis erga* peccatores converſos *clementia, ſic concludit;* Pone itaque finem in voluntate peccandi, & proſtrata coram illa, ex corde contrito & humiliato lacrymas effunde, invenies illam indubitanter promtiorem, &c.

Ejus obitus.

13. *Gregorium etiam ante mortem miraculis claruiſſe innuit Lambertus Scafnaburgenſis monachus ad annum* MLXXVII. *ubi ait ſigna & prodigia, quæ per ejus orationes frequentius fiebant, ſimul cum zelo ferventiſſimo, quo pro Deo & eccleſiaſticis legibus exæſtuabat, ſufficientia fuiſſe ad explodendas ejus inimicorum venenatas detractiones. Obiit Salerni quo, ut Henrici inſidias evitaret, confugerat. nulla eſt circa ejus mortis tempus diſſenſio apud auctores vulgatos, qui omnes fatentur eum anno* MLXXXV. *die* 25. *Maii è vivis exceſſiſſe. Ibidem ſepultus eſt in eccleſia metropolitana. At memoria lapſus eſt Ordericus Vitalis lib.* 8. *ubi ſcribit Gregorium Beneventi exceſſiſſe è vivis, ibique fuiſſe ſepultum* in confeſſione beati Bartholomæi apoſtoli. *Miraculorum copiam ad ejuſdem Pontificis tumulum factam fuiſſe teſtatur idem auctor.* Ubi, *inquit*, meritis ejus fidei petentium miraculorum copia divinitus oſtenſa eſt. *Tum ſubjungit:* Nam leproſi de aqua, unde corpus ejus ablutum fuerat, petierunt. qua conſecuta fideliter loti ſunt, & opitulante Deo protinus mundati ſunt. *Laudes ejus auctores plerique, recentiores ſimul & antiqui, fuſius proſequuntur. Gretſerus in ejus Apologia quinquaginta omnino recenſet ejus laudatores. Petrus Damiani eum* ſanctiſſimi ac puriſſimi conſilii virum *appellat. Deſiderius abbas Caſinenſis, qui ei ſub Victoris III. nomine ſucceſſit, libro tertio Dialogorum eumdem* Chriſti Eccleſiam verbis ſimul & exemplis illuſtraſſe *ſcribit. ſanctus Anſelmus Lucenſis epiſcopus ſingularem pro ejus defenſione librum edidit contra Guibertum antipapam. ceteros omitto, quorum vel nomina ſolummodo recenſere, ob multitudinem facile non eſſet. Eum* confeſſorem & martyrem *obiiſſe dicit Hugo Flaviniacenſis in Chronico, ubi plura de ejus geſtis & obitu referuntur.*

Cultu publico donatur.

14. *Gregorii tamen feſtum ante ſæculi hujus initium publico cultu celebratum nuſquam fuit, quod primum fieri permiſit Paulus V. ſummus Pontifex, ut ex ejus bulla patet, data anno* MDCIX. *quam integram refert Papebrochius in præmiſſis ad ejuſdem beati viri Vitam paragrapho* 2. *ubi & habet litteras Johannis Beltrani de Guevara archiepiſcopi Salernitani, qui ejuſdem beati Pontificis officium ſollemni ritu in tota ſua diœceſi recitari præcepit. Gregorii tamen memoria jam antea in Martyrologio Romano conſignata fuerat, anno ſcilicet* MDLXXXIV. *quo Gregorii decimi-tertii auctoritate illud fuerat emendatum. In nova ejuſdem editione à Baronio procurata auctoritate Sixti V. idem beatus Pontifex laudatur his verbis die* XXV. *Maii:* Salerni depoſitio beati Gregorii papæ ſeptimi, eccleſiaſticæ libertatis propugnatoris ac defenſoris acerrimi.

Digitized by Google

PAULI BERNRIEDENSIS DE REBUS GESTIS Gregorii VII. Pontif. Maximi liber ſingularis.

Hildebrandi patria & parentes.

1. IGitur Gregorius ſeptimus, ſuper quem vere primi Gregorii requievit ſpiritus, natione Tuſcus, patrem habuit nomine Bonicum, & ipſe Hiltebrandi ſortitus eſt in baptiſmo vocabulum, non ſine grandi præſagio futurorum. Hiltebrandus enim Teutonicæ linguæ vernacula nuncupatione, peruſtionem ſignificat cupiditatis terrenæ, qualem Pſalmiſta ſibi divinitus impertiri precatur, dicens Pſal. xxv. Proba me Domine, & tenta me; ure renes meos, & cor meum. Apte vero in baptiſmo datum eſt hoc nomen, dicente Johanne-Baptiſta, Marc. 1. Ego quidem vos baptizo in aqua in pœnitentiam; qui autem venturus eſt poſt me, fortior eſt me, cujus non ſum dignus calceamenta portare, ipſe baptizabit in Spiritu-ſancto, & igne. De hoc igne ipſe Salvator ait Luc. xii. Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi ut ardeat? Quoniam ergo vir iſte, ignito eloquio Domini repulſurus erat à domo Dei ignita jacula inimici, non incongrue prætulit incendium appellatione, quod exhibiturus erat ferventiſſima caritatis, & veritatis atteſtatione.

Viſa de eo & portenta.

2. Habemus adhuc firmiores in eo divini fervoris præmonſtrationes, ex quibus eum quondam Eliæ Prophetæ aſſimilavimus, cum forte Iſidorum de ortu & obitu Prophetarum legeremus. Ibi enim, ſi memoria non fallit, caput Eliæ recens nati globo ignis traditur illuſtratum, ad præſignandum videlicet divinæ æmulationis ardorem, quo tandem inflammandus erat contra prævaricationes peſſimorum regum, atque ſeductiones pſeudo-prophetarum. Simili modo & Gregorii ſive Hiltebrandi parvuli veſtibus ſcintillæ ignis viſæ ſunt emicuiſſe, ad prænotandum ſine dubio ſancti zeli fervorem, quo & ipſe igniendus erat contra graviſſimas inſolentias Heinricianæ veſaniæ, & contra intolerabiles effrenationes ſacerdotalis incontinentiæ. Hanc autem ſcintillarum viſionem ſæpius oſtenſam, primitus in eo Cluniacenſis monaſterii pater ſanctus Maïolus [a] fertur adnotaſſe, atque illud beati Johannis-Baptiſtæ adaptaſſe: Iſte puer magnus erit coram Domino.

3. Denique ut cunctas viſiones ignis, quas de eo comperimus, ſine intermiſſione commemoremus; viſa eſt etiam de ipſius capite quodam tempore flamma procedere, ad expreſſiorem ſimilitudinem Eliæ, ſi ætatum fulciremur cooperatione. Verum, ſicut illud Propheticæ increpationis prodigium contigit in infantia, ita iſtud apoſtolicæ examinationis oſtentum accidit in ætate perfecta.

4. Fuit & in hoc aliqua ſimilitudo Eliæ, quod contemtus à quodam calumniatore terribiliter vindicatus eſt cæleſti igne. Nam cum eſſet archidiaconus anteceſſoris ſui Alexandri, pauper quidam intolerabilem ſuſtinens ſibi hereditatis ablatæ injuriam ab iniquiſſimo & metuendæ potentiæ viro, flebilem querimoniam detulit Pontifici Romano. Verum hic, cum propterea ſibi quoque damnum ab animo irreverenti & infrunito ſubeundum formidaret, & juſta ſententia miſericordiam ſublevare trepidaret; juſtus Hiltebrandus, quaſi leo confidens, cum primum Pontificem ad exſerendam ultionem excitare, & confortare tentaſſet, ſed eum à puſillanimitate ſpiritus nequaquam liberare prævaluiſſet, ſibi vicem illam miſericordiæ & veritatis committi poſtulavit. qua protinus accepta, ſententiam anathematis in prædonem dedit. At ille, vel non habens, vel erubeſcens habere videri timorem tanti judicii; cum exinde tertia die ſolito exſultantis, vel in-

[a] Lapſus hîc eſt Paulus, nam ſanctus Maïolus anno 994. obiit. quo tempore nondum natus erat Gregorius.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXV. XXV. MAII.

ſultantis equeſtrem militiam inter commilitones ventilaſſet, ſubito fulminis ictu percuſſus, veluti durus Pharao, in ſtagno ignis ardentis ſubmerſus eſt.

5. Interea vidit illud famoſum ſomnium, pontificalis excellentiæ & efficaciæ vaticinium, quod ſcilicet ex ore ejus ignis exiret, qui totum mundum igniret; haud dubium, quin ille ignis, quem Dominus Jeſus-Chriſtus miſit in terram, & voluit vehementer accendi. Verum non ſic impii interpretati ſunt, neque ſic malignantes experti ſunt. Nam quia Spiritum-ſanctum blaſphemaverunt, eumque in ſervo ſuo arguentem de peccato, Infernalem titionem vocaverunt: juſti Dei ultione, irremiſſibili delicto obligati, perpetuam miſeriam malignæ appellationis inciderunt; & mirum in modum, quod piis erat ſalutiferum, impiis factum eſt mortiferum.

6. Hic ſuccedit miraculum non ſolum Eliæ, ſed etiam juſti Abel, & ſapientiſſimi Salomonis, necnon & aliorum Patrum exemplis glorioſum, quorum videlicet libaminibus illapſa eſt per ſpeciem ignis gratia ſancti Spiritus. Domino namque auctore ſublimatus in ſpecula Apoſtolorum Petri & Pauli, cum in univerſam terram produceret ſonum eorum, & in fines orbis terræ diſſeminaret verba eorum, moderni Neronis, ſcilicet quarti Heinrici regis, cujus flagitiis & facinoribus omnis prædicatio veritatis, velut ignis urens, intolerabilis erat, graviſſimam contra ſe perſecutionem commovit: ideoque neceſſitate compulſus fugere de civitate in civitatem, chriſtianiſſimæ comitiſſæ Mathildis tutelam ad tempus expetiit.

Mathildis tutela.

7. Cumque apud eam in pace factus eſſet locus ejus, & habitatio ejus in Sion, hoc eſt in ſpecula divinæ contemplationis, recurrente temporum rota, forte imminebat dies maxime dedita pontificalibus officiis, quæ nuncupari ſolet Cœna Domini. Hanc ergo celebraturus, adiit Abbatiam, vocabulo Nonantulam [a], ſanctorum prædeceſſorum ejus Silveſtri & Adriani [b] patrociniis glorioſam. Ibi nempe ſacro-ſanctis inſiſtens miniſteriis, cum jam conſummaret ſanctificationem chriſmatis, ſubito cælitus inflammante benedictum liquorem clara ſpecie ignis, conglorificatus eſt antiquis patribus ſigno divinæ acceptionis.

Nonantulæ Cœna Domini celebrata.

8. Sed jam congruum videtur, miracula de igne in mirabili extinctione ignis finire, quæ in Chronicis venerabilium virorum hac occaſione legitur accidiſſe. Cum prædictus Heinricus Romanæ civitatis mœnibus hoſtili manu aſſediſſet, & ob hoc ignem quodam loco injeciſſet, ut populo à tutandis propugnaculis ad avertenda combuſtionis pericula converſo, ſine prohibitione irrumperet; intelligens hanc verſutiam fortiſſimus in fide Chriſti Gregorius, ſignum crucis appinxit, & velut Tiberis inundantiam effunderet, incendium protinus extinxit, plebemque ad propugnacula defenſanda redire præcepit.

Hildebrandi educatio.

9. Nobis etiam redire placet ad commemorandam pueritiam ejus, in qua avunculo ſuo Abbati monaſterii ſanctæ Dei genitricis Mariæ in Aventino-monte [c] ad inſtructionem liberalis ſcientiæ, & compoſitionem moralis diſciplinæ à parentibus commendatus, in brevi oſtendit ſpectabiles flores utriuſque nutrimenti.

In Franciam vadit.

10. Jam vero adoleſcentiam ingreſſus, profectus eſt in Franciam, domiturus inibi carnis petulantiam & moleſtia peregrinationis, & inſtantia eruditionis. Inde poſt aliquot annos Romam rediturus, occulta Dei præpara-

[a] De monaſterio Nonantulæ egimus Sæculo IV. parte I. ubi de S. Anſelmo primo ejuſdem loci abbate. De iſtius loci hodierno ſtatu dictum eſt in Itinere Italico. pag. 202.

[b] Id de Hadriano III. papa interpretatur Papebrochius tomo 6. Maii ad diem 26. at Hadriani I. corpus ſe habere contendunt Nonantulenſes, ut patet ex ejuſdem Papæ vita ex veteri cod. mſ. ejuſdem loci edita tomo I. Muſæi Italici.

[c] Monaſterii illius abbas locum tertium tenebat inter 20. abbates, qui ſummo Pontifici celebranti aſſiſtere ſolebant. Ibi ſervatur corpus ſancti Sabini epiſcopi, nunc eſt prioratus Militum Jeroſolymitanorum. Vide Lubini Notitiam abbatiarum Italiæ pag. 338.

tione,

tione, moram fecit aliquantum temporis in aula Heinrici III. ut quia ſublimandus erat in culmine ſacerdotii, profectus ejus manifeſtus fieret omnibus ex alta ſpecula regni. Hinc ipſe Imperator aïebat, numquam ſe audiſſe hominem, cum tanta fiducia Verbum Dei prædicantem. Probatiſſimi quoque epiſcoporum reipublicæ conſulentium admirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ejus. *Ann. Chr. MLXXXV. xxv. Maii.*

11. Poſt hæc Romam reverſus, cum ſtudio perfectionis inſiſteret, & accepta divinitus talenta intellectus atque operationis duplicare ſatageret; torpentes domeſticos ſenſit inimicos, & illud veritatis elogium probavit: Nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua. Proinde parcere volens invidiæ, & majorem caritatis fructum quærere, ingredi ſtatuit in partes Germaniæ, & Galliæ. Cumque veniſſet ad Aquas-pendentes [a], apparens ei in viſione beatus Petrus, qui jam aſcenſiones ejus in cathedram ſuam diſponebat, prodire eum ulterius prohibebat. Ipſe autem fallacem exiſtimans imaginem, à propoſito itinere non reflexit. Item ſecundæ noctis ſimilem viſionem præterivit. Tum vero tertia nocte cum maximo terrore ingerens ſe facies Apoſtolica, graviter eum luiturum, ſi non reverteretur, intentavit; ſicque eum in Romanæ eccleſiæ ſolatium revocavit. *Romam redit.*

12. In diebus illis, mortuo DAMASO ſecundo [b], ſucceſſit nonus LEO; qui laudabilis viri prudentiam, & ſanctitatem ex corde veneratus & amplexatus, ejus per omnia conſilia incepit; & hæc eorum concordia plurimum in agro Dominico ſpinis erutis fructificavit.

13. Interea ſubdiaconus ab eodem Papa ordinatus, monaſterio ſancti Pauli [c] miſerabiliter deſolato prælatus eſt, tali primitus viſione confortatus. Apparens ei beatus Paulus in baſilica ſua ſtabat, ac palam manibus tenens ſtercora boum de pavimento levabat, ac foras jactabat. Cumque ſpectator otioſus aſſiſteret, increpabat eum Apoſtolus, quare non ſe adjuvaret; juſſitque eum palam apprehendere, & fimum, ſicut ipſe faceret, ejicere. Latrunculis enim Campaniæ diripientibus ſubſidia alimoniæ, in tantum languorem inciderat obſervantia ſanctitatis & Regulæ, ut & armenta licenter ingredientia domum orationis fœdarent; & mulieres in refectorio neceſſaria miniſtrantes, famam pauciſſimorum qui remanſerant monachorum dehoneſtarent. Eliminata igitur omni ſpurcitia, & recuperata victualium ſufficientia, congregavit honeſtam multitudinem regularium monachorum; quorum religione & diſciplina venerabiliter uſque hodie pollet locus iſte. *Subdiaconus & abbas S. Pauli.*

14. Denique tam ſingularem cœpit habere fiduciam ſuper opitulationibus precum illorum, ut, ſi quando non liberaretur ab adverſitatibus, certiſſimum ei ſignum fieret, alicujus delicti impedimentum eſſe inter eos: quo præſentiæ ipſius examinatione correcto, ſolito curſu liberationem ejus acceleratam ferret oratio. Beatus plane pater, & beati filii, quos inter ignorantia & impunitas culpæ moram non potuit habere; ſed exemplo quidem Joſue prodita, in ſpiritu lenitatis, ſecundum Apoſtoli præceptum, caſtigata eſt. Si qui tamen, cujuſlibet profeſſionis fuerint, majores culpas, & maxime ad immunditiam vel ſacrilegium pertinentes, apud ſanctum Paulum committere præſumſerunt, mox in Apoſtolicæ reverentiæ [honorem] ab exterminatore perierunt. Sicut enim primi Gregorii tempore beatus Andreas apoſtolus ultor exſtitiſſe legitur ſui ſanctuarii [d]: ita & in diebus Hiltebrandi ejuſdemque Gregorii VII. beatus Paulus apoſto-

[a] Olim opidum agri Urbevetani, nunc civitas epiſcopalis, huc tranſlata ſede civitatis Caſtri ab Innocentio X. anno 1647. ſita eſt ad fluvium Peliam ſub ditione pontificia.

[b] Damaſus II. ſedere cœpit die 17. Julii anno 1048. poſt dies 23. veneno, ut creditur, extinctus. Anno ſequenti Leo IX. Romæ coronatus fuit, menſe Februario.

[c] Una eſt ex eccleſiis patriarchalibus Romæ, quam etiamnunc noſtri Caſinates retinent.

[d] Legeſis hiſtoriam hanc in Vita S. Gregorii à Johanne diacono lib. 4. à nobis edita Sæculo I.

ANN. CH. MLXXXV. XXV. MAII

lus vindex enituit ſui ſanctificii, utroque ſcilicet Apoſtolo cooperante ſuo operario.

Archidiaconus.

15. Interea ſpiritualis agricola, ſanctus videlicet Leo IX. papa, conſiderans & admirans multum fructum palmitis hujus, eo quod ipſe maneret in Chriſto, & Chriſtus in ipſo; dilatavit in eo manſionem Chriſti per impoſitionem Ordinis Levitici, & ut fructum plus afferret Romanæ eccleſiæ Archidiaconum [a] inſtituit.

Legatus in Gallia.

16. Poſt hæc in partes Galliarum directus, ita creditum ſibi apoſtolicæ vicis exhibuit officium, ut merito cum Apoſtolo dicere poſſet: (2. Cor. 2.) Deo gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto Jeſu, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco, quia Chriſti bonus odor ſumus Deo in iis, qui ſalvi fiunt, & in iis qui pereunt: aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam.

Concilium Lugduni celebrat.

17. Primam ſane odoris hujus fragrantiam Lugdunum, quæ prima ſedes eſt Galliarum, ſynodali diſcuſſione ſuſcepit. Nam ſicut papa Callistus narrare conſuevit, prima Concilii die proclamatus eſt quidam pſeudo-epiſcopus de ſimoniaca pontificalis culminis aſſcenſione: ſed quia ad finem perduci non potuit probatio, in ſequentem diem prolata eſt. Interim quid faceret ſibi male conſcius? quo ſe verteret? Adamante duriorem judicis mentem nullo munere auſus eſt attentare, non dubitans ſe per hoc ardentiſſimum veritatis amatorem magis exaſperare, quam placare. Data igitur pecunia, oppilavit ora tam accuſatorum, quam teſtium; & cooperante ſecuritatis inſolentia, tumidus craſtinæ ſeſſionis cognitori inſultavit dicens: Ubi ſunt qui me accuſabant? nemo me condemnavit. Ad hæc zelotes Dei alto gemitu ſuſpirans, & frixorium cordis ſui ſuper illis, qui corrupti erant, dedignativo geſtu ſignificans, ait ad corruptorem: Credis, ô Epiſcope, Spiritum-ſanctum unius cum Patre & Filio eſſe ſubſtantiæ & deitatis? Quo reſpondente, Credo. Dic, inquit, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui-ſancto. Cumque hunc verſiculum ad commendandam ſanctæ Trinitatis fidem à Nicænis patribus hymnizando prolatum, & beato Hieronymo pro ſuccentu ſingulorum pſalmorum Damaſo papæ commendatum; fiducialiter adorſus fuiſſet, Gloria Patri & Filio, dicebat: ſed Spiritum-ſanctum nominare minime valebat. Secundo tentare admonitus, *deficit in Filio*: tertio repetere permiſſus, obticuit in Patre. Tunc demum pedibus Apocriſiarii pervolutus, ſimoniacum ſe eſſe profeſſus eſt [b]. qui mox, ut ab Epiſcopatu depoſitus eſt; Gloria Patri, & Filio, & Spiritui-ſancto, clara voce perſonuit. Ex his divinæ cognitionis indiciis feruntur nonnulli pſeudo-epiſcoporum compuncti, malas conſcientias ſpontanea confeſſione prodidiſſe, & injuſte acquiſitas dignitates juſte dimiſiſſe.

Simoniacũ miraculo confudit.

Interiora cognoſcit.

18. Idem venerabilis Archidiaconus ſynodum tenuit, cui Hugo Cluniacenſis abbas interfuit: in qua Epiſcopum quemdam ordine judiciario depoſuit. Inde ſimul ambo profecti, ad flumen quoddam pervenientes tranſvadabant. Archidiaconus vero præceſſit abbatem. Tranſmiſſo igitur flumine, converſus retro reſpexit, & dixit: Cur talia de me cogitaſti? Abbas vero reſpondit: Tu ne es Deus, qui cogitationes hominum te ſcire aſſeveras? Deus, inquit, non ſum: ſed tamen, quæ in animo volvebas audivi. Dixiſti enim in corde tuo me magis Epiſcopum illum cauſa jactantiæ, quam zelo Dei depoſuiſſe. Percuſſus Abbas conſcientia: Rogo te, inquit, per caritatem Dei, ut edicas mihi, quomodo hoc ſentire potuiſti. Quia venientem te, inquit, per alveum fluminis reſpexi, & quaſi filum tenſum ab ore tuo uſque ad aures meas inde hoc perpendiſſe te ſenſi.

19. Altera autem die, cum ambo, Archidiaconus videlicet & prædictus

[a] Eum à Nicolao II. Archidiaconum creatum fuiſſe ait Hugo Flaviniacenſis in Chronico Virdunenſi.
[b] Idem miraculum narrat Petrus Damiani.

Digitized by Google

Abbas Cluniacenſis, eccleſiam quamdam ingreſſi fuiſſent, Camerarius Abbatis ſtans ad orationem, clam aliquos nummos è marſupio protulit, atque pro expenſis tribuendos de manu in manum calculavit. Interrumpens autem orationem Archidiaconus vociferando, Exi diabole, ac eccleſiam eum relinquere coëgit. Tum Abbas: Inhumane, inquit, agis, quod neque orationem nos complere permittis. Orationem, ait, monachi tui ſciſcitare, & cur id fecerim poteris cognoſcere. Requirens igitur Abbas invenit, quod nummos computaſſet. Conſequenter Archidiaconus intulit: Et ego teterrimum ſpiritum ante ipſum hoc idem ſimulare vidi.

20. Eodem itinere venerunt ad quamdam civitatem multa mortalitate laborantem, in qua vidit Angelum Dei erecto gladio paratum ad occiſionem. Unde cum irent ad oratorium ſecundum conſuetudinem, rogabat Abbatem, ut breviaret orationem, & quantocius relinqueret civitatem, alioquin omnes perituri eſſent. Dicto parens Abbas, velociter reverſus eſt ad hoſpitium, & ecce reperit duos viæ ſocios repentina morte proſtratos. Cumque feſtinantiſſime deſeruiſſent locum peſtilentiæ, Abbas jam potitus ſciſcitandi libertate, percunctatus eſt venerabilem Levitam; quid vidiſſet, quod tantam properationem indixiſſet: &, quod prædictum eſt audivit.

21. Inter hæc Romam proficiſcens, cum audiſſet, mortuo STEPHANO papa BENEDICTUM * quemdam ab iniquis & importunis hominibus contra canones in Apoſtolica ſede ſuſtitutum, magis acceleravit iter ſuum: collectaque ſynodo Epiſcoporum in Tuſcia, Benedictum ſancti Spiritus judicio condemnavit: GERHARDUM vero Florentinæ civitatis venerabilem Epiſcopum, communi bonorum conſenſu electum, Apoſtolicæ ſedi inthronizavit, atque NICOLAUM II. nominavit. Hoc autem poſt biennium defuncto, ſucceſſit ALEXANDER II. *Romæ Pontifices procurat.*

22. Hujus camerarius, nomine Johannes, narrare ſolebat factum in ſemetipſo divinæ curationis miraculum per venerabilem Hiltebrandum adhuc Archidiaconum. Nam cum idem Johannes apud Tuſculanum nimis acri febrium dolore fatigaretur, miſſo nuntio, beatum virum rogavit obnixe, ne pigritaretur venire uſque ad ſe. Nec mora; quia boni nuntii hominem eſſe cognovit, venire non renuit. At ille nimio gaudio repletus in adventu ejus, traditis ei omnibus ſuis, commendavit etiam, humiliter implorans, ut communem Dominum pro ſe deprecari, ac religioſos homines in idipſum curaret adhortari. Tunc vir Dei domeſtica pietate ab intimis viſceribus commotus, ejectis omnibus, ſe diutiſſime in orationem cum lacrymis abſque verborum ſtrepitu dedit. Completa oratione, Comitiſſam *, cum qua idem Johannes morabatur, vocavit, eamque ut refectionem, pullum videlicet gallinæ, infirmo præpararet, hortatur. Cui renitenti, eo quod longa debilitate ſtomachum adeo infirmatum eſſe non ignoravit, ut etiam ante aliquot hebdomadas cibum percipere faſtidierit; vir Dei reſpondet: Sine modo. Scias enim, quod tam feſtinanter non præparabitur, quomodo ipſe deſiderabit. Hoc ita res probavit. Nam ſufficienter refectus obdormivit ſoporatus, ac de omni illa validiſſima invaletudine ſine mora convaluit. *Infirmum ſanat.* ** Mathildem.*

23. Iterum vir beatus ad eccleſiarum directionem à domino Papa deſtinatus, cum inter multa bona opera, quæ operatus eſt, antiſtitem quem *Miraculo purgatur.*

* Leo IX. obiit anno 1054. die 19. Aprilis. Anno ſequenti die 13. Aprilis coronatus eſt Romæ Victor II. cui anno 1057. die 28. Julii defuncto, ſubſtitutus eſt 2. die Auguſti Stephanus IX. ex abbate Caſinenſi. qui anno ſequenti exceſſit è vita. Johannes Mincius quorumdam factione ipſi ſubſtitutus eſt ſub nomine Benedicti X. quo pulſo electus ex Nicolaus II. hic memoratus, qui anno 1059. menſe Januario Romæ coronatus fuit. Obiit die 3. Julii anni 1061. cui Cadaloum Parmenſem epiſcopum ſubſtituere conatus eſt Imperator ſub Honorii II. nomine, ſed prævaluit canonica Anſelmi Lucenſis electio, qui Alexander II. dictus eſt.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXV. XXV. MAII. dam falſis criminibus impetitum à malignantium calumniis, duce Spiritu veritatis, eripuiſſet, Romam reverſus baſilicam Petri Apoſtoli cauſa orationis, & gratiarum actionis ingreſſus eſt. Erat ei familiare diverticulum ad beatæ Mariæ Dei Genitricis iconem conſiſtentem intra eamdem baſilicam, ut ante eam orando procideret, & plorando cor ſuum effunderet. Igitur cum hac vice ſecundum hanc conſuetudinem facturus acceſſiſſet, vidit, quod dictu mirabile eſt, ipſam imaginem lacrymas ſtillare, & quaſi dolorem ſuum pro aliqua dilecti ſui moleſtia ſignificare. Ipſe autem repletus ſtupore & ecſtaſi, poſtquam ſatis in admirationem defixus eſt, lacrymis lacrymas ubertim reddidit, & ſupplicatione completa, Lateranenſe palatium ſalutaturus domnum Papam reviſit. qui mox perlati ad eum falſi rumoris excipiens indicium, quod videlicet pro muneribus prænotatum juſtificaſſet Epiſcopum, patenter dedit intelligi, quid in ſacra imagine ſignificaſſet ſimilitudo condolendi. Verum cum ſapientia, quæ lucebat in vultu ejus, rationem cœpiſſet reddere, erubeſcebant omnes, qui in præſentia erant, adverſarii ejus, & juxta beatum Hieronymum, falſus rumor cito opprimebatur, & mordax lingua cito confodiebatur: quippe vita ipſius, voce & exemplo commendabatur. Inde cum prædicto more ſolito repeteret imaginem, converſo miraculo, vidit eam arridere ſibi tamquam triumphatori.

24. Ne autem hæc miracula quamvis de ſanctis, tamen de inſenſatis rebus incredibilia videantur; ex probabilioribus Orthodoxorum Patrum ſcriptis fidem dare volumus, quædam ex his mutuantes exempla, quæ contra hujuſmodi incredulitatem non putamus invalida. Sic enim legitur in actionibus ſeptimi univerſalis Concilii auctoritate primi Adriani Papæ collecti. » Narravit nobis Dionyſius preſbyter eccleſiæ Aſcalonis de abbate Johanne anachoreta dicens [a]: quia hic magnus in præſenti generatione fuit homo, & ad ſtatum ſuum Deo placentem hoc de eo miraculum aſſerebat. » In ſpecu, inquiens, ſenex ſedebat in partibus Sochus, poſſeſſionis ab Hieroſolymis miliariis IX. ferme diſtantis. Imaginem autem habebat ſenex in ſpecu ſanctæ & intemeratæ Dominæ noſtræ Dei-Genitricis & ſemper virginis Mariæ, habentem in ulnis Chriſtum Dominum noſtrum. Quotieſcumque igitur volebat quoquam pergere, aut ad eremos longinquas; aut Hieroſolymam ad adorandam ſanctam Crucem & ſancta loca, vel etiam in Sina monte oraturus, aut ad Martyres, qui ab Hieroſolymis multis ſpatiis aberant; erat enim amicus Martyrum oppido ſenex. nam, nunc quidem ad ſanctum Johannem Epheſum; nunc vero ad ſanctum Theodorum Eucharetam [b], aut ad ſanctam Theclam Seleuciam pergebat, vel ad ſanctum Sergium Arapham, præſtruebat candelam, & ſuccendebat, ſicuti habebat conſuetudinem: & ad deprecationem ſtans, ut iter ſibi dirigeretur, dicebat ad Dominam, in imaginem ejus attendens: Sancta Domina Dei-Genitrix, quoniam viam habeo longam ad ambulandum, multorum dierum ſpatium habentem, de candela tua curam habeto, & inextinguibilem eam ſecundum meum propoſitum cuſtodi. Ego enim adjutorium tuum comitem habens vadam. Et his ad imaginem dictis, abibat. Et propoſito itinere completo, revertebatur aliquando quidem menſe uno, aliquando vero duobus, vel tribus, nonnumquam quinque, aut ſex moratus; & ſic inveniebat candelam ordinatam, & ardentem, ut eam ad iter agendum egreſſurus ſinebat: numquam illam aliquando à ſemetipſa extinctam vidit: neque à ſomno ſurgens, neque ab eremo rediens in ſpeluncam. Item ex eiſdem actionibus ex vita ſancti Theodori [c] archimandritæ. Cum

[a] Habes hanc hiſtoriam apud Johannem Moſchum in Prato ſpirituali cap. 180.

[b] Legendum *Euchaitam*. De celebri hac peregrinatione vide præf. in acta S. Theodori num. 2. in Actis Martyrum ſinceris pag. 531. De S. Sergio vide Baronium in Notis ad diem 7. Octobris.

[c] *Theodorus Siceota*, vel ſolo nomine celeberrimus.

eſſet annorum quaſi duodecim, facta eſt mortalitas ex bubone in illa villa, « ANN. CH. MLXXXV. XXV. MAII
ita ut & ipſe infirmaretur pæne ad mortem. Porro detulerunt eum in oratoriam domum ſancti Johannis-Baptiſtæ, quæ erat juxta villam, & ſtraverunt eum ad introïtus altaris. Porro ſupra illum in receptaculo crucis, ſtabat imago Salvatoris Jeſu-Chriſti. Cumque ex dolore bubonis cruciaretur, repente de imagine ceciderunt ſuper eum roris guttæ, & ſtatim, gratia Dei, à dolore convaluit, & ſanus effectus eſt, & ivit domum ſuam. His exemplis ad aſtruendam fidem ſufficere valentibus, ad noſtræ narrationis ordinem redeamus.

25. Igitur venerabilis Hiltebrandus vidit viſionem, apoſtolicæ pietatis in proximo ſuſcipiendæ præſignationem. Apparuit ei Simon Magus tripudians, & exſultans in navi: & ipſe ſibi videbatur in illum inſilire, & colluctando pedibus ſubactum inſolubilibus nexibus vincire. Quod navis Eccleſiam ſignificet, rarus eſt qui ignoret. In qua nimirum Simon Magus ante beati viri hujus apoſtolatum longe lateque per ſuos ſequaces ſacrilega venalitate luſerat, libere ſcilicet & impudenter emens, ac vendens eccleſiaſticas dignitates. Quomodo autem per hunc athletam Dei proſtratus, & alligatus ſit, ſuo loco dicemus. Pontificatus ipſi præſagitur.

26. Per idem tempus quidam Piſani pernoctabant in baſilica beati Petri gratia orandi, cum ecce vident ipſum Principem Apoſtolorum in eadem domo ſua, cum hoc prædeſtinato herede ſuo deambulantem, eique præcipientem, ut ſtercora diverſorum jumentorum, quæ ſparſim inibi jacere videbantur, in ſaccum, qui cominus haberi cernebatur, congereret, & dorſo impoſita egereret. Et quidem per hæc ſtercora luxurias, & ſpurcitias diverſorum hominum, maxime autem Nicolaïtarum, & quarti Heinrici patroni eorum, ſignificari in promtu eſt. Sed quomodo & portata, & exportata ſint, ſuo tempore, Deo adſpirante, demonſtrabimus. Nunc electionis ejus poſt mortem Alexandri papæ, legitimum ordinem, prout ipſi electores ejus conſcripſerunt, proponamus.

Quomodo Gregorius VII. Papa electus ſit.

27. Regnante Domino noſtro Jeſu-Chriſto, anno clementiſſimæ Incarnationis ejus MLXXIII. Indictione & Luna XI. X. Kalendas Maii, feria ſecunda, die ſepulturæ domini Alexandri bonæ memoriæ ſecundi papæ, ne ſedes Apoſtolica diu lugeat proprio deſtituta paſtore, congregati in baſilica beati Petri ad Vincula, nos ſanctæ Romanæ, catholicæ & apoſtolicæ Eccleſiæ cardinales, clerici, acolyti, ſubdiaconi, diaconi, preſbyteri, præſentibus venerabilibus Epiſcopis, Abbatibus, clericis, & monachis conſentientibus; plurimis turbis utriuſque ſexus diverſique ordinis acclamantibus: eligimus nobis in paſtorem & ſummum pontificem, virum religioſum, geminæ ſcientiæ prudentia pollentem, æquitatis & juſtitiæ præſtantiſſimum amatorem, in adverſis fortem, in proſperis temperatum, & juxta Apoſtoli dictum, bonis moribus ornatum, pudicum, modeſtum, ſobrium, caſtum, hoſpitalem, domum ſuam bene regentem, in gremio hujus matris Eccleſiæ à pueritia ſatis nobiliter educatum & doctum, atque pro vitæ merito in archidiaconatus honorem uſque hodie ſublimatum, Hildebrandum videlicet archidiaconum, quem à modo uſque in ſempiternum & eſſe, & dici Gregorium papam, & Apoſtolicum volumus, & approbamus. Placet vobis? Placet. Vultis eum? Volumus. Laudatis eum? Laudamus. Acta Romæ X. Kalend. Maii Indictione XI. « Decretum electionis.

28. Ipſe quoque Gregorius de electione ſua continuo has miſit epiſtolas.

ANN. CH. MLXXXV. XXV. MAII.

Gregorius in Romanum Pontificem electus, Deſiderio Abbati monaſterii ſancti Benedicti Montis-Caſini, ſalutem in Chriſto Jeſu.

Lib. I. epiſt. I.

„ Dominus noſter Papa Alexander mortuus eſt, cujus mors ſuper me cecidit, & omnia viſcera mea concutiens, penitus conturbavit. Nam in morte quidem ejus Romanus populus contra morem ita quievit, & in manu noſtra conſilii frena dimiſit, ut evidenter appareret ex Dei miſericordia hoc proveniſſe. Unde, accepto conſilio, hoc ſtatuimus, ut poſt triduanum jejunium, poſt litanias, & multorum orationem eleemoſynis conditam, divino fulti auxilio ſtatueremus, quod melius de electione Romani Pontificis videretur. Sed ſubito cum prædictus dominus noſter Papa in eccleſia Salvatoris ſepulturæ traderetur, ortus eſt magnus tumultus populi & fremitus, & in me quaſi veſani inſurrexerunt: ita ut cum Propheta poſſim dicere: Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me. Laboravi clamans, raucæ factæ ſunt fauces meæ, & timor & tremor venerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ. Sed quia in lecto jacens valde fatigatus ſatis dictare nequeo, anguſtias meas enarrare ſuperſedeo. Te igitur per omnipotentem Dominum rogo, ut ſuffraganeos fratres, & filios, quos in Chriſto nutris, ad exorandum Deum pro me provoces, & ex vera caritate invites; quatenus oratio, quæ me liberare debuit, ne incurrerem periculum, ſaltem tueatur in periculo poſitum. Tu autem ipſe quantocius ad nos venire non prætermittas, qui quantum Romana eccleſia te indigeat, & in prudentia tua fiduciam habeat, non ignoras. Dominam AGNETEM imperatricem, & RAINALDUM venerabilem Cumanum epiſcopum ex noſtra parte ſaluta: & quantum erga nos dilectionis habuerint, nunc ut oſtendant, noſtra vice fideliter obſecra. Data Romæ IX. Kalend. Maii, Indictione undecima.

Gregorius in Romanum Pontificem electus Gottifredo duci, ſalutem in Domino Jeſu-Chriſto.

Lib. I. epiſt. 9.

„ 29. Grata nobis eſt lætitia tua, quam in litteris tuis de promotione noſtra te habere cognovimus, non ut hoc aliqua cauſæ noſtræ delectatio faciat, ſed quod eam ex fonte ſinceræ dilectionis & fideli mente derivatam eſſe non dubitamus. Noſtra enim promotio, quæ tibi ceteriſque fidelibus piam de nobis exiſtimationem & gaudium adminiſtrat, nobis interni doloris amaritudinem, & nimiæ anxietatis anguſtias generat. Videmus enim quanta nos ſollicitudo circumſtat: ſentimus quantum nos ſuſcepti oneris ſarcina gravat; ſub quibus, dum noſtræ infirmitatis conſcientia tremit, anima noſtra in Chriſto potius diſſolutionis requiem, quam in tantis periculis vitam cupit. In tantum quippe commiſſi nobis officii conſideratio nos ſollicitat, ut niſi in orationibus ſpiritualium hominum, poſt Deum aliqua fiducia nos ſuſtentaret, curarum immenſitate mens noſtra ſuccumberet. Peccatis enim facientibus, ita pæne totus mundus in maligno eſt poſitus, ut omnes, & præcipue qui in Eccleſia prælati ſunt, eam potius conturbare, quam fideli devotione defendere, vel celebrare contendant: & dum ſuis aut lucris, aut præſentis gloriæ deſideriis inhiant, omnibus, quæ ad religionem & juſtitiam Dei pertinent, ſe velut hoſtes opponant. Quo magis nobis dolendum eſt, qui ſuſceptum univerſalis Eccleſiæ regimen in tanta difficultate, nec rite adminiſtrare, nec tuto deſerere poſſumus. Ceterum quia fidei & conſtantiæ virtutem, donante Deo, in te ſitam eſſe cognovimus: omnem, quam oportet in cariſſimo ſancti Petri filio, in te fiduciam habentes, animum tuum de noſtra itidem conſtantiſſima dilectione,

Digitized by Google

& erga honores tuos promtiſſima voluntate, nequaquam dubitare volumus. De Rege vero mentem noſtram, & deſiderium plene cognoſcere potes; quod, quantum in Domino ſapimus, neminem de ejus præſenti ac futura gloria, aut ſollicitiorem, aut copioſiori deſiderio nobis præferri credimus. Eſt etiam hæc voluntas noſtra, ut primum oblata nobis opportunitate, per nuncios noſtros ſuper his, quæ ad profectum Eccleſiæ, & honorem regiæ dignitatis ſuæ pertinere arbitramur, paterna eum dilectione & admonitione conveniamus. Quod ſi nos audierit, non aliter de ejus, quam de noſtra ſalute gaudebimus: quam tunc certiſſime ſibi lucrari poterit, ſi in tenenda juſtitia, noſtris monitis & conſiliis acquieverit. Sin vero, quod non optamus, nobis odium pro dilectione; omnipotenti autem Deo pro tanto honore ſibi collato, diſſimulando juſtitiam ejus, contemtum non ex æquo reddiderit, interminatio, qua dicitur: Maledictus homo, qui prohibet gladium ſuum à ſanguine, ſuper nos, Deo providente, non veniet. Neque enim liberum nobis eſt, alicujus perſonali gratia legem Dei poſtponere, aut à tramite rectitudinis pro humano favore recedere, dicente Apoſtolo: Si hominibus placere vellem, ſervus Dei non eſſem. Data Romæ 2. Non. Maii Indict. xi.

Ann Ch. MLXXXV. xxv. Maii

Sacrificanti columba adeſt.

30. Poſt hæc, Pontificali benedictione confirmatus, quam acceptus ſibi fuerit ad exemplum Evangelii Pater cæleſtis oſtendit, quoniam myſteria, quæ abſcondit à ſapientibus & prudentibus, revelavit parvulis. Nam duo ruſtici non improbabili curioſitate ducti, cum adventum novi Pontificis in Lateranam diœceſim comperiſſent, ad videndum eum mutuis cohortationibus inſtigati, ad eccleſiam properant. Quo cum perveniſſent, invenerunt eum juxta altare Miſſarum ſollemnia celebrantem. Quem curioſe inſpicientes, omnes motus corporis & geſtus ejus diligenti animadverſione notarunt. Sed alter eorum velut in ecſtaſin raptus, vidit columbam de cælo deſcendere, humeroque Gregorii dextro inſidentem alis extenſis caput ejus velare. Completo vero Canone, columba collum protendens, calici roſtrum, ut ſibi viſum eſt, immiſit; quo retracto, unde venerat ilico reverſa eſt. Stupefactus igitur novo miraculo ruſticus, atque poſt paullulum ad ſe reverſus, ad propria remeavit.

31. Sequenti nocte tres viri habitu decoro, vultuque ſplendido ei apparuerunt, quorum unus veſtitu ſuccincto, canicieque decenti figuram Petri, ut in picturis videre ſolebat, ſibi expreſſit. Alius vultu ſplendidus, ſtatura procerus, in admirationem ſimul & timorem convertit inſpectorem; tertium, cujus qualitatis eſſet non adeo curioſe quæſivit. Proinde affabilior horum trium, quis eſſet diu hæſitans: tandem canum illum ſermone aggreſſus, quis ille major eſſet, vel quo cenſeretur nomine, ſciſcitatus eſt: à quo reſponſum quod Sol vocaretur. accipiens, inſuper ita increpatus eſt: Quare non annunciaſti Gregorio, quod heri vidiſti? Ille vero perterritus, nihil ſe vidiſſe teſtatur. Oblitusne es, inquit, quod columbam heri inter Miſſarum ſollemnia requieviſſe ſuper humerum ejus videris? totamque viſionem, ut, viderat, ſibi retexuit. Deinde præcepit ei, ut quantocius ad Gregorium iret, quia eadem die inde erat tranſiturus, atque ex ordine ei viſionem recitaret. Mane facto, ruſticus quid ageret dubitans, atque viſionem illuſionem eſſe ſecum pertractans, quemdam ejuſdem loci religioſum virum adiit, & quid ſibi viſum fuiſſet, intimavit. Id autem conſilii accepit, quatenus Dominum obnixe deprecaretur, ut ſi ex illo hæc viſio fuiſſet, ſecundo, ac tertio, ei revelare dignaretur: quod ita ruſticus devote peregit. Secunda igitur nocte, item commonitus, obnixius precibus inſtitit. Tertia vero nocte, cum iidem viri terribilius ſolito ſe ingeſſiſſent, præcepit ei unus, ut ſi vitam aliquamdiu vellet differre, ne dubitaret, quod juſſus fuerat domino Apoſtolico denunciare, ac ſubintulit: Si

ANN. CH. MLXXXV. XXV. MAII. tu, cum prope fuerat, juſſis noſtris minime obtemperaſti, neceſſe eſt te poſt eum longius eundo laborare. Sed ille certius adhuc aliquid ab his eliciere geſtiens, dixit: Ego quidem ruſticus ſum & indoctus, quid mihi in ſignum dabitur, ut à tali perſona credatur? Unus eorum, qui tantum ſolebat pro ceteris loqui, dicebat: Hæc dices Gregorio, quod etiam ipſe verum eſſe cognoſcit, quoniam accedens ad altare, quod eodem die cogitavit, apud omnipotentem Dominum impetrare meruit. Ruſticus ad Gregorium perveniens, ſecretum ab eo petiit, & quæ itineris & laboris ejus cauſa exſtitiſſet, fideliter inſinuavit. Ille vero benigne ſubridens, ac ſignum præcognoſcens, ruſticum tantæ legationis nuncium ad ſua regredi cum apoſtolica benedictione permiſit.

32. Alio quoque tempore, cum maxima detineretur corporis infirmitate [a], quædam neptis ſua ad eum viſitandi gratia venerat, & qualiter ſe contineret, inquirebat. Tum ille, ut nepti ſuper ægritudine ſua animum levigaret, monilia ejuſdem manu tenens, an nubere vellet requiſivit. Poſt, recepta ſanitate, dum ſolitis orationibus incumberet, nec recordatione præteritorum malorum, nec ſpe futurorum bonorum aut deſiderio; &, ut breviter concludamus, nullo modo ad hoc, ut ſaltem unam lacrymulam exprimere valeret, pertingere potuit. Diu igitur mæſto animo revolvens quid egiſſet, quo delicto Deum offendiſſet, qua denique culpa datam ſibi compunctionis gratiam perdidiſſet; tandem temperato mærore id conſilii accepit, ut religioſos viros ſecum in jejuniis, & orationibus ſupplicare Domino depoſceret: quatenus ei revelare dignaretur, pro qua noxa donum illi, quod pridem habuerit ſublatum ſit. Quod congrua devotione peractum eſt. Completis itaque duarum hebdomadarum vigiliis, jejunio, & corporali diſciplina, pius & velox auditor deſiderium cordis tribuit ei. Nam cuidam innocenti & ſimplici viro beata Dei-Genitrix in viſione apparuit, eique præcepit dicens: Vade, & dic Gregorio, quod cum ego illum in chorum (non dubium quin Virginum) elegerim, ipſe è contrario aliter quam deberet egit. Novo autem permotus elogio Gregorius, magis hæſitare cœpit, intentiuſque orare, ut apertius ſibi Dei miſericordia quid eſſet oſtenderet. Iterum eidem cui ſupra, ſanctiſſima virgo Maria mater Domini in ſomnis apparens inquit: Hæc dices Gregorio, quoniam ipſe contra gravitatem inſtitutionis noſtræ monilia tractavit neptis ſuæ, idcirco gratiam quam habuit, amiſit. Sed nunc, quia pœnitentiam de peccato ſuo peregit, donum lacrymarum recipiet. Hinc admonemur illius dicti: Bonum eſt homini mulierem non tangere.

[a] Gratia compunctionis excidit ob leve delictum.

Quam denuo recipit.

1. Cor. 7.

33. Quadam æſtate, quæ Romæ humanis corporibus valde contraria eſt, dum idem vir Dei maximis per integram hebdomadam æſtuaret febribus, apparuit ei beata Dei-genitrix ſemper virgo Maria; atque, ut indignationem oſtenderet, ventrem ejus manu verſa percutiens receſſit. Deinde per alteram ſeptimanam adeo debilitatus eſt, ut reſpirare eum, qui exitum ejus præſtolabantur, vix ſentire poſſent. Finita hebdomada illa, rurſus ad eum beata Dei-Genitrix, hora diei quaſi ſexta acceſſit; qualiter ſe haberet, & ſi adhuc ſatis pœnarum luiſſe ſibi videretur, ab eo ſciſcitatur. Cui ille reſpondit: Domina piiſſima, ut tibi videtur. Tum leni manu, quaſi corpus ejus perungens, ab oculis ejus evanuit. Mox illo veſtimenta ſua, quaſi ad eccleſiam proceſſurus eſſet, requirente, hi qui aderant præ nimia infirmitate minus ſanum ſentire æſtimabant. At ille nil mali ſe habere affirmans, extorquet, ut veſtibus ſe induant, atque ad eccleſiam perducant. Quo facto, in tantum ſanitate recepta convaluit, ut etiam ſacra Miſſarum ſolemnia publice in eccleſia Salvatoris ſequenti die celebraret.

Febre punitur à B. Virgine.

Sanatur.

[a] Libro 2. epiſtola 9. anno 1074. ſcripta, Beatricem ejuſque filiam Mathildem monet ſe ex gravi morbo convaluiſſe.

34. Inter

34. Inter hæc, quanta obedientia tanto viro exhibenda foret, Hermanno tunc temporis Cardinali, ſed poſtmodum Brixienſis eccleſiæ præſuli, divinitus oſtenſum eſt. Nam cum ab eo ad menſam quadam die vocatus non veniſſet, nocte inſequenti, terribilis ei quædam ſpecies apparuit, eumque vehementer increpavit dicens: Ut quid miſer imitatus es contumaciam Dathan & Abiron ſuperſedendo Gregorii ad convivium invitationem, ſicut illi ſuperbe reſpuerunt Moyſi ad concilium vocationem? An excidit tibi, quanta millia millium in inferno demerſa ſint propter unius Protoplaſti inobedientiam? Feſtina ergo ad ſatisfactionem, ſi evadere cupis debitam rebellibus damnationem. Itaque mox ut opportunitas data eſt, provolutus eſt pedibus clementiſſimi papæ; nec mora, veniam impetravit lacrymoſa ſupplicatione.

Ann. Chr. MLXXXV. XXV. Maii. Inobediens ipſi increpatur.

35. Nunc libet duo miracula ſanctitatis per beatum Gregorium divinitus facta breviter aſſignare: ne forte ingreſſis nobis ſilvam denſioris hiſtoriæ, excidant memoriæ. Quodam namque tempore, cum de more ſacras manus ablueret, ipſa ablutionis aqua inſtar lactis facta, ægrum quemdam cum fide recuperandæ ſanitatis eam in uſum ſumentem, confeſtim ab ægritudine liberavit. Item, cum in comitatu glorioſæ Mathildis deliteſceret, & rabiem perſecutionis, de qua poſt hac plenius dicturi ſumus, declinaret, quadam die venerabilis Hubaldus Mantuanus epiſcopus indicavit ei, quod cocus ejus nimia infirmitate prægravatus, de lectulo ſurgere non valeret: at ille neceſſarii commutationem non habens officii, cum fide grano ſinapis comparanda, tranſtulit montem infirmitatis, & crevit in validum gratia ſoſpitatis. Eadem quippe hora, qua jubentis vocem audivit, ſurrexit, ac neceſſaria præparavit.

Miracula duo.

36. Jam tempus exigit aliquot decretales beati Præſulis epiſtolas contra Simoniacos, & Nicolaïtas in Galliam atque Germaniam tranſmiſſas ponere, & ſubinde, quid ſibi velit ſaccus ille ſtercoribus refertus, quem ſupra Piſanis viſum commemoravimus, aliquam, ut promiſimus, conjecturam facere. Denuntiatio quippe regularis judicii prædictorum hæreticorum, eiſque faventium concutiens & coërcens ignominiam, non abſurde videtur comparari ſacco ſtercora continenti; quem videlicet vir ſanctus quodammodo portavit, dum epiſtolas mittendo, converſionem eorum, quos notavit, diu patienter exſpectavit: exportavit autem, quando pertinaces in errore, ſynodali conſenſu ab Eccleſia ſeparavit. Harum igitur Epiſtolarum prima [a] nobis occurrit ad Ottonem Conſtantienſem epiſcopum directa, quæ ita ſe habet.

Laborat contra Simoniacos.

GREGORIUS *Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto in Chriſto fratri* OTTONI, *Conſtantienſi epiſcopo, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.*

Inſtantia nunciorum tuorum feſtinanter redire volentium, non permiſit nos fraternitati tuæ, quæ in Romana ſynodo conſtituta ſunt, ſeriatim intimare. Hæc tamen neceſſario tibi ſcribenda fore arbitrati ſumus, nos juxta auctoritatem ſanctorum Patrum in eadem ſynodo ſententiam dediſſe: Ut hi, qui per ſimoniacam hæreſim, hoc eſt interventu pecuniæ, ad aliquem ſacrorum Ordinum gradum, & officium promoti ſunt, nullum in ſancta Eccleſia ulterius miniſtrandi locum habeant. Illi quoque qui Eccleſias datione pecuniæ obtinent, omnino eas perdant: nec deinceps vendere, vel emere alicui liceat. Sed nec illi, qui in crimine fornicationis jacent, Miſſas celebrare, aut ſecundum inferiores Ordines miniſtrare altari de-

a Ottoni Conſtantienſi ſcribit.

a Habetur in actis concilii Romani 1. ſub Gregorio 7. anno 1074. habiti, in Apologetici capitulo 1. Ceterum Otto ille Henrici regis partes amplexus à Gregorii communione alienus obiit, ſepultus Baſileæ.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXXV. XXV. Maii

» beant. Statuimus etiam, ut, ſi ipſi contemtores fuerint noſtrarum, immo
» ſanctorum Patrum Conſtitutionum, populus nullo modo eorum officia reci-
» piat : ut, qui pro amore Dei, & officii dignitate non corriguntur, vere-
» cundia ſæculi & objurgatione populi reſipiſcant. Studeat igitur fraterni-
» tas tua ſe in his nobis cooperatricem exhibere; ſic crimina iſta de eccle-
» ſiis ſuis radicitus evellere, quatenus boni paſtoris meritum apud Deum va-
» leas obtinere, & Romana eccleſia de te, ſicut de chariſſimo fratre, & ſtu-
» dioſo cooperatore debeat gaudere.

37. Qua vero contumacia prænominatus Epiſcopus decretis ſalutaribus reſultaverit, vel potius inſultaverit, ſequens epiſtola prodit.

GREGORIUS *ſervus ſervorum Dei* OTTONI *Conſtantienſi epiſcopo, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.*

Eumdem inobedientem acriter arguit

» Perlatum eſt [a] ad nos de fraternitate tua, quod ſatis invitus & mæſtus
» audivi, quodque, ſi vel de extremo Chriſtianæ plebis membro ad audien-
» tiam noſtram deferretur, ſeveriore diſtrictionis diſciplinæ cenſura eſſet
» procul dubio caſtigandum. Cum enim apoſtolica auctoritate & veridicis
» ſanctorum Patrum ſententiis incitati, ad eliminandam Simoniacam hæreſim
» & præcipiendam Clericorum caſtitatem pro noſtri officii debito exarſimus,
» Moguntino venerabili Archiepiſcopo confratri noſtro, cui plures & late
» diſperſi ſuffraganei ſunt, hoc obedientiæ munus injunximus, ut tam per ſe
» quam per coadjutores ſuos hoc Romanæ eccleſiæ Decretum univerſo Cle-
» ro ſtudioſius inculcaret; & inviolabiliter tenendum proponeret. Tibi quo-
» que, cui plurimus Conſtantienſis epiſcopii Clerus & populus ampliſſime di-
» latatus, ob eamdem cauſam ſpeciales litteras cudere, bulla noſtra impreſ-
» ſas, collibuit : quarum fultus auctoritate tutius animoſiuſque præceptis
» noſtris obtemperares, & de ſanctuario Domini Simoniacam hæreſim, & fœ-
» dam libidinoſæ contagionis pollutionem expelleres. Apoſtolica namque
» beati Pauli præpollet auctoritas, qua fornicatores & adulteros cum ceteris
» ſceleratis connumerans, diffinitam ſuæ juſſionis ſententiam ſubjicit, cum
» ejuſmodi nec cibum capere. Præterea univerſus Eccleſiæ Catholicæ cœtus
» aut virgines ſunt, aut continentes, aut conjuges. Quicumque ergo extra
» hos tres ordines reperitur, inter filios Eccleſiæ ſive intra Chriſtianæ Reli-
» gionis limites non numeratur : unde & nos, ſi vel extremum laïcum pelli-
» catui adhærentem liquido cognoverimus, hunc velut præciſum membrum
» à corpore Dominico, à ſacramentis altaris, donec pœniteat, arcemus.
» Quomodo ergo ſanctorum ſacramentorum diſtributor vel miniſter eſſe de-
» bet, qui nulla ratione poteſt eſſe vel particeps? Sed illa beati papæ LEO-
» NIS [b] nos impulit auctoritas, qui ſubdiaconis ineundi connubii licentiam
» prorſus abſtulit. Quod decretum beati Leonis poſteriores ſanctæ Romanæ
» eccleſiæ Pontifices, maxime doctor eximius GREGORIUS, ita pro lege
» ſanxerunt [c], ut deinceps tribus his ordinibus eccleſiaſticis, Sacerdotibus,
» Levitis & Subdiaconis vincula conjugalia omnino ſint prohibita. Cum au-
» tem hæc omnia tibi obſervanda, paſtorali providentia tranſmitteremus,
» tu non ſurſum cor, ſed deorſum in terra ponens, prædictis ordinibus frena
» libidinis, ſicut accepimus, laxaſti; ut qui mulierculis ſe junxerunt in fla-
» gitio perſiſterent, & qui necdum duxerunt tua interdicta non timerent.
» O impudentiam, ô audaciam ſingularem! videlicet Epiſcopum ſedis Apo-
» ſtolicæ decreta contemnere, præcepta ſanctorum patrum convellere; im-
» mo vero præceptis contraria ac fidei Chriſtianæ repugnantia de ſacratiore

[a] Refertur integra ab Hugone Flaviniacenſi in Chronico tomo 1. Bibl. Labbeanæ pag. 210.

[b] Ea de re ſcribit ſanctus Leo ad Anaſtaſium epiſcopum Theſſalonicenſem & ad Ruſticum Narbonenſem.

[c] Vide Gregorii Magni epiſtolam 42. libri 1. & 34. libri 3.

Digitized by Google

loco, & de cathedra pontificali ſubjectis ingerere. Quapropter tibi Apoſtolica auctoritate præcipimus, ut ad proximam ſynodum noſtram proximæ hebdomadæ [a] te præſentem exhibeas, tam de hac inobedientia & ſedis Apoſtolicæ contemtu, quam de omnibus quæ tibi objiciuntur, canonice reſponſurus.

ANN. CH. MLXXXV. XXV. MAJI

38. Hic clero & populo demandat, ne inobedienti Epiſcopo obediant.

GREGORIUS *Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Clericis & Laïcis, majoribus & minoribus in Conſtantienſi epiſcopatu conſiſtentibus, Chriſtianam legem diligentibus, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

Miſimus [b] fratri noſtro, epiſcopo veſtro Ottoni, litteras exhortatorias, per quas pro noſtri neceſſitate officii Apoſtolica auctoritate injunximus illi, ut Simoniacam hæreſim de eccleſia penitus ſua excluderet, & caſtitatem clericorum ſtudioſe prædicandam ſuſciperet, & firmiter tenendam epiſcopali vigilantia inculcaret. Nam ſic eam nobis Evangelicæ & Apoſtolicæ litteræ, authenticarum ſynodorum decreta, & eximiorum Doctorum præcepta inſinuant, ut eam diſſimulare & negligere, ſine magno animæ noſtræ & populi Chriſtiani detrimento, non poſſimus. Sed Epiſcopus veſter, ut nobis relatum eſt, quæ paterne ſuaſeramus, perficere non curavit, & ut non ſolum inobedientiæ, verum etiam rebellionis offenſam contraheret, quemadmodum accepimus, palam clericis ſuis, juſſioni noſtræ, immo beati Petri, omnino contraria permiſit: ita ut qui mulierculas habuerant, retinerent; & qui non habebant, illicita temeritate ſubintroducerent. Quod ut audivimus, moleſte ferentes, ſecundam ei ſcripſimus epiſtolam, indignationis ei noſtræ motus oſtendentes, & idem præceptum iterato acrius inculcantes: tum etiam ipſum ad ſynodum Romanam, quæ prima proximæ Quadrageſimæ hebdomada futura eſt, advocavimus, ut pro ſe rationem reddat, & inobedientiæ cauſas, ſi rationabiles habuerit, in audientiam totius conventus exponat. Hoc ideo, fratres cariſſimi, vobis innoteſcimus, ut animæ veſtræ ſaluti conſulamus. Si enim beato Petro & ſanctæ ſedi Apoſtolicæ fronte aperta repugnans & contumax eſſe voluerit, liquido manifeſtum eſt, quod qui matrem vel patrem inhonorat, nullam à fidelibus patris & matris jure obedientiam exigere aut quærere debeat. Indignum eſt enim, ut qui Magiſtro detrectat ſubeſſe, Magiſter auditoribus poſtulet præeſſe. Quapropter omnibus, ſicut prædiximus, majoribus atque minoribus Deo & beato Petro adhærentibus, Apoſtolica auctoritate præcipimus, ſi in obduratione ſua perſiſtere voluerit, nullam ei obedientiæ reverentiam exhibeatis. neque id animæ veſtræ perniciem eſſe putetis. Nam ſi, ut totiens jam prædiximus, præceptis Apoſtolicis voluerit eſſe contrarius, ab omni illius ſubjectionis jugo, beati Petri auctoritate, abſolvimus ita univerſos, ut cum ſacramenti obligatione quilibet ei fuerit obſtrictus, quamdiu Deo omnipotenti & ſedi Apoſtolicæ rebellis exſtiterit, nulla ei fidelitatis exhibitione fiat obnoxius. Non enim cuilibet perſonæ contra Creatorem ſuum, qui cunctis præponendus eſt, aliquis debet obedire: ſed debemus contra Deum ſuperbienti reſiſtere, ut ſaltem hac neceſſitate coactus ad viam juſtitiæ addiſcat redire. Quanti enim periculi, quantæque à Chriſtiana lege ſit alienationis, obedientiam, maxime Apoſtolicæ ſedi, non exhibere, ex dictis beati Samuelis prophetæ poteſtis cognoſcere; quæ ſanctiſſimus papa Gregorius in ultimo libro Moralium procuravit exponere. Ut ea autem ſint vobis in promtu, ſcripta tranſmiſimus, quatenus indubi-

b Ejus inobedientiã denuntiat Conſtantienſibus.

a Legendum *prima proximæ Quadrageſimæ hebdomada*, ut patet ex ſequenti epiſtola. Et certe quomodo alias occurrere potuiſſet Epiſcopus in Germania conſtitutus?

b Hæc quoque habetur apud Hugonem loco laudato.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXV. XXV. MAII

„ tanter ſciatis, non vobis novam non dicere, ſed antiquam ſanctorum Pa„ trum doctrinam propalare. Hinc Samuel ait: Melior eſt obedientia quam „ victima, & auſcultare magis quam offerre adipem arietum: quoniam quaſi „ peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſ„ cere. Obedientia quippe victimis jure præponitur, quia per victimas aliena „ caro, per obedientiam vero propria voluntas mactatur. Tanto igitur quiſ„ que Deum citius placat, quanto ante ejus oculos, repreſſa arbitrii ſui „ ſuperbia, gladio præcepti ſe immolat. Quo contra ariolandi peccatum in„ obedientia dicitur, ut quanta ſit virtus obedientiæ demonſtretur. Ex ad„ verſo igitur melius oſtenditur, quid de ejus laude ſentiatur; ſi enim ario„ landi peccatum eſt repugnare, eſt quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere. „ Sola eſt quæ fidei meritum poſſidet, ſine qua quiſque convincitur infidelis, „ etſi fidelis eſſe videatur. . . .

39. Ad Laïcos pro exſequendis ſuperioribus inſtitutis.

GREGORIUS *Epiſcopus ſervus ſervorum Dei*, RODULFO *duci Sueviæ*, *atque* BERTHOLDO *Duci Carentano*, *ſalutem & Apoſtolicam benedictionem*.

a Scribit viris nobilibus ea de re.

„ Scimus [a], quoniam prudentia veſtra miſerabilem Chriſtianæ religionis „ deſolationem perſpicaci mente perpendit, quæ pro peccatis noſtris in ea „ nunc extremitate eſt poſita, ut infeliciora tempora nemo viventium vide„ rit, nec à tempore beati Silveſtri, patris noſtri, ſcripturarum traditione „ repererit. Verum hujus tanti mali nos caput & cauſa ſumus, qui ad re„ gendum populum prælati, & pro lucrandis animabus Epiſcopi vocati & „ conſtituti ſumus. Ab eorum namque principatibus, velut à quibuſdam ini„ tiis, ſubditorum bona vel mala veniunt, qui aut mundanas dignitates, aut „ magiſterium ſpirituale ſuſceperunt, qui dum nihil aliud, niſi gloriam & „ voluptates ſæculi quærunt, ſine ſua, & populi confuſione vivere nequeunt: „ quoniam in malefactis prava ſectantes deſideria; & ſuæ auctoritatis jura „ per culpam ligant, & aliis peccandi per exemplum frena relaxant. Neque „ enim per ignorantiam, aut improvidi delinquunt; ſed præſumtuoſa obſtina„ tione Spiritui-ſancto reſiſtentes, divinas, quas cognoverunt leges, abji„ ciunt, & Apoſtolica decreta contemnunt. Sciunt namque archiepiſcopi „ & epiſcopi terræ veſtræ, quod & omnibus fidelibus notum eſſe debet, quo„ niam in ſacris Canonibus prohibitum eſt, ut hi, qui per Simoniacam hæ„ reſim, hoc eſt interventu pretii, ad aliquem ſacrorum Ordinum gradum, „ vel officium promoti ſunt, nullum in ſancta Eccleſia ulterius miniſtrandi „ locum habeant; nec illi, qui in crimine fornicationis jacent, Miſſas cele„ brare, aut ſecundum inferiores Ordines miniſtrare altari debeant. Quæ „ cum eos ſancta & Apoſtolica mater Eccleſia, jam à tempore beati Leonis „ papæ, ſæpe in Conciliis tum per legatos, tum per epiſtolas in ſe, & com„ miſſis ſibi plebibus, utpote ab antiquioribus neglecta, renovare & obſer„ vare commonuerit, rogaverit, & accepta per Petrum auctoritate, juſſerit; „ adhuc tamen inobedientes, exceptis perpaucis, tam exſecrandam conſue„ tudinem nulla ſtuduerunt prohibitione decidere, nulla diſtrictione puni„ re. Non attendentes quod ſcriptum eſt: Quaſi ariolandi peccatum eſt re„ pugnare, & quaſi crimen idololatriæ, nolle acquieſcere. Cum igitur illis „ Apoſtolica, immo ſancti Spiritus mandata ſpernentibus, & ſcelera ſubdi„ torum criminoſa foventibus patientia, divina miniſteria indigne tractari, „ populum ſeduci intelligimus; alio quolibet modo contra hæc vigilare nos „ convenit, quibus cura Dominici gregis præ cunctis incumbit. Multo enim „ melius nobis videtur juſtitiam Dei, vel novis reædificare conſiliis, quam

Simoniacis interdicenda ſacra miniſteria.

[a] Exſtat in Regiſtro Gregorii lib. 2. epiſt. 45.

Digitized by Google

animas hominum una cum legibus deperire neglectis. Quapropter ad te, & ad omnes, de quorum fide & devotione confidimus, nunc convertimur; rogantes vos, & Apoſtolica auctoritate admonentes, ut quidquid Epiſcopi dehinc loquantur, aut taceant, vos officium eorum, quos aut Simoniace promotos & ordinatos, aut in crimine fornicationis jacentes cognoveritis, nullatenus recipiatis: & hæc eadem adſtricti per obedientiam, tam in curia Regis, quam per alia loca, & conventus regni notificantes, ac perſuadentes; quantum poteſtis, tales ſacro-ſanctis deſervire myſteriis, etiam vi, ſi oportuerit, prohibeatis. Si qui autem contra vos, quaſi iſtud officii veſtri non eſſe, aliquid garrire incipiant; hoc illis reſpondete, ut veſtram & populi ſalutem non impedientes, de injuncta vobis obedientia, ad nos nobiſcum diſputaturi veniant [a]. Quia vero, te Rodulphe dico, Ducem & cariſſimum ſancti Petri filium, ad religionis ſpiritum deſideranter anhelare confidimus, unde nos conſuluiſti, quidquid nobis perfectius viſum eſt, ad correctionem tuam tibi intimamus, ut quantumcumque pretii te pro diſponendis in Eccleſia Clericis accepiſſe recordaris, aut in utilitates ejuſdem eccleſiæ, ſi attinere ei videtur, aut in uſus pauperum expendas: ut nulla in te reprehenſibilitatis macula remanente, inter electos regni cæleſtis cives adſcribi merearis. Datum Romæ tertio Idus Januarii, Indictione decima-tertia.

Ann. Ch. MLXXXV. XXV. Maii

40. Item ad laïcos pro iiſdem inſtitutis.

GREGORIUS *Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto in Chriſto filio & nobiliſſimo Comiti* ADALBERTO, *& ejus uxori, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.*

Gratias Deo referimus, quod & laïci, & mulieres ad Dominum mentes erigunt, & cultum religionis libenter intellectu capiunt, & tenere contendunt. Nam illi, qui propter lucrandas animas Epiſcopi vocati & conſtituti ſunt, & ſubditos ſuos verbo & exemplo viam veritatis docere deberent, his temporibus ſeducti à diabolo non ſolum legem Dei deſerunt, ſed impugnare, & omni conatu ſubvertere, non deſiſtunt. Quo minus mirandum eſt, ſi ipſi inferiores ordines à delicto non prohibent, quorum aut ordinatio fuit hæretica, aut vita omni immunditia, & facinoribus cooperta; qui, dum in ſemetipſis propria ſcelera nec corrigunt nec attendunt, ſubditorum quoque crimina, aut per negligentiam, aut timore propriæ conſcientiæ portant. De quibus recte per Prophetam dicitur: Obſcurentur oculi eorum, ne videant; & dorſum eorum ſemper incurva. (Pſ. 68. 24.) Quapropter quidquid illi contra vos, immo contra juſtitiam garriant, & pro defendenda nequitia ſua, vobis, qui inlitterati eſtis, objiciant, vos in puritate & conſtantia fidei veſtræ permanentes; quæ de Epiſcopis, & Sacerdotibus Simoniacis, aut in fornicatione jacentibus ab Apoſtolica ſede accepiſtis, firmiter credite, & tenete. Datum Romæ VII. Kal. Novemb. Indictione decima-tertia.

41. Ut nullus obediat Epiſcopis præfata ſtatuta contemnentibus, vel negligentibus.

Iis non obediendum.

GREGORIUS *ſervus ſervorum Dei, omnibus Clericis & Laïcis in regno Teutonicorum conſtitutis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

Audivimus [b] quod quidam Epiſcoporum apud vos commorantium; ut ſacerdotes & diaconi & ſubdiaconi mulieribus commiſceantur; aut

[a] Hic deſinit apud Hugonem Flaviniacenſem in Chronico pag. 212. ubi *Berthaldo, Rodulfo, Welphoni ducibus* inſcribitur.

[b] Hanc epiſtolam exhibet integram Hugo Flaviniacenſis in Chronico pag. 212.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXXV XXV. Maii

„ conſentiant aut negligant, his præcipimus vos nullo modo obedire, vel „ illorum præceptis conſentire, ſicut ipſi Apoſtolicæ ſedis præceptis non „ obediunt, neque auctoritati ſanctorum Patrum conſentiunt, teſtante divi„ na ſcriptura, Facientes & conſentientes par pœna complectitur. Omnipo„ tens & miſericors Deus, qui ultra ſpem, qui ultra meritum miſeretur, & „ conſolatur nos in omni tribulatione noſtra, aperiat cor veſtrum in lege, & „ confirmet vos in præceptis ſuis, ut auctoritate beati Petri à cunctis pecca„ tis abſolutos, vos ad cæleſte regnum perducat regnaturos. Amen.

Damnati in Romana ſynodo.

42. Has epiſtolas proſecuta eſt, ipſo præſidente, generalis ſynodus [a], in qua, ſicut geſta ipſius continent, ſententia anathematis data eſt in omnes Simoniacos & Nicolaïtas hæreticos, qui in erroris ſui ſecta indurati, ſynodalibus ſanctorum Patrum definitionibus, & decretalibus eorum ſtatutis ſcienter inobedientes, apoſtatarumque pertinacia eis recalcitrantes, ſtudio & voluntate refragantur. Ecce ſaccus ſtercoribus plenus eatenus arguendo, obſecrando, increpando cum omni patientia & doctrina portatus; ſed ex tunc, juſta ultione divini zeli exportatus, ſecundum ordinem, quem ſuis ultoribus ipſe Dominus per Ezechielem prophetam oſtendit dicens: A ſanctuario meo incipite. Clamor namque Sodomorum & Gomorrhæorum uſque ad ipſius Pontificatum multiplicatus fuerat nimis; in eo ſcilicet, quod prædicti hæretici, eorumque fautores, nimia peccandi libertate effrenati, peccatum ſuum ſicut Sodoma prædicaverunt, nec abſconderunt: ideoque niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis in eo ſemen correptionis, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus.

Hermannus Bambergenſis ob ſimoniam depoſitus.

43. Hac fama juſtificationis inſtigati Babenbergenſes Clerici detulerunt ad aures ejus ſimoniacum introïtum pſeudo-epiſcopi ſui, nomine HERMANNI [b]. At ille, contracta non minima pecunia precioſi metalli, & veſtimenti copia, ſperavit Apoſtolicum rigorem muneribus emolliri poſſe. Et approximans Romæ, exoravit venerabilem Hermannum Mettenſis eccleſiæ Epiſcopum & Apoſtolicæ ſedis legatum, qui tunc forte ſocietatem itineris inciderat, uti ſe ad dominum Papam præiret, & intercederet. Quod cum attentaſſet, & humanæ placationis non parvam materiam affore deſignaſſet, vir juſtus excutere manus ſuas ab omni munere ſolitus, ut erat in conclavi ſuo poſitus, Spiritu-ſancto ſe inflammante, reſpondit: Fac eum, ſi aliquam fidelium communionem velit obtinere; in partes ſuas redire, & monaſticæ regulæ diſtrictum jugum pœnitendo ſubire: quoniam, propitius ſit mihi Deus, ſi domum iſtam mihi impleret auro & argento, numquam, me conſentiente, epiſcopali fungetur officio. Hoc itaque modo & iſte Simoniacus ſubmotus eſt à ſacerdotio.

Quanta S. Pontifex pertulerit.

44. Jam vero qualiter inimicorum fraudes, tentationes, pericula, detractiones, irriſiones, captiones, cuſtodias, propter nomen Domini; poſtremo, qualiter, Domini juvamine & ſuſtentatione, Apoſtolorumque comitante ſuffragio, Reges, tyrannos, duces, principes, animarumque hominum captivatores, voratores, inſuper lupos, Antichriſti videlicet miniſtros, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & reliquos eccleſiaſticos pervaſores fortiſſimus athleta Dei ſuperavit, nequaquam ſilentio præterire dignum ducimus: quatenus tam præſentibus, quam ſubſecuturis ſit in exemplum, & populus ſanctæ Eccleſiæ, olim noſtrum ſæculum fuiſſe cognoſcat ſub tanto, talique paſtore prolapſum. Indecens enim & inconveniens eſſe videtur, tradere oblivioni patris hujus laborem, cum etiam profanarum cauſarum memoria penes ſæculares pro fortitudinis exemplo fiat. Hujus qui-

[a] Hujus ſynodi decreta & epiſtolas ſupra deſcriptas habes apud Hugonem Flaviniacenſem in Chronico Virdunenſi, tomo I. Bibliothecæ novæ Labbeanæ.

[b] Ad eum ſcripſit Gregorius epiſtolam 84. lib. I. eumque monet ſe cauſam ipſius Mettenſi epiſcopo commiſiſſe. Hunc vitam monaſticam in monaſterio Schvvartzachiano fuiſſe amplexum teſtatur Bruſchius, ubi ſepultus eſt in ſacello S. Benedicti.

Digitized by Google

dem exemplum, ſi tenaci memoriæ tradatur, fit ſanctæ Eccleſiæ ſupplementum, Chriſti fidelium ornamentum, & in hæreſeon profanarum veniet detrimentum. Hinc enim juſtorum [pugnæ] iterum prima ſumſere principia; hinc Eccleſiaſtica victoria, & perpetuæ felicitatis quodammodo per filium hereditas [propagatur.] ANN. CH. MLXXXV. XXV. MAII.

45. Fuit itaque quidam vir in Urbe, perditionis filius, omnium hominum ſceleratiſſimus & iniquiſſimus, cujus quidem memoria aërem ipſum commaculat; cui pro dulcedine perjuria, fallaciæ, luxuriæ, traditio, homicidia, machinationes, ſuſurrationes, conſpirationes, fraudes, deceptiones, conventicula fuerant; & quicquid virtuti eſſe poteſt inimicum, ſibi per omnia [licere] credebat: pater furum & ſocius perjurorum, clypeus fallacis & haſta mœchi, galea homicidarum & ſcutum traditionis, tegumentum machinationis, cuſtos ſuſurrationis, anxietas conſpirationis, coloratio fraudis, riſuſque deceptionis, & crypta malæ conventionis; ad cujus confugium omnis hæreticus, omniſque ſceleſtus properabant; cujus ala velabat ſcandala, ſub cujus umbra Leviathan ipſe tortuoſus coluber, dulciter & ſuaviter quieſcebat. Qui ad augmentum tanti commercii turres quam plures in urbe conſtruxerat, & poſthabitis tam Dei, quam hominis inimicitiis, quidquid ante ſuæ perverſæ mentis oculos incentor malitiæ, diabolus videlicet, adduxerat, peragere ſatagebat. Levia * quidem ſibi & dulcia verba, ſed in fine jacula & abſynthium fuerant. Qui ad ſui deſtructionem quemdam ſuum compatrem occidit; in cujus domum, re nondum plene cognita, irrupit: quam etiam deſtruxit, & peracto tanto ſcelere, in turrim, quam vivente patre ſuo Stephano Urbis præfecto conſtruxerat, ſe recepit.

Sceleratiſſimi viri deſcriptio.

* f. lenia.

46. Ad cujus facinus vindicandum vir Dei accenſus, una cum adhuc vivente papa Alexandro, maledictionis & anathematis eum vinculis alligavit. Ille vero ad augmentum ſuæ confuſionis, cum quibuſdam, quos ſibi aſciverat, Nicolao videlicet & Bertramo, ad perditionis filium, ſcilicet Henricum regem, properavit; & communicato magnæ impietatis conſilio Cadaloum Parmenſem, hæreticum, Romam conductum, hoſpitio recepit [a], & prœlia multa illius ob adjutorium, in Urbe commiſit. Cui ſolatium omnes hæretici Simoniaci pro poſſe impendebant, & per ipſum ſanctam Eccleſiam confundere diſponebant. Sed hæreſiarcha tandem illo mortuo, confuſus iſte pactum ſe cum domino Papa facere, & fidelitatem jurare ſpopondit. Quod & fecit. Sed quæ fides ei eſſe potuit, cui veritas numquam adhæſit? Stabat quidem propter ſummi Sacerdotis potentiam, ut prædo ligatus: ſed quas poterat fraudes, animo tenus perpetrare non deſinebat tartareus heres. Si quando eum venerabilis pater Gregorius, ut à talibus pedem retraheret, hortabatur, in pejus quotidie ſuum vertebat pectus: ſicque factum eſt, ut in ipſa turri, quam miræ magnitudinis ſupra pontem ſancti Petri conſtruxerat, viros ſicarios poneret; qui ab omnibus introeuntibus, & exeuntibus, ex rebus quæ ferebantur prædam caperent.

47. Qua de cauſa præfectus urbis, Cincius [b] nomine, vir utique prudens, carus Deo & hominibus, qui non ut laïcus, ſed veluti fidelis monachus, Deo ſerviens juſtitiam excolebat in omnibus, quadam die eum cepit, & in carceris ſqualoribus tantum latronem, ut dignum fuerat, tradidit. Tandem interventu quorumdam nobilium Romanorum, permittente hoc clementia domini Papæ, peractis ſupra ſancti Petri corpus Sacramentis ſuæ meliorationis, datiſque obſidibus, & reddita turri de qua confidebat, dimiſſus eſt. Tunc allatis arietibus & machinis, ferreiſque malleis, funditus eſt everſa: & ſic Urbs aliquantiſper quievit, & iniquorum factio, timore magno concuſſa, conticuit.

Turris Cencii deſtructa.

[a] Is eſt Cencius, qui Cadaloum antipapam ſub Honorii II. nomine, fovit.

[b] Cinthium appellat Petrus Damiani, eumque multis laudat lib. 8. epiſt. 1. & 2.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXV. XXV. MAII.

48. Sed, quid miſer faceret? Quouſque potuit, iniquos, licet longe poſitos, tam per ſe, quam per ſuos nuncios adiit. Ipſe luſtravit Apuliam, Lucaniam; Ducem Guiſcardum [a], & ceteros excommunicatos viſitans, ſtatuitque cum ipſis tempus opportunum, quomodo dominum Papam caperet, & occideret: filium vero ſuum ad Guibertum [b] hæreticum, Ravennatem direxit, idem pactum compoſiturum; ſicque ad Regem etiam ſuæ fallaciæ deſtinavit litteras, promittens eumdem Patrem regio conſpectui repræſentandum. Compoſitis itaque hujuſmodi demolitionibus, ad tempus quievit, exſpectans nimirum opportunitatem, ut eum caperet, & iniquorum populo ad necandum traderet. Sed Dominus omnipotens, qui captione ſua mundum liberans diabolum captivavit, Patris iſtius captione & ſanguine, Eccleſiæ ſtatum in melius provexit; & filium iniquitatis non ſolum puero ſuo nocere prohibuit, ſed etiam propriis rebus privavit.

Conjuratio adv. Papam.

49. Prolapſo itaque fere anno, miniſtri diaboli tempus advenit. Nam inſtante feſtivitate Dominicæ Nativitatis, conſpiratores ſuos cum quibus conjuraverat, hortari cœpit, ut ad tantum flagitium mente promti concurrerent, animumque aptarent, promittens eis ineffabilia, libertatem futuram, quæſtum ſine menſura, imitator per omnia fratris & magiſtri ſui diaboli, qui ſolius morte Domini mundum ſibi totum poſſidendum promittebat. Sed ſicut ſcriptum eſt, dum capit, capitur; dum prædari incipit, præda fit: & dum ambit illicita quæ nondum poſſederat, perdidit acquiſita quæ retinebat; ſic etiam iſte, miniſter utique illius, ſi corde deprehendiſſet ſe tantis rebus exſpoliandum, fortaſſe quoquo pacto à tanti ſceleris perpetratione, amore ſuarum rerum magis quam Dei, manum retraheret; ſed quoniam obcæcavit eum malitia ſua, qua ſuffarcinatus incedebat, rem ad effectum perducere conatus eſt: non timens, immo poſtponens animæ ſuæ periculum, alter Judas manus in dominum ſuum, & Chriſtum Domini injecit. Præſente itaque tantæ feſtivitatis die, ad peragendum vigiliarum obſequia Pontifex, ut mos eſt, ad beatæ Mariæ eccleſiam, quæ ob tantarum devotionum merita, Major vocata eſt, cum parvo Clericorum & Laïcorum numero properavit. Nam mos urbis fuerat ſemper, in tantæ ſollemnitatis excellentia omnes ad eamdem Eccleſiam confluere, totamque noctem illam hymnis & laudibus intentos pervigilem ducere. Sed Domino diſponente, ad evitandam tantam eccleſiam tanti paſtoris ſanguine perfundi, ne miniſtri diaboli animus inhians ſui ad deſtructionem, quæ male voluerat perficere poſſit, populus tunc convenire prohibitus eſt. Die namque ipſo vigiliarum tantam æther aquarum inundationem profuderat, ut ipſum primi temporis imminere diluvium omnibus videretur. Vix enim aliquis domus ſuæ limen linquere, vicinique ſibi juncti caſam, ſi neceſſitas aliqua exigeret, intrare, nedum eccleſiam tam longe ſitam, penetrare valebat. Loquebantur enim quodammodo mundi elementa futurum ſcelus, & inauditum facinus præſagiebant.

50. Sed quid plura? Adeſt nox, in qua tenebrarum filius lucis aggreditur miniſtrum. Miſſis itaque exploratoribus ad alios exquiſitores venerunt. Nam quamdam ſocietatem, juxta eamdem eccleſiam ex ipſius vici habitatoribus ſibi aſciverant: & notantes omnia, ad notitiam ſceleſti illius miſerans, quæ ſcrutati fuerant. Tunc ille legionem ſuam loricis indutam cum feſtinatione conduxit, ponens ita, ut poſt peractam ſive de nece victoriam, ſeu de vivo portato triumphum, quemcumque equum quis habere poſſet, aſcenderet: ne quis contra ipſos meditaretur inſurgere. Ventum tandem ad Eccleſiam eſt; Papa vero glorioſus in præſepi poſitus Miſſam noctis pri-

Pontifex celebrans.

[a] Robertus Guiſchardus Nortmannorum in Apulia Dux, primo à Gregorio excommunicatus, poſtea abſolutus.

[b] Hic eſt qui ſub Clementis III. nomine poſtea adverſus Gregorium antipapa fuit.

mam, ſicut docet religio, decantabat, corpuſque Dominicum tam ipſe, quam clerus ejus ſuſceperat. Reliqui vero, qui aderant, eadem adhuc Sacramenta percipiebant, cum magnus ſubito clamor, magnus & ululatus ex improviſo intonuit, & eccleſiam ipſam implevit. Tunc undique luſtrantes Eccleſiam, evaginatis mucronibus percutientes quos poterant, ad locum præſepii, quo Papa eximius reſidebat, convenerunt: percuſſiſque ibidem aliquantis, ruptiſque oſtiolis illis, angulum brevem præſepii æterni Regis, & Matris, truculentis manibus intraverunt. Tunc injecerunt in eum manus, & tenuerunt. Quorum unus educto gladio caput ejus abſcindere voluit, ſed tamen Domino volente non potuit. Percuſſum tamen in fronte, graviterque vulneratum, de Miſſa nondum finita violentis manibus abſtraxerunt, cædentes & percutientes. Ille vero, ut agnus innocens & manſuetus, ad cælum oculos erigens, nullum eis dedit reſponſum, non reclamavit, non reluctatus eſt; neque, ut ſibi in aliquo miſererentur, rogavit. Tandem exutum pallio, & caſula, ſeu Dalmatica & tunica, eum camiſia tantum amictum & ſtola, ut furem tractum poſt dorſum cujuſdam ſacrilegi poſuerunt. Ille vero, qui frontem gladio percuſſerat, arreptus à dæmonio ante ejuſdem eccleſiæ atrium diu volutatus eſt ſpumans, equuſque ejus fugiens nequaquam ulterius inventus eſt.

Ann. Ch. MLXXXV. XXV. Maii.

In eccleſia capitur.

51. Tanti fama mali totam cito perculit Urbem. Quis umquam tanta flentium, tantaque funebria narrare lamenta poterit? Sicut enim de Domini noſtri Nativitate Urbs ceteris altius civitatibus congratulari ſolita fuerat; ſic modo commota, triſtitiam ſibi non modicam adveniſſe proclamabat. Expavit pariter hoc factum cælum & terra, & ad tantum facinus vindicandum corda præparantur omnium. Tunc impletum eſt, quod dictum eſt per Prophetam: Dies feſti veſtri convertentur in lamentationem & luctum, & gaudium veſtrum in luctum. Et illud, Plorans ploravit in nocte; & lacrymæ ejus in maxillis ejus: non eſt qui conſoletur eam ex omnibus caris ejus. Tunc ſancta Eccleſia Dei dicebat: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die, ac nocte? Et illud: Audite, obſecro, univerſi populi, & videte dolorem meum. Tunc omnis maritus ſumſit lamentum; & quæ ſedebant in thoro maritali lugebant. Omnis itaque Clerus, paſtore percuſſo, huc illucque diſcurrebat, & cuncta pæne altaria exuentes denudabant. Nihil alicubi, præter quod ante dictum fuerat, in eccleſiis divini officii illo die factum fuit. Elementa tamen ad tempus uſque illud turbata, ne populum zelantem Domini zelum præpedirent, ſe pacata monſtrarunt: terra vero aquam pæne cunctam, quam nimia inundatione ſuſtinuerat, abſorbens, iterum quodammodo ſiccum ad hoc omnibus ulciſcendum oſtendit. Tota itaque nocte, ſignis tubiſque ſonantibus, militibuſque omnes aditus luſtrantibus, ne aliquo portaretur extra urbem ingenio, nullum uſquam veſtigium patuit: ſane re dubia, omnibuſque ignorantibus utrum vivus, an mortuus eſſet, populo congregato in Capitolio, referentibus quibuſdam innotuit, quod in quadam turri captus teneretur. Tunc omnes gentes tulere voces ad ſydera. Verum ubi primum dies terris eſt reddita, omnes inter ſe hortantes populi innumerabiles ad domum Antichriſti venerunt. Incepta itaque pugna eſt: ſed primo congreſſu pars hoſtilis fugam arripuit, omniſque factio in eadem ſe turri concluſit. Tunc omni parte vallatæ ignis appoſitus eſt; allatiſque machinis & arietibus, rumpitur murus, cunctaque inibi concluſa fit Domini populo præda. Nemo ſuum periculum vitabat, ſed ſui oblitus pro poſſe pugnabat.

Urbs tota commovetur.

52. Porro quidam vir cum quadam nobili matrona patrem Gregorium ſecutus eſt, qui ei ſolatium aliquantiſper ferant. Vir namque ille tædio detractionis, & algore hibernalis noctis afflictum allatis calefecit pellibus,

A piis Papa curatur.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXXV. XXV. Maii. pedeſque ejus in ſinu ſuo compoſuit. matrona vero ipſa fomento medicaminis ſui, Patris noſtri plagam nimio ſanguinis roſei profluvio tabidam, deplorando mulcebat, omneſque illos Dei inimicos homicidas ſacrilegos acclamabat: altera nimirum Maria effecta. Nam quemadmodum illa flens ſua delicta, Domini veſtigia lacrymando perfuderat: ſic iſta omnium crimina perferens, lacrymis ſuis tantum paſtorem proluebat. Oſculabatur illa pedes Domini Salvatoris, quo deinde lota caput ad uſque perveniret: hæc autem Dei & Domini famuli primo baptiſmate munda, poſtremo pectoris ardore aduſta, caput pectuſque deoſculans lacrymis rigabat. O memorabile pectus! ô devotiſſimæ feminæ laudabile jecur! quantus tibi tunc caritatis ardor inhæſerat? cum ante oculos tuos æterni Regis miniſtrum, iniquorum manibus male tractatum, vulneratumque proſpiceres; nec ſatanæ miniſtris ex tuo ore pudico, ſanctiſque oſculis, quæ pedibus, manibuſque, & capiti tanti patris feceras jam purgato, convitia digna, & maledictionis jacula ſubtrahebas. Vere credibile eſt animam tuam te pro patris vita ponere velle, & tormenta potius inexiſtimabilia percurrere, quam dominum captum, & tam male tractatum videre. Pugnabat manibus omnium generoſa virago, & immodicæ mercedis omnium particeps, quam tum ſibi accumulabat.

Inſultat ei mulier. 53. Verum quanto iſtius animoſa fides, tanto alterius mulieris linguoſa perfidia. Nam ſicut olim Dominicæ paſſionis tempore, ancilla oſtiaria Petrum terruerat; ſic iſta Vicarium ejus mordacibus opprobriis conturbabat. Quæ quidem illius traditoris ſoror fuerat; & idcirco tanto patri maledicere non formidabat. Alter vero ejuſdem traditoris miniſter & ſequipeda, evaginatum gladium retinens, tanti viri caput ipſo die ſe abſciſſurum blaſphemando aſſerebat. Cujus impietatis vindictam velociſſimum Domini judicium non diſtulit. Nam lancea à foris vibrata, guttur ejus diræ vocis venam obtruncans, ad terram morientem palpitantemque proſtravit, ſicque ad tartarum miſit.

Proditor veniam petit. 54. Traditor autem jam jamque videns capiendam eſſe turrim, & ſibi periculum mortis imminere, coactus procidit ad pedes beatiſſimi papæ, dicens: Semper miſericordiam, pater, docuiſti, docens perfeciſti, erranteſque convertens, converſos in fide ſolidaſti; ſuſcipe errantem, & ab iniquitatibus ſe convertentem; converſum ſolida, ne me deſperationis profunditas abſorbeat. Peccavi, erravi, tradidi, interfeci, ſacrilegium perpetravi, Matris Regis enim thalamum corrupi, violentiſque manibus tugurium & parvum ſecretarium Dei Filii violavi *. Te Patrem & meum dominum, ut parricida, perjuriis, ſacrilegiis, manibus pollutis ex illius gremio attraxi. Suſcipe, libera, tuere, miſericordiam fer, da remedium, conſilium, ſuffragium: injunge pœnam, pone pœnitentiam carceris, exſilium, patriæ diffugium; & Dei judicio in me juſtiſſime commotum, ex more, placa populum. Tuis me pollutum ſanctis ſuſcipe manibus, & hujus diei mihi pœnitenti concede ſpatium. Furcas mihi jure paratas corde conſpicio, dignam pœnam intueor; & idcirco corpore proſtrato, corde demiſſo, me potentiæ tuæ trado.

Quam obtinet. 55. Tunc papa clementiſſimus, pio ut erat pectore, tanta ſupplicantem adorſus eſt: Video te felle amaritudinis obligatum, & tuæ mentis oculos tenebroſo ſqualore contectos; qui lumen veræ lucis, nobis tanto tempore laborantibus, cognoſcere nequiverunt. Tu ipſe noſti, quantis religioſis viris te commonuerim, quantiſque per memetipſum patientiſſimis admonitionibus ſollicitaverim, quibus non ſolum non acquieviſti, verum etiam in deteriora prorupiſti: ſed tamen adhuc janua tibi vitæ patet, tantum, ut convertaris corde. Qui mox ad terram corruens, verum ſe reum, miſerum.

* Eccleſiam ſanctæ Mariæ Majoris, & Præſepium Domini ibi exſiſtens violaverat.

Digitized by Google

que confeſſus eſt, promittens omnia ſibi injuncta incunctanter perficere. Tandem vir mitiſſimus, ſolita ſibi pietate commotus, reſpondit: Quidquid mihi ex ipſa injuria irrogaſti, paterne indulgeo. Quod autem in Deum, & Matrem ejus, Apoſtoloſque, ſeu omnem Eccleſiam contraxiſti, luendum fore pronuncio, ita ut primo Hieroſolymam tendas; & poſtmodum, ſi vivus inde reverſus fueris, noſtris te manibus & conſilio repræſentes, ut ſic ſaltem modo aliquo gratiam tibi reconciliare omnipotentis Dei valeas. Et quemadmodum cunctis filiis Eccleſiæ, ſubverſionis hactenus exemplar fuiſti, ita de cetero converſionis fias. Hæc itaque cuncta, prout juſſum eſt, ut videbatur, explere libentiſſime ſpopondit: & ſic, diei illius liberationem promeruit. ANN. CH. MLXXXV. XXV. MAII.

56. Tandem Papa pius ad feneſtram erectus, turbæ furenti expanſis manibus, ut componeretur, & aliquanti majorum turrim aſcenderent, innuit. Nonnulli vero putantes, quod eos ad opus quod incœperant, hortaretur, fortiſſimo impetu turrim ſcandunt. Et ſic foras adductus eſt, turbis omnibus flentibus præ gaudio, & præ pietate clamantibus. Cernebatur enim totus cruoris magnitudine reſperſus; & ideo nimio horrore perculſi, voces ad ſidera proferebant. Facta igitur victoria, omnes una cum papa Gregorio ad Dei-genitricis eccleſiam, de qua nocte ipſa abſtractus fuerat, gaudio non modico repleti conveniunt. Tunc pater communis Miſſam, quam nocte miniſtris diaboli præpedientibus finire non potuerat, hora ipſa complevit, & cum tanta victoria revertentibus benedictionis Dominicæ gratiam dedit. *Papa liberatus.* *Miſſam perficit.*

57. Deinde cibis ſummo tenus deguſtatis, rurſum conveniunt adhuc plenius perſcrutari omnes, qui inimico Dei ſe conjunxerant. Inventis autem illis, omnia bona ipſorum perdunt, & exterminio tradunt, nihil omnino linquentes præter perſonas, quæ præſidium ceperant. Verum dum apud præfatam eccleſiam populus pro paſtoris liberatione grates Deo redderet, iniquus ille Judas fugam cum uxore, filiis, & fratribus arripuit; & ſic dimiſſis rebus ſuis, nudus evaſit. Quidquid vero ſui juris olim eſſe poterat, populus poſtea adveniens diſtraxit, turribus ac domibus ſubverſis, præſidiis vero fiſci titulo ſociatis. Perditionis vero filius & Antichriſti miniſter, ante mundi conſtitutionem damnatus, poſt ſuam evaſionem, quidquid promiſerat, non ſolum minime perſolvit, ſed etiam quibuſdam ſui ſimilibus profanis aſſociatus, conſilia malignitatis contra liberatorem ſuum dare, quoad vixit, non abhorruit. *Inimici fugam arripiunt.*

58. His itaque præmiſſis, ad ea, quæ cum rege Henrico peracta ſunt, veniamus, & innocentiam Gregorii papæ oſtendendo, mala quæ pro bonis receperat, tam præſentibus, quam etiam ſubſecuturis, prout poſſumus, indicemus. Nonnullos enim fore credimus, qui partim rei geſtæ, partim auctoritatum ſanctorum Patrum, ac Decretalium ignorantia, contra ſuæ ſalutis periculum Patrem communem reprehendere, infamare, &, quod omnino inſpectante Deo malum eſt inexiſtimabile, maledictiones ingeminare nequaquam timeant. Qui, ſi forte divina inſpiratione commoti, magis amore cognoſcendæ veritatis, quam ſuperbæ procacitatis inſtinctu hoc agerent, veridicis & approbatis, religioſiſque viris interrogatis crederent. Habent enim religione pollentes Epiſcopos infinitos; &, ut è multis paucos enuntiemus, Geraldum * Oſtienſem, qui ob vitæ meritum ab Apoſtolica ſede Gallicanis ex partibus aſſumtus, ſeptimum inter Cardinales epiſcopos thronum promeruit, qui ad ejuſdem Regis cauſam inveſtigandam ab Apoſtolica ſede eſt tranſmiſſus, & ad confirmandum ſuo prolatum ore teſtimonium, *Gregorii fautores Cardinales.*

* Geraldus è priore Cluniacenſi factus Oſtienſis epiſcopus Cardinalis, & Ubertus, ſeu, ut hic auctor infra ſcribit, Humbertus epiſcopus Cardinalis Præneſtinus, creati anno 1072. biennio poſtea ad Henricum imperatorem legati miſſi ſunt ad componenda inter Sacerdotium & Imperium diſcidia.

ANN. CH. MLXXXV. XXV. MAII.

plurimos eſt labores, pericula, vincula, carcereſque ipſa pro veritate expertus. Habent Præneſtinum, qui ad eumdem ſufferendum laborem ab urbe Roma miſſus eſt. Habetur inſuper & Petrus Albanenſis [a], qui ad confirmandum contra Simoniacos veritatis teſtimonium, immanem rogum pertranſiens nudis plantis, ſicut in Regiſtro domini Alexandri II. papæ ſcriptum reperitur, illæſus exivit. Habentur etiam complures ex ultramontanis partibus, Udo Trevirenſis, & Hermannus Mettenſis, Altmannus Patavienſis vel Lauriacenſis, Adelbero Vvirzeburgenſis, Hugo Dienſis, in cujus electione tantum lumen fertur cælitus deſcendiſſe, ut diem vinceret; & corda omnium qui aderant, adveniſſe Spiritum-ſanctum, non dubitarent. Ad ſatisfaciendum etiam incredulis, ceterorum ordinum viri conveniantur: Abbas videlicet Cluniacenſis [b] ejuſdem Regis pater in baptiſmate, & BERINHARDUS Maſſilienſis, qui ob inſtantiſſimum fidei calorem, bis confeſſor factus, propter Dominum exſilia, compedeſque eſt perpeſſus. Rapoto, qui nimirum propter ſanguinis nobilitatem, & morum honeſtatem in Regem à populo expetitus aſſeritur: Adelbertus, Odalſcalchus, quibus tam à rege, quam etiam à papa res commiſſa fuerat.

Epiſcopi. — *Abbates, &c.* — *Et mulieres piæ.*

59. Et, ut nullus ſexus pertranſeat, veniamus etiam ad honeſtas, & tam religione, quam etiam ſæcularium rerum potentatibus locupletes mulieres: Reginam videlicet Agnetem, ejuſdem iniquiſſimi regis matrem, & vere reginam: quæ regali diademate dimiſſo, ſæculum iſtud deſerens, Dei, ejuſque Matris, Apoſtolorumque ejus Petri & Pauli veſtigiis inremiſſibiliter adhæſit: Beatricem inſuper, ejuſque nobiliſſimam prolem Mathildem; quæ licet mundana cura Ducum officium, Italiam gubernando, geſſerunt, ut Debbora nimirum effectæ (quæ judicans Iſraël Jabin cum ſuis omnibus in torrentem Ciſon diſperſit) hoc eſt, iniquos multotiens confuſibiles contriverunt: quæ quidem inter dominum Papam, & Regem mediatrices fuerunt; & regni ſtatum componere, & confirmare deſideranti deſiderio cupiebant. Horum omnium, aliorumque probabilium totius conditionis teſtimoniis non acquieſcere, nihil eſt aliud, quam Dei iram promereri, perpetuæque damnationis ſubire ſententiam. His itaque ad tanti Patris innocentiam oſtendendam commemoratis, illius regis fraudes, machinationes, & interdum etiam in ſanctum Petrum contumelias, noſtræ ſchedulæ conjungentes, ne in erroris tenebroſi ignorantia ſcire volentes jacere permittamus, pro viribus cœpta ſequamur.

Quomodo Henricus quartus indignus regno ſucceſſit.

60. Tertio igitur Henrico mortuo [c], quartus ille Henricus Rex, permittente Romano Pontifice Victore, qui tunc morienti præſens erat, hereditario jure, nimirum puer ſucceſſit; ſed Salomone atteſtante, & dicente: Væ tibi terra, cujus Rex puer eſt, & cujus Principes mane comedunt; ad deſtructionem ſui, & totius regni, quidquid uſquam ſceleris eſſe poteſt, patravit. Cæco corde petulans Patrem non timuit, ſed reddentibus cunctis teſtimonium pueritiæ, imperfectæque ætati, laſciviam ejus Romani pontifices ſupportarunt: exiſtimantes illum virile ſcandere tempus, quo corrigi poſſet per ſe; non attendentes, quod ſcriptum eſt: Qui parcit virgæ, odit filium ſuum, nutritur namque vitium. Et dum ramus tener non mundatur, aut evellitur, in maturitatem veniens, manu vix, aut ferro præci-

Henrici IV. vitia.

[a] Petrus cognomento Ignitus, quod ad comprobandam Petri Florentini epiſcopi ſimoniam in medio ingentis rogi illæſus remanſiſſet. Erat tunc monachus Vallis-umbroſæ beati Johannis Gualberti diſcipulus, ut in ipſius vita narratur. Obiit die 8. Januarii. Ceteri hic memorati, noti ſunt.

[b] S. Hugo. Bernardus Maſſilienſis abbas obiit anno 1080. De eo egimus in prima hujus Sæculi parte, ubi de S. Iſarno.

[c] Obiit Botfeldii prope Hercinam ſilvam die 5. Octobris anno 1056. relicto Henrico filio, annos ſeptem aut octo nato, ſub Agnetis matris tutela.

Digitized by Google

ditur. Sic nimirum ille majorum aſcendens currum, omnem Eccleſiam ſuperbienti calcaneo ſupponere, calcandamque præbere vilem ut ancillam, pro viribus conabatur. Ann. Ch. MLXXXV. XXV. Maii.

61. Quod ſcelus Romana eccleſia non ferens, quæ caput totius Religionis & magiſtra eſt; &, cui cunctos ſæculi potentes præ ceteris corrigere, vacillanteſque conſolidare proprium eſt, ipſo Domino præcipiente Apoſtolo Petro; *Et tu aliquando converſus, confirma fratres tuos*: litteris eum convenire, & commonere, & prædicare cœpit. Cujus collum Chriſti jugum ferre neſcium, libertatis ſuæ arbitrio induratum, hac illacque avertendo diffugit, novo pectore nova verſans conſilia, tempus opportunum exſpectavit, quo Romanam eccleſiam, ut ceteras, ſibi ſubjicere poſſit. Ad quod poſtea res ut ipſa patuit, anniſu, quo valuit erectus eſt. Nam mortuo Nicolao II. Papa, ſubintroductoque ſanctæ memoriæ Alexandro [a], veſania ſuæ mentis arreptus, hæreticum Cadaloum, Parmenſem male nominatum epiſcopum, data per manum ſuam inveſtitura, in Papam erigere non formidavit. Verum, cedentibus omnibus, controverſus Deo, quod deliberaverat nequaquam ad effectum perducere potuit. Quo tempore, quantis ſit paternis litteris commonitus, ejuſdem patris Alexandri libri teſtantur. Cui pater Gregorius, poſtquam Domini voluntatem fugiens, & renitens ſuccedere coactus eſt, ut decebat, paterna illum viſitavit commonitione, orans, & poſtulans, ut pro amore omnium Regis, etiam pro ſui ſtatus ſalute, pro animæ ſuæ remedio, ab actis, quibus oportebat tantum ſanctæ Eccleſiæ filium & membrum abſtinere, pedem retraheret; agnoſceretque Regem regum ſuper ſe inſpectorem, qui cordium conſilia, & tenebrarum abſcondita cognoſcens, unicuique ſecundum opera ſua reddit: rogans etiam, ut conſiliarios peſſimos, qui magis ſua quam eum diligebant, dimitteret; quoniam, talium conſiliis conſentire, nihil aliud eſſe, quam mortem acquirere, regnumque ſubvertere, & in fabulam cunctis gentibus fieri velle, ſignificabat.

Pontificum monita ſpernit. *Luc. 22.* Antipapam erehit.

62. Ad hoc Rex ipſe parumper commotus, litteras ſuplices, & magis, ut poſtea claruit, ſubdolas, emendationem promittentes miſit. Allatis itaque litteris, tota Eccleſia lætata eſt, ſperans ſacerdotium & regnum Dei gratia coadunandum, ad purgandum omne, quod in ipſa ſparſim incumbebat ſordidum. Tunc communi conſilio definitum eſt, ut pro tanta cauſa, tamque Deo digna ratione, Agnes mater ejus Auguſta, una cum venerabilibus epiſcopis, Oſtienſi videlicet & Præneſtino, è latere domini Papæ miſſis, Regem cum apoſtolicis litteris adiret, ut tanta promiſſione percognita, certum finem malæ rei hactenus commiſſæ imponere vellet. Quam Rex ipſe, cum memoratis Apoſtolicis nunciis honorifice ſuſcepit: reverſuſque ad cor, ut juſtum fuit, in omnibus Deo, & ſancto Petro ſatisfecit. Quidquid etiam Legati ſibi ſuperpoſuerunt, humillima mente portare promiſit in manibus eorum, de cetero ſe cuſtodire, omneſque Simoniacos, maloſque conſiliarios, & excommunicatos à ſe procul repellere, & Dei Eccleſiam ſecundum canonicam inſtitutionem per conſilium Papæ ordinandam, componendamque dimittere. His, aliiſque cauſis determinatis, ad Apoſtolicum reverſi ſunt.

Pax inter Papam & Imp. facta.

63. Rex quoque reverſus eſt ad eadem volutabra, quibus involvi conſueverat, credens nimirum magis ſuæ blandienti voluntati, maliſque conſiliariis, quam ſanæ religioni. Ad quod corrigendum mater ejus Auguſta iterum à ſede Romana miſſa eſt. Cum quo tempore aliquo converſata, ſanctæ matris Eccleſiæ erga illum affectum omnem aperuit. Ille vero jactum verbi ſemen cordis agro recepit, ſed ſecundum Evangelicam parabolam, dum mater ſerit, aliud cecidit ſecus viam, quod tam humanis greſſibus conculcatum,

Concuſſa.

[a] Anno 1061. ut ſupra obſervavimus.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXXV. XXV. Maii.

quam à volucribus eſt raptum: aliud vero inter ſpinas, & ab exortis ſuffocatum, fructum ferre non valuit: aliud vero ſuper lapidei cordis duritiam jactum, aduſtum ſolis ardore radices habere non potuit. Per humanos quidem greſſus, malorum hominum, quibus utebatur, conſilia: per volucres vero, immundorum ſpirituum ſuggeſtiones: per ſpinas vero, divitias, regiaſque voluptates; per petram vero, duritiam cordis ſignificari, intelligere quilibet ſenſatus poterit. Moram autem faciente Regina, ſuas iterum litteras Papa miſit, ut inſtaret verbo, & liberationi filii; ipſumque rogavit, ut quemadmodum in litteris ſibi olim miſſis continebatur [a], Legatorumque in manibus promiſſio & fides data oſtenderat, ſic ſe cuſtodiret, & maxime à Simoniaca hæreſi, qua inſudabat, ſpiritum ſuum cohiberet, excommunicatos conſiliarios, quos pro ſalute ſua, regnique ſtatu Apoſtolica ſedes, & ſynodus juſte damnaverat, procul abjiceret, ne in eamdem maledictionem incideret. Regina Romam revertens, filium ad Dei juſtitiam & honorem inclinatum fore aſſeruit. Cui non multo poſt vacillanti, blandientes & idoneæ litteræ [b] bis miſſæ ſunt.

Quomodo Saxones conſpirabant contra Regem.

Saxones ab Imp. deficiunt.

64. Illo quidem tempore Saxones, quoniam videbant ab eo ſe nimium crudeliter tractari, unanimiter conſpiraverunt, ut pro Rege illum amplius non haberent. Tunc coactus ſupplices ad Apoſtolicum litteras direxit, orans, ut ſuis orationibus commendatum ſuſciperet; quatenus eum de tam horrendo; pavidoque judicio jam imminenti, ſuis meritis excelſi Regis dextra eriperet; iterum, iterumque promittens, nil umquam amplius de eccleſiis Dei facere, quod ſancti Canones reprehendere poſſent. Cujus precibus motus Papa, eiſdem Saxonibus litteras, & nuncios miſit; & circa ejuſdem Regis radices fodiens, prædicationis ſuæ cophinos miſit, exſpectans ſcilicet ut groſſos ex ficu colligere poſſet. Sed unde ſumere humoris boni plenitudinem debuit, inde poſt marcidus aruit: & exſpectata vitis ad pingues botros ferendum, labruſcas viles, & exiles portavit: & ſeges foliis pulcrioribus ornata, meſſis tempore nil aliud, quam infandæ permiſtionis lolium protulit. Monuit equidem Regem, interim ſe ab armis ſuſpenderet, donec è Saxonum partibus nuncios haberet. Rex vero non acquieſcens litteris, & commonitionibus patris, terras Saxoniæ intravit, ubi ex utraque parte, hominum peccatis exigentibus, multus humanus ſanguis effuſus eſt. Regis tamen in manibus, juſto Dei judicio, victoria data: pro qua ſub manibus Domini humiliari debuit, tamquam ignitus, & ſpiritu elationis inflatus, contra ipſum intumuit. Nam cuncta, quæ pridem per matrem, per Epiſcopos, per Clericos, per communes nuncios & privatos antea promiſerat; poſtmodum, quia ſecurus, in irritum duxit. Siquidem eccleſias, quas in manibus domini Papæ corrigendas ſub juramento poſuerat, non ſolum non dimiſit, verum etiam, contra decretales Patrum inſtitutiones, quibuſdam adulteris, & Simoniacis ſub inveſtitura contradidit: inter quos etiam Gotefridum [c], propter eccleſiæ Mediolanenſis invaſionem excommunicatum, ejuſdem invaſionis adulterio inveſtivit, Altono cum Papa morante, quem Archiepiſcopum melior pars Cleri & populi ſuum dominum elegerant. Dedit etiam Firmanam & Spoletanam .... [d]

Pax Eccleſ. violat.

65. His autem ad Apoſtolicam ſedem perlatis, papa Gregorius non mo-

[a] V. lib. 1. epiſt. 85.

[b] Eodem libro epiſt. 30. & 31.

[c] Gotefridum à ſe excommunicatum, quod Mediolanenſem eccleſiam ſimoniace invaſiſſet, denuntiat Gregorius lib. 1. epiſt. 15. Ceterum nec ejus nec Altoni, ſeu ut habet Ughellus, Athonis meminit Catalogus Archiepiſcoporum Mediolanenſium tomo 1. Itineris Italici pag. 113. & 115.

[d] Hic aliquid deeſt. Supple ex Gregorii epiſt. 15. lib. 3. & Vide Ughellum tomo 1. & 2. Italiæ ſacræ, ubi de iſtarum urbium epiſcopis.

Digitized by Google

dicum conturbatus eſt. Cœpit interea agitari multis ſollicitudinibus: quoniam cuncta, quæ ad pacem provenire ſperaverat, verti in contraria perſpiciebat. Tandem cauſas aliquas, ſibi per quoſdam legatos ſecrete miſſas, quibuſdam perſonis, honeſtiſque viris patefecit, ut perpenderent quid ſuper his ſtatuendum foret. Tantis itaque promiſſionibus, immo ſimulationibus inſpectis, omnes mirari cœperunt. Verum, ne Romana ſedes videretur aliquid injuſte, ſeu præcipitanter agere, definitum eſt, ut eidem Regi acriores litteræ ſcriberentur; in quibus plene cognoſceret, nullo timore, amoreve juſtitiam dimittere poſſe Romanum paſtorem. Scripſit autem ad Beatricem, ejuſque filiam Mathildem, quæ tunc temporis Italiam totam præ ceteris gubernabant; ad eumdem Regem, ad invaſorem Mediolanenſem, ad ſuffraganeos omnes.

ANN. CH. MLXXXV. XXV. MAII.

Eâ de re Gregorius ſcribit.

66. Tunc Rex gravi mærore & timore correptus, hac illacque mente furibunda tranſcurrens, omnes ſuos nequam conſiliarios advocavit: deductis in medium nonnullis ſeductoribus ante perverſæ mentis oculos; qui plura, quibus humana mens falli ſolet, propoſuerunt, regni honorem à patre dimiſſum, liberum arbitrium, opes infinitas, militum abundantiam & fortitudinem, Epiſcopos, duces, tyrannos & ſub fidelitate principes conſtrictos, ſuperborum etiam colla ſuo jugo contrita, quæſtum inſuper eccleſiarum, ſuis manibus traditarum, & multa alia, quæ, ut diximus, ſæcularium mentes illiciunt. Inter quos Moguntinus fuit archiepiſcopus [a], & reliqui, qui ſub ipſo degebant ſuffraganei. Facta vero tali conventione, ſtatuerunt, ut Imperialis conſtitutio, cunctos in ſuo regno manentes Epiſcopos, curſoribus ubique miſſis, ante ſuam præſentiam juberet aſſiſtere; & coadunatis omnibus, anathemati, quod Moguntinus hæreticus contra beati Petri vicarium, immo in Dominum, & Apoſtolum ejus componeret, ſubſcriberent. Quod ſi forte motus aliqua reverentia, quis eorum ſe ſubtrahere vellet, rebus omnibus, & dignitate privatus, ut regalis majeſtatis obnoxius capitalem ſubiret ſententiam.

Rex conventum cogit.

67. Interea legatis undique miſſis, ab Urbe quidam Hugo, olim Cardinalis, tunc autem inter Epiſcopos hæreticos præcipuum caput, qui jam tertio ab Apoſtolica ſede damnatus fuerat, quia quoſdam Simoniacos reconciliare præſumſerat, fictitiis ſuis litteris Archiepiſcoporum, Epiſcoporum perſonas repræſentans, advenit laudans omnia, quæ ſuper dominum Papam compoſuerant; projectis in medium aliis epiſtolis, ſub omnium Cardinalium, ſenatuſque, ac populi nomine titulatis, quibus ſignificabantur quædam proclamationes ad præſentiam regiam delatæ; ubi etiam continebantur poſtulatio novi Pontificis, & abjectio legitimi paſtoris: ſubintulit etiam multas inimicitias, quas patiebatur à Nortmannis, à circumjacentibus Comitibus, ab ipſis etiam traditoribus in Urbe manentibus. Quibus viſis, Rex non modice lætatus, ad opus componendum fomentum deſideratum accepit. Adductis itaque in medium diabolicis pontificibus, anathema ſuper dominum Papam, immo ſuper ſe ipſos protulerunt. Miſſis etiam in Longobardiam, & Marchiam à latere Regis tam nunciis, quam apicibus, viſum eſt, ut facto anathemati ſubſcriberent. Congregatis ergo omnibus Papiæ, ex præcepto Regis, & magis ex propria malevolentia, & odio, ut res patuit, anathemati ſubſcripſerunt. Nam ad oſtendendum malæ voluntatis cumulum, poſitis ſacro-ſanctis Evangeliis, juramento firmaverunt, nullo modo ſe deinceps Gregorium pro Papa habituros, vel obedientiam exhibituros. Miſſiſque nunciis, idem ut & alii facerent effecerunt. Scripſit autem idem Rex Romam litteras, omni injuria inhoneſtas, falſitateque repletas, præcipiens domino Papæ, ut de ſede ſurge-

Ubi Gregorius abdicatur.

a Sigefredus archiepiſcopus Moguntinus, tunc temporis celebris, ſicut & Hugo cognomento Blancus, qui à Gregorii fide deſciverat.

ANN. CH. MLXXXV. XXV. MAII.

ret, Eccleſiamque dimitteret; vocans eum perjurum, invaſorem, & regiæ dignitatis diminutorem: maxime Simoniacis Longobardiæ elaborantibus, ſtatuerunt etiam, ut non ante litteræ darentur & verba, quam ſynodus, quæ congregata in Romana fuerat eccleſia, plenius hoc audire poſſet, quod etiam factum eſt.

Synodus Romæ.

68. Nam & Papa ſynodum faciente, quidam Parmenſis clericus, domini Apoſtolici ad injuriam, cum eiſdem litteris præſentare ſe non abhorruit, & eaſdem blaſphemias in facie totius Eccleſiæ & conventus proferre non formidavit. Per idem tempus, prodigium ad illius iniquitatis indicium, & confirmationem futuræ rei in Urbe, juxta beati Petri eccleſiam ortum eſt, quod omnium corda nimium in ſtuporem converterat. Nemo enim aliquam ſignificationem ſuper ipſum dare & proferre digne convenienterque poterat. Si quidem gallina ovum mirifico cælatum opere peperit, in quo duo mira inſignita fuerant, ſerpentis ſcilicet, & ſcuti ſimilitudo nimio horrore tenebroſa. Serpens vero qui in triplicem ex eodem ovi cortice ſe ſinuationem erexerat, vertice ſe ſurſum erigere velle ad ſummitatem ovi conabatur: caudam vero in partem tenebrarum illius extenderat. Sed dum ad ovi ſummitatem tenderet, quodam ictu repercuſſus, ventre tenus caput reflexerat. Scupea vero ejus non depicta, ſed extra corticis ordinem poſita, manu deprehendi & tractari, velut alia materialis res, poterat. Conſiderantibus autem omnibus, & mirantibus Epiſcopis, ceteriſque, qui in ſynodo conſederant, nuncius ille Antichriſti advenit.

Ubi oſtentum exhibitum.

Gregorii abdicatio ipſi intimatur.

69. Poſtquam vero, finito hymno, facturus ſermones exhortationis omnibus Papa conſederat; ille præcurſor Antichriſti, non tribuens honorem Deo, magiſque diligens terrenum, quam cæleſte imperium, ſic eumdem Papam alloquitur: Dominus meus Rex, & Epiſcopi omnes Ultramontani
„ & Italici, præcipiendo mandant, ut invaſam ſedem beati Petri, & Roma-
„ nam eccleſiam amodo dimittas. Non eſt enim dignum, ſine præcepto illo-
„ rum, & Imperiali dono, tantum honorem ſcandere. Et converſus, Clero
„ Romano dixit: Vobis dicitur, fratres, ut ad futuram Pentecoſtes ſollem-
„ nitatem regio conſpectui vos repræſentetis, ſuſcepturi de manibus Regis
„ Papam & Patrem: quia hic, non Papa, ſed lupus eſſe dinoſcitur rapax. Ad cujus verba mox Johannes Portuenſis epiſcopus, morum honeſtate & religione vir præclarus, facto impetu ſurgens, immenſa voce clamavit; Capiatur. Tunc præfectus, facto impetu cum judicibus, militibus & Romanis nobilibus tantum impoſtorem, evaginatis in ipſa eccleſia Salvatoris gladiis, ante domini Papæ præſentiam interimere voluit: & feciſſet, niſi pius Pater toto corpore ſe ſuper eum projeciſſet, omnibus de ejus morte clamantibus.

Gregorii oratio in Synodo. 2. *Tim.* 13. *Matth.* 18.

70. Tandem vix impetrato ſilentio, dominus Papa dixit: Nolite filii, Eccleſiæ ſanctæ Domini Dei noſtri quietem in ſeditionem aliquam commovere. Oportet enim inſtare tempora, ſecundum divinarum Scripturarum ſeriem periculoſa, in quibus homines ſe ipſos amantes, cupidos, ſuperbos, elatos, parentibus inobedientes, neque præceptoribus reverentiam exhibentes eſſe neceſſe eſt: ut patientia filiorum Dei, exhibitio fidei noſtræ multo pretioſior ſit auro, quod per ignem probatur. Clamat nobis divinus ſermo dicens: Neceſſe eſt, ut veniant ſcandala. Væ autem homini illi, per quem ſcandalum venit. Et iterum, ad oſtendendum noſtræ qualitatis modum, qualiter inter inimicos noſtros converſari debeamus, ſubjunctum eſt. Ecce, ego mitto vos ſicut agnos inter lupos; eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Nunc vero licet Antichriſti præcurſor in Eccleſiam ſurrexerit, nos tamen multis à temporibus, tam à Domino, quam à ſanctis Patribus edocti, ſic geminæ ſcientiæ munere greſſus incedamus per priſtinos, ut quemadmodum pii Patres ſerpentis aſtutiam columbina

Digitized by Google

columbina ſimplicitate condiverunt, ſimplicitatemque columbæ ſerpentis aſtutia fugaverunt: ita & nos manſuetudinem felle carentis alitis teneamus, & prudentiam ſerpentis non relinquamus. Utrumque enim mente geſtare, non eſt vitium; ſed dignæ diſcretionis arcanum. Non enim aliquem odio proſequi debemus; ſed imprudentia fatuitateve legem Domini volentes infringere, ſubportare. Ecce enim acceptabile tempus adeſt; ecce iterum Dominus ſpiritualiter inter homines ambulat, clamans & dicens: Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & reliqua. *Matth.* 16.

Ann. Ch. MLXXXV. XXV. Maii.

71. Ad viam ergo vitæ nos Dominum vocantem ſequi oportet, ſi hereditatis æternæ fructum deſideramus carpere. Per multas tribulationes, ut Doctor noſter docuit, oportet nos intrare in regnum Dei. *Act.* 14. Satis eſt, quod huc uſque in pace viximus Eccleſiæ: nunc vero diu aridam meſſem, ſanctorum iterum ſanguine convenit irrorari, ut fructus illius longo tempore tabidus ſenio, recenti rore perfuſus, in priſtinum redeat decoris adſpectum. Videmus pugnam diaboli in apertum proſilire campum, hactenus fuſcis ſqualoribus adopertum. Nunc ideo tirones Chriſti, doctas manus ad prælia geſtantes, convenit obviare: quatenus Chriſti fides, quæ eodem inficiente diabolo, toto pæne terrarum orbe diſperſa, relictaque cernitur, cuncta, Domino Deo per nos pugnante, inſtauretur. Ad detrimentum nempe noſtræ ſalutis, ſæculares quotidie propugnare conſpicimus, qui nihil aliud quam gehennam acquirunt: ſi nos, quibus vivere Chriſtus eſſe debet, & ejus etiam amore mori lucrum; quibus in retributione poſt iſtam miſeram & imaginariam vitam felicitas præparatur æterna, à Dei legibus, & fide noſtra orthodoxa pedem hoſti cedendo non retrahamus.

72. Commoveat nos ſaltem vox Dominica, quæ dicit: Qui me erubuerit, & ſermones meos, hunc Filius hominis erubeſcet, cum venerit in majeſtate ſua, & Patris, & ſanctorum Angelorum. Terribile nobis videri debet, ſi tempore illo, à tanto tribunali ſententiam noſtris negligentiis diræ verecundiæ capiamus; quorum laboribus Judex omnium alios remunerare vult. Ideo enim domus ſuæ ſpeculatores nos æterna Sapientia eſſe voluit, ut ipſe poſtmodum venturus inhabitator mundam domum noſtro ſtudio habere poſſit. Ad quod ſcilicet opus egregium inſtare Domini ſacerdotes hortantur, cum in maturo tempore legibus Domini ſeneſcentes poſt quinquageſimum annum cuſtodes vaſorum Domini præcipiuntur fieri. Vaſa quippe, ut beatus Gregorius ait, noſtra ſunt corda, quibus ferimus cuncta quæ cogitamus. Corda etiam Dei vivi templum eſſe ſacra teſtantur eloquia: quæ quidem tanto mundari convenit diligentius & ornari, quanto illorum inhabitatorem ceteris mundiorem eſſe dignoſcimus. Scriptum quippe eſt: Mundus habitator mundam quærit domum. Et iterum: Evigilate juſti, & nolite peccare. Et iterum: Ecce ſto ad oſtium, & pulſo; ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi, intrabo ad illum, & cænabo cum illo, & ipſe mecum.

73. Videmus jam, fratres, ſi corda noſtra erigere conemur intente, auctorem noſtrum pulſare, noſque commonefacere, ut aperiamus illi, & claudamus oſtium diabolo, & ejus ſatellitibus & complicibus pro viribus reſiſtamus, in promtu habentes ulciſci, ſecundum Apoſtolum, omnem inobedientiam. Neque timendum eſt, etiam ſi prævalere poſſint adverſus nos: quoniam ideo illis poteſtas à juſto traditur Judice, ut fiant noſtræ probationis caminus, cito in cinerem & favillas conſumendus, noſque vaſa explorata perpetuo in Domini miniſterium aſſumenda. Speramus ſane nec dubitamus, quod nulla tribulatio, perſecutio, gladiuſve, vincula, carceres, exſilia, inſtantia, futura, poterunt nos ſeperare à caritate, quæ eſt in Chriſto Jeſu, & ſanctis ejus legibus. Melius eſt enim mori pro legibus Domini, quam eorumdem pervaſoribus & deſtructoribus terga vertendo, Eccleſiæ

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXV. XXV. MAII.

[jura prodere], quoniam non obviare talibus, Chriſti planiſſime eſt fidem negare.

74. Videmus præ oculis & manibus habemus ſignum antiqui ſerpentis; quod omnipotens Deus ideo nobis oſtendit, ut cautos ſollicitoſque redderet, & quid ſuper filium ſuperbiæ extollentem ſe adverſus hanc ſanctam Eccleſiam Catholicam facere debeamus, inſinuaret. Sancta quippe ſcriptura fidem, ſanctæque Eccleſiæ figuram ovi nomine deſignat; in qua quidem malos cum bonis permiſtos eſſe uſque ad mundi terminum, nullus fidelium dubitat. Sed licet fraudibus, deceptionibuſque aliquamdiu ſe occulere ſtudeant, non ſemper latere, Domino revelante, poſſunt: ut cum in apertum venientes emicarint, cunctis appareat fraus, quæ latebat, & in cognitos ſancta Dei Eccleſia ultionis gladium exerat. Rex iſte, cujus figuram Deus mihi demonſtrari, & cognoſci per ſerpentis ſimilitudinem voluit, hactenus timens, ſuis ſubdolis verbis & nunciis, velut in tenebroſæ noctis caligine latuit: qui modo foras ſaliens, quod corde geſtabat, oſtendit ſufficienter ad condemnationem, quam paſſim per Dei eccleſias commiſerat. Nunc vero, ut cernitis, caput ad fidei noſtræ fundamentum erigere cœperat, ſicut ſcriptum eſt: Poſuerunt in cælum os ſuum; & lingua eorum tranſivit in terra. De quo Johannes Apoſtolus dicit: Et datum eſt ei os loquens magna, & blaſphemias. Et illud: Et cauda ejus (draconis) tertiam partem ſtellarum traxit. Non attendit miſer, quid Veritas ipſa dixit magiſtro noſtro, & principi Eccleſiæ: Super hanc, inquit, petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Nunc igitur, fratres, convenit gladium ultionis exerere, & inimicum Dei & Eccleſiæ alligando percutere, ut percuſſum caput quod ad fidei fundamentum, & omnium eccleſiarum erectum eſſe dinoſcitur, corruat: ut, quemadmodum in primo ſuperbiæ ſuæ tempore ei dictum eſt, pectore & ventre repat. Nolite timere, ut ait Dominus, puſillus grex; quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. Satis eſt, quod huc uſque ſuſtinuiſtis. Bene convenienterque illum commonuiſtis; nunc vero cauteriatam conſcientiam ſe habuiſſe cognoſcat.

75. His, atque aliis nonnullis peroratis, ſancta & magna ſynodus dixit: Tua, ſanctiſſime Pater, cenſura, quem ad regendum noſtri temporis ſæculum divina peperit clementia, contra blaſphemum, invaſorem, tyrannum, deſertorem, talem ſententiam proferat, quæ hunc conterat, & futuris ſæculis tranſgreſſionis cautelam conferat. Dignum quippe eſt juſſis tuis obedire, & obſecundare ut poſſumus: neque facere cupimus animas noſtras pretioſiores nobis. Libenter enim, ſi neceſſe eſt, mortem amplectimur, ut Patrum noſtrorum veſtigia relinquere non videamur. Cur enim non demus pro Dei noſtri ſanctis legibus illud quod à nolentibus nobis aufertur? Gladium exere, judicium exerce, ut lætetur quilibet juſtus cum viderit vindictam, manus ſuas lavet in ſanguine peccatoris. Tandem omnibus acclamantibus, definitum eſt, ut honore regio privaretur, & anathematis vinculis tam prænominatus Rex, quam omnes aſſentanei ſui colligarentur. Accepta itaque fiducia dominus Papa, ex totius Synodi conſenſu & judicio, protulit anathema in hunc modum.

Synodus Imp. damnandum cenſet.

Anathema, quod Gregorius VII. protulit in Regem Henricum.

a » 76. Beate Petre [a] Apoſtolorum princeps, inclina, quæſumus, pias aures » tuas nobis, & audi me ſervum tuum, quem ab infantia nutriſti, & uſque » ad hunc diem de manu iniquorum liberaſti, qui me pro tua fidelitate ode» runt, & odiunt. Tu mihi teſtis es, & domina mea Mater Dei, & beatus

a Habetur in concilio Rom. III. ſub eodem pontifice anno 1076.

Digitized by Google

Paulus frater tuus inter omnes ſanctos, quod tua ſancta Romana eccleſia me invitum ad ſua gubernacula traxit; & ego non rapinam arbitratus ſum ad ſedem tuam aſſcendere, potiuſque volui vitam meam in peregrinatione finire, quam locum tuum pro gloria mundi ſæculari ingenio arripere: & ideo ex tua gratia, non ex meis operibus credo quod tibi placuit, & placet, ut populus Chriſtianus tibi ſpecialiter commiſſus mihi obediat ſpecialiter pro vice tua mihi commiſſa; & mihi tua gratia eſt poteſtas data à Deo ligandi atque ſolvendi in cælo & in terra. Hac itaque fiducia fretus, pro Eccleſiæ tuæ honore & defenſione, ex parte omnipotentis Dei Patris & Filii & Spiritus-ſancti, per tuam poteſtatem & auctoritatem Henrico regi, filio Henrici imperatoris, qui contra tuam Eccleſiam inaudita ſuperbia inſurrexit, totius regni Teutonicorum & Italiæ gubernacula contradico, & omnes Chriſtianos à vinculo juramenti, quod ſibi fecere, vel facient, abſolvo, & ut nullus ei ſicut Regi ſerviat, interdico. Dignum eſt enim, ut qui ſtudet honorem Eccleſiæ tuæ imminuere, ipſe honorem amittat quem videtur habere. Et quia ſicut Chriſtianus contemſit obedire, nec ad Dominum rediit, quem dimiſit participando excommunicatis, & multas iniquitates faciendo, meaque monita, quæ pro ſua ſalute ſibi miſi, te teſte, ſpernendo, ſeque ab Eccleſia tua, tentans eam ſcindere, ſeparando; vinculo eum anathematis vice tua alligo, ut ſciant gentes & comprobent, quia tu es Petrus, & ſuper tuam petram Filius Dei vivi ædificavit Eccleſiam ſuam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. « Ann. Ch. MLXXXV. XXV. Maii

77. Poſt hæc miſit ad diverſos Epiſtolas idem anathema, & cauſas ejus manifeſtantes, ex quibus has duas interponere præſenti opuſculo curavimus.

GREGORIUS *Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, omnibus, qui cupiunt annumerari inter oves, quas Chriſtus beato Petro commiſit, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

Audiſtis, fratres cariſſimi, novam & inauditam præſumptionem, audiſtis ſceleratam ſchiſmaticorum, & nomen Domini in beato Petro blaſphemantium garrulitatem, & audaciam; audiſtis ſuperbiam ad injuriam, & contumeliam ſanctæ & Apoſtolicæ ſedis elatam, qualem veſtri patres nec viderunt, nec audierunt umquam, nec ſcripturarum ſeries aliquando à paganis, vel hæreticis docet emerſam: cujus mali, etſi aliquod umquam poſt fundatam & propagatam fidem Chriſti præceſſiſſet exemplum, omnibus tamen fidelibus pro tanto contemtu & conculcatione Apoſtolicæ, immo divinæ auctoritatis, dolendum foret, & gemendum. Quapropter ſi beato Petro claves regni cælorum à Domino Deo noſtro Jeſu-Chriſto traditas eſſe creditis, & vobis per manus ipſius ad æternæ vitæ gaudia introitum patere cupitis; cogitandum vobis eſt, quantum nunc de irrogata ſibi injuria dolere debeatis. Niſi enim hic, ubi per diſcrimina tentationum veſtra fides, & corda probantur, ſocii paſſionum efficiamini, procul dubio non eſtis digni, ut participes futuræ conſolationis, & filii regni cæleſtem coronam & gloriam ſortiamini. Rogamus igitur caritatem veſtram, ut inſtanter divinam miſericordiam implorare ſtudeatis: quatenus aut corda impiorum ad pœnitentiam vertat, aut reprimendo eorum nefanda conſilia, quam inſipientes & ſtulti ſint, qui petram à Chriſto fundatam evertere, & divina privilegia violare conantur, oſtendat. Qualiter autem, aut pro quibus cauſis beatus Petrus anathematis vinculo Regem alligaverit, in chartula, quæ huic incluſa eſt, plene poteſtis cognoſcere. « *Lib. 3. epiſt. 6.*

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXXV. XXV. Maii.

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, omnibus Epiſcopis, Ducibus, Comitibus, ceteriſque fidelibus in regno Teutonicorum Chriſtianam fidem defendentibus, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.

Gregorius rationem reddit latæ in Imp. ſententiæ

» 78. Audivimus quoſdam inter vos de excommunicatione, quam in Re-
» gem fecimus, dubitare; ac quærere, utrum juſte excommunicatus ſit, & ſi
» noſtra ſententia ex auctoritate, ea qua debuit deliberatione, progreſſa
» eſt. Quapropter qualiter ad excommunicandum illum adducti ſimus, prout
» verius potuimus, teſte conſcientia noſtra, oculis, & intellectibus omnium
» patefacere curavimus, non tam, ut ſingulas cauſas, quæ heu! nimium no-
» tæ ſunt, quaſi noſtro clamore in publicum projiciamus, quam ut eorum
» opinioni ſatisfaciamus, qui putant nos ſpiritualem gladium temere, & ma-
» gis motu animi noſtri, quam divino metu, & juſtitiæ zelo arripuiſſe.
» Cum adhuc in diaconatus officio poſiti eſſemus, perlata ad nos de Regis
» actionibus ſiniſtra, & multum inhoneſta fama, propter ſpem ac deſiderium
» correctionis ſuæ, ſæpe eum per litteras, & nuncios ſuos admonuimus, ut à
» pravitate ſua deſiſteret, & memor clariſſimi generis ac dignitatis ſuæ, vi-
» tam moribus, quibus Regem, & futurum, Deo donante, deceret Impera-
» torem, inſtitueret. Poſtquam vero ad Pontificatus apicem, licet indigni,
» venimus, cum illius ætas pariter creſceret & iniquitas; intelligentes Deum
» omnipotentem diſtrictius de manu noſtra animam illius requiſiturum; quan-
» to nobis ad increpandum illum præ ceteris libertas data fuiſſet & auctori-
» tas, multo ſollicitius eum modis omnibus, arguendo, obſecrando, incre-
» pando, ad emendationem vitæ ſuæ hortati ſumus. Qui cum ſæpe nobis de-
» votas ſalutationes & litteras mitteret, excuſans ſe, cum ex ætate quod flu-
» xa eſſet & fragilis, tum quod ab his, in quorum manibus Curia erat, mul-
» toties male ſibi ſuaſum atque conſultum ſit; monita noſtra de die in diem
» ſe promtiſſime ſuſcepturum verbis quidem promiſit, ceterum re & exagge-
» ratione culparum penitus conculcavit.
» Inter hæc quoſdam familiares ſuos, quorum conſiliis & machinationi-
» bus epiſcopatus, & multa monaſteria, inductis per pretium lupis pro paſ-
» toribus, Simoniaca hæreſi fœdaverat, ad pœnitentiam vocavimus: quate-
» nus & bona eccleſiarum, quæ per interventum tam ſcelerati commercii
» ſacrilega manu ſuſceperant, venerabilibus locis, ad quæ pertinerent, dum
» adhuc locus eſſet emendandi, redderent; & ipſi pro perpetrata iniqui-
» tate per lamenta pœnitudinis Deo ſatisfacerent. Quos, dum ad hæc exſe-
3. quenda datas inducias ſpernere, & in conſueta nequitia pertinaciter ſtare
» cognovimus, ſicut dignum erat, ſacrilegos & miniſtros ac membra diaboli
» à communione, & corpore totius Eccleſiæ ſeparavimus, & Regem, ut eos
» à domo ſua, à conſiliis, & omni communione ſua ſicut excommunicatos
» expelleret, admonuimus. Interim vero aggraveſcente contra Regem Saxo-
» num cauſa, cum vires & præſidia regni ex maxima parte à ſe deficere velle
» videret, iterum nobis direxit epiſtolam ſupplicem & omni humilitate ple-
» nam, in qua omnipotenti Deo, & beato Petro, ac nobis valde ſe culpabi-
» lem reddens, preces etiam obtulit, ut quod ex ſua culpa in Eccleſiæ cauſis
» contra canonicam juſtitiam, & decreta ſanctorum Patrum factum eſſet,
» noſtra Apoſtolica providentia & auctoritate corrigere ſtuderemus: atque
» in ea ſuam nobis per omnia obedientiam, conſenſum, & fidele promiſit ad-
» jutorium. Hoc idem etiam poſtea à confratribus & legatis noſtris, Hum-
» berto Prænestino epiſcopo, & Geraldo Oſtienſi epiſcopo, quos ad illum
» miſimus, ad pœnitentiam ſuſceptus, in illorum manus per ſanctas ſtolas,
» quas in collo tenebant, repromittendo confirmavit.
» Deinde poſt aliquod tempus, commiſſo cum Saxonibus prœlio, Rex pro

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXXV. XXV. Maii

victoria, quam adeptus eſt, tales Deo grates & victimas obtulit, ut vota, quæ de emendatione ſua fecerat, continuo frangeret; & nihil eorum quæ promiſerat attendens, excommunicatos in ſuam familiaritatem & communionem reciperet, & eccleſias in eam quam conſueverat confuſionem traheret. Qua de re gravi dolore percuſſi, quamquam poſt contemta cæleſtis Regis beneficia, pæne omnis ſpes correctionis ejus nobis ablata ſit, adhuc tamen animum ejus tentandum fore decrevimus, magis cupientes eum Apoſtolica manſuetudine audire, quam experiri ſeveritatem. Itaque miſimus ei epiſtolas commonitorias, ut meminerit quid, & cui promiſerit; ne credat ſe poſſe fallere Deum, cujus quanto prolixior eſt patientia, tanto ſeverior eſt, cum judicare cœperit, ira: neu inhonoret Deum honorantem ſe, nec potentiam ſuam ad Dei contemtum, & Apoſtolicam tentet extendere contumeliam; ſciens, quod ſuperbis Deus reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.

Præterea miſimus ad eum tres religioſos viros, ſuos utique fideles, per quos eum ſecreto monuimus, ut pœnitentiam ageret de ſceleribus ſuis, quæ quidem horrenda dictu ſunt, pluribus autem nota, & in multis partibus divulgata: propter quæ eum excommunicari non ſolum uſque ad dignam ſatisfactionem, ſed ab omni honore Regni abſque ſpe recuperationis debere deſtitui, divinarum, & humanarum legum teſtatur auctoritas.

Poſtremo, [monuimus] niſi excommunicatos à ſua participatione divideret, nos nihil aliud de eo judicare aut diſcernere poſſe, niſi ut ſeparatus ab Eccleſia in excommunicatorum conſortio foret, cum quibus potius, quam cum Chriſto partem habere elegit. Sane, ſi noſtra monita ſuſcipere, & vitam ſuam corrigere vellet, Deum teſtem invocavimus, & invocamus, quantum nos de ejus ſalute & honore gauderemus, & cum quanta caritate eum in gremium ſanctæ Eccleſiæ amplecteremur: utpote eum, qui Princeps populi conſtitutus, & ampliſſimi regni gubernacula tenens, Catholicæ pacis, & juſtitiæ defenſor eſſe deberet. Verum, quanti ipſe aut ſcripta, aut per legatos miſſa noſtra verba fecerit, ejus facta declarant. Qui indigne ferens ſe à quoquam reprehendi aut corripi, non ſolum à perpetratis ad emendationem revocari non potuit, ſed ampliori conſcientiæ ſuæ furore arreptus, non prius ceſſavit, donec Epiſcopos pæne omnes in Italia, in Teutonicis vero partibus quotquot potuit, circa fidem Chriſti naufragare fecit: dum eos debitam beato Petro & Apoſtolicæ Sedi obedientiam, & honorem in Domino noſtro Jeſu-Chriſto conceſſum, abnegare ſubegit.

Cum igitur iniquitatem ejus ad ſummum prodiiſſe vidimus, pro his cauſis, videlicet primum, quod ab eorum communione, qui pro ſacrilegio & reatu Simoniacæ hæreſis excommunicati ſunt, ſe abſtinere noluit: deinde, quod pro criminoſis actibus vitæ ſuæ, pœnitentiam, non dico ſuſcipere, ſed nec promittere quaſi voluit, mentita ea fide, quam in manus legatorum noſtrorum promiſerat; necnon, quod corpus Chriſti, id eſt, unitatem ſanctæ Eccleſiæ ſcindere non expavit: pro his, inquam, culpis, ſynodali judicio eum excommunicavimus, ut quem mites non potuimus, vel ſeveri ad viam ſalutis, Deo adjuvante, revocare valeamus: aut ſi, quod abſit, nec diſtrictionis quaſi cenſuram pertimuerit, noſtra ſaltem anima negligentiæ, aut timoris diſcrimini non ſuccumbat.

Si quis igitur hanc ſententiam injuſte, vel irrationabiliter prolatam eſſe putaverit, ſi talis eſt, ut ſacris regulis intelligentiæ ſenſum præbere velit, nobiſcum inde agat, & non quid nos, ſed divina auctoritas doceat, quid decernat, quid conſona vox ſanctorum Patrum judicet, patienter audiens acquieſcat. Nos tamen non æſtimamus quemquam fidelium, qui eccleſiaſtica ſtatuta noverit, hoc errore teneri, ut non hoc, & ſi publice affirmare non audeat, vel in corde ſuo recte factum eſſe perhibeat. Quam-

ANN. CH. MLXXXV XXV. MAII

» quam & ſi nos, quod Deus avertat, non ſatis gravi de cauſa, aut minus ordinate, eum hujuſmodi vinculo ligaverimus, ſicut ſancti Patres aſſerunt, non idcirco ſpernenda eſſet ſententia, ſed abſolutio cum omni humilitate quærenda.

Suos hortatur ad conſtantiam.

» Vos autem, dilectiſſimi, qui juſtitiam Dei non pro regia indignatione, non pro aliquo periculo deſerere voluiſtis, fatuitatem eorum, qui de exſecratione & mendacio in conſummationem [ruunt,] parvipendentes, viriliter ſtate, & confortamini in Domino, ſcientes, quod illius partem defenditis, qui inſuperabilis Rex & magnificus triumphator judicaturus eſt vivos & mortuos, reddens unicuique ſecundum opus ſuum : de cujus multimoda retributione & vos certi eſſe poteritis, ſi uſque in finem fideles & inconcuſſi in ejus veritate perſtiteritis. Propter quod & nos inceſſanter pro vobis rogamus Dominum, ut det vobis virtutem corroborari per Spiritum-ſanctum in nomine ejus, & convertat cor Regis ad pœnitentiam: ut & ipſe aliquando cognoſcat, nos & vos multo verius amare eum, quam qui nunc ſuis iniquitatibus obſequuntur & favent. Qui ſi, Deo inſpirante, voluerit reſipiſcere, quidquid contra nos moliatur, ſemper tamen nos ad recipiendum eum in ſanctam communionem, prout veſtra caritas nobis conſuluerit, paratos inveniet.

Multi ad Papam tranſeunt.

79. Igitur poſt excommunicationem & depoſitionem Regis, Domini præeunte gratia, multi nobiles & mediocres ad Deum toto corde converſi præfatum Regem reliquerunt. Ipſi etiam, qui prius partim regalibus blanditiis, partim terroribus & minis contra Apoſtolicam ſedem conjuraverant, converſi, poſtmodum digno in Regem anathemati conſcripſerunt, mittentes ſupplices ad Apoſtolicam ſedem nuncios, epithemium [a] pœnitentiæ poſtulantes. Quibus miſericordiæ diſcipulus non quærens ſaturari pœnis reorum, gremium ſanctæ Eccleſiæ aperuit, & ut in fide Domini ſolidarentur, conſolatorias eis litteras miſit. Nonnulli vero Epiſcoporum gementes tantum facinus, ad Apoſtolicam ſedem diſcalceatis pedibus venerunt, tam diu inibi perdurantes, quo uſque dominus Papa miſericordiæ manum, & pietatis viſcera eis compatiens aperiret.

80. Interea Dominus magnum miraculum in Regis & omnium oculis fecit : quo cognito, multi eum reliquerunt. Nam poſt excommunicationis diem, Paſchalis diei ſollemnitate cum regio apparatu, & comitatu pompaticæ multitudinis ad eccleſiam divinitus ſibi clauſam venire nequaquam abhorruit. Juſſu itaque Regis quidam Epiſcopus [b], ſi fas eſt, immo hæreticus & Simoniacus, ad Miſſæ ſe præparavit officium. Tandem perlecto Evangelio, ex more facturus popularem ſermonem Pontifex idem pulpitum conſcendit. Parum autem de tractatu locutus Evangelico, ſtatim ſe ad blaſphemiam papæ Gregorii cæco corde, menteque veſana prorupit, quæ pro nimio ſui horrore ſilentio præterire complacuit. Difficile eſt enim, ut bene ſibi conſcientium probitatem obtrectantium lingua non mordeat ; & iniquorum evadat opprobria, cui eſt amica juſtitia. Verumtamen eadem blaſphemia, qualis in oculis Domini fuerit, continuo ſequens ultio, ſi perpendatur, innoteſcit. Nam Paſchalis diei gaudio nondum finito, ſubito cælum fragore intonuit, in quo ignis deſcendere cælitus viſus eſt, qui omnem illam eccleſiam, omneſque domos regali receptui præparatas repente conſumſit, & lætitiam profanorum in mærorem commutavit. Epiſcopum vero illum blaſphemum ſubito percuſſum divina ultio interemit. Sed antequam vitam penitus exhalaret, miniſtros ſuo exitio præparatos, quales eſſent

Epiſcopi contra Gregor. dicentis

Mors terribilis.

[a] Eo nomine mulcta deſignatur legibus eccleſiaſticis, potiſſimum in clericos indicta. Vide Laurentium in Amaltheo, & Cangium in Gloſſario.

[b] Is eſt Willelmus Ultrajectenſis epiſcopus, cujus infelicem exitum narrant quoque Lambertus Scafnaburgenſis monachus Herſfeldenſis, Hugo Flaviniacenſis & alii.

Digitized by Google

compulſus eſt dicere. Video me, inquit, igneis loris adſtrictum tetris trahentibus imaginibus ex hac vita convelli: ſed tamen ite, & dicite Regi, ut flagitium, quod in Deum & beatum Petrum, ejuſque Vicarium commiſit, emendet, ne me praeuntem ad inferi loca ſequatur. Et hæc dicens, exſpiravit. Hoc exemplo commoniti hortamur, obſecramus omnem hominem, qui hæc ſcripta legerit, ut declinet detrahentium linguas, ſi mavult conſortium habere cum Gregorio in reſurrectione vitæ, quam cum detrahentibus ſupplicium ſubire. ANN. CH. MLXXXV. XXV. MAII.

81. Nunc hic ad memoriam redit non minus terribilis damnatio Spirenſis epiſcopi [a], qui eadem die, id eſt VI. Kal. Martii, immo eadem hora, ſubito quaſi quodam inviſibili telo percuſſus, apud Spiram infirmari cœpit, qua hora & cauſam ejus in Romana ſynodo noſter Gregorius papa ventilare incœpit. Idem quoque tertia die, id eſt IV. Kalend. Martii, miſerabiliter exſpiravit, non imparem expertus efficaciam illius ſententiæ, qua Petrus Apoſtolus Ananiam & Sapphiram damnavit. Item & alterius. a

82. Cum igitur prædicti Regis converſionem jam diu, & fruſtra Principes exſpectarent, & ſtatum regni periculoſius in dies diſturbandum, immo ſine capite jam penitus deſtituendum, viderent, tandem zelo Dei armati, cum legatis Apoſtolicæ Sedis convenerunt [b]; & eumdem, ut eorum conſilio acquieſceret & reſipiſceret, ſatis fideliter rogaverunt: alioquin ſe non ulterius ei communicare, vel obedire proteſtati ſunt. Hac ille neceſſitate, ſimulate quidem, ut poſtmodum apparuit, ſe per omnia & conſiliis Principum, & præceptis Apoſtolici domini obediturum promiſit. Erat autem eorum conſilium, ut dominus Apoſtolicus ad generale colloquium Auguſtam in Purificatione ſanctæ Mariæ tunc proxima veniret: quatenus ibidem cauſa ejus in audientia totius regni legitime determinari poſſet. Ipſi quoque Principes, miſſa legatione, dominum Papam ad prædictum diem venire ſuppliciter rogaverunt; ad quod iter agendum, illum promtiſſimum, ut ſubſcriptæ ejus litteræ teſtantur, invenerunt. Rex autem contra promiſſionem ſuam, contra conſilium Principum, hoc ab Apoſtolico per legatos ſuos voluit extorquere, ne Auguſtam veniret, ſed ut eum ad ſe Romam venire permitteret; ea utique intentione, ut tanto facilius Papam fallere poſſet, quanto pauciores regni Principes, jam ſæpius aſtutias ejus perpeſſi, diſcutiendæ ejus cauſæ intereſſent. Unde & Papa votis ejus non annuit, ſed, ut Principes rogaverant, ad condictum diem venire diſpoſuit; & ſubſequentes epiſtolas Principibus Regni, pro diſponendo itinere ſuo tranſmiſit. b Conventus Auguſtam indicitur.

GREGORIUS *Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Archiepiſcopis, Epiſcopis, Ducibus, Comitibus, nec non majoribus, atque minoribus in regno Teutonicorum conſtitutis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.*

83. Nos indigni, & inutiles Principis Apoſtolorum ſervi, ſtatuimus ad « vos, divina auxiliante clementia, venire, & poſtponentes pæne omnium « fidelium noſtrorum auxilia, profectionem noſtram maturare, ut VI. Idus « Januarii velimus Mantuæ eſſe, ea quidem fide & deſiderio, ut fiducia pro- « batæ ſpei veſtræ quæque aſpera, & ſi neceſſe fuerit, ipſam ſanguinis effu- « ſionem pro libertate ſanctæ Eccleſiæ & ſalute Imperii, pura & ſincera in- « tentione ſubire non dubitemus. Veſtri igitur ſtudii ſit, eos de ſuſceptione « & ſervitio noſtro præponere, quos providentia veſtra id poſſe, & nobis « debere cognoverit; ſit ita ſtudii veſtri per partes veſtras pacem firmare, ut « Cui ſe adfuturum Greg. pollicetur.

a Henricus vocabatur, quem Imperator huic eccleſiæ præfecerat. Omnibus eccleſiæ bonis dilapidatis cum ſubitanea morte præfocatum ſcribit Lambertus Scafnaburgenſis.

b Hunc conventum alii apud Openhemium, alii Triburiæ habitum fuiſſe volunt anno 1077.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXXV. XXV. Maii

» intentionis noſtræ propoſitum nihil poſſit impedire. Quot & quantas col-
» luctationes cum nunciis Regis habuerimus, & quibus rationibus dictis ejus
» obviaverimus, quidquid his litteris deeſſe videtur, latores earum plenius
» indicabunt, quibus ſicut de his, quæ per eos beato Petro & nobis promi-
» ſiſtis, indubitanter credimus, ita vos de his, quæ ex noſtra vobis parte
» dixerint, credere volumus.

GREGORIUS *ſervus ſervorum Dei, omnibus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, Abbatibus, Ducibus, Marchionibus, omnibuſque Chriſtianam & beati Petri fidem, & doctrinam defendentibus, & obſervantibus, ſalutem, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli benedictionem, omniumque peccatorum abſolutionem.*

» Ego qualiſcumque Sacerdos Apoſtolorum Principis ſervus, contra vo-
» luntatem & conſilium Romanorum confidens de miſericordia omnipoten-
» tis Dei, & de veſtra fide Catholica, venio ad vos, paratus propter hono-
» rem & ſalutem animarum veſtrarum mortem ſubire; ſicut pro nobis ani-
» mam ſuam poſuit. In hoc enim poſiti ſumus, ut per multas tribulationes
» tendamus & perveniamus ad Regnum Dei. Vos autem, fratres mei ca-
» riſſimi & deſideratiſſimi, ſummopere curate, ut hos poſſim, Deo adjuvan-
» te, adire, vobiſque in omnibus prodeſſe. Benedicat vos ex cujus gratia
» mihi dictum eſt ad corpus beati Petri in die ordinationis meæ: Quodcum-
» que benedixeris benedictum erit, & quodcumque ſolveris ſuper terram,
» erit ſolutum & in cælis, &c.

Henrici humilis abjectio.

84. Interea Rex propriæ cauſæ diffidens, & idcirco audientiam totius regni ſubterfugiens, furtive Italiam cum excommunicatis contra præceptum Papæ, & conſilia Principum intravit, & Apoſtolico ad prædictum diem Auguſtam tendenti, ante Purificationem ſanctæ Mariæ apud Canuſium obviavit, ibique ante portam caſtri per triduum, depoſito omni regio cultu, miſerabiliter, utpote, diſcalceatus, & laneis veſtibus indutus perſiſtens, non prius cum multo fletu Apoſtolicæ miſerationis auxilium, & conſolationem implorare deſtitit, quam omnes qui aderant, & ad quos ille rumor pervenit, ad tantam pietatem, & compaſſionis miſericordiam movit, ut pro eo multis precibus & lacrymis intercedentes, omnes quidem inſolitam domni Papæ duritiam mirarentur; nonnulli vero in eo, non Apoſtolicæ ſeveritatis gravitatem, ſed quaſi tyrannicæ ſeveritatis crudelitatem eſſe clamarent: denique inſtantia compunctionis ejus, & tanta omnium qui ibi aderant ſupplicatione, Papa devictus, tandem eum relaxato anathematis vinculo in communionis gratiam, & ſinum ſanctæ matris Eccleſiæ recepit: acceptis ab eo ſecuritatibus, quarum etiam confirmationem per manus Abbatis Cluniacenſis, & nobilium comitiſſarum Mathildis, & Adalaiæ [a], & aliorum Principum, Epiſcoporum & laicorum, qui ſibi ad hæc utiles viſi ſunt, in hunc modum ſuſcepit.

Abſolvitur.

Sub jurejurando.

» Ego HENRICUS rex de murmuratione & diſſenſione, quam nunc ha-
» bent contra me Archiepiſcopi, Epiſcopi, Duces, & Comites, ceterique
» Principes regni Teutonicorum, & alii qui eos in eadem diſſenſionis cauſa
» ſequuntur, infra terminum, quem dominus Papa conſtituerit, aut juſtitiam
» ſecundum judicium ejus, aut concordiam ſecundum conſilium ejus faciam,
» niſi certum impedimentum mihi, vel ſibi obſtiterit: quo tranſacto, ad
» idem peragendum paratus ero. Item, ſi idem dominus papa Gregorius
» ultra montes, vel alias partes terrarum ire voluerit, ſecurus erit ex mea
» parte, & eorum, quos conſtringere potero, ab omni læſione vitæ & mem-

a Adalaia ſeu Adalais, Olrici Magnifredi marchionis Secuſiæ filia, nupſit anno 1014. Humberto Saxoni, inde marchioni Secuſiæ & comiti Sabaudiæ ac Maurianæ; ob plurima in ſedem Apoſtolicam præſtita beneficia fuit appellata *filia S. Petri.*

brorum

Digitized by Google

brorum ejus, ſeu captione, tam ipſe, quam qui in ejus conductu, ſive comitatu fuerint, in eundo, ſive ibi morando, ſeu inde redeundo: neque aliud aliquod impedimentum habebit ex meo conſenſu, quod contra honorem ſuum ſit; & ſi quis ei fecerit, cum bona fide ſecundum poſſe meum, illum adjuvabo. « ANN. CH. MLXXXV. « XXV. MAII « « «

85. Rex poſtquam communione recepta, ſed quæſtione regni dilata, ſolutus ab Apoſtolico diſceſſit, parum attendens quid ei in reconciliatione ſua juramento promiſerit, ad ſolitam nequitiam redire, & Simoniacorum ſuorum conſiliis contra Papam aſſentire non expavit. Omnes enim Simoniaci, eorumque ſocii, quorum tyrannidi ipſe ſanctam matrem Eccleſiam ſubjugaverat, quorum etiam factione, jam pridem Apoſtolicam ſedem deauctorizare tentaverat: ipſi, inquam, omnes ad eum reconciliatum recurrentes, non terrorem, ſed audaciam ab eo pro perpetrata iniquitate acceperunt; quin etiam in damnatione Apoſtolici apud eum conjurandi locum invenerunt. Ipſe vero, ejuſque complices, communionem utcumque idcirco feſtinaverant recipere; quia, juxta legem Teutonicorum, ſe prædiis & beneficiis privandos eſſe non dubitabant, ſi ſub excommunicatione integrum annum permanerent: cujus adhuc unus menſis ſuperfuit, dum ad reconciliationem redirent. Communionem itaque non ut ſe corrigerent, repetebant, ſed, ut plurimos jam dudum ab illis anathemate ſeparatos ſibi reſociarent: ſicque tanto audacius, tanto crudelius, quanto cum pluribus ſolita tyrannide ſanctam Eccleſiam opprimere poſſent. Nam ſtatim poſt reconciliationem, ut prædictum eſt, ad priſtinum volutabrum redire, ſed & Simoniacis, utpote ſui ſimilibus, contra Apoſtolicam ſedem aſſentire non dubitarunt. *Sed ſimulate.*

86. Non multo poſt tamen Rex ab Apoſtolico regni jam conceſſionem callide, ut communionem, elicere volebat. Miſſa enim legatione, humiliter ei ſupplicabat, ut vel eum ſemel apud ſanctum Johannem in Moytia [a] per epiſcopos Papienſem, & Mediolanenſem, more priorum Regum, coronari permitteret: vel, ſi hoc nollet fieri per hujuſmodi Epiſcopos, utpote excommunicatos, ſaltem hoc privilegium Apoſtolica auctoritate cuilibet Epiſcopo concederet exſequendum. Ob hoc maxime appetens coronari, ut cum communione etiam regnum à Romano pontifice videretur recepiſſe. Sed Papa calliditatem ejus jam ſatis expertus, nullo modo votis ejus voluit acquieſcere: diligenter ſecum ipſe reputans, ſe quidem eum pro multis criminibus, & maxime pro inobedientia, & contumacia Apoſtolicæ ſedi irrogata à regno depoſuiſſe; omneſque ei juratos ab ejus dominio liberos reddidiſſe: & ob hoc nullatenus eum, ſicut nec alium, in Regem Principibus, utpote liberis hominibus, ſuperponi debere, abſque eorum electione. Nam & à toto regno de tot ac tantis injuriis, ac perfidiis erat inculpatus, ut de his eum neceſſe eſſet primitus expurgari, ſi tamen hoc aliquatenus poſſet fieri, & ſic demum cum conſenſu totius regni legitime coronari. Rex igitur ea vice quoque ſimulata obedientia, apud Moytiam regalia inſignia non uſurpavit: quæ tamen non multo poſt contra bannum domini Papæ reſumere, & interdicta regni gubernacula uſurpare non timuit. *Petit coronari.*

87. Interim tranſibat terminus, quem Rex coram legatis Apoſtolicæ Sedis cum Principibus regni ad Auguſtam in Purificatione ſanctæ Mariæ condixerat, ad quem jam Papa venire conceperat; & jam illuc perveniſſet, ſi non idem Rex contra commune decretum omnium ingreſſus Italiam, conducturos Apoſtolicum à conductu deterruiſſet: terminus, inquam, ubi *Conventum impedit.*

[a] Modoetia vulgo *Monza*, opidum Mediolano paſſuum millibus decem diſſitum, ubi Imperatores coronam ferream pro regno Langobardorum à Mediolanenſi archiepiſcopo ſolebant ſuſcipere in eccleſia ſancti Johannis, olim noſtri Ordinis, nunc Collegiata. Ibi plura etiamnunc aſſervantur Theodelindæ reginæ loci fundatricis, cimelia, de quibus in Itin. Italico pag. 213.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXXV. XXV. Maii.

coram Apoſtolico in audientia totius regni canonice de criminibus illatis expurgari, ſi inculpabilis eſſet; expurgatus legitime in regnum cum conſenſu omnium reſtitui poſſet, ad quem ipſe venire contemſit: immo ſuæ cauſæ diffiſus non præſumſit, & Papam, ne vel illuc veniret, fraudulenter in Longobardia præoccupavit.

Principes alium indicunt.

88. Cum igitur Principes regni terminum generali decreto ſtatutum Regem ſubterfugiſſe, & ſe etiam hac vice, ſolita ejus perfidia deluſos eſſe animadvertiſſent; cumque ejus verſutiam nec in ipſa reconciliatione, vel poſtea ceſſaſſe certiſſima relatione didiciſſent, mox in Suevia apud Ulmam conventu facto, deliberaverunt, ne ſe deinceps ab illo ludificari, vel potius priſtina ejus calliditate periclitari permitterent; ſed ſuæ ſaluti, in legitimi Principis electione providerent. In eodem autem conventu apud Ulmam generalius colloquium ad Forecheim IV. Idus Martii ad novi Regis electionem condixerunt: ad quod etiam domini Apoſtolici conſilium & auxilium ſibi venire miſſa legatione poſtulaverunt. Quo audito Papa ad id colloquium legatos direxit, qui Principes rogarent, ut diſpoſitionem regni uſque in adventum ejus differrent, ſi hoc ſine periculo fieri poſſe ſperarent. Noluit ſane eis hoc ex definito præcipere, ne ſibi jure imputari poſſet, ſi quod periculum ſtatus regni ex illa dilatione incurriſſet.

89. Altera autem die, poſt dimiſſionem legatorum, Manegoldus comes, magnus amator veritatis advenit; cujus relatione Papa de novo Rege conſtituendo certior factus, alium legatum, Gregorium ſcilicet Romanæ Eccleſiæ diaconum, ad Principes regni deſtinavit: qui eos Apoſtolica auctoritate adventum ejus præſtolari compelleret, eo tamen primitus explorato, ſi Rex, qui adhuc in Longobardia morabatur, ab eodem Legato conventus, ſecuritatem facere vellet, ut domino Papæ tranſitum ad Teutonicas partes pro ipſius cauſa determinanda concederet. Quod ſi Rex nollet concedere, præcepit Papa, ut Legatus ad ſe rediret, nec Principes cum aliqua dilatione à providenda regni neceſſitate ſuſpenderet. Item eidem Legato præfatam legationem imponens Papa, dixit inter alia; ſe quaſi pro indicio hujuſmodi ſecuritatem exegiſſe, cujus, inquam, ſecuritatis exhibitio, illum in regnum reſtitui poſſe præſagiret: ſicuti, ejuſdem ſecuritatis denegatio, hoc eum non poſſe ex divino judicio denotaret. Inter hæc verba, Papæ tres digiti ejus dextræ uſque ad medium repente ſanguinei apparuere, quos ſanguine ex naribus profluente maculatos exiſtimans, detergere cœpit: ſed eos ſanguineis notis nullatenus emaculare potuit. hinc ipſe & reliqui ſapientes, qui hoc miraculum conſpexerunt, aliquid magni per hæc ſigna portendi non dubitarunt. Erant autem ibi tunc præſentes prænominatus comes Manegoldus, & venerabilis preſbyter Erkinbertus, cum aliis quampluribus in opido Canuſii in capite Jejunii, quod eo anno contigit in Kal. Martii.

90. Percepta igitur legatione, ſtatim Legatus ad Regem properavit cum prædicto Comite: ſed Rex ſecuritatem quam Papa poſtulabat, facere contemſit. Unde & ille Legatus ad Apoſtolicum redire non tardavit. At Comes ad proximum Forecheimenſe colloquium venire acceleravit, quo & priores Legati jam pervenerant: qui una tantum die priuſquam præfatus Comes [diſcederet], ab Apoſtolico miſſi fuerant. Hi autem erant Legati: Bernhardus ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalis diaconus, item alter Bernhardus abbas religioſus de Maſſilia, fere ſexcentorum monachorum pater, qui etiam ſecum duxit egregium doctorem quemdam, nomine Chriſtianum [a], poſtmodum Averſanæ civitatis epiſcopum, cujus opus exſtat eximium contra Turonenſem Berengarium.

[a] Nullus ejus nominis inter Averſanos epiſcopos habetur apud Ughellum. Legendum procul dubio *Guitmundum*. Is è monacho Crucis ſancti Leufredi in Normannia epiſcopus Averſæ factus eſt. cujus opus adverſus Berengarium in Bibliotheca Patrum habetur.

91. Non indignum videtur hoc in loco paulliſper orationis curſum retentare, & quam fidelem Apoſtolicæ inſtitutionis ſectatorem, & propagatorem in Comite Manegoldo non ſemel commemorato, Gregorius noſter habuerit, declarare. Hic enim ex generoſa & religioſa beati ODALRICI [a] Auguſtenſis epiſcopi genealogia procreatus, & à ſapientiſſimo fratre ſuo, HERIMANNO videlicet Contracto, in omni obſervantia Chriſtianæ religionis ad unguem informatus, virgo virginem ſortitus eſt uxorem, duoſque filios ex ea generatos in tanta diſciplina uſque ad juvenilem ætatem educavit, ut alterum eorum ad ſimilem monogamiam perducens, heredem ſui relinqueret; alterum, in cælibatu occiſum, immo ipſius occiſionis ejus [diem] longo locorum intervallo remotus, per ſpiritum mirabiliter agnoſcens fleret, & gauderet. Flevit enim propter acerbitatem inopinatæ mortis, & gaviſus eſt propter impunitatem incontaminatæ juventutis. Hoc autem maxime caſtificabat liberos, quod verax pater comminabatur eis exheredationem, ſi quam, præter legitimam copulam, cum mulieribus perpetraſſe detegerentur coinquinationem. Vir igitur chriſtianiſſimus, cum beatum Gregorium papam nimio affectu propter juſtificationes ejus diligeret, eumque ſæpius propter alternas morum ſimilitudines inviſeret; quadam vice, in tantam Romæ poſitus infirmitatem incidit, ut qui præſentes erant vitam ejus deſperarent. Cumque triſtis nuncius domino Papæ veniſſet, valde condolens feſtinus ad eum venit, & pauxillum panis in ſcyphum confringens, meroque perfundens, ægro pro benedictione porrexit. At ille protinus ut guſtavit, recepit non ſolum delectationem comedendi, ſed & virtutem cum incolumitate de lecto ſurgendi. Qui cum ad propria remearet, & Apoſtolica ſtatuta, maxime de vitandis Officiis incontinentium Sacerdotum, non ſegniter ubique divulgaret, & in Clericis, atque eccleſiis ad ſe ſpecialiter pertinentibus, hujuſmodi abominationes minime toleraret, uxor cujuſdam preſbyteri ſub ejus ditione poſiti, malignans propter ſeparationem mariti, hoc familiaribus ſuis audientibus ſe minabatur effecturam, ut qualem moleſtiam ipſa ſuſtineret in ſeparatione conjugis ſui, talem & Comes ſuſtineret in disjunctione conjugis ſuæ. Dixit, & eheu! permittente Deo, tam peſſimum facinus in dominam peregit. Nam delectabiles cibos veneno infectos obtulit, eamque nihil mali ſuſpicantem, ſimulata benignitate, decepit. Igitur Comes religioſus adhuc in robuſta ætate viduatus, nullis ſuorum adhortationibus ad ſecundam copulam permoveri potuit; dicens ſibi pudendum & horrendum videri, ſi cum duabus uxoribus proceſſurus eſſet ante tribunal Chriſti, die judicii. In tantum autem profecit per devotam obedientiam papæ noſtri Gregorii, ut ante finem ſuum, quem ſenex, & plenus dierum attigit, quibuſdam virtutum ſignis effulſerit, & prophetiæ [dono], quemadmodum in occiſione filii patuit, venerabiliter claruerit.

ANN. CHR. MLXXXV. XXV. MAII. Quis fuit comes Manegoldus. [a]

A Gregorio mire curatus.

92. Huic beatæ recordationis Comiti non incongrue adjungitur memoria pretioſæ mortis beati Cincii urbis Romæ præfecti, cujus & ſuperius virtutes breviter deſcripſimus. Hunc etenim propter fidem ſæpe dicto & ſæpe dicendo papæ Gregorio exhibitam, Dominus noſter Jeſus-Chriſtus martyrio coronavit, ejuſque ſepulcrum continuo viginti miraculis in ſynodo numeratis, & probatis illuſtravit. Nam cum zelum Domini haberet, & exhiberet fidem ſecundum ſanctam Apoſtolicæ inſtitutionis formam, occiſus eſt ab apparitoribus Henricianæ perſecutionis.

Cencius Romæ præfectus.

93. Facto igitur conventu apud Forecheim, præfati Legati litteras Apoſtolicas in medium protulerunt: quam parum dominus Papa de promiſſione Regis lætatus fuerit, cum adverſarii Eccleſiæ plus audaciæ, quam terroris

Forchemii colloquium.

[a] Sancti Udalrici vitam dedimus Sæculo ſuperiori. De ipſius genealogia multa habet Velſerus, quem, ſi lubet, conſule.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXXV. XXV. Maii.

ex præſentia Regis acciperent. Ad hoc aïebant eum petere, ut novi Regis electionem, de qua audierat, in adventum ejus differrent, ſi hoc ſine periculo fieri poſſe perpenderent. Peracta igitur legatione, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Duces, Marchiones, Comites, majores atque minores debitam reverentiam Legatis impendentes, per conſeſſum ſinguli ſurrexerunt, & quot contumeliis, & quot periculis jam ab Henrico rege affecti eſſent, vel ſe afficiendos fore non dubitarent, Legatis lamentari cœperunt: ſeque toties inſidias ejus inter ipſa pacis oſcula vix evaſiſſe, ut nec juramento ejus deinceps aliquam fidem exhibere poſſent: hoc quoque addentes, ſe tamdiu eum poſt depoſitionem toleraſſe, non utique ut correctionem ejus, utpote penitus deſperatam, exſpectarent; ſed ut quibuſdam occaſionem calumniandi auferrent, qui fortaſſe ei, ſi non tamdiu exſpectaretur, correctionem intercluſam fore conquererentur: totaque illa die cum hujuſmodi querimoniis tranſacta, nec medietatem injuriarum ſibi illatarum enumerare potuerunt.

Agitur de novi regis electione.

94. In craſtinum vero iterum ad hoſpitia Legatorum convenientes, pro ſua neceſſitate ſublevanda eos conſuluerunt, ſuggerentes eis periculoſiſſimum & irrevocabile ſchiſma in toto regno futurum, niſi in eodem conventu, ut deliberaverant, in alicujus novi capitis ſublevatione confœderati, illud anticipare feſtinarent. Legati autem legationis ſuæ non immemores, ſatis compendioſe ad hæc reſponderunt, ſibi quidem optimum videri, ſi Regis conſtitutionem, juxta eorum legationem, in adventum domini Papæ ſine periculo differre poſſent: ceterum proviſionem regni non tam in eorum conſilio, quam in Principum arbitrio ſitam eſſe dixerunt, qui Rempublicam in manibus tenerent, ac totius regni damnum ſive proficuum optime prænoſſent. Itaque Principes regni de adventu Papæ incerti, ſed de maxima diſſenſione eventura, & periculo, ſi differrent, certiſſimi, accepta licentia à Legatis, apud Maguntinum Archiepiſcopum convenerunt, & quid eis agendum eſſet ſingulari diligentia invicem tractaverunt: conſiderantes quidem ſe ad nullam dilationem ab Apoſtolico coactos, ſed hoc in eorum arbitrio poſitum eſſe; nec alicui, niſi ſibi ipſis deinceps imputandum fore, ſi dilatio noceret. Inſuper ſe nullius ſubjectionis exhibendæ Henrico regi obnoxios, immo per Apoſtolici banni tranſgreſſionem damnandos, ſi aliquam ſubjectionem Regi deinceps exhiberent. Nam Papa priuſquam eum anathematizaret, ex parte omnipotentis Dei, & ſancti Petri, & ſua, illi regnum interdixit, & omnes Chriſtianos juramento, quod ſibi feciſſent, vel facturi eſſent, abſolvit; &, ut nullus ei ut regi ſerviret, interdixit: qui poſtea ab eo communionem tantum, non regnum, falſa correctionis promiſſione, recuperavit.

Eligitur Rudolfus Suevus.

95. Hoc igitur Principes regni diligentiſſime perſcrutati, ſe quidem à regis Henrici poteſtate penitus, ut prædictum eſt, emancipatos, nec ſe illi plus quam illum illis alicujus fidelitatis vel ſubjectionis obnoxios, ut liberi homines, RUDOLPHUM Ducem Suevorum, fruſtra multum renitentem, fruſtraque vel unius horæ inducias ad conſulendum petentem, regia dignitate ſublimaverunt, virum ſane in humilitate præcipuum, regio honori ætate & moribus idoneum; eique ſe debito fidelitatis ſacramento ſubdiderunt. qui utique regnum, non ut proprium, ſed pro diſpoſitione ſibi creditum reputans, omne hereditarium jus in eo repudiavit, & vel filio ſuo ſe hoc adoptaturum fore, penitus abnegavit: juſtiſſime in arbitrio Principum eſſe decernens, ut poſt mortem ejus libere, non magis filium ejus, quam alium eligerent, niſi quem ad id culminis ætate & morum gravitate dignum inveniſſent.

Conſecratur.

96. Hunc igitur Rudolphum tam legitime electum, archiepiſcopi Moguntinus & Magdeburgenſis cum eorum ſuffraganeis, Legatis ſedis Apoſ-

tolicæ præſentibus & regni Principibus, regali inunctione conſecrarunt. Electus eſt autem ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, Ducibus, Comitibus, majoribus atque minoribus in conventu apud Forcheim, anno Dominicæ Incarnationis MLXXVII. anno IV. venerabilis papæ Gregorii, in hoc nomine ſeptimi, Indictione XV. Idibus Martii. Poſtea, die duodecimo apud Mogontiam conſecratus eſt, id eſt VII. Kal. April. ubi tunc medium Quadrageſimæ occurrit. Die autem prædictæ electionis nix ac gelu reſolvi cœperunt, quæ eo anno à feſtivitate omnium Sanctorum uſque in illum diem terram Teutonicorum, & Longobardiæ occupaverant. quod quidam ſapientum ita interpretati ſunt, Deum in legitimi Principis electione ſuam adſtipulationem mundo denotaſſe, per inſoliti frigoris depulſionem, & per clementioris aëris reparationem: præcipue, cum nullis hujuſmodi promotio diſplicuerit, niſi illis tantum, qui ſe ſub legitimo Principe Simoniacæ hæreſi, aliiſque criminibus abrenuntiaturos fore non dubitabant; qui ſuperiori Rege, non dico permittente, ſed cooperante, ſanctam Eccleſiam fœdare non ceſſaverant. Nulli ſane Clerico, Monacho, ſive Laïco hujus Principis promotio diſplicuit, niſi qui ſe ipſum ſub ejus auctoritate corrigendum fore timuit; niſi qui ſanctam Eccleſiam, juxta Canonicas ſanctiones inſtituendam fore contabuit; niſi qui, intercluſo Simoniacæ hæreſis mercimonio, divitias ſuas attenuari non dubitavit. ANN. CH. MLXXXV. XXV. MAII.

97. Nullus autem Rudolpho regi ejuſque principibus perjurium poterit jure objicere, licet jam dudum depoſito Regi juramentum fidelitatis feciſſent. Illud enim juramentum tamdiu obſervandum erat, quamdiu ipſe regno præerat. Poſtquam vero omnes Chriſtiani eo ſacramento à Papa ſoluti ſunt, eo quidem depoſito & anathematizato, non magis illi aliqua ſubjectio pro hujuſmodi juramento debebatur, quam cuilibet Epiſcopo à ſubditis ſuis obeditur, poſtquam ille, etiam retenta communione, deponitur. Nemo autem Romanorum pontificem reges à regno deponere poſſe denegabit, quicumque decreta ſanctiſſimi papæ Gregorii non proſcribenda judicabit. Ipſe enim vir Apoſtolicus, cui Spiritus-ſanctus in aurem decernenda dictavit, in Apoſtolica ſede conſtitutus, irrefragabiliter decrevit, reges à ſuis dignitatibus cadere, & participatione Dominici corporis & ſanguinis carere, ſi præſumerent ſedis Apoſtolicæ juſſa contemnere. Si enim cæleſtia & ſpiritualia ſedes beati Petri ſolvit, & judicat, quanto magis ſæcularia, juxta illud Apoſtoli: Neſcitis, inquit, quoniam & Angelos judicabimus, quanto magis ſæcularia? Sic utique auctoritate Stephani papæ Hildericus rex Francorum pro ignavia ſua deponitur: eique depoſito, inſuper & detonſo, & in monaſterium miſſo, Pippinus in regnum ſubrogatur. Præterea, liberi homines Henricum eo pacto ſibi præpoſuerunt in regem, ut electores ſuos juſte judicare, & regali providentia gubernare ſatageret: quod pactum ille poſtea prævaricari, & contemnere non ceſſavit, videlicet quoſlibet innoxios tyrannica crudelitate opprimendo, & omnes quos potuit, Chriſtianæ religioni repugnare conſtringendo. Ergo & abſque ſedis Apoſtolicæ judicio, Principes eum pro Rege merito refutare poſſent, cum pactum adimplere contempſerit, quod eis pro electione ſua promiſerat: quo non adimpleto, nec Rex eſſe poterat. Nam Rex nullatenus eſſe poteſt, qui ſubditos ſuos non regere, ſed in errorem mittere ſtuduerit. Quid plura? Nonne quilibet miles domino ſuo fidelitatis juramento ſubjicitur eo pacto, ut & ille ſibi non deneget, quod dominus militi debebat? Si ergo dominus militi debitum reddere contemnit, numquid non libere miles eum pro domino deinceps recuſat habere? Liberrime, inquam. Nec quilibet hujuſmodi militem infidelitatis, vel perjurii merito accuſabit, cum totum adimpleverit quod promiſit; domino ſuo, inquam, tam diu militando, quamdiu ille fecit ſibi, quod dominus militi debeat.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXXV. XXV. Maii.

98. Igitur Rudolphus rex in regem ſublevatus, ſtatim Apoſtolico, miſſa legatione, de ſua promotione innotuit; eique debitum obſequium in eccleſiaſticis adminiſtrationibus promiſit, multoque ſe promtiorem ad obediendum ſedi Apoſtolicæ, quam anteceſſor ejus exhibuit. Ipſa enim ſuæ conſecrationis die, obediens banno domini Papæ, officium cujuſdam diaconi Simoniaci recipere noluit, qui ea die ad legendum in Miſſa ante Regem jam ſacris veſtibus indutus proceſſit. Unde Sigefridus Moguntinus archiepiſcopus amoto eo ab altaris miniſterio, alium in ejus locum ſubrogavit. Hoc autem maximam invidiam Simoniacorum, & incontinentium altaris miniſtrorum Regi conflavit; qui & in ipſa ſui promotione banno Apoſtolico obediens, ſe officia talium reſpuere per præfati Subdiaconi repulſam monſtravit. Nullatenus enim dubitabant ſe, ſub tam legitimo Principe, aut officium depoſituros, aut concubinis, & eccleſiis ſimoniace acquiſitis abrenunciaturos. Quapropter illius civitatis Clerici, eadem ipſa regiæ conſecrationis die, poſt prandium concives ſuos vino & inſania furentes in Epiſcopum ſuum, & Regem, & reliquos principes concitaverunt. Quidam enim puer ex civitate, neſcimus ſi propria voluntate ductus, an ab aliquo perſuaſus, cuidam militi Archiepiſcopi partem pretioſæ veſtis furtive voluit detruncare: qui ſtatim captus eſt à milite. Quo audito, Procurator civitatis eumdem per manus acceptum, liberum abire fecit, nulla tamen ſeditione commota. Clerici autem audito hujuſmodi rumore captum fuiſſe puerum, quem tamen jam dimiſſum ſcirent, campanas compulſare, cives nutibus & probroſis adhortationibus ad ſeditionem excitare, vel potius compellere non timuerunt. Sed Rex jam finito prandio ad eccleſiam de palatio deſcendit, & veſperas audire cœpit. Interim plebs furens ſanguinem Regis, & reliquorum ſitiens, ipſam eccleſiam, & palatium irrumpere nititur: ſed à militibus Regis compeſcitur, licet inermibus. Nam in diebus Quadrageſimæ conſuetudo erat ſine armis procedere; ſed & ipſa, ſi quæ habebant, per civitatem in hoſpitiis dimiſſa, præ ſeditione civium acquirere non poterant. Finitis autem veſperis, Rex cum Archiepiſcopo, & reliquis principibus in palatium de eccleſia regreſſus, cum populum furentem ab incœpto nolle deſiſtere, ſed eos ipſam Quadrageſimam, diem Dominicam, cœmeterium eccleſiæ, immo ipſam eorum matricem eccleſiam, furibunda ſeditione profanare; ſicque cum multiplici ſacrilegio in mortem ſuam, Epiſcoporum, ſuorumque omnium nihil ab ipſis injuriatos conſpiraſſe vidiſſet, gladio accinctus eorum inſaniam compeſcere deliberavit. Sed principes ejus, eum contra regium morem procedere non permiſerunt. Ipſi autem ex præcepto ejus, mutuatis undecumque poterant, armis; primum quidem ad ſupplicandum Deo eccleſiam ingreſſi, deinde Kyrie eleiſon in altum concinentes per portam, quæ magis impugnabatur, exſiliunt de eccleſia. Qui ſtatim, licet pauciſſimi, maximam multitudinem hoſtium adeo in fugam verterunt, ut quidam eorum etiam ſe in Rhenum morituri præcipitarent; licet Regis milites parum eos ultra cœmeterium eccleſiæ inſequerentur.

Simoniaci movent ſeditionem.

Compeſcitur.

99. Anno ab Incarnatione Domini MLXXVIII. Indictione prima, cum uterque rex, Henricus videlicet & Rudolphus, ab Apoſtolica Sede adjutorium requireret, Gregorius papa ſeptimus generali Synodo præſidens decrevit.

Papæ decretum.

» Quoniam lis & perturbatio regni in maximum ſanctæ Eccleſiæ periculum & detrimentum quotidie redundare cernitur, placet nobis elaborare pro viribus, quatenus idonei tam religione, quam etiam ſcientia pollentes Nuncii è latere Sedis Apoſtolicæ ad partes illas mittantur: qui omnes religioſos, & juſtitiæ amatores in Teutonici regni partibus commorantes, Clericalis & Laïcalis ordinis viros, & ad hoc opus idoneos convocent, cum quibus, (Domini gratia præeunte), aut finem & pacem juſte componant,

Digitized by Google

aut veritate percognita, cui parti juſtitia magis faveat ad plenum addiſcere valeant: quatenus pars injuſta deſiſtat, & Apoſtolica auctoritate munita juſtitia, vigoris & auctoritatis robur obtineat. « ANN. CH. MLXXXV. « XXV. MAII «

Verum, quoniam nonnullos diabolico inſtinctu collectos, tyrannidis ſuæ facibus accenſos, turpis lucri avaritiæ mancipatos, diſcordiam potius, quam pacem fieri & videre deſiderantes, fore non ignoramus, ſtatuimus ut nulla umquam perſona alicujus potentiæ, ſive Rex aut Archiepiſcopus, Epiſcopus, Dux, Marchio, Comes, ſive Miles aliqua præſumtione, temerariove auſu, fraude, dolove, ſeu aliqua perturbatione, Legatis noſtris obſiſtere, & contraire, ne juſtitiam & finem componant, pertentet. Quicumque autem temerario auſu, quod non optamus, hujus noſtræ conſtitutionis violator exſtiterit, Legatiſque noſtris ad hanc pacem componendam euntibus prænominatis, fraudem opponere tentaverit, vinculo eum anathematis alligamus, & non ſolum in ſpiritu, verum etiam & in corpore, & omni proſperitate hujus vitæ, Apoſtolica poteſtate innodamus, & victoriam ejus in armis auferimus, ut ſic ſaltem confundatur, & duplici confuſione & contritione conteratur. Actum Romæ in eccleſia Domini Salvatoris v. Nonas Martii, Indictione prima. «

GREGORIUS *Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Clericis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, omnibuſque majoribus atque minoribus, in Teutonico regno conſtitutis, exceptis his, qui Canonica excommunicatione tenentur, ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.*

100. Notum vobis fieri volumus, fratres cariſſimi, quod in ea ſynodo, quam nuper Romæ celebravimus, inter multa alia, quæ de ſtatu ſanctæ Eccleſiæ, Deo cooperante, peregimus, de ruina & confuſione nobiliſſimi regni veſtri diligenter tractantes; hoc ſalutiferum, & opportunum pro reparatione pacis veſtræ fore putavimus, ut religioſi Legati Apoſtolicæ Sedis ad partes veſtras dirigantur, qui Archiepiſcopos, Epiſcopos, & religioſos Clericos, nec non Laïcos ad id idoneos, in loco, qui utrique parti habilis & congruus ſit, convenire commoneant, ut, aut pacem, Deo auxiliante, inter vos componant, aut cui parti juſtitia faveat veraciter addiſcant. Nam in eadem Synodo definitum eſt, quod nos contra eam partem, quæ pacem faſtu ſuperbiæ refutaverit, & cui juſtitia non faverit, omni conamine, omnibuſque modis poteſtate beati Petri inſurgamus. Et quia nonnullos de regno veſtro intelleximus magis jurgium & diſcordiam, quam pacem diligere; ex parte omnipotentis Dei, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli interdicimus, ut nullus ſit, qui aliquo ingenio, aut ſtudio, ſeu violentia impediat prædictos viros ad reſtaurandam regni veſtri concordiam convenire, aut convenientes juſtum & legalem huic diſcordiæ finem imponere. Ad reprimenda etiam mala ingenia, & illicitos conatus, judicio ſancti Spiritus, & auctoritate Apoſtolicæ Sedis anathematizavimus, & anathematizamus, ſi quicumque ſive Rex, ſive Archiepiſcopus, ſive Epiſcopus, ſive Dux, ſive Marchio, ſive alicujus dignitatis, vel ordinis perſona ſit, præſumſerit aliquo modo hanc ſalutiferam conſtitutionem perturbare: videlicet, qui operam dederit, ne prædictus conventus fiat, aut concordia tantæ perturbationis. Adjecimus etiam eidem anathemati, ut quicumque hujus iniquitatis præſumtor fuerit, non ſolum in anima, ſed etiam in corpore, & in omnibus rebus ſuis vindictam omnipotentis Dei ſentiat, & in omni congreſſione belli nullas vires, nullumque in vita ſua triumphum obtineat, ſed duplici contritione proſtratus ſemper vileſcat, & confundatur: ut ſic ſaltem ad pœnitentiam redire addiſcat. Præſentium vero portitorem ad hoc vobis dirigimus, ut una cum venerabili fratre noſtro « *Lib. 5. epiſt. 15.* « Id omnibus intimat. «

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXXV. XXV. Maii

Trevirenſi Archiepiſcopo, qui Henrico favet, & altero, qui utilis & religioſus ad hoc ſit opus Epiſcopus ex parte Rodulphi, locum & tempus prædicti conventus ſtatuant: quatenus Legati noſtri, quos præfati ſumus, ſecurius & certius ad vos venire; & quæ omnipotenti Deo placeant, ipſo auxiliante, vobiſcum valeant perficere. Datum Romæ VII. Idus Mart. Indictione prima.

GREGORIUS *Epiſcopus ſervus ſervorum Dei*, UTONI *Trevirenſi Archiepiſcopo ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem.*

Lib. 5. epiſt. 16.

101. Quanta nobis ſolicitudo, quantaque triſtitia ſit de perturbatione, immo de diſſidio regni veſtri, olim clariſſimi & potentiſſimi, in communibus litteris, quas hoc in anno ad vos miſimus, ſatis vobis declaratum eſſe putamus. Verum quia res de die in diem pernicioſius implicari videtur, nobis quoque cura cum nimia anxietate altius in mente figitur. Proinde quidquid nobis ſuper hac re ad præſens melius viſum eſt, quod noſtra providentia vel auctoritate intervenire potuiſſet, maturare curavimus: quod tua fraternitas litteris, quibus illud ſingulariter ſcriptum eſt, plenius cognoſcet.

Rogamus igitur & admonemus prudentiam tuam, in qua multum confidimus, ut ſecundum tenorem earumdem litterarum, ſine omni dilatione, de cauſa hac te intromittas, & omnibus tam minoribus quam majoribus, quoad potes, quid à nobis deliberatum, & qualiter tibi injunctum ſit, notum facias: ut, miſerante Deo, & adjuvantibus his, qui Dominum diligunt, tam feralis diſcordiæ furorem aut penitus compeſcere, &, quod maxime optamus, ad plenam pacem reducere poſſimus: aut, ſi illud, peccatis impedientibus, minime obvenire poterit, ſaltem nos, in tanto fratrum noſtrorum periculo, culpam negligentiæ declinemus. Notificato autem conſilio & decreto noſtro, & requiſitis utrimque reſponſionibus, ut eam certitudinem & conſenſum inveniatis, ne in mittendis legatis nobis dubitandum ſit, ordinatis & confirmatis omnibus, quæ ad proſequendum hoc negotium loco, tempore, vel ceteris convenientiis neceſſaria ſunt. Volumus, ut tu, & frater ille, qui tecum hujus rei mediator eſſe debuerit, confeſtim ad nos veniatis: quatenus cognitis ſecuritatibus, & quæ ſpes pacis eſſe debeat, Legatos noſtros tam ſine periculo, quam ſine deſperatione fructus laboris & fatigationis eorum vobiſcum mittere valeamus. Nec durum tibi ſit, frater, ſubire quod imponimus: quoniam ex quo in Eccleſia locum ſacerdotii & officium ſuſcepiſti, nihil Deo dignius, aut animæ tuæ ſalubrius feciſti, quam ſi in hac re nequitiam diabolicæ fraudis elidere, & ſaluti tot millium hominum, opitulante Deo, conſulere poteris: & ſi hoc fatigationi tuæ pro voto non ſucceſſerit, tibi tamen apud illum certa manet retributio, apud quem non infectum reputabitur omne bonum, quod juſta & perſeveranti voluntate concipitur. Illud tamen à dilectione tua omnino nobis exhiberi volumus, ut etiam ſi illum alium, quem hujus rei mediatorem te habere ſupra diximus, ſocium itineris habere non poſſis, tu tamen ad nos venire nullatenus prætermittas. Præcipimus etiam tibi ex auctoritate beati Petri, ut cui juſtitia favet, tu omnino faveas, & hoc idem facere Clericos, & laïcos, quos poteris, ex parte noſtra commoneas. Treuga etiam vobis proviſa uſque ad quindecim dies poſt conventus ſolutionem illæſa ſervetur. Volumus autem, ut apud Regem diligenter procures, quatenus Legati noſtri, qui in partibus illis ſunt, Bernardus ſcilicet diaconus ſanctæ Romanæ eccleſiæ, & Bernardus Maſſilienſis abbas, ſi voluerint, licenter & ſecure ad nos redire valeant. Datum Romæ VII. Idus Martii Indictione prima.

102. Anno

ANN. GR. MLXXXV. XXV. MAII. Synodus Romæ.

102. Anno ab Incarnatione Domini MLXXVIII. pontificatus vero domini Gregorii ſeptimi papæ ſexto, decimo-tertio Kal. Decembris, Indictione ſecunda, congregata eſt ſynodus Romæ in eccleſia ſancti Salvatoris, in qua juraverunt legati Henrici, & Rudolphi, quiſque pro domino ſuo, quod nullis dolis colloquium legatorum ſedis Apoſtolicæ in Teutonico regno habendum impedient.

103. Anno ab Incarnatione Domini MLXXIX. menſe Februario, Indictione II. Pontificatus vero domini Gregorii papæ ſeptimo, legati regis Rudolphi ſuper Henricum proclamaverunt, quod nulli loco, nullique perſonæ parcens, regionem tranſalpinam contereret & conculcaret, neminem debitus honor, vel reverentia tueretur, & ceu vilia mancipia non modo ſacerdotes, ſed etiam epiſcopi, & archiepiſcopi caperentur, vinculiſque manciparentur, partimque jam trucidarentur. Decreverunt ergo quam plures Concilii in illius tyrannidem gladium Apoſtolicum debere evaginari: ſed diſtulit Apoſtolica manſuetudo, ſimul & illud attendens, quod Petro Albanenſi, & Altmanno Patavienſi [a] epiſcopis de eodem negotio ſcribens, inter cetera dicit: Sic vos utrique parti communes, & ab omni ſuſpicionis nævo, quantum in vobis eſt, cum divinæ gratiæ adjutorio exhibete immunes, ut juſtitiæ ſemper, & nullo modo partibus faveatis, ſicut habetis formam noſtram: qui videlicet, poſtquam judicium tanti hujus negotii in manu beati Petri commiſſum eſt, nihil aliud teſtibus vobis intendimus, niſi ut per juſtitiæ ſemitam incedamus. Ad nullam partem ſinceritatem Apoſtolicæ diſcretionis inflexímus, nullis promiſſionibus, aut terroribus ceſſimus, nec aliud umquam, Deo protegente, acturos nos eſſe confidimus.

Henricus violat promiſſum.

104. Porro legati Henrici regis, qui prædictæ querelæ ſuper eumdem prolatæ præſto fuerunt, ſecundum hunc tenorem juraverunt: Legati domini mei Henrici regis ad vos venient infra terminum Aſſcenſionis Domini, exceptis legitimis ſonnis [b], id eſt, morte, vel gravi infirmitate, vel captione, abſque dolo, qui legatos Romanæ ſedis ſecure ducent, & reducent, & dominus Rex obediens illis erit in omnibus ſecundum juſtitiam, & judicium illorum: & hæc omnia ſervabit abſque dolo, niſi quantum ex veſtra juſſione remanſerit. Et hoc juramus ex præcepto domini noſtri regis Henrici. Itidem legati Rudolphi regis juraverunt, quod ſequitur: Si colloquium ex præcepto veſtro conſtitutum fuerit in partibus Teutonicis, loco & tempore à vobis definito, ante præſentiam veſtram, vel legatorum veſtrorum, dominus noſter rex Rudolphus vel ipſe veniet, vel Epiſcopos, & fideles ſuos mittet; paratuſque erit judicium, quod ſancta Romana eccleſia decreverit de cauſa regni ſubire, nulloque malo ingenio conventum, à vobis, ſive à veſtris Legatis conſtitutum impediet. Et poſtquam certum inde veſtrum nuntium videbit, de pace ſtatuenda in regno & confirmanda ſtudebit, ut legatio veſtra pervenire ad regni pacem & concordiam poſſit. Hæc omnia obſervabuntur, in quantum ex veſtra licentia remanſerit, vel ex impedimento legitimo, ſcilicet morte, vel gravi infirmitate, vel captione, ſine dolo.

Alterum compromiſſum.

105. Poſt hæc rurſus exiit edictum Apoſtolicæ benignitatis, quod idcirco ex abundanti ponimus, ut clareſcat & ſapientibus & inſipientibus, principem fuiſſe Gregorium noſtrum in illa beatitudine, de qua Dominus dicit: Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.

Gregorii ſtudium pro pace.

[a] Petrus Ignitus de quo ſupra. & Altmannus epiſc. Patavienſis, cujus vitam dabimus ad ann. 1090.

[b] *Sunnis* ſeu *ſonnis* aut *ſunnia*, id eſt impedimentum ſeu impeditio, ex cod. LL. antiq. Vide etiam Gloſſar. Cangianum.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXV. XXV. MAII.

GREGORIUS *Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, omnibus Archiepiſcopis, & Epiſcopis in Teutonico, atque in Saxonico regno commanentibus, cunctis etiam majoribus atque minoribus, qui non ſunt excommunicati, & obedire voluerunt, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

» Quoniam [a] ex lite & diſſenſione, quæ tam diu inter vos eſt, maximum » in ſancta Eccleſia periculum, maximum undique inter vos detrimentum » fieri cognoſcimus: idcirco viſum eſt nobis, viſum eſt & fratribus noſtris in » Concilio congregatis, ſummo deſiderio æſtuare, ſummaque ope elaborare » pro viribus, quatenus idonei nuntii tam religione, quam ſcientia pollen» tes, è latere Apoſtolicæ ſedis ad partes veſtras mitterentur: qui religioſos » Epiſcopos, laïcos etiam pacis & juſtitiæ amatores, in partibus veſtris com» morantes, ad hoc opus idoneos congregarent, qui, Domini gratia præeun» te, die & loco ab illis ſtatuto, tam ipſi, quam quos ipſis adhuc jungere de» bemus, aut pacem componant, aut, veritate præcognita, ſuper illos, qui » ſunt tanti diſſidii cauſa, canonicam cenſuram exerceant. Verum quoniam » nonnullos diabolico inſtinctu confectos, & iniquitatis ſuæ facibus ignitos, » cupiditateque inductos, diſcordiam potius, quam pacem fieri & videre deſi» derantes, fore non ignoramus; ſtatuimus in hac ſynodo ad eamdem for» mam, ſicut & in præterita, ut nulla umquam perſona alicujus potentiæ vel » dignitatis, ſive magna ſive parva, ſive princeps ſive ſubjectus, aliqua » præſumtione præſumat Legatis noſtris obſiſtere; & poſtquam ad vos perve» nerint, de componenda pace contraire, nec poſtea contra interdictum il» lorum alter in alterum audeat reſurgere: ſed uſque ad diem ab illis ſtatu» tum firmam pacem omnes ſine ulla occaſione & fraude obſervent. Qui» cumque autem hæc noſtra ſtatuta ulla præſumtione violare tentaverit, ana» thematis eum vinculo ligamus, & non ſolum in ſpiritu, verum etiam in » corpore, & in omni proſperitate hujus vitæ, apoſtolica auctoritate innoda» mus, & victoriam in armis auferimus, ut ſic ſaltem confundatur, & du» plici contritione conteratur.

Synodus Romæ.

106. Anno ab Incarnatione Domini MLXXX. pontificatus vero domini Gregorii papæ ſeptimi anno VII. Indictione tertia, celebravit ipſe Papa ſynodum Romæ, ubi interfuerunt Archiepiſcopi, Epiſcopi diverſarum urbium, nec non & Abbatum ac diverſorum Ordinum clericorum & Laïcorum innumerabilis multitudo. Supervenerunt autem & Legati Rudolphi regis & Principum regni Teutonici, & hujuſmodi querimoniam protulerunt ſuper tyrannidem Henrici: » Nos ex Legatione domini noſtri regis » Rudolphi & Principum ejus, conquerimur Deo, & ſancto Petro, veſtræ» que paternitati, & cuncto huic ſanctiſſimo Concilio, quod ille Henricus, » quem vos Apoſtolica auctoritate depoſuiſtis à regno, idipſum regnum con» tra veſtrum interdictum tyrannice invaſit, omnia circumquaque ferro, » præda, incendio devaſtavit: Archiepiſcopos, Epiſcopos de epiſcopatibus » ſuis impia crudelitate expulit, & eorum epiſcopatus ſuis fautoribus in be» neficia diſtribuit. Per cujus etiam tyrannidem piæ memoriæ Werinharius » Magdeburgenſis Archiepiſcopus occiſus eſt: Adelbertus [b] Wormacienſis » epiſcopus adhuc ab eo contra Sedis Apoſtolicæ præceptum in captione » cruciatur. Multa hominum millia ejus factione ſunt occiſa; quamplures » eccleſiæ ablatis reliquiis incenſæ, ac penitus deſtructæ. Innumerabilia » quidem facinora ſunt, quæ idem Henricus in Principes noſtros perpetravit, » eo quod ſibi contra Sedis Apoſtolicæ decretum ut regi obedire noluerunt: » & colloquium, quod vos pro inquirenda juſtitia & pace componenda fieri

Ubi querelæ adverſus Henricum.

[a] Habetur apud Hugonem Flaviniacenſem in Chronico pag. 221.

[b] Poſtea ab Henrico V. ſedi ſuæ reſtitutus eſt. obiit anno 1108. ex Bruſchio, qui ejus epitaphium refert.

Digitized by Google

decreviſtis, ex culpa Henrici & fautorum ejus remanſit. Quapropter veſtram humiliter imploramus clementiam, ut nobis, immo ſanctæ Dei Eccleſiæ, decretam ſacrilego pervaſori Eccleſiarum juſtitiam faciatis. "ANN. CH. MLXXXV. XXV. MAII

107. His & talibus excitatus viri Dei ſpiritus, ſentiens & imminere diem, quem ſibi in viſione beata Dei Genitrix ad proferendam damnationis ſententiam in eumdem adverſarium Eccleſiæ deſignaverat; & ne ultra differret præcipiendo interminaverat, gravi cum dolore & gemitu parturivit, & auſcultante atque aſpirante Concilio, tandem in hæc verba prorupit. Qui à Gregorio damnatur.

"Beate Petre, princeps Apoſtolorum, & tu beate Paule, doctor gentium, dignamini quæſo aures veſtras ad me inclinare, meque clementer exaudire: quia Veritatis eſtis diſcipuli & amatores, adjuvate, ut veritatem vobis dicam, omni remota falſitate, quam omnino deteſtamini, ut fratres mei melius mihi acquieſcant, & ſciant & intelligant, quia ex veſtra fiducia, poſt Dominum, & matrem ejus ſemper Virginem Mariam, pravis & iniquis reſiſto: veſtris autem fidelibus auxilium præſto. Vos autem ſcitis, quia non libenter ad ſacrum Ordinem acceſſi, & invitus ultra montes cum domino papa Gregorio * abii: ſed magis invitus cum domino meo papa Leone ad veſtram ſpecialem eccleſiam redii, in qua utcumque vobis deſervivi: deinde valde invitus cum magno dolore & gemitu & planctu in throno veſtro valde indignus ſum collocatus. Hæc ideo dico, quia ego non vos elegi; ſed vos me elegiſtis, & graviſſimum pondus veſtræ Eccleſiæ ſuper me poſuiſtis. Et quia ſuper montem excelſum me juſſiſtis aſſcendere, & clamare, & annuntiare populo Dei ſcelera eorum, & filiis Eccleſiæ peccata eorum; membra diaboli cœperunt contra me inſurgere, & uſque ad ſanguinem præſumſerunt in me manus ſuas injicere. Adſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt, ſæculares & eccleſiaſtici, aulici & vulgares convenerunt in unum adverſus Dominum, & adverſus vos Chriſtos ejus, dicentes: Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis jugum ipſorum: &, ut me omnino morte vel exſilio confunderent, multis modis conati ſunt in me inſurgere. Inter quos ſpecialiter Henricus, quem dicunt regem, Henrici imperatoris filius, contra veſtram calcaneum erexit Eccleſiam, facta cum multis Ultramontanis, & Italicis conſpiratione, annitens me dejiciendo eam ſibi ſubjugare. Cujus ſuperbiæ veſtra reſtitit auctoritas, eamque veſtra deſtruxit poteſtas: qui confuſus & humiliatus ad me in Longobardiam veniens, abſolutionem ab excommunicatione quæſivit. Quem ego videns humiliatum, multis ab eo promiſſionibus acceptis de vitæ ſuæ emendatione, ſolam ei communionem reddidi; non tamen in regno, à quo eum in Romana ſynodo depoſueram, inſtauravi; nec fidelitatem hominum, qui ſibi juraverant, vel erant juraturi, à quo omnes abſolvi in eadem ſynodo, ut ſibi ſervaretur, præcepi. Et hæc ideo detinui, ut inter eum, & Epiſcopos vel Principes Ultramontanos, qui ei cauſa juſſionis veſtræ Eccleſiæ reſtiterant, juſtitiam facerem, vel pacem componerem, ſicut ipſe Henricus juramento per duos Epiſcopos mihi promiſit.

"Prædicti autem Epiſcopi & Principes Ultramontani audientes illum non ſervare, quod mihi promiſerat, quaſi deſperati ab eo, ſine meo conſilio, vobis teſtibus, elegerunt ſibi Rudolphum Ducem in Regem: qui rex Rudolphus feſtinanter ad me miſſo nuntio, indicavit ſe coactum regni gubernacula ſuſcepiſſe: tamen ſeſe paratum mihi omnibus modis obedire. Et ut hoc verius credatur, ſemper ex toto tempore eumdem ſermonem mihi miſit, adjiciens etiam, filio ſuo obſide, & fidelis ſui Bertholdi filio, quod promittebat, firmare. Interea Henricus cœpit me precari, ut illum contra prædictum Rudolphum adjuvarem. Cui reſpondi, me libenter facere, audita utriuſque partis ratione, ut ſcirem cui juſtitia magis faveret. Ille au-

* i. Greg. VI.

Ann. Ch. MLXXXV. XXV. Maii

„ tem putans ſuis viribus eum poſſe devincere, meam contemſit reſponſio-
„ nem. Poſtquam autem perſenſit ſe non poſſe, ſicut ſperavit, agere, duo
„ epiſcopi, Virdunenſis videlicet & Oſſenburgenſis *, de conſentaneis ſuis,
„ Romam venerunt, & in Synodo ex parte Henrici, me, ut ei juſtitiam fa-
„ cerem, rogaverunt; quod & nuntii Rudolphi fieri laudaverunt.
„ Tandem adſpirante Deo, ſicut credo, ſtatui in eadem Synodo, in parti-
„ bus Ultramontanis fieri colloquium, ut illic aut pax ſtatueretur, aut cui
„ plus juſtitia faveret, cognoſceretur. Ego enim, ſicut vos mihi teſtes eſtis,
„ Patres & domini mei, uſque hodie nullam partem diſpoſui adjuvare, niſi
„ eam cui plus juſtitia faveret. Et quia putabam, quod injuſtior pars collo-
„ quium nollet fieri, ubi juſtitia ſuum locum ſervaret; excommunicavi, &
„ anathemati alligavi omnes perſonas ſive Regis, ſive Ducis, aut Epiſcopi,
„ aut alicujus hominis, qui colloquium aliquo ingenio impediret, ut non
„ fieret. Prædictus autem Henricus cum ſuis fautoribus non timens pericu-
„ lum inobedientiæ, quod eſt ſcelus idololatriæ; colloquium impediendo ex-
„ communicationem incurrit, & ſe ipſum anathematis vinculo alligavit,
„ magnamque multitudinem Chriſtianorum morti tradidit, & eccleſias fecit
„ diſſipari, & totum pæne Teutonicorum regnum deſolationi dedit.
„ Quapropter confidens de judicio & miſericordia Dei, ejuſque piiſſimæ
„ matris ſemper virginis Mariæ, fultus veſtra auctoritate, prædictum Henri-
„ cum, quem dicunt regem, omneſque fautores ejus excommunicationi ſub-
„ jicio, & anathematis vinculo alligo, & iterum regnum Teutonicorum, &
„ Italiæ, ex parte omnipotentis Dei & veſtra, interdicens ei, omnem digni-
„ tatem & poteſtatem regiam illi tollo, & ut nullus ei Chriſtianus ſicut
„ regi obediat, interdico; omneſque, qui ei juraverunt vel jurabunt, de
„ regni dominatione, à juramenti promiſſione abſolvo. Ipſe autem Henricus
„ cum ſuis fautoribus in omni congreſſione belli nullas vires, nullamque in
„ vita ſua victoriam obtineat.
„ Ut autem Rudolphus regnum Teutonicorum regat & defendat, quem
„ Teutonici elegerunt ſibi in regem ad veſtram fidelitatem, ex veſtra par-
„ te, dono, largior & concedo; omnibuſque ſibi fideliter adhærentibus ab-
„ ſolutionem omnium peccatorum, veram benedictionem in hac vita & in
„ futura, veſtra fretus fiducia, largior. Sicut enim Henricus pro ſua ſuper-
„ bia & inobedientia & falſitate, à regni dignitate juſte abjicitur; ita Ru-
„ dolpho pro ſua humilitate, obedientia, veritate, poteſtas & dignitas regni
„ conceditur.
„ Agite nunc quæſo patres, & principes ſanctiſſimi, ut omnis mundus in-
„ telligat & cognoſcat, quia ſi poteſtis in cælo ligare & ſolvere, poteſtis
„ in terra imperia, regna, ducatus, principatus, marchias, comitatus, &
„ omnium hominum poſſeſſiones pro meritis tollere unicuique, & concedere.
„ Vos enim Patriarchatus, Primatus, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus fre-
„ quenter tuliſtis pravis & indignis, & religioſis viris dediſtis. Si enim ſpiri-
„ tualia judicatis, quid de ſæcularibus vos poſſe credendum eſt? Addiſcant
„ nunc Reges & omnes ſæculi principes, quanti vos eſtis, quid poteſtis; &
„ timeant parvipendere juſſionem Eccleſiæ veſtræ: & in prædicto Henrico
„ tam cito judicium veſtrum exercete, ut omnes ſciant, quia non fortuito,
„ ſed veſtra poteſtate cadet & confundetur, utinam ad pœnitentiam, ut
„ ſpiritus ſit ſalvus in die Domini. Acta Romæ nonis Martii, Indictione III.

Greg. Salernum ſecedit.

108. Igitur ſatanæ traditus infelix Henricus, rabidoque dæmonum furore magis ac magis ad ſummum iniquitatis conſcendit, & legitimum Papam deſtituere cupiens, auream ſtatuam Simoniacis & Nicolaïtis in Romana civitate, quam Babylonem Petrus & Johannes appellant, novus Nabuchodonoſor erexit, Guibertum ſcilicet Ravennatem epiſcopum, jam

* Ii fuere Theodoricus Virdunenſis & Bernardus Oſnabrugenſis epiſcopi.

Digitized by Google

pridem à Gregorio noſtro propter inceſtum, & alia flagitia ſua ſynodali ſententia damnatum. Proinde graviſſima perſecutione contra virum Dei commota, Salernum receſſit; ibique ſupernæ medicationis abſinthio per corporales ægritudines efficaciſſime purgatus, divinæ conſolationis dulci reſponſo meruit exhilarari, videlicet purgationes iſtas ei in perpetuum proficere, & ſufficere, nec eum ullam caſtigationem oportere poſt obitum timere. Denique in ſignum ſempiternæ ſoſpitatis, temporalem incolumitatem recepit; &, quod valde glorioſum videri poteſt, circa Kalendas Januarii prænoſſe cœpit diſſolutionem corporis ſui futuram circa Kal. Junii. Quibus cum appropinquaſſet, & ultimi doloris luctam inchoaſſet, adſtantibus ei Epiſcopis & Cardinalibus, eumque pro laboribus ſanctæ converſationis & doctrinæ beatificantibus, reſpondit: Ego, fratres mei dilectiſſimi, nullos labores meos alicujus momenti facio, in hoc uno ſolummodo confidens, quod ſemper dilexi juſtitiam, & odio habui iniquitatem. Item cum anxietatem ſuam de ſtatu ſuo poſt diſceſſum ejus deplorarent; elevatis pius Pater in cælum oculis, & eodem porrectis, inſtar aſcenſionis, palmis: Illuc, inquit, aſcendam, & obnixis precibus Deo propitio vos committam.

Ann. Ch. MLXXXV. XXV. Maii.

Ibi ſuam mortem prævidet.

109. Præterea rogatus, ut in tanta fidelium perturbatione, ſibi ſucceſſorem, & Eccleſiæ contra prænominatum adulterum deſignaret ultorem, trium dedit optionem: videlicet Deſiderii cardinalis & Abbatis cœnobii Caſinenſis, atque reverendiſſimorum Epiſcoporum Ottonis Oſtienſis [a], & Hugonis Lugdunenſis. Verum quia Otto nondum à Germaniæ & Galliæ partibus redierat, ubi Apoſtolica legatione functus, venerabilem Gebehardum Conſtantienſis [b] eccleſiæ præſulem, ſe præſente & favente conſecraverat, & alia nonnulla ad ſtabilimentum Eccleſiæ pertinentia prudenter ordinaverat: Hugo quoque ſua luſtrans gubernacula procul aberat; interim ſuaſit eligi vicinum Deſiderium, licet breviſſime victurum, non tamen abſque typo victoriæ Victorem eſſe appellandum. Nam in diebus ejus, qui quatuor aptati ſunt menſibus, famoſam victoriam dedit Dominus Apoſtolicæ Sedis propugnatoribus de adverſariis ipſius; per quam etiam cathedram ſuam diu ab invaſoribus detentam recepit Wirzeburgenſis epiſcopus, nomine Adalbero, vir ſpectabilis natu, honorabilis vultu & actu, reduces habens venerandos coëpiſcopos prædictum Gebehardum Conſtantienſem; & Heremannum Mettenſem, qui & ipſi pro fidelitate Gregorii noſtri ſedes ſuas amiſerant. Prædixerat eidem Deſiderio pater ſanctus, quod non interfuturus eſſet migrationi ipſius, quamvis ob hoc infirmantem inviſiſſet, & cum eo uſque in finem perſeveraret, & ſanctas exſequias cum ceteris fidelibus celebraret, multumque eum attonitum triſtemque reddiderat. Cumque hæreret in admiratione quidnam impedimenti futurum eſſet, ſubito nuntiatur ei à Nortmannis facta circumvallatio cujuſdam caſtelli ſuo monaſterio ſubjecti: & compulſus neceſſitate ſuccurrendi ſuis, abeundi licentiam accepit. Sicque, licet invitus, explendæ Prophetiæ locum dedit.

Succeſſorem deſignat.

110. Interea pontifex beatus Gregorius ſuper his, quos excommunicarat, requiſitus, ſi quam diſpenſationem facere vellet, reſpondit: Præter Henricum regem dictum, & Guibertum Apoſtolicæ Sedis invaſorem, & omnes illas principales perſonas, quæ aut conſilio aut auxilio favent nequitiæ vel impietati illorum, omnes abſolvo & benedico, quicumque me hanc habere ſpecialem poteſtatem in vice Apoſtolorum Petri & Pauli credunt indubitanter. Præter hæc admonens eos de multis, & hoc dedit illis

a Is poſtea fuit Urbanus II. de quo infra ad ann. 1099. de Deſiderio ſeu Victore III. ad ann. 1087. Hugo autem ex Dienſi epiſcopo archiepiſcopus Lugdunenſis, ob legationem apoſtolicam in Galliis clarus fuit.

b Hunc à Petro Albanenſi conſecratum dicit Bruſchius, qui multa de eo habet. Fuerat monachus Hirſaugienſis beati Willelmi diſcipulus.

ANN. CH. MLXXXV. XXV. MAII.

præceptum: Ex parte Dei omnipotentis, atque auctoritate beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, præcipio vobis, ut neminem habeatis Romanum Pontificem, niſi canonice electum, & ſanctorum Patrum auctoritate electum & ordinatum. Ubi vero in extremo poſitus erat, ultima verba ejus hæc fuerunt: Dilexi juſtitiam, & odivi iniquitatem, propterea morior in exſilio. Quo contra quidam venerabilis Epiſcopus reſpondiſſe narratur: Non potes, domine, mori in exſilio, qui in vice Chriſti & Apoſtolorum ejus divinitus accepiſti gentes hereditatem, & poſſeſſionem terminos terræ. Itaque ſeptiformi gratia plenus ſeptimi Gregorii ſpiritus, qui mundum & principes ejus arguerat de peccato & de injuſtitia & de judicio, in fortitudine cæleſtis cibi nuper accepti, cæleſtem vitam arripiens, meritoque divini zeli, velut igneo curru, inſtar Heliæ ſubvectus, Urbani prædeceſſoris ſui, cujus ea die feſtivitas exſtitit, omniumque beatorum lætitiam in cæleſti gloria cum Chriſto laudantium excellenter ampliavit; in terris vero peregrinantem Eccleſiam diſceſſu ſuo non parvo mærore conſternavit. Corpus ejus ſepulturæ traditum eſt apud beatum Matthæum Evangeliſtam, de cujus nova inventione lætabundam ſcripſerat ante paucos annos Epiſtolam *.

Pie moritur.

* *Lib. 8. epiſt. 8.*

Anſelmus Lucæ epiſcopus.

111. Conſequenter hic introducendus videtur præcipuus virtutum ejus ſectator & heres, beatus videlicet Anſelmus eccleſiæ Lucenſis Antiſtes, qui ante omnia id ſtudii ſemper habuit, ut imitaretur eum in omnibus, adeo ut diſcrepare ab illo prorſus nollet in aliquo. Deinde, quidquid in ipſo fuit, illius ſemper meritis attribuit. Gregorius namque veluti fons erat, Anſelmus quaſi rivus fluebat & arida irrigabat: ille, quaſi caput, totum corpus gubernabat; iſte, ceu manus ſtudioſa, quod injunctum operabatur: ille, ſicut ſol illuminavit omnia; iſte, velut ſplendor declaravit ſingula. Olim Helias ex mortalium cohabitatione tranſiturus dimiſit Heliſæo pallium ſuum, prophetici muneris inſtrumentum: ſimiliter & Gregorius ex hac mortali vita migraturus, tranſmiſit Anſelmo Pontificalis inſigne poteſtatis, videlicet mitram capitis ſui: hoc nimirum Deo cooperante, ut ſicut ille Prophetiæ per pallium hereditavit prærogativam; ita & iſte ſacerdotalem per mitram obtineret eminentiam. Nempe eo uſque proceſſit ſimilitudo, ut, ſicut Heliſæus per pallium Heliæ virtutum ſigna demonſtraverat; ita & Anſelmus per mitram Gregorii quædam magnalia exhibuerit. Nam, ut de pluribus unum magis divulgatum proferamus, reverendus Mantuanæ præſul eccleſiæ Ubaldus, multis jam annis graviſſime ſpleneticus, & toto corpore ulceratus, præſertim in cruribus, ſic ut vix quomodolibet ſtare poſſet, vix etiam jacere, vel ſedere, qui & multa in medicos erogaverat, nihilque profecerat, appoſita eadem mitra ubi major ingruerat dolor, priſtinæ redditus eſt ſanitati.

Gregorium laudat.

112. Libet ejuſdem Anſelmi de Pſalmorum tractatibus paucas ſententias excipere, & quam pium affectum erga ſanctitatem magiſtri ſui Gregorii habuerit, evidentius oſtendere. Sic ergo loquitur in tractatu ſecundi Pſalmi: Adſtiterunt reges terræ, & principes convenerunt in unum adverſus
„ Dominum, & adverſus Chriſtum ejus. Reges terræ, membra videlicet ejus,
„ qui regnat ſuper omnes filios ſuperbiæ, non ſolum venerunt, ſed & adſti-
„ terunt, & exercitu ſuo Romanam eccleſiam obſederunt: & principes Sa-
„ cerdotum conſpirantes convenerunt in unum, contra ſanctum Petrum, &
„ contra Vicarium ejus Gregorium; immo ipſum, qui dixit: Qui vos tangit,
„ me tangit; qui vos ſpernit, me ſpernit, crucifigunt iterum Filium Dei.
„ Conſtat etenim quia caput noſtrum in membris ſuis patitur, in membris
„ infirmatur, ſicut ipſe beato Petro dixit: Vado iterum Romam crucifigi.
„ Nonne tibi videntur principes Sacerdotum in domo Pilati colligere conci-
„ lium, ut Chriſtum morti tradant, cum tot falſos teſtes contra ſummum

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXV. XXV. MAII

Pontificem Henricus adornavit, cum omnes clamant: Reus eſt mortis. Nonne iterum Barabbas eligitur, & Chriſtus ſub Pilato morti addicitur, cum Ravennas Guibertus eligitur, & papa Gregorius reprobatur? Sic vivere latronem petunt, qui lege damnatur; & Juſtum damnant, per quem omnes ſalvantur. Nonne tibi videtur iterum Pilatus manus ſuas laviſſe, & dixiſſe: Mundus ego ſum à ſanguine hujus; nullam in eo cauſam invenio, quando ſimulata pœnitentia Henricus adoravit ſummum Pontificem; deinde falſis epiſcopis ſuis dixit: Secundum legem veſtram judicate eum. Amplius: Dirumpamus vincula eorum, &c. Opprimamus, inquiunt, virum juſtum, quoniam contrarius eſt operibus noſtris: ſi enim dimiſerimus eum ſic, venient Romani, & tollent noſtrum locum, & gentem. Item, ſi papa Gregorius vixerit, mittet contra nos prædicatores veritatis, qui diſcutientes vitam & actus noſtros, eripient oves Chriſti de manibus noſtris, & juſti diripient ſpolia noſtra, & dimittent Eccleſiam facientibus fructum in ea. Quantæ vero ſanctitatis tractator iſte fuerit, partim ex lectione ſanctorum geſtorum ejus animadvertimus, partim ex relatione religioſorum fratrum, qui ſe de longinquo ad ſepulcrum ejus per revelationem invitatos veniſſe, & à gravibus atque diutinis languoribus abſque mora liberatos fuiſſe teſtati ſunt, perpendimus.

Simoniaci correptio.

113. Nunc operæ pretium arbitramur paucis demonſtrare, qualiter vel gratia, vel ira Dei noſtris, hoc eſt in Germanicis partibus, commendaverit decreta Gregorii noſtri contra avaritiam & luxuriam Simonis, & Nicolai: quatenus & juſti vigilantiores fiant ad cavendum interdictæ communionis piaculum; & operarii iniquitatis formidoloſiores effecti, ſummis pœnitentiæ conatibus enitantur ad evadendum ſuæ prævaricationis ſupplicium. Nam ad ſepulcrum ejus cælitus facta, vel quæ fieri dicunt religioſiores quique Romani; nos illis qui viciniores ſunt percenſenda reſervamus, quibus & perſonæ facilius innoteſcunt, in quibus vel facta, vel fiunt. Ut ergo contra primam in Eccleſia Simonis peſtem primum ponamus exemplum. Reverendiſſimus Hirſaugienſis cœnobii pater Vuillelmus [a], cujus religionem ſcripta quoque Gregorii noſtri venerabiliter acceptant, inter multos qui ſpecialem ejus medicinam expetebant, recepit quemdam presbyterum Simoniacæ pravitatis lepra maculoſum, humilitatis antidoto curandum: ſed eheu! vim faciente monachorum importunitate, quorum peſſima conſuetudo eſt de ſacris Canonibus aut parum, aut nihil curare, non compeſcuit eum ab illicita immaculati Agni immolatione. Unde contigit, ut ipſe Salvator horrenda eum viſione deterreret, cum forte poſt inchoatam Miſſam cathecumenorum reſideret. Oppreſſo namque ſopore apparuit ſciſſis veſtibus, aſpectu quaſi leproſus, eique ſtupenti & admiranti, quem reſpiceret cauſa hujuſcemodi apparitionis: Taliter, inquit, tu me tractaſti, qui, cum te Simoniacum non neſcires, ad conficienda Sacramenta corporis & Sanguinis mei nihilominus accedere præſumſiſti. Inter hæc, urgente hora ſurgendi ad lectionem Evangelii, multi fratrum innuerunt, ut excitaretur; ſed prædictus Abbas altiori conſideratione renuit, ne revelatio, ſi qua eſſet, impediretur. Animadvertit enim, non otioſum eſſe tam profundum illius temporis & loci ſoporem. Itaque ventum eſt ad Miſſam Sacramentorum, & tunc neceſſario expergefactus celebrandi cauſa myſterii, manifeſtavit gravedinem & impoſſibilitatem ſuam, acceptoque protinus ejuſdem Miſſæ vicario, ex tunc in reliquum penitus ceſſavit à Sacerdotali officio.

Viſio beatæ Herlucæ. b

114. Abhinc proferenda ſunt exempla contra Nicolaïtas; & eorum communicatores valentia. Felicis namque memoriæ virgo Herluca [b], cui fami-

[a] Hujus beati viri vitam infra habes ad ann. 1091

[b] Herlucæ vitam ſcripſit Paulus hujus vitæ auctor, quam videſis tom. 2. Aprilis Bollandiani die 18. ſimul cum Vuicterpi vita ab eodem Paulo conſarcinata.

Ann. Ch. MLXXXV. XXV. Maii.

liares erant viſiones & revelationes Domini cum infirmitatibus Apoſtoli, fideli relatu nobis inſinuavit, quod ipſa vice quadam, dum ſolitaria reſediſſet in cellula ſua, ſubito viderat Dominum Jeſum ad ſe introire, comitante beato Vvicterpo [a], Auguſtenſis eccleſiæ quondam præſule, habitoque paulisper ſilentio, ſubſiſtere, & vulnera tantum ſua cruore manantia oſtendere. Cumque horripilaſſet à timore viſionis inſolitæ, affatus eſt eam Epiſcopus ita dicens: Abhorres ne Soror à cruenta ſpecie Salvatoris? Ait: Etiam domine. Vis eum, inquit, taliter ulterius non videre? Reſpondit: Volo. Noli, inquit, ergo amodo Richarii preſbyteri Miſſas audire, qui debitam tanto officio caſtimoniam non vult cuſtodire. Sic enim vocabatur preſbyter, qui illi eccleſiæ indignus præerat, juxta quam Virgo Deo dedita manebat: ex tunc eum publica vitatione confutatum, & exemplo ſuo plebem, ut idem faceret, animavit.

Altera viſio.

115. Illa quoque viſio non indigna commemoratione videtur, qua dilectus Deo, & hominibus, benedictæ memoriæ Adalbero monachus, & ipſe contumelias & terrores ab adverſariis Gregorii noſtri propter obedientiam decretorum ejus paſſus, eamdem Herlucam vidiſſe referebat de quodam Nicolaïta, qui carnalibus deſideriis inſerviens eccleſiam illam contaminaverat, quæ eſt in loco, qui dicitur Rota. In illa namque confinia, hoc eſt, in confinio Noricorum & Alamannorum, quos Lycus fluvius diſterminat, non procul diſtabant manſiones ejuſdem venerandi ſenis & beatæ Virginis; multumque ſe invicem in Chriſto diligebant, quia excellentem Dei gratiam in ſe mutuo recognoſcebant. Ita ergo dilectus de dilecta narrabat. Beata Herluca inter ſocias virgines & viduas quadam die ex more ſedebat, & operi manuum juxta conſuetudinem ſuam diligenter incumbebat, cum ecce ſubito per feneſtram proſpiciens, miſerabiliter lamentari cœpit & vociferari, dicens: Væ, væ, melius homini illi erat, ſi natus non fuiſſet. Cumque nimis attonita quædam illuſtris femina, nomine Hadeuviga, interrogaſſet eam, quidnam vidiſſet, unde tantum commota fuiſſet? Mortuus eſt, inquit, infelix preſbyter ille de Rota, & anima ejus ab angelis ſatanæ ſublata portatur ad inferna. Vidi enim eos prætereuntes cum inſultatione, & animam comitantem cum ejulatione. Illa optante hoc verum non eſſe: Mittatur, inquit, qui veritatem inquirat. Miſſus nuntius familiam lugentem invenit, & eadem hora comperit mortuum, qua beata Virgo ſpiritum ejus viderat à malignis ſpiritibus aſportatum.

Concubinarii preſbyt. punitio.

116. Interea ſuper ipſas quoque uxores ſeu concubinas Nicolaïtarum terribiliter deſævit divina ultio. Nam quædam illarum in reprobum ſenſum traditæ, ſemetipſas incendio tradiderunt: aliquæ, dum ſanæ cubitum iſſent, mortuæ repertæ ſunt in matutino abſque ullo præeunte infirmitatis indicio. Aliquarum etiam corpora, poſt evulſas animas, maligni ſpiritus rapientes, & in ſua latibula reponentes, humana ſepultura privaverunt.

Concubinarum.

117. Porro inceſtuoſis miſſarum celebratoribus ita ſe manifeſtavit aliquoties ira Dei; quod dum jam jamque communicare vellent, turbo vehemens irruit, calicemque ſubvertens ſanguinem effudit; panem vero ſanctum humanæ inventioni mirabiliter abripuit. Qualis vero preſbyter ille fuerit, qui ſæpe dicti ſemperque dicendi Gregorii noſtri caſulam ſibi in pignore poſitam, tempore II. Gelaſii papæ ad Miſſam ſemel induere præſumſit, non ſatis inveſtigavimus: ſed hoc pro certo, Romanorum relatu, didicimus, quod ilico ſcabioſus effectus, vix per dignos pœnitentiæ fructus evaſit.

Et aliorum.

118. Quanta vero gratia Dei ſubſecuta ſit obedientes Gregorianæ inſtitutioni, oſtendit religio quadrata per Apoſtolicam Gregorii noſtri benedictionem venerabiliter in his regionibus inchoata, & feliciter multipli-

Religio quadrata.

a) Vvicterpus ineunte ſæculo 8. Auguſtanam eccleſiam egregie adminiſtravit, ex abbate Elevvangenſi epiſcopus factus. quo curante Fauceuſe inſigne monaſterium conſtructum fuit.

cata,

cata, videlicet attonſorum Chriſti ſervorum; eiſque fideliter ſervientium fratrum barbatorum; Virginum ſingulari devotione jugiter incluſarum; itemque Virginum regulari moderatione introitus & exitus ſuos cuſtodientium. Sane quadraturæ hujus ſive quadrigæ quatuor præcipui rectores fuere, videlicet Canonicæ vitæ renovator eximius, Altmannus epiſcopus de Patavia, & beatæ recordationis Odalricus [a] prior de Cluniaco, venerandi patres Wilhelmus de Hirſaugia, & Sigefridus de ſancti-Salvatoris Cella [b].

ANN. CH. MLXXXV. XXV. MAII.

119. Verum, quia Cluniaci mentionem modo repetivimus, ad commonitionem cœnobiis præſidentium, libet ad memoriam revocare duas viſiones inibi Gregorio noſtro factas, ut qui verbo & exemplo ejus hactenus profecerunt, amodo nihilo minus & harum viſionum contemplatione proficiant. Igitur cum adhuc Legatus Apoſtolicus quadam vice Cluniacum veniſſet, & Abbati [c] fratrum Capitulo præſidenti aſſediſſet, ſublevatus ſpiritu videre cœpit medium Jeſum, modo ſe placide acclinantem eidem Abbati recte judicanti; modo indignanter avertentem, cum forte minus invigilaret rectitudini: qui poſtquam finito Capitulo eidem Patri ſecreto referebat, non parum cautionis in reliquum ſuggerebat. Item, cum divina revelatione præmonitus ex Apoſtolica auctoritate præcepiſſet, ut omnes, qui ibidem vel homicidæ, vel adulteri, vel quolibet modo criminoſi exſtitiſſent, ab altaris officio ſecundum ſcita Canonum ceſſare deberent: & iidem protinus pavida confeſſione declarati fuiſſent, narrabat prædictus Abbas ſe in ſomnis eoſdem velut ab Angelo decollatos vidiſſe.

Gregorius Cluniaci verſatur.

120. In calce libri commemorare delectat plenæ dilectionis bigam martyrii cruore perfuſam; BURCHARDUM [d] videlicet Halberſtatenſem, & THEODOMARUM Juvavenſem epiſcopos Gregoriani dogmatis aſſertores efficaciſſimos. Horum namque Burchardus Annoni Colonienſi, & Werenhario Magdeburgenſi reverendiſſimis Archiepiſcopis ſanguine, & religione proximus, poſtquam graviſſimum Henricianæ perſecutionis pondus laudabili conſtantia diu ſuſtentaverat, tandem appropinquante ſupernæ retributionis die, videt ſibi in viſu noctis beatum Blaſium martyrem ac pontificem aſſiſtere, & beatæ paſſionis ſocialem gloriam repromittere. Itaque furioſæ ſchiſmaticorum plebis horribili circumdatione apud Goſlariam coartatus, & letaliter vulneratus, quamdiu ſupervixit cum admirabili alacritate præſentes admonuit, ut ſibi & ab hæreticorum contagio caverent, & in obedientia Catholici pontificis permanerent. Denique inter verba ſanctæ exhortationis & orationis ſpiritum emittens, ſepultus eſt in memoria apoſtolorum Petri & Pauli, quam ipſe à fundamento conſtruxit & dedicaverat.

Burchardi martyrium.

121. Porro Theodomarus [e] naturæ præſtantia, & totius humilitatis & honeſtatis artificio præclarus, crebra fugiendi neceſſitate à Guibertinis & Henricianis tribulatus, & longa demum captione maceratus, poſtquam ſe vidit in ſuis terminis non poſſe fructificare, ſtatuit Hieroſolymam transmeare; atque inter eundum à paganis interceptus, & pro inexpugnabili confeſſione nominis Chriſti membratim interciſus, ſupernam Hieruſalem victor glorioſus intravit. Hic ordinaverat noſtræ humilitatis ordinatorem reverendiſſimum ſcilicet Udalricum Lauriacenſem ſive Patavienſem epiſcopum, atque Apoſtolicæ ſedis Legatum, qui ante hoc ſeptennium, poſt multos agones pro aſſertione Gregoriani dogmatis, cujus ad normam &

Et Theodomari.

Udalrici Pataviensis laus.

[a] Beatus Udalricus, cujus vitam damus infra. De monachis & monialibus hic memoratis fuſe agit Tritthemius in Chronico Hirſaugienſi.

[b] Apud Scaphuſam, ut habetur in epiſtola 24. libri 7. Gregorii noſtri.

[c] Is erat S. Hugo, cujus vitam Sæculo ſequenti, Deo dante, referemus.

[d] Burchardi martyrium fuſe deſcribitur in Chronico Saxonico, quod mſ. habemus.

[e] Is eſt beatus Thiemo, cujus martyrii acta dabimus initio ſequentis Sæculi.

Ann. Ch. MLXXXV. XXV. Maii. electus & promotus fuerat, legitime decertaturus obdormivit in Domino, anno ætatis ſuæ centeſimo-quinto, neminem, pro dolor, ſui ſimilem relinquens inter omnes Germaniarum præſules. Nullum etenim videmus ita compoſitum moribus, honorabilem vultu, modeſtum habitu, auctoritate reverendum, ſemper habentem in gratia ſale conditum ſermonem, & opportunis undique reſponſis expeditum; & alias poſſidentem prærogativas, quas maluimus diſſimulare, quam concitare inanem invidiam exæquare non valentium. Hoc tamen cum pace cunctorum putamus dicendum, quod nihil illius ſeveritate jucundius, nihil erat jucunditate ſeverius; & quod miræ abſtinentiæ cum tanta alacritate moderabatur virtutem, ut nullam penitus redoleret oſtentationem.

122. Cujus [a] ſpecialis alumna, Virgo Deo devota, vidit cæleſtes viſiones, & accepit donationes ad commendationem Gregorianæ obedientiæ non ineptas, ideoque ſilentio minime prætereundas. Dilexerat enim quemdam preſbyterum, eo quod caſte vixiſſet, & à tam legitimo Pontifice, videlicet Odalrico, ſacros ordines accepiſſet, ejuſque in divinis officiis, etiam ipſo tenore vocis, delectabilem ſuæ caritatis ſimilitudinem attigiſſet. Unde contigit, ut quadam vice videretur ei ſacra myſteria celebrare, dextera divinæ majeſtatis deſuper apparente, & canonice ſigna cum ipſo faciente. Verum poſt exceſſum divini Præſulis, cum, peccatis exigentibus, poſuiſſet Deus tenebras inſipientiæ, & facta eſſet nox inſolentiæ, in ipſam pertranſierunt omnes beſtiæ ſilvæ, ut catuli leonem rugientes ut raperent, & quærerent à Deo eſcam ſibi, videlicet ſpiritus maligni: &, quod miſerabile dictu eſt, ſacerdotem iſtum eatenus integrum, morſu luxuriæ corruperunt: quod præfatæ Virgini ſic aſſignatum eſt. Viſus eſt ei denuo ſacris myſteriis inſiſtere, dextera quidem Domini nihilominus apparente, ſed veluti languida dependente, ac nihil penitus conficiente. Et hæc quidem divinitus oſtenſa ſunt Virgini. Ceterum aliquoties, cum incontinentium Sacerdotum officia, juxta Gregorianam prohibitionem, corporaliter declinaret, ac per fidem & orationem illis intenderet, quibus corporalem præſentiam exhibere non potuit, mira Salvatoris largitate ejuſdem ſuavitatis guſtum ſentire cœpit in ore, quem interdum realiter communicando Catholicis ſe gratulabatur ſenſiſſe ex manifeſta Sacramentorum perceptione.

123. Diligebat autem hanc Virginem præ ceteris Virginibus beatæ recordationis antiſtes Odalricus, non magis propter ſuam indolem bonam, quam propter honorabilem ſanctæ matris viduitatem, & materterarum ejus, quæ omnes illam maxime erudiebant, laudabilem virginitatem. De matre, cui nomen Heliſea, breviter adjiciendum, quod in fervente obedientia Gregorii noſtri multis virtutibus, & prophetiæ ſpiritu præpollens, cum ad momentum tranſitus ſui de hoc mundo, benignis ſpiritibus ſe inviſentibus, opportunam ſolitudinem procuraſſet, & in eorum glorioſo præſidio ad Chriſtum migraſſet, è veſtigio revertentes quæ diſceſſerant ſorores, invenerunt eam ad ſimilitudinem Pauli primi eremitæ manibus ad Dominum expanſis inſtar ſupplicantis; quo nimirum pius Conditor in defuncta oſtenderet, quam devote ſibi, dum viveret, ſupplicaſſet.

Greg. 2. miracula. 124. Hæc nobis ſcribentibus forte ſuperlata eſt narratio duorum miraculorum Salerni cælitus patratorum, unum mox ut eodem beatus Gregorius receſſiſſet. Nam cum primitus illic prædicare cœpiſſet, adſtans quidam ruſticus maligna cœpit intra ſe taliter dicere: En auctor prœliorum & ſeditionum; poſtquam totum commovit orbem, hanc inquietare venit urbem. His ita cogitatis, dum etiam proloqui voluit, mutum ſe factum doluit. Cum vero neceſſitate compulſus acceſſit ad hominem Dei, provolu-

[a] Hanc beatam eſſe Herlucam putat Gretſerus, ſed aliam tunc viventem deſignari cenſet Papebrochius.

Digitized by Google

tuſque pedibus ipſius, quibus ſignis potuit, peccaſſe ſe, & pœnitere innotuit. quo miſerente, & benedicente, recepit loquelam, omnipotenti Deo famuloque ejus gratias relaturus. Poſtquam vero defunctus & ſepultus eſt, nocturno ſilentio ſubintroïerunt fures, aperire ſepulcrum volentes propter induvias Pontificales. Verum tantæ vehementiæ ventus obvius eis fuit, ut cunctæ lampades, quæ in crypta beati Matthæi ardebant, exſtinguerentur; & ipſi cadentes in amentiam tam diu jacerent, quouſque Cleri, populique ſpectaculum fierent. Ann Ch. MLXXXV. XXV. Maii.

EXCERPTA EX DOMNIZONIS Carminibus de B. Gregorio VII. Papa.

I. *Quod poſt Alexandrum Gregorius ſeptimus papa ſacratus eſt, cum quo prælibatus Rex tamdiu diſcordatus eſt, quod ab eo damnatus eſt.*

POſt ALEXANDRUM fuit ILDEPRANDUS amandus
Antiſtes factus, prius Archidiaconus almus
Exſtitit ejuſdem reverendæ ſedis in Urbe.
Dum conſecratur, GREGORIUS ipſe vocatur, Gregorii electio.
Jure Deus nomen ſibi tale dedit vel honorem;
Ne lupus irrumpat, vigilat caulas ovium ſat.
Noverat eſſe pius miſeris, altis quoque dirus,
Diverſiſque modis culmen retinebat honoris;
Plenus erat mira ſuper omnes quippe ſophîa,
Septimus antiſtes Gregorius exſtitit iſte.
Lucra gregis quærens, ſtuduit Regemque monere
Dulciter, à tantis reſipiſceret ut malefactis,
Eccleſias ſcripſit pretio ne venderet ipſi:
Ad cujus ſcripta reſcripſit Rex bona dicta;
Cujus Papa legens apices, gaudens, ait eſſe
In cælo cunctis de tali gaudia juſtis.
Rex ultra montes degebat, paſtor in Urbe,
Legatus velox referebat eis nova crebro.
Inter utroſque manens MATHILDIS cognita mater: Pro Henrico laborat.
Ut pax in regno toto fieret ſine bello,
Pontificis pacem Regem ſuadebat amare,
Atque pium Papam de Regis amore rogabat.
Regis erat mater * tunc Romæ ſubdita Papæ, * Agnes.
Quam vir amans pacem, pro nati mittere pace
Ordinat, & ſecum Præneſtinæ quoque verum
Pontificem Chriſti [a], cui jungit & Oſtia triſtis
Pontificem magnum, quem nomine clamo GIRALDUM;
Hos ultra montes direxit Papa, duoſque
Quos Rex dignanter cum matre recolligit AGNE.
In manibus quorum promiſit juſſa piorum
Se pro poſſe ſequi, Papæ, ſancti quoque Petri,
Eccleſiam ſummi Domini non vendere nummis.
Lætificat valde nati reſponſio matrem,
Romam regreſſa Papæ retulit nova geſta.
Papa Deo laudem tulit immenſam ſuper hanc rem.

a Is erat Ubertus ſeu Hubertus. In epiſtola ipſius Gregorii 28. lib. 2. dicitur mendoſe *Albertus*.

ANN. CH. MLXXXV. XXV. MAII

Ad ſcelera rurſum rediit Rex poſt modicum, tunc
Ad quem mendacem direxit denuo matrem.
De prope poſt ipſam ſibi tranſmiſit ſua ſcripta,
Qui doluit tandem, matrique ſpopondit ut ante.
Credidit hoc ſtatim genitrix quod Rex ſimulavit,
Quæ rediit Romam, Papam reverenter honorans.
Poſt hæc ad Regem bis ſcripſit Papa decenter.
Quos apices ſacros temnit Rex maxime caros;
Quem tunc Saxones Regem ſprevere feroces,
Prœlia qui ſecum ſtatuunt committere demum.
Quod Rex abſque mora Papæ mandavit, adorans
Atque petens ipſum pro ſe roget ut Crucifixum.
Paſtor confeſtim Saxonum mittere genti
Curavit, plane pacem cupiens revocare.
Inde ſuus miſſus donec redeat, jubet ipſum
Regem nullo modo ſuper ipſos pergere; quod non
Rex exſpectavit, galeatus quin equitavit
Contra Saxones, qui fortes ſunt & atroces;
Peccator quamvis, prudens tamen hic erat armis;
Commiſſo bello, victor Rex exſtitit ergo.
Unde ſuperbus adeſt, Papam deſpexit, ut amens,
Omnia quæ Papæ, matrique ſpoponderat ante
Fregit & inverti, Simoniacos revocavit.
Afficitur valde vir Apoſtolicus ſuper hanc rem,
Accitis miſſis multis hoc ilico ſcripſit,
Atque BEATRICI[a] dominæ, prolique Mathildi;
Quæ dominum Papam flagrantem ſemper amabant.
Perfidiam Regis deteſtavere tumentis.
Acrius ad Regem ſcripſit Paſtor ſacer, & ſe
Ulterius clamat non poſſe pati mala tanta.
Rex mox hac illac diſcurrere cœpit, ad iſta
Plures perverſos coadunans tempore certo,
Cum quibus adverſum Patrem loquitur reverendum.
Moguntinus ibi fuit archiepiſcopus *, ipſi
Judicium totum tribuit Rex flagitioſus.
Huc UGO tunc falſus venit qui dicitur ALBUS.
Officit hic multis Romanæ preſbyter Urbis.
Ter damnatus erat, pretio quia reſtituebat
Emtores Chriſti templorum, junctus & ipſis,
Adverſus Papam fingens mala, lætificabat
Corda malignorum Regis ſimul & ſociorum.
Audax antiſtes Moguntinus nimis ille,
Non Chriſtum timuit, Papam quando maledixit.
Cuncti ſubſcribunt, magis ipſi ſe maledicunt.
O blaſphemia non umquam hîc, neque poſt abolenda!
Hoc anathema quidem mandavit mox procul idem
Ad Longobardos Simoniacos nimis altos.
Qui læti facti, in Papam denique raptim
Omnes concurrunt, Regis faciunt quoque juſſum:
Jurant, ſubſcribunt, contra dominumque magiſtrum
Mittendos apices Romam Rex edidit ipſe;
Qui de ſede ſacra dicebant ſurgere Papam,
Injuſte ſtantem, papatum depopulantem,

Saxones rebellant.

Henricus victor papæ monita ſpernit.

*Sigefridus.

Cui quidam Epiſc ſe adjungunt.

Papam anathematizant.

Subſcribunt Longobardi.

[a] Obiit anno 1076. die 18. Aprilis, & Piſis in Tuſcia ſepelitur ex Domnizone. Adi Baron. ad an. 1076.

Quos ſynodo coram ſtatuere mittere Romam. *Ann. Ch. MLXXXV. XXV. Maii.*
Quidam Rolandus, Parmenſis Clericus, aptus
Eligitur, quarum gerulus tunc litterularum.
Incipiens ſynodum paſtor Gregorius, ovum *Synodus Romana.*
Gallinæ ſculptum geſtans in cortice ſcutum,
Et colubrum nigrum, qui tendebat caput, ictu
Quippe repercuſſus quodam, pertingere ſurſum
Non poterat, clinum ſed ventre tenus caput ipſum
Torſerat, & caudam triplicando dabat ſinuatam.
Non erat hæc plana, ſed erat ſculptura levata;
Ad ſynodum fertur, numquam par ante repertum.
Quod dum miratur, prædictus & ecce Rolandus
In medium venit, Papæ mox dicere cœpit: *Ubi anathema in Papam inſinuatur.*
Rex juſſit terræ, juſſerunt Pontificeſque,
Ut linquas ſedem, quam non es dignus habere.
Romanis Clericis mox idem portitor inquit:
Coſtes in pente Romam teſtor veniet Rex
Miſſurus Papam, lupus hic, non eſt quia Papa.
Sic cum blaſphemat, Præfectus eum cupiebat
Privari vita gladio, commotus in ira.
Quod feciſſet enim, ſed ei Pater almus adhæſit,
Vixque tacens cœtus, cæleſti Flamine plenus
Papa beatus ait: Turbari linquite nati, *Papa perorat.*
Eccleſiæ ſanctæ veniunt quia tempora valde
Plena dolis, minis, magniſque repleta periclis,
Expedit exſiſtant quæ ſunt ut ſcandala ſcripta;
Væ ſed ei prava per quem ſunt ſcandala clamo.
Noſtrum nempe modum Deus inſit, mitto luporum
In medio vos ſic, velut agnos: dicoque vobis,
Vos, quaſi ſerpentes, prudentes convenit eſſe;
Vivere ſimpliciter veluti vivuntque columbæ.
Has geſtare decet virtutes non modo vere,
Atque crucem Chriſti ſtudeamus ferre met ipſi;
Non nos à Chriſto tribulatio ſeparet iſto
Tempore, ſed colla ſubdamus membraque noſtra
Martyrio. verbo fidei feriatur hic ergo
Oſtenſus ſerpens, qui ſcutum geſtat & enſem
Adverſus matrem Romanam catholicamque
Eccleſiam Chriſti de ſanguine rubra benigni.
Plura loquens Papa, dixit ſynodus ſibi ſancta:
Tu Pater es Patrum, blaſphemum contere pravum;
Eſt noſtrum quippe juſſis parere tuiſque:
Pro Chriſto mortem patienter gliſcimus omnes.
Judicium confer, gladium trahe, percute fortem.
Omnibus excelſe dignum clamantibus eſſe
Privari regno Regem, maledicere necnon.
Papa dolens, vinclis anathematis ilico ſtrinxit
Regem prædictum, cui regnum devetat ipſum. *Rex condemnatur.*
In Quadrageſima ſynodus celebrata fit iſta.
Qui Petrum ſanctum, qui Papam diligit almum,
Hoc anathema probat, quod Regem ſic inhonorat,
A Petro quiſquis ſeu Papa diſcrepet iſtis
Temporibus: firmæ permanſere Comitiſſæ
Magnæ, petra quaſi Mathildis & alta Beatrix,

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXXV. XXV. Maii.

Hæ mediatrices inerant & Regis amicæ.
Cumque vident Regem per devia tendere ſemper,
Proximus illarum fuerat quia Rex & earum,
Ex ipſo mæſtæ pandebant ſe ſatis eſſe,
Sed tamen à Papa ſe non diſcedere clamant.

II. *De primo adventu tertii* HENRICI *Regis*, *& VII. Papæ* GREGORII *in Longobardiam*, *& qualiter à Ducatrice* MATHILDI *apud Canoſſam ſuſcepti ſunt*, *& quod eumdem Regem ſubvertit* GUIBERTUS *archiepiſcopus*, *& alia vice ivit cum eo Romam contra Papam.*

* Hugonem Cluniaci.

Rex rogat Abbatem *, Mathildim ſupplicat atque,
Poſt matris mortem, fama currente per orbem,
Regem damnatum per Papam commemoratum.
Turbati certe fortes ſunt atque potentes
Per totum regnum, dicentes eſſe ſuperbum,
Non parere pie, ſinceriter, atque benigne,
Romanæ ſedi, quæ claves continet ævi.
Quocirca Regem ſtatuunt contemnere recte;
Ni redeat, Papæ pacem ſtudeat revocare.

Conventus pro pace.

Non aliter ſe Rex noſcens regnare valere,
Ad conſobrinam Mathildim miſit, ut ipſa
Conſilium caperet, quo Papa veniret ab Urbe
Longobardiam, peteret veniam ſibi dignam.
Ipſe ſuum juſſum faceret dubio procul ultro.
Papa preceſque videns dominæ Mathildis, eidem
Quod quærit donat, dimiſit denique Romam.

*Canuſiam.

Opilio dignus Canoſſam * venit, & intus
Quem ſancti Petri vice digniter illa recepit;
Salvificum rorem quæ Papæ ſumſit ab ore.
Regis Henrici, domina comitante Mathildi,
Affuit & juxta præſentia, turbaque multa.
Ex me fitque nova dum fiunt talia Romæ;
Urbs honor ecce tuus, mecum Rex, Papa ſimul ſit,
Ac Itali proceres, necnon Galli, proceresque
Ultramontani, Romani, pontificali
Stemmate fulgentes, adſunt plures ſapientes:
Inter quos Abbas HUGO Cluniacenſis hic adſtat,
Qui Pater in lavacro Regis fuerat ſacroſancto.
Pacis ſermones tractabant hi ſeniores;
Cumque dies ſtarent per tres pro pace loquentes;
Et pax non eſſet, Rex atque recedere vellet;
Capellam ſancti petit idem Rex Nicolai,
In qua Paſtorem lacrymans oravit Hugonem,
Ut pro pace ſua fidejuſſor ſibi fiat.
Non licet hoc, Abbas Regi reſpondit, & adſtans
Illic Mathildis rogitavit eum, ſed & ipſi:
Hoc faciet nemo, reſpondit, tu niſi, credo.
Poplitibus flexis dixit Rex atque Mathildi:
Tu niſi me multum juveris modo, non ego ſcutum
Ulterius frangam, multavit me quia Papa.
Conſobrina valens fac me benedicere, vade.
Ipſaque ſurrexit Regique ſpopondit: & exit
Aſſcendens ſurſum, ſtetit at Rex ipſe deorſum;

Digitized by Google

Alloquitur Papam de Regis ſine reclamans. — Ann. Ch. MLXXXV. XXV. Maii.
Sinceris dictis dominæ venerabilis iſtis
Credit Antiſtes, ut juret ſic tamen ipſe
Rex illi, ſedi Romanæ ſitque fidelis;
Præſul quæque velit Gregorius, hoc ſibi fecit
Rex retro ſcriptus, ſolito quoque munere. Frigus
Pernimium magnum Janus dabat hoc & in anno.
Ante dies ſeptem, quam finem Janus haberet,
Ante ſuam faciem conceſſit Papa venire
Regem, cum plantis nudis, à frigore captis;
In cruce ſe jactans Papæ, ſæpiſſime clamans:
Parce beate Pater; pie parce mihi peto plane.
Papa videns flentem miſeratus ei, ſatis eſt, eſt. — Quam Henricus obtinet.
Nam benedixit eum, pacem tribuit ſibi, demum
Miſſam cantavit, corpus dedit & Deïtatis:
Secum convivens ſuper arcem qui Canuſinam
Ipſam dimiſit, poſtquam juravit; & ivit
Urbem reginam, qua ſtabat turba maligna
Pontificum, valde metuentes hanc fore pacem.
Major erat cunctis Guibertus, epiſcopus urbis
Ravennæ, doctus, ſapiens, & nobilis ortus.
Exſtiterat Parmæ civis ſeu Clericus ante.
Dum fuit electus Gregorius, iſte Guibertus
Ipſi juravit, contra quem nunc mala ſancit,
Regis enim mentem contra Papam docet eſſe;
Rexque die ſexto remeavit Bibianellum,
Corde dolo pleno, cum plena mente veneno.
Paſtor felle carens ad eum deſcendit ab arce
Crebro ſcripta ſupra; mox eſt Comitiſſa ſecuta.
Callidus at multa Rex Papæ dixit, & ultra
Eridanum fluvium commune cupit fieri tunc
Colloquium. laudat quod Papa, Mathildis & optat;
Cur hoc rex malit ignorant hi duo clari;
Mantua re vera placito ſubdique timebat.
Rex equidem fruſtra tranſivit primitus undam
Eridani, tractans cum paucis tradere Papam;
Necnon, ſi quiret, Comitiſſam traderet idem. — Henricus Papam capere tentat.
Hoc ſcelus infandum complere putat placitando.
Cuncta videns Chriſtus fieri vetuit ſcelus iſtud;
Eridanum Præſul, Mathildis & optima ſecum
Tranſivit, ſperans pacem componere veram.
Ad dominam claram multis oculis oculatam
Nuntius advenit, qui ſecretum patefecit
Regis Henrici, qui Papam tradere dicit.
Hoc ubi cognovit prudens hera, mox cito movit
Seque ſuos, fortes petiit cum Præſule montes.
Inſidiæ fractæ Regis ſunt & patefactæ:
Papam, Mathildem Rex ulterius neque vidit.
Pontifices falſi ſunt ex hoc lætificati,
Maxime præſcriptus Guibertus, qui dedit iſtud
Conſilium Regi, quia vult invadere Petri
Sedem condignam, zabuli quod fecit ad inſtar, — Guiberti Ravennat. nequitia.
Æthercam ſedem cupiit qui tollere teter.
Lubricus & mendax erat iſte Guibertus aberrans,

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXXV. XXV. Maii.

Conſcius & conſors homicidarum quoque fautor,
Pompam mundanam plus ipſo nullus amabat,
Relligione caret ſic quod nec eam ſcit amare.
Hunc Rex pro Papa laudans hoc magnificabat,
Ultra qui montes rediit, faciens mala promte,
Quæque nefanda libent tute faciebat inique.
Nam ſuus exactor, judex, falſus quoque Paſtor,
Non reprehendebat crudelia quæ faciebat:
Eccleſias nummis vendebat ſedulo multis;
Sæpe duos falſos urbs una tenebat in anno
Pontifices, dando certatim præmia ſtando,
Plebes capellas pretio clericis tribuebant;
Cuncti perverſi vivebant lege Guiberti.
Aſt hera Mathildis deſpexit facta maligni,
Corde fidem veram peramabat munere plenam;
Poſtpoſuit Regem; per tres tenuit pia menſes
Gregorium Papam, cui ſervit ut altera Martha;
Auribus intentis capiebat ſedula mentis
Cuncta Patris dicta, ceu Chriſti verba Maria.

Canuſinæ eccleſ. privilegium.

Propria clavigero ſua ſubdidit omnia Petro,
Janitor eſt cæli ſuus heres, ipſaque Petri.
Accipiens ſcriptum de cunctis Papa benignus,
Tunc libertati Canoſinam ſanctificavit
Eccleſiam, chartam libertatis ſibi largam
Dictans, & mandans violenter, ne ſua tangat
Ullus homo prorſus, ſit ob hoc anathemate tortus;
Hortatu magnæ Comitiſſæ Papa dat hanc rem.
Tempora mille Dei tunc ſeptem ſeptuaginta,
Tempus cognoſcens crudele venire per orbem
Papa, Ducatricem verbis corroborat idem,
Ut ſit in adverſis acerrima, non ſit inermis,
Chriſticolas cunctos, ut prævalet, adjuvet ultro,
Blaſphematores, qui ſunt ſatanæ quoque proles,
Conterat, exſtirpet, revocet quandoque benigne.
Juſſa pii domni ſapiens Comitiſſa recondit,
Ut regina Saba Salomonis verba beata.

Greg. Romam reverſus.

Cumque vale dixit comitiſſæ Papa Mathildi,
Urbem Romanam Madio florente per arva
Viſitat, adventum cujus plebs ipſa repertum
Obviat, exſultat, paſtorem ſuſcipit una,
Ipſeque commendat, quod nobilis egerat erga
Se ſanctumque Petrum Mathildis: Vivat in ævum,
Clamavit cunctus clerus, totus quoque vulgus;
Cum quibus & Regem maledixit denuo recte,
Abſolvitque viros, qui jurarant ſibi, micros *
Ac proceres grandes, illum ſi linquere mallent.

* parvos.

Henricus in Italiam venit.

Quod Rex agnoſcens, coadunans denuo fortes,
Italiam rurſum ſpatium poſt temporis unum
Ingreditur, terram totam maculabat aberrans.
Sola reſiſtit ei Mathildis, filia Petri,
Rex exardeſcens contra quam concitat enſes,
Prœlia, terrores, & caſtris obſidiones.
Ad nihilum pugnat, non hæc ſuperabitur umquam;
Inſuperabilia loca ſunt ſibi plurima fixa,

Diligitur

Diligitur valde, villas defendit & arces.
Hanc videt incaſſum rixam Rex creſcere tantum,
Cogitat ut turbet ſolum caput; ivit ad urbem
Romuleam, ſecum Guibertus abiſſe videtur.
Mos fuit adventum Regis populo fore feſtum; Romam.
Iſtius eſt fletus, ſua turbant crimina cælum.
Urbs propter Papam non illi ſit reſerata;
Circa quam bellans, dirupit mœnia celſa,
Depopulans Urbem, Papam ſtatuens ibi turpem,
In catedra locat hunc, falſo Clemens vocitatur. Guibertus antipapa.
Hic eſt Guibertus fallax, vaſtator apertus
Eccleſiæ Chriſti, merito quem ſignat abyſſi
Beſtia, quam vidit Dilectus in Apocalypſi.
Regis & illa phalanx Romam totam maculabat,
Pervigil & Rector Gregorius ex grege feſſo,
Pollutæ catedræ multum quoque condolet æque,
Sperans in Petrum rogitat pugnare Robertum
Normannum quemdam, qui Regem depulit extra
Urbem, qui veluti per ſtratam damula fugit
Francigenam, montes ultra rediens malus hoſpes.
Papa ſuus Clemens Romanis præmia præbens,
Raptor terrenam Petri rapit ipſe catedram.
Quamquam ſe monſtret quod ſit quaſi Paſtor in Urbe,
Ipſi nulla tamen pars in cæli manet arce:
Hic hæreſis limes mundum ſeduxit inique,
Juſſa Dei ſpernit, ſanctorum verba neglexit,
Prævaricat leges, divinas deſtruit ædes:
Perſequitur dignum dominum Papamque magiſtrum,
Qui monitis ſacris plenus manet in Lateranis,
Illic conſiſtens ſpermologus optimus iſte,
Actibus & verbis exprobrat ſchiſma Guiberti,
Perpetuo damnans anathemate ſchiſmata tanta.
Naſcitur hinc cunctis ingens tribulatio juſtis.
Mucronem Regis pia pars quam maxime ſentit,
Sedibus expulſi ſunt Pontifices quoque multi, Regis & antipapæ ſævitia.
Flagris afflicti, vinclis in carcere ſtricti.
Rex & Guibertus faciunt juveneſcere tempus
Neronis priſci, qui præcepit crucifigi
Petrum, cervicem Pauli gladio ferit idem,
Et propriæ ventrem præſcindere matris ab enſe
Fecit, ut inſpiceret requievit ubi malus ipſe.
Sic propriæ matris palmas calcaribus acris
Transfodit, miſſus ſatanæ, Guibertus iniquus.
Nullum quippe virum timuit niſi Nero magiſtrum,
Venis inciſis in aqua vitam tulit ipſi.
Hi duo præſcripti fidei fere nomen obliti,
Perdere nituntur doctorem denique ſummum.
Simon eis doctor magnus exſtat & hiſpidus auctor,
Ignorant forſan quod dum fortuna reportat
Injuſtos ſurſum, ruituros eſſe deorſum,
Quandoque plus ipſos ideo patitur Deus illos.

Digitized by Google

Ann. Ch. mlxxxv. xxv. Maii.

III. *Qualiter circa Regem, & Guibertum exarſerit domina Mathildis, & quod cunctis Catholicis ſubvenerit.*

Mathildis pios fovet.

Corde pio flagrans Mathildis lucida lampas
Adverſus binos Domini Crucis hos inimicos
Arma, voluntatem, famulos, gazam propriamque
Excitat, expendit, inſtigat, prœlia geſſit.
Singula ſi fingam quæ fecit nobilis iſta:
Carmina ſic creſcent, ſunt ut numero ſine ſtellæ:
Plura ſed omittam, de paucis diſcite mira.
Ex hac parte freti per climata quatuor ævi,
Lepra Guibertina ſuccreverat horrida, nigra;
Hac lepra mundus fere non locus exſtitit ullus,
Munda domus ſola Mathildis erat ſpatioſa:
Catholicis prorſus fuit hæc tutus quaſi portus.
Nam quos damnabat Rex, pellebat, ſpoliabat
Pontifices, monachos, Clericos, Italos quoque Gallos;
Ad vivum fontem currebant funditus omnes;
Scilicet ad dictam dominam jam mente benignam,
Quæque requirebant apud ipſam reppeſiebant.
Defuit haud ulli, quin profuit optima cunctis,
Non ab ea mæſtus, ſi quis vir venit honeſtus
Umquam præteriit, ſed conſolatus abivit.
Veſtibus è ſacris multos hæc nota Ducatrix
Patres Catholicos veſtiſſe quidem reminiſcor;
Inter quos fulſit reverendus Epiſcopus urbis
Lucenſis, lucens Anſelmus maxime prudens,
Lege Dei doctus, monachus bene relligioſus.
Gregorius Præſul Romanus ut egit Jeſus,
In cruce qui moriens, dat diſcipulo Genitricem;
Commiſit dominam ſic Anſelmo Comitiſſam,
Quam docuit dictis, regit exempliſque benignis;
Perverſæ ſectæ monuitque reſiſtere ſemper.
Conſilii magni vir hic Angelus hic fuit annis,
Conſilium cujus ſequitur Comitiſſa venuſtum.
Nam quos ipſa valet pravos convertere mater,
Quantiſcumque modis quit, agit in omnibus horis;
Multos cum feudo, multos munus tribuendo,
Pugnando plures, Caſtellaque ſæpius urens
Regis ab obſequio jugiter disjungit iniquo.
Ultramontanis, ac Principibus ſibi caris,
Errores Regis ſcribit vitare rebellis,
Sicque Deo multum generabat credula fructum,
Gregorio papæ proceres ſervire ſuadens,
Mittere cui gratis crebro ſolet in Lateranis
Xenia multa nimis, quam Papa pie benedicit.
Bis centum libras domus argenti Canuſina,
Tunc miſit Papæ, quam debet Papa beare.

Ex his Anſelmum Lucæ epiſc.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXXV. XXV. Maii.

IV. *De obitu Papæ* Gregorii, *& de electione* Desiderii *&* Urbani *Papæ, & quod domina* Mathildis *pro Romana eccleſia pugnavit, & de obitu ſancti* Anselmi *Lucenſis epiſcopi.*

Interea planctus de Præſule naſcitur altus
Gregorio, geſtat Dominus quem Chriſtus ad æthra, — Gregorii mors.
Ante dies ſeptem Madii quam finis adeſſet.
Hunc monachi deflent, monachus quia noſcitur eſſe, — Monachus fuerat.
Hunc clerici flebant, valde laïcique dolebant,
Pura fides quorum procul eſt à ſchiſmaticorum.
Quando ſuum ſanctum reverenter corpus humatur,
Anni mille Dei ſex inſunt octuageni.
Poſt hunc fit papa Desiderius probus Abbas — Deſiderius ei ſuccedit.
Montis Caſſini, qui parvo tempore vixit.
Anno poſt iſtum Paſtor ſacratur in ipſo
Urbanus rhetor, monachus prius, & modo rector — Item Urbanus.
Eccleſiæ Verbi ſummi Patris, atque perennis,
Ut Salomon dicit, Juſtus veluti Leo fidit.
Hic damnat Regis fidenter, & acta Guiberti:
Qui Petri ſedem falſo cupiens retinere,
Advocat Oddonem prudentem de Tuliere
Adverſus Papam; quem bello ſæpe coartat.
Ille tamen juſtus, licet eſſet ſæpe retunſus,
Immobilis durat, pacem putat eſſe futuram.
Filiolæ Petri, Chriſti famulæque fideli
Exhortando pia direxit tunc ſua ſcripta,
Gregorii normam plus præcipueque recordans,
Quatenus obſervet, nec eam dimittere tentet.
Hinc peccatorum veniam dat eique ſuorum.
Gregorii miſſi crebro petiere Mathildim,
Curſores currunt ad eamdem crebrius hujus.
Denſius haud ceſſat patres hos hæc vice verſa
Chartis & miſſis pulſare diebus in ipſis,
Pro quibus adverſum ſe commovit fere regnum
Italicum totum, Ligurum ſed maxime totum,
Ipſa Padi ſtratam tenet urbibus unde fit acta.
Hujus dum pugnant athletæ, non niſi culpa
Ipſorum perdunt, ſed vincunt optime bellum.
Urbibus ex multis cives hoc tempore multi
Inſimul armati clypeis & equis falerati,
Principe cum celſo prudenti prorſus Oberto,
Ducunt Parmenſem, Reginum Pontificemque [a],
Romam tam fortes aïunt ſe pergere poſſe.
Hi luctatores ibunt pro Regis honore,
Terras vaſtantes circumcirca peragrantes,
Audaces tandem terram Mathildis amantes
Intrant, credentes ipſam vaſtare repente.
Suſtinet iſtorum Sorbaria caſtra virorum,
In propriis campis illis tribuit loca ſtandi,
Nocte quieſcentes oculis ſomnum capientes,
Julius aſſumta jam vero luce ſecunda,
Ecce repente phalanx Mathildis adeſt, Petre, clamant,

[a] Ii ſunt Eberardus epiſcopus Parmenſis, & Gandulfus Regienſis.

Ann. Ch. mlxxxv. xxv. Maii.

Auxiliare tuis. inimici ſurgere tuti
Incipiunt, campi tanto ſtrepitu ſtupefacti,
Multi dant dorſum, pugnant altiſſime morſu
Proſternuntur ibi, plures capiuntur iniqui:
Marchio prædictus quemdam tranſverberat ictu;
Et quaſi voce loquens nonnæ, ſine fugit honore,
Talem grunnitum portat, nec hic inimicus
Ducet quod numquam ſuper hanc dominam, puto, turbam.
Ebrardus præſul Parmenſis captus habetur,
Pontificem ſentes Reginum perque dies tres
Abſcondunt nudum Gandulfum, pectore durum,
Nonnulli capti proceres, alii fere lapſi,
Gaudet turba Petri, turbatur concio Regis.
Inclyta Mathildis terror fuit omnibus illis.
Menſis ut advenit qui primus in ordine cœpit,
Ejus in octavo decimoque die, dominator
In cælis regnans Anselmum vexit ad æthra.

Anſelmi mors.

Huic ſimilis credo fuit hoc in tempore nemo;
Officium duplex monachorum Pontificumque
Nocte die complens, corpus macerabat ut hoſtem,
Catholicus, cælebs, pius, & ſobrius fuit æque;
De cujus vere triſtantur morte fideles.
Schiſmatici gaudent; erat his contrarius autem.
Quem ſibi commiſſum per Gregorium Comitiſſa,
Ut decuit, digne ſepelivit mæſta benigne,
Artus Anſelmi condivit Mantua terris.
De quo, quod gliſcit, monſtraſti Chriſte Mathildi.
Nam virtute tua fecit miracula plura;
Servulus iſte tuus de ſanctis exſtitit unus,
Catholicæ parti fuit indicium probitatis,
Schiſmaticæ parti ſignum quaſi debilitatis.
Inde triumphando gaudet Comitiſſa precando,
Hujus enim patris precibus putat auxiliari.

Miraculis claret.

Cumque daret tumba ſancti miracula multa,
Proderet ut multis poſt nos per ſæcla futuris,
Juſtitiæ cultrix ea partim fingere juſſit,
Quæ ſimul & vitam Capellani ſibi dictant.
Tertius exſiſtens ab eo Lucenſis, & ille
Rangerius rector dictavit eam ſibi metro,
Dictavit pulcrum nuper librumque ſecundum,
Qui baculi litem diffinit, miſit eique
Principium cujus ſit hic, & non hæſitet ullus
Lector, ſed noſcat, quod cetera ſint metra docta.
Filiolæ Petri, violæ poſt lilia dentur;
Detur ei de fonte Dei ros unde rigentur.
Pugna fuit, donec potuit ſævire Guibertus,
Perfidiæ Dux, Eccleſiæ vaſtator apertus.
Sed quid ei tentare Dei firmiſſima caſtra?
Numquid eo regnante Deo pervenit ad aſtra?
Mortuus eſt, & traditus eſt in perditionem,
Quique reum defendit eum contra rationem,
Gregorium, vas egregium, quicumque negavit;
Jam videat, ſi forte queat, quam falſo putavit.
Quique duas fregit ſtatuas Urbanus, ab illo

Fonte fluit, longeque cluit non ſegnius illo. ANN. CH. MLXXXV. XXV. MAII.
Quiſquis eum non ante Deum vel ſero fatetur;
Reprobus eſt, & devius eſt, pœnamque meretur.
His ducibus mirabilibus collectio noſtra
Non tacuit, donec tenuit latrantia roſtra.
Jam redeunt, qua fronte queunt, qui proſiliere,
Quos video, tangente Deo, plerumque dolere.
Sed redeant, & nos habeant, & noſtra libenter:
Sed videant, ut non redeant poſt terga latenter.
Nunc igitur non exigitur quicquid... mederi,
Qua voluit, donec voluit, diviſus haberi,
De pretio, de flagitio, de ſeditione
Et ſapiunt & nos aïunt in cognitione.
Nam pretium, nam flagitium non complacet illis,
Qui cupiunt, qui diripiunt, damnantur ab illis.
Par ratio, par traditio, pro parte videtur,
Præſtet ei cenſura Dei, quod deeſſe videtur.
De baculo lis eſt populo cum patribus orta,
Iſta fuit, quæ non caruit caligine, porta;
Iſta fuit, quæ diripuit Paulumque Petrumque;
Iſta fuit, quæ par habuit Regemque Deumque.
Hæc freneſis non eſt hæreſis, non eſt laberynthus,
Per tenebras & per latebras non eſt labor intus;
Hanc volumus quicumque ſumus de dogmate Chriſti,
Ut fugiant, & rejiciant communiter iſti.
Unde volo, ne forte dolo circumveniamus,
Ut breviter, ſed non leviter penſanda loquamur.
Chriſte ſapis, quod corda lapis, ſuccenſa calore,
Fac fieri, quæ ſcis fieri, pro pacis amore.
Plus laïcis cunctis Mathildim Rangerius ſcit
Intentam legi Domini, vitæque perenni;
Hoc ſibi perlucens ob id edidit ipſe volumen
Jam redeat primus, ſed hic iſte ſit ordo relictus.

VITA S. ANSELMI EPISCOPI LUCENSIS IN ITALIA.

ANN. CH. MLXXXVI. MARTII XVIII.

Auctore B. ejus diſcipulo & Pœnitentiario.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *QUI ſequentem libellum ſcripſit auctor, non uno in loco ætatem ſuam indicat, ſeque Anſelmi æqualem ac diſcipulum prodit, ut num.* 19. 20. 21. 24. *&* 29. *Nomen ſuum prima dumtaxat littera initiali B. deſignat num.* 43. Hæc de beatiſſimo, *inquit*, patre ac patrono noſtro ſancto Anſelmo Lucenſi epiſcopo .... ego B. peccator preſbyter ſuus in Pœnitentia, non dico filius, ſed ſervus, ab ipſo multis cum lacrymis ad eumdem ordinem promotus, &c. *Erat ergo iſte B. Pœnitentiarius, idque confirmatur ex num.* 42. *ubi de Theutonico quodam vulnerato agens*, Vocati ſumus denique, *ait*, & nos, quatenus injuncta ei pœnitentia communionem daremus. *Hunc porro auctorem* Bar- Vitæ auctor.

Ann. Ch. MLXXXVI. Martii XVIII.

dum appellatum fuiſſe ſuſpicatur Vvadingus in commentariis ad hanc vitam num. 1. *ubi obſervat ex Lucenſis eccleſiæ monumentis Bardum ejuſdem eccleſiæ diaconum & primicerium ſemper Anſelmo noſtro cum Lamberto archipreſbytero adhæſiſſe, eumque, etiam exſulantem fuiſſe ſecutum. Nec obſtat, ut cenſet Vvadingus, quod Bardus ille diaconus ſolummodo in iſtis tabulis nominetur. B. enim vitæ auctorem diu diaconum fuiſſe, ex ipſius ejus verbis colligi poteſt. nam num.* 43. multis cum lacrymis *à beato Antiſtite ad preſbyteratus ordinem ſe fuiſſe promotum ait, cum, procul dubio uterque in exſilio moraretur. Eumdem vero ex Lucenſis eccleſiæ gremio fuiſſe his verbis indicatur num.* 24. *ubi*, Pſalmos quidem ut caute ac meditatim cantaremus, præcepit; alioquin aſpere increpavit. *Ceterum beati Anſelmi vitam edidere Tegnagellus, Surius, Vvadingus & Bollandiani, ex quibus Vvadingus plures mſſ. codices conſuluit, eamque commentariis illuſtravit.*

Alii laudatores.

2. *Huic de Anſelmi vita libello ſubjunctus eſt in editis liber de miraculis ab eodem poſt obitum patratis: ex quo quia pauca obſervatione digna in illis occurrunt, quædam in fine vitæ paucis adnotare ſatis fuerit. De ſancto Anſelmo Lucenſi epiſcopo agunt præter varia Martyrologia & alios ſcriptores recentiores, antiqui, qui ejus ævo floruerunt, Domnizo preſbyter in Carmine de Mathilde comitiſſa, Paulus Bernriedenſis in actis Gregorii VII. Bertholdus Conſtantienſis in Appendice ad Marianum, & alii. Præ ceteris eum laudant Hugo archiepiſcopus Lugdunenſis, & Hugo alter abbas Flaviniacenſis in Chronico. Hic Hugonis Dienſis epiſcopi electionem & ordinationem ad annum* MLXXIV. *deſcribens ait, ipſum* ad ſuſcipiendos Ordines Romam menſe Decembri veniſſe, *atque* inveniſſe ibidem pro ſimili exſpectatione domnum ANSELMUM Lucenſem electum, virum omni laudis præconio dignum, nunc felici, *inquit*, beatum exceſſu, in quo omnis laus ſecure canitur. *Tum addit:* Cum hoc itaque, *ſcilicet Hugone Dienſi*, tanto familiaritatis & dilectionis vinculo connexus eſt, & ita ſibi, licet diviſa haberent hoſpitia, in palatio Lateranenſi individui adhærebant, ut unum videri ſine altero mirum videretur his, qui eorum noverant unanimitatem. adeo ut Urbis præfectus quodam veritatis præſagio alterum horum diem, alterum vocaret lucem: quod dies non ſit ſine luce, & lucem dies comitetur. Lucebat enim in eorum moribus juſtitiæ & pietatis decus: præponderabat amicitia conſtans, mutabilitatis neſcia.... Senes autem erant, non longævitate vitæ, ſed morum maturitate.... Cum ergo Romæ poſiti præſtolarentur diem conſecrationis ſuæ, venerunt nuntii regis Heinrici Romam, rogantes, ne contra morem prædeceſſorum ſuorum domnus Papa (Gregorius VII.) eos conſecrare vellet, qui epiſcopatus electionem ſolam, non autem donum per regiam acceperant inveſtituram. *Denique ſubdit auctor, Pontificem* in Lucenſi electo adquieviſſe, ut conſecrationem ejus differret, donec inveſtituram epiſcopatus ex regio dono accepiſſet: in Dienſi vero acquieſcere noluiſſe.

3. *Hæc vitæ ſequenti lucem afferre poſſunt, uti & epiſtola mox dicti Hugonis archiepiſcopi Lugdunenſis ad Mathildem comitiſſam, quam hortatur ad ſubveniendum pro ſuo more eccleſiæ Romanæ in electione futuri Pontificis, poſt mortem Victoris III. cui Urbanum II. ſuccedere ægre ferebat.* Habetis ſiquidem in hac re fidiſſimos adjutores, & benignos devotionis veſtræ apud Deum commendatores, piiſſimum ſcilicet patrem noſtrum ſanctæ memoriæ Papam, *nempe Gregorium VII.* & beatum A. Lucenſem epiſcopum: qui, ſicut cum adhuc viverent, in omni pietate & juſtitia vos inſtruxerunt; ita nunc ab illo æternæ quietis ſinu, in quo eos receptos eſſe confidimus, meritis ſuis & precibus caritatis veſtræ opera commendabunt; ac amorem perpetuæ vitæ, quo ineffabiliter ſatiantur, devotionis veſtræ viſceribus inſpirabunt. *Hæc epiſtola edita eſt in Spicilegii tomo* 2.

Canonici reformati.

4. *Quantum pro reſtituenda apud Canonicos cathedralis ſancti Martini eccleſiæ Lucenſis communi vita laboraverit Anſelmus, patet ex ſequentis Vitæ num.* 5. *& ſeqq. An res effectum eo vivente ſortita ſit, non ita liquet. Quoſdam tandem Canonicos ſub altero ejus ſucceſſore Rangerio acceſſiſſe ad communem vitam colligo ex ſequenti profeſſionis formula, quam in veteri codice Lucenſis eccleſiæ invenimus.* Ego promitto ſtabilitatem in hoc loco ad obedientiam Dei & beati Martini, & epiſcopi R. qui nunc eſt, & eorum qui canonice ſucceſſuri ſunt: & promitto bona eccleſiæ, & quæ per officium eccleſiaſticum acquiſiero, in communi ſine fraude habere, & Præpoſito obedire canonice ordinato. † † †. Hoc fecerunt in ſancto Donato Martinus preſbyter, & Henricus, & Maſcarus. *Vivebant ergo illi Canonici ſeorſim ab aliis in eccleſia ſancti Donati. In alio codice, qui modo eſt penes Florentinium Medicum Lucenſem, hæc de ejuſmodi Canonicis leguntur.* Incipit ordo Canonicorum, qui ad converſionem veniunt. Novitius facturus profeſſionem, ante altare poſt offerendam veniat, & fratrum conventus in circuitu aſſiſtat; & flectendo genua tertio, Novitius hunc verſum dicat: SUSCIPE ME DOMINE SECUNDUM ELOQ. TUUM, &c. Tunc ſurgens Novitius legat hanc profeſſionem: Ego frater N. offerens trado meipſum eccleſiæ ſancti Donati, & promitto hic
» ſtabilitatem loci, & obedientiam Priori, & vitam profiteor canonicam, & ſine proprio.
» *Poſt hæc ſequuntur in eodem codice Regulæ ſancti Auguſtini, & beati Benedicti, cum hujus vitæ auctore Gregorio M.*

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXVI. MARTII XVIII.

Scripta.

5. *Quod attinet ad Anſelmi opera ſeu ſcripta, hæc enumerantur in Vita ſequentis num.* 20. *nempe Apologeticum pro Gregorio VII. Expoſitio in Lamentationes Jeremiæ, item expoſitio in quoſdam Pſalmos. His adde Collectionem canonum, libris* XIII. *comprehenſam. Ex his editum eſt Apologeticum, primum quidem ab Henrico Caniſio, poſtea vero in Bibliotheca Patrum. Epiſtolam unam & aliquot Opuſcula ei tributa edidit Vvadingus Romæ anno* MDCLVII. *Et quidem hujus epiſtolæ fragmentum habet cum Urſpergenſi abbate Chronographus noſter Saxonicus mſ. Bertholdus Conſtantienſis quoſdam verſus adducit ex commentario Anſelmi in Pſalmos. Collectionem canonum habemus penes nos manu deſcriptam ex codice Vaticano, ex qua hæc delibare ſufficiat in præſens.* INCIPIT CAPITULATIO LIBRORUM, QUOS BEATUS ANSELMUS LUCENSIS EPISCOPUS DE COÆQUALIBUS CAUSIS SINGULOS IN HOC VOLUMINE LIBROS COMPOSUIT. Liber I. de poteſtate & primatu apoſtolicæ Sedis. II. De libertate appellationis. III. De ordine accuſandi, teſtificandi, & judicandi. IV. De Privilegiorum auctoritate. V. De ordinationibus eccleſiarum, & de omni jure ac ſtatu illarum. VI. De electione & ordinatione, ac de omni poteſtate ſive ſtatu epiſcoporum. VII. De vita & ordinatione clericorum. VIII. De lapſis. IX. De Sacramentis. X. De conjugiis. XI. De Pœnitentia. XII. De excommunicatione. XIII. De vindicta & perſecutione injuſta. *Hæc ſatis in ſpecimen.*

PROLOGUS AUCTORIS.

Auctoris fides.

1. DEVOTIS quorumdam precibus inſtanter cogimur, ut vitam ſanctiſſimi patris noſtri Lucenſis epiſcopi domini ANSELMI, quam præſentes vidimus, & à pariter commorantibus fideliter accepimus, compendioſo explicemus labore; quæ tot certe ac tantis præclara fulſit virtutibus, ut minime nos ad injunctum tale negotium ſufficiamus. At qui dum venerabile deſiderium illorum perpendimus, tametſi non ſufficimus, utcumque tamen, quod expetunt, incipimus. Quoniam fidelibus cunctis fidei præſtat firmamentum & cornu ſalutis; excommunicatis autem confuſionem, verecundiam, detrimentum & perniciem: aliis ſiquidem in ruinam, aliis vero in reſurrectionem.

INCIPIT VITA.

Anſelmus recte eruditus.

2. A Pueritia qualiter vixerit, tum, quia pleniter non novimus, tum, quia reticere in præſentiarum ſatius æſtimamus, prætermittimus. Studioſum tamen jam tunc in Scholaſticis etiam legendis libris fuiſſe, ipſo ſæpius referente, agnovimus; quod & rei evidenter probavit effectus; quia in arte grammatica & dialectica exſtitit peritus. Dum autem videretur jam idoneus, nempe meritis, moribus ac ſcientia dignus, ut in honorem ſublimaretur epiſcopatus, mittitur à reverendiſſimo Papa ALEXANDRO ad Regem, dato ſibi comite religioſo epiſcopo ſanctæ Ruffinæ, nomine [a] MEGINARDO. Sed quia jam perfecte cœperat odiſſe, ut ſacri Ordines eccleſiaſtici à ſæcularibus darentur poteſtatibus; quacumque vel occaſione, vel ratione potuit, abſque dignitatis inveſtitura diſceſſit; quamquam ea intentione domnus Papa illum direxerit. Nec mirum. Qui enim operatus eſt poſtea per eum multa Deus, catholicæ illum electioni reſervavit; Rex autem quaſi deſpectum ſe doluit, & regalis imperii tamquam magnum detrimentum deploravit.

Deſignatur epiſcopus. [a]

Conſecratur.

3. Defuncto itaque prædicto papa Alexandro, dum ſanctiſſimus Gregorius VII. in Romanum Pontificem Spiritus-ſancti inſtigatione, ac voto communi clericorum & laïcorum, diu renitens eſſet electus, ut ſequeretur eum iſte in omnibus, in Lucanam eccleſiam eſt & ipſe electus epiſco-

[a] Aliis Mainardus, qui ex monacho Caſinenſi creatus eſt ab Alexandro II. cardinalis & epiſcopus Silvæ-candidæ, ſeu ſanctarum Rufinæ & Secundæ, quæ ſedes à Calliſto II. unita eſt Portuenſi. De Meginardo lege Chronici Caſinenſis lib. 3. cap. 9. & 10.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXVI. MARTII XVIII.

pus, atque ab illo poſtmodum religioſe conſecratus. Igitur, dum aliquanto tempore, non ſemel aut bis, ſed ſæpius cum eodem religioſiſſimo ordinatore ſuo moraretur, vitam ejus conſideravit ineffabiliter mirabilem, ac mirabiliter ineffabilem. Quia, cum de omnibus & ſingulis finibus ſæculi fieret ad eum concurſus, rite omnibus ſatisfecit. Veritas vero & juſtitia numquam ori ejus defuit: immo, quod magis eſt mirandum, in ipſis ſæcularibus negotiis ſæpius exceſſit mente, exhilarato ſpiritu ſuo cæleſti contemplatione: qui ſi privatus interdum exſtiterit, revelationibus etiam divinis jucundatus eſt & confortatus. Hujus, inquam, veſtigia dum exſequi ferventer deſiderat, incipit obliviſci mundum, ac totis viribus mentis & corporis, die ac nocte ſuſpirare in Deum, committens ſe non ſolum aſſiduæ lectioni, verum etiam continuæ afflictioni: & perſcrutatis diverſarum auctoritatum libris, incipit vitam ſuam perditiſſimæ damnationis æſtimare, atque accepti miniſterii dignitatem, grave oneris periculum, non honoris gaudium cogitare. Illud vero ante omnia metuens, quod poſt Catholicam electionem de manu Regis anulum ſuſcepit, & paſtoralem baculum. nam irritum prorſus æſtimavit, quidquid operatus eſt, quaſi auctoritate illius abominabilis inveſtituræ: ſed & domnus Papa id ſolum aliquando vituperavit in illo.

Ob inveſtituram acceptam dolet.

4. Diſpoſuit ergo orationis cauſa ſanctorum aliqua viſitare limina, & neſcientibus qui cum ipſo erant parentibus ac fidelibus, fit ſubito monachus, Regulæ ſancti Benedicti [a] ſubjectus. qui non poſt multa, à beatiſſimo papa Gregorio invitus revocatur: in cujus etiam manum, quidquid à Rege acceperat, reddit & refutat, omniſque datio regalis in illo evacuatur. Ipſe vero in plenitudinem dignitatis, vix relicto ſibi habitu [b] monaſtico, reſtauratur. nam & illum ſubtrahere ſibi domnus Papa minabatur. Quantæ igitur abinceps religionis fuerit, nec lingua poteſt referre, nec manus ſcribendo valet exprimere. Monachi pariter & canonici vitam & ordinem conabatur explere. Conatur etiam modis omnibus, ut ſit ſervus prudens & fidelis, ut in meſſe Domini non inveniatur otioſus, nec abſcondat pecuniam Domini ſui: verum, ut poſſit revertenti Domino fiducialiter occurrere dicens: Domine, ecce mna tua, decem mnas acquiſivit.

Fit monachus.

Luc. 19. 16.

5. Fit ergo verbi Dei prædicator egregius, inſtructor religionis præcipuus: amat clerum reverenter, docetque ſapienter, cunctumque populum inſtruit decenter: utque breviter concludam, omnibus omnia factus eſt, ut omnes lucri faceret. Diœceſim ſuam diligenter circuit, vitam omnium, præſertim clericorum, dignoſcere gliſcit; &, ut omnis clericus ſui nominis compos exſiſtat, paterne monet, multumque deſiderat. Sic enim eruditiſſimus doctor Hieronymus vitam deſcribens clericorum, ait; quod à ſorte Dei clericus dicitur: ſcilicet, ut abjecto mundi hujus impedimento, nihil præter Deum ſortiatur. Primo igitur canonicos eccleſiæ majoris in civitate Lucana, quæ eſt in honore ſanctiſſimi epiſcopi & confeſſoris Martini dedicata, mitiſſime aggreditur, monet, blanditur & ſuadet, ut opere exerceant quod nomine dicuntur. Canonicus enim quaſi Regularis dicitur: utque regularem agant vitam, ſtudioſe prædicat & precatur. Cumque diutius illis inſtaret, idemque frequenter inſtigaret, indignati tandem ſunt, ac temere nimis reſponderunt. At ille ſicut pater pius & manſuetus, benigne omnia ſuſcipit, nec tamen vinci à malo vellet, ſed in bono vincere malum ſtudet. Promittit denique tamquam alter factus religioſiſſimus epiſcopus Auguſtinus, ut vitam cum illis peragat communem. Nihil præter illos proprium, verum omnia ſimul vult cum ipſis habere communia;

Suos rite informat.

Vitam canonicis communem exemplo ſuadet.

[a] Codices duo mſſ. &c. habent, *Regula S. Benedicti, & Cluniacenſium conſuetudini ſubjectus*. Et quidem id verum eſt ex num. 33. infra.

[b] Al. *mutato tamen habitu reſtauratur*. Pro *tamen* nonnulli *tantum*. ubique eodem ſenſu. Id eſt retento habitu monaſtico ſuæ ſedi reſtitutus eſt.

vult

vult effici pauper, ut divites illos faciat in Chriſto; omni omnino conamine, tum ſpiritualiter, tum ſæculariter nititur eos allicere. Ann. Ch. MLXXXVI. Martii XVIII.

6. Invitat tandem ſui ſtudii adjutricem marchioniſſam dominam Mathildam, moribus ac genere nobiliſſimam; quæ ſpiritualis & religioſiſſima in occulto, ſæcularem, aut, ut verius dicam, militarem agebat vitam in manifeſto. ſic tamen ſpiritualem habebat, ac ſæcularem, ut illam in Chriſto, & iſtam faceret pro Chriſto. quæ vero ſæcularis, hæc majoris illi fuit anguſtiæ ac laboris; ſed & multo pluris, ſpero, retributionis. Illa etenim voluntatis fuit propriæ: iſta quidem obedientiæ. Si quid ergo habet ipſa ingenii, ſi quid ſapientiæ vel conſilii, id effudit hoc in negotio hilariter. Igitur prædictos alloquitur Canonicos, tum communiter, tum ſingulariter: incitat, inſtigat eos, confortat atque ſpondet eccleſiæ augmentum & honorem; ipſis quoque commodum tam in futuro, quam in præſentiarum. Promittit etiam parentibus ipſorum divitias & honores; quatenus vel ſic attrahere poſſit voluntates illorum. At illi ſæculo nequam excæcati, reſpuunt omnia; eligunt magis aquam anguſtiæ in damnationem, quam vinum lætitiæ in ſalvationem: optant pauperes potius eſſe diaboli, quam divites Chriſti. Adjutrice Mathilde.

7. Prædictus autem præſul & paſtor diligentiſſimus, nolens oves ſibi commiſſas perire; tum minis, tum blandimentis eos aggreditur. Cui dum reſiſterent illi, &, quantum potuerunt, contradicerent; jam tunc, credo, nimium, ſed inaniter fatigatus ceſſaſſet; niſi quod beatus papa Leo IX. ſub decreto anathematis ſtatuerat, ut ejuſdem eccleſiæ Canonici vitam agerent communem, & viverent regulariter: cujus decreti quotiens vidit, aut recordatus eſt præceptum, expavit, nec tacere auſus fuit.

8. Accidit igitur, ut eamdem ad civitatem ſanctiſſimus Papa Gregorius VII. veniret, perlatumque eſt ad ipſum idem illud negotium. qui mox incipit paterno illos primum affectu admonere, ac dicere, quoniam Romani Pontificis decreta præterire non licet: rogat eos, & ſuadet benigne, quatenus ſaluberrimis obediant decretis, & reverendiſſimi Patris exſequantur voluntatem; nec ſemel aut bis, ſed ſæpe ac multum, aliquando cum eodem ſancto Epiſcopo, interdum ſine ipſo alloquitur illos, tum dure, tum blande, proferens eis ſcripturas ſanctas & auctoritates authenticas. Illi vero etſi humiliter ſe beata quandoque monita finxerunt audire, omnia tamen abſentes depravarunt. Papa ſuffragante.

9. Vocantur denique ad Sedem apoſtolicam, ibique conſpiratores in proprium Epiſcopum, & inſidiatores detecti ſunt. Prolatis ergo canonibus, & lecto Capitulo ſancti martyris & epiſcopi Fabiani, qui conſpiratores & inſidiatores ſuorum Epiſcoporum curiæ tradendos inſtituit, judicio totius ſanctæ Synodi etiam ipſi curiæ traduntur. Tunc fidelis & prudens Marchioniſſa Mathilda ſervos illos appellans, in ſervitutem curiæ vocavit eos. Quam ob cauſam triſtes, præterquam credi poteſt, etiam adverſus ipſam, quotquot potuerunt conſpirare fecerunt. Convenerunt ergo quam plures iterum epiſcopi apud ſanctum Geneſium, quod à civitate Lucana non multum diſtat; inter quos reverendiſſimus Albanenſis epiſcopus, nomine Petrus [a], vicem domini Papæ agebat. Qui, cum eodem Lucenſi epiſcopo ſancto Anſelmo, & cum reliquis omnibus conſpiratores illos excommunicavit: unde inſolabiliter illi dolentes & indignati, totam civitatem malitioſe commoverunt; atque freti auxilio perditiſſimi hominis quondam dicti regis Heinrici, religioſiſſimum Epiſcopum à civitate repulerunt: ſed & prædictæ dominæ rebelles penitus facti ſunt. Hujus utique conſpirationis nefariæ caput & princeps fuit quidam, nomine Petrus, falſa profeſſione canonicus, ordine damnationis ſuæ ſubdiaconus, mente ſuperbus, incontinens Canonicis rebellantibus. Expellitur.

[a] Is cognomento Igneus, ſancti Johannis Gualberti diſcipulus, de quo in hujus Vita ſupra.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXVI MARTII XVIII. moribus, verbis procax, corpore incompoſitus, vir ſanguinum & fomes omnium ſpurcitiarum. qui propter immenſitatem malitiæ ſuæ factus eſt ſubito contumax præco Heinricianæ tyrannidis: & poſt aliqua, fit etiam familiaris curiæ iniquitatis, quam juſta quidem interpretatione à cruore dico Cruriam, vel potius univerſæ turpitudinis ſentinam.

Petro falſo epiſcopo intruſo. 10. Hic denique poſt tempora non plurima, veniente in Tuſciam Heinrico cum hæreſiarcha Vviberto, de quo latius poſtmodum tractabimus, quoniam inſtanti videbatur opportunus inſaniæ, eo quod nec in Deum timorem, nec reverentiam habebat in hominem, imponitur Epiſcopus erroris ejuſdem Lucanæ civitatis: qui, adjunctis ſibi totius terræ nequiſſimis, videlicet perjuris, latronibus, fornicariis & adulteris, terram eccleſiæ invadit, caſtella & homines vi aut fraude, vel pretio ſibi adſciſcit. Privatus degit. Unum ſolummodo caſtrum venerabili remanſit Epiſcopo, quod etiam tyrannus ille, eo quod civitati erat proximum, quaſi quotidie incurrens, devaſtavit prædis, incendiis atque homicidiis. Ille autem manſuetiſſimus omnium, omnia gaudens ſuſtinuit, paupertatem pro Chriſto optavit; qui & duobus capellanis contentus ac paucis ſervientibus, cum reverendiſſima, quam prædiximus, matrona humilis permanſit. Atqui ut univerſæ maledictionis tunicam adverſarius ille indueret, demum ab hæreſiarcha Vviberto, non dico conſecratur, ſed exſecratur: quatenus ſimilis ſimilem in omnibus imitaretur. Nam ſicut ille Romanam invadendo eccleſiam commaculavit, ſuperſtite adhuc ſanctiſſimo papa Gregorio VII. ita iſte Lucanam, vivente religioſiſſimo ſuo Epiſcopo. Itaque, ut beatiſſimi martyris Epiſt. 52. „ Cypriani verbis utar, nullus vel iſte vel ille: quia nec ſucceſſor, nec an„ teceſſor cujuſquam aut ille, aut iſte: ambo parricidæ, ambo ſceleratiſſimi „ violatores ſuæ matris eccleſiæ.

11. Dum ergo expulſus ille cum Maria ſecurus deſideraret ſedere, facti ſunt Epiſcopi & Principes pæne omnes, non ſolum dico inobedientes, verum omnino rebelles ſanctæ Sedi Romanæ; & inventa eſt ſola atque unica Dux & Marchioniſſa Mathilda in fide permanens, zelum Dei habens, domino papæ Gregorio obediens: quia, ut ſanctiſſimam ejus vitam & religionis cognovit ardorem, totam ſe ſuæ tradidit diſpoſitioni; ſperans ab oneribus mundi hujus tali obedientia explicari: cui è contrario in remiſſionem datur, ut, quaſi altera Debbora, populum judicet, militiam peragat, hæreticis ac ſchiſmaticis reſiſtat. Atque, ne tamquam ſola deficiat, cuſtodienda commendatur præſcripto Lucenſi epiſcopo ſancto Anſelmo: commendatur, inquam, omni diligentia, & affectu caritatis commendatur à beatiſſimo magiſtro fideliſſimo diſcipulo, ſicut in cruce Chriſtus matrem Virginem virgini diſcipulo commendavit: Mater, inquiens, Ecce filius tuus; ad Johan. 19. diſcipulum autem: Ecce mater tua. Ita ergo dum uterque mundi voragines evadere, & contemplationi vacare conatur, majoribus mundi negotiis implicatur. Sanctiſſimus igitur talis ille diſcipulus cuſtodiæ illius & ſtudet ſatagere, & omni ſtudio ſanctitatis magis ac magis de die in diem exardeſcere. Poſſumus certiſſime de illo affirmare, quod replevit eum Dominus ſpiritu ſapientiæ & intellectus, & erat magni conſilii angelus. Nam cum multa haberet ſæcularia judicia ſupra ſcripta domina Mathilda, devota beati Petri ancilla, ipſe ſuis eam conſiliis ita peragere fecit omnia; ut & evangelica præcepta, & canonum inſtituta, legumque jura ſervaret. quod in humanis mentibus & ingeniis raro vel numquam invenitur. Verum ipſe ſuo à magiſtro beatiſſimo papa Gregorio ſic didicerat, Spiritus vero ſanctus utrumque repleverat.

Heinrici IV. ſchiſma. 12. Tunc ergo incredibili jam modo Romanus orbis in ſe ipſum fremuit, & inſanivit. Nam HEINRICUS, filius imperatoris Heinrici tertii, magnas in omnes Catholicos inimicitias exercebat; qui dum ab ipſa infan-

Digitized by Google

tia, defuncto jam patre, ſuſcepiſſet regni gubernacula, impletum eſt quod per Salomonem dictum eſt: Væ terræ, cujus rex puer eſt. Nam puerilibus ſe conſiliis committens, omnium genera ſpurcitiarum edoctus, cunctam mox religionem, & jura omnia confundere non erubuit, ac ſuæ libidini in omnibus turpitudinibus * inſtuduit. Illo ſiquidem in tempore, non quiſquam Epiſcopus, aut Abbas, ſive Præpoſitus eſſe potuit, niſi qui majorem pecuniam habuit, vel ipſius ſpurcitiarum compos exſtitit, & fautor aſſenſit. De nullius certe vita vel converſatione agebatur bona, immo abominabilis religio omnis, & veritas atque juſtitia habebatur. Ille Sacerdos laudabilior, cujus veſtis comtior, cujus menſa copioſior, cujus concubina ſplendidior: nec miles dicebatur glorioſus, niſi ter fuerit, aut quater perjurus. quod dum beatiſſimus papa Gregorius dolens ac triſtis conſideraret, cupiens ſanctam Eccleſiam uſui eccleſiaſtico & legibus reſtituere canonicis, miſit ad eum frequenter benignas legationes, tum paterne admonens, tum aſperius etiam redarguens. Atqui dum hoc quoque modo minime ſe percepit proficere, tandem direxit ad eum matrem ipſius, religioſiſſimam Imperatricem AGNETEM; & cum ea reverentiſſimos duos Epiſcopos, Præneſtinum & Cumanum. quibus utique præſentibus, audito diligenter eorum conſilio, pœnitentiam ſimulavit, obedientiam devovit, emendationem de omnibus promiſit.

ANN. CH. MLXXXVI. MARTII XVIII.

Eccle. 10.

* *f.* indulgére ſtuduit.

13. Redeuntibus autem illis, in ſe ipſum eſt ille reverſus, deterior quam olim effectus. Nam inaudita deinde audacia & admirabili ſuperbia, ſui facinoris compotes nec dicendos collegit Epiſcopos in civitatem Vvormatiam: habitoque conciliabulo, proſcripſerunt primæ ſedis Epiſcopum. quod à ſæculis non eſt auditum. Fecit deinceps legationem in Italiam, eamdem affirmans præſumtionem per ſchiſmaticos ſibi complices Epiſcopos. Hujus legationis lator fuit quidam, Eberhardus [a] nomine, Theutonicus natione, filius ſæculi, hamus diaboli, inventor omnis fere mendacii. Hic circuit & perambulavit terram, ut ſchiſmatica omnes inficeret contagione: multos certe, qui propter interdictum domini Papæ, divino ab officio ceſſaverant, ipſe interdictus & vinculo perditionis ligatus, inaudita temeritate ac ſuperbia reconciliavit: & ex parte domini ſui Regis, ut officium more priori celebrarent, indixit. Cum igitur diſſimulare amplius tanti facinoris malitiam non poſſet Apoſtolicus, excommunicavit tam ipſum, quam omnes ipſius fautores, atque omnem ſibi regiam dignitatem interdixit, & obligatos ſibi ſacramentis ab omni debito fidelitatis abſolvit: quia, quod verecundum etiam eſt dicere, præter hæreticam, quam prælibavimus, culpam, aderant in ſancto Concilio nuntii illius, ſic audentes latrare: « Præcipit dominus noſter Rex, ut Sedem apoſtolicam & Papatum, utpote ſuum, dimittas; nec locum hunc ſanctum ultra impedias. Prô nefas, & ô exſecrabilem infeliciſſimi hominis temeritatem! En ecce ſuum eſſe dicit, quod ſoli Apoſtolorum principi Petro Chriſtus Dominus commiſit; nec ſubito quidem commiſit, verum tertio, antequam committeret, interrogavit: Simon, inquiens, amas me? Non tamquam ipſe ignoraret: ſed ut futuris temporibus providentiam præſignaret, ne cito & præcipitanter cuilibet cura committeretur animarum. Illi ergo poſt tertiam tandem ſui amoris certam ſponſionem: Paſce, inquit, oves meas. Non Regem, non Imperatorem, aut aliquam Chriſtianæ profeſſionis conditionem excepit, præter eum, qui ſuam ſe ovem abnegaverit. Igitur, quem ſui ſolius judicio Dominus reſervavit, hic non ſolum judicare, verum etiam ſuum dicere, &, quantum in ipſo eſt, audet damnare. Quam ob cauſam omnis illa ſancta Synodus jure indignata, anathema illi conclamat atque confirmat.

14. Igitur non poſt multa, idem reverendiſſimus Papa, per quem reſtau-

[a] Rolandum alii cum Domnizone appellant.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXVI. MARTII XVIII. rari cœperunt omnia jura canonica, uſque ad ipſum prorſus pæne abolita, rogatur à quam pluribus regni principibus, præſertim à Comitiſſa Mathilda confortatus, quæ tunc maximam partem regebat Italiæ, quatenus in partes Theutonicas, ob communem matris Eccleſiæ neceſſitatem deſcendere dignaretur. Illi etenim propter inſolentiam ſuam, & anathema, Heinricum regem & dominum abnegaverunt: qui etiam pariter convenientes coëgerunt eum, ut repudiatis conſiliariis iniquitatis, privatim ipſe quodam in caſtello maneret, ne multos lepra ſui anathematis contaminaret. Decreverant enim apud ſe, ut accerſito humiliter ſancto Papa Gregorio in civitatem Auguſtam, etiam ipſum in commune totius regni conſilium ante judicem univerſæ Chriſtianitatis advocarent: deſiderantes, ut auctoritate Apoſtolica, aut emendatum eumdem & abſolutum recuperarent, aut ipſo juſte reprobato, alium in Chriſto eligerent. At ille, accuſante ſe conſcientia ſua, ſanctum conventum non exſpectavit; ſed venit obviam domno Papæ in opido Canuſino, humiliatus uſque ad pedes ejus; & facta ſecuritate domno Papæ per ſacramenta, prout ipſe dignatus eſt præcipere, præſentibus epiſcopis & abbatibus, atque comitiſſa Mathilda, & [a] Adeletia, aliiſque pluribus, tertia demum die eſt abſolutus: verumtamen in regnum non eſt reſtitutus.

15. Itaque ad priora iterum regreditur conſilia, ad excommunicatorum perverſa conventicula; & quod jurejurando promiſerat, brevi tempore obſervabat. Nam infra quindecim, ut opinor, dies, cum beatus epiſcopus Anſelmus legationem domni Papæ una cum religioſiſſimo Oſtienſe epiſcopo Gerardo, Mediolanum deferret, impediti ſunt à militibus ipſius, & captus eſt Oſtienſis epiſcopus: ſanctum vero Anſelmum nequaquam auſi ſunt tangere, quoniam indigena fuit, & nobilis proſapiæ. Ipſe autem ultro ſe capiendum ingerebat, dicens, quod à ſocio Legationis non diſcederet: aut illum, inquiens, dimitterent, aut ſe captum cum ipſo tenerent. At illis hoc non præſumentibus, triſtis abſceſſit, volens, ſi poſſet, pro fratre ſuam ipſius animam ponere. Hæc eſt enim perfectio caritatis, hæc ſumma dilectionis, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Solent alii tanta in neceſſitate ſimulare multa, ac diſſimulare; mentiri quidam, & perjurare plurimi: hic autem nec uno verbo ſimulationis quemquam ſimulare voluit. quod bene quidem potuit, ſicut ab ipſis qui capti ſunt poſtmodum audivimus. His utique, ac ſimilibus multis, irrita facta ſunt dicti olim regis Heinrici ſacramenta.

Rodulfi electio & mors.

16. Eligitur interim in partibus Theutonicis dux RODULFUS in regem, ad defendendam catholicæ Eccleſiæ unitatem; propter quod magis magiſque indignatus Heinricus, ſpreto conſilio & auxilio domni Papæ, in omnes catholicos debacchatur inique. Mortuo autem in fide catholica rege Rodulfo, audet ille, quod potentiſſimi olim imperatores, ſive illi hæretici, aut apoſtatæ, vel etiam pagani eſſent, numquam præſumſerunt; audet, inquam, convocatis aliquot hæreticis Epiſcopis, vivente papa Gregorio, cui obediens factus eſt etiam jurejurando, nullo habito univerſali Concilio, abſque judicio; audet certe in papam eligere VVibertum, Ravennatem quondam epiſcopum, tunc autem multis jam annis excommunicatum, cujus * ſuperius aliquam, ſed breviter, commemorationem fecimus. Sed quis ad hæc tam idoneus, quam hic, qui ab ipſis cunabulis ſpiritu ſuperbiæ repletus, nihil meditabatur præter elationem & ſuperbiam? Hic namque, nobis cernentibus, omnem obedientiam & ſubjectionem domno noſtro papæ Gregorio exhibuit: ſed & ipſe cum honore illum ac dilectione in ſacro Lateranenſi palatio recepit hoſpitio, & proximum illum à dextris ſuis

VViberti antipapæ intruſio. * *num.* 10.

[a] Gregorius VII. in epiſtola ad Principes & Epiſcopos Germaniæ poſt hanc abſolutionem ſcripta, *Adelaïam comitiſſam* vocat. Hæc erat Henrici ſocrus, marchioniſſa Alpium-Cottiarum.

Digitized by Google

in ſancto habuit Concilio, & primum in omnibus, quibus digne opportuit; ſperans verum eſſe, quod perditiſſimus ſimulavit. Ille autem non poſt multa per ſuperbiam incidit in inobedientiam, factus pariter perjurus, ſed & parricida tandem iniquus: quia Patrem ſanctum ad mortem uſque eſt perſecutus. Talem, inquam, tam juſtum, tam ſanctum, cum ſuis fautoribus in Papam elevat Heinricus. Roma non quæritur, nec Romanus aut clerus aut populus. Unus quidem affuit, HUGO, CANDIDUS nomine [a], nigerrimus mente, Cardinalis olim, ſed dudum jam pro ſuis ſceleribus juſte excommunicatus & abjectus. Hic damnatus damnatum, perjurus perjurum, parricida laudat parricidam. In loco ſiquidem horrido & aſperrimo, in mediis nivalibus Alpibus, ubi fames aſſidua, & frigus pæne ſemper continuum: locus ipſe vicus eſt, pro civitate, qui * Brixanerium vocatur, altiſſimis circumdatus ſcopulis, ubi etiam vix nomen obtinetur Chriſtianitatis. Hic principalis eccleſiæ privilegia, hic ſummi Sacerdotis jura, hic ſanctorum Patrum inſtituta, hic omnia evacuantur canonica decreta: nimirum, ſi qui rogarent, ut alium cælis imponeret Deum, quantum in ipſo erat, æſtimo, faceret atque confirmaret. Nam nec omnino novum eſt aucupium, quod agit: à pueritia quippe ſua ſic didicit.

ANN. CH. MLXXXVI. MARTII XVIII.

* Brixinæ.

17. Enimvero dum venerabilis papa ALEXANDER canonice fuiſſet olim electus, ipſe CADOLUM Parmenſem epiſcopum in Theutonicis partibus ſuum Papam elegit, Romamque direxit: qui diuturnam diſcordiam, bellaque multa commiſit. Huic nefariæ præſumptioni mater ipſius Agnes imperatrix interfuit; quæ, ſancti Spiritus illuſtratione compuncta, apud ipſum papam Alexandrum confeſſionem poſtmodum fecit, pœnitentiam accepit. Cui id præ ceteris injunctum eſt, quatenus Romæ moraretur, ibique ſancto Petro vigiliis, orationibus & jejuniis ſatisfaceret, ac prodeſſet Eccleſiæ conſiliis & auxiliis, prout valeret. Ille autem in ſua permanens deteſtabili pertinacia, Vvibertícum adorans dæmonium, admonetur rurſus ab Apoſtolico affectu paterno, miſſis ad eum epiſcopis Albanenſi & Paduano. Atqui, dum non emendatur, rurſum periculoſiſſime excommunicatur.

18. Ille ergo, quaſi novo tyrannidis aucupio, tunc incœpit univerſarum eccleſiarum tam prædia, quam omnes pæne theſauros earum militibus diſpertiri: quos, & omnes parti ſuæ agglutinat, præter admodum paucos, quos reſervavit ſibi Dominus, ut non curvarent genua coram Baal. Collecto igitur exercitu Romam tendit, atque primo mox ingreſſu Italiæ omnem furorem ſuum in ſupradictam dominam Mathildam convertit, villas incendit, caſtella diruit: quæ tamen, divina ſe protegente miſericordia, non nimium detrimenti ſuſtinuit. Tunc, inquam, hominis ingenium & ſapientiam, utpote ſancti, epiſcopi Anſelmi, laudare poſſes. Nam etſi navis fortis & bene compoſita eſt, nautæque prudentes; facile tamen periclitatur, niſi ſapiens & validus fuerit gubernator. Illa [b] pro pietate matris ſollicitabatur, ille regebat. Illa præceptum, & ille dedit conſilium. Excellebat tamen ille in omnibus. quia obedierunt ſanctitati ſuæ tam ipſa, quam ſui omnes, plus tamen ipſa. nec mirum. Adeo enim ſingulis per ſingula provide ac ſapienter conſiliatus eſt, ut & dicto quondam Regi, cunctiſque majoribus ac minoribus pæne totius Italiæ ſola domus illa reſiſteret, injuriam Dei ſuamque vindicaret, honorem obtineret, & gratiam Dei non amitteret. Nimirum ſuis id meritis impetratum eſt, ut laudabilis illa & glorioſa per exteras etiam terras prædicaretur. Quidni? Illa enim nobiliter & magnifice, inſolito mulierum more, plus dico quam viriliter agebat, nullum fere periculum metuebat. Quiſnam potentum umquam ſuum, ut illa, deduxit exercitum? Receſſerunt tamen ab illa plurimi ſuorum,

a Vvadingus ex uno cod. mſ. habet, *Hugo nomine, candidus facie, nigerrimus mente.*

b Vvading. *Illa proprietate navis ſollicitabatur, ille gubernandi artem meditabatur. Illa poteſtatem exercebat, ille regebat.*

Ann. Ch. MLXXXVI. Martii XVIII.

& abierunt retrorſum. Separati ſunt, inquam, à nobis, quia non erant ex nobis. Nam & Angeli quidam de cælo deciderunt, aliis ſic corroboratis ut cadere amplius non valerent. Corroborati ſunt & hi qui permanſerunt, tum ex dulcedine paſtoralis ſapientiæ, tum ex benevolentia & hilaritate tam deſiderabilis matronæ. Nam egregius ille Paſtor & Doctor die noctuque affuit illis ſpiritualibus doctrinis & admonitionibus; illud maxime inter cetera replicans, ut ab excommunicatis ſe obſervarent: quoniam, ſi quis cum excommunicatis participaſſet, niſi accepta pœnitentia primum abſolveretur, nullam cum reliquis communionem habere potuit. Perfecto utique odio oderat excommunicatos: unde & ſollicitos multos ſua doctrina reddidit; plurimos à tyrannide tanta prohibuit, quoſdam etiam penitus convertit. Ipſi denique quondam dicto Regi commonitorium dictavit; & hæreſiarcham ipſum ſanctæ Sedis Romanæ invaſorem Vvibertum ſcriptis ſalutaribus commonuit [a].

19. Quid tandem? Romam, ſicut incœpit, tyrannus ille invadit, tribus illam annis impugnat; quamvis demum perjurus, & pecunia plus quam viribus aut ſapientia expugnat; fitque beati Petri ſancta eccleſia impiorum latronum ſpelunca. Sed nec dum totam quidem Romam devicit; quoniam in caſtello, quod Crescentii [b] dicitur, reverendiſſimus papa Gregorius permanſit. Permanſerunt quoque nec corrupti, nec decepti aut devicti nobiliores quidam Romani, magis obedire Deo, quam homini cupientes hæretico. Igitur accreſcente tam impia hæreticorum perſecutione, invitatus ab Apoſtolico viro Dux Apuliæ & Calabriæ Robertus, Romam feſtinavit: ante cujus adventum Heinricus, Urbe relicta, fugit; quam una die manu armata Dux fidenter expugnavit, dominumque Papam de anguſtia turris in latitudinem ſacri palatii Lateranenſis cum magno triumpho & gloria reduxit. Itaque peractis ibi aliquot diebus, Salernum pariter perrexerunt, ubi & ſanctiſſimus Papa emigravit ad Chriſtum. Nam miracula, quæ per eum operatus eſt Dominus, alia quidem vidimus; alia ab idoneis teſtibus audivimus, quorum non eſt modo dicendi locus.

20. Fugato ergo ab urbe Heinrico, in Theutonicas partes ſtatim ipſe revertitur, concitatis primum omnibus pæne Longobardis adverſum præfatam dominam, & adverſus ſanctum proviſorem ejus, ſed & adverſus omnem catholicam unitatem. Nec multo poſt ecce coadunati ſunt epiſcopi & marchiones cum aliis multis, qui magno impetu & furore ſubito terram invaſerunt ejuſdem Comitiſſæ, putantes totam ilico ſuæ ditioni ſubjugare. Tunc ergo congregati ſunt & noſtri, ſed quidem pauci; quoniam una vix die præſcii facti ſunt: veruntamen nimis confortati ſunt, quia dominus noſter ſanctus Anſelmus epiſcopus ſuam eis benedictionem per noſtram direxit parvitatem. Hoc in mandatis præcipue commendans nobis, ut ſi qui cum excommunicatis communicaſſent, primitus illos abſolveremus, & tunc pariter omnes auctoritate apoſtolica & ſua benediceremus, inſtruentes eos, quo pacto, quave intentione deberent pugnare, ſicque in remiſſionem omnium peccatorum eorum inſtantis belli committeremus periculum. Facto itaque congreſſu, citiſſime dorſa hoſtes dederunt; & captus eſt mox Parmenſis epiſcopus, & nobiles multi: minores vero abſque numero; ſed & mortuorum non eſt inventus numerus. De noſtris autem tres mortui ſunt, & vulnerati pauci. qua in re gloriam Dei & virtutem benedictionis reverendiſſimi Præſulis fideles omnes agnoſcere poteſtis. Abhinc enim confuſa ſunt hæreticorum conciliabula, & declinata eſt nimis elata eorum inſolentia. Gaviſi autem & confortati ſunt omnes Catholici, præſertim domus

Anſelmus ſua benedictione vincit rebelles.

[a] Duas epiſtolas ad Vvibertum ſcripſit, ut ex earum altera diſcimus, quam Caniſius ſub titulo libri I. contra Vvibertum edidit. ſub proprio titulo data eſt à Vvadingo.

[b] Arcem S. Angeli vulgus appellat.

Digitized by Google

illa, quam ſanctus pater noſter Anſelmus epiſcopus inexſuperatam poſtea cuſtodivit, ac in fide Catholica permanentem reſervavit. Ann. Ch. MLXXXVI. Martii XVIII.

21. Et factus eſt ille unius olim civitatis epiſcopus, innocenter quidem expulſus, multarum civitatum præſul magnificus. Nam poteſtatem ei & vicem ſuam domnus Papa commiſit per omnem Longobardiam, ubi catholici non haberentur epiſcopi, qui tunc inveniebantur certe rariſſimi. Concurrunt itaque ad ipſum ab omnibus partibus Longobardiæ, quotquot zelum habebant fidei catholicæ. Ibi benedictionem Catholici, abſolutionem excommunicati ſed converſi, accipiunt: ibi chriſma, ibi ſacros Ordines exquirunt: illic deſolati ſolatium, inconſulti conſilium, conſulti gaudium inveniunt. Apud ipſum quidquid uſquam dubii eſt, ſapienter diffinitur. Ejuſdem ſemper gravitatis & reverentiæ reperitur, nec pretio aut precibus corrumpitur. Multi ſæpe ad illum modo nobiles, modo ignobiles, pauperes venerunt ac divites; qui, dum à prædicta Comitiſſa vellent aliquid aut acquirere, aut acquiſitum ſecurius obtinere, munera ſibi interdum grandia, interdum promiſerunt alii majora: quibus ille, quamvis pauper ipſe, atque egentes ſui eſſent omnes, iratus reſpondit, dona reſpuit, adjutorium contradixit: quod ſi gratis poſtulaſſent, citius certe impetraſſent. Ait enim: « Si eſt injuſtum quod expetunt, ero particeps, immo auctor eorum injuſtitiæ: ſin autem juſtum eſt, reus ero, ſi juſtitiam vendidero. » Quod ſi mente aliqui perverſa divinitus forſan excæcati, aut avaritia ſæculi pernicioſe implicati, catholicæ & apoſtolicæ reſtiterunt ſententiæ, dum ſecum ratiocinari cœperunt, ſubito ſatis obmutuerunt: quia ſapientiæ illius reſiſtere non potuerunt, immo eloquentiam hominis tantam tamque rationabilem mirati ſunt. Omnem enim ſacram Scripturam fere memoriter novit; quid ſinguli, quid omnes de quavis cauſa ſancti expoſitores ſentirent, mox ut interrogares, reſponderet. Multa ſibi ſacris ex ſcripturis divinitus expoſita cognovimus, quorum aliqua ab ipſo habemus ſcripta, aliqua retinemus in memoria. Multos libellos propriis manibus conſcripſit. Apologeticum unum diverſis ex ſanctorum Patrum voluminibus compilavit, quibus domni Papæ ſententiam & univerſa ejus facta atque præcepta canonicis defenderet rationibus, & approbaret orthodoxis auctoritatibus. In Lamentationes Jeremiæ dilucidiſſimam fecit expoſitionem. Pſalterium quoque rogatu benedictiſſimæ Dei ancillæ Mathildæ expoſuit luculentiſſime, breviter quidem, ſed utiliter, uſque illum in locum, ubi ait: Benediximus vobis in nomine Domini. Ibi ſiquidem vitam & expoſitionem finivit, nobiſque omnibus alter patriarcha Jacob benedixit; cujus, ut omnibus notum eſt, univerſam in Italiam benedictio deſcendit. In ipſo etenim & per ipſum hæretici ac ſchiſmatici alii convertuntur, alii confunduntur, quorum mox dentes confringuntur ipſorum, dum ipſius Domini Verbis reſpondetur eis: *Cæci vident, claudi ambulant, ſurdi audiunt, muti loquuntur.*

Vicarius per Longobardiam.

Munera reſpuit.

Scripta edit.

22. De abſtinentia vero illius quid dicam? Omnes fere cibos habuit tamquam exoſos, etiam delicatiſſimos: quæ prædicta ipſius in Chriſto filia ſæpe ſibi exquiſivit, non dico non manducavit, ſed vix guſtavit. Cuncta ſæculi blandimenta & corporis delicias, quibus gaudent homines, ipſe ſibi convertit in tormentum, abominando ſingula, tamquam quælibet venena. Cibos quoque appoſitos, dum à circum ſedentibus interdum ſumere cogeretur, infirmitatem, aut votum, vel quamlibet occaſionem honeſte finxit; ut & deſideratam obſervaret caſtimoniam, & convivantibus non inferret triſtitiam. Vinum, ſicut beatus ait Hieronymus, fere ut venenum fugit. Vidi, inquam, quod & tacitus notavi, ut in ore ſumptam bucellam nollet dentibus, ſicut eſt communis hominum conſuetudo, maſticare, ne aliquam dulcedinem caperet; ſed molliter tactam, & breviter involutam conſum-

Ejus abſtinentia & ſobrietas.

Digitized by Google

ANN. CH MLXXXVI. MARTII XVIII.

ſit. Per totam ſæpe menſam non bibit: verum, ſi ardentius quandoque ſitis incubuit, circa veſperas fortaſſe modicum aquæ privatim hauſit. Nam & in ipſa aqua, prout mecum ſæpe locutus eſt, gulæ gaſtrimargiam æſtimavit, laqueum timuit; ideoque parcius delibavit. Quod ſi naturæ neceſſitas non cogeret, inſomnis, ut opinor, omni tempore permaneret. Nocte tota aut legit, aut ſcripſit, aut oravit; &, ſi fortius inſiſteret ſomnus, ſtans dormitavit. quod ſi delicatius interdum, in genua uſque provolutus dormivit. In lecto quidem rariſſime, niſi ſumma cogente verecundia vel neceſſitate, nec idem horis productis, ſed quaſi momentis. Paullo minus jam ipſam devicerat naturam, ut non jam videretur corpus, ſed quaſi ſpiritus totus. Vere potuimus in illo Evangelicum hoc etiam corporaliter agnoſcere, quia non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo Dei. Nam dum omnem ſibi fere victum ſubtraheret, plus tamen omnibus laboravit. Venias [a] de nocte, aut, ſi privatim poſuit, in die fecit permultas. Ad tertiam uſque ſtabat frequentiſſime.

Alia ejus exercitia.

23. In conſecrandis vero eccleſiis vel altariis, quaſi plenus Spiritu infremuit totus: quia ferventi ſemper devotionis amore, quidquid erat eccleſiaſticum peregit. Mirabamur omnes ſubtilitatis ejus inexſuperabiles vires: quia, nobis penitus penituſque laſſis, ſolus laborabat. Ut autem Miſſarum ad ſollemnia ventum eſt, confeſtim totus lacrymis manabat. Librum ubivis reperit, ſtatim perſcrutari diligentiſſime ſtuduit: ut quidquid diebus tamquam percurrendo carperet, id noctibus pleniter ruminaret. Si quando in expeditione, ſicut ſæpius, aut in itinere fuit, licet multum fatigatus, non tamen aut cibum idcirco lautius ſumſit, aut in lecto quievit. Summæ ejus deliciæ, aut fructus fuerunt, aut herbæ. Omnem vitam & converſationem ſuam, quantum potuit, abſcondit. Sive fuit cum hoſte in campo, ſive privatim in domo, lectum ſuum modica circumdabat cortina, ut ibi ſolus vel legeret, vel ſcriberet. A media ſemper nocte, ſicut ait Propheta, ad officium ſurgebat matutinale: niſi raro parceret debilitati filiæ ſibi commiſſæ, ſcilicet glorioſæ dominæ Mathildæ. nam mater omnium virtutum diſcretio regnabat in ipſo. O felicem illam, cui talis, tam providus ſemper aſſidebat pædagogus: non tamquam homo providus, ſed ut providi conſilii angelus. Numquam, ut arbitror, adſtante illo, aut defraudata eſt, aut decepta.

24. Mire mirandum, dum totam quandoque ſtaret diem cum ſæcularibus in conſiliis plurimis & diverſis, non eſt mente abalienatus, ſed divinum ſemper aliquid intus agitabat, & contemplabatur cæleſtia. Milites domus illius, tametſi nimium ſæculares, in illum tamen reſpexerunt omnes; plus ipſum, quam naturalem dominum * metuentes. In expeditionibus, & in cameris, inter quæque colloquia vel conſilia, aut prædicavit, aut quælibet bona verba protulit. Quod ſi ſuum fideliter ſecuti ſunt conſilium, ſicut eis prædixit, ſic & ſæpius illis evenit. Si non omnes prorſus convertit, fideliores tamen plures Deo ac dominæ ipſorum reſervavit. Omnes vero à multis ſæpe ſceleribus coërcuit, contra hæreticos ſtare fecit, præter filios tenebrarum perpaucos. Religioſos omnes venerabatur ut patres, increpavit delinquentes; & hæreticum hominem ſecundo aut tertio correptum, ſed non correctum, devitavit. Per ſingulas eccleſias in omni ſupra dictæ ſæpius dominæ terra, regularem clericorum vel monachorum compoſuit vitam; quin & malle ſe, inquit, ut in Eccleſia nullus eſſet vel clericus, vel monachus, quam irregularis, ut ita dicam, & irreligioſus. In divinis ſiquidem officiis quo affectu, quave contritione fuerit, non ſufficio deponere.

* al. dominam.

Ejus ſententia de clericis & monachis.

Lectiones divini officii ut ordinatæ.

25. Nihil in eccleſia legere permiſit, præter orthodoxorum Patrum ſcripturas,

[a] Sic antiqui genuflexiones appellabant, ut rurſus infra num. 37.

turas; ſicut ſancta præcipit auctoritas. Ordinem & concordiam tam in cantu, quam in lectionibus, prout ſancti Patres ſtatuere, conatus eſt obſervare. Apocrypha omnia, ſicut beatiſſimus papa Leo conſtituit, in Eccleſiæ non recepit officio: pro lectione tamen privatim in menſa, vel collatione non reſpuit omnino. Pſalmos quidem ut caute ac meditatim cantaremus, præcepit; alioquin aſpere increpavit. Novit Deus, quoniam videbar mihimet aliquando tamquam plenus Spiritu, ex ipſius aſpectu, & quaſi mei oblitus, videbatur ille mihi velut angelus. Inter divina myſteria numquam, vel raro ſedebat. Miſſarum ſollemnia numquam, prout percipere potuimus, ſine lacrymis explevit. — Ann. Chr. MLXXXVI. Martii XVIII. — Item pſalmodia.

26. Ante omnia vero id ſtudii ſemper habuit, quatenus primum magiſtrum ſuum papam Gregorium imitaretur in omnibus, adeo ut diſcrepare ab illo prorſus nollet etiam in aliquo. Illius ſemper meritis attribuit, quidquid in ipſo fuit. Dum vitam rememoravit monaſticam & ſolitariam, quam ſe crebro deflevit amiſiſſe, conſolatus in eodem magiſtro eſt, quia obediens ſibi uſque ad id factus eſt. Ille fons erat; hic quaſi rivus bonus ab illo fluebat, & aridam irrigabat. Ille, ut caput, totum corpus gubernabat; iſte, quaſi manus ſtudioſa, quod injunctum eſt, peragebat. Ille, ſicut ſol, illuminavit omnia: iſte, velut ſplendor, declaravit ſingula. Ille moriens mitram capitis ſui transmiſit iſti, tamquam poteſtatem ſuam ligandi & ſolvendi, ſed & miracula, credo, faciendi. Nam non multo poſt cognoſcentibus nobis omnibus, per ipſius conſilium & fidem magnam, præclara quædam fecit Deus per eamdem mitram mirabilia. Inter alia enim reverendiſſimus dominus Ubaldus, Mantuanus ſcilicet epiſcopus, multis jam annis graviſſime ſpleneticus, toto corpore ulceratus, præſertim in cruribus, ſic ut vix quomodolibet ſtare poſſet, vix etiam jacere vel ſedere; qui & multa in medicos erogaverat, nihilque profecerat; appoſita eadem mitra ubi major ingruerat dolor, priſtinæ redditus eſt ſanitati. — Gregorium VII. imitatur.

27. Beatiſſimus itaque talis ac tantus magiſter miracula fecit multa vivus & mortuus; fecit ſiquidem & bonus diſcipulus: magiſter, inquam, in Deo, diſcipulus in Deo; & in beatiſſimo magiſtro fecit, ut dicitur, plura diſcipulus. Nec mirum. Plura enim Petrus fecit, quam Chriſtus: non equidem propria virtute, ſed quia abnegans ſemetipſum, ſecutus eſt Chriſtum; ſicut & hic Pater noſter venerabilis, quia pium imitatus eſt in omnibus magiſtrum, multas operatur virtutes. Multi enim ſunt, quorum vitam novimus ſanctiſſimam, qui & requiem vere obtinent ſempiternam; ſed miraculorum non oſtenderunt virtutem. Hic autem non tantum, quia vitam fecit religioſam, immo quia fidelem peregit obedientiam, perfecto quoque odio partem odiens excommunicatorum, & unitatem diligens atque defendens Catholicorum, miraculis approbat, quod ſermone docebat. Omnes ergo, qui in unitate catholica præceptis domni papæ Gregorii hactenus obediſtis, gaudete & exſultate; atque his, qui retrorſum abierunt, & veſtigia veritatis dereliquerunt, ut factis modo credant, dicite, quod verbis olim noluêre.

28. Vidimus præſentes in vita ipſius ſubdiaconum ejus, nomine Teutonem, qui infirmos ſemper habebat oculos; qui, etſi præter ſolitum quid vigilavit interdum, aut bibit forte vinum, diu poſtridie vix quidquam potuit videre, legere vero prorſus aliquamdiu non potuit. Aquam itaque, qua manus ſuas domnus Epiſcopus poſt ſacrificium abluit, accepit, oculos lavit, & ſanos abinceps habuit; vigilare ac legere non minus nobis aliis potuit. Similiter & preſbyter ejus Vvido febres patiens, aquam ablutionis manuum ejus accepit, bibit & evaſit. — Miracula in ejus vita.

29. Item Johannes diaconus ſuus, dum apud Mediolanum infirmaretur, feſtinavit ſibi mandare, hoc addens in legatione, quod mox audita ipſius

ANN. CH. MLXXXVI. MARTII XVIII.

paſſione, vellet in ſe virtutem benedictionis ſuæ ſentire. Factumque eſt ut credidit. Statim enim ſenſit, paulloque poſt pleniter evaſit; quem & preſbyterum poſtea idem dominus Epiſcopus ordinavit. Supra dictam quoque ſibi commiſſam filiam, ſcilicet nobiliſſimam dominam Mathildam, diverſis ſæpe ab infirmitatibus ſanavit ſola benedictione: &, ut ipſa nobis conſueverat referre, virtutem frequenter ab illo ſenſit exire, ita ut ad tactum illius fugeret omnis tunc incumbens morbus.

30. Cogitationes hominum evidenter cognovit interdum, ipſiſque cogitantibus, Sic & ſic, inquit, tali hora, talique in loco cogitaſtis. Teſtis mihi Deus eſt, quod non mentior: quia dum ſemel cum illo de meis peccatis, ſicut ſæpe ſolitus eram, conferrem, quamdam tentationem, qua tunc ferventius me ſpiritus nequam conabatur impugnare, confeſſus dixi. Et ipſe: » Verum, inquit, dicis, quia, in ipſo etiam miniſterio altaris interdum oc» currit tibi. Quod ut audivi, mox expavi; & ab omni deinceps prava cogitatione, præſertim illo præſente, ſtudebam me coërcere. Inter Miſſarum quidem ſanctas celebrationes talia maxime conſuevit videre: qui etiam id ſemper ſtudii habuit, ut quotidie Miſſas celebraret. At, ſi die aliqua non celebravit, quod rariſſime tamen aliquo accidit impedimento, tota die illa triſtior erat, & quaſi gravis pernimium; ſicut & illam quoque noctem, dum nimiis ex vigiliis coactus dormivit aliquantulum, gravem & inquietam deploravit.

Miſſa quotidie ab eo celebrata.

31. Revelationes quoque digne memorandas vidit ſæpiſſime, quarum aliquas libet breviter perſtringere. Quodam enim tempore, dum in eccleſia ſancti Pauli in territorio Mantuano juxta epiſcopium, conſecraret quoddam altare ad honorem ſanctæ Mariæ, vidit ipſam corporeis oculis in eodem altari inter ipſa ſollemnia conſecrationis. Alio quoque tempore in Purificatione ejuſdem glorioſæ virginis Mariæ, dum tardior ad eccleſiam veniret, cantantibus jam clericis Invitatorium, ubi ait, Occurrens Deo tuo, vidit intranti ſibi Chriſtum venire in occurſum. Altera vero vice quadam, dum in magna compunctione cordis & lacrymarum decantaret pſalmum LXXXV. utpote, Inclina Domine aurem tuam, ſenſit Dominum ad ſe inclinatum, & tamquam aurem adhibere ad auſcultandum. Multa quippe & alia fecit atque vidit, quibus feſtinantes modo ſuperſedemus.

32. Poſtremo, quam felicem fecerit finem, multi epiſcopi & clerici, nobilioreſque laïci præſentes viderunt. Teſtamentum non fecit, quia unde faceret, non habuit, imitatus etiam in hoc * magiſtrum, quem pauperem, & in exſilio novimus defunctum, qui etiam in extremis ſuis, ſicut ab ipſius » Capellanis didicimus religioſis: Poſt omnia, inquit, dilexi juſtitiam & odio » habui iniquitatem, idcirco morior in exſilio. Equidem, quod in vita ſua magiſter ac diſcipulus docuerunt, hoc & in morte quaſi teſtamento confirmaverunt. Ille, quos obedientes ſibi vivens adhuc benedixit, moriens quoque Domino precibus commendavit. Heinricianos vero penitus penituſque, niſi poſt magnam demum converſionem & pœnitentiam, reprobavit. Hic præſentibus nobis in verbo Domini præcepit, ut in fide ac doctrina beatiſſimi papæ Gregorii permaneamus. quod & cum benedictione nobis indidit, & in remiſſionem peccatorum noſtrorum commendavit.

33. Affuit huic benedictioni quædam matrona, nomine BERTA, nobilis genere, nobilior mentis indole animique devotione, uxor clariſſimi Comitis BERNARDI, quæ inſolitam in capite patiebatur infirmitatem. Nam tanta in vertice capitis fatigabatur frigiditate, ut quaſi glaciem ſuperpoſitam æſtimare interdum poſſet, quam calefactis ad ignem pellibus aut pulvinaribus ſæpe conabatur depellere: ſed & medicis exquiſitis plurimis, nullam conſecuta eſt ſanitatem. Quod ſi frigus eam, aut ventus ibidem ali-

* Nempe Gregorium VII. quem auctor paſſim Anſelmi magiſtrum vocat, ſupra num. 26. & 27.

Digitized by Google

quando tetigit, dum fortaſſe improvida dormivit non cooperto diligenter capite, vehementi vexabatur dolore, ut quaſi vertentes vel exſilientes oculos timeret, & tamquam contractis colli nervis, caput flectere non poſſet. Hæc, inquam, venerat illo quadrageſimali tempore ad civitatem Mantuam, ad comitiſſam Mathildam, ut tam venerabilis Epiſcopi ſanctum & quotidianum audiret officium. Unde accidit, ut in extremis ejus ad benedictionem, quam prædiximus, citius multis aliis occurreret, quæ, dum benedictionem ab ipſo devotiſſime expeteret, manum ille capiti ejus impoſuit, & expulſo mox inſanabili frigore, calorem illa ſaluberrimum recepit, & exeunte ſudore, atque aliquantula ſanie per auriculas ejus, uſque ad octavas Paſchæ ſublata eſt omnis occaſio infirmitatis. Quanta deinceps ſigna clariſſima Deus per ipſum ſit operatus, quid mea refert dicere, dum conſtet perplurimos præſentialiter omnia vidiſſe? *Ann. Chr. MLXXXVI. Martii XVIII.*

34. Rogavit itaque, quoad vixit, quatenus in capitulo monaſterii ſancti Benedicti, quod eſt in ripa fluminis [a] Eridani ſub obedientia ſacri Cluniacenſis cœnobii, unde frater ipſe ac monachus fuit, ſepulturæ commendaretur; & cum, concedentibus Epiſcopo atque Comitiſſa, ceteriſque omnibus, jam deferretur ad monaſterium corpus, affuit ſubito Sutrienſis epiſcopus, nomine BONIZO, quem & Spiritus-ſanctus ſuſcitavit, ut clamaret dignum eſſe, ut in epiſcopio Epiſcopus ſepeliretur. Tanta, inquit, lucerna non decet ut abſcondatur. Ipſe adhuc vivens tamquam indignum ſe humiliavit: nos autem, ut vere dignum, exaltare oportet hominem, quem fuiſſe ſcimus ſanctiſſimum. Acclamatum eſt idem ſtatim ab univerſis, rapiturque à monachorum obſequiis; in epiſcopium defertur, ibique venerabiliter ſepelitur. Mirabamur hoc quaſi magnum primo miraculum, neſcientes, quod abinceps ſatis mirabilius erat futurum. Nam & id quoque tunc notavimus, quod & multi epiſcopi & cardinales, magna etiam multitudo militum, die obitus ſui eamdem in civitatem venerant. Aderant ſiquidem Magalonenſis epiſcopus, nomine GODEFRIDUS, & BENEDICTUS Mutinenſis epiſcopus, atque ARIBERTUS Regienſis epiſcopus, & ejuſdem civitatis epiſcopus, ſcilicet Mantuanus, UBALDUS vocitatus; ſed & DAMIANUS cardinalis Romanæ eccleſiæ, qui & abbas Nonantulenſis cœnobii. Hi omnes ad audiendam ejus ſapientiam, ad capiendum ipſius conſilium, ſicut ſæpe ipſi ac ceteri Catholici conſueverant, advenerunt. Sutrienſis quoque pridie tantum receſſerat, ſed mox, poſt tranſmigrationem ipſius, eodem die affuit opportunus. Iſti, inquam, & alii perplurimi, majores ac minores interfuêre, qui & ipſius tranſitum viderunt, & clara miracula poſt obitum ejus præſentes cognoverunt. *In monaſterio S. Benedicti vult ſepeliri.*

35. Igitur anno Incarnationis Domini noſtri Jeſu-Chriſti MLXXXVI. epiſcopatus vero ſui anno XIII. Indictione nona, finitis jam annis ſeptem excommunicationis Heinrici quondam regis; poſt tranſitum autem feliciſſimi papæ Gregorii VII. menſes novem, dies viginti tres, obdormivit in Domino venerabilis dominus & pater noſter Anſelmus Lucenſis epiſcopus, XV. Kalend. Aprilis, in civitate Mantua, præſidente reverendiſſimo epiſcopo Ubaldo, atque dominante ibidem nobiliſſima duce ac marchioniſſa Mathilda. *Obitus ejus tempus.*

36. Tertia itaque nocte poſt ſanctiſſimi Patris venerandam dormitionem, quædam contracta, quæ una ſemper manu, & poſterioribus per terram ſerpebat potius, quam gradiebatur; quæ etiam in domo nepotis epiſcopi annum unum & duos menſes ac dimidium manſerat, apud prædicti Patris tumbam, meritis ipſius ſana erecta eſt in prima noctis vigilia. Sequenti vero die, circa tertiam, ut viſum eſt, horam, fertur, quod quædam à nativitate cæca ibidem fuerit illuminata, quam Brixienſis Comitatus inco- *Miracula poſt mortem ejuſdem.*

a Id eſt monaſterium ſancti Benedicti ad Padum in agro Mantuano, dictum Padolironenſe.

Ann. Ch. MLXXXVI. Martii XVIII. lam tunc audivimus. Eodem quippe die quaſi hora ſexta, pauper quidam, in hoſpitio pauperum prædicti Præſulis Mantuani aliquanto tempore eleemoſynis ſuſtentatus, à renibus uſque curvus, ad ejuſdem ſancti Patris ſepulcrum orans, ſubito ſe ſanum erexit. Divulgatis itaque longe lateque talibus miraculis, ecce mulier quædam de caſtello, quod Capitellum dicitur, quæ viſum penitus amiſerat, cœpit virum ſuum flagitare, ut ad ſancti viri corpus eam perduceret. Illo vero negante, frater ejus miſericordia motus, junctiſque bobus plauſtro, cœpit eam deferre. Dum autem duobus milliariis perrexiſſet, incœpit arbores, & plauſtrum, & boves, ceteraque jam omnia videre. quæ gratias Deo, ejuſque ſancto Confeſſori agens, votum de paupertate ſua faciens, domum reverſa eſt.

37. Die nona, erat in eodem caſtro alia quædam cruribus ac renibus contracta, quæ nulla ex neceſſitate, lectum ſuum per ſe potuit exire. Hæc apud civem quemdam Mantuanum, qui venerat illo, precibus impetravit, quod impoſitam plauſtro ſuo ad urbem detulit, & ad tumulum ſancti Præſulis humeris ſuis portavit. quæ, facta aliquanta oratione, paullo poſt ſana ſurrexit. Die undecima, quædam etiam de caſtello, quod Goudium dicitur, menſibus tunc viginti privata luminibus, biduo jejuna juxta corpus ſanctum demorans, priſtinam luminum claritatem recepit. Die quintadecima, altera quædam de caſtello, ut dicitur, Lazeſe, manu & pede contracta, ore contorto, morbo caduco graviſſime vexata, ibidem aliquamdiu patiens, plenam recuperavit ſanitatem.

38. Die ſexta-decima, deinde adſtantibus nobis pariter cum glorioſiſſima domina Mathilda, & pſallentibus in die ſancto Paraſceves, adveniens quædam de loco, qui Coloniola dicitur, quæ viſum perdiderat, flens & ejulans, devotiſſime faciens venias, & poſt aliqua ſurgens, oculos ad tapetum ſepulcri terſit, viſumque recepit. Die decima-octava, mulier etiam una ejuſdem civitatis non ignota, dentium dolore ac viſcerum torquebatur: quæ confugiens ad prædicti Confeſſoris ſepulcrum, ſana mox facta eſt. Altera quævis de opido, quod Caſtelluculo appellatur, adeo infirmata eſt, ut à lecto ſurgere non poſſet ullo modo. Hæc, auditis tot miraculis, votum fecit, paulloque poſt evaſit, atque octava die pedibus ſuis ad ſancti viri tumbam veniens, votum ipſamet perſolvit.

39. Die vigeſima-prima, erat inſuper civis Mantuanus, qui, ſuperveniente albugine, unius oculi viſum amiſerat. Multa itaque in medicos expendens, nihilque proficiens, ad verum Medicum ſalutis per merita ſupradicti Præſulis ſanctiſſimi confugit, viſumque recuperavit. Die vigeſima tertia poſt hæc, puer unus de villa, Vadum-ferratum appellata, quem arthetica officio brachiorum privaverat, ad idem oratorium delatus, ſanitatem recepit. Die vigeſima quarta, alius etiam puer de *Barbaſſio*, lumine privatus oculorum, & quaſi hydropiſim perpeſſus, admonitus ſæpe in ſomnis, tandem ad ſanctiſſimi Patris patrocinia confugit, & evaſit.

40. Die trigeſima-prima, fuit presbyter de epiſcopatu Brixienſi, de caſtro, nomine Gozelengo, cui malum id, quod per antiphraſim homines Bonum appellant, unius oculi lumen abſtulerat. qui audita tantorum ſignorum fama, ad ſanctum ſepulcrum properavit: facta vero ibidem oratione reverſus eſt, & quavis prurigine, dum erat in via incitatus, oculum digito fricavit, apertiſque mox palpebris clare vidit. Regreſſus ergo ad civitatem, gratias coram omnibus tam pio retulit patrono. Nocte ſequenti trigeſimum-primum diem, quædam venit de caſtello, nomine Muratica, juxta portum Lignacum in Comitatu Veronenſi, habens ſiniſtram manum clauſam, ſed & totam partem illam gutta paralytica perditam. Hæc trigeſimo die obitus ejuſdem ſancti Præſulis, ipſius ad tumbam orans, ſana ſurrexit. De Comitatu quoque Mediolanenſi, de plebe Roſade, quidam

Digitized by Google

claudus advenerat, qui & multa jam ſanctorum limina ſic contractus ſanitatem expetens circuibat. Hic ad ſanctum tumulum proruens, orationem faciens, ſanus continuo factus eſt. Ann. Ch. MLXXXVI. Martii XVIII.

41. Die trigeſimo-nono, accidit deinde, quod in multorum oculis jocundum fuit & mirabile. Nam in Litaniis, quæ Gregorianæ appellantur, dum innumerabilis hominum multitudo ad ſupra dictam civitatem Mantuam concurreret, quidam de villa, nomine Fornicata, & alia, quæ Blittolo dicitur, cum vexillis & [a] ſanctuariis, ſicut eſt conſuetudo, venientes, & ſecus viam conſpicientes cervam unam magnam, admoniti à quodam ipſorum presbytero, cœperunt omnipotentiam Dei invocare, quatenus meritis ſanctiſſimi ſui Sacerdotis, ad quem devote pergebant, illæſam eis ipſam concederet. quod & ſic factum eſt. Nam, quaſi fixa loco, ſtetit quieta. At illi miſſo in collum ejus quodam funiculo, ad uſque ſepulcrum venerandi Confeſſoris manſuetiſſime perduxerunt. Factus eſt itaque inæſtimabilis turbæ concurſus. Alii pilos ipſius, tamquam veritatis indicium, rapuerunt: alii tantum videre cupierunt: omnes autem æquanimiter mirati ſunt. Sed quia erat gravida, tantam ſuſtinere preſſuram non potuit, ad ſepulcrum tamen pervenit, ibique ſuccubuit; & paullo poſt, dum vivere non poſſet, occiſa eſt; cujus caro in benedictionem diverſas per partes diviſa eſt, quæ multis certe infirmis priſtinam reddidit ſanitatem. Sed non minus laudabile ac glorioſum eſt quod ſequitur.

42. Revertentibus enim eiſdem poſt completam orationem, quamdam ad aquam venerunt, quam, niſi navigio, tranſire non potuerunt. Ut autem manifeſtarentur opera Dei, navis alteram in partem traducta eſt. Diu ergo exſpectantes, & aliquantulum triſtes, eo quod jejuni erant ac fatigati, recordantes prioris miraculi, iterum invocaverunt Deum, ut per merita ſui ſancti confeſſoris Anſelmi tranſeundi daret conſilium. Vix precibus completis, & ecce navis diſſoluta, abſque omni remige venit ad eos. Gratias itaque referentes Deo, ejuſque Confeſſori ſanctiſſimo, omnes tranſierunt incolumes, cujus ex navis ligno diverſis de doloribus perplurimi ſanati ſunt.

43. Noſſe etiam volumus ſanctum deſiderium veſtrum, quod non aliunde didicimus, verum ipſi vidimus & fecimus. Erat in obſidione cujuſdam caſtelli veneranda, quam prædiximus, Comitiſſa, ubi Theutonicus quidam ictu petræ vulneratus eſt in capite; qui triduo poſt deductus eſt noſtrum in hoſpitium, quatenus ibi meliorem, quam apud laïcos, haberet tranquillitatem. Hunc deinde gutta, quam paralyſin medici vocant, tam crudeliter invaſit, quod amens penitus factus eſt, adeo ut nihil ſane ſentiret, neminem cognoſceret. Vocati ſumus denique & nos, quatenus injuncta ei pœnitentia communionem daremus. Sed neque pœnitentia quid eſſet, potuimus ei innoteſcere: poſtremo nec quid Deus eſſet, potuimus eum facere agnoſcere, aut Deum vel aliquem ſanctorum invocare. Æſtimabamus certiſſime dæmonium illum habere. Vociferabatur enim, ut aſſolent inſani, clamore valido inconvenientia multa; &, niſi teneretur violenter, non ſolum veſtimenta, verum etiam diſcerpſiſſet membra. Auditur undique clamor, accurrunt plurimi, alii plangentes, alii admirantes. Audivimus quoque nos in camera ipſius dominæ lamentabilem illius vocem, quæ divino compuncta inſtinctu, ait ad me, ut anulum, qui ſancti Anſelmi fuerat, quem etiam beatus papa Gregorius aliquamdiu habebat, in aqua lavarem, quam bibendam ſibi porrigerem, ſperans, quod meritis ipſorum liberaretur. Surgens ergo, & accepto anulo, perrexi ad eum, quem inveni miro modo vociferantem, ac ſe ipſum diſcerpentem. Nam licet eum quinque viri fortes tenerent, duo per crura, duoque per brachia, &

[a] Sic olim Sanctorum reliquias & reliquiaria vocabant.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXVI. MARTII XVIII.

ſinus in capite; luctabatur tamen pectore ac ventre magis quam crederem, niſi præſens vidiſſem. Accepta itaque aqua, anulum intus in nomine Domini poſuimus, & aperto ejus ore in magna violentia cum cochleari parumper eum vix primo potavimus. qui non multo poſt vocavit me ex nomine, atque incœpit vocem meam agnoſcere, & admonitus continuo invocavit ſanctum Anſelmum; &, ut breviter dicam, poſt unam, ut æſtimo, horam, meritis ſanctorum Confeſſorum, qui eodem anulo in divino utebantur officio, requievit manſuetiſſime, & loquebatur recte. Huic nempe miraculo multi intererant, qui præſentes viderunt & audierunt, atque miſericordiam Dei in ſuis ſanctis Confeſſoribus glorificaverunt.

44. Hæc de beatiſſimo patre ac patrono noſtro ſancto Anſelmo Lucenſi epiſcopo perpauca quidem, quantum ad ipſius merita, ſed veſtris, ſpero, piis deſideriis proficientia, ego B. peccator presbyter ſuus in pœnitentia, non dico filius, ſed ſervus, ab ipſo multis cum lacrymis ad eumdem Ordinem promotus, venerabiliter vobis expetentibus explicavi devotus. Precor vos orate pro me.

APPENDIX

Ex libro de miraculis S. Anſelmi.

1. *Superiori libro de vita ſancti Anſelmi, auctore B. ejus Pœnitentiario, ſubjectus eſt ab Hugone presbytero Mantuano libellus de ejuſdem ſancti Antiſtitis miraculis, qua quia nudam miraculorum commemorationem continent, non viſum eſt opera pretium ea recudere hoc loco, cum apud alios facile videri poſſint. Quædam tamen ex iſto libello carptim obſervabimus.*

2. *In primis notare juvat, Hugonem ipſius libelli ſcriptorem indicare nomen ſuum in miraculo quodam, apud Bollandum num.* 55. *quod miraculum, prout* à confratre Vitali Brixienſis eccleſiæ presbytero *ſe didiciſſe affirmat Hugo*, paternitati veſtræ, *inquit*, venerande Pater Mantuane Pontifex, me UGONEM ſcribere, ut juſſiſti, non piguit. *Id de Ubaldo Mantuano epiſcopo, qui ſancti Anſelmi funus curavit, intelligendum non dubito. nam omnia miracula ab Hugone ſcripta ſtatim à morte Anſelmi patrata ſunt. Huc ſpectat quod apud Bertholdum Conſtantienſem legitur de Anſelmo:* Quantæ vero ſanctitatis Tractator ille fuerit, partim ex lectione ſanctorum geſtorum ejus animadvertimus, partim ex relatione religioſorum fratrum, qui ſe de longinquo ad ſepulcrum ejus per revelationem invitatos veniſſe, & à gravibus atque diutinis languoribus abſque mora liberatos teſtati ſunt, perpendimus.

3. *Idem qui ſupra Ubaldus Mantuanus epiſcopus, referente mox dicto Hugone apud Bollandum num.* 45. *ſcribit Mathilda comitiſſa miraculum de quadam femina Capriana*, quæ, velut animal, manibus & pedibus incedebat.

4. *Item num.* 52. Per merita ejuſdem ſanctiſſimi Patris quædam monacha de ultramontanis partibus, de villa quæ dicitur Gamudium, juxta caſtrum Ciſne ſita, *lumen recepit*.

5. *Item num.* 53. Sicut à Comite Guifredo, & à Sigefredo de Peredo ejus milite modo didici, vobis ſcribo, vobis & Abbatiſſæ ſancti Pauli de Parma Mantuæ manentibus, *ſcilicet miracula quæ ſequuntur in eodem libello.*

6. *Denique num.* 58. *laudatur* ARIALDUS, ſanctiſſimi confeſſoris Arialdi frater, *cujus filia quinquennis febri alioque incommodo liberata eſt. Aliis referendis ſuperſedeo. De Anſelmi noſtri genere quod attinet, nepos fuiſſe dicitur Alexandri II. qui & Anſelmus de Badagio antea vocabatur, nobilis Mediolanenſis, quem alterius item Anſelmi filium fuiſſe ſcribunt.*

Digitized by Google

VITA S. ANASTASII MONACHI ET EREMITÆ.

Auctore GALTERIO.

Ex mſ. codice eccleſiæ S. Martini Doydenſis.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Anaſtaſius antea ignotus.

1. IGNOTUM *huc uſque in faſtis Benedictinis ſanctum Anaſtaſium hîc proferimus, cujus vitam Galterius, auctor nobis antea incognitus, ſed ut ex ipſius vitæ contextu patet gravis, haud multo poſt beati viri obitum, niſi fallor, conſcripſit. Hanc vero vitam debemus illuſtriſſimo eccleſiæ Principi Antonio Petro* Bertier *Rivenſium antiſtiti, qui codicem mſ. in quo ipſa habetur, ex eccleſia parœciali ſancti Martini Doydenſis acceptum humaniſſime cum uno è noſtris communicavit, quam ille ſtatim exſcriptam ad nos tranſmiſit, Actis Sanctorum ordinis noſtri inſerendam.*

Geſtorum ejus ſeries.

2. *Haud expreſſit vitæ auctor quis annus fuerit beato viro extremus, nec aliunde nobis ſuppetunt vetera inſtrumenta, ex quibus is nobis innoteſcat. quare inveſtigandum eſt utrumne ex ejus vitæ circumſtantiis aliquid lucis in hac rerum ambage habere poſſimus. Illa nempe certis alligata temporibus, ad determinandam reliquarum actionum ſeriem uſui eſſe poterunt. Diſcimus itaque ex ipſa Vita, beatum Anaſtaſium circa ſæculi hujus undecimi medium in monaſterium ſancti Michaëlis, in Periculo-maris dictum, ſeceſſiſſe, eo ſcilicet tempore quo abbas ſimoniaca labe infectus, cujus nomen auctor reticuit, eidem cœnobio præerat. Hoc autem anno circiter* MLVIII. *aut ſequenti contigiſſe conjicimus, quod his duobus annis nullus in catalogis aut veteribus inſtrumentis monaſterii ſancti Michaëlis abbas memoratus occurrat, quod forte ſimonia notatus inter ejuſdem loci abbates locum non meruerit. Et quidem ceteros abbates, qui eidem monaſterio hoc ſæculo præfuerunt, ſimoniaca peſte tactos fuiſſe nuſquam legimus. Scimus Arturum Monſterium Neuſtriæ piæ auctorem Fulconem quemdam hoc biennio ſancti Michaëlis abbatem induxiſſe,* qui, *inquit,* anno MLIX. Philippi regis coronationi adfuit, ex quo patet hanc abbatiam duobus annis haud vacaſſe. *At non advertit ille auctor Fulconem* abbatem ſancti Michaëlis, *qui Philippi inaugurationi interfuit, non monaſterii ſancti Michaëlis de Monte, ſed ſancti Michaëlis in Theoraſcia diœceſis Laudunenſis abbatem fuiſſe. quod certum eſt non ſolum ex vulgatis ſancti Michaëlis in Theoraſcia abbatum catalogis, ſed etiam ex ipſo coronationis Philippi regis inſtrumento apud Cheſnium in Hiſtoricis Franciæ, & Marlotum in metropoli Remenſi relato, ubi diſerte Fulco* abbas ſancti Michaëlis Laudunenſis *appellatur. licet hæc vox* Laudunenſis, *neſcimus quo caſu, è Philippi Labbei calamo tomo* IX. *Conciliorum exciderit.*

3. *Aliam deprehendimus temporis notam in beati Anaſtaſii vita, repetitam ſcilicet ex ejus in Hiſpaniam profectione, quam jubente Gregorio VII. ſummo Pontifice, & mittente Hugone abbate Cluniacenſi, ab eo ſuſceptam fuiſſe teſtatur idem vitæ auctor. Hoc autem iter anno circiter* MLXXIV. *conſignamus, ſcilicet paullo poſt Alfonſi regis reſtitutionem, cum Gregorius jam ſecundum pontificatus ſui annum attigiſſet. Non enim Anaſtaſium ex iis fuiſſe cenſemus, quos poſtea ſanctus Hugo in Hiſpaniam tranſmiſit, ut ibi diſciplinam monaſticam reſtaurarent. iſti nempe in Hiſpaniis permanſerunt, variis monaſteriis de novo conſtruendis, aut certe veteribus reſtaurandis intenti. quorum etiam plerique ad epiſcopales infulas evecti ſunt. At Anaſtaſius eo ſolummodo profectus fuerat, ut Saracenis Chriſti Evangelium nuntiaret: hinc cum ſe incaſſum laborare advertiſſet, in Gallias repedavit.*

4. *His itaque ſtatutis, cum ex vita auctore diſcamus Anaſtaſium ex Hiſpania reverſum ſeptem annos Cluniaci, ac tres alios in ſolitudine tranſegiſſe, jam decem annos ſupra* MLXXIV. *habemus; quibus ſi unum aut alterum adjiciamus, quos in itineribus vel etiam in Hiſpania verbi divini prædicationi incumbens conſumſerit, conficiemus beatum virum anno circiter* MLXXXVI. *ad ſuperos abiiſſe. quem quidem annum, donec certiora occurrant monumenta, retinere viſum eſt.*

Digitized by Google

Circa Ann. Ch. MLXXXVI. Oct. XVI.

5. *Hujus ſancti viri nomen nullum, quod quidem ſciamus, martyrologium exhibet, nequidem Benedictinum. Colitur tamen in eccleſia parœciali ſancti Martini Doydenſis *, ſeu ut habet vitæ auctor,* Devotenſis, *in diœceſi Rivenſi *, ubi integrum ejus ſacrum corpus aſſervatum eſt ad ſæculum decimum-ſextum, quo à furentibus Calvinianis hæreticis diſſipatum eſt, præter aliquot ejus particulas in ſcrinio argenteo incluſas, quæ à fidelibus eorum furori ſubducta ſunt & in loco tuto repoſita. Has ab aliquot annis inviſit Illuſtriſſimus Antiſtes Rivenſis ſupra laudatus, ſuaque auctoritate recognitas & approbatas fidelium venerationi exhiberi permiſit. Haud procul ab eo vico viſitur fons, ſancti Anaſtaſii vulgo nuncupatus, quo ſitim ſuam vir ſanctus aliquando exſtinxiſſe memoratur. Frequentatur vero à vicinis populis, quod ejus aqua hauſtu febrium ardores ſedari dicantur, quod multorum experimento certum eſſe tradunt.*

* Doydes.
* Rieux.

INCIPIT PROLOGUS.

1. GALTERIUS PETRO Devotenſis eccleſiæ ſubdiacono, & fratri ejus BERNARDO, in omnibus proſperitatem, & ad effectum perducere bonam devotionem. Cogitis me, dum impenſius inſtantes rogatis, ut ad ædificationem poſterorum tradam memoriæ calamo vitam beati ANASTASII confeſſoris. Et à me ſine difficultate non video poſſe ſufferri, nec meis viribus competit: ne vita ſancti viri culpa ingenii ſcriptoris, potius videatur atteri, quam in majus celebrari. Ne tamen veſtræ petitioni videar contraire, cui, etſi parum idoneus, debeo in omnibus obtemperare, quod diſſuadet aviditas ingenii, aggrediar tutus præſidio veſtræ juſſionis: etenim ſi quid ſum, ſi quid valeo, Domino imputare debeo. Præterea cum me profitear amicum veſtrum, non decet ut omittam, ſi in aliquo vobis quovis modo obſequi poſſum; cum, ut quidam Sapiens ait: Amicitia tantum conſtet in petendi devotione, & in ſedula obſequendi voluntate. Ad hoc accedit devotio pura, quæ cogere poteſt, etſi abſint omnia ſupradicta, ut ad perficiendum quod petitis audacter inſiſtam. Dum enim curam hanc mihi tanto opere indicitis, poſteritatis ædificationi conſulitis: dum ad laudem & honorem Dei, vitam ſancti confeſſoris ac glorioſiſſimi Anaſtaſii vultis reſerari, ut poſteris ſit ad exemplum, & ad ſanctitatis ejuſdem viri teſtimonium. Rogo ergo, & obnixe ſupplico, ut ſi quid incuria parum quæſiero, aut egeſtate mei ingenii prætermiſero, aut reſciſſione dignum ſuperaddidero, ne pigeat lectorem addere quod perſpexerit additione dignum, aut reſcindere quod tranſverſi calami nota judicaverit corrigendum. Denique excuſare me poterit devotio petentium, quæ, ut ſæpe jam dixi, compulit audere quod ingenii diffidentia diſſuaſerat.

INCIPIT VITA GLORIOSI ANASTASII.

Anaſtaſii patria & parentes.

2. GLorioſiſſimus ANASTASIUS confeſſor Dei, Venetias oriundus, ſecundum dignitatem hujus mundi genere clarus enituit, patre & matre non infimis ortus: qui ab ipſis cunabulis baptiſmatis unda regeneratus, à primævo ſtudiis litteralibus à parentibus traditus eſt; in quibus ita curam adhibuit, ut tam Græcis, quam Latinis litteris omnibus ad unguem videretur imbutus. Fuit igitur clarus ingenio, doctus eloquio, ornatus moribus, amabilis omnibus, ut felices dicerentur qui talem filium genuiſſent. Sed quia vir Dei ſapientiam hujus mundi, ſtultitiam apud Deum eſſe in divinis codicibus legerat, & ipſam Veritatem in Evangelio dicentem audierat: Niſi quis renuntiaverit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus; cœpit non ſine divina gratia ad memoriam revocare, & idem apud ſe revolvere, quia grave damnum ſuſciperet, ſi pro terrenis cæleſtia amitteret. Hæc diu revolvens, tandem ſecum deliberavit, quod ut de commiſſis pœnitentiam ageret, monaſtico habitu ſeſe committeret. Sed quia manu miſſa ad aratrum turpe eſt retro reſpicere, & tortum & inutile ſulcum

Studet pietati.

Luc. 14. 33.

CIRCA ANN. CH. MLXXXVI. OCT. XVI.

cum facere, voluit ſanctus vir Anaſtaſius ſeſe primum jejuniis, vigiliis, & orationibus macerare; ut ſic probaret, ſi ſuſcepto monachorum habitu, in propoſito gradu perſiſtere poſſet, ne reſiliret: ſubtraxit ergo ſibi primum vinum in quo eſt luxuria, quarta & ſexta feria cœpit jejunare, ſic tamen ut aliquoties carnibus veſceretur: orationi & vigiliis plerumque inſiſtebat.

3. Cum vero hoc modo per aliquantulum temporis carnem ſuam refrenaſſet, & jam quodammodo eam in via boni propoſiti teneret, abjecit edulia carnium: & ita maxime vigiliis & orationibus cœpit inſtare, ut à dominica in dominicam jejunaret. Sed cum aliquamdiu iterum ſe ſic mancipa-ret, ſic confirmatus eſt, quod ſibi viſus etiam eſt firmus, & ſuo propoſito ſufficiens. Decrevit ergo ſatisfacere, & ſuum propoſitum perficere. Derelictis ergo parentibus, domo, & cognatis, quærens locum idoneum, ubi monachorum ſuſciperet habitum, ad mare Britannicum pervenit, ad locum, qui Portus-Herculis appellatur, qui & alio nomine, ad Montem [a] ſancti Michaëlis in Periculo-maris dicitur; ubi inventa magna congregatione monachorum, in omnibus religioſorum, excepto quod Abbas per ſimoniam ſubintraverat, habitum optatum ſuſcepit. De Abbatis ſimonia vir Dei penitus ignorabat. Factum eſt autem poſt revolutum annum, cum ſederet cum quodam fratre [b], & poſt ſermonem habitum de confirmatione animæ, de vita ſanctorum Patrum, ad invicem quæſtio referretur, & inde diu & multum diſſererent, tandem ſermo directus eſt ad Abbatem. Cognovit vir Dei Anaſtaſius quod Abbas erat ſimoniacus, & per pecuniam infinitam quam dederat, in Abbatiam ſubintraverat; unde ſupra modum dolens, & affirmans ſe diabolica fraude deceptum: quippe qui locum idoneum ſuo propoſito quæſierat, & in laqueum nefandi hoſtis pæne ceciderat, receſſit inde, & quamdam inſulam ingreſſus in ipſo introïtu ſupradicti maris, in baſilica quadam Dei-Genitricis Mariæ, ſolus manere cœpit, jejuniis, vigiliis & orationibus vacans.

Monaſticam veſtem ſuſcipit.

Secedit in ſolitudinem.

4. Ubi cum aliquanto tempore vita eximiæ converſationis claruiſſet, & fama ejus longe lateque diffunderetur, venerabilis abbas, HUGO nomine, qui Cluniacenſi monaſterio eodem tempore præerat, ad revincenda * cœnobia, exhortatione fratrum, qui per diverſa loca & longe remota Deo deſerviebant, cum multis fratribus exivit. Unde factum eſt ut ad mare Britannicum perveniret; ubi audita vita & converſatione viri Dei Anaſtaſii, miſit duos de fratribus in inſulam ad prædictam baſilicam, & mandavit viro Dei, ut ad ſe gratia colloquendi exiret: de cujus enim bona converſatione audierat, eum & videre deſiderabat. qui audito venerabilis viri abbatis adventu, cum magno gaudio exivit; quem abbas honorifice ſuſcepit, & de vita & converſatione ejus ſtudioſe requiſivit. A quo cum omnia audiviſſet, & quomodo propter ſimoniam de loco in quo habitum ſuſceperat exiviſſet, votumque ejus intellexiſſet, gaviſus eſt valde ſuper bona converſatione ejus, & quibus modis potuit in Dei ſervitio eum confortavit. Cumque per aliquot dies de vita & converſatione Cluniacenſium fratrum Abbas multum referret, virum Dei monuit, & multum rogavit ut Cluniacum ſecum adiret, ubi & votum ſuum complere poſſet, & exemplum bonæ converſationis ceteris fratribus dare. Cujus petitioni vir Dei Anaſtaſius acquieſcens, cum eo iter arripuit. Cumque Cluniacum veniret, magnam dilectionem & humilitatis familiaritatem apud omnes fratres habebat; omnes unanimiter diligebat, omnes enim in Dei ſervitio vitæ ſuæ

* *f.* reviſenda.

Hortante Hugone Cluniacum ſecedit.

[a] Notum eſt omnibus monaſterium Montis ſancti Michaëlis, ſeu de Monte-Tumba, ob peregrinorum frequentiam celeberrimum.

[b] Is eſſe videtur Robertus monachus S. Michaëlis, qui rogante Anaſtaſio (fortaſſe noſtro) commentarium in Cantica canticorum edidit. Cujus operis prologum & initia utriuſque libri, in quos diviſus eſt, habes tom. I. Analectorum pag. 125. Certe hoc ipſo tempore uterque vivebat in monaſterio ſancti Michaëlis.

Circa Ann. Ch. MLXXXVI. Oct. XVI.

exemplo dirigebat. Diu namque vitam mirabilem duxit, dum ſeſe dabat exemplar bonæ converſationis. Ceteris enim fratribus ſigno dato ad refectorium euntibus, vir Dei ad orationem remanebat, & nocte quieſcentibus cunctis ſurgebat, & genu flexo fere tota nocte orabat, pane & aqua contentus vivebat, & hoc etiam quaſi in momento accipiebat. Semel in anno in ſolitudines vel in prærupta loca ad celebrandas quadrageſimas exibat, & tunc orationibus, jejuniis, vigiliis, flexionibus ſeſe ſupra modum macerabat.

In Hiſpaniam mittitur.

5. Per idem tempus præcepto ſancti patris noſtri papæ Gregorii ſeptimi, & trina perſuaſione venerabilis viri abbatis ſui Hugonis, Hiſpaniam ad prædicandum Saracenis ingreſſus eſt: ubi ad probandam certitudinem fidei Chriſtianorum, & ad eradicandam crudelitatis duritiam Saracenorum, per rogum ardentem poſt celebrata Miſſarum ſollemnia tranſire voluit; ſed Saraceni conditioni ejus noluerunt acquieſcere, videlicet ſi hinc illæſus tranſiret, ad Baptiſmi gratiam confugerent. Sed cum à cæcitate & duritia cordis ſui ullo modo redire nollent, excuſſo pulvere pedum in illos in teſtimonium, ad monaſterium ſuum regreſſus eſt. Factum eſt autem poſt regreſſionem ejus, revoluto ſeptennii fere ſpatio, ut venerabilis Abbas ad exhortationem quorumdam fratrum, laïcorum & nobilium, in Aquitaniam vellet exire, qui renuntiantes mundo ad habitum monachorum volebant venire. Unde factum eſt, ut virum Dei Anaſtaſium ſecum duceret: erat enim in omnibus divinis Scripturis peritus, & in exhortatione & ædificatione fratrum validus. Cumque partem magnam Aquitaniæ exhortando fratres peragraſſent, tandem in Toloſanum pagum pervenerunt, ubi Comitem Appamiæ opidi cum uxore & filiis ad converſationem monaſtici ordinis ſuſcepturi erant. Jam interim quoque inſtabat tempus, quo vir Dei Anaſtaſius in ſolitudinibus vel in præruptis locis quadrageſimam celebrare conſueverat: unde cum multum ſollicitus eſſet, & die ac nocte apud ſe tractaret, tandem Pyrenæos montes in propinquis ſitos ad hoc elegit idoneos, ubi & quadrageſimas celebraret, & vitæ eremiticæ ad tempus vacaret. Cujus precibus Abbas, quia baculus & quaſi columna ceterorum fratrum erat, invitus aſſenſum præbuit. Sed quia cognoſcebat conſtantiam ejus in ſervitio Dei, bonum votum nolebat morari. Coactus ergo & triſtis conceſſit quod petebat. Cum vero ad invicem deſcenderent, venerabilis vir Abbas flens, & cum lacrymis & ſingultibus in collum ejus ruens, admonebat ut ſui memor eſſet, pro ſe & pro ceteris fratribus apud Deum interpellaret, & ad ultimum valedicens, cum ceteris fratribus ad monaſterium regreſſus eſt.

In Aquitania verbum Dei prædicat.

In deſertum ſecedit.

6. Vir igitur Dei Anaſtaſius, qui hoc ſolum deſiderabat, ut ſuo voto ſatisfacere poſſet, cum magno gaudio ad montes iter arripuit: quibus cum appropinquaret, & jam nullo obſtaculo interveniente ſingula loca notare poſſet, montem altiſſimum, qui *Abriſcola* dicebatur, ad habitandum elegit, quia in ea parte qua ſitus erat, ſuper alios montes eminebat. Derelicto ergo quodam fratre, quem ſecum habebat, ad radices montis in quadam eccleſia, ſolus montem aſſcendit, facto de frondibus ſatis anguſto habitaculo, & altari ubi ſacrificium offerret. Tunc inter nives aſſiduas & frigora Deo deſerviebat, jejuniis, vigiliis & orationibus multum inſiſtebat: nihil autem ad victum niſi ſubcinericium panem & aquam requirebat, quæ tantum ſub menſura à fratre quem ſub monte reliquerat accipiebat. Cum autem in his demoraretur, & vita ejus circumquaque audiretur, cœperunt multi adire eum, & multi ad eum convenire, ut verbum vitæ ab eo audirent, & vitam ejus quam mirabiliter deducebat cognoſcerent, eumque à quo divino pabulo refocillabantur, temporalibus ſuſtentarent. Sed vir Dei nihil prorſus ab eis ad uſum corporis accipiebat, invitari * enim à po-

* *f.* ditari,

Digitized by Google

pulo non quærebat, qui etiam de Evangelio vivere recuſabat. Quicquid ergo offerebatur, per manus quorumdam fratrum erogabat pauperibus, quos bonæ vitæ cognoſcebat, & ad hoc idoneos ducebat.

CIRCA ANN. CH. MLXXXVI. OCT. XVI.

7. Sed inter hæc cum ſoli Deo placere quæreret, & ad hoc toto mentis ardore flagraret, antiquus ille hoſtis artifex nocendi, adverſarius humani generis, cœpit bonis ejus actibus invidere, & die ac nocte locum ſubintrandi ad nocendum quærere. Sed cum nihil omnino inveniret, quod in ejus actibus ſurripere poſſet, nullamque in eum poteſtatem haberet, machinabatur quomodo ſaltem de cella eum expelleret. Factum eſt ergo cum quadam die poſt finitam orationem vir Dei Anaſtaſius cellula exiret, & extra cum duobus fratribus qui ad eum convenerant ſederet, hoſtis antiquus adfuit, & ignem in cellam ejus, & in altare, quod ad ſacrificium offerendum fecerat, poſuit: ſed vir Dei reſpiciens, cum ignem videret, inſidias hoſtis nefandi agnovit; unde ſurgens & uſque ad cellam tendens, hoſti ut recederet præcepit, & ſignum crucis oppoſuit igni. ad cujus præceptum hoſtis receſſit, & ad ſignum crucis exſtinctus eſt ignis. Quod cum auditum circumquaque referretur, tunc maxime cœperunt ad eum indigenæ fere omnes convenire, & orationi ejus ſe commendare, de commiſſis etiam ab eo quærere pœnitentiam: fere enim per triennium quo manſit in eremo, tot ad eum concurrebant, quod plerumque omnes montes in circuitu cereis reſplendere videbantur, qui ante cellam ejus à venientibus accendebantur. Sæpe etiam venientibus dixerat ſe eſſe indignum ad quem venirent, ſe eſſe monachum à quo pœnitentiam quærerent, & non habere ſe licentiam prædicandi, nec pœnitentes ſuſcipiendi: ſed quid hoc proderat, cum tamen confeſtiſſime venirent, & lacrymis & precibus eum ad prædicandum excitarent?

Diaboli inſidias detegit, quem fugat;

8. Sed cum Deus laborem ejus vellet remunerare, & ab ergaſtulo carnis eum evocare; ut major eſſet corona, voluit temporalem vitam ejus finiri in obedientia. Factum eſt ergo, ut vir venerabilis Abbas ſupradictus Cluniacenſis eccleſiæ, deſiderio videndi fratrem flagraret, cum quantum præſentia ejus fratribus ceteris præſtabat, quantumque vita ejus eos confirmabat, tantum ejuſdem abſentiam recognoſceret: unde hujuſmodi epiſtolam per manus quorumdam fratrum ei direxit, quæ eum ad monaſterium fratrum ceterorum revocavit. Dilectiſſimo filio Anaſtaſio, frater Hugo peccator, ſalutem, & in beatam reſurrectionem, glorioſam Electorum ſocietatem. Miror, cariſſime fili, quod jam diu de vobis nihil audivi, nullamque de veſtra vita cognitionem accepi: unde mando veſtræ dilectioni, ut ſi bonum videtur vobis, deſcendatis ad viſitandos fratres, ut ſicut dixi deſiderabilis præſentia veſtra corroboret & exhortetur eos [a] . . . . Bene valete, & pro fratribus orate. Vir autem Dei Anaſtaſius accepta epiſtola beati patris ſui Abbatis, gaviſus eſt valde; & Deo gratias referebat, quod eum dignaretur ad fratres ſuos revocare.

A S. Hugone revocatur Cluniacum.

9. Egreſſus itaque eremo, pervenit uſque ad locum, qui dicitur, Ad verum corpus beati Antonini martyris, qui alio nomine nuncupatur *Fredelas*, ubi cum rogaretur à populo, ut corpus beati Martyris in locum novum reponeret, & ad petitionem eorum ſe præpararet, oblatus eſt ei infirmus, qui jam longo tempore vexabatur à febribus; ipſe vero cum aqua benedicta quam ſanctificaverat eum aſperſiſſet, & ſignum crucis fronti ejus affixiſſet, ita ſanus effectus eſt, ac ſi numquam infirmitatem ſenſiſſet. De eadem aqua benedicta quoſcumque aſperſit, à quacumque infirmitate detinebantur ſanitati reſtituit.

Claret miraculis.

10. Cum igitur de egreſſione ejus fama audiretur, factus eſt undique concurſus populi, qui dolebant & plangebant ſe relinqui à tanto Patre, in

[a] Hic deſunt aliquot verba, quæ legi non potuerunt.

Circa Ann. Ch. MLXXXVI. Oct. XVI.

tribulatione conſolatore, in adverſis protectore; eumque lacrymis & fletibus deprecabantur, ne eos derelinqueret, quos fovere conſueverat, quos pabulo divini verbi refocillare non neglexerat. Sed vir Dei, cujus laboris merces jam inſtabat, ut per obedientiam, ſicut ſupra diximus, ejus accreſceret corona, revocanti ſe patri ſuo Abbati obedire volebat: nec infirmitas febrium, qua graviter detinebatur, eum ab hoc revocare poterat. Poſt allocutionem ergo divinæ admonitionis & exhortationis recedens, pervenit uſque ad locum, quem *Devotas* appellant, ubi, jam invaleſcente infirmitate febrium, cœpit graviter ægrotare, in tantum ut hoc morbo certus eſſet de corporis ſui reſolutione: unde cum ad mitigandum dolorem, aliquantulum rogaretur quieſcere, & ad refrigerandum ſe balneare, ſibi abnegavit utrumque; ſubjungens etiam, quia ex quo converſionem monaſticam noverat, nullo balneo uſus erat, nec etiam ad lavandum pedes aut caput aquam dederat. Sui igitur ſtadii curſu conſummato, percepturus juſtitiæ coronam in conſortio ſanctorum, Monachus, Eremita, & Confeſſor XVII. Kalendas Novembris migravit ad Dominum. Sacrum vero corpus ejus honorifice in baſilica beati Martini ibidem eſt reconditum; ubi ad ſanctitatis ejus teſtimonium, ad tumbam ejus, operante Deo, creberrime miracula multa fiunt. Sed ne videamur ingerere faſtidium, ſi per ſingula diſcurramus; ex ordine, prætermiſſis multis, pauca conemur explicare.

Obit in via.

Miracula ad ejus tumulum.

11. Virgo quædam à tribus dæmonibus poſſeſſa tenebatur, qui in tantum eam vexabant, quod etiam mutam reddiderant. Ducta eſt per multa ſanctorum loca, ut ſanitatem recuperaret: & dæmonia tandem reſponſum dederunt, quod ab obſeſſo corpore non egrederentur, niſi ad corpus beati Anaſtaſii confeſſoris ſupradicti deducerentur. Qui ergo eam ducebant dixerunt intra ſe ubi invenirent, & requiſierunt locum in quo Sancti corpus requieſceret; adhuc enim ignorabatur à pluribus, quod de mundo nuper migraſſet. Cum ergo audiſſent, quod ad baſilicam beati Martini Devotis eſſet reconditum, ligatam cum funibus illuc deduxerunt. quibus ad locum appropinquantibus, dæmones vociferantes clamabant: Cur nos incendis, Anaſtaſi? ceſſa cruciari & exibimus, ceſſa flagellare & ab obſeſſo corpore recedemus. Per multa corpora ſanctorum ducti ſumus, & à nullo ſic flagellati receſſimus; tu ſolus nos incendis, tu ſolus cruciaris, tu ſolus noces nobis. Trahentes ergo eam cum manibus in eccleſiam impulerunt, & juxta tumbam beati Confeſſoris extenderunt. Omnes autem qui aderant genu flexo cum lacrymis deprecabantur, ut Deus dignaretur oſtendere adſtantibus virtutem ſuæ clementiæ, & ad teſtimonium ſanctitatis ſui Confeſſoris dignaretur illam liberare. Vix orationem compleverant, & ecce dæmones ab illa puella exierunt: ſurgens vero recte loquebatur, & liberatam ſe, nihilque mali perpeti teſtabatur.

Liberat dæmoniacam.

12. Mulier etiam, quæ ſeptem annis in cæcitate permanſerat, cum illuc deduceretur, & poſt peractas vigilias noctis ſtaret ante tumbam ſancti Confeſſoris, cum in ipſa celebratione Evangelium legeretur, viſum recepit. Quidam vero clericus, qui phreneſi laborabat, ad eumdem locum deductus eſt, catenis adſtrictus & funibus, ad recuperandam ſanitatem. Hic quoties motio cerebri ſui accidebat, ſi quem arripere poterat, dentibus & unguibus attrectabat; qui cum tribus vigiliis ante tumbam beati Confeſſoris degiſſet, ſanitatem recepit, & liber ab omni phreneſi receſſit, nec poſtea aliquid priſtinæ infirmitatis ſuſtinuit.

Cæca viſum recipit.

Et phreneticus ſanitatem.

CIRCA ANN. CH. MLXXXVI. OCT. XVI.

APPENDIX

De Inventione corporis S. ANASTASII.

Ex eodem codice mſ.

13. NOtum, manifeſtum & certiſſimum, ſecundum relationem fide dignorum procerum loci ſancti Martini de *las Devotas*, eſt, quod corpus ſancti Anaſtaſii, quod fuit ignotum & inſcitum ubi jacebat, fuit revelatum VII. Kalendas Julii per modum qui ſequitur. Fuit quædam mulier devota dicti loci, quæ plures vigilias in baſilica ſancti Martini faciebat, & vox de cælo ſibi dicebat: In loco ubi oras, corpus eſſe ſancti Anaſtaſii ſcias, & jacet: & hoc ſemel, ſecundo & tertio ſibi indixit. Propterea ipſa ſecura de revelatione, indixit ſacerdotibus & clericis ac ſenioribus dicti loci, qui cum devotione & fiducia, locum ubi dixit profunde foderunt, ſed non invenerunt. Et iterum vox de cælo eidem devotæ mulieri dixit, quod foderent profundius eumdem locum, & ſanctum corpus invenient. Et ita factum fuit, & invenerunt ſanctum corpus: de cujus revelatione in ſupradicto loco fuit magna ſollemnitas, & fit quotidie, & de circumvicinis locis ad eamdem ſollemnitatem devote conveniunt, ad honorem & decorem ejuſdem Confeſſoris & monachi magiſtri ſancti Anaſtaſii, cujus anima paradiſum poſſidet.

VITA S. PONTII ABBATIS

S. ANDREÆ PROPE AVENIONEM.

ANN. CH. MLXXXVII. MARTII XXVI.

Ex duobus codd. mſſ.

Auctore RAYMUNDO æquali, & ejuſdem loci monacho.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ ſcriptor.

I. *MONASTERIUM Andaonenſe ſancti Andreæ, quod in Villa-nova prope Avenionenſem urbem ſitum eſt, ſanctiſſime rexit hoc ſæculo Pontius, cujus hic vitam exhibemus. Hanc ſcripſit Raymundus ejuſdem loci monachus, id efflagitantibus abbate Petro Pontii ſucceſſore, ceteriſque ſancti Andreæ monachis, qui ægre ferebant, ut ipſe Raymundus teſtatur, quod tanti viri acta nondum à quoquam ſcriptis mandata fuiſſent. Hujus vitæ exemplar ex eodem monaſterio Avenionenſi acceperat noſter Hugo Menardus, cujus epitomen inſeruit in libro* II. *obſervationum in Martyrologium Benedictinum. At nos eam pro more noſtro integram, ex duobus codd. mſſ. deſcriptam proferemus. Præter ea habemus ſermonem in feſto ejuſdem ſancti Pontii legi ſolitum, quem Bollandiani primam eſſe vitæ à Raymundo ſcriptæ partem rati, eo nomine illum tomo* III. *Martii ediderunt, cum nihil aliud habere potuiſſent. At certum eſt hunc ipſum nihil aliud eſſe quam breve compendium è priori vita, quod fortaſſe lectionum loco in Officio divino legebatur, excerptum. quod ideo hunc proferre inutile foret.*

Cultus.

2. *Beati Pontii memoria in Martyrologiis Benedictino & Gallicano habetur Martii die* XXVI. *quo obiit, & quidem anno* MLXXXVII. *Multum in his Martyrologiis commendatur ob miraculorum famam, ſicut & apud Bucelinum in Menologio. Conſentit vetus Necrologium mſ. monaſterii ſancti Andreæ, ubi ejus memoria celebratur his verbis:* Depoſitio domni Pontii abbatis

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXXVII. Martii XXVI.

Monaſterium Andaonenſe. Cæſariæ.

noſtri, cujus vita multis ſacris miraculis commendatur. *Dudum eſt quod ejus feſtivitas celebratur in eodem monaſterio; quod hodieque noſtra ſancti Mauri Congregationi unitum ſubſiſtit in monte Andaonenſi prope celebrem pontem, qui Avenionenſem urbem ditionis Pontificiæ, cum Villa-nova, quæ Regi Francorum ſubjecta eſt, conjungit. Eo in loco olim* Cæsaria *recluſa ſanctiſſimam vitam duxit, ibique ſepulta eſt à Valente Avenionenſi epiſcopo, anno* DLXXXVII. *uti in ejus Epitaphio dicitur, quod à Baronio refertur tomo* VII. *Annalium. Unde corrigendi Sammarthani, qui id à Johanne Valentis deceſſore præſtitum fuiſſe aïunt. In eadem Villanova Avenionenſi exſtat eccleſia parochialis beato Pontio ſacra, cujus Vicarius perpetuus inter alios, qui Synodo diœceſanæ adeſſe debent, recenſetur.*

EPISTOLA IN VITAM beati Pontii abbatis.

1. Dilectis in Chriſto fratribus Andaonenſis cœnobii ſancti Andreæ monachis, R. ejuſdem cœnobii monachorum omnium ultimus, ad dextram Chriſti poni cum ovibus. Sanctitati veſtræ dignum notificare duximus, admonitu quorum, vel inſtinctu domni Pontii abbatis, nos de tanto viro, quamvis indigni, auſum ſcribendi aſſumſimus. Conquerebantur enim inter ſe nonnulli ex fratribus, quod ſanctiſſimi viri vita laudabilis, non eſſet inſcripta dignis memoriis. Rogaverunt me itaque fratres & boni Patris diſcipuli, ſed præcipue ac impenſius, Rostagnus de Venaſcha, bonæ memoriæ ejuſdem beati viri diſcipulus: Petrus [a] etiam abbas ſucceſſor ipſius, dignus memoria, ſuo admonitu vel præcepto ad ſcribendum manum apponere ſua fecit fiducia. Dicebat utique multa beati viri ſe vidiſſe & audiſſe miracula, utpote ab eo nutritus & educatus, & ſæpiſſime illi in equitando ſocius terrarum per multa ſpatia. Nolite denique inſpicere me viliſſimum ſcriptorem; ſed conſiderate de quo dicta ſunt ſanctiſſimum paſtorem.

INCIPIT VITA.

Prologus auctoris.

2. Statuit priſca auctoritas imagines ſuorum patrum, nobilibus factorum titulis inſignitas, ſuis poſteris relinquere, & eaſdem imagines, parentando illis ſemel in anno ob memoriam ante oculos ponere. Quas etiam dum viverent honoribus extollendo, in magna reverentia conſueverunt habere. Alii cineres obeuntium pretioſis in urnis repoſitas cuſtodientes, ſuperflua ſuperſtitione, ne ſibi aliquod infortunium accidiſſet, inſipienter recondiderunt: falſo enim opinantes animas gentilium & idola colentium in cæleſtibus degere, vana ſpe deluſi ſuos filios & nepotes probitatibus præcedentium ad æque vivendum inſtigare. Alteri vero ſuper membra defunctorum mauſolea, cælo tenus attingentia, errore ſtultiſſimo ædificaverunt. Quapropter gratia Chriſti mundo pereunti ſuccurrente, Chriſtianorum populi à diaboli dominatione liberati, ſaniori conſilio, & longe diſſimilia ſupradicto, ſtatuerunt recte viventium vitas caracteribus adnotare; & ſi qua miracula Deus per eos feciſſet, carminibus ac luculentis ſermonibus enucleare: quatenus ſequaces illorum exemplis antecedentium animati, cælibem vitam arripere ſtuderent, & mundo tantum corpore, Deo autem mente jungere ſatagerent. Conditor quippe omnium Deus, diverſis in partibus mundi, ſanctos viros ſanctitate præditos miraculorum ſignis dedit lucere, & ad ſimilitudinem planetarum fulgore ſuo ſtellas ſuperantium, præ ceteris mortalibus lucem vitæ aliis præbendo fulgere. Ex numero quo-

[a] Ejus tempore Raymundus Comes Toloſanus, Dux Narbonenſis & Comes Provinciæ, confirmavit omnes ſuorum Anteceſſorum donationes factas abbati & monachis ſancti Andreæ, anno 1088. ut patet ex ejus charta, quæ apud Sammarthanos in Epiſcopis Avenionenſibus, alioſque auctores habetur.

rum bonæ memoriæ abbatem PONTIUM monaſterii Andaonenſis, ſecus Avenicam ſiti, ſanctitate vitæ fulgidum, mira quoque ſimplicitate lucidum Dei diſpoſitio præelegit. Neceſſarium quippe erat, ut ſicut in initio naſcentis Eccleſiæ, ſancti Dei homines miraculis coruſcarunt; ita etiam aliquis ſanctus vir eſſet, qui in principio naſcentis illic cœnobii miraculorum ſignis eniteret. Qualiter autem hic ſanctus vir ad ſummum apicem ſanctitatis attigerit, puto eſſe digniſſimum memoriis fidelium propalandum. Pater namque illius divino amore ſucceņſus, mundum cum ſuis cupiditatibus deſerens, duos filios quos habebat ſecum ad monaſterium duxit, & illos ibidem Chriſti ſervitio mancipavit. ANN. CH. MLXXXVII. MARTII XXVI. Pontius cum patre & fratre fit monachus.

3. Sanctus autem vir, de quo ſupra meminimus, monachilem habitum adeptus, qualis quantuſve excreverit, miracula declarant manifeſtiſſime, quæ per eum Deus geſſit largiſſime. Omnipotens enim Deus, ne lucerna talis modio tecta lateret, candelabro paſtoralis curæ eum ſuperpoſuit, & ad oſtendendum iter vitæ aliis, Abbatem ſupradicti cœnobii præfecit. Qualiter autem quondam Moyſes populum Iſraël ab Ægypto abſtrahens, per deſerti regionem ad terram repromiſſionis duxit: taliter & iſte ſanctus vir monachorum populum ab hujus ſæculi nefandiſſima Ægypto liberans, & per deſertum regularis exercitii ducens, qui ejus exemplo Chriſto indiſſolubiliter adhæſerunt, bonarum virtutum, velut Jacob veſtium, odore fragrantes, & obedientiæ lampade relucentes, cæleſtium gaudiorum effecit heredes. Illi enim qui ejus ducatum ſecuti ſunt, veri Jacob, id eſt veri luctatores, contra vitia luctando effecti, cæleſtis regni introïtum cum nuptiali veſte meruerunt. Fit abbas.

4. Prædictus autem vir, cum per Provinciam honores præfati cœnobii viſitando, & in melius reſtituendo iter ageret, accidit ut per civitatem Carpentoratenſem [a] tranſitum faceret. qua dum tranſiret, ille & qui cum eo erant, vident præ foribus cujuſdam eccleſiæ maximam multitudinem populi aſſiſtere. Cumque ſocii ipſius ſibi obvios interrogaſſent, quid illic populi frequentia quæreret? reſponſum hujuſmodi à dicentibus acceperunt, quemdam dæmoniacum vinctum ibidem eſſe, qui advenientium crimina à ſe abſconſe commiſſa palam cunctis revelaret. Et cum vir Dei à ſociis & ab aliis rogaretur, quatenus cauſa videndi hanc eamdem eccleſiam intraret, cuidam monacho ſibi ſocio ſe importunius ire roganti reſpondit: Nolo approximare conſortio dæmoniorum, nolo vitæ meæ immundicia divulgetur plurimorum in auribus. Attendat igitur unuſquiſque, & aure cordis fideliter percipiat, quanta munditia apud Dominum vir iſte fulgeat, qui in terris ſolo corpore poſitus, animo autem ad cæleſtia elevatus immundum ſe fore * ante homines pronuntiat. Victus tandem precibus ſe rogantium, ad eccleſiam prædictam cœpit tendere greſſum. Quo dum pergeret, dixit monacho ſecum itineranti: Confeſſionem, frater, pro tempore breviter accipiamus, ne coram iſto dæmoniaco in aliquo erubeſcamus. quod & fecerunt. Confeſſione itaque pro opportunitate temporis accepta, ad eccleſiæ properabant limina. Dæmoniacus autem viri Dei adventum præſenſerat, & indeſinenter adſtantibus dicebat: Ecce ſancti Andreæ vermiculus advenit. Si veritatis inimicus, de quo dicitur quod in veritate non ſtetit, veritatem proclamat, qua fronte aliquis Chriſtianus & veritatis filius mentiri audeat? Non eſt igitur mirum, ſi vir Dei à dæmone vermiculus vocatur, quod Dominus Jeſus-Chriſtus, etiam à fidelibus, per ſimilitudinem dicitur: nec membrum timeat de ſe dicere, quod dictum eſſe conſtat de capite. Sicut enim vermiculus de ligno procreatur abſque ulla alterius commixtione, ſic Dominus Chriſtus abſque peccato & macula, ut ipſe ſolus novit, proceſ-

*id eſt eſſe.

[a] Carpentoractum urbs Provinciæ Gallicæ in Comitatu Avenionenſi ſub ditione Pontificia, cujus Epiſcopus olim Viennenſi metropolitano, nunc Avenionenſi ſuffragatur.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXXVII. Martii XXVI.

ſit ex Virgine. Hoc breviter dictum pro tempore, quod cœpimus ſtudeamus agere. Qui eccleſiam ſuperius memoratam ingreſſus, ad altare cum ſocio monacho perrexit, & ſurgens ab oratione, ad dæmoniacum acceſſit: quem dum interrogaſſet quid de ſe diceret, reſpondit: De te penitus nil ſcio, ſed hodie ſciebam aliquid de ſocio tuo. Unde ſummopere conſiderandum eſt, vera confeſſio ex corde quantum valeat, cum tam brevis confeſſio viatim itinerando accepta, ſic in tam brevis temporis ſpatio dæmoniaco ſcire denegat hoc quod antea ſciebat. Cum etiam vir Dei dæmonem interrogaſſet, quis vocaretur? reſpondit dicens, Seductor nominor, ſtatimque addit, Ego enim Judam proditorem, ut Dominum ſuum traderet ſeduxi. Ad quod ſanctus vir ſubridens, inquit: Nimis ô perfide viciſti. Factis denique exorciſmis, quibus ſanctus vir in expellendis dæmonibus utebatur, atque aqua benedicta in faciem ejus projecta, paullulum arreptitius quaſi exanimis requievit. Vir autem Dei humanum favorem fugiens, ad ſuum iter rediit. Ille vero dæmoniacus poſt paullulum experrectus, tres ſcarabeos evomuit: quos dum circumſtantes interficere cuperent, nuſquam apparuerunt. Factus itaque arreptitius ſanus, & ſolutus, qui ligatus venerat, gratias curatori referens ad propria remeavit.

Virtus confeſſionis.

Pontius dæmoniacum ſanat.

5. Omiſſis plurimis, quæ de ſancto viro dici poſſunt veraciter, pauca è plurimis, ne faſtidium lectori faciamus, breviter Deo annuente perſtringemus. Alio quoque tempore, dæmoniacus quidam alius ad ejuſdem ſancti viri monaſterium curatum à parentibus delatus eſt. Cui cum ſanctus vir exorciſmis ad hoc competentibus, non dubius de Dei miſericordia, intrepidus comminaretur, ſub quadam arca ſe abſcondit, & ibidem arreptitium diutius ſuffocando dæmon qui inerat, cum maximo fœtore in ſancti viri præſentia ejectus eſt.

Item alterum dæmoniacum.

6. Non minus etiam miraculum fuit, quod cum ſanctus vir in quemdam honorem monaſterii ſui hoſpitandi gratia deveniſſet, preſbyter qui illius honoris tunc temporis curam habebat, eum honorifice ut decuit ſuſcipere ſtuduit. Idem vero preſbyter quamdam matrem veterem habebat, quæ jam fere per decennium oculorum lumen amiſerat, quæ poſtquam adventum viri Dei audierat, non minimum gratulabunda, quaſi ſuæ tempora curationis præſentiens exſultabat. Præcepit quoque eadem vetula miniſtris & ſervis, quatenus cum vir Dei manus ablueret obſervarent, & aquam de qua manus abluiſſet, avidiſſime ſibi cuſtodirent. Quod ſancto viro ignorante factum eſt. Prædicta nempe femina, ut ex aqua de qua vir Dei manus abluerat oculos lavit, lumen quod amiſerat recepit. Animadvertite igitur quantum oratio ejuſdem viri potuit ſcientis, ſi aqua manuum illius reſervata, tantum valuit neſcientis. In hoc enim facto diſcipulum Jeſu-Chriſti ſe eſſe monuit, fimbria cujus latenter tacta feminam à fluxu ſanguinis liberavit.

Cæcæ viſum reſtituit.

7. Contigit etiam quodam alio tempore, quamdam feminam in villula eidem monaſterio adhærenti adeſſe, quæ vagabunda per montes & nemora huc illucque curſitando pernoctans pererrabat. Hæc autem an lunatica eſſet, an plena dæmoniaco ſpiritu ita agitaretur, ab omnibus pæne ejuſdem villulæ hominibus ignorabatur. Ceterum cum multo jam tempore pererrando ſolivaga hominum conſortia fugiens pernoctaret, à parentibus tandem comprehenſa, ad monaſterium viri Dei deducitur. Deducta autem, ſi aliquem forte de monachis tranſeuntem vidiſſet, ilico ac ſi ſeſe rapere vellet, ubivis poterat abſcondebat. Cum autem matutinali tempore adveniſſet, vir Dei hora competenti ſacra ſe Corporis & Sanguinis Chriſti participatione, ut ſolitus erat, munivit, & ſic demum ad præfatam vetulam acceſſit: accedens autem exorciſmos ſuper eam de Domini miſericordia confidens inſonuit. Quæ femina ita ſana domum rediit, quod ſicut prius

Dæmoniacam liberat.

fecerat

fecerat, nullomodo pererravit. Teſtati ſunt enim qui hanc viderant, ulterius non vagatam eſſe, ſed ſanam mente, ut debuit, reliquum vitæ ſuæ tempus bene vivendo peregiſſe, eleemoſynas multas dando, nudos veſtiendo, & eccleſias frequentando. Ann. Chr. MLXXXVII. Martii XXVI.

8. Juſtum quidem æſtimo prætereundum non eſſe, quod ut opinor proficiet audientibus, & in eodem monaſterio manentibus erit neceſſe. Secus quoddam opidum quod Podius-altus * vocatur, eſt quoddam ſtagnum à ſupradicto monaſterio fere diſtans milliarium; in quo ſtagno monachi de præfato monaſterio beati viri ſoliti erant accipere decimam partem piſcium. Sed, ut aſſolet, laïci ſemper invidentes proſperitati clericorum, per aliquod tempus partem quam dare debuerant abſtulerunt: qua de re præfati monaſterii fratres non minimum contriſtati, illatum damnum beato viro nuntiaverunt gemitu cum maximo. Sed ſanctus vir, ut erat miræ ſimplicitatis & patientiæ, conſolatus eſt eos, cum omni manſuetudine conteſtatus eos non moveri aliquo turbine mundano, ſed quieto animo in proſperis & adverſis Dominum utrobique benedicere; ſtultum eſſe inquiens, pro terrenis & caducis contriſtari eos qui cæleſtia cupiunt. Sub pedibus enim fidelium terrena & caduca omnimodo ſunt projicienda, quæ Apoſtolus velut quædam ſtercora monet non appetenda. Dominus noſter qui utique abſque hominis adminiculo irrationabilium animantium paſcit quotidie tot millia, vobis rationabilibus & ſibi ſervientibus ſine ſui tædio providebit convivia. Nam qui ex inſperato Danieli eſurienti & incluſo, per Habacuc miniſtravit convivium, quando voluerit tribuet vobis orantibus maximam copiam piſcium. In magnis enim & minimis Dominum benedicite, & Pſalmiſtæ vocibus decantate: Dominus regit me, & nihil mihi deerit in loco paſcuæ ibi me collocavit. Collocat quippe Deus deſpicientes terrena ſubſidia in paradiſi paſcuis numquam deficientibus; quia nemo perfecte Chriſtianus poteſt, & hic gaudere cum ſæculo, & illic regnare cum Domino. Quapropter veluti Cherubim ante & retro diſcretionis oculis vos circumſpicite, aliſque bonarum virtutum vicaria dilectione alterutris motibus vos repercutite, atque in aratro recte vivendi ſemel manus miſſas non in tergora * ſed in antea proficiendo dirigite. Ait enim Salomon, Metuentes Dominum ſuſtinete miſericordiam *, & ne deflectatis ab eo ne cadatis, memores illius Pſalmiſtæ: Nihil deeſt timentibus eum. & iterum: Voluntatem timentium ſe faciet Deus. His & aliis multis expletis conſolationibus, prædicti fratres à querimonia tamdem conticuerunt. Sed vir Domini ad orationis ſolita ſibi arma confugiens, Domini miſericordiam ſedulus exſpectabat *, quatenus tale ſibi conſilium cælitus illabi dignaretur, quod à fratrum cordibus iſtam abſtergeret querimoniam, & diripientium injuſtam ſua pietate frangeret contumaciam. Parvo itaque evoluto tempore, adhibitis ſecum aliquantis è monaſterio fratribus, cum cruce & aqua benedicta ad ſupradictum ſtagnum magna cum devotione perrexit, aſſcenſoque quodam montis ſcopulo ſuper ipſius ſtagni ripam prominente, elevata manu maledictionis ſententiam ſuper ipſum ſtagnum vir Domini promulgavit, & aquam benedictam deſuper aſperſit. Nec mora, ad vocem beati viri quidquid in illo ſtagno vivum inerat, mortuum litus petiit; morticina itaque litore injecta & putrefacta, terram intolerabili fœtore repleverunt. Erat etiam videre mirabile. aves quippe, quæ vivis olim piſcibus præfato ſtagno deſuper volando inſidiatæ fuerant, nunc mortuos jacentes in litore minime contingebant. Denique ſupradicti fœtoris calamitas tamdiu perduravit, quouſque non minima multitudo avium aliorſum venientes aſportavere fœtentes. Domini autem jam dicti caſtri & coloni aliquantula requie relevati, vivos piſces aliunde aſportaverunt, & eos in jam prælibato ſtagno miſe-

Margin notes: * *al.* terga. — * *al. cod.* miſeriam. — * *Idem* expetebat.

* Hodieque ſubſiſtit hic vicus prope Avenionem.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXXVII. Martii XXVI.

runt. qui vivi miſſi, in craſtinum in litore mortui ſunt inventi. Bis etiam & ter hæc eadem repetentes à ſua ſpe fruſtrati, non ſine dolore ac gemitu à ſupervacuo labore ceſſaverunt. Illis demum à præfata intentione ceſſantibus, cœpit eorum animos ferax piſcium copia titillare, ſed & illati damni cupiditas mentes illorum avaritiæ facibus inflammare. Reminiſcentes igitur variarum deliciarum ex maxima piſcium abundantia, nihilominus de die in diem non parva ſtimulabantur avaritia. Compulſi itaque infortunio & imminenti neceſſitate, paucis evolutis diebus, communicato conſilio, viri Dei præſentiam adeunt pœnitentes de præteritis, promittentes boni operis exſecutionem de futuris, nullamque ulterius prædictarum decimarum calumniam ſe facturos. Domini etiam prædicti caſtri in antea procedentes, ac pro illata injuria enixius pœnitentes, ſuper quatuor Evangelia juraverunt, à modo & in perpetuum in nullo calumniari decimam partem piſcium, ſed abſque ulla inquietudine in uſus eſſe reddendam monachorum. Adjicientes inſuper, ſtabilique pactione firmantes, ut in ipſo ſtagno, proprium cum ſuis piſcatoribus monachi illius monaſterii haberent navigium, & quantum poſſent caperent piſces. Vir autem Dei, ſicut erat multæ manſuetudinis & patientiæ, non eſt cunctatus ſuſcipere ſatisfactionem pœnitentiæ. Suſcepta itaque ſatisfactione, devictus precibus ſe rogantium, inſtituit diem & terminum quo viſitaret & benediceret prædictum ſtagnum. Quæſitis denique vir Dei & congregatis vivis piſcibus, acceſſit ad ſtagnum, de Dei miſericordia ſperans & credulus, allatoſque piſces cum Dei benedictione, & gratiarum actione miſit intus; ſtatimque huc illucque diſcurrentes profunda ſtagni petierunt vivi & alacres. Dehinc itaque præfatum ſtagnum diutius incolentes multiplicati ſunt ubertim fructificantes. Advertendum tamen dignum exiſtimo, quia ſicut tellus minus fertilis exſtitit poſt diluvium, ita & hoc ſtagnum non ut antea ferax fuit poſt ſancti viri interdictum. Hujus etenim miraculi teſtes complures vidimus, tum ex ipſius caſtri ipſi ſtagno eminenti dominis & colonis, quam maxime & prædicti monaſterii monachis, vicinis ex villis, caſtellis & urbibus. Nunc igitur de prædicti ſtagni eventu ſermo claudatur, & ne tanti viri memoria oblivioni detur, hoc ipſum paullulum, quod etſi indigni minuſque idonei de ejus vita ſcripſimus, ſemel in anno, vel in ipſius ſancto anniverſario, vel in alio ſtatuto die ad ejus memoriam & honorem legatur; quatenus legentibus & audientibus ejuſdem ſancti viri ſubveniant merita, Chriſtoque duce ad æterna perveniant gaudia.

9. Viro ſapiente narrante didicimus gloriam Regum eſſe eorum celare conſilia, Deique gloriam ipſius propalare magnalia. Ea propter ad Dei omnipotentis honorem & gloriam ſpectare decernitur, quidquid à ſanctis Dei hominibus in ipſius nomine magnificum operari conſpicitur. Dignum itaque videtur eſſe relatu noſtro, adhuc aliqua ſanctiſſimi viri geſta inſerere tractatui, quæ à veridicis teſtibus viſa, nobiſque ipſorum ore narrata noſtro ſonuerunt auditui. Dies ſanctiſſima obſervationis Paraſceves ſollemnis advenerat & celebris, in qua à ſanctiſſimo viro ſupra ſæpius memorato, aliiſque fratribus in eodem monaſterio manentibus, digna obſervatione ac veneratione, inſtantia orationis, aſſiduitas & intentio ſacræ lectionis, ſummumque ac caſtum ſilentium communiter agebatur. His ſupradictis piis actibus omnibus intentis, quidam tamen frater inter alios aderat inaniter linguoſus, qui in his piis operibus vix una hora ea ſancta die corpore tenebatur cum aliis. Evicit denique poſt paullulum iſdem frater pravæ voluntatis repagulum: egreſſus nempe clauſtralibus portis, in publicum cum ſæcularibus laïcis cœpit vaniſſimum exercere colloquium. Denique vir Domini, ut ſaluberrimus paſtor & pervigil, oculorum ſuorum circumquaque divertens aciem, de ſui gregis ſancta cuſtodia præter ſupradictum

Monachorum pia exercitia in hebdomada ſancta.

verboſum fratrem, vidit deeſſe neminem. Pie igitur ac modeſte ſuccenſus; afflatuque ſancti Spiritus inflammatus, errantem ovem pietatis ſtudio per monaſterii officinas ivit quærere, & huc illucque quærendo divertere; diſcipulum quoque illius, in hoc facto ſe eſſe demonſtrans, qui relictis nonaginta novem in deſerto ovibus, ſolito ſuæ bonitatis ſtudio unam quæ erraverat quærere, & ad gregem per ſeipſum dignatus eſt reportare. Pervenit denique vir Dei foras clauſtrum ad locum incongruum, ubi vaniloquus frater incommodum cum laïcis exercebat colloquium. Igitur vir Domini, velut pius paſtor, in hujus vaniloqui fratris correctione pie dulciterque commotus, frenoque ſancti Spiritus in ore cordis adſtrictus, verbis non adeo duris ut licuit, ſed citra quam potuit ſuper eumdem fratrem Omnipotentis nutu inſonuit, eique continuum eadem die injunxit ſilentium. Res mira ex voluntate Dei mox eſt ſecuta. Nam ſicut iſdem frater poſtea teſtatus eſt, ſi loqui voluiſſet minime potuiſſet. Confeſſus eſt itaque ſe loqui affectaſſe, nec intelligibile aliquid promere quiviſſe. Permanſit autem iſdem frater in eodem ſilentio mutus, uſque dum ſancto paſchali ſabbato Miſſam celebrare vir Domini ſanctus cœpit; qui dum verſus ad chorum, *Dominus vobiſcum* cecinit, frater ille mutus, *Et cum ſpiritu tuo*; cum aliis fratribus libere & abſolute reſpondit: & cui vir Domini ad loquendum clauſerat os indicendo ſilentium, eidem, cum ceteris ſalutando, linguæ reſolvit vinculum. Ad tantum itaque miraculum & tam ſubitum obſtupuere præſentes, ac demum lætati ſunt abſentes; quod enim fere pauci præſentes viderant, hoc multi abſentes alii ad alios tranſportantes lætando multiplicaverunt. Ceterum frater ille ſupra ſæpius memoratus, vixit de cetero cum aliis in bonum emendatus & humilis.

ANN. CH. MLXXXVII. MARTII XXVI.

Fratrem loquacem mutum reddit.

Ac ſanat.

10. Succedente itaque tempore, ſucceſſit non minimum ſuperiori miraculo, nec prætereundum, ſed memoriæ tenaciter imprimendum ad laudem Dei miraculum. Menſis Madius ſolita temporis evolutione jam venerat, non herbis ſeu floribus gaudium futuræ fertilitatis attulerat; nulla quippe meſſis ſpes in tota provincia Avennicenſi, nec in ipſo monaſterii territorio tunc apparere videbatur; nihil omnino herbarum in campis inerat, niſi cujuſdam herbæ inutilis, quæ vulgo taradellus à ruſticis vocatur. Contriſtabantur & timebant magnates, potentes & minimi, temporalium victuum defectione, expaveſcentes iram Dei. Eo namque tempore Avennicam regebat eccleſiam nobilis ROSTAGNUS [a] epiſcopus, magis in ſæcularibus quam in eccleſiaſticis aſtutus & providus. Convenerunt ante eum omnes fere cives Avennicenſes, pro communi & univerſali damno non minimum condolentes; colloquebantur ad invicem quid inde poſſent facere, & à tali imminente calamitate & miſeria quo ſe poſſent divertere. Deficiente namque victu quotidiano ſperabant non ſe poſſe ſubſiſtere, ſed illo ſibi negato metuebant deficere. Illis autem pro hac ipſa re ſtupefactis penitus, talibus adorſus eſt Epiſcopus ſupradictus. Solam Dei omnipotentis miſericordiam ſuper his efflagitandam moneo, de me vero aliud conſilium excogitare nequeo. Sola illius bonitas hoc imminens periculum avertere poterit, ſi nos ad ſuum ſervitium faciendum humiliter inclinatos viderit. Incunctanter enim ad divinum confugiendum, & ſine aliqua mora, video auxilium, cum humanum cernitur ceſſare conſilium. Affuerunt quidam inter alios timentes Dominum, qui tale promulgaverunt eloquium. Virum Dei abbatem Pontium ſancti Andreæ cenſemus inquirere, ejuſque conſilium ex ore viri Dei cognoſcere. Advenit itaque vir Domini ex inſperato, per eamdem civitatem faciens tranſitum, & ad ſanctæ Crucis ſuæ domus divertit hoſpitium. Convenitque ad eum Avennicenſium multitudo non minima, inquirentes auxilium per Dei miſericordiam. Quibus inquit vir

In magna aëris ſiccitate.

[a] Hic annis circiter triginta ſedem Avenionenſem rexit, cui Albertus circa annum 1080. ſucceſſit.

Digitized by Google

Ann. Chr. MLXXXVII. Martii XXVI.

Dei, columbina ſimplicitate ut erat prædictus: Supernam bonitatem imploremus cælitus, abluamus pœnitendo mala quæ fecimus, & ſecundum Pſalmiſtam in confeſſione faciem ejus præveniamus, quatenus ipſius miſericordiam invenire valeamus. In craſtinum diem congregemur in ejus nomine, ejuſque pietatem implorantes cum humili devotione. Iſdem autem vir Domini totam noctem in Dei laudibus peragendo, pſalmis & orationibus devota mente cum humili mentis compunctione, ut ſolitus erat, aſſidue inſtitit uſque mane. Cives Avennicenſes maturius ſolito conſurgentes, ſummo mane ad eum venerunt unanimes. Condixerant enim omnes in veſpere, quatenus ad ſanctam Mariam, quæ Principalis nominatur, congregarentur in mane, quod & factum eſt. Vir etiam Dei ad eamdem eccleſiam perveniens, aſſuetiſque armis orationum prius ſe muniens, crucis invictiſſimo ſigno ſe conſignavit; poſt paullulum ſurgens: & quia vidit eccleſiam minus capacem fore ad omnem populum, indixit extra illam cum eis ſe habiturum colloquium. Erat itaque prope eccleſiam cujuſdam militis habitaculum, congruentem & competentem ad hoc habens ſolarium, ante cujus introïtum non magna eminebat porticus. Illuc denique conſcendit vir Dei cum humili devotione, inchoavitque ſuo dulci ore ſermonem de caritate, quem non tantum quantum audientium voluntas deſiderabat in longum protrahens, ſed quantum Spiritus-ſancti gratia præſtitit omnia bona tribuens, peregit cum eis ut eleemoſynam pro amore Dei non modicam facerent: aſſerens inſuper ſe ex parte Dei omnipotentis, affore illis fidejuſſorem, ſi in quantum poſſent caritatis eleemoſynam facerent largiorem. Spopondit etiam præſentialiter pluviæ largitatem, & in ipſo anno affuturam amplam & fertilem à Domino fructuum & frugum ubertatem. Certatim igitur boni cives, boni & pii Patris proſequuntur ammonitum, & præfatæ eccleſiæ panibus undique congregatis largiter complent ambitum. Perſolvit interim ingreſſus eccleſiam vir Domini ſanctiſſimam corporis & ſanguinis Chriſti oblationem, orans & poſtulans, quod fideliter de Domino ſecurus promiſerat, pluviarum largitionem. Peractis itaque ſacroſanctis myſteriis, peractis etiam à populo largiter & hilariter caritatis eleemoſynis, cœpit fere omnis multitudo populi virum Dei his verbis appetere: Fidejuſſorem te ex parte Dei omnipotentis ſuſcepimus, tuiſque piis monitis in dandis eleemoſynis non tarde paruimus; age igitur nunc tuis orationibus obſecrando, ut pluviarum largitas nobis veniat cælitus, infundatque terram & inebriet, frugibus & fructibus ubertim fructificando. Poſtea vero cum ſinguli vellent ad propria pergere, atque vir Dei ad ſanctam Crucem domum ſuam jam cœpiſſet ſecedere, ſubito tanta pluviarum copia cœpit affluere, quod vir Dei & multi alii nequiverint domum revertere. Divertit igitur in cujuſdam hominis habitaculum, propter tantæ & tam ſubitæ pluviæ effluens diluvium. Nomen vero hominis domum cujus ingreſſus eſt decidit à memoria, quod Monachus qui cum viro Dei aderat, retulit mihi poſt aliqua tranſacta curricula. Operatus eſt utique Deus eadem die tantam pluviæ largitatem, quantam nullus ejuſdem civitatis hominum ſe vidiſſe meminit ubertatem. Currebat enim aqua redundans per omnes illius civitatis plateas, quod vix aliquis civium poſſet incedere per eas, tenuitque pæne per totam diem illam cum ſubſequenti nocte effuſio tantorum imbrium, ſed ceſſavit ſole rutilo oriente in craſtinum; ſtatim quoque vir Domini ad ſuum tranſivit monaſterium, laudis humanæ fugiendo colloquium. Et quoniam magna ſunt opera Domini in omnes voluntates ejus exquiſita, magna & fertilis eodem anno fructuum affuit abundantia, repletis horreis & impletis cellariis collaudabat omnis populus Dominum ſuper ejus beneficiis. Cognoſcebant enim tantam abundantiam beati viri precibus collatam ſibi fore * à Domino, qui ſemper exaudit deditos & intentos ſuo ſancto ſervitio.

Populum ad eleemoſynas faciendas invitat.

Ac pluviam obtinet,

* eſſe.

11. Nec prætereundum, nec ſilentio occultandum dignum fore decrevimus, quod illorum relatu qui præſentes aderant audivimus. Quadam namque die vir Domini tranſeundum Rhodanum pro quibuſdam ſui monaſterii negotiis diſpoſuerat. Matutinali itaque ſacro-ſanctis myſteriis ſecundum ſuum morem humiliter perſolutis, deſcendebat ad ripam cum pluribus ſociis: ſtatimque ante eum adveniunt terræ cultor & cuſtos boum ſuorum in manu tenens vomerem, altercando cum ſocio, proclamans illum latronem, ſiquidem nudiuſtertius idem vomer non longe ab aratro ſub terra ab eodem aratore coopertus fuerat, nemine præſente vel vidente niſi ſuo ſocio qui juxta aderat: requiſitus in craſtinum non eſt inventus per triduum. Qua de re alter contra alterum conquerendo impetebat unus alium furem vomeris proclamando. Aïebat ergo inquiens qui abſconderat, Nullo præſente nec in proximo exſiſtente excepto te ſolo, fuit terræ ſuppoſitus, propter quod illum te abſtuliſſe dicimus. Prædictus etiam vir Domini ſupradictam audiens ante ſe querimoniam, ambobus ſubridens hanc indixit ſententiam: Mittatur prope ripam ſic ut videri poſſit vomer in aqua Rhodani, & conſignabimus in nomine Domini. Quod viri Dei dictum facto eſt celeriter adimpletum. Tunc namque vir Domini ſigno ſanctæ crucis aquam ſanctificans, inquit: Nudatis brachiis ille de quo plus dubitatur, prior ab aqua vomerem elevet, & ſi reus fuerit, Deus juſtus & verax hoc ſua bonitate revelet. Audacter itaque furti ſibi conſcius ad extrahendum vomerem ex aqua manum intulit, quam velut ſi in cacabum bullientis aquæ miſiſſet, crematam & ſine vomere citius protulit. Mira utique res, nec ante noſtrum ſæculum hactenus audita. Aqua enim naturaliter frigida, ad demonſtrandam rei pollutam furti conſcientiam, furis cremando brachium, vindictæ fecit miraculum *. Hominibus itaque ex hoc facto mirantibus, ac viri Dei ſanctitati præſens miraculum adſcribentibus ait ipſe cum pluribus *: Laudemus in ſuis ſanctis operibus Dominum, ſiquidem ipſe facit mirabilia ſolus, ſicut dixit Propheta veridicus. Nullus utique mortalium umquam fecit mirabilia, niſi Deus homo factus in virgine Maria. Obiit [a] anno Domini milleſimo octuageſimo-ſeptimo, & die vigeſima ſexta Martii. Ille igitur laudetur, honoretur, & glorificetur, fecit enim nobis ſua pietate cognitum, quod noſtris oculis manebat abſconditum. Cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

Ann. Chr. MLXXXVII. Martii XXVI.

Probatio per aquam.

* al. cod. indicium.

* al. cod. precibus.

B. Pontii obitus.

[a] Alter codex hæc verba, quæ diem & annum beati Pontii obitus deſignant, non habet.

VITA SANCTI ARNULFI EPISCOPI SUESSIONENSIS.

Auctore Hariulfo abbate Aldemburgenſi coæquali, & à Liſiardo epiſcopo Sueſſionenſi, item coæquali, ut videtur, recognita.

Ex mſ. codice Abbatiæ Longipontis, cum aliis collato.

Arnulfi vitæ auctor.

1. I*NSIGNE monaſterium ſancti Medardi Sueſſionenſis, de quo alias fuſe diximus, hoc ſæculo beati Arnulfi meritis & virtutibus illuſtratum fuit. Hujus beati viri vitam ſub Liſiardi Sueſſionenſis epiſcopi nomine edidit Surius ad diem* XV. *Auguſti, in cujus initio exſtat ejuſdem Liſiardi Epiſtola ad Radulfum Remorum Archiepiſcopum, qua hanc vitam à ſe, uti profitetur, conſcriptam, ejus cenſuræ ſubjicit. Varii item alii codices mſſ. eamdem epiſtolam ſub Liſiardi nomine præferunt: unde factum eſt, ut eadem vita ab omnibus fere ſcriptoribus ſub Liſiardi nomine laudata fuerit. Verum ſi rem attentius expendere libeat, hanc ipſam vitam ſive priores duos libros, Hariulfi abbatis tertii Aldemburgenſis ſincerum eſſe fetum deprehendemus; quod tum mſſ. codicum auctoritate, tum etiam nonnullis aliis argumentis ex ipſo operis contextu mutuatis probare non adeo erit operoſum. Et quidem ex variis codicibus mſſ. in quibus hæc Vita habetur, unus exſtat in bibliotheca monaſterii Urſi-campi Ordinis Ciſtercienſis, prope Noviomum, ubi hæc ipſa Vita, cum triplici Epiſtola ipſi præfixa, ſub Hariulfi nomine reperitur. Earum prima Lamberto Tornacenſium epiſcopo inſcripta eſt; altera ipſimet Liſiardo Sueſſionenſi; tertia denique Radulfo Remenſi metropolitano, quæ quidem ultima, eadem eſt paucis admodum mutatis, quæ in aliis nonnullis codicibus & in editione Suriana, ſub Liſiardi nomine eidem archiepiſcopo nuncupata legitur. Deinde hanc eamdem vitam viderat Aubertus Miræus, ut ipſe teſtatur in libello de Originibus Benedictinis in Belgio, quam tamen in Catalogo ſcriptorum eccleſiaſticorum cap. 362. aſſerit male à Surio ejuſque ſequacibus Liſiardo Sueſſionum epiſcopo fuiſſe tributam, cum certum ſit eam re ipſa ab Hariulfo conſcriptam fuiſſe. Conſentit Voſſius libro 2. de Hiſtoricis Latinis; quin & ex ipſamet Suriana Vita patet eam eſſe Hariulfi lucubrationem. Ibi quippe ſub finem hæc verba habentur:* In calce libelli mei meus cudendus eſt apologeticus, ut quorum relatu hæc didicerim, quibuſve urgentibus, hæc ſcribenda ſuſcipere auſus fuerim, omnibus perſpicuum fiat. Primus ex iis fuit quem ſæpe diximus, Everolphus, in ejus ſervitio perſeverans, qui cum præſens res ejus certius cognoviſſet, mecum Aldemburgi manens dies aliquot, cuncta quæ noverat mihi in cera exaranti ordine enarravit. Alter Arnulfus ſancti viri ex ſorore nepos, & primus abbas Aldemburgenſis, quæ ceris impreſſeram mihi adjumento fuit, ut ea attamento in chartis conſcriberem. Tertia denique ſoror ejus Adzela, quæ illi fuit familiarior, multa de eo nobis indicavit. *Hæc ſane neſcio quo pacto Liſiardo tribui poſſent, qui numquam Aldemburgi commoratus eſt. Deinde non tantum ea quæ ab aliis viſa fuiſſent ſcripſiſſet Liſiardus, ſed ea etiam, & id potiſſimum, quæ coram viderat, cum in Præfatione libri de Miraculis, quem edituri ſumus, aſſerat ſe à beato Arnulfo ſubdiaconum ordinatum fuiſſe, ſeque ipſe ejuſdem beati viri cohabitatorem nuncupet. quin & in eodem libello miracula à ſe viſa paſſim enarrat.*

Hariulfus.

A Liſiardo adoptata.

2. *Haud tamen dicere velim iſtud opus Liſiardo penitus eſſe abrogandum, cum & ipſemet illud ſibi ipſi aliquo modo tribuat. Sic quippe in libro de Miraculis jam ſupra laudato, de hac Vita in Concilio Bellovacenſi locutus eſt.* Inter ceteros adfuit quoque Aldemborgenſis abbas, ferens in manibus libellum de vita & moribus, miraculorumque geſtis ipſius ſancti Arnulfi. Quem libellum ego de manibus ejus accipiens aperui, & apertum obtuli Epiſcopis, dicens: Ecce, Domni, libellus ipſo me conſcio, meque auctore de vita ejus conſcriptus eſt, cui quod vera ſunt omnia quæ narrat teſtimonium in fide perhibeo, &c. *Ex quibus verbis apparet, quod ſive Hariulfo, ſive Liſiardo id opus tribuatur, nihil detrahitur ejus auctoritati; ſiquidem Hariulfi, qui tunc erat Aldemburgenſis abbas, librum Liſiardus adoptavit, quo conſcio & auctore conſcriptus fuerat. Ceterum hanc vitam uno libro comprehenſam edidit Surius, cujus, pro*

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXXVII. Aug. XV.

more ſuo, ſtilum paſſim mutavit, omiſſis etiam nonnullis verſibus, qui pro eorum temporum conſuetudine, variis in locis narrationi immixti erant. Eamdem unico quoque libro in quadraginta capita diviſo complectitur cod. mſ. Urſi-campi cum tribus epiſtolis, quas modo laudabamus. Sed eam ex mſ. codice monaſterii Longi-pontis Ordinis Ciſtercienſis in duos libros diviſam proferimus; cum tertio libro de ejuſdem ſancti Miraculis & Canonizatione. Quæ omnia ſub Liſiardi nomine in eo codice habentur, ita tamen ut tertio libro peculiaris epiſtola præfixa ſit, qua ſuum opus idem Liſiardus Radulfo Remenſium archiepiſcopo nuncupat. Ex quibus omnibus licet conjicere, Liſiardum poſt beati Arnulfi canonizationem, Hariulfi opus cum libro ſuo de miraculis & canonizatione ejuſdem ſancti in unum ſimul conjunxiſſe: unde contigerit, ut hæc vita ab aliis ſub Hariulfi, à ceteris vero ſub Liſiardi nomine poſtea deſcripta fuerit. Sed, ut cuivis ea de re judicium liberum permittamus, tres Hariulfi epiſtolas quæ in mſ. codice Urſi-campi habentur, vitæ ipſæ præmittemus.

3. *Fuit autem Liſiardus ex Præpoſito Sueſſionenſi ejuſdem eccleſiæ epiſcopus, quam ſedem iniit anno* MCVIII. *ut patet tum ex Chronico Alberici, tum ex Chartario mſ. ſancti Martini de Campis, ubi annus* MCXXIII. *dicitur* XV. *ejus epiſcopatus. Interfuit nonnullis provinciæ Remenſis Conciliis, eique Guibertus Novigentinus abbas Hiſtoriam geſtorum Dei per Francos dicavit, cum præfixa epiſtola, in qua multis laudibus celebratur. Hariulfus vero is ipſe eſt Chronici Centulenſis auctor, ut in obſervationibus ad vitam venerabilis Angelranni, ad annum* MXLV. *jam diximus, qui ex monacho Centulenſi Aldemburgenſis abbas factus eſt circa annum* MCV. *quo Gervinus pedum reliquit. Præſens fuit Concilio Bellovacenſi anno* MXX. *habito, in quo beati Arnulfi elevatio Epiſcoporum omnium judicio comprobata eſt. Idem abbas monaſterium ſuum contra ſancti Medardi Sueſſionenſis monachos egregie defendit, qui illud ſibi ſubjectum eſſe debere contendebant. Varia etiam diplomata à Flandriæ Comitibus obtinuit ad ejuſdem monaſterii ſui poſſeſſiones confirmandas, quorum nonnulla exſtant apud Miræum in Notitia eccleſiarum Belgii. Ex his duo ſunt Theodorici Comitis, & tertium Simonis Epiſcopi Tornacenſis anno* MCXXX. *data. Præter Chronicon Centulenſe, & beati Arnulfi vitam, ſcripſit quoque Vitam beati Gervini Aldemburgenſis abbatis ſecundi, & libellum de miraculis ſancti Petri, in eccleſia ſcilicet ſibi commiſſa, patratis. Porro hic lectorem monitum velim, Hariulfum iſtum à nonnullis Arnulfum appellari, quod ex Amanuenſium vitio contigiſſe arbitramur, qui pro Ariulfo incaute Arnulfum legerunt; immo & ipſe Sanderus in Flandria illuſtrata, modo eum Arnulfum, modo Hariulfum intra paucas lineas appellat. ſed jam ad beatum Arnulfum recurrat oratio.*

Arnulfi genus.

4. *Arnulfus ex parentibus non nobilitate ſolum, ſed & divitiis ampliſſimis pollentibus natus dicitur initio ejus vitæ; quem è nobiliſſima Pameliorum in Belgio familia ortum, aſſerunt unanimi conſenſu omnes rerum Belgicarum ſcriptores, quos Sammarthani in Gallia Chriſtiana ſecuti ſunt. Arnulfum Aldenardenſem patruum habuiſſe teſtis eſt Vitæ ſcriptor; qui ibidem matrem ejus ex illuſtri Comitum Lovanienſium, Namurcenſium, Loſnenſium & Montenſium proſapia prodiiſſe aſſeverat. Hæc tanta generis nobilitas ex veteri codice mſ. monaſterii Clarimariſci Ordinis Ciſtercii in Belgio confirmari poteſt, ubi poſt beati Arnulfi vitam, ejus materna ex ſtirpe genus ſic deſcribitur:* Albertus Comes Namurcenſis habuit tres germanas ſorores, Lugerdam, Godam, Ermengardam, qui Albertus genuit Godefridum patrem Godefridi Namurcenſis; Lutgarda genuit Emmonem & Ottonem fratrem ejus. Emmo genuit Arnulfum comitem de Lo, & Sophiam Duciſſam de Hungaria. Iſta Sophia genuit Regem de Hungaria, & Duciſſam de Hui. Otto frater Emmonis genuit Giſlebertum de Durat. Goda ſoror Alberti Comitis genuit Meinſindam matrem ſancti Arnulfi epiſcopi Sueſſionicæ civitatis in Francia. *In ejuſdem ſancti Arnulfi vitæ compendio, quod ad libri tertii calcem dabimus ex codice Longipontano, & habetur quoque in mſ. Clarimariſcenſi, ejus pater, Fulbertus Godelef vocatur, mater vero dicitur ex Teutonicorum procerum ſtirpe edita.*

Juventus. Fit monachus.

5. *Aliquot annos jam in militia ſæculari tranſegerat, cum mortuo patre vitam monaſticam ſub Reinaldi abbatis ſancti Medardi apud Sueſſiones regimine amplexus eſt. Ibi in cella incluſus vixit, donec Pontio, qui poſt Reinaldi mortem in abbatiam intruſus fuerat, in ordinem redacto, quod totam monaſterii ſubſtantiam diſſiparet, Arnulfus ipſe annuente Philippo rege in ejus locum ſuffectus eſt. Id Dormaſius, hiſtoriæ Sueſſionicæ auctor, factum fuiſſe putat in ea Synodo Sueſſionenſi, in qua abbatiæ ſancti Johannis fundatio confirmata fuit à Manaſſe Metropolitano ceteriſque provinciæ Remenſis antiſtitibus; ſed nullum exſtat ea de re in veteribus monumentis veſtigium, & quidem id non prætermiſiſſet Vitæ auctor, qui electionis Arnulfi circumſtantias fuſe deſcripſit. Ceterum Arnulfus anno circiter* MLXXVII. *huic monaſterio præfectus fuiſſe videtur. Id ex eo deducimus, quod Geraldus, qui ei poſt biennium monaſterii regimen dimittere coacto ſuffectus à fratribus fuit, ſtatim pulſus fuerit à Regina anno* MLXXIX. *Hoc enim ipſo anno Geraldus in Aquitaniam ſe recepit, ubi ſub ejuſdem anni finem monaſterii Silvæ-majoris fundamenta jecit. Quam vero pie & prudenter Arnulfus monaſterium ſancti Medardi ſibi commiſſum adminiſtraverit, ex ejus Vita diſcendum eſt.*

Fit abbas.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXXVII. Aug. xv. Epiſcopus.

6. *Dimiſſo monaſterii regimine, vix cupita ſolitudine frui incœperat Arnulfus, cum iterum ad alias & quidem majores curas revocatus eſt. Mortuo quippe Theobaldo Sueſſionenſi epiſcopo, cum Urſio quidam hanc ſedem invaſiſſet, Arnulfus, jubente Gregorio VII. ſummo Pontifice, in Synodo Meldenſi huic eccleſiæ præficitur anno* MLXXX. *Sed cum in caſtro Ulciaco, occupata per Urſionem urbe Sueſſionica, epiſcopalibus curis ſeſe totum impenderet, ab eodem pontifice Gregorio in Flandriam miſſus eſt, ut regionis illius proceres cum Roberto Comite eis infenſiſſimo in concordiam revocaret. Id non ſolum præſtitit Arnulfus, ſed & multa alia, quæ in ejus vita enarrantur: inter quæ locum, & quidem non ultimum, habere debet celebris monaſterii ſancti Petri Aldemburgenſis inſtitutio, de quo nonnulla hic obſervaſſe juvabit.*

Aldemburgi monaſterium. * Outtembourg.

7. *Ferunt Aldemburgum * opidum, olim opulentiſſimam civitatem fuiſſe, quæ ab Attila Gallias devaſtante, diruta plane ac everſa fuerit. Eamdem calamitatem à Normannis ſæculo nono paſſam fuiſſe putant, quo tempore ex ejus ruderibus Brugenſis clariſſima Flandriæ urbs, muris cincta & munita fuit à Balduino Calvo Flandrorum comite. Aldemburgenſis vero eccleſiæ originem referunt ad beatum Urſmarum Lobienſem epiſcopum & abbatem, qui ſæculo VII. exeunte in ea regione Evangelii doctrinam diſſeminavit. Etenim* Aldo provinciæ dominus ad fidem *Chriſti* converſus, *ab eodem ſancto viro, ut in ejus Vita quam ſuo loco edidimus, legitur, eidem* donavit, de ſuo dictum vocabulo Aldeburch vicum, in quo conſtruxit atque conſecravit eccleſiam in honorem beati Petri apoſtoli, & mille paſſus undique per circuitum, de quo dotavit poſtea eccleſiam Lobienſem, &c. *Ea eccleſia, etſi perexigua, & ex ligneis tantum aſſeribus compacta, diu tamen ſic perſeveravit, uſque ad annum ſcilicet* MLVI. *quo opidi cives miraculorum quæ in ea fiebant, frequentia excitati, priori deſtructa, alteram ex lapidibus conſtruxere, quod his vulgatis verſibus exprimitur.*

Anno milleno quinquageno quoque ſexto,
Hujus opus templi cœptum cognoſcitur eſſe,
Lignea baſilica fuerat quo condita primum.

Quadriennio poſtea à Rabodone Tornacenſium epiſcopo conſecrata eſt, quod hi duo alii verſus indicant.

Chriſti milleno ſimul anno ſeptuageno,
Hoc templum ſancti Petri à Rabodone ſacratum eſt.

Verum eadem eccleſia, quæ in prima ſui conditione Lobienſibus monachis fuerat tributa, jam ab annis multis in laicorum poteſtatem devenerat, cum Conon Roberti Comitis cubicularius eam Rabbodoni epiſcopo Tornacenſi, & iſte beato Arnulfo, qui, ut diximus, tunc temporis in Flandria diſſidiorum componendorum cauſa morabatur, tradidit; ubi ſtatim vir beatus congregationem monachorum inſtituit. Id refert ex Vita ſancti Arnulfi auctor Chronici Aldemburgenſis apud Sanderum in Flandria illuſtrata, his verbis. Eam nobilis vir Conon Camerarius Flandriæ in beneficium caſtrenſe poſſedit, & hortatu Haſeccæ conjugis tradidit Roberto Comiti, Robertus autem Rabodo epiſcopo, Epiſcopus, Vvaltero Archidiacono & clero laudante, liberam & expeditam condonavit Arnulfo Sueſſionum epiſcopo, illique canonicam de ea fecit inveſtituram. Qui Arnulfus eam dotavit in abbatiam, & congregationem monachorum Ordinis ſancti Benedicti anno MLXXXIV. & præfuit eidem annis tribus. *Primus ibi abbas inſtitutus eſt Arnulfus beati viri ex ſorore nepos, qui anno* MXCV. *è vivis exceſſit.*

Viri illuſtres.

In eo autem cœnobio præter beatum Gervinum & Hariulfum, alii quoque viri illuſtres poſtmodum floruere. Inter quos celebres fuerunt Henricus abbas vigeſimus-quintus, & Anianus ejus ſucceſſor, qui eccleſiam ſæculo decimo-quinto reſtauraverunt. Georgius vero Cabellian Annales monaſterii ſui ad annum MDLXXIV. *quo adhuc in vivis erat, perduxit. Eodem tempore in eo cœnobio florebant duo viri illuſtres de Ordine Benedictino bene meriti, ſcilicet Jacobus* Byns, *& Arnoldus Vvion. qui anno* MDLXXVIII. *deſtructo funditus per hæreticos Calvinianos Aldemburgenſi monaſterio, in alias provincias abire compulſi ſunt. Jacobus in Hiſpaniam tranſiit, ubi Hiſpali xenodochium ad ſuos contribules recipiendos & fovendos conſtruxit; Arnoldus vero in Italiam ſecedens, ibi librum de Ordinis noſtri initiis, progreſſibus, aliiſque ad eum pertinentibus ſub nomine Ligni vitæ conſcripſit, diuque inter noſtros Caſinenſes verſatus in eadem regione defunctus eſt. Hæc ſub Melchiore* Everaett *abbate contigerunt, ſub quo monachi huc illucque varia in loca diſperſi ſunt; ſacras vero reliquias, aliaque furori hæreticorum ſubducta Brugis interea aſſervabant pauci admodum monachi, qui poſtea pacatis tumultibus ad monaſterium rediere. quod tandem Maximiliani abbatis cura & ſollicitudine reſtauratum eſt. ſed ad beatum Arnulfum redeamus.*

Arnulfus Sueſſiones revertitur.

8. *Inſtitutis in cœnobio Aldemburgenſi monachis, concordiaque inter Flandriæ proceres confirmata, Arnulfus ad ſedem revertitur: ſed cum turbatis eccleſiæ ſuæ rebus nihil proficere poſſet, nullumque à ſede Remenſi provinciæ metropolitana ſperandum eſſet auxilium, cum ea eccleſia poſt*

Manaſſis

Manaſſis exauctorationem, Elinando Laudunenſi eam ſub Philippi regis auctoritate potius devaſtante quam adminiſtrante, ſine paſtore eſſet, in monaſterium ſancti Medardi beatus Antiſtes ſeſe recepit, ubi incluſi vitam iterum aggreſſus eſt. Hæc anno MLXXXIV. *quo ex Flandria rediit, contigiſſe dicendum eſt. nam anno ſequenti ſubſtitutus eſt Arnulfo Hilgotus, quem legitimum pontificem fuiſſe nullus infitiatur. Et quidem eo nomine conventui Compendienſi hoc ipſo anno* MLXXXV. *interfuit, & ipſe in charta pro canonicis Caſtri-Theoderici annum* MLXXXVII. *pontificatus ſui ſecundum appellat.* ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XV.

9. *Verum emergentibus rurſum in Belgio tumultibus, eam regionem denuo adire compulſus eſt Arnulfus, ubi compoſitis diſſidentium animis, è vivis exceſſit ipſa die Aſſumtionis ſanctæ Mariæ, decima-quinta Auguſti, anno* MLXXXVII. *atque ea de re nulla eſt inter auctores controverſia. Sepultus eſt ante altare beatæ Mariæ in ſiniſtra chori parte, ibique ad annum uſque* MCXXI. *permanſit. quo Calendis Maii ſacrum ejus corpus è terra elevatum eſt, atque in theca repoſitum. Anno* MCCCCLVII. *Anianus Aldemburgenſis abbas capſam priore ditiorem conſtrui curavit, in quam cum maxima ſollemnitate ſancti Arnulfi corpus tranſlatum eſt. Ejus nomen in Romano, Benedictino, Gallicano, aliiſque Martyrologiis ſcriptum eſt. Molanus vero in Natalitiis ſanctorum Belgii, & Arnoldus Vvion in notis ad Martyrologium, ejus vitæ compendium texuerunt. cujus etiam elogium apud Dormaſium Sueſſionenſis hiſtoriæ ſcriptorem, Marlotum in metropoli Remenſi, Meierum, Miræum, Sanderum & alios paſſim, potiſſimum Belgicos ſcriptores occurrit. Sigebertus, qui eo tempore vivebat, hæc de eodem Pontifice ad annum* MLXXX. *habet:* Hoc etiam tempore in cœnobio ſancti Medardi pollebat ſignis & virtutibus vir beatiſſimus Arnulfus, qui pro miro ſanctitatis fervore propoſitum recluſionis eligens, & arta nimis abſtinentia ſe ipſum affligens, prophetiæ gratiam divinitus accepit, & ex recluſo abbas hujus monaſterii factus, ad ipſam recluſionem pro contemtu mundi ac deſiderio internæ quietis poſt modum rediit. Sueſſionico autem Pontifice defuncto, electus eſt ad epiſcopatum; & juſſu papæ Gregorii à Sedis Apoſtolicæ Legato Hugone Lugdunenſi archiepiſcopo in præſulem eſt conſecratus. *De ejus vero morte ſic ad annum* MLXXXVII. *loquitur.* Sanctus Arnulfus ex abbate ſancti Medardi, poſtmodum etiam ad pontificatum civitatis Sueſſionicæ promotus, pro pacis reintegratione inter Flandrenſes Flandriam venit, atque in vico nomine *Aldenburch*, eccleſiam ſancti Petri jam divinis miraculis illuſtratam, cœnobium monachorum fecit, ordinem regularis vitæ inſtituit; tandemque in eodem monaſterio, & finem vitæ, & ſepulturam, ſecundum quod ipſe prædixerat, accepit. *Hæc Sigebertus. quæ non habentur in Miræi editione, ſed in ea ad annum* MLXXXVI. *hæc alio charactere edita leguntur:* Arnulfus Sueſſionicæ civitatis epiſcopus ſpiritu prophetiæ, puritate vitæ, & miraculis venerabilis claruit; & in Aldenbort in eccleſia ſancti Petri Dei nutu ſepelitur. *Eumdem ſanctum virum laudat Trithemius in Chronico Hirſaugienſi ad annum* MLXXXIV. *Sed jam ipſa ejus vita proferenda eſt, cui tres Hariulfi epiſtolas ex codice Urſi-campi, ut polliciti ſumus, præmittere viſum eſt, quas ad nos humaniſſime tranſmiſit anno 1687. R. P. domnus Nicolaus Perempertus, ejuſdem monaſterii Ciſtercienſis ordinis monachus.*

Rurſus in Flandriam vadit.

Cultus, Reliquiæ.

EPISTOLÆ TRES HARIULFI ABBATIS Aldemburgenſis, præfixæ vitæ ſancti Arnulfi epiſcopi Sueſſionenſis.

I. *Epiſtola ad Lambertum epiſcopum Tornacenſem.*

DOmino LAMBERTO Dei gratia Tornacenſium Epiſcopo, filiorum ultimus HARIULFUS ſalutem. Regalia fercula, quamvis auro & argento fulgeant, quamvis ſaporibus peregrinis & aromaticis odoribus redoleant; niſi ſalis condimento temperentur, contemtui potius quam delectationi proveniunt. ſic architecti peritia, ſi in ſuis ædificiis æquos limites exceſſerit, vel linearum tramites juſto libramine non ſervaverit, fruſtra ſe laboraſſe ſero pœnitebit, dum & peritiæ palmam amiſerit, & fabricæ jacturam dolens incurrerit. His ita conſideratis, & paris periculi formidans eventum, tibi, ô Præſul venerande, ô Pater hilariſſime Lamberte, præſentis opuſculi offero xenium; tibi ceu fido Paſtori, ingenioli mei fructigenum committo velluſculum, ut veſtra Pontificalis auctoritas det robur & fiduciam his ad utilitatem ſanctæ Eccleſiæ legendis, cognoſcendis & imitandis; ne propter agricolæ abjectam indignitatem, ci-

ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XV.

ves delicioſi novellæ ſegetis conculcent fœcunditatem. Tanta enim ſpinarum denſitas, & veprium aſperitas, id eſt, impugnantium nequiſſima ſtoliditas, me hactenus contorſit & compedivit, ut nil aliud quam triſtem fugam tractare animo liberet. At poſtquam gratia cæleſtis ad pontificalem gradum in gemina ſede Tornacenſium Noviomenſiumque veſtram paternitatem promovit, ſtatim ſpinæ & tribuli, quibus fortiter ſtimulabar, areſcere & ſuccidi cœperunt. Statim mihi valde contrito pax nova exorta eſt; & immenſas ago gratias Chriſto & vobis: quoniam ſicut ranæ ad vocem tonitrui conticeſcunt, ſic affligentes me in initio veſtri præſulatus, veſtræ mox pietatis formidine ſopiti ſunt & reliſi. Igitur quia per vos quamdam vivendi libertatem recepi, in diebus pacis, quibus jugum inimici veſtra auctoritate computruit, hunc compegi libellum de vita & virtutibus electi viri domni ARNULFI Sueſſonici epiſcopi, mira Dei pietate nobis collati, noſtroque in loco proventu divino humati. Hunc denique pavens tota certe veritate ſuffultum, primum vobis, uti fas eſt, tribuo promulgandum: quatenus veſtri cenſura imperii aut ſanctis Eccleſiæ filiis innoteſcat, aut certe intra domeſticos fines mole ſilentii comprimatur. Si ergo lux gratiæ Dei, hoc opuſculum cognitione dignum effecerit, per vos & à vobis viam progrediendi accipiat. quod dum clementi judicio duxeritis laude dignum, obſecramus ut domino noſtro, fratri & coëpiſcopo veſtro LISIARDO Sueſſionico antiſtiti prorogare non pigritemini, qualiter veſtro & illius officio nobilibus arcis Remorum viſibus propagetur. Valete.

II. *Incipit ejuſdem epiſtola ad Liſiardum Sueſſionis Epiſcopum.*

Omnimode probitatis floribus enitenti ſanctæ Sueſſorum eccleſiæ Epiſcopo LISIARDO, H. ſub titulo Abbatis ſervus ſancti Petri Apoſtoli, ſalutem, & jugem in oratione fratrum memoriam. Ut veſtræ paternitatis reverentiam his interpellemus affatibus bina nos congruæ rationis cauſa permovit. Una quidem, quia præſentis negotii notitia vos non modica fulcit, vitæ ſcilicet & virtutis meritorumque domini noſtri, prædeceſſoris veſtri Arnulfi epiſcopi; altera vero, quia etſi vobis numquam notus fuiſſet, tamen quia illum Deus mirabilem cultu juſtitiæ fecit, quidquid de illo ſanctum authenticumque poteſt dici vel deſcribi, veſtro debet teſtimonio roborari. Authenticum autem haberi jure ſentimus, quidquid ab antiquorum ſanctorum geſtis & virtutibus ſecundum rationabilem ſimilitudinem non abhorret. Libellum itaque de vita & miraculis almifici viri Arnulfi, ejuſdem, cui, Deo auctore, præeſtis eccleſiæ Antiſtitis, ad notitiam ſanctæ matris Eccleſiæ proferre cupientes, huncque legitimo calle per manum domni Lamberti Noviomenſis ac Tornacenſis Epiſcopi ad audientiam Metropolitani perducere ſatagentes, ratum taxavimus eumdem prius veſtro exhibere examini, ſcientes profecto, quoniam quæ vobis veritatis libramine placuerint, ſanctæ quoque Remenſis Eccleſiæ nullatenus judicio diſplicebunt. Horum itaque veritas vobis non ignota veſtræ auctoritatis obtentu liberius pateat, & in cordibus eorum qui hanc perceperint relationem, reſpectu veſtræ experientiæ uberior credendi fiducia oriatur. Non enim inanes nænias hæc pagella reſonabit, ſed opera virtutis, quæ ſoli Deo competunt, & quæ duce Spiritu-ſancto omnem fidelem animam ad virtutis exercitium valeant provocare. Munus igitur, quod veſtræ diſcretionis examini, pio auſu committimus, latius propalare, fideliter procurate, ut cognitio pietatis, quæ quondam illuxit veſtræ menti, ad aliorum præcordia veſtro miniſterio diffundatur. Valete.

Digitized by Google

III. *Item ejuſdem epiſtola ad domnum Radulfum Remenſem Archiepiſcopum.*

Venerabili & cariſſimo Patri atque domino RADULFO, Dei gratia ſanctæ Remenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, omnium Abbatum peripſema HARIULFUS, ſalutem & omnium bonorum plenitudinem. Frequens videndi & audiendi uſus patefecit mihi veſtræ ſcientiæ pelagus immenſum, & veſtræ prudentiæ cor ad omnia diſcretum, amorem quoque provectuum ſanctæ Eccleſiæ, & in his quæ corrigenda ſunt tenorem diſciplinæ. Idcirco tot veſtrarum virtutum adminiculis confortatus, præſumſi opuſculum peritis ſcriptoribus merito reſervandum, non typho elationis, novit Chriſtus, ſed obtentu utilitatis, ut per meæ puſillitatis obſequium qualitercumque palam fierent opera Dei, quæ ſapientes & docti hactenus neglexerunt ſuſtollere de profundo ſilentii. Cumque ad hæc exaranda aciem mentis dirigerem, palpitabat animus præ timore: ſed cum retractarem, quod ille meus timor fraternæ foret utilitati obſtaculum, reducebam cor ad altum veſtræ diſcretionis obtutum; ſciens procul dubio facilem veniam patere temeritati, quæ accidit germanæ famulando caritati. Donet itaque veſtra paternitas veniam præſumtori, qui talia nitens veſtro per omnia ſtuduit decori. Donet veſtra auctoritas gratiam & vigorem horum propalatori, ne ob ſui vilitatem, ſubjaceat rubori. Porro de iſtorum veritate nullius mens vertatur in ambiguum, quoniam tam exquiſita ab illis qui interfuerunt, & ad liquidum ſunt comperta, ut in omnibus ſit veritatis conſtantia certa. Et quoniam ratum habeo Eccleſiarum provectum vos ante omnia ſectari; quidquid in his minus comte prolatum eſt, veſtræ veſtrorumque committo ſophiæ, ut per nobile Remenſis acumen eloquii fiat elimatum, quod per meam ſocordiam reſonat impolitum. Vitæ igitur ſanctitatem, & virtutum opera, quæ Chriſtus Dominus novellis temporibus ſuo militi Arnulfo contulit, ex aliqua parte narraturus, omnium artificem bonorum mihi opto adeſſe Spiritum-ſanctum, ut ad hæc referenda benignus repleat os meum laude ſua, qui, ut talia operaretur, ejuſdem ſervi ſui præcordia illuſtravit luce ſua. Admittant hanc incultam dictionem ad ſanctæ fabricam Eccleſiæ, lege ſilveſtrium lignorum, facundiſſimarum periti lectionum, ut in domo Domini pili caprarum locum habeant; & magnæ domus vaſa diverſa, prout competit, ſuis officiis non fraudentur. Vitam veſtram, veſtrumque Primatum incolumem carne & ſpiritu conſervet Deus noſter in longum. Amen.

INCIPIT PROLOGUS IN VITA S. ARNULFI, Sueſſionenſis Epiſcopi.

VEnerabili & cariſſimo patri atque domino RODULFO Dei gratia ſanctæ Remenſis eccleſiæ Archiepiſcopo, omnium Epiſcoporum infimus LISIARDUS, ſalutem & [a] totius ſanctæ obedientiæ plenitudinem. Frequens ac celeber vos videndi & audiendi uſus patefecit multis, inter quos & mihi, veſtræ ſcientiæ pondus immenſum, veſtræque prudentiæ cor ad omnia diſcretum, amorem quoque provectuum ſanctæ Eccleſiæ, & in corrigendis tenorem diſciplinæ. Idcirco tot veſtrarum virtutum ſtudiis confortatus, veridicorum etiam teſtium multiplici relatione informatus, nec non rerum magnitudine inſtigatus, præſumſi opuſculum doctis ſcriptoribus merito reſervandum, non typo elationis, ſed obtentu utilitatis; ut per meæ exiguitatis obſequium, qualitercumque palam fierent magna opera Dei, quæ ſapientes ac docti hactenus neglexerunt de profundo ſuſtollere

[a] In altero codice & apud Surium habetur, *& omnium bonorum plenitudinem.*

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XV.

ſilentii. Cumque ad hæc exaranda aciem mentis dirigerem, palpitabat animus præ timore; ſed cum vigilantius retractarem, quod ille meus timor fraternæ foret utilitatis obſtaculum, reducebam cor ad veſtræ diſcretionis intuitum: ſciens proculdubio facilem veniam patere temeritati, quæ accidit germanæ famulando caritati. Donet itaque veſtra paternitas veniam præſumtori, qui talia nitens veſtræ per omnia ſtuduit Eccleſiæ decori. Donet veſtra auctoritas gratiam & vigorem horum propalatori; ne ob ſui vilitatem ſubjaceat rubori. Porro de iſtorum veritate nullius mens vertatur in ambiguum, quoniam tam exquiſita ab illis qui interfuerunt & ad liquidum comperta ſunt, ut in omnibus ſit veritatis conſtantia certa. Quicquid vero in iis minus comte prolatum eſt, veſtræ * veſtrorumque committo ſophiæ, ut per nobile Remenſis acumen ingenii fiat elimatum, quod per meam ſocordiam cernitur impolitum. Vitæ igitur ſanctitatem & virtutum opera, quæ Christus Dominus noſtris pæne temporibus ſuo militi ARNULFO contulit, ex parte narraturus, omnium artificem bonorum invoco Spiritum-ſanctum, ut ad hæc referenda benignus repleat ora noſtra laude ſua, qui ut talia peragerer, ipſius ſervi ſui præcordia illuſtravit luce ſua.

Auctoris fides.

* *al.* noſtrorumque.

INCIPIUNT CAPITULA.

I. *DE loco & patria viri Dei Arnulfi.*
II. *De præſagiis ortus ſui.*
III. *De nomine in latere reperto, & de vaticinio peregrini.*
IV. *De inclyta ejus juventute, & armorum ſtrenuitate.*
V. *De converſione ejus ex milite in monachum.*
VI. *De obedientia ejus & rigore vitæ.*
VII. *De monacho recluſo, qui poſt mortem ipſi Arnulfo apparuit.*
VIII. *De ſilentio ejus per quadraginta duos menſes, id eſt annorum trium & menſium ſex.*
IX. *De fuga quam iniit noctu, ne Abbas fieret.*
X. *De lupo qui illum noctu reduxit neſcium.*
XI. *De aſino debilitato quem recuperavit.*
XII. *De caduco quem ſanavit.*
XIII. *De ægroto eſcas horrente, quem ſui panis guſtu ſanavit.*
XIV. *De muliere decennio cæca, quæ per aquam manuum ejus illuminata eſt.*
XV. *De rumbo repente reperto in dedicatione cryptæ.*
XVI. *De contemta Regis Francorum expeditione.*
XVII. *De abbate Girardo ſibi ſubſtituto.*
XVIII. *De multimodo ſanctæ vitæ exercitio.*
XIX. *De præſcita morte Iſraëlis, ſui quondam ſodalis.*
XX. *De piſce infecto per ſpiritum cognito, & de corvi obedientia.*
XXI. *De præcognita morte ſui nepotis.*
XXII. *De muto annorum* XIII. *cui loquelam dedit.*
XXIII. *De arreptitio à Legione, quem ut vidit purgavit.*
XXIV. *De ſuſpicione adventus barbarorum, quam divinitus rejecit.*
XXV. *De obitu glorioſi quondam comitis Simonis quem ſtatim agnovit.*
XXVI. *De Guidone nobili diu infirmante.*
XXVII. *De uxore Guidonis ipſius periclitante.*
XXVIII. *De Infante cæco nato quem per ſalivam oculis donavit.*
XXIX. *De ſorore ejuſdem infantis.*
XXX. *De Rege Francorum & Regina filium à ſancto Arnulfo poſcentibus.*
XXXI. *De Gerico milite quem corpore & corde ſanavit.*
XXXII. *De uxore ejus nomine Judith, cui futurum filium prophetavit.*

Digitized by Google

INCIPIT VITA.

I. a

Arnulfi patria & parentes.

PEr id temporis, quo regio Flandriæ BALDUINI [a] Comitis & conjugis ejus ADELÆ regimine ornabatur, regnum Francorum moderante HENRICO filio Roberti regis, & Anglis regnante EADVVARDO pio rege, fuit vir, nomine FOLBERTUS, in pago Brabantiæ circa fluvium Scaldum, qui non ſolum generis ſpectabili nobilitate, ſed & rerum copia mundanarum ditatus inter ceteros compatriotas, tam mente quam corpore per omnia inclytus exſiſtebat. Qui ex more nobilium digno matrimonio ſociatus, ex nobiliſſima conjuge, nomine MEINSINDE, genuit filium elegantem, quique jam adultus & armorum geſtui aptiſſimus ex præſenti luce eſt ablatus: cujus mors graviſſimum patri ac matri omnique domeſticæ clientelæ incuſſit mærorem, adeo ut annuali tempore illum deflerent & inceſſanter lugerent.

II. Ejus ſanctitatis præſagia.

Jamque menſes aliquot in hoc dolore defluxerant; cum ecce in ſomnis apparuit eidem matronæ vir ſpecioſus, & luce micanti fulgidus, dicens ad eam: Quid teipſam mærore afficis, & inutili triſtitia deprimis pro filio tam utiliter mortuo, quem ſi ſpiritum vitæ ex te accepiſſe cognoſceres, profecto à te factum vel plaſmatum non immerito plangere vel lugere debueras: at quem ſupernus Conditor ſecundum incomprehenſibile æquitatis judicium ſuſtulit de hac vita, tu quomodo lugere præſumſiſti? Pro cujus obitu nullum tu deinceps cordi tuo admittas dolorem; immo potius grandi lætare gaudio, quoniam in utero geſtas puerum, quem ſuperna electio præordinavit magnum futurum. Hunc dum tu in lucem protuleris, Chriſtophorum vocari optabis: quoniam revera idem puer ad hoc eſt præſcriptus, ut operibus & verbis ſuo Chriſtum in pectore ferat. Et ut certo ſcias hæc ita divinitus præfixa, vadens ad eccleſiam, in eo loco ubi orare ſolita es, fodere fac, & foſſa humo invenies laterem magnis litteris ſculptum, quæ litteræ tibi prodent tui partus nomen & meritum.

III.

At matrona tantæ laudis percepto oraculo à ſomno evigilans, cum ingenti ſtupore & mirabili gaudio viſionem enarravit marito, ac demum, ut comprobaret cæleſtium fidem verborum, aſſumſit famulos cum foſſorio; & pergens ad eccleſiam, in eo loco ubi ſupplicare ſolita erat, fodere fecit, lateremque quadrum invenit, altis litteris exaratum ita, CHRISTOPHORUS. Quo reperto, majori lætitia afflata eſt, & jam ſecura de prolis ſanctitate, quoniam antea neſciebat ſe concepiſſe, alacriter exſpectabat divinæ operationis munus tam honeſtum. Tempore igitur oportuno peperit filium repromiſſum, cum magna lætitia genitoris & propinquorum, quem etiam de ſacro fonte ſuſcipiendum ſecundum morem direxerunt ad ARNULFUM Aldenardenſem *, divitiis tunc & potentia inclytum virum. Hic lætanter ſuſcipiens puerum, mox acceleravit impertiri illi ſacræ regenerationis lavacrum, & ex nimio propinquitatis amore, faſtuque jactantiæ, non permiſit ut nominaretur Chriſtophorus; ſed ſibi æquivocum nominari fecit ARNULFUM. Cui quidem, etſi defuit nomen Chriſtophori, virtus tamen Chriſtum ferendi de die in diem ſemper excrevit. Nam dum ſtudioſe ſatiſque accurate nutriretur, die quadam ſupervenit quiſpiam peregrinus, veterana canitie reſperſus, qui eumdem infantulum benedicens, ac quaſi balba locutione alludens, ait ad nutricem: Hunc parvulum magna diligentia ſummaque munditia enutrito: quoniam Chriſtus Dominus cor ejus habitando, virtutem operum ſuorum per hunc populo ſuo decrevit annuntia-

* *Oudenarde.*

a Balduinus Inſulanus dictus, qui Philippi Regis, adhuc junioris tutor fuit. Adela ejus uxor, Roberti regis Francorum filia, Meſſinenſe nobilium virginum Benedictinarum monaſterium condidit prope Ipras, ab Alexandro II. velum ſuſcepit, ac tandem in dicto parthenone pie obiit an. 1079. Apud ejus ævi auctores paſſim laudatur.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XV. re. Tantis ac talibus auſpiciis augente Deo meritum illius, & futura gloria propalabatur, & antequam faceret opera Domini, jam qui facturus erat divini favoris laude anticipabatur.

IV. Denique adultus cœpit eſſe blandus alloquio, acutus ingenio, promtus obſequio, alacer in opere, efficax & fortiſſimus in membrorum robore: tantaque virium excellentia, ac corporis agilitate eminebat, ut quatuor aut quinque coævorum viribus excederet, & illum omnes Arnulfum-Fortem nuncuparent. Quem pater aut mater cupiebant tradere ſtudio litterarum; ſed ceteri propinqui reſiſtebant plurimum, & maxime ſupradictus Arnulfus Aldenardenſis, & paterno ſanguine propinquus ejus. nam materna proſapia ex Comitum gente * derivabatur, ſcilicet Ducis Lovanienſis, & Comitis Namurcenſis, Loſnenſis, Duſacenſis atque Montenſis. Hac tanta nobilitate ornatus ARNULFUS-CHRISTOPHORUS, ſic enim illum mater, memor divinæ ſponſionis, maluit appellare, quicquid in ſe elegans prætulit ac jocundum, totum cupivit ad Domini redigere famulatum. Optabant igitur propinqui illius, magis in rebus bellicis eum habere tyronem, quam eccleſiaſticorum graduum mancipari conſortem. Inde factum eſt ut ſæcularis militiæ cingulum cum grandi exſultatione carorum ſuſciperet, ſpiritualia poſt modum arma viriliter ſubiturus. Suſceptis itaque juxta votum amicorum ritumque Nobilium militiæ ſignis, ſtuduit pietatis fœdera retinere; in ſubditos pius, in gratiam indigentium profuſus, in judicio miſericorditer rectus, in auſcultandis divinis officiis ſummo niſu ſollicitus, in amore comparium mirabiliter gratus, in Domini timore fundatus, in parentum honore ſtudioſus, omniumque, qui noverant eum, amore præcordialiter fretus.

** al. genere.*

Militiam amplectitur.

[Ad ᵃ oſtendendam corporalem ejus fortitudinem licet plura ſuppetant, nos tamen nonniſi duo ſuccincte expediemus. Cum enim opera Domini univerſa ſint bona valde, illius quoque roboris ſeu virtutis cognitio materia erit laudis Dei, qui eam illi contulit: ſimul etiam accedet ad cumulum gloriæ ſancti hujus, qui ea non ad mundi vanitatem & inſanias falſas, cum poſſet, abuſus eſt; ſed contemtor ejus, & quæ ex illa comparatur, mundanæ gloriæ, totus ad Dominum converſus eſt. Enim vero in Sanctis etiam corporalia Dei dona prædicantur, nobilitas commendatur, opulentia extollitur: non quod hæc beatitudinem illis contulerint, ſed quod eorum contemtu, quibus ad malum potenter abuti poterant, ſed noluerunt, glorioſiores & illuſtriores evaſerint. In aula igitur Imperatoris apud Trajectum frequens erat conventus ſæcularium, mundano faſtu tumentium, & in iis Comes Flandriæ inter præcipuos ſummus. Is cum exoccupatus quibuſdam hora opportuna occurreret, ut juvenilis fervor aſſolet pro captando inani favore mira facilitate agi, exſurgit hinc inde militaris cohors, jactandiſque lanceis non ſine virium attenuatione alius alium vincere ſummopere contendebat. Inter hos conatus animoſi & audaces arcus frangunt, & Imperatoriis militibus in hoc conflictu fere ſuperioribus, dum Flandrenſes nihil egregium, quod celebris eorum virtutis quoddam eſſet probamentum ſive documentum, efficiunt, parum abſunt ab opprobrio & ignominia. Aderat tunc in comitatu Flandrenſium vir egregius Arnulfus, qui ætate quidem juvenis, ſed ſenili prudentia & gravitate pollens, nulla inſtar illorum levitate movebatur. Quidam igitur virtutis ejus, cui nulla in Germanorum regno comparari poterat, conſcii, ipſum adeunt, & ut ludicro certamini apponat manum non tam rogant quam cogunt. Adduntur precibus præcepta majorum & ſeniorum; quibus ille coactus in re, etſi ipſi nihil profutura, non tamen cuiquam nocitura, obedientiam pertinaciter negare frivolum ducens, lignum, quod in vertice mali poſitum velum

ᵃ Ejus fortitudo.

ᵃ Quæ hic anſulis incluſa habentur, ex Surio deſcripſimus.

Digitized by Google

continet, afferri curavit. Allato ligno, quod lanceis multo longius & craſſius eſſet, ille cunctis ſtupentibus aſſurgit, & molem illam, atque pondus potius quam lanceam, ut multa concutiens procul conjicit. Mox ſtrepitus & clamor omnium in laudem viri exſiſtit, & Flandrenſibus eo in ludo ſine periculo victoria cedit. nam juxta illud Poëtæ, ANN CH. MLXXXVII. AUG. XV.

> Ludus enim genuit trepidum certamen & iram;
> Ira truces inimicitias & funebre bellum.

Ejuſmodi in aulis Regis fiebant conflictationes, joco quidem initio ſuſceptæ, ſed perſæpe in luctum & homicidia deſinentes. Quod idem profecto levibus hominibus & mutuo tumore inflatis facile etiam his evenire potuiſſet, ſi non hunc ludum vir virtutis Arnulfus diremiſſet. Cum ſeniore ſuo Arnulfo Aldenardenſi quandoque, ut crebro ſolebat, proficiſcens, ad iter artiſſimum pervenit, ubi plauſtrum fœno onuſtum viæ anguſtias occupans omnem tranſitum prohibebat. Itaque ſociis ejus alio ſe conferentibus, ſolus cum armigero ſuo manſit illic, partemque fœni in terram abjicientes, & aliam cum plauſtro manu ſuſtollens, in eum locum, quem vepres & ſpinæ obſidebant, & iter anguſtum faciebant, longiuſcule tranſpoſuit: atque ita viæ obſtacula iter agentibus non minus facile quam benigne amovit.]

Omnia denique militiæ ſtudia percurrit, imperialibus ſeu regalibus bellis interfuit, in Principum curiis quaquaverſum veniens facundus cauſidicus enituit. Brabantinas atque Flandrenſes lites, ſeditioneſque obice ſuæ prudentiæ multotiens diremit, atque tremore ſuæ incomparabilis fortitudinis compreſſit; dum non eſſet qui illius viribus, ſeu verbis ratione validis obviare tentaret. Ab Imperatore Romanorum, à Rege Anglorum, & à Comitibus propinquis amplas poſſeſſiones rerumque procurationes, ac illuſtriſſima matrimonia ſibi oblata ſemper recuſavit: memor videlicet, quia non ad uſum ſæculi, ſed ad laudem gratiæ Dei Chriſtophorus vocari meruiſſet. Et quoniam tot & tanta virtutum genimina, quæ divina in eo ſeminavit gratia, non poterant in latum fructificare, mortali retardante militia, eleganti concepit conſilio, ut labor & cura militiæ in meliorem uſum verteretur; & illa ſtipendia poſcerentur, quæ vitæ & laudis nullum finem ſentirent. Itaque convocatis duobus armigeris ſuis, jubet quantocius omnia armorum vaſa aptari, qualiter cum eximio decore & pompa decenti, curiam Regis Francorum valeret adire. Parent armigeri imperanti, præparant equos, arma componunt, omnia ſtrenuo militi digna aſſumunt. Tunc Arnulfus valefaciens matri, (nam antea pater obierat) arripuit iter verſus Franciam, neglecta curia Regis tunc PHILIPPI, feſtinus expetit eccleſiam almi Medardi confeſſoris, ſitam juxta muros Sueſſionicæ civitatis. Erat tunc in eodem cœnobio præclara monachorum congregatio, quorum honeſta refulgebat inſtitutio, digna Deo immolans laudum ſacrificia ſub abbate RENALDO. Hujus vero congregationis prudentes fratres, tam Dei quam mundi aſtutia callentes, & coram Deo atque coram hominibus bona providentes, (nec enim eſſe poterant moribus inculti, qui totius Franciæ & Romanæ vel Remenſis curialitatis erant frequentatione ſuffulti) ſupra dictum virum, devotione præcipua ad Chriſtum feſtinantem, devote ut par erat excipiunt, atque militiæ cingulum reſpuentem, armaque cum veſtibus cultiſſimis quas attulerat ad eccleſiam conferentem attondent, ac tonſoratum in habitu regulari crucis Chriſti mortificationem amiciunt. Jam vero monachum factum, & vere huic mundo crucifixum, litteris erudiunt, legibus ac præceptis dominicis informant, cunctiſque ſanctionibus exornant. Quæ ille omnia in antro interioris hominis adeo

V. Spretis ſæculi pompis. Fit monachus.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XV. recondidit, ut ſemina verbi Dei nec ſecus viam, nec in petroſa, nec inter ſpinas cecidiſſe ſequens vita ejus prodiderit.

VI. Jamque annuum curſum in regulari tramite peregerat, & ob majorem devotionis atque obedientiæ probationem, injungitur ei cura eleemoſynæ, & alendorum pauperum ſollicitudo. Dignum plane negotium, ut ei cura pauperum committeretur, qui & miſericordiæ viſceribus afflueret, & liberalis per omnia haberetur. Pro qua cauſa, dum die quadam prædium ad agapem [a] deputatum ſolus inviſeret, cuncti canes vici adjacentis in eum ſubito inſiluerunt, dentibus rabidis illum dilacerare cupientes. Quibus manu extenſa innuit ut ſe ſequerentur, & ſic rabiem in obſequium commutantes ſenſu placido perrexerunt, & quamdiu ibi manſit cum eo manſerunt, ac tandem illo revertente ſimul redierunt; nec aliquem in ejus præſentia morſu vel latratu inſectati ſunt. Cœpit interea valida ſe mortificatione carnis conſtringere, vigiliis & jejuniis operam dare, orationibus prolixis cum lacrymis inſiſtere, & ſeſe omnibus probabilem exhibere. Et ut funditus ſibi riſum motumque lætitiæ temporalis exſtingueret, aſperrimo & nodoſo ſpinoſoque tribuli ramo corpus ſuum ſub veſte præcinxit, membra viriliter macerans, & mentem ad cæleſtia dirigens; vultum tamen hilarem & jocundum omnibus prætendens. Quadam vero die in conventu fratrum quiddam proloqui volens, non potuit more Francorum ad unguem exprimere verbum, idcirco dixit ei Abbas, ut ad horam ſileret: ne ſcilicet utilitas cauſæ differretur, ſi latius inde tractaretur. Quod tacendi mandatum corde ſimplici & zelo veræ obedientiæ per aliquot menſes ſervavit, nulli dans verbum, nulli reddens reſponſum, donec à fratribus nuntiatum eſt Abbati quod omnino mutus eſſet. Et Abbas eum evocans ac requirens cur taceret, didicit diuturni cauſam ſilentii fuiſſe mandatum ab eo injunctum ſilendi. Qui admirans renovatam in hoc Pauli [b] ſimplicitatem, & congaudens fervori ejus circa obedientiam, præcepit ut cauſa ædificationis interim fratribus exhiberet obſequium collocutionis.

Canes rabidos mire ſedat.

VII. In eodem monaſterio erat tunc temporis monachus quidam, nomine EREMBOLDUS, propter divinum amorem recluſus, qui de gente Flandrenſi ortus duram & auſteram vitam ducebat, divinæ contemplationi inceſſanter anhelans. Huic Arnulfus ſollicite obſequebatur; non quia famulantium copia deeſſet, ſed ut magis artiora ſancti fervoris argumenta ab illo hauriret. Cumque poſt multos continentiæ agones ad vitæ mortalis finem jam tenderet, viribus corporis cœpit deſtitui, & valido angore urgeri: tunc amabilem Arnulfum ſibi indefeſſe miniſtrantem rogavit, ut modicum lactis ſibi provideret, quo imbecille corpus vel ad punctum recreare debuiſſet. quod Arnulfus implere feſtinans, tulit panem unum ex his qui pauperibus erant deputati, quo pane comparatum lac obtulit ſervo Dei. Ille quidem ſumſit, ſed ex eo parum profecit. nam & morbus & ætas illum graviter deprimebant; immo potius diſpenſatio cæleſtis ad requiem promerendam divino verbere coaptabat, quæ flagellat omnem filium quem recipit. Hunc itaque oravit Chriſti miles Arnulfus, ut poſt ſuam mortem ſtatum ſuæ retributionis & animæ ſuæ habitum demonſtraret. Ac ille, quod fidei calore & proficiendi amore præſumtum agnovit, ſe impleturum fideliter promiſit. Et cum à ſæculo emigraſſet, ſecundum promiſſionem ſæpe fato ſervo Dei Arnulfo glorioſam de ſe præbuit viſionem, alacrem & gaudentem, beatæque requiei ſe conjunctum luciſluæ demonſtrans. Cui Arnulfus ait: Pater quid agis? aut qualiter tecum fit? vel aliquam pœnam pro quo reatu pertuliſti? At ille reſpondit: Cauſa illius lactis per te mihi mi-

Erembol̃dus defunctus Arnulfo apparet.

a Id eſt ad refectiones quæ cauſa caritatis dabantur.

b Paulus cognomento Simplex, cum à beato Antonio juſſus fuiſſet ſilere, ſeptem annis non locutus eſt. Celebris eſt apud veteres, cujus vitam ſcripſit Palladius in Lauſiaca & Rufinus in Vitis Patrum. Adi Bolland. 7. Martii.

niſtrati,

niſtrati, & parumper à me comeſti, aliquid pœnarum ſuſtinui; idcirco quod idem lac de ſubſtantia pauperum comparaſti. Sed tam hoc, quam & omnia mea ſunt remiſſa peccata, & beatorum gaudia condonata. ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XV.

VIII. *Arnulfus recluditur.* Hac ſiquidem viſione venerabilis Arnulfus admodum fervefactus, incaluit multum ad divinæ ſervitutis cultum, & deinceps non quievit à precibus, pulſans Abbatis voluntatem, donec impetravit quod optabat: ut ſcilicet eamdem ſubintraret ſecretæ converſationis reclusionem. Hoc potitus deſiderio, factus eſt Chriſti bonus odor in omni loco, & ejus exempla ſequentes multi, de longe & de prope monaſticam converſationem certatim expetebant. Eodem quippe tempore TEDBALDUS [a] nobilis adoleſcens, clam diffugiens à comparium conſortio, exſul & pauper Domino militavit; & coronam præmiorum extemplo conſecutus, victoriam qua nunc fulget, in multorum mentibus plantavit. Quis enim audiens Arnulfum, militum ſcilicet majeſtatem & ſæculum reſpuiſſe, non continuo amore ſæculi ſolveretur? Quis, inquam, facile poterat non mirari hominem genere nobilem, amicis potentibus fultum, ſtatura procerum, vultu decorum, cui mundus favebat, quem tota ſæculi gloria ſequebatur, tam repente converſum, ut de ſummis divitiis ad infimam paupertatem tractus amore Chriſti ſemetipſum dejiceret. De regione quoque Flandrenſi & Brabantia, multi tam clerici quam laïci ſacrum beati Medardi monaſterium expetebant; ideo quod monaſticus ordo in illo loco tunc florebat, & quod venerandi alumni Arnulfi jam recluſi dilectio quam maxime illos attrahebat. At ipſe de virtute in virtutem quotidie ſuccedens, & quod hactenus fuerat pro nihilo ducens, cellulæ recluſionem delicias paradiſi exiſtimabat, & continuam corporis afflictionem non dolorem aut miſeriam, ſed gloriam & voluptatem computabat. *Ejus virtutes.* Unde eccleſia * egrediens, atque extrinſecus ſub divo foſſam faciens, reſedit ibidem, ita ut ſtillicidium de tecto eccleſiæ ſuper caput ejus & collum decideret; & quotiens pluvia aut nives defluebant, ſedem foſſæ non mutavit, neque gelu neque frigus declinans; ſed ad omnem aëris incommoditatem perſeveranter orans & pſallens, gemens & plorans, lectionique interdum vacans, ibidem conſiſtebat. *al. cellâ. Tribus igitur annis & menſibus ſex, nullum mortalibus locutus eſt verbum, continuo ſtrictus ſilentio, & delectatus in cæleſti contemplatione atque aſſidua verbi Dei meditatione, quam ſolus legens ex divinorum copia librorum ubertim hauriebat. *Silentium.* Cujus inſtantia proficiens, & auxilio gratiæ Dei præcedente multum exuberans, non mediocriter ſapiens fiebat, prudenter intelligens & efficaciter capiens divinorum ſententias ſermonum, tanto Deo propinquior, quanto ab humanis remotior. Deditque operam ut ſcribendi notitia frueretur, necnon dictandi peritiam non contemnendam adquiſivit. De cibo & potu quid referam? cum diuturna jejunia magis illi complacerent quam delicioſa fercula. Panis ex hordeo ſemitrito, raro & parce ſumebatur, alius numquam. Aqua ſqualens erat potus; & neque quotidie apponebatur, neque appoſita ad ſatis ſumebatur.

IX. *Pontius invaſor bona monaſterii diſſipat.* Interea fungitur abbas RENALDUS, & inſtigante ſpiritu ambitionis, Pontius quidam pſeudomonachus, gradu comparativo non ſecundum grammaticam, ſed ſecundum ſimoniam à rege Francorum Philippo nomen & ſedem Abbatis adipiſcitur. Qui Pontius nimis fluxe atque dapſiliter agens, cunctam loci ſubſtantiam in brevi exhauſerat, eccleſiæ quoque ornamenta, quæ præcipua erant, in uſus militum ſe ſtipantium expenderat, & pæne omnia quæ ad decorem domus Dei pertinent veſanus effuderat. Quid plura? ingruente inedia, defecerat divinæ laudis officium in eccleſia: & illa quondam famoſa beati Medardi baſilica, ad tempus facta eſt opprobrium

[a] Is eſt dubio procul S. Theobaldus ex Campaniæ Comitum familia ortus, cujus Vitam ſupra dedimus ad ann. 1066.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XV.

vicinis ſuis. Tunc fratres ſanioris * conſilii in unum congregati, tractabant quid medelæ opus eſſet ad tantam perniciem. Reperiunt bonum fore, ſi aſſumto Epiſcopo ſedis Sueſſionicæ cum primariis loci, majeſtatem regiam implorent, quatenus cœnobii priſca nobilitate fundati, & per Pontium modo deſtructi, clementer miſereatur, pretioſorum Martyrum Confeſſorumque corpora ibi conſiſtentia revereatur; jubeatque, ut ejecto Pontio non abbate ſed tyranno, dignus pater ovili dominico provideatur. Sicque facientes, & mox Regis mentem pronam ad clementiam inflectentes, communi conſilio fratrum atque eccleſiæ caſatorum [a], concordante clero ac populo, elegerunt in Abbatem ſervum Chriſti Arnulfum. Tunc Pontifex THEBALDUS [b] cum fratrum caterva pergit ad incluſum, & præmiſſa oratione ſollemni, alloquitur illum Epiſcopus, rogans & obſecrans, monens & imperans, ut votis fratrum acquieſcat, & Abbatis curam locumque in Chriſti nomine exerceat. At ille, qui annis jam tribus & menſibus ſex conticuerat, nimium expaveſcens, tabellam arripit, & ſcriptitat in ea tale reſponſum. Rogo, fratres cariſſimi, parcite mihi, & me peccatorum mole pergravatum ſinite aliquem offerre Deo pœnitentiæ fructum, nec me inſulſum, ullo modo cogatis ad tale onus ſuſcipiendum. Quod ſi meam modo petitionem implere non vultis, vel inducias mihi uſque mane largimini: quo valeam explorare circa hoc voluntatem Domini. Tale reſponſum ſcripto ſuſcipiens Epiſcopus cum clero vel monachorum choro, advertit callidum quid in ejus mente verſari. Datis tamen induciis, cuſtodes ne nocte fugeret in circuitu cellæ diſponunt. Verum ille altis gemitibus crebriſque ſuſpiriis noctem trahens pervigilem, ubi advertit cuſtodes grato ſopore ſopitos, ſcalam conſcendens de muro abſcedit, fugiendoque errans, & qua fugeret ignorans, tandem devenit in quamdam villam ſubtus montem Lauduni, intranſque cujuſpiam hoſpitium pauperis quievit. Veniente hora cœnæ defuit aqua. Ille injuſſus arripit amphoram, pergens ad puteum haurit aquam, defert in domum, omnibus ſervit, omnibus miniſtrat, mutus tamen omnino perſeverat.

*al. ſenioris.

Arnulfus abbas eligitur.

Fugit.

X. Circa veſperum rediit homo ab urbe Sueſſionica, & dum cœnaret, cœpit enarrare quæ vulgo referente cognoverat, dicens: Multus rumor multaque turba agitabatur per populos ob diſceſſum cujuſdam ſervi Dei, quem dicunt aufugiſſe, ne fieret Abbas ſancti Medardi. Et ecce diriguntur plures miſſi undique per regiones, quærere ſanctum virum per ſilvas & montes, propoſito edicto ut nemo reficiatur, donec Dei vir reducendus reperiatur. Audiens hanc famam heros reverendus, & ex toto ſatagens devitare quærentium manus, prima noctis hora ſurgit de ſtratu, & vadit ad eccleſiam ipſius villæ: ibique foris ante januam proſtratus, clamat ad Dominum, magno ploratu deprecans majeſtatem, ne onus regiminis, quo ſe prorſus indignum ſentiebat, ullo modo ſibi permitteret imponi. Id vero multum diuque cum oraſſet, ubi credidit à Domino ſuas preces exauditas, deliberabat fugere ad remotiora deſerti: & ecce ſubito lupus ingens adveniens, cum eo pergere cœpit. At ille credens ex lupi comitatu ſe melius perventurum ad devia, illum ſivit præire, ipſe ſequi è veſtigio conatus eſt: ſic præduce lupo, immo magis auctore Deo, per noctem rediit Sueſſionem, & ſupra clivium urbi contiguum reſidens, orto ſole ubi eſſet agnovit. Tunc animo anguſtiatus & mærore confectus eſt: ſtatimque proſpiciens eminus foſſam in rupe in qua lapides quadrabantur, in eam latitaturus deſcendit. Advenientes autem agricolæ & lapidum cæſores, ut viderunt hominem in

Mire reducitur.

[a] Caſati erant eccleſiæ feudatarii, ſeu qui ex eccleſiæ bonis beneficia acceperant. Vide Gloſſarium Cangianum.

[b] Theobaldus, de Petra-fonte dictus, Sueſſionenſem eccleſiam rexit ab anno MLXXII. ad MLXXX. quo ſedente conditum eſt celebre monaſterium S. Johannis de Vineis, in quo canonici regulares ſunt inſtituti.

Digitized by Google

veſte humili & ſine loquela, renunciaverunt in civitatem. Quale vero gaudium & quanta celebritas mox in urbe ſurrexerit, impoſſibile credimus ab homine poſſe referri. Juvenes & virgines, ſenes cum junioribus laudabant nomen Domini, quod non eos privaſſet inventione patris optati. Exeunt monachi cum clericis, nobiles cum ſuburbanis, & alligatum fugitivum ſuum pertrahunt ad eccleſiam beati Medardi, invito imponentes locum officiumque Abbatis. Qui vix tandem ora reſolvens: Vere, ait, niſi divinis nutibus reſiſtere formidarem, quæ imponitis omnino recuſarem. Sic igitur cœnobio prælatus ſancti Ordinis reſtaurator optimus, ſtuduit prava corrigere, vitia funditus exſtirpare, mores fratrum dulci verbo, præeunte exemplo, aſſidue componere, & quicquid ſacræ Regulæ obviat prope modum diſperdere. Mirum dictu, quanta temporis velocitate ſtatus totius cœnobii ad formam rediit priſtinæ honeſtatis. Ornamenta eccleſiæ revocata ſunt, ordo clauſtralis redintegratus, quicquid utile reparatum, quicquid ab re diſſipatum. Gaudebat iis in locis cuncta nobilitas, quod ille famoſus regaliſque locus priſci honoris cultibus non caruiſſet in longum. Exſultabat etiam regio, quod ille magnus cæli ſenator martyr præcipuus SEBASTIANUS [a], cum aliis pluribus inibi decubans, competentibus ſibi laudum officiis non jam diutius privaretur.

Ann. Chr. MLXXXVII. Aug. XV.

Suſcipit regimen.

Monaſteriũ reſtituit.

XI. Sed quoniam ordo narrationis ad hoc proceſſit, ut patrem monaſterii illum exſtitiſſe oſtendit, dignum eſt ut labores & fatigationes, quas in regimine pertulit, memoremus, ut & hæc optima utilitas Rectoribus proponatur. GODEFRIDUS etenim Florinenſis, vir potens & fortis, & tanto ſuperbior, quanto potentior, nec hominem metuens nec Deum, prædium grande, vocabulo Hancenias [b], in pago Sambrico ſitum, uſibus fratrum beati Medardi multis dudum annis ſubtraxerat, atque in ſuæ ſuperbiæ commoda contraxerat. Et quoniam ejus rigida poteſtas omnibus timori erat: nemo Pontificum in faciem convenire illum audebat; & intolerabilem cernentes ejus malitiam, nullo modo tractare eum canonice audebant. Proinde ipſorum fratrum unanimitas exoravit famulum Chriſti Arnulfum, abbatem videlicet ſuum, ut cauſa caritatis, laborem aſſumeret eumdem potentem convenire, & ut res ablatas eccleſiæ redderet coercendo commonere. Aſſenſit fraternis ſenſibus fervens zelo domus Dei vir beatus, & juſſit parari itineri neceſſaria; inter quæ aſinum, qui beatum virum geſtare potuiſſet. Quamvis autem mundi gloriam toto conamine devitaret, utpote is qui in Chriſti caritate totam mentem fundaverat, quorumdam tamen familiarium ejus mens infirma, & minus curans quæ Dei ſunt, pompoſe illum agere & delicate ingredi affectabat, & ad exemplum multorum de Francia Abbatum, ambitioſe illum equitare & delicioſe vivere exoptabat, humilitatem qua vir Dei utebatur pro opprobrio ſuſtinentes. Denique aſellum quem ſibi ad ſedendum delegerat clam debilitaverunt, qualiter remoto aſello, ſpumei equi vectionem uſitare inciperet, intimaveruntque ſervo Dei ut caballum quæri juberet, qui illum geſtare debuiſſet. Audiens hoc Chriſti ſervus, & pro conſtantia fixæ humilitatis abhorrens equeſtrem vectionem, cum paucis diſcipulorum adiit ſtabulum, quo aſinus languens jacebat, & imponens manum ſuper fracturam, ita cœpit loqui miti voce, mitiori affectu. Omnipotens Deus bene ſcit quo animo iter imminens aggredi volo: quoniam non jactantiæ typo, ſed divini officii voto, ac fraternæ utilitatis ſtudio hanc profectionem ſubire appeto. Et quoniam poſtquam ſæculi militiam depoſui, terga equi numquam ſedere propoſui, non aliqua vanitate, ſed Domini noſtri Jeſu-Chriſti imitatione, modo ſi pla-

Ejus humilitas.

[a] Tranſlationis S. Sebaſtiani ad monaſterium S. Medardi hiſtoriam ſuo loco dedimus ſæculo 4. parte I. pag. 383.

[b] Exſtat etiamnunc in hoc loco, qui vulgo dicitur *Henſiennes*, præpoſitura in honorem S. Georgii, monaſterio S. Medardi ſubjecta.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XV.

cet ei ut abeam, placeat ut ſanetur tibia vel pes hujus aſelli: qualiter humili vehiculo geſtatus, ſervitium ejus & eccleſiæ opus exerceam lætus. Hæc dicens ſignum ſanctæ Crucis de contra edidit, & receſſit. Sed aſinus ilico reparatus, ſemet concutiens ſurrexit, & tota ſoſpitatus alacritate, famuli Dei vectionem & ſuſcepit & perfecit. At ubi ventum eſt in faciem ſupradicti inflatiſſimi divitis Godefridi, mirum dictu! quanta benignitate illum exceperit, quam prona humilitate eidem obtemperaverit! Nam mox ut eum allocutus eſt, ilico detumuit faſtus ejus, ilico concidit illa ferox cervicoſitas, & è veſtigio reſtituta eſt eccleſiæ priſca hereditas; & qui hactenus fuerat eccleſiarum vaſtator, amodo factus eſt devotus conſervator.

XII. Et poſtquam cum eodem Godefrido aliquos dies exegit, tunc prædia recepta cum fratribus inviſere deliberavit. Ubi cum eſſet, & colonos ſua præſentia multum lætificaſſet, venit ad eum quædam mulier nobilis, nomine Heſplendis, rebus & moribus inter ſuos honorabilis, quæ viro Dei querelam pro ſervo diſpoſuit, veluti ille evangelicus Centurio fecerat, dicens. Domeſticus mihi fidelis procurator & ſervus, menſtruis caſibus male torquetur, pro quo flagito oratio veſtra mittatur, qualiter miſerante Deo ſanari mereatur. Tunc ille buccellam panis de quo ipſe percipiebat benedixit, & honeſtæ mulieri juſſit dari, dicens: Mox ut domum redieris, aliquid hujus panis ante omnem alium cibum manducare coge; & Deo jubente paſſio qua torquetur conquieſcet. Fecit illa ut docta erat: ſed malignus invaſor non permiſit ut de illo pane quicquam contingeret. Panem enim illum ac ſi incendium tangere extimuit; donec diuturna fame compulſus, de illo comedit, & ſtatim perfectæ ſanitatis libertatem accepit.

Lunaticum ſanat.

XIII. In præfato prædio commanebat homo, qui præ nimia morbi acerbitate uſum manducandi panem ex toto perdiderat, & miſeram vitam ſqualenti edulio ducens, quotidie in pœnis tabeſcebat. Hujus talia ad prædictam feminam fuerunt precata. Precor, ait, mea domina, ut cum ad hominem Dei acceſſeris, intimare illi ſtudeas, quod certa mihi viſione crebrius allatum eſt, quoniam ſi de pane victus ejus percipere meruero, ſtatim uſum panis manducandi recuperabo; & obſecra ipſius dulcedinem, ut hanc mihi impendat pietatem, mittatque optatam ſui panis benedictionem. Ut ergo talia reverendus heros ex feminæ relatu audivit; mox affluenti miſeratione compatiens, divinæ bonitati preces lacrymoſas libavit, & in hora ſuæ refectionis, panis ſibi peculiariter appoſiti particulam profuſius benedixit, ac prædictæ feminæ ægroto deportandum per monachum delegavit. Mox itaque ut de ipſo pane infirmus in ora tulit, non ſolum facultas comedendi rediit, ſed quædam aviditas vorandi extemplo ſucceſſit; adeo ut diatim repararetur robur corporis, quod attritum videbatur eſurie longi temporis.

Item alium ægrotum.

XIV. Exinde placuit aliud inviſere monaſterii prædium, vocabulo Junciredium [a], ſuper Moſam amnem ſitum. Ubi dum paucis diebus commaneret, quædam ipſius accola mulier jam decennio cæca, acceſſit ad monachos itineris ejus ſocios, & dixit: Ante complures dies meam mihi ærumnam deflenti apparuit quædam per ſomnium viſio, certiſſime repromittens, quod ſi aquam manuum ſuarum ablutione perfunctam ad fovendum oculos meos hic homo Dei mihi commodare dignetur, ſtatim illius meritis diu amiſſum Dominus reſtituet lumen oculorum. Idcirco deprecor, ut vos, dum ille manus laverit, aquam mihi reſervetis, qua valeam exui tenebris diuturnæ cæcitatis. Ergo poſt hæc prima vice qua ſervus Dei manus abluit, contulerunt aquam orbatæ. qua continuo unum fuit & oculis admoviſſe & lu-

Cæca viſum recipit.

[a] Legendum forte *Dunciredium*. Hîc quippe deſignatur, ut quidem videtur, opidum *Doncheri* dictum, in diœceſi Remenſi ſitum haud procul ab urbe Sedano, ubi habetur etiamnunc inſignis Præpoſitura monaſterii ſancti Medardi.

men recepiſſe. Vir autem Dei hoc ipſum comperiens, haud æquanimiter tulit, ſed mox iter accelerans ſub feſtinatione abſceſſit; videlicet præcavens, ne pro tanto ſigno laudis plauſus illi reſultaret popularis.

In monaſterio ſancti Medardi erat crypta in parte orientali, cujus anniverſaria dedicationis dies ſollemniter annuatim agebatur, ad cujus diei paſtum, priſca loci, ut dicebant, urbanitas eſum piſcis rhombi requirebat. Hunc autem uſum novus Abbas ignorabat, donec ipſa feſtivitas præ manibus exſtans, quemdam quaſi articulum Abbati ex hoc non cogitanti & aliis curis occupato incuſſit. Hora etenim diei prima decantata, convenerunt fratres in capitulum; interrogant ſuum œconomum, ſi rhombus diei debitus in promtu haberetur. Negante illo, & eorum verba potius admirante; cœperunt ſtomachari, & contentioſe affirmare Miſſarum celebritatem à ſe non peragi, niſi rhombus ipſorum coquinæ inferretur. His auditis, quidam ſeniorum adeunt Abbatem nihil tale ſuſpicantem, pandunt ſententiam fratrum. Audiens vir per omnia ſagax fratrum ſenſum tam puerilem, & parumper tacendo deliberans, ad Chriſtum vocem cordis emiſit, & tandem reſpondit: Si iſtum morem pridem præſciſſemus, illum piſcem quærere de vacanti potuiſſemus. at nunc quoniam de repente id novimus, valet omnipotentia Dei hoc ipſum conferre, ut fratribus ſcandalum tollamus, & ſancta celebritas alacriter compleatur. Jam citius vadat miniſter cum pretio ad pontem Axonæ, & rhombum inveniens, velociter comparet, ac coquinæ fratrum præparandum præſentet. Et converſus ſenioribus dixit: Ite cariſſimi, nuntiate fratribus quia rhombus non deerit; faciant gaudentes ſollemnia Domini. Sed & hoc intimate illis, quoniam ſive vivam ſive moriar, determinatum noverint, ut ab hodie per annos viginti non habeant in die iſta fercula rhombi. His dictis rhombus juxta verbum ejus ex inſperato repertus emitur, & menſis fratrum parandus palpitans inducitur: ſollemnia etiam dedicationis ſolito alacrius celebrantur. Fratres quoque, qui huic rei interfuerunt, ſub invocatione divini nominis teſtificati ſunt, quod ex tunc per annos viginti ille talis piſcis in eadem ſollemnitate non potuit inveniri. Mirandum valde! quod tam præſens illi aderat ſpiritus veritatis, & quidquid ore protuliſſet, totum ſemper veritatis conſtantia fundaretur. XV. Prædicit futurum.

Sane quoniam apud mortales permanet & ratum, nihil eſſe omni parte beatum, erat illo in tempore in eodem cœnobio quidam, nomine Odo, honeſtatis uſurpator & virtutis ſimulator, qui famulo Dei Arnulfo abbati nimium invidebat, & ſe ad regimen loci digniorem ac utiliorem autumabat, qui etiam inceſſanter revolvebat, quonam argumento ſervum Chriſti potuiſſet removere à ſuſcepto regiminis officio. Is cum eſſet in exterioribus agens, per internuntios quos frequenti munere cæcabat, ſtuduit intimare regi Francorum Philippo, ut cum in procinctu contra hoſtem aliquorſum proficiſceretur, Abbatem ſancti Medardi venire ſecum juberet. Annuit Rex conſiliis Odonis, & cum exercitum promoviſſet, miſſis legatis monuit domnum Arnulfum, ut cum armata militia in expeditionem ſecum abiret. Arnulfus ad hæc ſtupuit, & regiis Miſſis devote reſpondit: Certum eſt me peccatorem militiæ quondam actibus ſorduiſſe; notum eſt ob Domini timorem relicta militia conſortium monachorum expetiſſe. Legimus dicentem Dominum, quod qui perſeveraverit in finem ſalvus erit; & ego infelix, qui cauſa Dei militiam abjeci, rurſum ſtipabor militibus? rurſum arma exercebo? Grande nefas! Recte ait pſalmus de me & mei ſimilibus, Dejeci eos dum allevarentur. Nam qui putabam me aſſumtum ad curam Abbatiæ, ecce compellor offendere in foveam apoſtaſiæ. Maluiſſem certe nomen iſtud Abbatis, & locum non ſuſcepiſſe, quam ſub hujus dignitatis obtentu ſæculo tam peſſime deſervire. Hoc comperto rex Philippus miſit denuo legatos, qui dicerent fuiſſe morem antiquum, ut milites ab- XVI. Odonem æmulum patitur. Abbatiam dimittit.

ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XV.

batiæ Abbate prævio, regali expeditioni inſervirent. Aut faceret juxta morem antiquum, aut daret locum ut fieret Regis imperium. Tunc Arnulfus tali occaſione accepta, promto animo obedivit Regis imperio, & ſeceſſit libens in recluſionis angulo: nihil reputavit culmen tanti honoris, dum modo liceret tenere vocem Salvatoris, cupiens longe melius longeque ferventius ſeipſum exercere in ſervitio divinæ majeſtatis. At monachi omnes nimium conſternati tali facto, conveniunt pariter, & quaſi obſident Arnulfum planctu nimio, & ſic illum flagellant dolenti obſequio. O amande pater, quid voluiſti facere? gregem commiſſum tam inconſulte deſerere? oves Chriſti tibi creditas lupis exponere; & domum ſanctam, quam ſic honorifice tractabas, vaſtatoribus iterum tradere? Si moleſtum tibi erat exercitum Regis ſubire, ſediſſes tranquillus in loco tuo: nos cum noſtris militibus paruiſſemus Regis imperio. Ecce Pontius, noſter olim vaſtator, oneratus crumenis noſtri loci fiet iterum comparator, & accepta poteſtate inſtabit acrior dilapidator. Miſerere quæſumus filiis tuis, miſerere ſupplicibus tuis, & non abjicias nos, ſubeſſe gaudentes edictis tuis. Monemus te per martyrium Sebaſtiani [a], per confeſſionem Medardi, per papatum Gregorii, per Sanctorum copiam, quorum huic loco noſti ineſſe reliquias atque memoriam.

XVII. Auditis his ſermonibus Arnulfus diſſecabatur ſenſibus ſuis, & uberrime
„ flens reſpondit illis: O dulciſſimi fratres, nolite quæſo, adeo mihi noſtri
„ conventus vel loci deſolationem imputare, ſed caute cognoſcite, quia in-
„ ter vos habitat & ex vobis exiit, qui totum iſtud malum conatur patrare. At
„ nunc quoniam, Deo gratias, abbatia ſpoliatus ſum, quod valde optabat
„ anima mea, etenim plus erat mihi oneri quam honori, hortor unanimita-
„ tem veſtram, quatenus numquam ad hoc intendatis, ut denuo pertrahar
„ præeſſe vobis. Si conſiliis meis vultis acquieſcere, paratus ſum bonum vo-
„ bis & utile conſilium ferre. Convocate vobis Epiſcopum & omnes præla-
„ tos eccleſiarum urbis, feſtinanter eligite patrem Deo acceptum, & rebus
„ veſtris neceſſarium. Monachi reſponderunt: Hoc libentiſſime faceremus,
„ ſed oppreſſione avari Regis, noſtra ſtatim electio caſſabitur. Unde melius
Subſtituitur ei Geraldus. „ fore probavimus, ut noſtra electio in manu veſtra conſiſtat; & quemcumque
„ à vobis electum viderimus, nos illi fideliter obediemus. Quemcumque
„ enim vos elegeritis, credimus quoniam non reſiſtet illi veſania Regis.
Tunc convocatis omnibus eccleſiarum prælatis, & communicato conſilio, electus eſt in Abbatem vir magnæ ſcientiæ & religionis præcipuæ, nomine GERALDUS [b]. Quo non diu ſubſtituto, derepente advolat ſupradictus ille Pontius, totius pietatis adverſarius, ducens ſecum reginam Francorum, nomine BERTAM [c], quæ vi regia Geraldum expelleret, & eumdem Pontium in prælationem ſancti loci contra fas ſubinferret. Quo comperto, famulus Chriſti Arnulfus de cella egreditur, & Reginam adiens, furibundam blando affatu humiliter rogavit, ut quamvis Regina haberetur, memor tamen femineæ conditionis, memor etiam divinorum judiciorum, eccleſiaſticis legibus obviare formidaret; & ab injuria tanti viri ſeipſam verecunde temperaret. Quæ monita cum illa tumore regii faſtus audire abnueret, ait ad

Qui pellitur à Regina.

„ illam prophetizans ſervus Dei: O Regina, ſi placet, crede fratri Arnulfo,
„ immo crede Spiritui-ſancto: quoniam ſi domnum abbatem Geraldum à loco
„ iſto violenter expuleris, vindice Deo, & tu ante diem mortis tuæ à totius
„ regni dominio extruderis [d], & in ærumna atque deſpectu exſors regni morieris.
Hæc ſiquidem viri Dei prophetia luce clarius manifeſta facta eſt,

[a] Horum SS. corpora in monaſt. S. Medardi ſuperſunt, cetera ab hæreticis Calvinianis diſſipatata ſunt.

[b] Ejus vitam habes infra ad annum MXCV. ubi vide in obſervationibus prævijs quid de hac Geraldi electione ſentiendum.

[c] Alii codd. *Bertradam.* ſed noſtra lectio melior eſt, uti ex nota ſubſequenti apparet.

[d] Hujus prophetiæ veritatem eventus probavit: nam Philippus, ſubintroducta Bertrada Fulconis Andegavorum comitis uxore, Bertam expulit.

Digitized by Google

dum omnibus patet, quod eadem Regina poſt aliquot annos Regis offenſam inremediabiliter incurrerit, ob quam à totius regni conſortio rejecta, in pagum Pontivum cum dedecore tranſpoſita ſit, ibique diuturna calamitate detenta, more plebeio defuncta ſit & ſepulta. Geraldus autem ab illa repulſus, dedit locum iræ, & ſeceſſit in partes Aquitaniæ; ubi à Duce terræ illius gratanter exceptus, in Silva-Majori illuſtre cœnobium conſtruxit, ubi Deo digne deſervivit, & beato fine in Domino quievit: cujus & vita & mors ſignis virtutum & gloria miraculorum refulſit. ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XV.

Arnulfus denique amica recluſione ſemotus, tamquam ſi tunc primo inciperet, quotidianis ſeſe jejuniis inſtanter macerabat, vigiliis affligebat, orationi vacans aſſidue, & toto conamine inſiſtens contemplationi divinæ. Taliter agens, & tantis virtutum ſtudiis quotidie excreſcens, magnam à Domino conſecutus eſt gratiam, & in terra Francorumglorioſam adeptus eſt famam; in tantum ut tota regni nobilitas ejus uti benedictionibus congauderet, & totius dignitatis homines ejus colloquium ardenter requirerent, tam de pace Eccleſiæ, quam & de ſalute animarum conſilium flagitantes: felicem ſe multum credebat quicumque ab ore illius vel ſermonem audire poterat. Ita quidquid dicebat, omni audienti videbatur ſalubre & gratum, ac ſpirituali ſale condîtum, ut liquido pateret illum ſancti Spiritus præſentia præcordialiter afflatum. Fama vero ſanctitatis ejus per omnes provincias emanabat, & ad ejus colloquium perſonas diverſæ ætatis ac dignitatis undique advocabat. Sed remur oportunum, ut quæ ſigna vel prophetiæ dona eidem Dominus contulerit, enarrare inchoëmus. XVIII. Pia Arnulfi exercitia.

His diebus venit ad illum maritus ſororis ejus, nomine Trudbertus, quem poſt colloquium de ſalute animæ collatum requiſivit, dicens: Noſter olim commilito & ſodalis Iſraël, putaſne vivit, vel qualiter illum agere credis? At ille reſpondit: Soſpes eſt & valens, & in omnibus proſpere agit. Cui vir Dei prophetico Spiritu plenus ait: Nequaquam ita eſt ut dicis. nam Iſraël quem ſoſpitem & valentem nuntias, corpore & ſpiritu mortuus eſt. Heſterna nempe die multam prædam diripuit, cum qua domum repetens, in ſcamno juxta focum in gremio concubinæ ſe reclinavit; ubi circa veſperum mortem improviſam ſubiens, & iſtam & æternam vitam funditus amiſit. O pavendas exſequias! ô horrendos exactores! quibus infelix ejus anima, tot viduarum & pupillorum imprecationibus comitata, totque doloribus cruciata, ad æternum ignem eſt pertracta. Hæc audiens vir præfatus nimium exterritus eſt; & poſtquam domum rediit, omnia de Iſraël ſic geſta invenit, ut vir Domini Arnulfus annuntiavit. XIX. Miracula. Horrenda mors impii.

Alio tempore acceſſit ad eum viſendum quædam ejus ſoror, nomine ADSELA, quæ cum ante feneſtram cellulæ ejus cum quibuſdam reſideret, & de vita animæ quomodo inter tot mundi procellas ſervari poſſet diſquireret, jam hora meridiana venit miniſter deferens piſcem frixura aſſatum, erat enim dies celeberrimus, & intulit coram eo in feneſtram. Nam ut ſpiritum vanitatis motumque jactantiæ à ſe prorſus repelleret, ſolebat clauſtrales cibos, dominicis diebus & feſtivitatibus præcipuis, parumper deguſtare, ob hoc ne fratrum menſas videretur contemnere. Habebat in hoc præceptores atque conſolatores, viros ſumma diſcretione præditos, Romanum papam GREGORIUM ſeptimum, HUGONEM venerabilem Cluniaci abbatem, divinæ inſtitutionis ducem, atque peritum doctorem, GERALDUM Silvæ-majoris ſanctiſſimum abbatem, quorum litteris ſibi frequentius miſſis erudiebatur non plus ſapere quam oporteret, nec, ſub ſpecie virtutum, menſuram à patribus probatam tranſcendere. Piſce ergo illo coram eo illato, ſic ait ſoror ſua: Jam modo, ſancte frater, hinc mihi ſecedendum eſt, quia tempus eſt, & cibus apponitur, ut aliquid debeas manducare. Cui homo Dei: Non, inquit, cara ſoror, propter hunc cibum te XX. Piſcem veneno infectum agnoſcit.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XV. hinc permitto abire; quoniam piſcis iſte ſic allatus, mihi non erit ſumendus: eſt enim veneni peſte infectus, quem nobis infeſtus apparavit inimicus, ut ex eo mihi fieret interitus. Sed gratias Deo, gratias Spiritui-ſancto, qui ſuo inſtinctu aperuit cordi noſtro, ne venenum percipiendo, gaudium faceremus inimico [a]. Tunc emiſſa voce inclamavit corvum adeſſe, quem de more conſueverat collectis micis in feneſtra paſcere. Adeſt repente corvus, cui inquit imperando Dei ſervus: In Jeſu-Chriſti Domini noſtri nomine, hunc piſcem roſtro tuo aſſume, & in tali loco projice, ubi ab homine numquam poſſit inveniri. Quem aliquantiſper dubitans tandem roſtro aſſumſit, levavit & receſſit, illo projecto rediit, & de manu nutritoris conſuetum ſumtum accepit. Tunc interminatus eſt ſorori & ceteris præſentibus, ne quamdiu ipſe viveret, hoc alicui aperirent.

XXI. Hæc ipſa filium habens adoleſcentem cuidam potenti commendatum, ut ab illo arma ſortiretur, interrogata eſt ab eodem ſervo Dei: Ubi eſt filius tuus, vel qualiter agit? At illa: Ad quemdam, inquit, potentem noſtrum conſanguineum, ſalvum & incolumem tranſmiſi; ut cum eo degat, donec miles efficiatur. Tunc ait homo Dei: Vanum præſagium; immo ſceleſtum ſortilegium, initio nuper actæ Quadrageſimæ de illo exercuiſti, ut quaſi mori non poſſet, cujus calceamentum in altum projectum ultra trabem ſupervolaſſet. Peccatum tibi manſit, & filii vita receſſit. Nam illo in loco ægrotans, tali die talique diei hora mortuus eſt ac ſepultus. Inde multum hortor dilectionem tuam, ut pœnitentiam agens ſecundum ſcita catholicæ Eccleſiæ ſatisfacias, ne tibi ultima dies ſubrepat tanto delicto compeditæ. Qui enim talia agunt, Spiritui-ſancto omnino reſiſtunt, & ſacram Chriſtianitatem lædere comprobantur. Tunc illa, ultra quam credi poſſit, admirans & valde pavens, diſceſſit, & antequam domum rediret, nuntius illam de filii morte prævenit; eo in loco, tali die, talique hora mortuum nuntians & ſepultum, veluti vir Domini Arnulfus Spiritu revelante prædixerat. Habebat ante fores ſuæ cellæ ſpatium quoddam in modum hortuli, in quo areolas manu propria operans, otium atque inertiam fugiebat; habebat & quaſdam arbuſculas, quæ dum poma protuliſſent, quotiens ægroti juſſu ejus ex eiſdem deguſtaſſent, mox à ſuis languoribus erigebantur. Ad infirmos etiam longius poſitos multotiens panem vel vinum ſua benedictione conditum rogatus tranſmiſit, qui cum inde guſtarent ſtatim melius habebant.

Superſtitiones vitandæ.

XXII. Sollemne martyrium glorioſi levitæ Laurentii annua celebritate feſtive, ut dignum eſt, agebatur, & populi multitudo campos & plateas in circuitu monaſterii beati Medardi undique repleverat; cum ecce quædam mulier filium habens tredecim annorum ab ortu mutum, irrupit ad feneſtram cellæ ſervi Dei, & cum gravi mærore cœpit implorare, ut ſui filii vir ſanctus miſereretur, dicendo: Serve Dei, ne abjicias preces meas, ne aſperneris attendere calamitates meas. Ecce Dominus omnipotens abſtulit unicum maritum meum, dimiſit unicum filium mihi, cujus ope ſuſtentarer: & ecce mutus & ſurdus eſt, non valens audire verbum vel dare cuiquam reſponſum. Ad hæc ſervus Chriſti compunctus compaſſione, & miſeratione affectus piiſſimi infuſus lacrymis, ex dulcedine caritatis orationem intentius ad Dominum emiſit, mutum ipſum nutibus ſignorum advocavit. Quem acceptum ante feneſtram, ſigno ſanctæ crucis cum divini nominis invocatione ſignavit, labris ejus ſignum almæ crucis impreſſit, digitis linguam ejus contrectavit, & ſic eum interrogavit. Quale nomen habes? Et ille ſtatim in verba reſolutus, plane & aperte ait, Johannes. Quo dicto, deinceps inoffenſe verba formans, pleno locutionis munere perfunctus eſt.

Puerum mutum & ſurdum ſanat.

XXIII. Adoleſcens quidam immaniſſima dæmonum perváſione comprehenſus, vinculiſque ac catenis colligatus, non poterat domari, ſed omnes quos

Dæmoniacum liberat.

[a] Simile miraculum de B. P. Benedicto narrat Gregorius Magnus lib. 2. Dialog. cap. 8.

tangere

tangere potuiſſet morſibus lacerabat. Poſtremo à multis utcumque ſuperatus & coartatus, cum magna vi pertractus eſt ad eccleſiam ſancti Medardi, & viro Dei indicatum eſt de eo. Qui condolens peſſime captivo, juſſit eum ad ſe conduci. Cumque in comminus pertractus veniſſet, mox ut ſervus Dei illum videre potuit, ſignum crucis edidit, & trahentibus illum ait: Diſſolvite illum. Aïunt illi: Domine hunc diſſolvere nequaquam audemus, ne forte in nos conſurgat & perimat. Et vir Dei: Jam dixi, inquit, vobis, diſſolvite illum, nil metuentes. Tunc nimis ægre manus applicantes, cœperunt eum diſſolvere. Et ille diſſolutus, mox corruit pronus in terram, & adoravit. Jam enim poſtquam ſervum Chriſti viderat, & ab eo fuerat conſignatus, tota vis inimica in eo conſopita quieverat. Vir autem Domini juſſit eum à terra ſurgere, & ad cellæ feneſtram proximare. Quo prope adſtante, cœpit ſervus Chriſti requirere dicens: Dic mihi, fili, inimica hæc infeſtatio quæ te tenuit, quando vel qualiter tibi advenit? At ille eventum rei enarravit, dicens: Mi cariſſime pater, quidam fuit mihi amicus à carne propinquus, forma pulcherrimus, & corporis robore acer; cujus animum cujuſdam viculi homunciones dure offenderant, in tantum ut adunatis idem meus propinquus ſodalium & amicorum catervis, eumdem viculum aſſalire tentaret, ut effracto viculo, & trucidatis incolis, injuriarum ſuæ offenſæ crudeliter vindicaret. Sed quoniam idem viculus ſilva undique cingebatur, & vallo conſurgente ambiebatur, illi quoque homines qui inibi reperti ſunt, viriliter reſtiterunt: ſupradictus meus propinquus nil votorum obtinuit, quin immo vulneratus lancea, & viſceribus patefactis, ibidem ilico mortuus eſt. Quem mortuum ego miſer apprehendi, & utrique ſcapulæ meæ talos ejus impoſui, ſicque trahens illum per medium ſaltus educebam à loco interfectionis. Nox erat tunc tetra, & ecce circumſteterunt me ante & retro ſiniſtrorum ſpirituum innumeræ turbæ, ululantes & ſibilantes, & interdum cachinnantes. Tunc timor & tremor horrendus me invaſit, & vis adverſaria medullitus me concuſſit, & quid facerem neſcius, tandem mortuum quem trahebam neſcio quem in locum projeci. Mox itaque ſenſu perdito, & mente mutata, talis effectus ſum ut veſtra beatitudo vidit. Tunc famulus Domini dixit ei: Ecce, Deo gratias, ſapienter confeſſus es. Reſtat ut pœnitentia Deum places, quod tam grandi piaculo intereſſe voluiſti. Ille ait: Pro hoc malo & pro cunctis quibus Deum offendi, volo, ſancte pater, dignam Deo pœnitentiam offerre; & ab hinc quantum potero ab omni malo ceſſare. Sic Chriſti famulus injuncto pœnitentiæ modulo, ſanum & incolumem rectaque mente vigentem in propria remiſit, emundatum non ſolum dæmoniaca legione, ſed humani ſanguinis hauriendi ingenita crudelitate. Nam ſi tali modo præpeditus non fuiſſet, omnes illos viculi accolas in ultionem amici peremti peremiſſet.

ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XVI.

Per idem tempus opinio ſæva urbem Sueſſionicam & illius ſuburbana, villaſque adjacentes per quoſdam rumigerulos fœdaverat, de hoſtili Barbarorum adventu, dicentibus quibuſdam, quod gens Danorum de terra ſua emergens, totam Franciam in brevi occupatura & deletura eſſet, & nec ſenibus vel infantibus eccleſiiſque ullo modo parcitura. Compellebat hoc ad credendum, quoniam ſimilia multotiens Danos patraſſe referebant hiſtoriæ diverſarum chronicarum. Qui rumor infauſtus in tantum convaluit, ut Tedbaldus epiſcopus Sueſſionenſis virum Dei Arnulfum, tamquam videlicet divinitatis ſymmyſtam, ſuper hoc magnopere conſulens expoſceret, & Dei miſericordiam, an ita de proximo futurum eſſet, ab illo indagari anxius imploraret. At famulus Domini mox ut audivit rumorem, inanem prorſus & vacuum ſenſit: tamen ne temerariæ levitatis notaretur, inducias petit in craſtinum, quatenus per alta noctis ſilentia ſupernam majeſtatem uberius precaretur hujus rei aliquod ſibi manifeſtum aperiri indicium. Ar-

XXIV.

Rumorem falſum de barbaris venturis diſſipat.

ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XV.

nulfus pſalmis occupans tempora, cinere tectus, cilicio amictus, emittit preces ad Chriſtum, fundit flumen lacrymarum ſuper ſolum, ſolicitat majeſtatem ut hujus ſecreti aperiat veritatem. Sequenti diluculo ſolicitus redit Epiſcopus ad modernam ſpiritualis archam teſtamenti, ac cæleſte repoſcit ſuper heſterno depoſito oraculum. Quem famulus Chriſti, divinitus ſumto roborans ſolamine: Ne paveas, inquit, Præſul reverende, quoniam quamdiu tu vel ego mortale geremus corpus, gens Danorum, vel quælibet alia barbaries regnum Franciæ non vaſtabit.

Præſul TEDBALDUS Sueſſorum paſtor opimus;
Audivit famam vulgi levitate volantem,
Quod gens Danorum devaſtans cuncta locorum,
Francia quos retinet proceres extinguere vellet;
Ut ſic Francorum compeſceret arma virorum.
Sæpius auditum vel ſæpius hoc repetitum,
Concuſſit gentes, fecit pallere potentes.
Hac de re Præſul populari murmure pulſus,
Conſulit ARNULFUM, divino pneumate fultum;
Implorans nimium, quo poſcat pandere Chriſtum;
An ſit venturum, vel ſit regnum ruiturum.
Arnulfus Symmyſta Dei, petit otia noctis:
Sternitur in terram, lacrymarum flumina ſtillat
Orans hac de re: Deus omnipotens miſerere,
Parce tuis, miſerere reis, ſpes unica mundi,
Conſtans, invictus, nullius imagine fictus;
Sub quo curvantur Reges, cælique rotantur;
Per mortem Nati, qui ſolvit vita baratri,
Hoſtibus infandis ne tradas vis pietatis;
Ne dicant vani, quod Francia ſervit inani,
Ne ludant miſeri; Deus iſte nequit miſereri.
Ecce feri Dani, velut inquit vox popularis,
In tua conſurgunt, qui perdere cuncta requirunt;
Protege nunc gentem Dominum te rite legentem:
Se tibi donantem vel præcipue famulantem,
Gentes Francorum plenas turmis monachorum,
Gentes ſanctarum cultrices eccleſiarum,
Qui te glorificant, qui ſanctos ſemper honorant.
Sis memor iſtorum, ſis protector famulorum:
Ne videant hoſtes, caveat vel plebs tua mortes,
Per Genitum tecum ſimul omnitenentem
Flamine cum ſancto, per quem tibi gloria conſtat.
Talibus intento, cæleſtis nuntius adſtat,
Fulget ut aurora, redimitus veſte decora,
Dicens: Serve Dei, da finem fletibus iſtis,
Nempe Deus Chriſtus lacrymarum voce tuarum
Compulſus, ſtatuit votum conferre rogatum.
Unde ſcias certo, quod gens hoſtilis ad iſtud
Non veniet regnum, quo tempore duxeris ævum;
Poſtque tuum finem per tempora longa manebit
Franciæ ſecura *, ſuperans hoſtilia jura.
Pax tibi ſerve Dei, ſit tecum gloria Chriſti.
Tunc Domini ſervus vultum levat à pavimento,
Et Domino grates pro tali dat documento.
Præſul mane redit nimis anxius abdita quærens,

* f. ſecure.

Exquirit tremulus quæ ſit ſententia cæli.
Quem ſervus Domini ſolatur famine dulci,
Dicens: Ne paveas, Pater & Præſul venerande;
Nam donec mundi vitam linquamus uterque,
Francia regnabit: non barbarus hanc violabit.
Me Deus hoc docuit, cæli ſententia ſtruxit;
Ipſius invictum ſit regnum jam benedictum.
Præſul ad hæc gaudens, & læto pectore plaudens,
Munera libavit, quæ voverat accumulavit.

Fœcundabat Chriſtus ſuam Eccleſiam donis gratiarum, quibus accenſi nobiles & inclyti perplures viri relinquebant vanam mundi proſperitatem; & ſeipſos mortificando acquirere contendebant divinam nobilitatem. Inter quos tamquam ſidus aureum glorioſus Ambianenſium & Veromandenſium Comes pulcherrimus SIMON [a] filius RADULFI Comitis, divino amore inflammatus abjecit Comitatus honorem vel poteſtatem, reliquit civitates & caſtella opulentiſſima, reliquit ſponſam decoratiſſimam, atque Chriſtum ſequi exardeſcens, de tantis opibus nudus evaſit, & totam Francorum deſerens gentem, in qua inter millia ſervorum dominabatur, in partes Italiæ ſe contulit, ob hoc præcipue, ut copiam inveniret viſendi & exorandi ſacratiſſimam glorioſorum Apoſtolorum Petri & Pauli præſentiam. Quorum dum ſacras memorias divinitus inſpiratus pia devotione frequentius adiret, innotuit tanti viri devotio domino Papæ GREGORIO ſeptimo. Paucis denique annis diverſo * militans in ſimplicitate & humilitate cordis; & jugi contritione corporis, atque in ſanctarum exercitio virtutum viriliter ſe extendens, propitiante Deo, conſummatus eſt in brevi: & quoniam placita erat Deo anima illius, educta eſt de carcere mundi, ut fulgeret inter lapides vivos in diademate cæli. Eadem vero hora, qua carne ſolutus ad beatam requiem tranſire meruit, vir ſanctus Arnulfus in cella ſua recluſus, mentis exceſſu ſublevatus eſt, atque donante Deo, vidit omnia quæ circa honorandum virum Simonem olim Comitem modo monachum gerebantur. Cumque poſt viſum ad ſe fuiſſet reverſus, feſtinavit evocare fratres, ut indicaret eis tantæ gratiam viſionis. Veniunt fratres; quibus annunciavit, dicens. Ite fratres feſtinanter, nuntiate Abbati ac fratribus: quia domnus Simon, olim Comes Vermandenſis, hodie de hac vita receſſit, & jubeat Abbas velociter celebrari officium pro exitu tanti viri. Vadunt ad Abbatem, nuntiant quod audierant. Ille ſtupens plus miratur, & conſurgens properat ad incluſum, requirit attentans quis ſibi mandaverit [b]. Tunc ait homo Dei: Si quid falſum aut incertum vobis olim protuliſſem, juſtum eſſet ut nobis difficilius crederetis. At nunc quoniam adhuc in me falſitatem verborum non reperiſtis: cur tantæ duritiæ ad credendum eſtis, ut rebus incertis me quaſi dementari putetis? Notate diem, notate horam; & invenietis ita eſſe vel fuiſſe ut mihi eſt manifeſtatum. Tunc feſtinus Abbas & fratrum conventus intrant eccleſiam, pulſantur ſigna; canuntur pſalmi, & ſuo ordine celebratur officium defunctorum. Interea ſuſpenſæ erant mentes eorum, reputantes quod deluſi deriderentur. Cum ecce ante menſem dierum nuntius advolat, ſub ea die & ſub eadem hora domnum Simonem dicens obiiſſe, qua viro Dei Arnulfo de illo fuerat præoſtenſum. XXV.

Margin: Simonis Comitis pia mors.

Margin: * f. Deo;

Non longe ab urbe Sueſſorum commanebat vir nobilis, militiæ actibus implicitus, nomine GUIDO [c], habens uxorem pietatis cultricem, nomine XXVI.

[a] Hujus Simonis vitam vide ſupra ad annum 1082.
[b] In alio codice legitur *quid ſibi manducaverit*.
[c] Hunc Guidonem putat Dormaſius hiſtoriæ Sueſſonicæ lib. 5 cap. 15. fuiſſe dominum Caſtilionis opidi ſupra Matronam, cujus uxor Ermengardis erat Alberici Comitis Codiciacenſis ſoror, de quibus hic etiam agitur.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XV. ERMENGARDEM. Hi ambo flore divitiarum vernabant, & pietatis operibus abundabant. Is itaque Guido quodam tempore valida ægritudine depreſſus languebat, & amiſſa facultate dormiendi vel manducandi, à ſuis deſperabatur, atque velut jam mortuus ab amicis plangebatur. His ferme diebus conjunx ejus dolore & anguſtia partus jam vicini anxiabatur; & duplici timore attrita, hinc propriam, hinc mariti mortem formidabat. Tantis irretita tormentis, unum ſibi credidit remedium, ſi ſuos & mariti caſus orationibus ſancti Arnulfi commendaſſet. Mittenſque nuntium, fidelem domeſticum clericum, tam ſuum quam mariti periculum auribus illius lacrymabiliter allegavit. Servus autem Chriſti, ut erat ex Dei dono valde præſcius futurorum, oratione præmiſſa, eidem feminæ remandavit dicens: Vade frater, & dulciſſimæ ſorori noſtræ hæc diligenter cum feſtinatione reporta: Duæ ſibi anguſtiæ graves imminent; quas propitio Deo, bono exitu ſuperabit: tertia vero anguſtia ingruit, quam ipſa ignorat, quæ ideo erit gravior, quia irrecuperabilior. Nam vir quidem ejus, quamvis modo langueat poſt modum convaleſcet, & ſtabili incolumitate donabitur. Ipſa etiam de periculo pariendi ſine dubio ſalvabitur; & ſub tempore noctis hujus, priuſquam ſignum nocturni officii audiatur, pariet filium de quo gaudebit. Anxietas vero tertia, de qua modo ipſa non curat, & quæ illam diutius cruciabit, ita ſe habet. Albricus frater ejus, Cotidiaci dominus, per conſilium ſuæ conjugis Avelinæ ita perditus eſt, quod die craſtina à ſuis inimicis in lectulo capietur, & comprehenſus abſtrahetur, abſtractus ligabitur, ligatus duris tormentis agetur, & ad redemtionem ſuimet artabitur. Redimens autem moribundam vitam ſuam theſauros expendet; porro caſtellum nec videbit nec recipiet. Sed mittat velociter ſoror noſtra, & tam uxoris malitiam, quam hoſtium inſidias jam ingruentes denuntiet. Sic nuntius ab eo recedens celeriter remeat ad dominam, refert mandata viri ſancti, & gaudium pavori mixtum mens matronæ concepit. Mittens vero concitum nuntium ad fratrem, expreſſe intimavit quid uxor pertractaſſet, vel quid ejus inimici uxore duce molirentur. Albricus autem credidit ſorori, ſed conjugi hæc neganti magis fidem accommodans, non præcavit, turrim ſuam & caſtellum vel opidum non munivit, ideoque diluculo adhuc pauſans invaditur, capitur, trahitur, ligatur, educitur; & habitatione vel dominio Cotidiaci in perpetuum nudatur.

Arnulfus futurum prædicit.

XXVII. Eadem denique nocte uxor Guidonis, ſoror ALBRICI de partu laborans, antequam in eccleſia beati Medardi nocturnæ ſynaxis prævia nola pulſaretur, filium enixa eſt. Ecce autem ſequenti luce, dum puerum tractant diligentius, deprehendunt illum abſque oculis eſſe natum; loca vero oculorum cute & carne obſita erant, ſicuti frons vel maxilla. Quid tunc facerent obſtetrices, nimio angore conſternante plangunt, condolent muſſitantes; & omnimodis elaborant ne filii cæcitatem mater moribunda cognoſcat. Sic ſex dies tranſierunt, & filii cæcitatem mater neſcierat, donec ad id ventum eſt, quod puer baptizandus ad eccleſiam ferri deberet. Tunc ſane major trepidatio pervaſit pediſſequas, & totis niſibus argumentantur, ne illa tamdiu celata cæcitas in notitiam vulgi publicetur. Adeunt adhuc de recenti partu ægrotam genitricem, perſuadent ut filium prius mittat ad Arnulfum ſanctum Dei, quam feratur ad baptiſmum. Favit mater verbis ancillarum, dirigenſque legatum ad hominem Dei, orat ut parvulum ſuis manibus tangere & benedicere dignaretur. Ad quod vir ſanctus reſpondit: Vere neceſſe eſt ut infantulum videamus, proinde velociter præſentetur. Sicut mater ab anguſtia & dolore pariendi, magno Dei munere ſalvata eſt, ita miſericors Dominus filium imperfectum ad integrum ſalvare dignabitur. quibus verbis demonſtratur, quia infantis infirmitas jam ſervo Dei innotuerat.

Infans cæcus natus viſum accipit.

Digitized by Google

Itaque allatum infantem ſervus Chriſti feneſtram intro tulit, in lectulum cinericium reclinavit, & ipſe proſtratus in pavimento orationi incubuit. Oratione peracta, infantulum in gremium collegit, ſaliva oris ſui loca oculorum perunxit: & ſtatim divino munere oculi patuerunt, novoſque ocellos lux nova penetravit. Relato puero ad matrem, facta eſt ingens exſultatio, & tunc primum agnovit mater ſe cæcum peperiſſe, quando per famulum Chriſti novos oculos didicit filium accepiſſe [a]. ANN. CHI. MLXXXVII. AUG. XV. XXVIII.

XXIX. Opportunum cernitur & illud expedire, quo cognoſcatur quam ſubtilem præſcientiæ prærogativam vir Domini ſanctus Arnulfus invenitur habuiſſe. Præfati nobiles genuerant dudum filiam vultu decoram, quæ per id temporis jam nubiles annos ducens, à parentibus fuerat cuidam militi rebus ac natalibus non impari deſponſata. At illa, ut ſe habet puellaris mobilitas, quemdam alium rebus ac genere inferiorem plus diligens, refutabat delectum ſibi à progenitoribus ſponſum, multis juramentis affirmans ſe interficiendam à ſe, niſi cupitis amplexibus potiretur. Hujus cauſæ infortunio affecti genitores puellæ, virum Dei Arnulfum conſulunt, ſi forte ejus menti dignaretur Dominus intimare, quid in tali conflictu potius agendum ſuſciperent. Tunc vir Domini auditis brevi relatu genitorum querelis, opportunum & ſalubre edidit reſponſum. Canonica eſt, inquit, auctoritas, ne puella cui non vult umquam jungatur; idcirco mandatum vobis injungo, ut puellam amato à ſe viro condonetis, ne ad quodlibet inconveniens puellam cogatis. Eſt autem Deo notum, & nobis ob meritum veſtræ pietatis oſtenſum, ut poſt modicum temporis videatis filiam veſtram illum ſponſum anhelanter appetere, à cujus conjugio tam gratanter ſe cupit modo removere: deferte illi modo ſuam voluntatem, & ſic proveniet ut redeat ad veſtram honeſtatem. Tunc illi verbis ejus nimium creduli, nuptias optatas filiæ detulerunt, & dilecti viri conjugio illam perfrui permiſerunt. Et vir ille puellæ conjugatus, quoniam miles famoſus laborabat videri, dum nimium fertur in arma, ut ſibi nomen acquireret, repente ab armatis perimitur, atque de nova conjuge novam valde viduam citius operatur. Sic juxta viri Dei verbum, puella rediit ad illius ſponſi amorem, quem parentes primitus elegerant, illique copulata, damnum prioris æquanimiter toleravit. Hoc & ſi ab ordine narrationis noſtræ videtur alienum, propterea debet audiri: quia in ſancto Arnulfo ſpeciale quoddam prophetiæ virtutis declarat præſagium.

XXX. *Pro obtinenda prole Regi, orat.* Rex Francorum Philippus, jam diu per annos aliquot nuptiali copulæ ſociatus, cum videret ſuam Reginam permanere ſterilem, famulum Domini ſanctum Arnulfum frequentius exoravit tam per ſe, quam per alios clariſſimos viros, ut Domini clementiam imploraret, quatenus ad Regni tutelam, & ad ſanctæ Eccleſiæ deffenſionem, filium ſibi ſucceſſurum condonare dignaretur. Abhorruit primum hoc facere fidelis ſervus Domini, cavens inde hominum favorem, & formidans mentis laxare rigorem. Tandem ubi à Tedbaldo venerabili epiſcopo Sueſſionico, & ab aliis multis religioſis viris hoc coram Deo bonum & acceptum fore didicit; ſecundum quod beatus Apoſtolus, pro Regibus & omnibus qui in ſublimitate ſunt conſtituti, obſecrandum docet, & hoc primo omnium fieri, tam bonorum hominum ſuggeſtione, quam Apoſtolica monitione pertractus, oraturum ſe promiſit. Hanc vero ejus ſponſionem cognoſcens Regina, gaviſa eſt plurimum: & tamquam jam ſecura dirigit legatos idoneos ad famulum Dei, multa prece depoſcens, ut ſibi prænunciare dignaretur quando eſſet jam futurum. At ille ſentiens in corde Reginæ fidei conſtantiam, remandavit illi, ut pauperum curam diligenter haberet, intimans quod eorum vox di-

[a] Hic puer, nomine Petrus, poſtea factus eſt eccleſiæ Sueſſionenſis Archidiaconus, de quo Liſiardus in libri 3. præfatione infra loquitur.

ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XV.

vinis auribus vim inferret, ut optatam prolem ſibi Dominus commodaret. Regina paruit, & quotidiana convivia pauperibus inſtauravit, fixa quod oratio ſervi Dei non poſſet caſſari.

XXXI. Obtinet à Deo converſionem amici.

Vir Domini ſanctus Arnulfus, cum adhuc temporali militia eſſet implicitus, fuerat ei quidam miles conſodalis præ ceteris carus, nomine GERICUS, qui recedente Arnulfo de vita ſæculi, rapinis & deprædationibus attentius inſudabat, nec Deum timens, nec hominem pavens, viduas & orphanos aſſidue opprimebat. Hanc ejus vituperabilem vitam relatione adventantium comperiens ſervus Dei, ſæpius exorabat Chriſti Domini bonitatem & omnipotentiam, quatinus illi Gerico immitteret occaſionem & compunctionem pœnitentiæ, qua peſſimos mores deſerere, & timorem æterni judicii inciperet cogitare. Per fideles etiam viros vel mulieres à ſe repatriantes monita ſalutis illi mandabat, quæ ille aure corporis audiens, fide & opere non ſervabat. Interea Gericus, mundi proſperitate perfunctus, duxit uxorem, nomine JUDITH, æqua nobilitate valentem; generat plures liberos, & annis plurimis cum tota domo jocunda felicitate fulcitur. Poſtea cœperunt liberi defungi, & infra paucos annos vel unus filiorum ſuperſtes non fuit: ipſe etiam gravem ægritudinem incurrit, & quadraginta duobus menſibus in lectulo decubuit, quod eſt annis tribus & dimidio, de vita deſperans & mortis articulum præ oculis ſpectans. Jam nepotes ejus de fratribus vel ſororibus nati, terras ejus & quaſque poſſeſſiones ſibi vendicare affectabant, jam uxorem ejus Judith abſque dote facere, & ab omni mariti hereditate alienare conabantur. At illa quid faceret, nullus tutor, nullum ſolatium ſe illi offerebat. Tunc converſa ad Deum, exoravit flebiliter, ut divinum adeſſe dignaretur auxilium, ubi ceſſabat humanum; & recordata ſervi Dei Arnulfi, convenit maritum moribundum queſtibus multis: Mi cariſſime, inquit, conjunx, ecce tui nati mortui ſunt, ecce tui nepotes mortem tuam præoptantes, omnia bona tua in ſuum jus vendicare ſatagunt: ecce paraverunt ſibi ſermonem malignum, ut te ſepulto me turpiter ejiciant, nec conjugem tuam me fuiſſe cognoſcant. Et quare tua integra fides non acquieſcit conſiliis tuæ conjugis, vitam tuam & ſalutem ſuper omnia diligentis. Loquere in corde tuo, & fac votum Jeſu-Chriſto Domino noſtro, quod ſervum ejus Arnulfum, tuum quondam ſodalem & amicum, lectica vectus viſites, & ejus conſilio temet & omnia tua ſubjicias: & Pater miſericordiarum dolores tuos & mærores meos reſpiciet. At ille parumper recogitans, quaſi pondus dictorum apud ſe examinans, reſpondit dicens: Sapienter tractaſti, optimum conſilium inveniſti, quod libenter ſuſcipio, & ut ita citius fiat & volo & voveo. Igitur lecticam equis geſtantibus devehitur Sueſſionem, & viro Dei in ſuo exercitio deſudanti perlatus eſt. Qui congaudens adveniſſe virum, olim ſibi fideli amicitia junctum, rogavit, immo juſſit, illum adduci ad ſe. Sequenti die deductus ante feneſtram, audivit ab eodem viro Dei amicabilem increpationem: Frater, ait, Gerice, tu miles optimus tuis, peſſimus tibi, quamdiu provocaſti Dominum Deum intendens operibus rapinarum? Crede mihi, prope fuit interitus tibi, in fauces draconis paullo minus incidiſti. Sed Chriſto Domino gratias ago, ille lacrymas meas, ut video, non deſpexit, qui te immiſſa ægritudine præpedivit, ne uſquequaque rapinis incraſſatus, fieres eſca inimici dentibus. Scias igitur indubitanter, quia infirmitas quæ te tenuit, diuturnis precibus meis à Domino poſtulata fuit, ut vel invitus ceſſares ab oppreſſione viduarum & voracitate rapinarum. Adverte quantum tibi Deus immenſæ miſericordiæ ſuæ impendit beneficium, ut cognoſcas te nequiter egiſſe: qui tantis malitiis inflammatus, morſus leonis potuiſti evadere. Sed, inquies, cujus leonis? Audi beatum Petrum divina voce dicentem: Adverſarius veſter diabolus

tamquam leo rugiens circuit quærens quem devoret. Hujus leonis rictus ſola Dei pietate evaſiſti; jam nunc da operam, ut ab ejus voluntate penitus exuaris. At Gericus ait: Sanctiſſime & amantiſſime pater, eo voto eaque deliberatione ad tuum conſilium properavi, ut ſecundum tenorem Dominicæ voluntatis, juxta mandatum veſtræ ſanctitatis vita mea deinceps componatur, & nihil amplius faciam, niſi quod conſilii veſtri ſententia dictaverit. Pro mea tantum recuperatione Deo noſtro preces offerte, & ego fœdere perpetuo aſſero & confirmo, quod ulterius non faciam quidquid divinis legibus contrarium novero. ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XV.

Cum autem hæc verba finirentur, uxor ejuſdem Gerici, nomine Judith, in vocem prorupit lacrymabiliter dicens: Sancte ſerve Dei, attende quæſo & caſus meos, & fer opem miſeræ ac deſtitutæ. Homo Dei reſpondit ei: Dum audio vocem tuam, mox agnoſco qualitatem & neceſſitatem tuam; & ſpondeo tibi in nomine Dei, quod adventus tuus vel mariti tui non erit infructuoſus vobis. Unde ſcias certo, quia dabitur tibi gaudium pro mærore, eo quod viro tuo fideliter miniſtraſti in ſua infirmitate. Maritus enim hic tuus quia iniquitatem rejicit, perfecte ſanabitur, de quo filium ſuſcipies nominandum LAMBERTUM, qui jubente Deo, hoc eodem die, peracto anno naſcetur. Ille patri ſuccedet, ille tuam ſenectutem enutriet; nec morieris donec Lamberti tui prole legitima læteris. Unde volo & exhortor te, dulciſſime frater Gerice, ut à modo per viam juſtitiæ ambules, Eccleſiam Dei & ſacrum clerum honorifices, pauperibus nihil auferas, immo ablata reſtituas; eleemoſynam jugiter & abunde facias; ſic enim monet ſanctus Apoſtolus divitibus imperare. Decimas tuas numquam retineas, nec alicui eas niſi cui Epiſcopus juſſerit tribuas. Agros tuos excole, de fructu nutrimentorum tuorum, & de juſto quæſtu vivere ſtude, cum tuis colonis miſericorditer age; quod ſolvere nequeunt vel partim remitte. Principi tuo & comparibus tuis fidem & veritatem ex corde exhibe, de collatis tibi beneficiis Deo omnipotenti gratias age, & divina officia celebrantibus intereſſe frequentius ſtude. Ita tibi facienti aderit gratia Dei, & dabit pacem rebus tuis, atque bono fine fungeris; tu vero qui huc infirmus deportatus es, equitando ſanus hinc recedes. O quanta clementia ſupernæ bonitatis! quæ beatum famulum ſuum Arnulfum tot virtutum donis exornavit, ut & converſatio ejus in cælis aſſidue eſſet, & vitæ ejus meritum in terris aliis prodeſſet! Nam, juxta quod ex dictis ipſius poteſt intelligi, iſte miles Gericus merito ſuæ perverſitatis coram Deo mortuus eſſet, niſi hunc oratio Arnulfi jugiter comitata fuiſſet. Denique propitio Deo, & ſanus à viro Dei receſſit, & domi conſiſtens mox filium procreavit; qui, ut prædictum eſt, condicto die ad ortum proceſſit, qui & defuncto patri ſucceſſor exſtitit, & matri ſuæ pius nutritor permanſit. Ipſa vero mater Judith tamdiu in corpore vixit, quouſque filius ejus Lambertus legitime uxoratus filios procreavit. XXXII. Viri nobilis officia.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI SECUNDI.

I. *De electione in Epiſcopum Sueſſonicum.*
II. *De injurioſo fratre ob verbi injuriam à ſe remoto.*
III. *De Prophetia futuri Regis Ludovici.*
IV. *De ſacratione ejus ab Hugone Romano legato.*
V. *De domno Abbate Hugone Cluniacenſi illum feſtive excipienet.*
VI. *De conſtantia domni Arnulſi, & amore martyrii.*
VII. *De actibus ejus Pontificalibus.*
VIII. *De Monacho infirmo quem ſanavit.*
IX. *De oſtenſione ſuæ ſepulturæ alio futuræ.*
X. *De rapta planca, ſuper quam vidit diabolum geſtari.*

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXXVII. Aug. XV.

XI. *De pane & vino multiplicato.*
XII. *De cæca annorum quindecim, quam in Calvo-monte ſanavit.*
XIII. *De cauſa adventus, & de adventu ejus in Flandriam.*
XIV. *De pace inter Flandrenſes compoſita.*
XV. *De arreptitio apud Turold pervaſo, & ab eo curato.*
XVI. *De Vuillelmo-Longo.*
XVII. *De quinque fratribus infirmis, quos inſimul recuperavit.*
XVIII. *De Folcardo Geſtelenſi per ſanctum Arnulfum curato.*
XIX. *De muliere malivola rebelli, divina ultione exſtincta.*
XX. *De eccleſia ſancti Petri Apoſtoli ſibi collata.*
XXI. *De antiquitate & miraculis ejuſdem loci.*
XXII. *De muliere languida, quam apud* Aldemborg *ſanavit.*
XXIII. *De ſorore ejus in ſanctimonia functa.*
XXIV. *De adventu ejus in* Arvigahem, *& largitione nobilium.*
XXV. *De lumine cæleſti in atrio refulgente.*
XXVI. *De regreſſione ejus in Franciam, & repetitione cellæ.*
XXVII. *De ultimo adventu ejus in Flandriam.*
XXVIII. *De præſentia obitus ſui, vel ſepulturæ ſibi denuo datæ.*
XXIX. *De ægritudine ejus ante mortem.*
XXX. *De trina concuſſione cellæ in qua decubuit.*
XXXI. *De pio & ſancto tranſitu ejus.*
XXXII. *De oſtenſione tumuli ejus.*
XXXIII. *De extenſione dexteræ ejus poſt mortem.*
XXXIV. *De ſepultura ejus cum epitaphio.*

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

I. Mortuo Tedbaldo Epiſcopo Sueſſionenſi.

INterea Tedbaldum civitatis Auguſtæ Sueſſorum antiſtitem, juſſio divina ſuſtulit ex hac vita, cujus ſedem atque locum, quidam generoſus, nomine Gervasius, pro recompenſatione palatini ſervitii impetravit donari ſuo fratri carnali, nomine Ursioni; habitu quidem monacho, ab infantia litteris erudito, ſed ad epiſcopale officium moribus & animo nequaquam idoneo. Cujus ignavia vitæ & non canonicus acceſſus, haud longe poſt perſonuit ad aures Romani pontificis, nomine Gregorii: qui mox datis epiſtolis ad Hugonem Dienſem epiſcopum, & tunc Galliarum legatum, monuit ut vita & promotio Urſionis canonice diſcuterentur, & quicquid in his ſacris legibus obviaſſet ſynodali, judicio corrigerentur. Hinc accidit ut Hugo præfatus in civitate Meldis * ſuper amne Materna, Tedbaldo Comite * ſibi patrocinante, teneret Concilium: ubi ſecundum decretum domini Papæ, conceſſa Urſioni ſe purgandi facultate, poſtquam legitime vocatus eſt, canonice protractus ſe præſentare contemſit, judicio Epiſcoporum noxam ſubiit; ac proinde condemnatus, clero Sueſſonico ibidem præſtolanti electionis copiam patefecit. Tunc igitur conſultu Concilii pars ſanior cleri, & caſati eccleſiæ Sueſſonicæ elegerunt ſibi in pontificem, ſanctæ religionis cultorem domnum Arnulfum, per id temporis recluſum, & ut ſibi celeriter donaretur, inſtanter acclamaverunt. Sic facta & conſcripta concordi electione, Hugo legatus ſtatim è Concilio reverendas direxit perſonas ad cœnobium ſancti Medardi, mandans & monens per epiſtolas, etiam Romanæ Eccleſiæ auctoritate imperans, ut domnus Arnulfus cellam exiret, & concitus ad concilium Meldenſe veniret, alioquin ut inobediens anathema ſubiret. Tantæ juſſionis tonitruum expaveſcens, catholicæ Eccleſiæ revera filius Arnulfus, licet ægre, paruit mandatis Legati, venitque ad Concilium. Quo reſidente, repente relecta eſt petitio cleri & nobilium populi Sueſſonici domnum Arnulfum ſibi in Epiſcopum eligentis. Ex hinc fit vox Epiſcoporum, Arnulfum omni ſanctitate ornatum, ſuum collegam fieri poſtulantium. Sic mox tractus, & infulatus, & nec ad modicum ſe excuſare permiſſus, in conſeſſu Pontificum

* Meaux.

* Campaniæ.

Subſtituitur Arnulfus.

cum ſtatim eſt collocatus. Cui afflicto & mærenti Hugo Legatus in virtute ſanctæ obedientiæ ſacro injunxit mandato, ut deinceps Chriſti Eccleſiæ miniſtrare ſtuderet in pontificali officio. Jam ita conſtrictus ceſſit edictis: & deſignata conſecrationis die vel loco, rediit ad monaſterium ſancti Medardi, ut futuro itineri neceſſaria præpararet. Quibus copioſe paratis, non ſuo typo, ſed fidelium voto, profectus eſt cum quatuor monachis, & electis de clero, venitque in Campaniam in caſtellum Tedbaldi Comitis, quod dicunt Virtutes [a]. — Ann. Ch. MLXXXVII. Aug. XV.

II. Comes autem Tedbaldus cognito ejus adventu, cum magno militum ac nobilium comitatu gaudens eum excepit, obſequenſque intra tectum inducit. Jam hora autem veſpertina, in quodam remotiori triclinio vir Domini ſecretius reſidebat; & præfatus Comes cum perpaucis nobilium aſſidebat, ac de ſpirituali ſalute quæritabat, cum ſubito vultu mutatus & quaſi ſpiritu concitatus: Vocentur, inquit, ad nos illi duo fratres, Everolfus & Oſtermarus. habeo enim aliquid illis dicere. Nec mora, vocantur; veniunt. qui dum ſtarent ante illum, ait Oſtermaro. Poſtquam, Domino miſerante, ſæcularis militiæ ſupercilium dereliqui, pro viribus ſtudui, ne cui fratrum quamlibet injuriam aut contumeliam irrogaſſem; & quod ſollicite obſervavi, ab omnibus qui mihi adhærebant ſollicitus obſervari ſategi. Novi enim pœnam divino ore decretam ei qui ſcandalizaverit unum de puſillis. Cum hæc quam maxime vera ſint; quomodo, tu frater Oſtermare, huic confratri noſtro Everolfo tam infauſtam contumeliam dicere præſumſiſti: & nec timori Dei, nec pudori noſtro quippiam peperciſti? Vade & compone iter tuum rediens ad monaſterium, quia poſt tantæ ineptiæ profuſionem, tuam in via iſta non patior ſocietatem. Volo enim noſtri comites itineris fieri gratos, mites, benevolos, ſibi invicem ſervientes, ſermone circumſpectos; non rebelles, aut non ſubditos. At ille ſupra modum conſternatus, tremula voce reſpondit: Domine pater, ubi quæſo rebellis fui, aut cui contumeliam feci? prorſus nuſquam. Reſpondit ei Chriſti ſervus: Nonne aures meæ ad os tuum fuerunt, quando dixiſti fratri Everolfo, te malle ut caput ejus mergeretur in latrinam, quam tuus caballus ſolito ampliorem non haberet annonam? Crede nobis; tale quid dicere horruiſſes, ſi noſtræ gratiæ ullam curam habuiſſes. Tunc Comes Tedbaldus hæc audiens, & omnes qui aderant, nimium obſtupuerunt, quomodo rem ſecretam & quaſi furtive prolatam, tam expreſſe potuit cognoviſſe. Siquidem longe à ſe diſtabant camera, qua vir Domini reſidebat, & caballorum ſtabulum, ubi in diſtributione annonæ hoc fuerat dictum ſtultiloquium. Tandem provolvitur dicti reus ad veſtigia viri ſancti, provolvuntur & ceteri fratres, illi veniam ſuppliciter implorantes; quibus Dei famulus ait: Indulgeat tibi Dominus, ſed tamen in hac via noſter non eris deinceps ſocius. Tunc ille plorans & nimium triſtis ait: Eheu ſancte homo Dei, qualiter à te digrediar ſolus, vel qualiter tantum hujus repulſæ portabo opprobrium? Putabunt omnes quod nefandum ſcelus commiſerim, & idcirco à te ejectus ſim. Parce precor meo pudori; præſta veniam, ne perpetuo ſubjiciar mærori. Ad hæc conſurgit Comes Tedbaldus, & cum eo tota præſens nobilitas, fiuntque ſupplices pro monacho, poſtulant ei aliquod cauſæ remedium, ne majori impellatur exitio. — Fratrem injurioſum à ſe repellit.

III. Tunc vir Dei illius dolori compaſſus, fratrumque pro eo ſupplicantium, Comitis quoque ac nobilium votis condeſcendens, tulit eum in partem, & ait: Tu quidem ob nimiam ſtoliditatem tuam omnino regredi habebis: ſed nos per gratiam Dei tam honeſtam tibi cauſam injungemus, ut ex hac digreſſione nullum umquam patiaris dedecus. Sed mandatum quod tibi com- — Philippi regis filium naſciturum prædicit.

[a] Opidum Campaniæ diœceſis Catalaunenſis, ubi duo monaſteria, unum monachorum Ordinis noſtri, alterum vero monialium Ordinis ſancti Auguſtini.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XV.

mitto ſerva ſecretum, nec alicui dicas, niſi cui volumus fore nuntiatum. Itaque à nobis digrediens civitatem Pariſius venies, & reginam Bertham * vice noſtra viſitabis, & annuntiabis illi optabile gaudium, quia revera in utero geſtat filium, quem in ſacro fonte vocabit LUDOVICUM [a], quique poſt patris deceſſum Regnum tenebit Francorum. Illa tibi vix credet, quia infans vitalem motum nondum habet. Sed dic ei ut confidenter credat, quoniam poſt modicum temporis ſentiet quod portat. Sic monachus valde lætificatus arripit iter verſus urbem Pariſiorum, & Reginæ pandit amabile mandatum dicens.

* *al.* Bertradam.

Rex noſter dominus, tibi nunc Regina maritus;
Tu Regina pari ſenſu cupiens generari,
Sæpius Arnulfum rogitaſtis tuncque recluſum,
Exorare Deum vobis concedere natum:
Per proceres ſummos, per Pontifices quoque magnos,
Artius optaſtis quod per vos non potuiſtis,
Ut daret Eccleſiis tutorem Conditor orbis.
Catholicæ fidei perſonæ conſuluerunt,
Ut Dominum cæli precibus votoque fideli
Expeteret prolem, regnandi ſorte ſequacem,
Vobis & regno donari jure ſuperno.
Quod ſimul optaſtis, completum nuntio vobis:
Nam Dominus cæli compulſus mente fideli,
Contulit hoc vobis, ut detur gratia prolis.
Ventre geris puerum, quod debes credere verum.
Ille puer magnus, dum vivet mitis ut agnus,
Francis regnabit; ſuper hoſtes non trepidabit;
Peſſima delebit; LUDOVICUS nomen habebit;
Nec tamen hic vivit; nec eum vivax animavit
Spiritus, at Domini dono mox influet illi,
Arnulfi precibus fit filius iſte creatus.

Illa præ ſtupore palleſcit, Regemque Philippum venatibus intendentem, miſſis perniciter nuntiis evocavit. Qui curſim veniens, & legationem tam gratam avide ſuſcipiens, optatamque diu prolem à Domino ſibi conceſſam comperiens, cœpit gaudere & timere, multumque metu & lætitia fluctuare. Gauderet plane, ſi ex toto certus eſſet: metuebat ne talis promiſſio vacua remaneret. Tandem vicit in regali pectore fidei præſumtio, & prudenter decrevit non eſſe ſuperfluum, quod per talem ſervum Dei fuiſſet prophetatum. Noverat certe multiformi experimento, cujus ſanctitatis & veritatis exſiſteret, per quem tale præſagium proceſſiſſet.

Poſt his quinque dies infans vitalis haberi
Incipit, & matri ſucceſcit ventre gravedo.
Lætitiam tamen infantis ſic dixit habendam,
Ut dolor atque metus Reginam non gravet ullus.
Tempore condigno Rex naſcitur, hic Ludovicus
Pacificus, qui ſceptra gerens, bene jura gubernat.

In hujus igitur tanti Principis præſcita, immo impetrata nativitate, laudanda atque admiranda eſt famuli Chriſti Arnulfi devotionis induſtria, qui tanti myſterii arcanum, & meritorum prærogativa obtinere meruit, & profunda humilitate diſſimulavit. Nec enim aliquando Regi vel Reginæ

[a] De hac prophetia iterum Liſiardus libro 3. infra.

importunior exſtitit, ut ab eis aliquod peculiare requireret, quibus tanti gaudii beneficium extuliſſet; & cum Rex & Regina anhelarent, ut ei aliquid magnificum impenderent, nihil tamen umquam ab eis expoſtulavit, niſi ut pauperum curæ, & eccleſiarum deffenſioni intenderent: quatinus pax & veritas in eorum diebus prævalerent, & eccleſiarum tranquillitas imperturbata maneret. Anno [a] igitur Dominicæ incarnationis MLXXXI. Indict. IV. natus eſt futurus rex Ludovicus, orationibus ac meritis ſancti hujus Arnulfi impetratus, qui utinam ut bono fine potiatur ejuſdem ſancti ſuffragio ſit adiutus. ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XV.

IV. Ab Hugone Legato conſecratur.

Expleto igitur itinere, pervenit ad Hugonem Dienſem, ejuſque inſperato adventu idem Hugo gaviſus eſt pariter & turbatus; gaviſus, quod tam laudabilem perſonam excepiſſet: turbatus, quod ad ejus conſecrationem nullum Epiſcoporum invitaſſet. Sed totum Deo committens, repentino nuntio lætificatur, omniſque ei anxietas tollitur. ſequenti enim die præſentant ſe illi tres Epiſcopi, qui nulla neceſſitate de ſuis locis tunc exierant, ſed tacito inſtinctu ut legatum tunc inviſerent, ſe permotos palam aſſerebant. Patuit ergo omnibus divini conſilii manifeſtum arcanum, & quod revera hunc in Pontificem conſecrari ſuperno judicio eſſet præfixum. Omnia vero quæ ad opus conſecrationis ejus utilia videbantur, ſic parata & inconfuſa evenerunt, tamquam ſi divinis nutibus aptarentur. Poſito ſuper caput ejus ſacro evangeliorum corpore, cum Epiſcopi reſpicerent, invenerunt ſecundum Mathæum dicta Salvatoris, Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem. Dominica ante natalem Domini, quæ accidit XIV. Kalend. Jan. conſecratus eſt Epiſcopus cum magna gratia omnium, & cum tota proſperitate divini favoris ad ſedem Sueſſonicam feliciter eſt tranſmiſſus. Nec latuit populos Viennenſes inclita fama ejus; quin potius congregati mutuo ſe hortabantur, ut illum vi raperent, & ſuæ urbi Archiepiſcopum inthronizarent. Tunc etenim Vienna civitas Pontificis adminiſtratione carebat. Quo rumore latius pervagante, vir Dei feſtinavit exire fines eorum, accelerans exercere ſalutem animarum ſibi ſpecialiter commiſſarum, & vineam excolere, cui cultor fuerat & cuſtos ordinatus.

V. Cluniacum venit.

Sane Cluniacum monachorum agmine glorioſum, dum quaſi latenter permeans declinare diſponeret, fama comes virtutum non permiſit eum latere. Nam comperiens iter ejus & cauſam itineris HUGO abbas præcipuæ religionis, miſit velocius monachos ſuos in occurſum ejus, mandavitque, & conjurans per caritatem ſanctæ fraternitatis, ut nullatenus declinaret ab itinere ſacri cœnobii Cluniacenſis; ſed comitibus monachis obviam miſſis, properaret videre fratres ejus gaudentes, ejuſque benedictionibus avide confrui exoptantes. Quam tantæ humilitatis exſecutionem vir Domini expavit recuſare, & mandatis obtemperans, direxit viam ad venerabile cœnobium Cluniacenſe. Tunc collecto monachorum exercitu, magnoque decore exornato, obviam ei proceſſit, & beatum Pontificem eximia cum veneratione excepit; nec tantum propter Epiſcopatum, quantum propter prioris vitæ ſibi notum, & Deo gratum meritum. Nam antea idem vir ſanctus Arnulfus ipſius abbatis Cluniacenſis magiſterio & regiminio jugiter utebatur, unde & fama manaverat, quod in electione ipſius, eccleſia Sueſſionenſis conſilio ejuſdem Abbatis fuiſſet confortata. Quem honorifice ſuſceptum & benigne habitum ſedulus explorator obſedit, non typo curioſitatis, ſed fervore ſanctæ caritatis; proponens quæſtionem de ſcripturis, &

[a] Hæc quæ ſequuntur non habentur apud Surium, ſed eorum loco elogium breve Ludovici Regis. *Atque is eſt*, inquit, *Ludovicus, qui modo Francorum regni habenas moderatur, bella inteſtina pro viribus compeſcit, hoſtilia fortiter exagitat; quanto quidem in ipſo eſt pacis ſtudioſus, in armis ſtrenuus, in verbis cautus, prudens conſilio, in bello imperterritus, bonorum amans, ejus quæ rem decet probitatis, & integritatis cultor. cui tamen ſi quid regiæ perfectionis deeſt, non tam illi quam regni proceribus deputandum eſt.*

ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XV. earum ſolutionem ab illius ore eliciens, ut tali indagine reſcire poſſet, utrum in promtu haberet proferre nova & vetera, ne commiſſa ſibi eccleſia minus juſto ſpirituali aleretur doctrina. Denique ſic contigit, ut quem idiotam & agreſtem exſiſtere domnus Hugo pius Abbas extimuerat; zelo caritatis hunc doctrinæ fluentis exundare, & eloquii facundia non mediocriter vigere, lætus expertus ſit. Sed prædicti Hugonis vel brevem iſtic memoriam videre animus ſitit. Fuit nempe corpore & corde caſtiſſimus; monaſticæ inſtitutionis, vitæque regularis ſator & cuſtos perfectus; probatorum monachorum, & honeſtiſſimarum perſonarum nutritor indeſinens; & ſanctæ Eccleſiæ auctor * & deffenſor fervens.

** f. tutor.*

VI. *Sueſſionem ingredi impeditur.* Occupabat ſedem Sueſſonicam non Eccleſiæ jure, ſed palatii favore epiſcopus Urſio, Gervaſii regalis dapiferi germanus, & idcirco rebus epiſcopii utebatur, quoniam regius favor ob gratiam fratris eumdem comitabatur. Venienti igitur domno Arnulfo epiſcopo, & Sueſſionis civitatem intrare diſponenti, fit obvius iſdem Gervaſius cum turba armatorum, & monuit valde ne civitatem intraret, ſi tandem vivere vellet. Cui vir Dei conſtanti mente reſpondit: Scriptum eſt, dicente Apoſtolo, quoniam perfecta caritas foras mittit timorem. Et quia mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum, obedientiam Apoſtolico mandato mihi impoſitam conabor implere, ne non obediens merear improbari. Me decet audire * quæ juſſit Papa ſubire, opilio Chriſti non frangitur agmine triſti; habeat me Dominus Deus meus aut martyrem ſi interficior, aut confeſſorem ſi evado. caritas enim Chriſti urget nos. Ita dicens animal cui inſidebat calcaribus agitavit, ut civitatem velociter ſubiret. At Gervaſius injecta manu arripuit frænum jumenti, & torquens animal cum ſeſſore aliorſum digredi coegit utrumque. Vir autem Domini ſtatim ceſſit obſiſtenti, memor Domini dicentis, Amice ad quid veniſti? Intendebat & illud, quia nec in haſta nec in gladio ſalvat Dominus. Sic in quantum licuit obedientiæ mandatum implevit, & ſedem quam non cupierat tranquilla interim mente deſeruit: ſed excoluit pietate, quam viſus eſt deſeruiſſe corpore.

** f. adire.*

VII. *Officium Epiſcopi implet.* Verum quia non ſedes epiſcopum, ſed epiſcopus ſedem facit, & virtus majeſtatis per loca non ſcinditur; in quodam caſtello ejuſdem diœceſis, vocabulo Ulciaco *, ſolatio Tedbaldi Comitis, manſionem, ac ſedis vicariam ſibi ſtatuit: ubi convenientibus eccleſiarum prælatis, & ſenioribus de clero, concurrentibus etiam promiſcuis populorum cœtibus, pœnitentiam confeſſis & reparationem lapſis ſtrenue ac fideliter procurabat.

** Oulchi.*

Pontificis ſtudium colit omnis grex populorum,
Præſulis officium clerus ſitit eccleſiarum:
Conſecrat eccleſias, clerum docet, agmina firmat,
Prædicat, abſolvit, baptizat, chriſmate tingit;
Cœtibus haud ſtultis diffundit verba ſalutis:
Lapſis dat veniam, contritis corde medelam,
Se ſponſum viduis, patrem dedit eſſe puſillis:
Virginibuſque tamen ſtuduit conferre juvamen;
Exhibuit carum ſe cunctis, ſprevit amarum,
Eccleſiæ cultum coluit ſuper omnia multum,
Pervigil, exorans, mundi crimina plorans.
Nec tulit indignum famulis ſe ferre benignum,
Vir pius & lætus, prædulci famine fretus,
Omnibus omne gerens, ſceleratis valde reſiſtens;
Præſtans vitalem non ſe tulit exitialem,
Sic Domino gratus patuit, ſit mente beatus,
Fieret in Chriſto laus, gloria, ſorde carendo.

Digitized by Google

Commorante autem viro Dei in eodem loco, accidit graviter infirmari monachum ac preſbyterum EVEROLFUM, ipſi Antiſtiti per omnia devotum, quem pro utilitate ſui diligebat plurimum. Jamque iſdem pro acerbitate fervidi languoris credebat ſe moriturum, & idcirco poſtulavit Epiſcopum, ut ſacro eum oleo perungeret, ſuumque exitum ſuffragiis præmuniret. Cui Epiſcopus lumine prophetiæ illuſtratus, ait: Intempeſtiva ſunt quæ flagitas; quibus ideo non annuo, quia divinæ diſpoſitioni contraria ſcio. Nam non ego te ungere aut ſepelire habeo, ſed tu me alio tempore alioque in loco obeuntem, ungendo & ſepeliendo ſacris officiis proſequeris. Et ille ait: Ad veſtri tranſitus obſequium quomodo ego tantillus poſſim accedere, cum Epiſcopi vel Abbates illud debeant celebrare? Ad quem Præſul: Scias certiſſime quod ad meæ unctionis vel tumulationis exſequias, nullus Epiſcoporum aut Abbatum conveniet. Sed per tuæ dilectionis ſervitium omnia circa me complebuntur. Sed jam modo ſurge; ad eccleſiam vade, & Miſſam faciens, Salvatori noſtro gratias age. At ille dixit: Domine pater, viginti & uno diebus non manducavi, & quomodo imperas ut ſurgam, vel ad eccleſiam pergam, dum corporis vires nullas habeam? Tunc Pontifex alludens tenuit manum ejus, & dixit: Ecce dico tibi, in nomine Jeſu-Chriſti velociter ſurge: & quæ tibi imperavi hilariter comple. At ille ſurrexit, & ſeipſo fortior ad eccleſiam ivit; orationem fecit, Miſſam cantavit. Reverſo ab eccleſia ipſemet vir Dei cibos appoſuit, poculum miniſtravit, & ſic ſaniſſimum factum, eodem die in comitatu ſui itineris illum ſocium habuit.

[Margin: ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XV. VIII. — Monachum infirmum ſanat.]

Idem vir Dei ſanctus aliquando ab eodem fratre requiſitus, quando & quomodo vel ubi futurus eſſet tranſitus ejus, reſpondit: Non multum tempus ſucceſſerat, poſtquam divinæ voluntatis conſilio Epiſcopus, licet indignus, ordinatus ſum, cum ſentirem monachos ſancti Medardi & clericos eccleſiæ [a] ſancti Gervaſii invicem altercari velle pro exuviis futuris corporis mei; totis viſceribus imploravi Regem cui omnia vivunt, ut dignaretur aperire mihi quando, & ubi præfixus eſſet tranſitus de corpore mortali, ſive locus deputatus meæ tumulationi. Et quadam nocte his precibus incumbenti, adſtitit viſio beati Petri Apoſtoli, talibus verbis me inſtruens atque confortans. In regione Flandriæ eſt locus Domino noſtro Jeſu-Chriſto, ſub titulo nominis mei conſecratus, ubi multa ſigna Chriſto volente facta ſunt, ad cujus honorem vel provectum renovandum impetravi à Domino, ut in eodem loco debeas ſepeliri: qualiter te Chriſto glorificante, idem locus ſplendore meritorum tuorum illuſtretur, & ad lucem ſanctæ religionis, te inchoante, reducatur. Cui ego: Domine cum ille locus ex toto mihi ſit ignotus, & à diœceſi mihi commiſſa alienus, qua ratione potero illuc venire ſepeliendus? Ille reſpondit: Tu audiſti quamſæpius, quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum. Proinde de hoc non ſolliciteris: quia mox ut erit tempus, paratum eſt Domini opus. Romanus Pontifex tibi mandatum injunget, per quod adventus tui in Flandriam fiet cauſa. Pax Chriſti tecum, pax noſtra ſimul comitetur in ævum. His talibus monitis confortatus, credo quod non erit vacuum, quod dignatus eſt ſpondere primus Apoſtolorum. Sed & tu, cariſſime, cuſtodi diligenter, ne talia cuiquam quamdiu ſpiro audeas confiteri.

[Margin: IX. — Tempus & locum ſui obitus à S. Petro diſcit.]

Populorum frequentia undique ad eum properante, quorum morbis expiandis attentius inſudabat, quadam die in exedra ſtans, & per feneſtram foras proſpiciens, vidit in platea ſubjacente hominem anhelum gradientem, & ſuper collum plancam bajulantem; moxque dixit circumſtantibus clero & militibus: Planca illa quæ eminus bajulatur rapina eſt. Circumſtantes reſponderunt: Et unde hoc agnoſcere, ô domine, potuiſti? Reſ-

[Margin: X. — Furem occultum detegit.]

[a] Ea eſt eccleſia Cathedralis Sueſſionenſis, quæ ſub SS. Gervaſii & Protaſii titulo Deo dicata eſt.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XV.

pondit Dei ſervus: Certiſſimum habeo rapinam eſſe: quoniam hac eadem hora, auctor rapinæ diabolus collum hominis inſidiando premit. Aiunt ei: Et poſſumus requirere, an ita ſit? Dicit ſanctus: Facite ut vultis. Mox de illis unus pro omnibus in agilem curſum ſe celeriter dedit, & gerulum plancæ ſic affatus: Heus tu ô homo. Planca iſta, quam ſic anhelus bajulas, unde rogo tibi provenit? Reſpondit ille: Apud Nantolium villam in quodam aſſultu interfui: & hanc ibi plancam rapiens acquiſivi. His percunctator auditis, ad eos qui ſe miſerant celer rediit, & viri Dei teſtimonium ex toto fuiſſe veridicum, ſtupentibus nuntiavit. In hoc autem quædam ſimilitudo eſt de beati virtute Martini, qui quondam ad Avitianum [a] ſuperbum Comitem veniens, diabolum ſuper caput ejus incubantem aſpexit.

XI. Quodam tempore dum cujuſdam vici plebitaneam eccleſiam eſſet dedicaturus, clientibus ſuis & viæ ſociis futuris dixit: Tali rogo ſemita ad illam nos eccleſiam conducite, qualiter confluens populus neſciat qua nos illo via debeamus pervenire; & aliquid alimentorum vobiſcum comportate, ut poſt itineris laborem, vel ad modicum valeamus corpora recreare. Itaque ſemita remotior ac devia arripitur, nec tamen fervor populi ſitientis hoc argumento ſedatur: ſed ſub omni celeritate grandis multitudo ante illum & poſt adunatur. Quod cernens Dei ſervus, in laudem Conditoris erupit, & famulantibus ſibi dixit: Quicquid alimentorum hic habetis proferte, ut poſt laborem viæ vires corporum valeamus reparare. Nec mora, proferuntur clauſtrales panes quinque, vini quoque funduntur quinque vaſcula, juxta modum clauſtralis juſtitiæ: & expanſis in herba tapetibus, vir Domini reſedit, proflua turba illum gregatim ambiente. Tunc benedicens panes, paucos quidem numero, ſed multos numeri myſterio, juſſit omnibus qui undique conſidebant, ex eodem pane diſtribui, vinum quoque illis ad ſatis propinari. Res itaque tunc geſta, in hoc viſa eſt digna magno miraculo; quoniam ille panis, illudque vinum tam abunde cunctis ſuffecit, ut dicerent ſe bene refectos, & copioſe ſatiatos. Etiam quidam illorum, de illo pane ſpe credula quaſdam particulas reportarunt; quæ languentibus poſtea appoſitæ, guſtu ſui ſalubre remedium præbuerunt. Manducantium vero & gaudentium caterva, præter Præſulis comitatum, ſeptingentorum numerum ſuperavit.

Panem & vinum multiplicat.

XII. [b] ROGERUS comes Porcenſis in caſtello, quod vocatur Calvus-Mons [b] Remenſis provinciæ, eccleſiam conſtruxit: ad cujus dedicationem faciendam, magnis precibus invitavit ſanctum Arnulfum Sueſſionenſem epiſcopum. Ventum eſt uſque ad id, ut, baſilica conſecrata, altare conſecretur. Et tunc reſidente Epiſcopo & paullulum reſpirante, acceſſit Comitiſſa ducens in manu ſua mulierem quindecim annis cæcam, & genu flexo ante illum ait. Pie domine, miſerere huic miſellæ, & tua ſancta oratione, tuæque manus impoſitione, lumen illi oculorum ſuorum clementer reſtitue. Illo autem negante, & ſe indignum magis clamante; cæca mulier dixit. Epiſcope Dei, ne differas, quoniam cælitus mihi eſt promiſſum, quod tactu manus tuæ lumen recipiam oculorum. Et ille ſtatim lacrymis ſuffuſus oravit, dexteram cum ſigno crucis oculis mulieris appoſuit: & continuo lumen clarum mulier ipſa recepit. Hujus miraculi inſpectores fuerunt ALGELRANNUS vir facundus, beati viri tunc Archidiaconus, & poſtea Laudunenſis epiſcopus. RADULFUS-Viridis, poſtea Remorum Archiepiſcopus, ad quem ſcilicet hujus operis præfatio dirigitur; Abbates convocati,

Cæcæ viſum reddit.

[a] De Avitiano Comite agit Sulpicius Dialogo 3 de virtutibus S. Martini.

[b] Calvus-mons, vulgo *Chaumont*, opidum diœceſis Remenſis prope Caſtrum-Porcenſe, vulgo *Château-Porcien*. Eccleſiam de qua hic mentio, abbatiæ titulo illuſtratam nunc poſſident Præmonſtratenſes, ut notat Marlotus Metrop. Rem. tom. 2.

Digitized by Google

& præpoſiti eccleſiarum plures; ipſe Comes Rogerus, & Comitiſſa ejus; clerus multus & populus infinitus, quorum voce laus Dei noſtri celebrata eſt celſa voce, pro honore rei geſtæ cunctis vociferantibus: *Te Deum laudamus*. ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XV.

XIII. Qualiter ſane regionem Flandrenſium petierit, & quæ cauſa illum ad illas partes retraxerit, competens deſcriptionis ordo jam narrandum expoſcit. RODBERTUS [a] igitur tunc Comes Flandrenſium infeſtus fuerat quibuſdam nobilibus ac ditioribus gentis ſuæ, qui hoc conſilium tractaverunt, ut Rodberto feroce Comite dejecto, mitiorem, ut putabant, principem ſibi providerent, BALDUINUM ſcilicet Comitem Montis-Caſtrorum. Tale conſilium illorum poſtquam Comiti Rodberto innotuit, omni molimine ſuos proditores intercepit, aliquantos perimens, aliquantos proſcribens, quoſdam etiam rebus & honoribus nudatos extra patriam exſulare compulit. Inter quos Arnulfus Morinorum archidiaconus, & eccleſiæ beati Audomari * præpoſitus, de omni ſua rerum vel officii facultate depulſus, multis diebus profugus, intolerabilem calumniam eſt perpeſſus. qui ſero ad cor rediens, Romanum papam, nomine Gregorium, expetiit, & quanta calumnia gradus ſui honorem & rerum facultatem amiſiſſet, proclamavit lacrymabiliter. Tantæ ejus & ſibi ſimilium calamitati compatiens domnus Papa, decrevit ſuis epiſtolis animos Comitis Rodberti turbidos & feroces ad lenitatem provocare, ut ſuſpectis ſuis plene indulgeret, aut certe facultatem ſe purgandi concederet. Sed quia nemo potuit inveniri, qui Apoſtolici litteras in præſentiam Comitis tam offenſi defferre præſumeret, res in longum dilata eſt. Tandem memoriam ſubiit conſtantia ſanctitatis, & fervor caritatis hujus ſancti viri Arnulfi Sueſſionici epiſcopi. idem in palatio domini Papæ celebre innotuit, hunc eſſe proculdubio qui Apoſtolici mandata Comiti Rodberto præſentare incunctanter prævaleret. Tali tandem conſilio animatus domnus papa Gregorius, ſcriptas & bullatas epiſtolas dirigit reverentiſſimo pontifici Arnulfo, mandans & imperans, ut litteras interventrices & perſonas de quibus agebatur, ad præſentiam Comitis Rodberti in ſuo conductu offerret, illiſque veniam vel copiam ſe purgandi ad honorem Apoſtolicæ Sedis impetraret. Hac igitur cauſa bifariæ juſtitiæ, id eſt obedientiæ principalis, & fraternæ compaſſionis, alligatus vir pietate fortis, non immemor Apoſtolicæ ſibi præoſtenſæ ſponſionis, cum quibuſdam illorum venit ad opidum, Inſulam [b] nuncupatum; ubi reperto Comite Rodberto, ſacra Apoſtolici præſentavit. Quæ dum legerentur, interim accuſati clam ſe ſubmittentes tenuerunt pedes ejus. O furor! ô rabies! ô motio fellis amara, quæ tunc fronte, oculis & toto vultu Comitis ferbuerunt, quando ſenſit exoſos ſuos tetigiſſe pedes ſuos. Sed quid illa ferocitas ante virum juſtum faceret? Affuit ille, qui reſpicit terram & facit eam tremere, & tam obtentu ſanctitatis ejus, quam pro reverentia ſedis Apoſtolicæ, ſalus & vita rerumque facultas indultæ ſunt. Ecce quam vera & quam miranda ſunt conſilia Dei! Quis hoc excogitare potuit, ut nequitia proditorum verteretur in occaſionem ſalvandorum populorum! quis ſcire vel cogitare potuit, ut grandis furor irati Comitis rediret ad magnum honorem famoſi Præſulis! Sed interim ſileat omnis caro, ut appareat quid Jeſus Dominus decreverit operari in ſervo ſuo.

Flandria turbata huc à Papa mittitur.

* *S. Omer.*

XIV. Quia nempe illo in tempore per quædam, immo per cuncta Flandriæ loca, quotidiana homicidia, & inſatiabiles humani ſanguinis effuſiones pacem & quietem totius regionis turbaverant, ob hoc magnis precibus maxima nobilium multitudo impetravit, ut loca in quibus maxime atrox cru-

a Robertus Friſo, vulgo dictus, qui pulſis Richilde Balduini Comitis relicta ac ipſius filiis, comitatum Flandriæ occupavit.

b Hodie urbs eſt Flandriæ inſignis, immo ejus caput, vulgo *l'Iſle*.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XV. delitas ſæviebat, Præſul Domini viſitaret, & mentes Flandrigenarum indociles ac cruentas, de pacis ac concordiæ bono aliquatenus commoneret. Qui in ſpiritu ſentiens hoc acceptum coram Deo, &, ut præſcriptum eſt, ſciens divina juſſione, & beati Petri Apoſtoli interventione huc oportere venire; tanto citius acquievit eorum precibus, quanto certius adſpiciebat hæc omnia actitari divinitus. Nobilium itaque ac magnatorum ſtipatus caterva venit ad Brugenſe * opidum, & inde in Flandriam interiorem ad Aldeburgenſem vicum. Quibus in locis tanta rabies occidendi, tantuſque inerat furor ulciſcendi, ut humano ſanguine aſſidue cruentari jocundum haberent; & vel una die à cædibus ceſſare, ignavum atque improbum æſtimarent. Vix pater filio, vix filius patri parcebat: frater germanum, nepos avunculum vel patruum, quin & patruus nepotem pro modica cauſa neci tradebat. Horum autem diabolicam rabiem, & tam Brugenſium quam Furnenſium * ac Aldeborgenſium inſanam perniciem, vir Domini Arnulfus verbo dulciſluæ prædicationis & exemplis eximiæ ſanctitatis mirabili modo manſuefecit, & corda crudelium ad concordiæ tenorem, licet valde laborioſe, complacavit. Nam inſtante illo, & opportune atque importune prædicante, & crebrius ſe illorum veſtigiis proſternente, tandem inimicitia ſopita eſt, & de infeſtiſſimis inimicis, in tenaces amicos artius ſunt confœderati.

* Bruges.

* Furnes.

XV. Diſſidiis ſopiendis laborat.

Hac in re enixius laborans venit in villam, quæ appellatur *Turhold.* nam & ibi hoſtis antiquus ignem litium flammaſque rixarum ſpiraverat. Cumque proximos effuſi ſanguinis alloqueretur, ut pacis fœdera inirent, & diabolica incendia ſopirent; erat ibi quidam, nomine Herradus *, Herradi filius presbyteri, qui maluit ſurda aure monita pacis ſpernere, quam ſeipſum vel proximos ad pacis ſtudium informare. Atrium itaque eccleſiæ, in quo ſtabat Epiſcopus, viſus eſt exire, ut abſens monita juſtitiæ pronius poſſet declinare. Dictumque fuit Epiſcopo: Ecce unus recedit in quo quam maxime cauſa conſiſtit. Statim Epiſcopus è veſtigio proſecutus, utque ad Comitis ſtationem, illum ſubſequendo, pervenit; & ante pedes illius ſolo tenus proſtratus humiliter exorabat, ut ad concordiam pacis redire debuiſſet. Ille vero typo juvenilis arrogantiæ inflatus ſubſiſtere noluit, ſed veritus ne ab aliis teneretur, in fugæ curſum perniciter ſe laxavit; fugienti vero malignus ſpiritus inſiluit, & in amentiam verſum ſeipſum dentibus & ungulis dilacerare coëgit. Quo comperto, amici vel affines venerunt, & ligaverunt amentem & dæmonio plenum, & pertraxerunt ſtridentem & motibus repugnantem in domum patris ſui. Deinde adeunt ſanctum Epiſcopum, obſecrantes plurimum ut ſuperbo & fatuo ignoſceret, nec injuriæ irrogatæ memor eſſet. Quibus ſervus Domini dixit: Injuriam pro veritate illatam amplector; ſed de cordis illius ſtoliditate plus afficior: unde ſi vultis ut pro illius liberatione Dominum exorem, facite nobis certitudinem, ut vos omnes, velit ipſe aut nolit, teneatis firmam pacem, & ſi litigium aut ſeditionem commoverit, nemo ex vobis ferat illi ſolamen. Una omnes voce dixerunt: Anathema ſit inter nos quicumque auxilium illi dederit, niſi ad cuſtodiendos ſermones veſtros. Ita Epiſcopus quaſi promiſſis delinitus, aquam benedictam cum exorciſmi permixtione confecit, de qua juvenis aſperſus, ſtatim diaboli pervaſionem evaſit, & ſenſibus ſuis ſobrie functus, pacem & concordiam ſpeciali devotione ſervavit.

* al. cod. Eraldus, Eraldi.

XVI. In eadem villa *Turhold*, geſtum fuit aliud non minus mirandum. Quidam miles Aldemborgenſis indigena, nomine VVILLELMUS, ſtatura & agnomine Longus, habuerat filium jam adultum tyrocinio mancipatum, ſed furtis & rapinis plus intentum. qui filius dum quodam tempore in domo cujuſdam Sigeri luce clara rapere niteretur, ab ipſo Sigero gladio percuſſus citius mortuus eſt. Qui Sigerus cernens ſe peccaſſe in morte tyronis,

Digitized by Google

nis ; quamvis juſte peremti : adiit venerandum ſanctumque virum Arnulfum epiſcopum , rogans ut medelam verborum adhiberet , ad ſanandum ulcus tanti piaculi. Vir autem ſanctus, qui ſeipſum obtulerat in præparationem evangelii pacis, impiger exiit in campum Sigeri, ſubiturus duellum contra potentias diaboli , & armatus ſcuto fidei, viriliter decertavit rapere vaſa fortis maligni. Adunatis vero cum peremtore juvenis propinquis ejuſdem interfecti, ſeminavit verbum juſtitiæ, verbum veritatis & pacis; & auctore Deo, pacificavit Sigerum cum Vuillelmo-Longo , videlicet patre interfecti. Poſtea Vuillelmus à quibuſdam malignis increpatus, cur filii mortem tam leviter indulſiſſet , cœpit pœnitere de benefacto , & iterum cœpit locum captare , quo ſumeret vindictam de Sigero. Nec cedebat ei locus ultionis, donec recurſu temporis, circa feſtum ſancti Johannis in nundinis Turholdenſibus , veniente fortuitu Sigero ut veſtem emeret; illum Vuillelmus gladio acutiſſimo cervice tenus perculit, & exſanguem factum , non mortuum , in cartallum quo veſtes jacebant dejecit. Statim omnes nundinæ turbatæ ſunt ; fit clamor & indignatio in populis , cur Comitis pacem temerare præſumſiſſet. Curritur ad Comitem, qui præſens in domo ſua *Turholdi* conſiſtebat : nuntiatur ei probroſe illum jam nihili valere , qui ſuas celebres nundinas nequiſſet defenſare. Proſilit Comes Rodbertus animo efferatus, jubet continuo percuſſum & percuſſorem ſibi ſiſti. Interim audit à ſuis militibus, quod Vuillelmus-Longus hujus audaciæ præſumtor fuiſſet, & in ultionem occiſi filii nundinas exturbaſſet. Jam Comes aliquantiſper mitigatus reſpondit , Vuillelmum-Longum ſeu militem ſtrenuum, diligo ut filium : ſed hoc redarguo, quod filii mortem per ſanctum Arnulfum epiſcopum perdonatam atque pacificatam , denuo ultum repetivit. Interea deducitur coram eo percuſſus , trepidans quidem ſed illæſus : videtur cervix ejus non gladio percuſſa , ſed quaſi rubeo filo præcincta. Tunc Comes ait ad Vuillelmum : Miror tuam temeritatem , ſed plus horreo tuam tantam debilitatem. quandoquidem enim parcere noluiſti, cur tam pueriliter ferire non erubuiſti, ut manus feminea non virilis dextra in iſta cervice compareat. Agnoſce igitur quoniam nec gladii nec dexteræ cauſa fuit ; ſed imperio ſummi Dei id actum eſt, qui non permiſit vulnerari cervicem, quæ per documenta tam ſancti viri ſponte ſuſceperat pacem. Sic Comes, ſic Comitis proceres , & milites prædicabant, quod quidquid ſanctus Arnulfus pacificaſſet, fixum & inviolabile Dei nutu permaneret.

ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XV.

Intra terminos parochiæ Geſtelenſis, quæ ſubjacet diœceſi Tornacenſi, eſt quædam vena terræ nigra & quaſi ſubrufa, quæ crebris paludibus interſita, non facile poteſt tranſiri. In his vero locis moratur genus hominum atrocitatem ſemper geſtiens, ut vulgus Scytharum. Ad hæc loca vir Domini pertractus , ut inter tales verbum pacis ſeminaret. Conventus eſt à quadam anicula, lacrymoſis planctibus ita clamante : Sancte ſerve Dei, miſerere mei , & dignare intrare in tugurium paupertatis meæ , ſicque videbis multiplicem & diuturnam pœnam afflictionis meæ. At ille manſuetus & humilis, memor ſemper nominis Chriſtophori cælitus ſibi inditi, intravit tectum viduæ pauperis , ut videret cauſas declamatæ calamitatis. Jacebant enim in lectulis quinque filii ejus , uno eodemque languore conſtricti , quorum nullus alium poterat juvare , vel in aliquo ſupportare. Tunc mulier dixit : Vide , ſerve Dei, quanta ſit mea miſeria, quantus dolor me angit , quanta triſtitia me affligit. ſervio ſola quinque viris, curro & feſtino ab illo ad illum , ab iſto ad iſtum, & minime placeo famulando. Tunc vir Domini nimia compaſſione congemiſcens, tacitus oravit ; deinde aquam benedictam conficiens, totam domum & infirmos aſperſit, & eiſdem ſic imperavit. In nomine Domini noſtri Jeſu-Chriſti recedat à vobis languor iſte, ut ſtatim convaleſcatis , & matrem veſtram tot doloribus addi- XVII.

Quinque fratres infirmos curat.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XV. ctam ſerviendo vobis fatigare non egeatis. Affuit continuo virtus Domini, & ſtatim conſurrexerunt, atque cibos diu exoſos avide ſumſerunt. Sequenti die lavacra ſubierunt, ac deinceps omni incolumitate viguerunt.

XVIII. Contemtor ſancti viri punitus.

Folcardus quidam accola Geſtelenſis, alacer & robuſtus, nec tam utilis quam temerarius, beatum Præſulem de pacis gratia colloquentem contemnendum putavit. Qui dum faciem viri Dei fugeret, repente eſt traditus maligno ſpiritui; à quo diſcerptus & miſerabiliter laniatus, ab amicis vel propinquis vix potuit coërceri. Et hic non ſua fide, ſed aliorum prece per beatum Pontificem à dæmone purgatus, didicit jam ex paſſione, quantum beato viro impendere debuiſſet amoris & reverentiæ.

XIX. Item mulier.

In vicinio Furnenſis caſtri habitavit quædam vidua, nobilitate & opibus fulta, nomine Evergerda, cujus maritum ſimulque filium atroces inimici peremerant, & pro quorum interitu graves inimicitiæ interfectoribus undique incumbebant. Nam pro morte duorum omnis illa regio conturbata fuerat, dum alii vindictam, alii defenſionem homicidarum molirentur. Ad quod malum compeſcendum Domini præſul ſanctus Arnulfus ſponte ac promte properabat, ubicumque de pace & concordia eſſet agendum. Venit ergo aſello vectus ad domum illius divitis viduæ, contra quam vox Apoſtoli inſonat dicens: Vidua quæ in deliciis eſt, vivens mortua eſt. Talis illa cum eſſet, beati viri ingreſſum omnino noluit; ſed ante ſuam portam pontem levatorium erigi juſſit, ne pateret ingreſſus, neve daretur effectus votis hominis Dei. Ille tamen non deſtitit prædicare, arguere, obſecrare, ut interfectoribus filii vel mariti pro refrigerio animarum ipſorum indulgeret, & quos crudeliter odiebat, amicos ſibi confœderatos effici conſenſiſſet. Illa vero neque preces ejus, neque monita ſuſcipere voluit; ſed in ſui perſiſtens tumore animi, famulum Chriſti de aſelli ſeſſione, & de veſtis humilitate ſubſannando deriſit, & à ſe repulit, ſed non impune. Nam poſtquam Præſul gemebundus ab ea receſſit, gravis illam divinæ animadverſionis vindicta percuſſit. Poſt modicum quippe temporis, manente cæli ſerenitate, quidam levis turbo conſurgens, domum ejus concuſſit & contrivit, in qua ruina deprehenſa, repentina morte percuſſa interiit. Ubi valde miranda res contigit, quod in eadem domo cum eſſent famuli & ancillæ plures, porci vel canes, gallinæ, anſeres, columbæ atque hirundines, nihil tunc ibi periit, niſi irreverens femina, nec quodlibet animal vel quippiam læſum fuit.

Funditus exſtincta docuit non dogmata ficta,
Quæ monuit ſanctus vindictæ pondere tantus,
Femina ſic fortis, fit juſte filia mortis.

Hujus certe ultionis fama volans, perterruit corda duricordium Flandrigenarum, ut nemo auderet viro Dei reſultare, vel ſacris ejus monitis non obedire. Erant eo tempore in vico Aldenborgenſi duo veſanæ animoſitatis adverſarii, Conon unus, alter Robalinus: quorum Robalinus Cononis patrem, nomine Hidonem, dolo peremerat: alter alterius amicos & domeſticos trucidabat, alter alteri quæcumque poterat privatim & publice mala ingerebat. Horum quoque mentes dæmoniis plenas, ſuarum documentis prædicationum, & terrore frequentium ſignorum ad gratiam pacis convocavit. Talibus congratulans Comes Rodbertus, totaque gentis nobilitas, gaudio magno gliſcebant, quod talem ſuis temporibus Chriſtus Dominus tribuiſſet miniſtrum, qui curam omnium paterno affectu gereret, & viam vitæ omnibus, exemplis propriorum actuum declararet. Et jubente Comite Eremboldus prætor, aſſumtis ſecum prudentibus viris, in Brugenſi palatio, ſupputatis per nomina interfectis Brugenſis coloniæ, vel aliorum loco-

Digitized by Google

rum, unde perſonarum notitiam colligere potuerunt; invenerunt & ex ſcripto indiderunt, quoniam expenſio decem milium marcarum argenti meri non potuiſſet perſolvere, quod gratia Dei per hunc veritatis miniſtrum dignata eſt moderari. Hinc factum eſt, ut virum ſanctum omnis homo tam potens quam impotens medullitus adamarent, illumque ſecum anhelanter habitare peroptarent. Et hinc toto conamine cœperunt diſquirere, quonam in loco ſacer Præſul utiliter ac honeſte valuiſſet reſidere. ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XV. *Quantum Flandriæ profuit.*

XX. Eccleſia erat in opido Aldenborgenſi, ſub honore ſancti Petri apoſtoli & omnium ſanctorum Apoſtolorum antiquitus fundata, divinis miraculis frequens & famoſa, quam quidam nobilis & multum locuples, nomine Conon, frater Everardi Tornacenſis, in rationem beneficii de Flandrenſi Comite habebat, Comes autem hanc eamdem ab Epiſcopo Tornacenſi tenebat. Hunc Cononem inflammavit timor Dei, ſuggerente fideliſſima conjuge, nomine Huzecca *, ut eccleſiam ſancti Petri apoſtoli, quam terribilem fecerant divina miracula, immunem ſui juris, liberamque perageret, & ad laudem Dei Abbatiam monachorum inſtauraret. Oportebat enim impleri ſuperius ſcriptam beati Petri ſponſionem, quam ad ipſum Præſulem factam retulimus, tam de loci ſtructura, quam & de ipſius ſancti viri obitu & ſepultura. Ordinatione vero Dei peractum eſt, ut reddente Conone Comiti eccleſiam quam tenebat, Comes hanc eamdem Tornacenſi epiſcopo, nomine RADBODO, reddiderit. Radbodus quoque epiſcopus cum Galtero Archidiacono, laudante clero & gaudente populo, liberam & expeditam condonavit epiſcopo Arnulfo, illique canonicam de eadem fecit inveſtituram.

* *al.* Zazecca.

Eccleſia Aldemburgenſi donatur.

XXI. Hanc denique eccleſiam, ſeniorum traditio ab abbate USMARO [a], temporibus Dagoberti regis Francorum, commemorat ædificatam, quam majeſtas Domini diverſis revelationibus ſignorumque oſtenſionibus multotiens mirificavit. Cæci viſum receperunt, ſurdi auditum, muti loquelam, paralytici vel contracti reſtaurati ſunt; & omnis morbus vel ægritudo optatam ibidem receperunt ſalutem. Anno autem Domini MLXXXI *. ſacra nocte natalis Domini, factus eſt ventus vehemens & validus, qui turres urbium & tecta domorum ac ædificia plura eccleſiarum concuſſit, fregit & dejecit. Eadem nocte ejuſdemque venti turbine campanarium eccleſiæ ſancti Petri evulſum eſt à ſuis cardinibus, & ſupra tectum turris in qua ſtabat verſus orientem projectum, ita ut per ſex dies ac noctes cerneretur pendulum, quaſi ſemper eſſet ruiturum. Congregati mane loci habitatores, ſub omni celeritate convocant architectos, ſtatutis præmiis ſi illud revocarent munerandos. At illi multa promittunt, reſtes præparant, baliſtas erigunt, ligamenta conſuunt, & multimoda artis argumenta componunt. Et dum populus præſtolaretur adinventas artificum machinas, quibus campanarium ſperabatur reformari, ante noctis medium, pridie Calendas Januarii, advenit virtus de cælo in viſione ignis, & campanarium quidem ſuis ſedibus firmiſſime relocavit, eccleſiam vero intus & foris flammeo lumine veſtivit. Hæc me ſic referre puderet, niſi teſtes mille ſe vidiſſe perhibuiſſent [b].

* *al.* mendoſe MXCI.

Campanile mire reſtitutum.

XXII. Habebat in uſum catholicæ fidei conſervator, ut ſi quando ægrotus ad illum cauſa medelæ acceſſiſſet, mox prælato ſigno crucis manum illi imponeret, & verba Evangelii decantaret tertio dicens: Super ægros manus imponent & bene habebunt. Quibus ita tertio dictis, recedebant languores, ſanitas ſequebatur. Talia prænoſcens quædam mulier Aldenborgenſis opidi indigena, venit ad eum ubi tunc manebat apud ſanctum Petrum, & oravit dicens: Rogo te, ſancte Epiſcope, tange & benedic caput meum,

Mulierem à capitis dolore ſanat.

a Vitam S. Urſmari abbatis Laubienſis dedimus ad an. 713. Sæc III. parte I. pag. 246. cum Appendice in qua nonnihil habetur de hac eccleſia Aldeburgenſi ab eodem Urſmaro exſtructa.

b Eodem modo iſtud miraculum refert Sigebertus auctor æqualis, in Chronico, ad hunc annum MLXXXI.

Ann. Chr. MLXXXVII. Aug. XV. ut ſanari valeam à tantorum afflictione dolorum. Cui Præſul: Quid moleſtiæ patiaris, vel qua nos ratione adieris, edicito ſoror. At illa ſubjunxit: Longum tempus tranſegi in acerrimis doloribus capitis, qui in tantum me exagitant, ut phreneſim me pati homines credant, & die nocteque aliqua requies in me non habeat locum: dormire, manducare, vel operis quid exercere numquam poſſum. Tot mihi malis oppreſſæ apparuit quidam divinus monitor dicens: Vade ad Arnulfum epiſcopum, & pete ab eo ut caput tuum tangens benedicat, & continuo ſanaberis. His compulſa cauſis venio, & promiſſam ſanitatem expoſco. Ad quam mox Epiſcopus ait: Secundum fidem tuam fiat tibi. Similiter & tangens benedixit, moxque capitis dolor cum caloris immoderantia deletus eſt.

XXIII. *Oda ſoror S. Arnulfi.* Adhuc eodem in loco conſiſtente viro ſancto, venit quidam de Hieroſolymis peregrinus, & nuntiavit illi dicens: Domine, ſoror veſtra domina ODA, mihi Hieroſolymis locuta, nimium efflagitavit, ut dicerem vobis, quoniam quantumcumque prævalet, laborat & feſtinat, ut ante veſtrum tranſitum vos in carne videat, vobis loquatur, remiſſionem delictorum, & agendæ in reliquum vitæ normam, atque conſilium à vobis præſens petat atque accipiat. Hæc vero ſumma petitionum illius eſt, ut veſtra oratio ad Dominum fiat, impetrans ut vos non recedatis donec veniat, & ipſa non moriatur donec dilectam ſibi veſtram faciem videat. Tunc ait homo juſtus: Oda ſoror noſtra, & in Domino germana, quamvis feſtinet, avide properet, fruſtra contendit, in vanum laborat, in vanum concertat adipiſci quod Dominus aliter diſpoſuit. Videat & contempletur actus noſtros, & ſtudium timendi Dominum. Itaque hæc pudiciſſima mulier properans & feſtinans, nec aliquam ſibi requiem attribuens, celeriter intravit *Aldemborg*, & invenit fratrem ſepultum octo dies habentem in monumento.

XXIV. *B. Arnulfi erga S. Medardum devotio.* Sed ut ad ordinem revertamur. Beatus ſanctus Chriſti miles Arnulfus, menſe Junio ſubintrante cœpit curioſe requirere ſicubi haberetur memoria ſancti Medardi, cupiens ſollemnitatem ejus, quæ eſt ſexto Idus Junii, in eccleſia ejuſdem nomini dicata celebrare. Illo ſic ſollicito intimatum eſt, in fundo nuncupato *Ervingahen*, ſtare eccleſiam beati Medardi nomine inſignitam, non longe ab *Aldenborg*, in plaga auſtrali, ad quam ſanctus Dei Præſul venit, ut ibi perficeret debita officia pro honore tanti confeſſoris. Vidit autem illius fundi populus ſanctam celebritatem, & compuncti corde donaverunt eccleſiæ ſancti Petri in *Aldenborg* duas partes decimarum omnium alodiorum ſuorum, cultorum & colendorum, paluſtrium vel aridorum, ſilvarum vel pratorum, & quicquid liberæ terræ habere viſæ ſunt, ex hoc duas partes decimæ totius annonæ lini & cannæ promto animo contulerunt. Hujus autem largitionis Principes quique, nobiles & ingenui illius loci viri, Bertulfus filius Ermenarii, cum Ingelborg uxore ſua: Eremboldus & Malgerus filii Almari; Leggiva vidua alterius Ermenarii, cum filiis Ingranno, Fredeboldo, ac Lamberto, vel tota iſtorum conſanguinitas, exegerunt à ſancto viro, ut æterno anathemate damnarentur iſti vel eorum poſteri, ſi quando molirentur de præfata decima aliquid ſubtrahere, vel minuere, vel quocumque modo quippiam damni inferre.

XXV. Loco igitur canonica, ut præfatum eſt, traditione ſibi delegato & legitime emancipato, deputavit ibidem aliquos ſuorum, qui locum mundarent, & habitationes Deo ſervientibus competentes præpararent. Populus etiam vicinus, ſed & longe circumquaque poſitus, alacriter auxiliabatur dando pecunias & animalia ac diverſa ſubſidia. Gaudebant autem quod lucerna Dei inter illos emicare cœpiſſet: nam in alto eccleſiæ ſancti Petri apud *Aldenborg*, eo ſcilicet loco quo ſteterat vel ſederat hic beatus, cum pro pace & concordia inſudaret, viſa eſt columna ignis ab alto prominens conſiſtere, quæ ab initio noctis uſque circa auroram, prægrandi fulgore noctis

Digitized by Google

caliginem mutavit in lucem, & cuncta in circuitu ſpatia, luce prælustravit ſplendiflua. ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XV.

XXVI. Suesſionem redit.

Ipſe ad ſedem Sueſſonicam rediens, omnium votis ambitur, omnium gaudiis celebratur. Pervenit autem ad illum reprehenſibilis in plerisque regis Philippi operatio, & continua coërcendorum diſſimulatio, nec non indiſcreta Epiſcoporum vel Abbatum impoſitio. Ideoque cœpit tædere ſuper malis quæ undique patrabantur, nullo rempublicam moderante rectore. Dormitavit ergo anima ejus præ tædio malorum, quæ excreſcebant quotidie, quoniam & illa nobilis moderatio Remenſis eccleſiæ adeo tepuerat [a], dejecto jure Metropolitanæ dignitatis, ut nec Epiſcoporum Concilia, nec eccleſiarum judicia inibi exercerentur. Illam igitur compunctionis nutricem, illam ſilentii cuſtodem, illam vigiliarum & pſalmodiæ conſciam, illam quietis & divinæ contemplationis amicam, primæ recluſionis reſumſit ſemitam; eligens abjectus eſſe in domo Domini, magis quam abire, ſtare vel ſedere, in qualibet divinæ legis tranſgreſſione. Noverat quippe potentes potenter tormenta paſſuros, idcirco declinavit à malis, ut totis viribus faceret bona; cupiens paratus fore & pervigil, ut Domino quandoque pulſanti confeſtim aperiret. Quam recluſionis ſemitam arduo tramite conſervavit, ſacris virtutibus decoravit, vivens in fame & ſiti & jejuniis multis, in frigore & nuditate, extendens ſemper mentem ſuam in ſcientia Dei, in caritate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, in longanimitate, in ſuavitate, in Spiritu-ſancto. Iterum recluditur.

XXVII. In Flandriam iterum venit.

Emerſerunt autem importuniores cauſæ circa locum, & circa finitimam regionem, pro quibus adunati nobiliores Aldenborgenſis coloniæ cum Everolſo monacho, ſtatuerunt ut venirent ad virum Dei, & totis niſibus compellerent ut rediret in Flandriam, & cauſis importunioribus modum finemque proferrent. At ille conſcius futurorum, utpote qui divinis revelationibus frequentius docebatur, votis ſe quærentium libens annuit, ſicut qui revera noverat, ſe non poſſe diſſolvi ut eſſet cum Chriſto, niſi in loco *Aldenborg*. Veniens vero cum illis, frequenti verbo commonebat eos, dicens: Quod modo Flandriam vado, filioli, ſcitote non tantum eſſe veſtræ voluntatis quantum divinæ diſpoſitionis.

Dumque meant glebas regionis, venit Atrebas,
Quo patuli campi, ſpatio virgulta ferentis,
Obdormire volens diſternitur ille jumento,
Utitur & verbis orans vernantibus herbis,
Ut modicum ſomni capiat, ſtudio gerit omni;
Hæc requies felix quæ provocat agmina cælis,
Tuncque viro feſſo, ſomno per tempora preſſo,
Viſio monſtratur, de qua mox ipſe beatur,
Nuntius applaudit, quæ Præſul lætior audit:
Aldemborg veniens non multo tempore vivens,
Sæcula tranſibis, felicia regna ſubibis,
Quæ careant fine, quæ pollent perpete luce,
Te domus illatum Petri capiet tumulatum,
Tempora nec multa patieris carne ſepulta,
Terra tolleris, meritorum laude frueris.
Vir Domini ſurgens, ſocioſque viæ ſatis urgens, XXVIII.
Sic famulis inquit: Jam ſurgite, ſufficit iſthic
Nos ita dormiſſe, vel ſomnia grata vidiſſe;

[a] Eccleſia Remenſis ob pravos Manaſſis Archiepiſcopi mores, nonnihil detrimenti paſſa eſt. Verum paullo poſt ſub Reginaldi, Radulfi, Samſonis & aliorum illuſtrium Præſulum regimine, ſplendorem ſuum recepit.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XV.

Somnia non falſa, quæ pandunt præmia celſa,
Jam bene celetis, qui me referente ſcietis;
Vobis prædico, quod triſte manet inimico,
Me cito ſcanſurum cælos, civemque futurum
Angelicis turmis, precibus quod poſco diurnis:
Hinc vos gaudete, lætiſſima corda tenete,
Et ſic tractate Chriſtum, ſic rebus amate,
Ut vos recipiat, quando cinis hæc caro fiat;
Hoc ſimul oſtendit, quod mens cognoſcere tendit,
In Petri templo tumulabor atque ſepulcro.
Sed jam pergamus, patriam jam calle teramus,
Tempore completo, veniens hæc munere læto,
Hinc ſtupor atque dolor famulantum pectora ſcidit.

Attamen in ejus comitatu nulli licebat aut mærore plus juſto affici, aut inepta lætitia reſultare. Tantum erat in illo auctoritatis & gratiæ, tantuſque circa illum vigor diſciplinæ, ut illum videre & audire omni animæ gratum eſſet, cum tamen vultus ejus offenſam tamquam grande piaculum præcaverent.

XXIX. *Infirmatur.* Menſe Julio, octava-decima die menſis, curſu proſpero cum felici fama virtutum intravit *Aldenborg*, ibidemque evangelizans regnum Dei, ſeptem diebus incolumis permanſit. Die autem ſancti Jacobi Apoſtoli, peractis ſacris Miſſarum ſollemniis, cœpit infirmari, & uno vigintique diebus valetudine laboravit. Cumque in extremis poſitus putaretur, ſuggerebant ei fratres, ut ſacris officiis ſe præmuniri faceret, ne forte ſine his de hac vita exiſſet. Quibus mitiſſima voce reſpondit: Cariſſimi filii, ſuper hoc nolite quicquam ſollicitari, quia per Dei miſericordiam bene ſentio quid vel quando mihi expediat. Scio tempus, novi & horam; & de his commonebo vos, cum opportunitas evenerit.

XXX. Viceſima die poſtquam decubuit, cum eſſet ſexta feria, ante noctis medium, cella in qua jacebat mirabili tremore atque horrifico fragore tertio concuſſa eſt, & à fundamentis pæne collapſa, in tantum ut monachi vel famuli ante illum excubantes intolerabili timore quaterentur, & cellæ formidantes ruinam, foras fugere exoptarent. Quos vir Dei verbis conſolationis demulcebat, & ut ſe cubitum collocarent hortabatur, nil incommodi ſucceſſurum promittens. Tunc ei preſbyter & monachus Everolfus flebiliter aïebat: Domine, terra tremit, cella concutitur, oſtium à me jam tertio diligenter obſeratum denuo patet, turbarum murmur hinc inde reſonat, & quomodo poſſumus inter tot terrores obdormire? Cui homo Dei ait: Care frater, ne paveas, & nullus veſtrum formidet: quoniam hæc omnia ſupernæ majeſtatis ſigna ſunt, & poſtmodum vobis manifeſtabitur, quæ vis hunc terræ motum & hujus cellæ concuſſionem patraverit. Sequenti ſabbato, cum vir Domini articulum mortis imminere ſentiret, peractis ex more matutinalibus hymnis, fratribus dixit: Jam nunc parate nobis funeri neceſſaria, quoniam circa noctis initium tranſibo ex hac vita. Ita enim mihi Dominus, cui pro viribus ſervire laboravi, nocte heſterna innotuit: quamvis & antea diu hoc ſciſſem, quando terræ motu & aëris concuſſione fragor cellæ inhorruit. Et prima quidem concuſſione beatus Petrus apoſtolus advenit, dicens mea omnia peccata remiſſa, & januam vitæ mihi patere. Comitabatur illum multitudo beatorum, laudes divinas alta voce modulans.

Sanctorum viſionibus confortatur.

Laudes excelſas tunc decantaſſe catervas
Oſtia ſenſerunt, quæ tanta vi patuerunt.
Prima fuit talis proceſſio ſpiritualis.

Digitized by Google

In ſecunda concuſſione, ſanctus advenit Archangelus Michaël cum collegio beatorum Angelorum, & ſuo conductu felicem vitam me intrare inſtanti hora promiſit. ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XV.

Dixerat intente; Tu cælica regna repente
Me duce ſuſcipies, paradiſi convena fies.
His dictis jubilant, cæleſtia cantica formant;
Quam vim dictorum capiunt vix corda piorum;
Talibus expavit mens, quam vis cælica ſtravit.

Tertia commotione affuit noſtra Domina, vera Mater miſericordiæ, cum ſanctarum caterva Virginum, quæ ſub gaudio ſuæ Aſſumtionis meam animam aſſumendam benigniſſima voce promiſit. Sed omnes vos, ô fratres, conteſtor per miſericordiam Dei, ne dum adhuc vivo alicui iſta dicatis.

Idibus Auguſti properant dum funera juſti,
In feria ſexta Chriſti de ſanguine tincta,
Ad medium noctis veniunt præſagia doctis:
Clamor, cantus, odor, ſtrepitus, voceſque virorum,
Hymnos vel pſalmos reſonabat vox populorum,
Atque fores cellæ reſerantur more procellæ:
Cantus ab his cultus, ſentitur jure tumultus;
Laudant cantando, jubilant & vociferando.
Cum famulis monachi quatiuntur voce feraci,
Credunt ſeque mori, ſubdentes corda timori,
Erumpunt laudes, ceu dicant undique plaudes,
Carmina pſalmorum ſolvuntur voce virorum,
Deficiat ne res, reſponſum dant mulieres.
His monachus quatitur, famulorum turma ſopitur;
Corruit hic fortis credens diſcrimina mortis,
Non valet iſta caro, dum mundo ſervit avaro,
Et caret his donis præ pondere conditionis;
Cælicus iſte chorus, divina laude ſonorus,
Hac illac reſonat, plebs cæli carmina donat,
Palpitat & monachus, pavet, æſtuat, angit anhelus:
Laudibus atque choris reboat domus illa canoris,
Complet odor cellam, ſignans intraſſe puellam,
Viſeret ut ſervum, meruit quæ gignere cervum,
Cornua geſtantem, ſaliendo ſanctificantem;
Ipſa Dei Mater, Beemots per quam ruit ater;
Ipſa Dei Genitrix, juſtorum ſemper amatrix,
Rite pios fovit, quorum jam nomina novit,
Ipſamet Arnulfo propria ſic voce loquendo,
Intulit: Orna te multa virtute, beate,
Quando meus natus me de convalle levavit,
Te tunc aſſumens, ad cæli regna levabit,
Dando pias voces, mea tu ſollemnia duces,
Et tibi feſta choris ego ducam carmen amoris,
Virgineus cœtus jubilabit me duce lætus,
Gaudia conjuncta deducent agmina cuncta.
Poſtea jam monachus trepidus ſurgens Everolfus,
Pallidus atque tremens, pro tantis vocibus hærens,
Aggreditur ſanctum, dans toto pectore planctum.
Sic pater & Præſul, pro quo ſum longius exſul,

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XV.

Dic mihi nec celes, noctu quæ geſta reveles,
Affectu triſti moneo ſub nomine Chriſti,
Cuncta mihi dicas, quando me corpore tritas,
Heu nimis infelix, tegitur tot laus tua velis,
Et neſcit mundus tenebroſa morte profundus,
Quis ſis vel qualis, quam lucidus ac ſpecialis.
Plurima dicentem vel talia ſic repetentem,
Affatu miti Præſul jubet illa remitti,
Rem ſimilem veri mandat magis ipſe taceri.
Sed tibi ego Pater, ſi me, cariſſime frater,
Diligis ut patrem, caveas me prodere vatem:
Vitæ conſortem ſileas, donec mihi mortem
Pertranſiſſe ſcias, tunc poſtea pandere cauſas
Occultas poteris, vel ſignis prodere veris.
Fortius adjuro te, frater, judice Chriſto,
Ut tibi quod credo taceas, dum luce recedo.
Primitus advenit cum Petro præſule cæli
Concio depromens, quod ſit mea crimina ſolvens,
Ipſe pius Petrus ſic protulit iſta locutus:
Quæ mihi commiſſa ſunt ſtant tibi prorſus aperta,
Nil timeas damni, patet ex me janua regni.
Vultibus Angelicis fruitus ſum ſemper amicis,
Me confortando de ſancto fine morando,
Gaudia fecerunt hymnumque Deo cecinerunt.
Tertius ordo fuit comes almæ jam Genitricis,
Quæ nos inviſit, quæ mundo gaudia miſit,
Gratia plena Dei, quæ permanet huic genitrici
Nobis non celat; ſed quæque futura revelat.
Fecerit hæc Mater Domini, dulciſſime frater,
Ad notum morem ſubiit tunc cella fragorem,
Oſtia panduntur quæ ſic virtute premuntur,
Hinc reboat cantus cæleſti carmine tantus,
Mens tua ſic cecidit quæ pondus ferre nequivit,
Illa dies major conſurgens quam ſacrat auctor:
Eſt feſtiva nimis, Deus hac quod ſurgit ab imis,
Cælitus aſſumta beat hanc & virgo Maria.
Tertia cauſa datur qua feſtum multiplicatur:
Deprecor idcirco, cuſtodi quæ tibi dico,
Accipe mandata Domini, quæ luce ſacrata,
Jura ſepulturæ non fiant, ſit tibi curæ,
Foſſa mihi munda ſtatuatur luce ſecunda.
Hæc mea mandata tibi ſint in corde parata.
Reſpondit frater: Quæ mandas, ô pie Pater,
Omnia ſervabo, dimittere nulla parabo;
Sed precor hæc feſta nobis, Pater, ô manifeſta,
Quis locus eſt dignus, quo tantum condere pignus,
Hoc tunc poſſumus, quando vos cælicus hymnus
Surſum ſuſcipiet, gravior nos luctus aduret.
Præſul reſpondit, hos ſollicitoſque retundit;
Ante ſepulturam nolitis tendere curam,
Nuncius adveniet, demonſtrans quo mihi fiet
Foſſa pii tumuli, totius & ordo ſepulcri.

Non vult ſepeliri die Dominica.

XXXI. Itaque viceſima-prima die ſuæ infirmitatis, cum eſſet ſabbatum & vigilia

lia aſſumtionis glorioſæ dominæ noſtræ Dei-Genitricis Mariæ & ſemper Virginis, tunc vocatis diſcipulis, convocatis etiam vicinæ eccleſiæ clericis, cum pſalmis & litaniis fecit ſe ſacro oleo perungi, dans confeſſionem coram omnibus, & omnium humiliter petens orationem. ANN. CR. MLXXXVII. AUG. XV. Suſcipit ſacramenta.

Et ſic confeſſus fuit, ac ſi crimine preſſus:
Penitus erravi, ſcelerum fas multiplicavi,
Monachus & miles tractavi res juveniles,
Corde gerens fatuum, non vixi ceu decet uſum;
Multum peccator, mihimet peccando gravator,
Offendi Regem dantem ſuper omnia legem,
Per quam ſalvetur quicumque Deum reveretur.
Ecce meam culpam fateor moribundus inultam;
Quam precibus veſtris quæſo diſſolvere caris.

Docuit autem eoſdem fratres dicens: Cras de reſurrectione Domini gaudium erit in cælis, & de adventu Reginæ cæli gaudium ſanctis duplicabitur Angelis. Largiente Chriſto, tertia cauſa addetur, pro qua gaudia triplicentur; idcirco prohibeo ne die craſtina ad opus meæ ſepulturæ terram aperiatis, ſed hoc in ſecundam feriam reſervetis. ſic enim cælitus præfixum eſt, ut in die ſancti ARNULFI Mettenſium antiſtitis [a], hujus peccatoris Arnulfi corpuſculum terræ reddatur. Multa vero prædixit tam de regni vel ejuſdem loci ſtatu, quam & de Principum, vel Pontificum caſibus futuris, quæ omnia veluti prophetavit evenerunt. Jam ergo incumbente hora veſpertina, corpus & ſanguinem Redemtoris ſumma cum devotione accepit: omnibus benedictus, ab omnibus ſe benedici expoſtulavit, & ſic ad requiem anhelans, ſanctæ Crucis ſigno à ſe tunc propenſius adorato totum ſe conſignavit. Tunc in pavimentum cinere & cilicio ſtratum ſemet deponens, & nomen Domini orans ac benedicens, felicem dormitionem accepit, & regionem viventium Domino conjungendus intravit. Obiit XVIII. Calendas Septembris, anno Domini milleſimo octogeſimo-ſeptimo. Obit.

XXXII. At ubi obitus ejus populis innotuit, mirum dictu quanta alacritate, quantaque devotione plebs undique confluens univerſa in circuitu complevit. Clerici pſalmis inſtabant, laïcorum quidam pauperum concurrentium refectionem procurabant, nobilium quoque ac militum plurima multitudo nimium inſiſtebant, ut decore eximio celebrarentur exſequiæ ſancti Pontificis. Tanta vero clericorum ac plebium irruit multitudo, ut non dicam baſilica, ſed ipſum atrium & atrii confinia non poſſent capere tam copioſam frequentiam, aliis luminaria congerentibus, pleriſque inde gaudentibus, quod tantis exſequiis intereſſe meruiſſent. Cumque beati viri corpus de more compoſitum, & pontificalibus inſignibus ornatum in eccleſia fuiſſet advectum, verens frater Everolfus, ne alicujus rapacitas inter tot miſcuas turbas aureum anulum de manu ejus concupiſcens præriperet, tulit illum & repoſuit. Adveniente vero hora ſepeliendi, cum eumdem anulum digito ejus voluiſſet indere, frigida manus ejus & incurvi digiti ſic obdurati rigebant, ut nequaquam extendi potuiſſent. Tunc pro hujuſmodi difficultate amor præſentium fidelium indoluit, & cum gemitu ſupplicabant, ut facultatem Dominus annueret illud corpus ſanctum ſuis cultibus non carere. Intererat his exſequiis Bernardus Præpoſitus Guaſtenienſis cum Ricoardo [b] Decano, cum maxima turba preſbyterorum ac clericorum; quorum hortatu & prævia voce cantati ſunt pſalmi, proſequenti litania & flente laïcorum conventu, cum ſubito mirabilis Deus mirificavit ſanctum Ejus exſequiæ.

[a] Ejus Vitam habes Sæculo 2. ad an. 640. pag. 157.
[b] Al. cod. *Gitalenienſis cum Ritardo.*

ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XV.

ſuum in oculis præſentium. revera etenim, mirum dictu! illis conquerentibus, manus dextera à pectore defuncti ſeſe erexit, digitos erigendo diſcrevit, & anulum inſerendi locum dedit: quo inſerto, manus eadem ſe ad priſtinum recollegit, & digitos ut antea infra palmam curvavit.

Vox populi fertur, mox laudibus omnia dantur,
Et magis hinc plorant, quia ſanctum ſemper honorant,
Præmia virtutum retinet quæ quæſtor earum,
Præſule tranſlato, de terris ſede locato,
Eccleſiæ Petri confertur corpus herilis,
Præparat obſequium populi grex & monachorum,
Preſbyteri veniunt, it clerus, & agmina currunt
Omnimodæ plebis, portantia lumina ſanctis,
Prandia pauperibus, vel clero munera dantur,
Munia Miſſarum ſatis & ſuper hîc celebrantur,
Atque dies celebris Chriſti vel nomine Matris,
Ducitur excelſa, feriam exſpectando ſecundam.

XXXIII. Sepulturæ locus ab Angelo deſignatus.

Venerat & feriæ jam clarum mane ſecundæ,
Angelus è cælo deſcendens, monſtrat aperto
Cum ſermone locum, faciant quo rite ſepulcrum,
Fratribus oſtendit, poſt cælica ſcandere tendit,
Et faciunt tumbam, feriam ducendo ſecundam,
Cælitus oſtenſam, cæleſti munere menſam:
Namque domus Petri loculus fit corporis almi,
Et juxta clauſtra quæ ſunt in parte ſiniſtra,
Quo deponatur vir ſanctus, foſſa paratur,
Menſe ſub Auguſto dedit almus funera buſto,
Conditur in tumulo, dans membris pignera ſæclo.
Planctus vel gemitus, ſuſpiria cordis ab intus,
O quot mittuntur! quotiens tunc & repetuntur!
Clamat amor cordis; mugit, ejulat ardor amoris;
Traditur huic baculus pro ſigno pontificatus,
Stanneus atque calix fit teſtis ſacrificantis.
Plumbea ſcribuntur, quæ poſtea ſcripta legantur,
Et tabulæ modulo poſitum ſtat pectoris antro,
Inſula Pontificis, monſtratur veſtibus aptis,
Aurea traduntur pedibus ſandalia ſancti,
Tales ornatus ſecum tulit ille beatus,
Per quæ clareret quam digno flore niteret,
Spiritus in cælis, vivens per ſæcula felix.

XXXIV. Nunc igitur conſiderandum & fideli mente retinendum eſt, quantis laboribus, quantiſque afflictionum generibus iſte ſervus Chriſti tantam meruerit virtutis efficaciam, ut etiam membra defuncti miraculorum laude polleant. Nec enim gulæ & ventri ſerviendo, & humanis cupiditatibus inhiando, tale donum à Chriſto percepit; ſed corpus mortificando, mandatis Dei invigilando, veræ caritati inhærendo, & in via juſtitiæ quotidianis augmentis creſcendo & perſeverando. Et quoniam cordis ejus cubile, corpore edomito, rite fuerat purificatum: idcirco complacuit Spiritui-ſancto, ut glorificantem ſe glorificaret; & ſibi pure ſervientem in conſpectu omnium hominum amabilem atque laudabilem exhiberet. Aſpiciant igitur dignanter hæc legentes, & prudenti memoria colligant hujus viri prophetiam: quoniam ante plures dies in pago Sueſſonico apud Ulciacum caſtellum habitans prædixerat, quod exſequias funeris ejus nemo Pontificum

aut Abbatum celebrare conveniret, ſed per monachum & preſbyterum ſuum circa eum omnia ſupplerentur. Talis namque tantaque occupatio vicinos Abbates, duos Gandenſes & unum Bergenſem præpedivit, ut ſollicite invitati libenter occurrere vellent, & nullo modo prævalerent. Celebratis itaque Miſſarum ſollemniis à multis, qui undique confluxerant ſacerdotibus, in pauperum uſus largiſſimis ſtipendiis diſtributis, qua die ſancti Arnulfi Mettenſium antiſtitis ſacerna talis recolitur, eadem die in eccleſia beati Petri Apoſtoli apud *Aldenborg* hujus ſancti viri corpus ſepultum eſt, & ſubjecto Epitaphio prænotatum [a]. ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XV.

Epitaphium.

Miles in hoc mundo, modò pulvis in hoc monumento,
 Militiam mundi ſprevit amore Dei.
Cujus tutela, qua vivitur abſque querela,
 Primum devotus Sueſſionis monachus.
Et mox anguſtæ devotior incola cellæ,
 Se per pauperiem, frigus & eſuriem,
Atque per inſomnes in fletibus & prece noctes,
 Virtutum ſtudiis extulit, & meritis.
Abba dein factus, & Præſul, utrumque coactus
 Quæ digne ſubiit, dignius excoluit.
Huc veniens demum, Domino donante, ſupremum
 Claudens morte diem, tranſiit ad requiem.
Tranſitus ejus ei provenit fine diei,
 Quam ſequitur celebris, orbe colente dies.
Qua cæli Dominam de mundi valle Mariam,
 Intulit aſtricolis cælica turma choris;
Præſulis ARNULFI, qua feſta dies celebratur,
 Præſulis ARNULFI corpus humo tegitur.

Completur [b] hoc opuſculum anno poſt tranſitum ejus viceſimo-octavo, Indictione VII. quem credimus ab Incarnatione Domini MCXIIII. Regnum Francorum tenente Ludovico, filio Philippi Regis, ab iſto viro Dei ante ortum prophetato, ſeptimo Regni ejus anno; Romanæ Eccleſiæ præſidente beato Paſchali Papa ſecundo, Remenſem Metropolim gubernante domno Rodulpho Archiepiſcopo; Regnante domino & Salvatore noſtro Jeſu-Chriſto, cui cum Patre in unitate Spiritus-ſancti, ſit omnis honor & gloria, laus & imperium per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

INCIPIT PRÆFATIO LISIARDI EPISCOPI ad Remenſem Archiepiſcopum,

In libro tertio.

DOmno jure amabili merito, venerabili RODULFO, Dei gratia Remenſis eccleſiæ Archiepiſcopo, LISIARDUS filius, utinam idoneus miniſter ſanctæ eccleſiæ Sueſſionis, ſalutem & piorum palmam victricem. Reſidente veſtra paternitate in illo magno atque inauditæ Epiſcoporum multitudinis Concilio [c], quod auctoritate domni Papæ CALIXTI Remis celebratum eſt; cum & ego humilis veſtro lateri inhærerem, conqueſtus eſt in commune nobis frater & coepiſcopus veſter Lambertus Noviomen-

[a] Hujus epitaphii auctor apud Surium fuiſſe dicitur Regemarus S. Bertini monachus.

[b] In edit. Suriana hæc habentur: *In calce libelli mei meus cudendus eſt apologeticus, &c.* ut in Obſervationibus præviis num I.

[c] Illud Concilium habitum fuit anno 1119. occaſione inveſtiturarum, ubi Henricus Imperator excommunicatus eſt. Quinque Canones in eo editi ſunt. Ibi adfuit Ludovicus VI. Francorum Rex, qui multum coram Patribus de Anglorum Rege conqueſtus eſt.

ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XV.

ſium ac Tornacenſium antiſtes injuſtum & ingratum ſibi videri; nec ſoli ſibi, ſed multis, quod ſanctus præſul ARNULFUS prædeceſſor meus, qui ſanctam vitam & Deo placitam duxit; cujuſque ſanctitas multis valde miraculis à Domino comprobata eſt, in ſinu humidæ terræ adhuc cubaret. Aderat teſtis miraculorum ejus Regia majeſtas, ipſius ſancti Arnulfi impetrata lacrymis & precibus condonata; aderat Petrus Archidiaconus Sueſſonicus, qui ſe cæcum natum fuiſſe, atque per ſalivam oris viri Dei Arnulfi ſe oculos accepiſſe, cum multorum teſtimonio fatebatur: aderam & ego, licet minus idoneus, qui me in ordinem ſubdiaconatus ab eo conſecratum plurimum exſultabam, & illi olim cohabitans, abſtinentiam & regimen vitæ latius cognoveram; præſagia multa audieram, miracula non pauca præſens complexeram. Cumque hæc & his ſimilia multa à plurimis proteſtata referrentur, placuit paternitati veſtræ inferre dicendo: Cur me afficitis relatibus veſtris, cum ipſe melius vobis cognoverim opera ſanctitatis ejus. Vidi eum in Calvo-monte dedicationem facere, ubi femina de vico, quem dicunt Caviniaco,

Ter quinis annis oculorum prædita damnis,
In faciem ſancti ſe miſit voce precanti.
Mox mora nulla fuit poſtquam Præſul benedixit;
Palpebra ſe ſcidit, patuit lux, femina vidit.

Sed eſtote: fecerit mira, vixerit juſte. Non dico levandum niſi gratia Dei per clara ſigna cælitus dederit teſtimonium. Adeſt Romana eccleſia, adeſt ipſe dominus Papa: referatur hæc res ad eorum cognitionem, & ſequamur inde illorum examen. Factum eſt, & conſona omni voce, in veſtram ſe redegerunt ſententiam. Itaque quæ & quanta poſtquam ſepultus circa extincta oſſa ejus Dominus & Salvator demonſtrare dignatus ſit miracula, hac præſenti decrevimus vobis & Matri Eccleſiæ intimare pagella, ut præcedens cognitio veſtram in auctoritatem ſecurius legendi ceteris proficiat.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI TERTII.

I. *De igneo ſplendore & Crucifixo proſiliente.*
II. *De pulvere circa tumulum ejus collecto.*
III. *De terrore cælitus acto contra hos qui illum furari quærebant.*
IV. *De muliere contracta & ibidem ſanata.*
V. *De cereis ibi cælitus accenſis.*
VI. *De multitudine languentium inibi recuperatorum.*
VII. *De hydropico ſanato.*
VIII. *De balena per ejus nomen devicta.*
IX. *De paralytica ſanata.*
X. *De duobus ſenibus ibidem melioratis.*
XI. *De manco ibi recuperato.*
XII. *De homine ſanato nocte ſancti Johannis-Baptiſtæ, octavo Calendas Julii.*
XIII. *De reliquiis ſancti Arnulfi in combuſta eccleſia non combuſtis.*
XIV. *De homine qui ideo infirmatus eſt, quod votum non implevit.*
XV. *De elevatione corporis ejus.*
XVI. *De tribus miraculis tunc peractis.*
XVII. *De ſphæra in cælo apparente.*
XVIII. *De homine pacem reſpuente debilitato.*
XIX. *De* a *epiſcopo Belgoto, qui nolente eo ſucceſſit, & cito periit.*

a Nihil omnino de eo Epiſcopo habetur in hoc libro. Et quidem Hilgotus epiſcopus Sueſſionenſis, de quo hæc epigraphe videtur debere intelligi, cito non periit, ſed poſt annos circiter duodecim regiminis, in monaſterium-Majus prope Turonos ſeceſſit, anno ſcilicet 1088. ubi poſtea abbas factus eſt. Ejus apologiam fecit Ivo Carnotenſis epiſcopus in Epiſtola ad Paſchalem II. ſummum Pontificem.

Digitized by Google

INCIPIT LIBER TERTIUS.

I. *Miracula ad beati Arnulfi tumulum.*

POſtquam beatus iſte ſervus Dei humanis rebus feliciter exemtus eſt, diverſa miracula circa ejus exuvias à Domino peracta ſunt, ac pluri- mæ languentium ſanitates condonatæ. Non longe vero à tumulo ejus ſtetit altare, & crux grandis ſuppoſita, habens imaginem crucifixi Domini, de cujus imaginis vultu & de pectore viderunt duo fratres ſpirituales igneum globum ſeu fulgur erumpere, & in illius tumbam circa ejus pectus celeri- ter tranſilire. Quo ſigno datur intelligi, quoniam ille qui peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, huic famulo ſuo veræ lucis gaudia contuliſſe. Sequenti tempore, eodem tamen anno, tumba ipſa à capite uſque ultra pedes ſciſſa eſt, & in directa diviſa, quaſi ad lineam fuiſſet conſ- ciſſa. Iſta autem diviſio vel ſciſſura inſtantis elevationis ejus præcurrens præſagium omnium mentibus intimavit.

II. *Pulvis ejus ſepulcri ægros ſanat.*

A primo quoque tempore depoſitionis ejus, ardor fidei & devotionis tantus circa illum enituit, ut quicumque ægrotantes per ſe vel per miſſos ſuos venirent ad ſepulcrum ſancti Arnulfi, & per circuitum colligentes pulverem volitantem, reportabant ſibi quaſi certam medicinam; ipſum vero pulverem cibis ſuis aut poculis immittentes, ſeu ſiccum pulverem lambendo ſorbentes, à cunctis infirmitatibus evadebant; & certiſſimum remedium velocius aſſequebantur. Et hoc non quater aut ſepties vel decies, ſed mil- lies eveniſſe notiſſimum eſt. Vidimus energumenum peſſime vexatum, cui cum pulvis ille nolenti in os fuit injectus, mox hoſtem evaſit, & mentem re- cepit. Pulvis iſte celeber non ſoli noſtræ Franciæ, ſed omnibus finitimis regionibus grandem ſuæ utilitatis notitiam comportavit. Anglia, Gallia, Scotia, Friſia, ſic tenuerunt externæ gentes, patriæque ſimul cinerem ra- puerunt.

III. *Monachi S. Medardi, cum auferre fruſtra conantur.*

Hæc & his ſimilia multa poſtquam ſic fieri latius comperta ſunt, & ru- mor iſte laudabilis Franciam penetravit; cum & gratus odor ex ejus tumba jugiter emanaret, monachi ſancti Medardi graviter condolentes, quod tan- ti viri exuviis caruiſſent, conſilium inierunt cum ſuo abbate Odone, ut quaſi viſitationis gratia locum Aldenborgenſem adirent, & clam tumulum ejus aperirent, ut extracta oſſa ad ſuum cœnobium Sueſſionis ſub omni celeritate deportarent. Ventum eſt eo uſque, & paratis hujuſce negotii inſtrumentis, noctu cœperunt aperire tumulum ejus à latere dextro. Mox ingens fragor cælitus intonuit, concutiens fodientes, & nimium conſter- natos ab incœpto deterruit. Illi paullo poſt recreati, & ex occulta aëris paſſione id accidiſſe autumantes, redierunt ad ſepulcrum, ut cœptum per- ficerent; ſed ſtatim ut cœperunt fodere, iteratus fragor terribiliter incre- puit. At illi facti exanimes, corruerunt in terram, ac tandem reſumto an- helitu, cum nimia formidine aufugerunt. Cumque de longe ſtarent, ſup- preſſo murmure muſſitantes, ſubiit illos cogitatio, ut iteratam temeritatem tertio repeterent, & an ullus cederet effectus denuo attentarent. Adve- nerunt tremuli, applicant manus pavitantes, ſed continuo intolerabili ter- rore jam tertio percelluntur: alliduntur pavimento, palpitant exanimes, & pæne præmortui quid fuerint neſciunt. Horarum vero trium ſpatio evo- luto, ad ſenſum redierunt, & nimium anguſtiati fecerunt votum, quod num- quam amplius attentarent ſacrum corpus vel ejus ſepulcrum temerare. Ar- nulfus nepos ipſius ſancti Præſulis & primus Abba Aldenborgenſis hæc pa- trare conatus eſt cum duobus monachis, Godeberto natione Aldenbor- genſi, & Balrado Brugenſi, quorum relatione hæc eadem ſic geſta inno- tuerunt.

IV.

Sequenti tempore, delata eſt illuc quædam femina miſerrima contractio-

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XV. Contracta erigitur. ne deformiter diſtorta, ita ut genua ejus pectori confixa, & palmæ manuum ſub poplitibus colligatæ, tali quoque natibus carne tenus cohærerent. Hæc miſerentis populi ſtudio ad tumulum ſancti Arnulfi projecta, ubi per modicum quaſi requieviſſe viſa eſt, divino munere, ad honorem ſervi Dei ſanata eſt & erecta. Quæ per eccleſiam atque partem eccleſiæ recto greſſu deambulans, oſtendebat loca membrorum cruore horrentia, ubi aliud alii cohærens, complicitum pridem fuerat & connexum.

V. Multotiens accidit, ut luminaria ibidem cælitus accendi viderentur. Sed ne fortuita vel quolibet aſtu adumbrata referre videamur, mille teſtibus defenditur quod narramus. Sollemnitas præcipua agebatur prima die menſis Maii, & populi multitudo undique locum compleverat: & ecce hora diei tertia, cum ſollemnis proceſſio ageretur, duo cerei qui portabantur, ad oſtium eccleſiæ flante vento extincti ſunt: ſed ut ventum eſt ad ſepulcrum ſancti Arnulfi, ſtatim ipſi cerei accenſi ſunt, & ita accenſi, ut flamine venti extingui non poſſent.

VI. Plures ægroti ſanati. Anno Dominicæ humanitatis poſt mille & centum quinto-decimo, per totam vicinam regionem facta eſt plaga ſævientium morborum in hominibus utriuſque ſexus & totius ætatis: & tunc catervatim properantes languidorum bajuli, ſatagebant projicere ægrotos ſuos circa tumbam Arnulfi ſervi Chriſti. Tanta vero diffuſa eſt gratia in reparatione languentium, ut à medio Aprili uſque medium menſis Auguſti, quando tranſitus ejus celebratur, ſexaginta ſint curæ notorum, præter eos qui ſic ſanati ſunt, ut ad notitiam nobis non venerint. Similiter factum eſt, ut anno ſequenti & à menſe Maio uſque ad menſem Auguſtum, quinquaginta hominum utriuſque ſexus, diverſæque ætatis reparatio ibidem condonata ſit.

VII. Hydropicus. Sane inter eos venerat quidam hydropicus, ventris & venarum diſtentione vehementer inflatus, qui ſumtum de cæſpite humili tumuli contiguo pulverem in aquam conſperſit, & eamdem aquam ebibens, mox ſalutem eſt conſecutus.

VIII. Balena capta. Sub eodem tempore exeuntes de iſta Flandria piſcatores, balenam permaximam circundederunt, lanceis & jaculis vulnerantes, ut devictam ad terram conveherent, & de morte beſtiæ divitias ſibi aggregarent. At beſtia immanis, quamvis fortiter jaculis & lanceis fuiſſet vulnerata, capi vel ſedari nequaquam potuit; ſed ex dolore plus inſaniens, modo aquas vomebat ad cælum, modo ſe ſubmergebat in profundum, modo de profundo reſurgens, caudæ ſuæ & alarum impetu confringebat armamenta navium. In tanta difficultate, dixit unus ad ſocios: Invocemus ſanctum Arnulfum de *Aldenborg*, & voveamus illi partem de piſce, & confido quia auxilio ejus cito hanc beſtiam devincemus. Fecerunt ita. & ſtatim balena deſtitit ſævire, & ſe capiendi atque funibus colligandi locum quietiſſimum attribuit.

IX. Paralytica ſanatur. In vigilia Dominicæ Aſſcenſionis ad concentum ſancti Evangelii [a], intra ſynaxim veſpertinam, quædam paralytica ſanata eſt.

X. In nativitate ſancti Johannis Baptiſtæ, dum noctu vigilias ageremus, quidam homo ibidem ſanatus eſt.

XI. Hernioſi duo curantur. Quidam etiam provectæ ætatis homines duo ſenes, gravi nimium & conſimili angore concuſſi, dolebant ſe vivere. nam utrorumque genitalibus illapſa viſcera nimiam paſſionem & vivendi difficultatem illis inferebant. Hi audita fama gratiarum beati Arnulfi, cum magno labore pervenerunt ad ſepulcrum, & eorum contentio in ſalubre gaudium divino nutu converſa eſt. Nam meritis & orationibus ſancti Arnulfi eorum viſcera ſurſum reducta ſunt, atque in naturalem ſitum revocata. Et qui cum maxima dif-

[a] Id videtur intelligi debere de cantico *Magnificat*, nec enim alia pars ſancti Evangelii cantata fuiſſe videtur tunc temporis in ſynaxi veſpertina.

Google

ficultate huc venerant, cum gaudio ſanitatis, expediti & alacres redierunt. ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XV.

In feria ſexta hebdomadæ Pentecoſtes, quidam juvenis aridam manum ſe habere dolens, venit, & projecit ſe ad loculum tumuli ſancti Arnulfi, multis planctibus pulſans ſancti pietatem, & dum lectio Evangelica recitaretur, ſanata eſt manus ejus, & perfecte reſtituta. XII. Arida manus reſtituitur.

Antequam de terra levarentur oſſa ſancti Arnulfi, habebat eccleſia ſancti Petri multas ſancti ejuſdem reliquias: id eſt totam ſupellectilem peculiaris capellæ ejus. Ex his vero reliquiis dederunt fratres quamdam portionem quibuſdam de inſula Scolda hominibus, ut ædificarent eccleſiam in nomine Chriſti, ſub titulo ſancti Arnulfi. Eccleſia illa conſtructa, & erecto altari, poſuerunt capſulam iſtarum reliquiarum in altari. Et accidit per incuriam, ut illa eccleſia ignibus deprehenſa funditus arderet; capſula vero reliquiarum ſancti Arnulfi ab ignibus intacta, & omnino illæſa in altario ſedit. Ipſa autem palla altaris, in quantum tangebat capſulam vel ſubjacebat, incombuſta remanſit. XIII. Reliquiæ ab incendio ſervatæ.

In inſula, quæ nuncupatur Bevelauda, hoc eſt Tremula-terra, quidam nobiles, quorum caput erat Alviſus filius Landradæ, & Ellicus frater ejus, contentionem & litigium exercebant adverſus compares ſuos, æque nobiles viros; unde contigit ut quidam, nomine Vvido, ante portam Ellici in manu vulneratus duos amitteret digitos, medium & medicum, & maneret duobus digitis debilis & mancus. Hac pro re viguit magna Vvidonis & amicorum ejus inimicitia contra Alviſum & Ellicum, contraque amicos vel complices illorum, quouſque ſanctuarium ſancti Arnulfi in illas partes deveheretur ad faciendam pacem inter gentes ignorantes Deum. Ille vero duorum digitorum damno deformatus, in eccleſia deprehenſus à monachis & clericis coram ſe proſtratis, cum & reliquiæ ſancti Arnulfi coram eo ſolo tenus jacerent, artatus eſt ut ſponderet pacem ſe facturum cum Alviſo & Ellico ſuis quondam inimicis, & ejuſdem ſponſionis arrhabonem coëgerunt eum ponere ſuper reliquiarum lecticam ſuæ manus chirothecam. Et quidem propter reverentiam præſentium ſanctorum obedivit ad horam; ſed domum reverſus, & à propinquis & clientibus probroſe increpatus, averſus eſt à bono, & ſuperſedit perficere quod ſpoponderat ſancto Arnulfo. Statim invaſit illum fortis ægritudo, qua detentus decubuit diebus viginti & uno, in quibus non ſomnum vel cibum capiens, ſed de die in diem pejus tabeſcens, ad hoc redactus eſt, ut accerſito presbytero de funere cogitaret. Tunc presbyter dixit ei: Omnis hæc infirmitas, quam tam diu pateris, pro mendacio quod ſancto Arnulfo mentitus es juſte infertur: ſed ſi mihi credas, & promiſſam pacem atque mancorum digitorum tuorum reatum bono corde indulgere non renuas, ſpero in Deum vivum, quod convaleſces & vitam tuam proſperari ſenties. At ille nihil deliberans: Defer ad me, inquit, iſtam ſanctam crucem. Qua præ manibus oblata, ait: Ecce certiſſime novi, quoniam propter meam falſitatem incurri infirmitatem: ſed ſi nunc ſanctus Arnulfus exoret pro me, ut poſſim vivere; voveo & juro in cruce iſta, quod de pace & digitorum meorum indulgentia quicquid dudum promiſi complebo omnia. Sic dicens, & novo dono novum votum in cruce perficiens, continuo ſubjecit: Si habeo amicum vel fidelem, provideat mihi ut cito manducem: nam timor mortis à me recedit, ſpes tota vitæ mihi ſuccedit. Quid plura? Statim cibo & potu refectus convaluit, & poſt diem tertium aſſcenſis equis Flandriam intravit, *Aldenborg* petiit, & coram fratribus pœnitentiam egit. Rediens vero in locum, omnia prout poſtulatus erat, & prout ipſe primitus devoverat, ad perfectum complevit, & in pace quam ſpoponderat ſtabiliter permanſit. XIV. Pejerans punitur divinitus.

Hæc & alia ſupernæ gratiæ documenta, poſtquam ad aures Epiſcopi domini Lamberti, ſive ad notitiam fidelis populi latius pervenerunt, idem iniit XV.

Ann. Ch. MLXXXVII. Aug. XV.

[a] Synodus Belvacenſis.

Epiſcopus conſilium in concilio Bellovacenſi [a], quinto-decimo Calendas Novembris, cum quibuſdam coepiſcoporum ſuorum, quid facto opus eſſet ad tantam Dei magnitudinem. Intererant ibi Epiſcopi Francorum Vvillelmus [b] Catalaunenſis, columna doctorum; Joffredus Carnotenſis epiſcopus, Delbertus * Senonenſis archiepiſcopus *, Aurelianorum epiſcopus, Pariſiorum epiſcopus *; Clarembaldus Silvanectenſis epiſcopus, Petrus Belvacenſis epiſcopus, Angelranus Ambianenſis epiſcopus, Robertus Attrebatenſis epiſcopus, Johannes Morinorum epiſcopus, Lambertus Tornacenſis epiſcopus, Borgardus * Cameracenſis epiſcopus, Bartholomæus Laudunenſis, Liſiardus ego indignus Sueſſionenſis epiſcopus, Abbatum, Archidiaconorum, Præpoſitorum & copioſa cleri multitudo. Inter ceteros quoque affuit ipſe Aldenborgenſis Abbas, ferens in manibus libellum de vita & moribus, miraculorumque geſtis ipſius ſancti Arnulfi. quem libellum ego de manibus ejus accipiens aperui, & apertum obtuli Epiſcopis, dicens: Ecce, domni, Libellus ipſe, me conſcio, meque auctore de vita ejus conſcriptus eſt, cui quod vera ſunt omnia quæ narrat, teſtimonium in fide perhibeo: & de cujus miraculis & hic quoſdam, & domi plures valde teſtes veraces adhibeo. Hunc libellum poſtulo à vobis diligenter conſiderari, ut ex ejus notitia valeatis quid de illo agendum ſit melius informari. Veſtra autem ſanctitas audiat judicium meum, quoniam ſi in diœceſi mihi commiſſa pauſaret, longum eſt quod in terra non jaceret. Tunc Vvillelmus Catalaunenſis epiſcopus accepit libellum, & inſpiciens à principio, vidit numeroſitatem capitulorum; & ait ad epiſcopum Tornacenſem: Domne, quid amplius quæritis? Abſque libello iſto, ſufficit vobis teſtimonium domni Epiſcopi Sueſſionenſis & clericorum ejus: debet vobis magnam fiduciam præbere iſte talis Abbas, cujus & ætas ſuſcipienda eſt, & prudentia beneplacet; libellum vero iſtum, quia ſynodalibus negotiis occupamur, percurrere non vacat. Joffredus Carnotenſis epiſcopus ait: Domne Tornacenſis, dico vobis in veritate: Si Dominus talia vel ſemel feciſſet circa aliquem prædeceſſorum meorum, ego nec Papam, nec Legatum, nec vel Archiepiſcopum conſulerem: ſed tota conſtantia ſanctum Dei, ut dignus eſt, exaltarem. Interim dum hæc ab Epiſcopis decernuntur, quidam nobiles magiſtri ſcholarum acceperant libellum, & curſim perlegerunt quædam geſtorum capitula. Quidam ergo eorum recurrentes ubi erant Epiſcopi, cum magna conſtantia fatebantur: Revera ex Deo non eſt, qui hujus ſancti exaltationi contrarius eſt. Tunc Guillelmus Catalaunenſis epiſcopus ait: Per Deum turpe eſt quod de re tam aperta dubitamus; unde vos, domne Tornacenſis, cum Domini gratia, remota ambiguitate, ſtatuite diem quo ad locum conveniatis, & ſanctum Domini ſervum de terra elevando honorifice recondatis. Lambertus Epiſcopus Tornacenſis ait: Ecce Legatus in hac ipſa baſilica cum noſtro Archiepiſcopo Remenſi, vel Turonenſi * eminus reſidet, rogo vos, placeat vobis ante illos venire, & veſtram ſententiam illorum judicio conformare. Epiſcopi dixerunt: In nomine Domini fiat. Ut ventum eſt, Lambertus epiſcopus dixit domno Catalaunenſi: Rogo, agite cauſam meam. Cumque ille brevi facundia, ante Legatum & Archiepiſcopos cauſam explicuiſſet, tam legatus Conon, quam & Remenſis Archiepiſcopus, una voce reſponderunt: Judicium veſtræ auctoritatis plene ſuſcipimus, & decretum veſtri conſenſus roboramus. Itaque epiſcopus Lambertus convocans Abbatem, deſignavit diem, quo *Aldenborg* conveniret, ideſt, Calendas Maii, & viri Dei corpus ſanctum de humo levatum, juxta morem Gallicanæ Eccleſiæ

[b] * Dambertus. * Henricus. * Girbertus. * Burchardus.

* f. Senonenſi.

[a] Hanc ſynodum habitam fuiſſe anno MCXX. ex eo conjicimus, quod infra cap. XVII. dicatur elevatio facta menſe Maio, anno MCXXI.

[b] Scilicet Guillelmus, de Campellis vulgo dictus, à natali ſolo in Pariſienſi diœceſi.

ceu

ceu revera ſanctum reponeret. Dedit etiam litteras cum ſigillo, quibus omnem Tornacenſis diœceſis populum ad tam ſanctum officium convocaret. ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XVI.

Fama volans celeri currente meatu,
Diverſos populos has ſedes viſere fecit.

Taceamus de Flandria Vvalachrenſes, Scoldanii, Bevelandenſes, Antuerpenſes, Texandriani, Vvaſiani, Brabantini, Menapenſes, Morinenſes, Bolonienſes, vel ceterarum regionum plebes ubertim affuerunt. Tempore itaque præſtituto advenit Epiſcopus cum Tornacenſi Archidiacono honorabili Rodberto, & magna copia cleri; & prælato crucis trophæo, allato quoque ſacri Evangelii corpore, cum cereis & odoribus concinente clero, aperitur tumulus viri ſancti, eriguntur de pulveris ſitu oſſa beata. Stabat calix conſepultus ſuper pectus ejus, jacebat & plumbea tabula ſub calice præ pectore ejus; quæ tabula ſcripta tenebat nomen, patriam, genus, militiam, converſionem, in Abbatem promotionem; diem ordinationis ejus in epiſcopum, diem tranſitus ejus de ſæculo iſto ad Chriſtum. Hæc tabula à pectore ſancti elevata, & Epiſcopo adſtanti relicta, fecit illi gaudia magna: quoniam formidabat ne errore aliquo aucti, non ſanctum Arnulfum, ſed quemlibet indignum, fratres ſub nomine ſancti elevarent. Similiter & paſtorale petatium [a] cum Epiſcopo demonſtraſſent, gaviſus eſt plurimum. Ad ultimum cum ſandalia auro intexta extracta vidiſſet, in lacrymas reſolutus eſt. Ad ſuſcipienda oſſa, & de ſepulcro levanda, fuerunt electi tres preſbyterio functi, abbas ARIULFUS *, Goduinus monachus, Hagamingus monachus. Cumque Abba calvariam capitis è terra elevaſſet, & in capſam ad hoc paratam poſuiſſet; ecce manus ejus pingues, & liquore olei infuſæ repertæ ſunt, tamquam ſi manus ſuas intinxiſſet in vas olei plenum. Ecce, coram Deo, quia verum eſt, & verum fuit quod dicitur, odor quoque magnæ ſuavitatis ibidem diffuſus eſt. Nec immerito. nam qui in vita mortali in omni loco Chriſti bonus odor exſiſtere ſtuduit, non mirum, ſi jam coronatus à Deo, ipſo largiente cui ſervivit, cæleſti odore meruit honorari. Interim reboat eccleſiæ ſinus almæ Trinitatis laudibus, & uſque dum beata oſſa digno cultu amicta ſcrinio conderentur, tam Epiſcopus quam clerus divinis verbis operam dabant. Quibus ſcrinio illatis, mox Epiſcopus impoſuit hymnum *Te Deum laudamus, te Dominum confitemur*. Hoc vero hymno uſque ad millies conjubilato, effertur ſanctus extra eccleſiam ad ſtationem condictam, manu ſiquidem militari. Tanta etenim ad ſanctum irruit hominum multitudo ut nimium ſeſe conculcarent, impingerent, contunderent: & nemo præ amore ſancti vel ſibi vel alteri parceret. Ita devotio ſanctique deſiderium metas rationis abjecerat, ut Abba vel monachi ad ſanctum propinquare nulla ratione valerent.

Sacrum corpus elevatur.

* *al. mend.* Arnulfus.

XVI. *Miracula.*

Sane divina non defuerunt miracula, ſed Deus verus in Trinitate unus, cui pure ſervierat Arnulfus, trinum miraculum ibidem exhibuit. Nam quidam juvenis inimica vi poſſeſſus, & ob id in inſaniam longo dudum tempore auctus, ibi ab inimico liberatus, & ſoſpitati corporis, & libertati ſenſus ſui eſt donatus. Duæ quoque feminæ paralyſi percuſſæ, ac membrorum officio penitus deſtitutæ, plenariæ ſanitati ſunt reſtitutæ. Hæc vero tria ſigna intra eccleſiam facta, ad notitiam populi per plateas vel agros diffuſi, non ſatis palam devenerunt; quia denſa plebium multitudo ſtipatim baſilicam adeo impleverat, ut nemo ibi palam loqui, nemo ibi quoquam ſe vertere, nemo ibi niſi fremitus tumultuantis populi tunc poſſet audire.

XVII.

Deus de cælo complacens ſibi in ſuo ſancto Arnulfo, dedit tunc ſignum etiam è cælo. Etenim ab hora prima uſque ad ſextam plenam, viſa eſt in

[a] Ideſt ſchedulam, ut alias jam notavimus.

ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XV. cælo ſphæra ardens quaſi flamma ignis, quæ incumbebat ſuper ſanctum corpus viri beati. Per tranſverſum vero ipſius ſphæræ, radiabat velut aurum puriſſimum in camino probatum, ſignum ſanctæ Crucis. quæ Crux ſuo ſplendore vincebat omnem ſolis decorem, ſua etiam longitudine ſuperabat amplitudinem prædictæ ſphæræ, per quatuor cornua ultra tendens, & nimio fulgore velut aurum rutilans. Hoc certe ſignum in cælo viſum, videtur ſignare cæleſte myſterium. Quid enim ſphæra figurat, niſi orbis terrarum latitudinem? & quid viſio Crucis, niſi terreni corporis mortificationem deſignat? Quid autem aurum vel auri ſplendor indicat, niſi æternæ ſapientiæ claritatem, & internam divini luminis contemplationem? In ſphæra vero apparuit flamma; quoniam per orbem ſcitur, immo ſcietur, quia caritas Dei diffuſa eſt in corde Arnulfi, per ſanctum Spiritum qui datus eſt illi. Si datus eſt, à Deo cæli datus eſt. Jure ergo ſignum Arnulfum glorificans in cælo apparuit. Et nemo dicat, Arnulfum quis noverit? Nos dicimus quoniam optime notus eſt, qui jure cæli dignus eſt noſci. Nec enim fallit Propheta qui dicit, In memoria æterna erit juſtus. Sphæra igitur quæ in cælo apparuit, figuravit latitudinem bonæ famæ; flammeus aſpectus, ardorem caritatis internæ. Crux ſignificat martyrium; aureus ſplendor divinæ caritatis myſticum intellectum; longitudo Crucis ſuperans ſphæram, intimat ſanctam beatæ mortificationis perſeverantiam. Potuit dicere beatus & ſanctus Arnulfus: Mea converſatio in cælis eſt, potuit dicere, Omnia mundi amabilia vel delectabilia quæ reliqui, arbitror ut ſtercora. Talis vero, talibus debuit declarari.

XVIII. Dies & annus Tranſlationis. Facta eſt autem hæc ſancti Arnulfi Tranſlatio, primo die menſis *Maii*, Indictione XIV. ſub anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo viceſimo-primo, Francorum ſceptra tenente Ludovico filio Philippi, annis XIV. Flandriæ Comitatum agente Carolo filio Regis Danorum, cujus mater fuerat filia Rodberti Comitis; cœnobium Aldenborgenſe regente Hariulfo Abbate per annos jam ſexdecim. Animadverſum eſt autem, cum beati viri elevatione regioni Flandrenſium adveniſſe frugum fecunditatem, corporum ſanitatem, aurarum ſalubritatem: quæ antea per annos ſeptem pluviarum inundatione, & agrorum ſterilitate, animalium quoque peſte, & hominum crebra mortalitate atrociter langueraт *.

XIX. Dominica tertia poſt Albas, quando introïtus Miſſarum cantatur, *Jubilate Deo omnis terra, alleluia*, facta eſt nobis beata ſancti Arnulfi corporalis elevatio, à qua Dominica, dein octava-decima die, evenit præclara ſollemnitas de Aſſcenſione Domini, quæ eſt quadrageſima dies à ſancto die Reſurrectionis. Hæc vero Aſſcenſionis ſollemnitas in opido Aldenborgenſi ab aliis ſollemnitatibus magis frequentior fit, eo quod in illa die ſollemnes nundinæ in eodem loco ducuntur, & ideo populi ab operibus vacantes, ſolito plus confluunt. Hac vero opportunitate, promiſcuis turbis undique irruentibus, contigit conveniſſe de una vicinia tres milites germanos fratres, & duos alios ſeorſum fratres milites, illis tribus inimicantes: quoniam illi tres nuper interfecerant germanum illorum duorum fratrem militem. Illi vero tres aliorum fratris interfectores, convenerunt Abbatem & monachos ejus loci, & rogaverunt nimis ſupplices, ut ferrent auxilium, laborando pro reconciliatione eorum. Ad quos Abbas & monachi ſatis voluntarii requirentes ubi eſſent illi duo fratres orbati, tulerunt ſecum lecticam beati Arnulfi; & venerunt ex improviſo ubi illi ſedebant, & prandere inPacem reſpuens punitur. cœperant. Senior frater, ut vidit monachos & ſanctam lecticam, intellexit hos venire ad ſeſe cogendum. Statim projectis dapibus & poculis, voluit exſurgens effugere; ſed virtute Domini & meritis ſancti Arnulfi, nates ejus adhæſerunt ſcamno, pedes ejus adhæſerunt ſcabello ſuppedaneo; & ita

* In Capitulorum indice nulla mentio de his, quæ in eo capite habentur, ſed ponitur argumentum ſequentis.

compeditus & conſtrictus reſedit invitus. A monachis poſtulatus indulgentiam, reſpondit verba ſtultitiæ. Quid multis differamus? Lingua proterva, oculi torvi, & totius corporis motus diſſimiles, illum amentem prodiderunt, & morti jam inditum amici defleverunt. Tunc junior frater devovit dicens: Sancte Arnulfe miſerere mei, & redde mihi vitam fratris mei; & ecce voveo & promitto, quoniam ſi evaſerit frater meus, & pro amore tui iſtis inimicis efficiar amicus, & ipſum velit nolit pertraham, ut faciat cum eis perpetuæ pacis fœdus. Monachi præſentes hæc audientes gaviſi ſunt, & accepta aqua humectaverunt pedes lecticæ, ipſamque aquam reſumentes infuderunt ori ejus & faciei totæ. Tunc ille quaſi de gravi ſomno expergiſcens, continuit ſe; dein vocans fratrem fortiter ejulantem, ait: Gaude frater, quia revixi, orationibus ſancti Arnulfi me Deus vivere permiſit. Et conſurgens adoravit cum magna devotione. deinde fratris ſui occiſores cum magno affectu accepit in amicos, & ſub firmamento juramenti pollicitus eſt illis pacem ſtabilem obſervare. Sic exoſis gratiam, ſic odientibus benevolentiam, ſic beato Arnulfo honoris reverentiam, ſic Chriſtus Deus noſter nomini ſuo laudem & gloriam proveniſſe dedit in ſæcula ſæculorum. Amen. ANN. CHR. MLXXXVII. AUG. XV.

EJUSDEM S. ARNULFI VITÆ COMPENDIUM,

Ex iiſdem codd. mſſ.

1. QUamvis Brabantia litium ac rapinarum olim fuerit altrix & magiſtra, veridicoque poëmate dictum ſit,

Francia quot vites, tot habet Brabantia lites.

Sub tempore tamen Comitis Balduini & Adelæ Comitiſſæ, ſuperno dono irradiari meruit, dum ſanctæ recordationis virum ARNULFUM futurum Epiſcopum, ad illuminationem hominum non paucorum ſuo ſinu progenitum, ceu radium Sole juſtitiæ illuſtratum, meruit procreare. Hujus genitor Fulbertus Godelef matris conſobrinus, clara nobilitate refulſit; & mater, nomine Mainſindis, Teuthonicorum procerum ſtirpe edita, ingenuitate ſpectabili claruit. Hi ergo inclyti genitores, carnali & ſpirituali prole florentes, habuerant filium jam adultum, formæ elegantia & militiæ actibus præcipuum, quem repente mors immatura diripuit; & genitorum corda irremediabili triſtitiæ angore contrivit. Maternus tamen affectus pro amiſſione nati inſtantius condolebat, & nocte dieque in fletibus tempora protrahebat. Huic præ nimia anxietate dormitanti, apparuit vir ſpecioſus, & luce micanti fulgidus, dicens ad eam: Quid te ipſam mærore afficis pro filio tam utiliter mortuo? Qui ſi diutius viveret, revera lubricus, & prædo, & pravorum hominum convena foret: immo potius grandi lætare gaudio, quoniam in utero geſtas filium, quem ſuperna electio prædeſtinavit magnum futurum. Hunc dum in lucem protuleris, Chriſtophorum vocari optabis; quoniam revera idem puer operibus & verbis ſuo Chriſtum in pectore feret. Et ut certo ſcias hæc ita divinitus præordinata, vadens ad eccleſiam, in eo loco ubi orare ſolita es, fodere fac: & foſſa humo, invenies lapidem magnis litteris ſculptum, quæ litteræ tibi prodent tui partus nomen & meritum. Et matrona venerabilis tantæ laudis percepto oraculo, à ſomno evigilans, cum ingenti gaudio viſionem enarravit marito; ac demum, ut comprobaret rei fidem, aſſumſit famulos cum foſſorio, & velut commonita fuerat, fodere faciens, laterem quadrum invenit altis litteris exaratum, habentem ita: CHRISTOPHORUS. Quo reperto, majori lætitia afflata eſt, & jam ſecura de prolis ſanctitate, quam antea neſciebat ſe concepiſſe, lætabunda exſpectavit divinæ operationis munus repromiſſum. Denique adultus cœpit eſſe blandus alloquio, acutus ingenio, promtus obſequio, alacer in opere, efficax & fortiſſimus in corporis robore. Exinde tyrocinii tempore alacriter ſuperato, militiæ cingulum ſumſit, & omni humana virtute præſtantior in rebus militaribus fuit.

Arnulfi parentes.

Ejus nativitas divinitus præoſtenſa.

Fit miles.

2. Patre autem defuncto, ſe ad monaſticum ordinem contulit; & in eccleſia ſancti Medardi Sueſſionis probatum ſe monachum, non ſolum clauſtrali contubernio, ſed & ſolitaria reclusione ferventer exhibuit. Exinde defuncto Abbate RAINALDO, in Abbatem eligitur; & hoc negotio ſe credens inferiorem, nocturna fuga declinare molitur. Itaque unius diei

Monachus, Recluſus.

Abbas.

Ann. Ch. MLXXXVII. Aet. XV. fuga dilapſus, dum ſequenti nocte remotiorem latebram quærit, lupi comitatu ad civitatem reducitur; & mane comprehenſus, ſedi quam fugerat epiſcopali auctoritate nolens invehitur. Tunc diuturna ſilentia, quæ tribus annis & menſibus ſex tenuerat, reſolvit: & præco Domini conſtitutus, verbo & opere omnibus prodeſſe ſtuduit. In officio igitur regiminis deſudans, plura miracula fecit; rebelles & incredulos domuit, infirmos dono gratiæ Dei ſanavit, cæcis viſum reddidit, prophetiæ ſpiritu viguit; quod vere ſanctus & Deo placitus eſſet, omnibus innotuit. Tunc temporis Philippus Rex Francorum voluit eum venire in aulam regalem, ut regni negotiis diſponendis intereſſet; voluit etiam, ut armatæ expeditioni intereſſet: quod utrumque ſervus Chriſti priſcæ profeſſioni ſuæ officere ſentiens, abnuit: & ne Deum offenderet, Regem terrenum circa hoc offendere non formidavit. Nec ſolum offenſam Regis incurrere, ſed & curam Abbatiæ ex toto dimittere maluit: timens videlicet, ne poſtquam manum in aratrum poſuerat, ſi retro reſpexiſſet, non eſſet aptus regno Dei.

Fit Epiſcopus Sueſſionenſis. 3. Itaque qui in pauca fidelis permanſit, ſupra multa conſtituitur, ut ſalvo altiori intellectu, omnium vitiorum turbas, omniumque peccatorum in ſeipſo metas compeſceret: & virtutum copia cumulatus, Deo & bonis hominibus complaceret. Glorificavit enim eum Dominus in conſpectu Regum & Procerum regni, in conſcientia domini Papæ Romani Gregorii, & totius cleri: adeo ut languenti eccleſiæ Sueſſionicæ Urſionis incuria, nil remedii occurreret, niſi ut hic beatus Chriſti ſervus ipſius eccleſiæ paſtoralem curam conſultu Papæ ſuſciperet. Renuente * igitur curia Francorum ſuper ea ſententia, ſed cogente Romani Pontificis auctoritate Apoſtolica, conſecratur Epiſcopus, præeunte electione canonica, ut lucerna gratiæ Dei non jam lateret in angulo; ſed omnibus poſſet lucere aptata candelabro.

* al. Annuente.

Prædixit Reginæ filium naſciturum. Sane dum conſecrandus Hugonem Dienſem epiſcopum, Romanæ ſedis tunc Legatum, adiret, Reginæ Francorum longa jam ſterilitate mæſtiſſimæ, miſit nuntium, denuntians ei, quod ventris gremio portaret filium, vitali flatu nondum vividum; ſed poſt paucos dies ſpiritum vitæ à Domino accepturum: cujus & nomen prædixit Ludovicus, & quod poſt deceſſum patris Rex futurus, & abundantiori pace potiturus foret; aperte prophetavit. Menſe Decembrio, quarto-decimo Calendarum Januarii, perfunctus eſt ſacra Pontificali benedictione: & rediens, vix evaſit Viennenſis cleri vel populi devotam violentiam, qui illum raperent ſibi in Epiſcopum, ſi capere potuiſſent. Advenienti denique in ſedem Sueſſionicam, fit obvia regiæ domus militia, & beatum Epiſcopum interimere ſatagebant, ſed pavebant ne vivos abſorberet terra. Vir autem Domini ceſſit abſiſtentibus, & ſolatio Comitis Tedbaldi, manſionem accepit in caſtro Ulciacenſi: ubi convenientibus Prælatis & nobilibus plebis, eccleſiaſtica cauſa diligenter tractabatur, cleri ac populi utilitas ad unguem ſanciebatur, animarum ſalvatio exercebatur.

4. Quodam tempore cujuſdam vici plebitaneam eccleſiam dedicaturus, clientibus ſuis dixit: Tali, rogo, ſemita ad eccleſiam illam nos conducite, ut lateat populos, qua nos debeamus via venire: & aliquid alimentorum vobiſcum comportate, ut corporum fatigationem valeamus vel ad modicum relevare. Itaque ſemita remotior ac devia arripitur, nec tamen fervor populi hoc argumento ſedatur; ſed ſub omni celeritate copioſa commeantium hinc inde turma adunatur. Quod cernens Dei ſervus, in laudem Conditoris erupit, ac deinde ſuis familiaribus dixit: Quicquid alimentorum hic habetis, proferte, ut poſt laborem vires valeamus reparare. Nec mora, proferuntur quinque paximatia, funduntur & vini heminæ quinque. Tunc jactis in terram tapetibus, vir Domini ſuperſedit, profluа turba illum gregatim ambiente. Tunc benedicens, paucos quidem numero, ſed multos numeri myſterio, juſſit omnibus qui undique conſidebant, diſtribui, vinum quoque ad ſatis propinari. Mirantur miniſtri panem non deficere, mirantur & illud tantillum vini tot ſumentibus abundare. Nam excepto Præſule cum ſuo comitatu, manducantium turba ſeptingentorum numerum continuit.

Panem & vinum multiplicat.

5. In eodem caſtro vir Domini ſanctus Arnulfus monachum ſuum & preſbyterum Evetolfum, febribus & dyſenteria fatigatum, ſuæ manus impoſitione ſanavit: bajulum rapinæ diabolum geſtare vidit; in hoc prophetiam de morte ſua vel ſepultura, Deo revelante, cognovit. Cauſa autem adventus ſui, caritas fraterna & obedientia exſtitit: quando dominus Papa imperio ſuo eum coëgit, ut clericos, qui de proditione ſui Comitis fuerant impetiti, eidem Comiti reconciliaret, & contra ſacros canones nil ab eis extorqueri conſentiret. Paruit ſacris mandatis Apoſtolici auctoritate ſibi injunctis, rediit in Flandriam, fecit pacem verus pacis miniſter. Nec tantum clericos calumnia quaſſos recuperavit; ſed omnis Flandriæ regionem, diabolico furore in ſemet ſævientem, ad pacis & quietis placidam confœderationem reduxit. Deinde conſilio & voluntate domini Radbodi Tornacenſis Epiſcopi eccleſiam ſancti Petri Apoſtoli & omnium Apoſtolorum, ſitam in vico Aldenborgenſi, rogante Comite Rodberto, & flagitante Conone nobili viro, ædificandam, & uſibus Abbatiæ aptandam ſuſcepit, ubi, Deo ordinante, dormitionem requiei accepit: ubi divinitus ſibi

Mortem ſuã prævidet.

anteа proviſam ſepulturam ſubiit ; & ubi poſt obitum ſanctum anno triceſimo-quarto, de tranſlatione ſacri corporis ſui ſollemnia gaudioſa præbuit, præſtante Domino & Salvatore noſtro Jeſu-Chriſto, qui cum Patre & Spiritu-ſancto, vivit & regnat Deus per immortalia ſæcula ſæculorum. Amen. ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XVI.

VITA B. THEODERICI ABBATIS ANDAGINENSIS SEU S. HUBERTI IN ARDUENNA SILVA.

ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XXIV.

Auctore anonymo, æquali.

Ex variis codd. mſſ. Hubertinæ abbatiæ.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *HUJUS Vitæ auctoris nomen plane nobis ignotum eſt ; at certi ſumus illum beati Theoderici æqualem fuiſſe, & nonnullorum quæ ab eo referuntur teſtem oculatum, ut ipſemet paſſim teſtatur. Et quidem mortem beati Abbatis deſcribens num. 31. hæc habet :* Teſtor Chriſtum & qui aderant, me nihil commenti fingere ; ſed quod videre & audire mihi contigit, in veritate de ſancto homine vera dicere. *& num. 26. cum narraſſet miraculum, quod beatus vir Remis patraverat, ſubjungit, ejus rei tot eſſe teſtes,* quot ex his, *inquit,* qui in ea urbe tunc erant, adhuc ſuperſunt homines. *Porro tametſi hujus Vitæ auctor tunc in monaſterio ſancti Huberti præſens fuerit, cum Theodericus exceſſit è vita, ejus tamen loci monachum non fuiſſe patet ex iſtis prologi verbis, quibus Lambertum monachum Hubertinum ſic alloquitur :* Adorſus ſum, te adhortante, venerabilis ſenis Theoderici abbatis veſtri vitam deſcribere. *Eadem fere repetit in fine, ubi hæc habet :* Hunc tibi libellum de veſtro, immo & noſtro, patre Theoderico, &c. *quibus verbis, ni fallor, innuit ſe in loco aliquo vixiſſe, cui præfuerit Theodericus ; aut certe, quod veriſimilius eſt, Theodericum ex eo loco prodiiſſe, ubi degebat ille auctor. quod fortaſſe de Lobienſi monaſterio intelligendum eſt, ubi Theodericus monaſticam profeſſionem emiſit. Quamvis enim hujus vitæ ſcriptor ſe Lobienſem monachum fuiſſe nuſquam aperte dixerit ; id tamen videtur innuere num. 8. ubi ea laudat quæ à ſe de Lobienſibus rebus ſcripta erant. unde ſuſpicari licet hunc auctorem illum ipſum eſſe Fulcuini continuatorem, cujus opus à recentiori quodam interpolatum, & uſque ad ſæculi* XVII. *initia protractum, edidit noſter Lucas Acherius tomo 6. Spicilegii. Huic conjecturæ favet brevis monitio in codice Lobienſi Vitæ huic præfixa, ſub hoc titulo :* Extractum ex tertia parte Antiquitatum Lobienſium. D. THEODORICUS. caput 68. anno 1084. *Tum habet.* Anno 1084. obiit ſanctus Theodoricus abbas Andaginenſis ſive ſancti Huberti in Arduenna, antea monachus Lobienſis. De quo ſiquidem hodie fratres ejuſdem monaſterii teſtantur, quod nullus anteceſſorum ejus in innovandis ſeu decorandis & multiplicandis monaſticis rebus tantæ utilitatis ſigna reliquerit ; &, quod ad majorem laudis cumulum pertinet, tantæ ſanctitatis in carne degens fuiſſe probatur, ut in magna ſpe futuræ gloriæ defuncti etiam corpus magnæ venerationi ſuis habeatur. Sed & Lobienſibus, dum matricem eccleſiam memoriam ſui habere ſollicitus eſt, pallium, quod hodieque inter optima eccleſiæ ornamenta habetur, largitus eſt : cujus vitam miraculis & bonorum operum inſtructione plenam ſic ab initio deſcribendam duximus. *Verum dum hæc ſcriberemus, occurrit nobis Germaniam ſacram Bucelini evolventibus catalogus virorum eruditione celebrium, qui in monaſterio ſancti Jacobi Leodienſis claruerunt, in quo inter alios recenſetur Heribrandus, poſtmodum ſancti Laurentii Leodii abbas,* qui ſcripſit Vitam ſancti Theodorici abbatis Hubertini. *Hæc Bucelinus ibi, qui aliis in locis eumdem Heribrandum laudat, nulla facta Vitæ hujus ab eo ſcriptæ mentione. Nec ejus vitæ meminit Fiſenus in Floribus Leodienſibus, ubi Heribrandum inter abbates ſancti Laurentii recenſet : immo nec in ejus vitæ epitome, quam habet die* VI. *Junii. quis tamen dixerit Bucelinum hæc gratis excogitaſſe? Ceterum auctor Vitæ illius, quiſquis hic demum fuerit, vivebat haud procul à monaſterio ſancti Huberti, non diu poſt beati Theoderici obitum. quæ optime Heribrando con-* Quis auctor vitæ beati Theoderici.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XXIV.

gruunt, qui ad annum MCXXXII. ſancti Laurentii monaſterio apud Leodium præfuit. Hanc porro vitam ex tribus codicibus mſſ. erutam proferimus, in quibus omnibus cum manca & imperfecta habeatur, quæ in alterutro deſiderantur, ex tertio ſupplevimus.

Annus quo obiit.

2. Non una eſt auctorum ſententia circa annum, quo Theodericus è vivis exceſſit. Ejus obitum ad annum MLXXXIV. revocant Johannes Molanus in Natalibus ſanctorum Belgii, Miræus in faſtis Belgicis, aliique paſſim recentiores. Bartholomæus Fiſen in Floribus Leodienſis eccleſiæ ad ſequentem. In uno è mſſ. codicibus quorum copiam habuimus, legitur Theodericum anno MLXXXVII. mortuum fuiſſe, quod anno ſequenti contigiſſe dicitur in altero codice. ſed tametſi in tanta opinionum varietate vix aliquid certi ſtatui poſſe videatur, adeo tamen diligenter ſeriem annorum beati abbatis notavit vitæ ejus auctor, ut ſi illius verba paullo accuratius expendere voluerimus, facile habebitur quis fuerit ejus vitæ extremus annus. Et quidem ex duobus locis inter ſe collatis hæc difficultas, ut quidem mihi videtur, ſolvi poteſt. Hæc nempe de Theoderici nativitate habet num. 4. Anno Dominicæ Incarnationis MVII. Imperante apud Romanos Henrico, anno poſtquam juniori Ottoni ſucceſſerat, ſexto, præſidente in ſede Leodienſi Notgero, &c. Omnes autem codices conſtanter habent Theodericum anno ætatis ſuæ octogeſimo, incœpto & non expleto, obiiſſe. unde certum manere debet Molani aliorumque ſententiam admitti non poſſe, qui Theoderici mortem ad annum MLXXXIV. revocarunt. Ex iiſdem verbis refellitur, quod unus è codd. mſſ. ſupra laudatus habet, Theodericum è vita exceſſiſſe anno MLXXXVIII. nam eo pacto ille octogenario ſaltem aliquot menſibus major obiiſſet, quod loco ex codicibus omnibus laudato plane adverſatur. Supereſt itaque, ut Theoderici mortem ad annum MLXXXVI. cum nonnullis, aut ad ſequentem, cum uno mſ. codice Hubertino revocemus; & quidem ſi Notgerus epiſcopus Leodienſis anno MVII. obierit, ut nonnullis placet, prima ſententia alteri præferenda eſt, cum Notgerus menſe Martio, Theodericus vero menſe Auguſto è vivis exceſſerint. Etenim à Martio anni MVII. uſque ad Auguſtum MLXXXVII. pluſquam octoginta anni intercipiuntur. Verum cum ſententia, quæ Notgeri mortem anno MVIII. conſignat, alteri præferenda videatur; & dicatur Theodericus in altero codice mſ. natus anno mortem Notgeri præcedente, Theodericum anno MVII. exeunte natum fuiſſe cenſemus, ac proinde eumdem menſe Auguſto anni MLXXXVII. fere octogenarium è vivis exceſſiſſe. Notgeri autem obitum ad annum MVIII. revocandum eſſe, probatur primum auctoritate Lamberti Scafnaburgenſis, tum ex Chronographo Saxonico, cujus exemplar penes nos mſ. ſervamus; conſentit Lambertus Parvus monachus ſancti Jacobi Leodienſis, apud Chapeavillum, in Actis epiſcoporum Leodienſium. Denique cum inter alios Antiſtites, qui erectioni Bambergenſis epiſcopatus anno MVII. Calendis Novembris ſubſcripſerunt, recenſeatur idem Notgerus Leodienſis epiſcopus, ut habetur apud Labb. concil. tomo IX. col. 785. menſe Martio ejuſdem anni obiiſſe dici non poteſt.

Cultus & memoria.

3. Nonnulla etiam difficultas eſt circa ejuſdem beati viri obitus diem, quem unus codex vigeſimo-quarto Auguſti, alius ſequenti die contigiſſe indicat. ſed cum hæc diverſitas tertii codicis, aut alicujus alterius auctoris teſtimonio elevari non poſſit, donec aliquis alter occurrat, diem XXIV. quem omnes ferme recentiores aſſignant, retinemus. Hoc enim ipſo die Menardus & Dorganius in Martyrologio Benedictino, Bucelinus in Menologio, Miræus in faſtis Belgicis, Molanus in Natalibus ſanctorum Belgii, Theoderici, quem Beatum appellant, memoriam celebrant. qua etiam die Bartholomæus Fiſenus in Floribus eccleſiæ Leodienſis ejus vitam profert. At Arnoldus Vvion ejus meminit utroque die; Ferrarius & alii die XXIV. & XXVII. quem ultimum diem, quo depoſitus eſt, aliquot auctores pro natali incaute aſſignarunt; nonnulli vero ea occaſione ex uno duos Theodericos mendoſius effecerunt. Theodericum felicis memoriæ abbatem appellat anonymus auctor, qui ſcripſit Miracula ſancti Huberti, ubi narrat aliquot miracula quæ ejuſdem abbatis tempore, quo quidem ille vixit, contigerunt. Ceterum licet nondum auctoritate pontificia Theoderici nomen inter cælites relatum ſit, nulloque officio publico colatur, ſemper tamen in ſumma veneratione ejus memoria, potiſſimum apud Hubertinos monachos habita fuit, immo & ſacrum ejus corpus è terra levatum in medio eccleſiæ choro locatum, fidelium venerationi expoſitum

Reliquiæ.

uſque ad patrum noſtrorum ætatem permanſit. Sic ea de re loquitur Fulcuini continuator de geſtis abbatum Lobienſium, in Spicilegii Acheriani tomo VI. ubi de beato Theoderico hæc habet. Sub his diebus de noſtro cœnobio THEODORICUS, vir magnæ poſtmodum auctoritatis futurus, apud beati Huberti monaſterium in Abbatem electus eſt. De quo ſi quidem hodie ejuſdem monaſterii fratres teſtantur, quod nullus anteceſſorum ejus in innovandis, ſive decorandis & multiplicandis monaſticis rebus tantæ utilitatis ſigna reliquerit; & quod ad majoris laudis pertinet cumulum, tantæ ſanctitatis in carne degens fuiſſe probatur, ut in magna ſpe futuræ gloriæ defuncti corpus etiam magnæ venerationi ſuis habeatur, ſicut libellus vitæ ejus demonſtrat. Sic & nobis dum matricem eccleſiam, memoriam ſui habere ſollicitus eſt, pallium quod hodie inter optima eccleſiæ ornamenta habetur, largitus eſt. Verum ſacrum illud corpus, quod tamdiu honorifice ſervatum fuerat, Calviniani hæretici in favillas redegerunt, mærentibus de tanti theſauri amiſſione monachis, qui hodieque ſub Regula Benedictina ſtrictioris obſervantiæ in hoc ſacro loco perſeverant. De eodem monaſterio plura diximus ad annum DCCCXXV. ubi de Tranſlatione & Miraculis ſancti Huberti, Sæculi IV. parte I. pag. 293.

Digitized by Google

INCIPIT PROLOGUS IN VITAM DOMNI THEODERICI abbatis.

1. QUIBUSDAM antiquis ſcriptoribus, aiunt utiliter hoc ſtudii genus ſummum fuiſſe, ut eorum, qui inter eos excellebant corporis & animi induſtria virorum, tam dicta quam facta, ea dumtaxat quæ relatu digna videbantur, litteris tranſmitterent ad poſterorum notitiam; ut ſcilicet mortuis apud morituros clara ingenia immortalitatem conferrent, nec ſilentio premeret annoſa vetuſtas, quos miraretur merito, & quorum virtutibus ad virtutes incitaretur poſterior ætas. Eos imitati poſtea eccleſiaſtici viri quidam ea, quæ temporaliter in carne, vel dixit vel mirabiliter operatus eſt Filius Dei, claro ſtilo veraciter proſequuti, ſplendore inſtitutionis evangelicæ corda fidelium illuſtraverunt. Aliqui & ſcriptis Apoſtolicis actibus, multum fidei & roboris & patientiæ ſequenti ævo addiderunt. Multi autem ab Apoſtolorum temporibus, ad noſtram uſque fere ætatem, vel de pace vel de bello Eccleſiæ, magna nobis ipſius ſcripta reliquerunt monimenta; in quibus chriſtiano homini ſtrata eſt via ad ardua virtutum, patent etiam calles reflexi in devexa vitiorum. Quidam vero eorum paſſiones, qui cælum ſanguine mercati ſunt, conſcripſerunt; pleriſque autem cura fuit in litteris ſuis referre de eorum vita & converſatione, qui vel eccleſiis Dei præfuerunt, eaſque, aut cæleſtis doctrinæ illuſtratione, aut operum atteſtatione, ſive miraculorum coruſcatione clarificaverunt, vel qui omnem mundanæ cohabitationis ſocietatem, non ſolum corpore ſed & tota mente fugientes, ferarum & avium ſocii, tantum in deſertis locis vixerunt. Et hoc fecerunt, non ut accurati ſermonis compoſitioneglorioſiores facerent, quos jam in cæleſti regno, gloria & honore Deus glorificaverat, & conſortes ſui ſecum cohabitare fecerat; ſed ut ad eorum æmulationem & exemplum juniores inſtituerent, & boni quidem bonorum opera recitando meliores fierent, mali vero, eorum exemplo quos prius perverſos, & poſtea, Deo eos mutante, converſos legerent, vel audirent, vitam & mores malos in melius mutarent.

2. Horum ego quoque, mi LAMBERTE, ſequens & longe adorans veſtigia, aggreſſus ſum, te adhortante, venerabilis ſenis THEODERICI abbatis veſtri vitam ſcribere, & ab ejus exortu, quemadmodum cœperit, quibus actibus vitam ſuam inſtituerit, quo niſu ad virtutum faſtigia conſcenderit, quem etiam vitæ terminum habuerit, illa tantum quæ tua & aliorum fidelium virorum relatione, mihi de ipſo comperta ſunt, ruſticano quidem & minus accurato ſermone, ſed quam veriſſime potero, expedire. Quod onus, quamvis non efficientiæ ſecuritate, ſed tam pro pia defuncti ſenis recordatione, quam pro veſtræ amicitiæ præſumſerim magnitudine, quam ſit grave & importabile, non ſum neſcius; ubi & propter hiſtoriæ puritatem oportet niti veritate, & quia ſancti hominis vita ſcribitur, falſitatis crimen cavere, ne in eum quem ſupremo amore dilexi, mentiendo magis injurius eſſe videar, quam obſequium impendere. Ad hæc & illud accidit, quod dum plurima velut quæque in mentem venerunt injudicata, nec ſatis emunctæ naris verba emitto; vel aliquando quædam aut nimis aſpera, aut nimis levia & pæne vulgaria, quod interdum exigit hiſtoria, profero, judicio multitudinis, pateo variis reprehenſionibus. Facile enim in utramque partem amore labitur aut odio. Porro autem cum imbecillitatem inſcientiæ meæ penſo, ne impoſiti à te mihi operis ſarcinæ ſuccumbam timeo, & imperitia deficientis vertatur in culpam adhortantis. Sed cum & tuæ amicitiæ jucunditatem ſpecto, & cum defuncti recordatione excitor, fa-

Auctor æqualis.

ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XXIV.

cile & pronum exiſtimo, quidquid de illo apud te dictum pro utriuſque amore fero. Nihil enim periculi eſt apud amicum proferre, quæ ſentias; dum tantum veritatis curam ſemper habeas, mendacii commenta caveas. Tutior quippe, quamvis in ruſticis & ſimplicibus verbis incedit veritas, quam verborum ſplendore ſubornat falſitas. Atque hæc hactenus, ſed jam ad narrationem convertor, invocans eum, cui ille de quo agitur Theodericus, devote & fideliter ſervivit, Deum cooperatorem eſſe hujus operis.

INCIPIT VITA DOMNI THEODERICI abbatis ſancti Huberti in Arduenna.

a Theoderici patria & parentes.

3. ERat in villa quæ dicitur Lerna, quæ à Tudiniaco [a] caſtro tribus millibus, à Lobienſi vero cœnobio quinquaginta ſtadiorum dividitur intervallo, miles quidam honorata natus familia, GONZO nomine, habens uxorem religioſam ac timentem Dominum, quæ dum aliquando ſopori ſe dediſſet, vidit per ſomnium ſe in quadam eccleſia, quibuſdam reverendi habitus viris officioſe ſibi obſequentibus, ſacerdotalibus indutam veſtimentis aſtare ſacro altari, & cum litteras penitus ignoraret omne officium Miſſæ diligenter percantaſſe, & ſic indubitanter illud myſterium celebraſſe, tamquam ſi omni tempore huic vacaſſet operi. Poſt expleta vero illa, ut ſibi videbatur, Miſſarum ſollemnia, ut ſacerdos benedixiſſe populo: deinde, exutis & ſepoſitis in ſacrario ſacris veſtibus, exiiſſe, & valedictis omnibus domum reverſam, poſt dulcedinem ſomnii leniter evigilaſſe. Hinc perterrita cœpit ſollicitari & conturbari intra ſemetipſam pro viſione, memor ſexus & conditionis ſuæ, timens quod viderat multam calamitatem prætendere ſibi & domui ſuæ, cum ſciret illud miniſterium à nullarum feminarum numquam præſumtum eſſe. Porro autem ut mulier ſapiens recogitabat apud ſe, quod ſi Deus vellet eam occidere, vel ejus domum cladibus damnoſis affligere, alio modo quam [myſterio] vivificationis humanæ miſerias & mortes ſuas præſcire poſſet; certa tamen erat viſionem hujuſmodi non fantaſticam eſſe, nec ſe deceptam nocturna vani ſomnii imaginatione, ſed potius quidlibet magnum prædivinare. Neque vero femineo more cuivis, nec ſaltem marito ipſi, voluit viſa referre, ſed poſuit faciem ſuam Dominum deprecari & rogare in jejuniis & eleemoſynis & oratione, ut Deus qui revelat myſteria, & novit in tenebris conſtituta, myſterium viſionis dignaretur ei revelare: & quia cor ad quærendum appoſuit, quod quærebat, Deo monſtrante, ita ſcire meruit. Erat eo tempore in ſanctæ continentiæ vivens propoſito infra regionem ipſam, quædam anus longæva, cui præter cetera virtutum dona, pro merito vitæ, Deus conceſſerat, ut multis nonnumquam prænuntiaret futura. Hujus opinione illa mulier in ſpem interpretationis ſomnii ſui adducta venit ad eam, brevique illi precata *, poſt mutuos amplexus & colloquia, retulit ei cum multo tremore & lacrymis ſuam viſionem, orans primum ut pro ſe oraret Deum, ne quid prodigiale illi viſio protenderet; deinde ut ejus interpretationem ſibi indicaret. At illa oratione fuſa, gratiæque prophetalis munere afflata: Fidens, ait, ô mulier, eſto; quia quam vidiſti viſionem, divinitus ad te facta eſt, quæ ad ſalutem tuam & multorum implebitur hoc modo. Ecce filius quem habes in utero, nam gravida erat, naſcetur tibi, quem jam Deus nunc ſanctificavit & in opus ſacerdotalis miniſterii ſegregavit ſibi, per quem & multorum ſaluti conſulendum providit. Hæc dixit, & mulierem promiſſi certam domum remiſit: quæ ubi ad maritum rediit, tum demum ſomnium cum interpretatione, ut à Propheteſſa audierat, ſecreto illi exſolvit. Quod ille,

* al. cod. commendata.

In utero ſanctificatus.

[a] Tudiniacum, vulgo *Tuin*, opidum ad Sabim fluvium, non longe à Binchio.

ut

Ann. Ch. MLXXXVII. Aug. XXIV.

ut homo militiæ & ſæculi negotiis deditus, omnino temporibus illis, contemſit, & divina oracula, muliebria reputavit deliramenta & vane compoſita.

Naſcitur anno 1007.

4. Maternis interea menſibus evolutis, poſtquam mulier conceperat divinitus nuntiatum, ipſa nocte feſtivitatis ſancti Martini; dum populus ad vigilias matutinales concurreret, peperit filium, anno Dominicæ Incarnationis M VII. imperante apud Romanos & Germanos HENRICO; anno poſtquam juniori Ottoni ſucceſſerat, ſexto, præſidente in Leodienſi ſede NOTGERO, magnæ ſanctitatis & prudentiæ viro, poſtquam ordinatus fuerat epiſcopus anno ſeptimo & trigeſimo [a]. Mane facto, mater eum baptizari & THEODERICUM in baptiſmate fecit nominari, quod poteſt interpretari, Dei contemplator, ſive divinorum ſpeculator. Quod nomen, quamquam multis cum illo commune ſit, quodam tamen futurorum præſagio ſortitus eſt; nec immerito. nam à puero uſque ad ultimum vitæ ſuæ terminum, ſemper gratia Dei ſecum creſcente, intendit contemplationi divinæ. Igitur infantulus ablactatus, tanta matris cura & diligentia nutritus eſt, ut exceptis parentibus & domo, nil cognoſceret; & cum jam fere ſeptennis eſſet, patre ejus inſcio (qui eum, quod ipſe erat, fieri militem terrenum, & rerum ſuarum diſponebat heredem,) mater ſuæ viſionis non immemor, primis eum litterarum dedit imbuendum elementis: flagrans omnibus votis filium ſuum abſtrahi à vanitate & tumultibus hujus ſæculi, & facere miniſtrum in domo Domini. Sed bonorum omnium inimicus, videns in puero jam quiddam gratiæ ſpiritualis ineſſe, artes quibus illi noceret quæſivit, patremque contra uxoris ſuæ bonum propoſitum inflammavit. qui filium ſuum à litteris abſtractum domi juſſit ſervari, interminatus uxori gravia, ſi poſt hæc præſumeret his tradere diſciplinis. Sed poſt aliquot dies, dum unus puerorum patris ſui bulliens jus coctarum carnium ab igne transferret, impegit ſuper puerulum, & cecidit, & ſiniſtrum ejus brachium de ipſo jure ab humero uſque ad manum fere infuſſit: ſtatim ille doloris impatiens corruit, & moribundus pæne volutabatur humi. Turbata omnis concurrit familia, ante omnes mater nati, commota dolore, frigidius glacie pectus ſuper exanimatum, ut putabat, filium præcipitat. Sed Deus omnipotens inter inſtantia mortis tyrunculum ſuum ſervavit, cujus providentia & virga filiorum jam eum aſſueſcebat, & plagis ſuis ad ſe trahebat. Poſtquam autem illa à torpore mentis in ſe rediit, ut tandem inter ſingultus & crebra ſuſpiria vocem dolor invenit, modo pectus tundens pugnis, modo faciem fœdans unguibus, modo crines ſcindens manibus, & ſævis totam domum implet querelis, ſe infelicem clamitans, ſe obteſtans miſeram, ſe neglectam Dei reſpectu miſerandis iterat ululatibus, cui ex promiſſo erat datus filius, ſed peccato ſuo, & mariti deteſtanda rabie, tam ſubito nimis acerbo raptus eſſet funere. Deinde ut correpta à marito & his qui aderant, ægra ſolo membra vix extulit, videt filium inter manus ancillarum jam modeſti vultus, jam temperantem clamoribus; ſed quaquaverſum tamen peſtis illa bullientis juris ſe ſparſerat, totam carnem pueruli cute nudaverat. Cum mater & ipſa interdicens fletibus excepit filium, refovet & deoſculatur tamquam ex morte redivivum, brevique, Deo curante, ad ſalutem reſtitutum, iterum clam patre illius, commendat eum ſcholaſticis imbuendum litteris.

Inſcio patre litteris traditur imbuendus.

5. Cumque pater aliquantis diebus abſens, domum reverſus filium non inveniſſet, & ubinam eſſet inquirens reſciſſet, offenſus abiit, & de medio ſcholarium ubi degebat arreptum, domum reduxit. Unde quidem ego eum in hac parte beato Martino comparandum arbitror. nam quemadmodum pater gentilis, ne Chriſto militaret filius ſuus, Martinum impediebat; ita Theoderico, ne in tabernaculo Domini militaret filius, pater ſuus, quamquam chriſtianus, obſtabat. Sed non valet humana prudentia divinæ ordi-

[a] In altero cod. mſ. additur, *priuſquam vita decederet anno uno.* De Notgero actum eſt Sæculo ſuperiori.

ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XXIV.

nationis diſſipare conſilium. Nam ſicut tunc non ſponte Martinum jam ſæculo militantem, ut voluit conſervavit, & ad ſuam militiam mirabiliter Deus revocavit; ſic & Theoderico, priuſquam per ætatem corrumpi poſſet, hic providit. Cum enim ipſe in ſolarium domus cum puerulis aſcenderet, corruit, & brachium ſiniſtrum, quod adhuc pæne recenti aduſtione erat invalidum, gravi colliſione diſſolvit, & fractum ex humero pependit. Exterritus tam acerbo & inopinato caſu exſanguis pater accurrit, & pæne exanimem inter ſua brachia attollit, multiſque perfuſus ora lacrymis, ſeipſum ultro accuſabat parricidam, ſe occiſorem filii mixto luctu & ululatu clamat, qui eum Deo, cui necdum natus erat dedicatus, auferre tentaverit. At vero mater femineis planctibus amara inferens convitia: Quia, ô fili dulciſſime, ait, ad militiam terrenam à pio patre inſtrueris, eïa nunc arma ferre, nunc equum agitare & circumflectere, ſic ferire, ſic hoſtem diſce cavere: ſed ſi in caſtris Chriſti militare te noluit, ſpero in Dei proviſione, quia ejus rerum & militiæ non eris ſucceſſor. At ille: Ne ſævias, inquit, mi mulier, nec ſatis ſuperque quam ſatis eſt triſtem aſperioribus irritamentis in inconſolabilem inducas dolorem. Etſi enim merito arguor ego, quia quod Deo quocumque modo votum erat, ſubſtraxi; tu potius accuſanda tamen, quæ filium meum tamquam ad me nihil attinentem, pro tuo arbitrio clam me voviſti Deo. Igitur ecce filius tuus, recipe illum: & ſi voluntas Dei eſt ut vivat, ſicut voviſti monachus fiat. Dixit, & filium matri reddidit. Illa autem materna ſollicitudine curam ejus habuit, plagam circumligavit, & frequenti lavatione & medicamine fovit; citoque, adjuvante Deo, non ſolum fracturam brachii reſolidavit, ſed etiam quidquid in toto corpore illa colliſione læſum fuerat, in ſanitatem integram reparavit.

Anſoaldis Theoderici ſoror.

6. Deinde non jam in abſcondito ut prius, ſed manifeſte commendavit eum in monaſterio Malbodienſi [a] filiæ ſuæ ANSOALDI, ut doceret eum elementa prima litterarum & pſalterium; quæ quia ſe opportune præbuit, non incongruum videtur de ejus virtutibus & vita ad laudem Chriſti interſerere non pauca: quidquid enim imitatione vel laude dignum habent ſancti, totum eſt muneris Chriſti. Hæc igitur puella adhuc parvula in monaſterio ancillarum Dei à genitoribus conſtituta, in puellaribus annis oſtendit, qualis futura eſſet acceſſu temporis. nam, ut aſſolet illa ætas, numquam puellarum laſcivias aut negligentias ſecuta, numquam ineptiis & ludis earum fuit delectata: ſed tantum lectioni & meditationi animum ſervire cogens, cum ceteræ concurrebant ad publicum, illa ibat ad monaſterium; cum aliæ ſtreperent, pſallerent, & puellariter choreis ſe exercerent, illa orationi procumbebat. Ubi vero maturior ætas ſucceſſit, brevi ceteras ſupergreſſa, aliis bene vivendi exemplar enituit, aliis vitæ merito terrori fuit. quotidianis enim afflictionibus corporis libidinem punivit, omnes animi paſſiones repugnando ſuperavit. Vigilabat enim interdum totis noctibus, nonnumquam vero orando diem continuabat nocti: cum vero neceſſitas ſomnum imperabat, aut pavimentum cubile habebat, aut ſtando, raro autem ſedendo, paullulum dormitabat. Cibus ei panis cum ſale, frequentior potus erat aqua; raro legumina, vel poma, vel herbarum radices admittebat. nam vino, ſicera, carnibus, ovis & piſcibus, ac cibis lautioribus interdixerat penitus. Manſuetudine, patientia, humilitate, clementia & caritate adornata, virgineæ caſtitati luxuriam ſubduxit: cuſtos oris ſui ad ſilentium, numquam ſciens vel volens locuta eſt mendacium, ſemper cauta, diligens & provida; numquam, ſi potuit, niſi ſapientibus & caſtis ſermonibus os aperuit. Quamvis ſæpe laceſſita, numquam irata, numquam viſa eſt vel leviter, niſi pro cauſa Dei, commota; contentiones & rixas, & feminarum certa-

[a] Malbodium, vulgo *Maubeuge*, cœnobium illuſtre olim ordini monaſtico ſubjectum, ut vel ex hoc loco probari poteſt, nunc ſæcularium Canonicarum collegium.

mina omnino à ſe aliena & extranea. Balnea & lavationes contemſit, docens nullum extrinſecus poſſe pollui, niſi quem intrinſecus ſordidat delectatio peccati. Turbarum ſtrepitum, & conventum ad ſe pro ſui merito adventantium, ſemper refugit; linguas detrahentium, & favores ſe laudantium æqualiter habuit. His & ceteris cum gratia Dei redundaret virtutibus, multas in Malbodienſi cœnobio ad ſimilem virtutem excitavit, multas poſt lapſum ad pœnitentiam revocavit; & annuente GERARDO epiſcopo Cameracenſi, & RAINERO Comite Montenſi, ordinem religionis monaſticæ, quæ pæne adnihilata erat in eodem monaſterio, correxit, & in melius reparavit. Sed quia caſtigat Dominus quos diligit, & flagellat quos recipit, ante ſeptem dormitionis ſuæ annos cancri ulcere percuſſa, nec bonæ converſationis propoſitum & virtutum conſuetudine exercitatum minuit, nec flagellis umquam murmuravit; immo quia Dei viſitatione digna eſſet habita, ſemper gratias egit: poſtremo felici exceſſu beata decore virgineæ caſtitatis læta migravit ad Dominum, receptura laboris præmium.

Malbodienſe monaſterium reformat.

7. Huic jam adoleſcentulæ commendatus frater ſuus adhuc puer Theodericus, quantum ex ætate puerili vaticinari poterat, ingenii & vitæ futuræ certa dedit documenta. nam lectionem pſalmorum, quæ ſingulis diebus illi à ſorore ſua tradebatur, & facile capiebat, & memoriter cito reddebat: neque tamen ad diſcendum, ut ſolet parvula ætas, cogebatur minis, aut verberibus, aut blandis incitabatur ſuaſionibus; ſed ultro ſtatuta ſibi tempora legendi ipſe præveniebat, numquam niſi juſſus vacabat; ita ut ſoror & omnes qui eum viderent, ſtuperent, & mirarentur in illo, & legendi aſſiduitatem, & ingenioli velocitatem. Si quando autem ceſſare, & cum paribus videbatur ire vel colludere, penitus refugiebat, pœnaque illi erat, cum eum ſoror quiete reficiebat, graviſque erat illi quiſquis illum ad ſpectacula trahere volebat. Videns autem quo ordine ſoror ſua vitam duceret, conſiderans quam gravis & matura moribus, quam ſtudioſa eſſet in orationibus: & intelligens quod veſtimentorum aſperitate, & abſtinentia corpus frangeret, cœpit quantum tenera ætas patiebatur eam imitari velle. Incenſus igitur eodem quo illa lumine, ibat, latenter quidem, ſed frequenter ad eccleſiam, ut ſororem facere videbat, ſæpius ad orationem procumbebat, pectuſculum pugno tundebat, Dominum, ſicut ab illa didicerat, ut ſibi ſapientiam intelligendi, & recta faciendi, & prava cavendi daret devotis precibus, interdum mixtis lacrymis, rogabat. quod ubi ſoror advertit, condelectabatur. Tam verbis quam rebus ad bene agendum, fratrem ſuum, pro capacitate puerilis intellectus, informare cœpit; dicens hoc recte agendum, illud neceſſario eſſe cavendum, frequenti ſupplicatione & lacrymis Deum placandum, aſſidua lectione & bonorum actuum converſatione cognoſcendum. His & hujuſmodi mandatis ſancta Virgo quotidie puerum inter legendum inſtituebat, ille autem ante annos ad virtutum iter, animum dirigebat.

Theodericum litteris imbuit.

8. Eo tempore, ſicut in ſuperioribus diximus [a], florebat multiplici virtutum flore ac germine Lobienſis eccleſia, & pollebat ſancta religioſorum & illuſtrium monachorum converſatione, quam nobilitabat & inſtitutionibus ſanctiſque monitis ac exemplis efferebat, qui tunc in ea præſidebat abbas RICHARDUS [b]. Huic puer Theodericus regulari inſtitutione nutriendus in monaſterio Lobienſi à pia matre (pater enim humanis rebus exemtus jam naturæ conceſſerat) eſt traditus, cum eſſet fere decem annorum, ſancto Petro eſt oblatus. Quem pius abbas pio amore dilexit, & majore, quam ceteros coætaneos ejus, diligentia nutriri fecit: audierat

In monaſterio Lobienſi educatur.

a Nihil in hac vita de Lobienſium virtutibus dixit. Sed aliquod aliud fortaſſe opuſculum indicat. Vide obſervat. prævias.

b Is eſt B. Richardus ex Remenſis eccleſiæ Decano, monachus & abbas Virdunenſis, cujus vitam habes ſupra ad annum 1046.

ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XXIV.

enim illum, & priuſquam naſceretur divinitus prænuntiatum, & pia matris ejus opera, mirabiliter id Deo agente, patris voluntate & voto, Deo dicatum, ideo ex ſtudiis & qualitate morum ejus conjiciebat pius Pater, quantus & qualis, ſi adoleſceret, ille puer eſſet futurus. omnia enim quæ in illo conſiderabat, bonæ ſpei erant argumenta. Incedebat quippe humiliter inclinato in terram capite, humeris dejectis, manibus, pedibus & brachiis pulcre compoſitis, oculis ſubmiſſis & humiliter reſpicientibus; ratus in ore riſus, & ipſe tenuis erat & moderatus, in genis lacrymæ deprehendebantur frequentius: morum autem elegantia & animi ſapientia ſimul cum ætate in eo creſcebant. In interrogationibus cautus, in reſponſionibus velox & providus: erat litterarum ſtudiis adeo deditus, ut nulla hora competens illum præteriret, quin legeret, aut ſcriberet, aut dictaret, aut de quacumque quæſtione agitaret. In brevi, tam ornatu morum quàm eruditione ſeptem artium, quas liberales vocant, factus Philoſophus, magnæ admirationi adhuc adoleſcentulus eruditiſſimis ſenioribus fuit. Cum igitur his virtutum gradibus ad veræ Philoſophiæ arcem venerabilis Pater abbas illum videret conſcendere, cum decimum-ſeptimum ageret ætatis annum, fecit eum ordinari ſubdiaconum à viro ſanctiſſimo Cameracenſium Epiſcopo, à quo in annis puerilibus Lector vel Acolytus fuerat ordinatus. Cum vero eſſet annorum novemdecim [a], profeſſus obedientiam & ſanctæ Regulæ diſciplinam, ipſe abbas Richardus eum monachum ordinavit, & proceſſu temporis ad Diaconatus gradum ab eodem epiſcopo Gerardo eum promoveri fecit.

Regulam profitetur. — *Fit Diaconus.*

9. Appetebat autem familiaritates eorum, quos videbat religioſiores, hominum, maxime abbatum & monachorum, ſe ſuumque propoſitum commendans orationibus eorum: illius enim humilitatem, iſtius obedientiam ſectabatur, iſtius ſe informabat ſimplicitate; zelabatur autem virtutes omnium, componens vitam ſuam imitatione aliorum: illum frequentius orantem, iſtum imitabatur ſtudioſius legentem; cum illo caritate certabat, iſtum ſapientia ſuperabat. Ad obediendum ſemper paratus mirabilis erat omnibus; caſtitati vero luxuriam ſubdidit & incentiva vitiorum; & ipſos, qui non deſunt in ſenibus naturales corporis motus, lectionum aſſiduitate, vigiliarum inſtantia, in laſcivientis adoleſcentiæ annis viriliter compeſcuit & frenavit. Quidquid in ſe culpabile reprehendebat, mox inſequebatur lacrymis, & puniebat ciborum & potus abſtinentia; corpus tenuabat non quidem quantum volebat, ſed in quantum abbas permittebat. Vigiliarum porro ita ſtudioſus erat, ut numquam vel cum ceteris, vel poſt ceteros aliquis de lectulo ſurrexiſſe eum viderit; numquam eum nocturnales vigiliæ dormientem vel quieſcentem deprehenderint: ſilentio autem ita erat deditus, ut vix loqueretur niſi horis competentibus, & tunc etiam interrogatus. Cum vero tot & tantis polleret virtutibus, tamen quod difficilimum eſt, omnibus erat carus; ipſi vero Abbati, quod amplius meritorum gratia illum ceteros præcedere videbat, ceteris gratior erat: & quia adoleſcentem acris ingenii conſideravit, non ſolum ornatum maturitate morum, ſed eruditione ſeptem artium, præcepit eum eſſe cuſtodem & præceptorem puerorum, & ſcholaris diſciplinæ magiſtrum. Ille autem obedientiſſime paruit, & plures diſcipulos habuit, quos non ſolum apprime litteris, ſed etiam bonis moribus inſtituit, & æmulos ſui ad virtutum faſtigia promovit.

Scholarum magiſter.

10. Illo in tempore Richardus abbas, reddita REGINALDO [b] epiſcopo

[a] Tamen dicitur infra octogenarius obiiſſe, profeſſionis ſuæ anno 70. hic forſan ſollemniorem profeſſionem intelligit, quæ fuerit prioris quam puer emiſerat veluti rati habitio.

[b] Durando ſucceſſit anno 1024. & eccleſiæ Leodienſi uſque ad annum 1038. ſumma cum laude præfuit. Richardus autem anno 1032. Lobienſis monaſterii adminiſtrationem dimiſit, cui ſucceſſit Hugo II. quo tempore quæ hic narrantur, contigere. Confer quæ in continuatione geſtorum abbatum Lobienſium habentur, Spicilegii Acheriani tom. 6. p. 591. & ſeqq.

Leodienſi abbatia Lobienſi, Virdunum ubi etiam monachis ſancti Vitoni præerat receſſit. Quod Theodericus graviter dolens, & magiſtri deſiderio ardens, à monaſterio profugit, & uno puero comitatus Stabulaum, ubi illum conceſſiſſe fama ſibi murmuraverat, ad Abbatem POPPONEM * venit, qui & ipſe è diſcipulorum numero hujus Magiſtri fuerat, multaque obedientia, & ceterarum virtutum culmine promotus, eidem cœnobio, item & aliis multis prælatus, in diſciplinam Doctoris ſui ibat in operibus. A quo feſtive exceptus, triduo ejus officioſa caritate eſt uſus. Poſtea cum ſtratis caballis Virdunum uſque vellet abbatem Richardum proſequi, equus ejus uno pede ſubito claudus profectionem impedivit. Quod abbas Poppo cum audiſſet, prudenter intellexit, & adoleſcentem pro culpa fugæ corripuit, & agentem pœnitudinem conſolatus, ad locum ſuum mox non claudicante equo remiſit, qui multo eſt omnium favore receptus. Jam in eo præſidentem HUGONEM invenit, qui ſciens qua via Theodericus ab infantia niſus, quamque ſuo prædeceſſori ad obediendum in omnibus fuiſſet paratiſſimus, multis experimentis conatus eſt explorare, utrum in ea qua cœperat, perſeveraret boni propoſiti intentione: ille autem quæ imperabantur omnia obedienter aggrediebatur, & cooperante ſecum gratia Dei, quamquam aſpera & factu difficilia Abbatis ſui præcepta, faciendo oſtendebat facilia; unde apud illum tantæ dilectionis loco eſt habitus, ut præ ceteris obſequiorum ejus ſervitiis gratius, ac ſpecialis gratiæ affectu colloqueretur frequentius, arcanaque ſua cum illo communicaret familiarius. ANN. CHR. MLXXXVII. AUG. XXIV.

11. Evolutis poſt hæc aliquibus annis, cum virtutum profectu jam multis innotuiſſet, rogatu Abbatis ſui, invitum & reclamantem, ac lacrymoſis vocibus ſe indignum proteſtantem, ordinavit presbyterum prædictus Cameracenſis antiſtes Gerardus, XVI. Kalendas Julii; anno ætatis XXXI necdum expleto. Exinde omnes præteritos labores nihili pendens, & quam gravis ſarcinæ faſce tunc premeretur inſpiciens, prioris vitæ propoſitum ita immutavit & conſuetudinem, quaſi tunc primum noviter Domino ſervire inciperet. Petita igitur ab abbate ſuo benedictione auſterius vivendi, primum ſibi propoſuit ut ſemel quotidie comederet, & nec umquam vel in diebus Dominicis, vel ullis ſollemnitatibus, niſi graviſſimæ ægritudinis moleſtia, jejunium ſolveret, quod à trigeſimo uſque ad octogeſimum, quo mortuus eſt anno, per annos quinquaginta inviolabiliter tenuit, ſicut eorum quibuſcum vixit teſtimonio comprobatur. Cilicium autem per ipſos quinquaginta annos deponere vel ad momentum, nulla ei infirmitas perſuadere potuit, balnearum vero munditias nec pro remedio ſibi umquam adhibuit. Docebat enim illam carnem non indigere lavatione, quæ putredo & vermium cibus paullo poſt deberet eſſe. Extenuabat ſe abſtinentia graviore, & quotidiana major ac robuſtior fiebat exercitatione, creber in vigiliis, in oratione aſſiduus, in lectione ſanctarum Scripturarum ita erat aſſiduus, ut eas & memoriter teneret, & earum quæſtiones quamvis difficillimas & obſcuras cito exſolveret. Sed quid per ſingula diſcurro? dum enim in ſingulis cogit me immorari pia recordatio, Theoderici præcepta non ſervo dicendi.

Factus ſacerdos auſteriorem vitam ſuſcipit.

12. Talibus igitur Theoderici fama cum per vicina iret monaſteria, abbas Poppo, de quo paullo ſuperius prælibavi, eum ſibi præſtari & in Stabulenſi monaſterio Scholaſticum impetravit fieri. In quo monaſterio multos adoleſcentium ſuo vivere inſtituit exemplo, quos ſcientia tam divinarum quam ſcholarium litterarum apprime inſtituit; & diſciplinæ regularis inſtitutione, & morum compoſitione ad veræ philoſophiæ ſtudium excitavit, atque arenoſam ac ſterilem, & ſpinoſam cordium eorum terram, fructiferam reddidit aſſidua doctrinæ cultura. Erat ad docendum idoneus

Fit ſcholaſticus Stabulenſis.

* B. Popponis Stabulenſis abbatis Vitam dedimus in 1. parte hujus Sæculi ad an. 1048.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XXIV.

& ad interrogata ſemper reſpondere paratus, atque ad diſſerendum quæ videbat facundus. Habebat vero conſuetudinem ab adoleſcentia, omni tempore vel æſtatis vel hyemis, anticipare vigilias matutinales: & quia totis diebus exercebatur lectionibus, noctes deputaverat orationibus. Tunc quoque quadam nocte ſolito ſurrexerat, & in oratorio ſancti Nicolai, quod intra clauſtrum monaſterii ejuſdem ſitum eſt ad dexteram intrantibus contra meridianum, ante altare jacebat profuſus in oratione: interea unus de monachis, & ipſe habens propoſitum prævenire alios, ſurrexit, & ibat ad oratorium cauſa orationis; & ecce cum ante fores oratorii prædicti venit, vaſta mole metuendus, picea ſpecie terribilis, ardentibus minax oculis, ſulphureo fœtore intolerabilis, inter eum & oſtium ſubito medium ſe oppoſuit dæmon, ipſe ingreſſu arcens monachum: Unde tu quoque hic, cum ceteros placida quies his horis foveat? dixit, aut quo vadis, aut quid quæris? Tu ne arcere etiam me hinc paras vigiliis & orationibus, ſicut qui continuis precibus Nicolaum huc allexit iſte, qui intro jacet Theodericus? cujus præſentiam niſi vererer, jam te hoc (videbatur autem immanem quaſſare tridentem) uſque ad mortem cæſum, quid poſſem oſtenderem. Ad hæc monachus non valens ferre amplius, cujus vel ſolummodo viſus plures potuit terrere, cecidit; & quanta potuit majori voce, Succurre domne Theoderice, ſuccurre, ingeminavit. At Theodericus clamore fratris actus, ab oratione ſurrexit, & aperto oſtio, lumine etiam adhibito, hunc miſerum vidit jacentem, inde autem nigrum Æthiopem, tamquam victo inſultantem. Sed non & ipſe territus, ſignum crucis adverſus hoſtem extulit, & cum ſigno hunc verſiculum cantavit; *Per ſignum crucis de inimicis noſtris libera nos Deus noſter.* Tunc dæmon quod in ſe libratum fuerat non ferens telum, evanuit pulſus & virtute crucis & meritis Theoderici. Ad monachum tunc venit, ſuper exanimatum incubuit, orationem pro eo fudit, data manu eum erexit, in oratorium ſecum introduxit. Facto mane, frater ille incolumis ad Abbatem & fratres venit, quid viderit, quid audierit, quid ſibi contigiſſet tremens & pallens retulit, primuſque meritorum & virtutum Theoderici aſſertor verus & teſtis fuit.

Dæmonem Crucis ſigno fugat.

13. Alio quoque tempore dum idem venerabilis abbas Poppo iret Leodium, habebat in ſuo comitatu eumdem Theodericum, cumque veniſſet ad fluvium, quem Amblevam [a] dicunt, ipſe abbas & ceteri comitum ejus recto itinere ad vadum abierunt, & omnes illæſi quidem, nulla difficultate tranſierunt: nam hibernis imbribus intumuerat, & undante gurgite ſpumens ſaxa & radicitus convulſas arbores, ut ſolet, volvebat, ventorum etiam flatus vehemens denſas hinc inde agebat pluvias. Theodericus autem poſt alios, forte intentus cantico pſalmorum, cooperto ex caputio capite ſequebatur longe, anfractu viarum in diverſa ducentium ſeductus, & ceteris præeuntibus ſiniſtrorſum deviavit ab itinere ſolus, ſecutuſque in quam inciderat ſemitam pervenit uſque ad aquam. Illic eſt pons ligneus, in medios quidem agros ab utraque fluminis ripa diſtentus, in medio autem propter hibernas aquas longe elatus; ſed ita anguſtus, ut neque equis, neque bobus, neque aſinis poſſit eſſe aliquo modo pervius, ſoli autem pedites illo tranſire ſolent. Ad hunc Theodericus veniens, neque quam anguſtus & invius eſſet prævidens, equo ſedens aſſcendit, intrepidus pertranſivit. nec primum reſpexit, quam cum de ponte deſcenderet, mirantibus & prædicantibus ſociis divinæ virtutis gratiam in ſuo facto ipſe ſtupuit. In quo recte ſapientibus conſiderare liquet, quod ille per mediam ventorum rabiem, per ſubtus frementis fluvii undantes fluctus, per ſupra ruentis pluviæ procellas, Theodericum ſtricto limine duxit, qui tumentes vortices

Periculum evadit.

[a] Ambleva ſeu Amblevia, *l'Amblve*, qui Rechtæ immixtus Stabulenſem abbatiam alluit.

Digitized by Google

pelagi ſtravit pedibus Petri. Sed iſte cum periculi magnitudinem reſpexit, Ann. Chr.
tamquam in medio periculi poſitus valde expavit: ſancti namque viri hoc MLXXXVII.
proprium habere ſolent, ut cum miraculorum operibus clareſcunt, ne per Aug. XXIV.
elationem intumeſcant, homines ſe eſſe recognoſcunt.

14. Igitur Theodericus & ſanctæ vitæ converſatione ac ſignorum atteſ- Virduni &
tatione jam apud multos in magna veneratione habebatur, eratque pia con- Moſomi do-
certatio inter religioſos abbates, ut alius ab alio præriperet. Nam & Vval- cet.
leramnus ex Comite converſus monachus, mox autem poſt beatæ recorda-
tionis Richardi abbatis deceſſum, dignus ſucceſſor in monaſterio ſancti
Vitoni, quod eſt in territorio Virdunenſi, à Stabulenſi cœnobio, annuen-
te ſuo abbate Hugone, illum adduxit; ubi triennio, vel amplius commora-
tus, plurimos habuit auditores, quos radiis ſuæ doctrinæ illuminavit, &
timorem Dei docuit, ac in ſervitio Dei tam factis quam verbis informa-
vit. Rodulfo etiam Moſomenſi [a] abbati præſtitus, ſapientiæ ſubtilitate, a
& obſervatione cœnobialis vitæ ſpectabilis, multis ſe ſpectabilem fecit.
Poſtremo ad plurima loca miſſus, inter multos converſatus, & ut omnia
brevitatis cauſa, & cingulo * conſtringam, quocumque abiit, inter quoſ- *f. ſingula.
cumque fuit, irreprehenſibiliter ſemper vixit.

15. Sed interea cum videret plurimos Hieroſolymam ad ſepulcrum Do- Iter Jeroſo-
mini deſideranter tendere; ipſe quoque ſimili flagrans deſiderio, cœpit eo- lymam ſuſ-
dem proficiſci velle. Paratis igitur tanto itineri neceſſariis ſumtibus, in- cipit.
dultaque ſibi ab Abbate eundi licentia, cum aliis qui pergebant eſt pro-
fectus: ſed cum Hungariam venit, qui illum alio labori deſtinaverat Deus,
propoſitum ejus præpedivit. Nam turbata illic incurſione barbarorum
republica, tam ipſe quam comites tranſire prohibiti, Pannoniam converſi,
magna difficultate venerunt ad urbem Romam, habentes votum inde ad
Montem-Garganum ire, per Apuleïam, atque inde Adriatico mari tranſ-
ferri Conſtantinopolim, inde Hieroſolymam. Sed poſtquam in baſilica Venit Ro-
ſancti Petri corpore & meritis glorioſa, coram illo glorioſo Apoſtolo uber- mam.
rima lacrymarum effuſione, & multa cordis contritione omne deſiderium
animæ ſuæ effudit, poſt orationem egreſſus, Theoduinum Leodienſis
eccleſiæ præſulem ad baſilicam per gradus nitentem offendit, & cum eo
plures amicorum ſuorum, inter quos Anselmum [b] ſancti Lamberti cano- b
nicum pro ingenii claritudine, & morum nobilitate jam à puero in amici-
tiam ſibi familiariſſimum. Miratus inſperata novitate, præ gaudio cœpit
flere, videns notos ſuos denuo, quos non ſperabat à ſe videri poſſe; & in-
greſſus intravit cum illis in eccleſiam, benedicens Dominum, qui eos tam
inopinate, tam bene, in tali loco, tam longe à ſe diviſos inſimul adduxerat.
Sed protendente Epiſcopo orationem, dum aliquos comitum ejus de ſtatu
religionis & monaſterii ſui conſuleret, inter cetera dictum eſt illi, quod
defuncto Hugone abbate Lobienſem abbatiam reddidiſſet idem Theodui-
nus epiſcopus Adelardo [c]. Tali nuntio attonitus, pro dulci pietate & c
pia patris Hugonis defuncti recordatione lacrymas fudit, & pro tempore
animam Deo, & ante cujus ſacratiſſimam tumbam ſtabat celeſti Clavigero,
commendavit. Epiſcopo autem deſcendente de ſtratorio, procidit ad pe-
des ejus coram altari ipſius Apoſtoli, gratias agens ei & pro ſui loci, hoc eſt
Lobienſis eccleſiæ, relevatione, & pro condiſcipuli ſui Adelardi, quem
præ ceteris confratribus ſuis unice ſemper dilexerat, ad abbatiæ dignita- Adelardus
tem promotione. Erat enim Adelardus in ſtadio laborum nitens, ante qui- abbas Lo-
bii.

a Moſomum, vulgo *Mouſon*, in finibus Remorum, ubi celebris abbatia Ordinis noſtri ſub Congregatione S. Vitoni.

b Haud dubium quin is ſit Anſelmus celebris ſcriptor de geſtis epiſcoporum Trajectenſium & Leodienſium, cujus opus eſt editum à Chapeavillo. Eccleſia S. Lamberti ipſa eſt cathedralis Leodienſis.

c Adelardus Hugoni anno 1053. defuncto ſucceſſit, præfuitque ad annum 1076. aut ſequentem. Theoduinus autem Vvazoni Epiſcopo ſucceſſit anno 1048. ad 1075. quo obiit.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXVII AUG. XXIV.

dem alios Lobienſes monachos proximus huic, ſed longo ſequens intervallo ad bravium virtutum, patiens, prudens, ſobrius, humilis, pudicus, & aliarum virtutum inſignibus adornatus. Illum autem Epiſcopus clementer erexit, quis, vel unde eſſet, vel quo iret quæſivit. Cognitoque homine, & auditis difficultatibus peregrinationis ejus, eum ſecum venire jubet ad hoſpitium; & ſuggerente Anſelmo, quod vix aut numquam cœptæ peregrinationis propoſitum perficere poſſet, diffuſis, ut fama erat, toto Adria pyratis, ſemper prædæ & morti prætereuntium paratis, ſua auctoritate præcepit illi ad patriam & monaſterium ſuum redire, & ſi Deus annueret, opportuniori hoc repetere; quia non eſt homini niti adverſus providentiam Dei. Ut ſemper promtus erat obedire majoribus, paruit, & à Roma uſque Leodium comes ejus venit. Sed inter veniendum conſiderans Antiſtes divinam in eo gratiam, orandi devotionem, lacrymarum ubertatem, jejunandi virtutem, ſilentii taciturnitatem, eloquii venuſtatem, & morum omnium ejus admirans gravitatem, inter amicos dignatus, familiari ejus colloquio frequentiſſime [uſus] fuit; venienſque domum honorifice ad monaſterium Lobienſe remiſit, & ſua aſſertione & teſtimonio venerabiliorem fecit.

Lobium redit.

16. Interjectis vero paucis diebus, HENRICUS imperator legatos cum litteris eidem Epiſcopo miſit, quibus mandabat è numero illorum, quos beatæ memoriæ Richardus abbas inſtituerat, unum ſibi mitti monachorum prudentemque religioſum, litteris eruditum, quem in Fuldenſi monaſterio conſtitueret Scholaſticum. Ille Theodericum, ſicut à Roma uſque Leodium ſe teſte didicerat, ad hoc ſciens idoneum, exorato Abbate, à Lobienſi monaſterio eum revocavit, & Leodii, uſque dum ad Imperatorem pararet profectionem, eum eſſe præcepit. Sed illis diebus, divina diſpoſitione, Andaïni monaſterii, ubi tranſlatus Leodienſium præſul quieſcit ſanctus HUBERTUS, moritur abbas ADELARDUS, vir carnis nobilitate ſatis clarus, ſed de cura religionis (cum ad cetera eſſet) minus ſtrenuus quam debuit. Cumque multi ad petendam abbatiam cum multo ſtudio ambirent: Epiſcopus vero nullum, niſi dignum præeſſe admittendum cenſeret; in monaſterio autem ſancti Huberti idoneus inveniretur nemo. nam monachi negligentia defuncti Abbatis, & nimia licentia corrupti, à diſciplinæ jugo pæne omnes erant ſoluti. Idem Epiſcopus, advocata abbatum religioſorum, & fidelium canonicorum concione ſeu congregatione, eſt conqueſtus de ſancti Huberti eccleſiæ directione, de monachorum irreverentia ac inordinatione; rogans ut ſecundum inſpiratam ſibi à Deo ſapientiam indicaret unuſquiſque, quomodo illi ſuccurrere vel quem poſſet ibi præficere. Tunc aliis diverſa agitantibus, aliis hos atque illos attollentibus atque collaudantibus, pleriſque ut monachis clerici in eo loco ſubſtituerentur perſuadere nitentibus, atque aliis alia conſiliantibus, nullis vero convenientia dicentibus, Anſelmus, de quo nobis ſupra mentio fuit, vir nobilis genere, ſed nobilior moribus & eccleſiaſtica religione, facto in ſe Spiritu Dei: Cum ſimus, inquit, nos congregati in nomine Domini, non eſt æquum nos in cauſa Dei ſicut in hominum cauſa gratia aut favore duci; & cum præſentem hic habeamus fratrem Theodericum, à pueritia ſemper bonis operibus inſtitutum, quem vitæ merita majori etiam prælatione atteſtantur dignum, ſi domino Epiſcopo videtur, & vobis, cur alias quæritur, quod opportunè nobis divinitus directum hic habemus, (aderat enim inter reliquos huic conſilio, nil minus quam de illa abbatia cogitans.) Ad hæc multi læto & concordi clamore excipiunt nomen Theoderici, pauci, quibus privata utilitas bono honeſtoque communi potior, apud quos honeſta inhoneſtaque venalia facere nec pudor nec crimen erat, non hoc rectum ſibi videri: ſed potius, quia ad hoc à ſuo monaſterio adductus eſſet, pro religione inſtituenda

Adelardo abbati Andainenſi ſuccedit.

tuenda in monaſterio Fuldenſi, & præcepto & rogatu Imperatoris cenſebant eum debere mitti. Sed Publici-montis abbas STEPHANUS [a], canitie reverendus, converſatione angelicus, imperato ſilentio, ait, quod monaſterium ſancti Huberti, quod eſt ſub cura & providentia Leodienſis epiſcopi, pro refrænanda regularis diſciplinæ cenſura, religione eget Theoderici; Fuldenſis autem eccleſia, quid nobis attinet? Hujuſmodi autem monachorum tanta eſt nobis penuria, ut, quod pace aliorum dixerim, in omnibus monaſteriis noſtris par hujus nedum poſſit inveniri. Hunc ideoque, quia ad hoc Deus huc opportune deſtinavit, conſtituat eum abbatem, ſi placet Deo & ſibi, dominus Epiſcopus, quia ſe ab ea parte hac faſce levabit ſecurus. Dixit, & vocante Epiſcopo, converſis omnium ſtudiis, de loco, ubi deliteſcere inter ſtrepitum turbæ jam meditabatur fugam, eum levavit, ac renitentem, retrahentem, impellente GONZONE [b] abbate Florinenſi, attraxit, & Epiſcopo præſentavit. Erant autem hi duo ſenes, ſicut ætate & canitie, ita pares in ſancta religione, è numero diſcipulorum ſancti illius Richardi, illo quidem vivente inter primos habiti, ſed defuncto jam ſupra ceteros maximi. Erant enim longe diſſimiles ab illis eccleſiarum Rectoribus, quos hoc tempore principari videmus, caſti, ſobrii, humilitate, caritate, ceteriſque virtutibus fundati & radicati; in converſatione temporali Angelorum incorporalium vitam ſtudebant imitari, quorum laudibus operam dare prohibet intenſio perhibitæ de Theoderico materiei. Videns igitur Theodericus vires ſuas hoc negotio minores eſſe, ſcienſque quod judicium duriſſimum eſt his qui præſunt, ubertim profuſis lacrymis, inter ſingultus & gravia ſuſpiria ſe indignum clamabat; & frequenter pedibus Epiſcopi advolvens, ne tanto onere ſe premeret importunis precibus orabat. Vocabatur ergo, & contemnebat; impellebatur clamore & multitudine, & refugiebat; urgebatur ſuſcipere virgam curæ paſtoralis, & renuebat. Sed non fuit diu poteſtas reſiſtendi divinæ ordinationi: diu enim luctans, coactus eſt tam auctoritate Epiſcopali, quam ſeniorum increpatione ſuam damnare ſententiam. Tandem ceſſit, & quod jubebatur onus regiminis fratrum ſuſcepit. Deinde mox poſt ſollemnia proceſſionis, (erat dies Purificationis) ordinatus & conſecratus, deducentibus ſe qui affuerant ſeptem Abbatibus, & multa clericorum & populi turba proceſſit abbas appellatus.

Margin notes: ANN. CHR. MLXXXVII. AUG. XXIV. — Stephanus & Gonzo abbates pii. — Conſecratur an. 1055.

17. Veniens autem ad ſancti Huberti, cui prælatus erat, monaſterium, exterioribus quidem rebus locum ſatis invenit nudum & deſolatum, quod quidem videbatur tolerabile & reparabile damnum: ſed interior loci facies fœda, inordinata ac pæne à religione extranea erat. Monachi namque prædeceſſoris ſocordia corrupti, deſideriorum voluntatem pro lege habentes, quidquid volebant licere putabant; monaſticæ vero religionis inexpertes, ignari, inculti, non admittebant corda ſua excoli vomere verbi Dei. Quod vir Deo plenus ubi advertit, angebatur quidem ſed mediocriter de penuria rerum exteriorum, quoniam illud videbatur tolerabile malum & reparabile: ſed concitabatur immodice ſpiritus ejus intra ſemetipſum, videns animas fratrum diabolici inſtinctus admiſſione ſauciatas, tendere ad mortem. Invigilabat ergo jugiter cuſtodiæ ſibi commiſſi gregis, pie ſollicitus erat pro omnibus, congruenter medicinam adhibens ſingulis vulneribus: & illos quidem ſui exemplo ad virtutes informare nitebatur, alios autem ſeorſum blandis ſuaſionibus, ut bene agerent hortabatur; illos increpando, meliores nonnullos regulariter feriendo laborabat reddere emendatiores: omnibus autem in commune exhibebat fomenta exhorta-

Margin note: Monaſterio reformando incumbit.

[a] Primus abbas fuit S. Laurentii in Publico-monte prope Leodicum, cujus geſta compendioſe refert Fiſenus in Floribus Leod. ad diem 10. Januarii.

[b] Alias *Gontho* dicitur apud Fiſenum parte 2. Paralipomenon Florum Leodienſ. pag. 561. ubi de eo Leo IX. dicitur ſcripſiſſe: *In quo, quia ſuum pleniter honorem monaſtica obtinet religio, mihi complacui.* Dicitur ibidem S. Gengulfi miracula, &c. ſcripſiſſe.

Ann. Ch. MLXXXVII. Aug. XXIV.

tionum, medicamina Scripturarum divinarum, poſtremo adhibebat indeſinenter auxilium orationum ſuarum. Sed caſſus labor ejus erat, nihil enim ſua induſtria proficiebat: illi enim, (quia poſtquam cum ætate creſcit pravus uſus, aut vix aut numquam corrigitur,) male vivendi conſuetudines non relinquebant, mores malos in quibus inoleverant mutare cruciatus illis erat. Si exhortationibus ſanctæ prædicationis convertere eos nitebatur, deridebant; ſi cenſura diſciplinæ regularis uti volebat, reſiſtendo & contradicendo repugnabant. Erant aliqui eorum de generis nobilitate tumentes, ſed moribus ignobiles, & ad bene agendum debiles & inſipientes, atque ad male faciendum fortes & ſapientes. Hi veſaniæ ſuæ caput conſtituerant quemdam Lambertum, ſuperbia elatum, vita incompoſitum, jactatione diſſipatum, laſcivia reſolutum, moribus levem, verbis arrogantem, & omni ſua compoſitione deteſtabilem: ille arrogantia vanæ nobilitatis inflatus ceteros poſt ſe trahebat omnes ſolus, in quocumque facinore aut culpa deprehenſi forent defendebat, & ipſe viciſſim omnium conſpiratione quamquam manifeſta, tutus erat ſceleris. Hic ſancto viro publice & privatim multas inferebat injurias, & omnibus quæcumque dicebat nimis mordaciter reſiſtendo obviabat: ille autem inſana ejus convitiorum jacula virtutum clypeo repellebat, & furioſi hominis rabiem nimis patienter ferendo augebat; laborabat tamen, modo precibus, modo perſuaſionibus, interdum exaggeratis infernalium dolorum terroribus, miſerum corrigere; orabat quoque frequenter, ut Deus & cor intelligens daret, & beſtialem ejus mentem ad humanitatem converteret. Ille vero ſicut vanus & lubricus, unde, ſi ſaperet, debuerat eſſe emendatior, ſemper fiebat deterior, & quotidiano malitiæ augmento erat pravitas oneroſior. Sed etiam in iſto Deus oſtendit, & quia multum valet Juſti deprecatio aſſidua, & quia de divina miſericordia ſit præſumendum.

18. Nam poſt multas exacerbationes, poſt graves convitiorum contumelias, quas ſancto viro per duos fere annos continue ingeſſerat, idem Lambertus quadam nocte ad nocturnales vigilias ſurrexit ſuo ordine lectionem lecturus: propoſuerat autem in corde ſuo, & cum ſociis malitiæ ſuæ adjutoribus condixerat, quod tranſiens ante Abbatem, neque ſolitam venerationis reverentiam illi exhiberet, neque benedictionem lecturus peteret. Ibat ergo cervice erecta, oculis inſanæ mentis furorem vomentibus, ferens ſuperbiam: ſtultorum autem ſociorum certiſſima exſpectatio erat indubitanter eum facturum eſſe quod jactaverat; ſed ubi ante Abbatem venit, illoſque ſublimes oculos ſubito in eum reflexit, puerum candoris nivei vultum ſiderei in ſinu ejus vidit, illi blandum, ſibi terribilem; illum dulciſſime lenientem, ſibi graviſſime minitantem. Mox, corripiente ſe Deo, intremuit; eodemque momento fugiens, qui diu manſerat in eo ſuperbiæ dæmon, alio Spiritu afflatus beſtialem animum mutavit, humili veneratione Abbati inclinavit, ad legendum in analogio quod poſt tergum Abbatis conſtitutum fuerat proceſſit, ſtupentibus veſaniæ ejus ſociis tam ſubitam ejus mutationem, humiliter benedictionem petiit, tremens & anxius legit; inter legendum ſemper obliquo lumine reſpectans, ne forte quem viderat de ſinu Abbatis deſiliret puer, & propter multas iniquitates, pro quibus illum teſtis exagitabat conſcientia, impetu in ſe facto eum occideret. Tandem ut vix legit, quia non erat locus declinandi, eodem quo venerat pæne moribundus regrediens, humilius adoravit, uſque ad locum ſuæ ſtationis rediit: cum quam inique hactenus vixerit, ante mentis ſuæ oculos adduxit, amariſſime flere cœpit; cumque nequitias ſuas renumerare cœpit, quod morte dignus, miſericordia autem Dei eſſet indignus, ipſe fuit judex ſuus. Mirati inopinatam ejus converſionem ſocii, alii qui viciniores ſtabant, quid haberet, quid tremeret, quid fleret ſciſcitabantur; alii ſigni-

Mira monachi converſio.

Digitized by Google

ficationibus ſolitis de choro eum revocare nitebantur: ille autem in eum, quem in ſinu Abbatis videbat & timebat, puerum defixis obtutibus hærens, & lacrymarum profuſione in delictorum ſuorum renumeratione fervens, nec interrogantibus penitus reſpondit, nec vocantibus cedens chorum exiit. Expletis autem matutinalibus hymnis, egredientibus ceteris, in choro ad Abbatem venit, pedibus ejus ſe proſtravit, peccata ſua humiliter multa lacrymarum atteſtatione confeſſus, veniam rogavit; deinde, quod viderit puerum in ſinu ejus, quomodo divinitus repente correptus, ſuperbæ mentis mutavit inſaniam adhuc tremens indicavit, licentiam de eo monaſterio eundi ad aliud petiit: dicens ſe tantum peccatorem, qui tot immunditiis illum locum ſanctum toties polluerit, indignum ipſius ſanctitatis. Abbas autem vehementer obſtupuit, Deoque gratias egit tam pro virtute miraculi, quod in ſe factum quod dum fieret ipſe neſcivit, donec eo qui viderat indicante cognovit; quam pro converſione ejus non damnatione jam dubitari non poterat fratris. Cumque multis eum precibus rogaret, ne ſe defereret, ſed remanendo, quibus exemplar mortis prius fuerat, exemplum converſionis & pœnitentiæ de ſemetipſo fratribus daret, penitus obtinere non potuit, dicente illo, & probabiliter ſatis oſtendendo impoſſibile eſſe, niſi ex inſpiratione divina alios poſſe converti, quamdiu ipſe eſſet cum illis. Abbas autem arbitratus ita ut dicebat eſſe, ſecurum ſua benedictione permiſit abire, & multis lacrymis proſecutus uſque ad januas eccleſiæ, imprecatus eſt illi dignos fructus pœnitentiæ. Ille autem conſternatus, & multo timore concuſſus, primo diei initio ſolus & incomitatus, mærens & plorans, & multa contritione animi verum ſe pœnitentem oſtentans, amariſſimis fletibus puniebat, quas ſancto viro intulerat injurias. Qui ubi ad Moſomenſe caſtrum pervenit, à RODOLPHO ejus loci abbate ulterius progredi vetitus reſtitit; ſub quo deinceps, quidquid vixit temporis commoratus, crura compedibus, brachia ſua manicis ferreis attrivit, lumborum prius effeminatam mollitiem cingulo ferreo conſtrinxit, omnes carnis laſcivias cilicio, ſacco, quotidianis jejuniis, aſſiduis fletibus & vigiliis compreſſit & orationibus, donec beato fine conſummatus in Domino quievit. In quo merito prædicatur virtus beati Theoderici, & viſcera miſericordiæ Dei. Quis enim tam iniquum, tam ſuperbum, tam perverſi cordis monachum, qui eum noſſet, crederet eſſe ſalvandum? ſed gratia Dei præveniente, & oratione Theoderici adjuvante, qui erat blaſphemus, & ſancti viri perſecutor, miſericordiam conſecutus, factus eſt pietatis in ſe factæ annuntiator. Poſt cujus diſceſſum multi pœnitentia ducti ſubjecti ſunt diſciplinæ regulari, obedientes præceptis quem ante deſpiciebant abbatis ſui; pauci vero ſpiritu malo acti, aufugerunt de monaſterio profugi. Ita eccleſia ſancti Huberti ante depreſſa & humiliata, paullatim relevabatur, & ceſſante malorum improbitate ſenſim creſcebat, confluentibus ad eam undique viris religioſis, & magiſterio Theoderici ſe ſubdentibus: & in quantum prius vitiorum fœditate contemtibilis, & male diffamata fuit, in tantum poſtea Dei providentia, & abbatis Theoderici labore & induſtria, creſcente numero fidelium, claruit glorioſa.

ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XXIV.

19. Videns autem humani generis inimicus religioſorum monachorum ſancta converſatione locum reſplendere, ſe autem pelli ſua, quam diu poſſederat, habitatione, torquebatur, & ſuo more viro Dei frequenter inſidias moliebatur; ſed ille & facile ſuperabat omnes inſidiatoris conatus, & ſemper providus & circumſpectus præcavebat. Quadam autem nocte, dum ſecundum conſuetudinem, præventis nocturnalibus vigiliis, in oratorio intenderet orationi, ecce diabolus, aſſumta ſpecie immanis cervæ, coram eo venit, & pulſu pedum orationis ſtudium ei excuſſit. quam vir Dei ubi vidit, nihil minus quam diabolum putans quod videbatur cervam eſſe, &

Dæmonem Crucis ſigno fugat.

ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XXIV. illuc de ſilva actam credidit nocturno errore: & exiſtimans cellerarii incuria, cum ſero iiſſet cubitum, clauſtri oſtium reliquiſſe apertum, ſurrexit ab oratione, volens feram, priuſquam ad oſtium per quod eam intraſſe putabat reverteretur prævenire, & concludere. Illa autem greſſu modo cito, modo tardo ante ſequentem præcedebat, interdum quaſi exſpectans ſubſiſtebat, donec ad eam qua veniebant januam ſimul uterque venerunt; ſed ea clauſa prohibebat exitum. Tunc primum in ſe reverſus, phantaſtico errore ſe ſeductum intellexit, mox ſalutari ſigno crucis ſe muniens: Ecce crucem Domini, fugite partes adverſæ, exclamavit. Seductor autem virtutem crucis non ferens, diſparuit, tantoque ſonitu ac fremitu aufugit, ut quaſi vehementi turbine fratrum omne dormitorium videretur corruiſſe; ſatiſque patuit diabolum ex illo tempore illum locum multum infeſtaſſe, ſed minus prævaluiſſe.

Monachos variis in locis conſtituit. 20. Compertum habemus ex tunc cum numero fidelium creſcente religione cenſum eccleſiæ affatim creviſſe, tam in agrorum & prædiorum, ac eccleſiarum augmentatione, quam in redditaum multiplicatione. Nam ARNULPHUS comes *Vvarch.* impulſus fama virtutum viri Dei, ultro ad eum venit, & licet homo multæ vanitatis & levitatis, qui ſicut arundo in utramque partem facile poſſit agitari, prædicationem ſalutis ab eo, conſilia vitæ ab eo data libenter admiſit; & pro redemtione vitæ ſuæ & ſuorum, eccleſiam in honorem ſancti Sulpitii conſecratam in villa, quæ vocatur *Piros*, & quidquid ad eam pertinens ſui juris erat, ſancto Huberto dedit; ac præſentibus multis nobilibus & illuſtribus viris, legitima traditione, filiis & uxore præſentibus, perpetualiter confirmavit. Cujus rogatu poſtea venerabilis abbas Theodericus monachos ex ſuo cœnobio in ea conſtituit, ſuntque ibi viventes ordine regulari ſub Abbate ſancti Huberti. Sed & Laudunenſis caſtri epiſcopus ELINANDUS, homo in adminiſtrandis epiſcopii rebus & publicis utilitatibus ſatis idoneus, odore virtutum ſancti Theoderici impulſus, crebris allegationibus eum ad ſe venire juſſit; cum eo collocutus, inter amicos eum ſummum habuit, ſe omniaque ſibi commiſſa ejus orationibus commendavit: deinde precibus ejus obſtrictus, eccleſiam ſanctæ Mariæ in Evernei-curt [a] ſancto Huberto tradidit, & deputatis de eodem monaſterio ſancti Huberti ibidem monachis, ſua auctoritate & multorum adſtipulatione, omnis epiſcopalis ſervitii debito illam perpetuo abſolvit. Similiter GERVASIUS Remorum Archiepiſcopus, in diſciplina liberalium artium apprime eruditus, vir ſecundum ſæculi dignitatem nobiliter natus, ad omnia ſagax & ſtrenuus, epiſcopatu quidem dignus, ſed natura & moribus pluſquam oportuerit ferus, propter laudabilem converſationem ejus ſibi eum fecit amicum; venientemque ad ſe multa honoratione honorabat, optionem petendi tam pro ſua eccleſia, quam pro quibus vellet ipſi dabat. Multum ergo feritatis ab eo admonitus depoſuit, multa rogatus ejus cauſa frequenter fecit: & cum pluribus frequenter eſſet immitis & truculentus, huic uni pro gloria & admiratione virtutum ejus, ſemper fuit mitis & placidus. Poſtremo altare prædictæ villæ ſancti Sulpitii, quod in vicinia Pirenſis eccleſiæ eſt, ſancto Huberto tradidit, ac ſua auctoritate ab omni ſervitio epiſcopali utrumque altare deinceps perpetualiter liberum fuit.

Romam petit. 21. Aſſumtis poſt vir Deo carus paucis ſecum ex fratribus, in monaſterio compoſitis rebus, Romam nudis pedibus & diſcalceatis ire propoſuit; ſicque Virdunum uſque perrexit, ubi multo caritatis affectu, ab epiſcopo THEODERICO, & majoribus civitatis, aliiſque omnibus, maxime ab ERMENFRIDO, magni præconii ac religionis viro; de cujus continentia, qualiter ab adoleſcentia ſuccenſus igne ſuperni amoris, in Dei ſervitio ſenue-

[a] De hoc loco & ejus donatione S. Huberto facta vide miracula S. Huberti jam laudata & notas Sæc. IV. part. I. numm. 18. & 21. pag 302.

rit, quomodo boni propoſiti ſtudium uſque dum eum mors ceſſare compulerit infatigabiliter tenuit, melius puto ſilere quam parum dicere. Sed ad narrationem redeo. Igitur ubi Epiſcopi & talis viri, aliorumque petitioni parens, calceatus paullo longius ab urbe proceſſit, iterum detractis calceamentis, Romam perrexit. Cui cum ſui comites dicerent, quia non recte faceret, eo quod caritati & præcepto tantorum virorum inobediens eſſet, reſpondit, ſe vere per caritatem præcipientibus obediſſe: ſed quia nemo ei definierat quamdiu, vel quo uſque, poteſtati & arbitrio ſuo relictum eſſe, quando calceatus vel diſcalceatus vellet ambulare. Non ergo acutæ & incidentes petræ, non Alpinæ nives, non glaciali conſtricta frigore Italia, non aſpera montium juga, non grandines, non præcipites pluvialibus undis torrentes, denique nulla pericula, nullæ difficultates, poſtremo nullæ comitum ſuorum preces & lacrymæ propoſitum ejus potuerunt convertere; ſic itaque ad tumbam beatiſſimi Petri, nulla tandem difficultate & laſſitudine, pervenit. Ibi multa contritione & gemitu quidquid habens in corde ſuo profundens, ſeque & dominici ovilis cuſtodiam ſibi creditam, illi cui in cælo & in terra primum dono dedit Deus jus ligandi & ſolvendi committens; ſic quoque Romæ ſanctorum oratoria uſque ad Lateranenſem eccleſiam circumivit, ubi ab ALEXANDRO papa Romano multo affectu exceptus, & ejus ſecreto & familiari colloquio ſæpius uſus, poſtremo benedictione apoſtolica ab illo confirmatus, ex præcepto auctoritatis ejus calceatus, & equo domum eſt reverſus. Sed cum circa Alpes Julias veniſſet, ex concepto pridem frigore, reſolutæ omnes pedum ejus ungulæ ceciderunt: ipſe quoque nimia laſſitudine cum ſic eſſet confectus, ut niſi aſſidue unguentis atque aliis juvaretur fomentis, vix valeret incedere, nil tamen de ſolita & propoſita pſalmorum & jejunii conſuetudine voluit remittere: ita ad monaſterium denuo reverſus, cœpit cuſtodiæ ſibi commiſſorum inſtare ſtudioſius. — ANN. CHR. MLXXXVIII. AUG. XXIV.

22. Poſt hæc conſiderans agreſtem & nimis incultum loci ſitum, prædeceſſorum enim ſuorum, qui ante ſe monaſterio præfuerant incuria, nihil decoris loco addiderat: ſed ſicut à tempore VVALCANDI Leodienſis epiſcopi, qui illuc ſanctum Hubertum tranſtulerat [a], eique aptum ac ſubitum opus, ac domum conſtruxerat, ita quoque tunc erat; cœpit ædificare diruta, & vetuſtate conſumta renovare, anguſta ampliare; & cooperantibus ſibi monaſterii Præpoſitis, maxime THEODERICO, qui tanti Patris heres & nomine & regiminis dignitate poſt illum meruit eſſe, Lamberto quoque, qui illi plus omnibus in amicis familiaris fuit, quique omnium laborum & periculorum ejus comes individuus permanſit, dejecto veteri & parviſſimo quod erat ibi clauſtro, novum & magnum, quale modo videtur, conſtruxit: ſed & oratorium ſepulcri Domini, ſcilicet ad meridianum monaſterii, ædificavit. Duo quoque oratoria ad ſeptemtrionalem plagam addidit, alterum quidem, quod eſt inferius, in honore ſancti Andreæ apoſtoli; alterum vero, quod ſupra ipſum eſt, fecit venerabile memoria & patrocinio ſancti Nicolai: cryptam etiam ad orientem baſilicæ pulcherrimo erexit opere, quam poſtea HENRICUS Leodienſis & FRANCO Bellegradenſis epiſcopi ejus rogatu dedicarunt in honorem nominis Jeſu, & ſanctæ Mariæ ſemper virginis; necnon & aliud clauſtrum pro foribus baſilicæ ad occidentem à fundamentis conſtruxit. Non longe vero à porta exterioris atrii ædificata ſpatioſa eccleſia, ſancto Ægidio eam voluit dedicare; cumque deſiderio de ſancti corpore petendarum reliquiarum ad ſanctum Ægidium [b] pergeret, per urbem quæ dicitur Trecas * iter habuit, & in ea hoſpitandi gratia nocte manſit. — [a] Monaſterium reſtaurat. — [b] * Troyes.

[a] Hujus Tranſlationis hiſtoriam à Jona epiſcopo Aurelianenſi ſcriptam dedimus ad an. 825. quo facta eſt.

[b] Sancti Ægidii oppidum, in Septimania diœceſis Nemauſenſis, nomen traxit ab illuſtri abbatia Ordinis noſtri, quæ modo in Collegium canonicorum ſecularium converſa eſt.

ANN. CH. MXXXVII. AUG. XXIV.

23. Mane facto dum comites pararent profectionem, ipſe ad eccleſiam perrexit, atque ex more ſacra Miſſarum ſollemnia celebravit. Ibi mulier quædam, quam diutinus febrium ardor coquebat, & à medicorum arte deſperata erat, audita de viri virtutibus fama, fidem habens ejus ſe meritis vere poſſe ſanari, quia per ſe ire non poterat, portari ſe fecit, atque quantis potuit vocibus, magno gemitu & lacrymis, ut ſui miſereretur, ut pro ſe Dominum rogaret, [rogare] cœpit. Ille, cujus cor à pietate extraneum numquam fuit, motus dolore miſeræ mulieris, eam ſilere, & exſpectare fecit. Completis vero ſacramentis, manus aqua lavit, ipſam febricitanti mulieri in potum dari juſſit. Mira res, & noſtris vehementer ſtupenda temporibus! Ubi mulier bibit, ilico ab ea paſſio receſſit, tamque perfecte convaluit, ac ſi penitus nihil pertuliſſet infirmitatis. Iterum in eodem, quo ad ſanctum-Ægidium ibat itinere, in domo quadam, qua hoſpitatus fuerat, mulier ex Saracenis captivata, de civitate Cæſar-auguſta [a], ſed in Chriſtum credens & baptizata, jacebat omni membrorum parte invalida. quæ cum quia diu languerat, tum quia qui ejus curam gereret proximorum habebat neminem, omnium cura & ſolatio erat neglecta. Quam forte ſedens ad cænam vir venerabilis, ut ex magnis & crebris, quos dolor effundebat, clamoribus graviter torqueri advertit, atque quæ, aut unde eſſet hoſpitis ſui relatu cognovit, motus vice & ſolicitudine captivæ mulieris, paullulum illacrymatus, preces pro loco & tempore, ſilentio pro ea ad Dominum fudit; acceptaſque ciborum ſuorum reliquias, per miniſtrum ſuum ei miſit, & ut in nomine Domini comederet mandavit. Miro modo, quæ magna ex parte jacebat præmortua, nihilque aliud quam ærumnarum ſuarum remedium mortem exſpectabat, ut ad perceptam ex viri Dei menſa benedictionem, ad comedendum diu invalidum os aperuit, longus qui eam cruciaverat languor reliquit; atque ut ſenſim recepta ſanitate convaluit, virtutum Theoderici prædicatrix apud multos fuit. Tandem reverſus de itinere, inter cetera probitatis opera, prudenti admodum uſus conſilio, ut reliquias quas attulerat, in duas æquas partes divideret: quarum unam ſibi ſuæque eccleſiæ retinuit, alteram eccleſiæ ſancti-Ægidii, ubi ſacerdotem ipſe inſtituerat, impertiit. Poſt autem non longi temporis intervallum, exigentibus meritis prænominati ſacerdotis, quidam ex religioſis Præpoſitus & cuſtos hujus venerabilis eccleſiæ ſancti Huberti, qui illi plus omnibus in amicis familiariſſimus fuit, qui etiam tunc ſacramenta miniſtrabat populo, cœpit eumdem Sacerdotem in coadjutorem aſſumere, ut eo abſente ejus ipſe vices ſuppleret.

Mulierem à febre liberat.

Alteram à paralyſi.

24. Quodam autem tempore, dum iret Coloniam, tam orationis gratia, quam pro utilitate ſui monaſterii locuturus ſanctæ memoriæ archiepiſcopo ANNONI, in caſtro Juliaco [b], quod ex nomine Julii conditoris antiquum adhuc ſervat vocabulum, Miſſam cantaturus divertit. Erat illic mulier longo infirmitatis morbo detenta, & ita omnium membrorum officio deſtituta, ut per novem menſes nec de lectulo ſurgere, nec niſi aliorum manibus de latere in aliud latus ſe aliquo modo umquam valuerit convertere. Quæ quia per tanti temporis ſpatium omnem cibum, omnem, excepta aqua, illa quoque raro, exſecrabatur potum, jacebat, faſtidita etiam matris & omnium cura proximorum; ſomni autem eam recreatio penitus fugerat, &, quod mirum erat omnibus, in ſolo ſpiritu vitam morte graviorem trahebat. Hæc ipſa nocte ſomno repente corripitur, atque à quodam venerabilis formæ viro monetur, ut mane ad eccleſiam portari ſe faceret, & de manibus Abbatis, qui ibidem Miſſam celebraturus erat, benedictum panem pete-

Item & tertiam.

[a] Urbs archiepiſcopalis Hiſpaniæ celeberrima, Aragonici regni caput.

[b] Urbs munitiſſima ad Ruram fluvium, in Germania inferiori, inter Coloniam & Trajectum ad Moſam, nobilis ducatus caput, vulgo *Juliers* dicta.

Google

ret, eoque pro ſe orante, ſe recepturam ſanitatem certiſſime crederet. ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XXIV.
Evigilans, voce qua poterat, matrem & qui in domo erant excitavit, viſionem retulit, atque ut id quod erat imperatum accelerarent, inſtanter orare cœpit. Mirati omnes, quia nullum Abbatem illic hoſpitatum ſciebant, illam delirare, & phantaſiis, quibus infirmi plerumque ſolent illudi, dicebant deceptam eſſe. Illa vero non phantaſticum, ſed certum eſſe quod audierat, proteſtante, in vicinia requiſitum de illo Abbate miſerunt: ſed jam ad eccleſiam eſſe, jam ſacro altari aſſiſtere, qui miſſi fuerant, renunciaverunt. Protinus eam in ſella geſtatoria tulerunt, beato viro, cum jam Miſſam finiiſſet, obtulerunt; de viſione, ipſa atteſtante, retulerunt, pro ejus ſalute flebiliter eum rogarunt. Sed ille diu reluctans, ſuæque fragilitatem imbecillitatis accuſans, hoc negotium ſupra vires ſuas proclamans, tandem victus rogantium lacrymis & precibus, quinque oblatas benedixit, fuſaque ſuper infirmam oratione, in os ejus poſuit. Inuſitato noſtra memoria miraculo, quæ diutina languoris paſſione jam uſum manducandi dediscerat, ilico ſtupentibus cunctis comedit, & jubente viro Dei, domum relata, miſſos quoque ab eo piſces accipiens ſimiliter comedit, neque poſtea aliquem cibum aut potum faſtidiens brevi convaluit. Reverenti de Colonia ipſi Abbati, quæ pridem de vita deſperaverat, ſana occurrit, gratias Deo, & illi pro ſibi reddita ſanitate egit, obſequium ſervitutis ſuæ & parentum ſuorum obtulit, ad hoſpitium ſuum trahere contendit. Sed ille, benedicto in operibus ſuis Domino, nihil ſuis meritis attribuit, refugienſque laudibus hominum attolli, quos ad eum videndum undecumque advocabat novi fama miraculi, velociter pertranſiit.

25. Iterum vero paratis quæ in itinere uſui forent, cum HERMANNO [a] Mettenſi epiſcopo Romam profectus, veneratis Apoſtolorum & Martyrum ſepulcris, ad Gregorium ſeptimum jam poſt Alexandrum præſidentem Romanæ ſedi, venit [b]; à quo, quia ab adoleſcentia maximum familiaritatis obtinuerat locum, eſt affectuoſe ſuſceptus, & per aliquot dies ſecum remoratus. Qui privilegii libellum, ipſius & præfati Hermanni precibus, eccleſiæ ſancti Huberti per eum miſit, in quo continebatur Dei, & beati Petri, & ipſius Gregorii auctoritate horribilis interminatio, ne quis Imperator, aut Rex, aut Epiſcopus, aut Dux, aut Comes, aut alia ulla poteſtas quicquam de poſſeſſionibus antiquitus vel noviter acquiſitis eccleſiæ ſancti Huberti auderet tollere, vel ſuo vel alterius juri mancipare. Quod privilegium Remenſi vel Trevirenſi Archiepiſcopo, ac Laudunenſi, & Leodienſi Epiſcopo, cujus juris erat ipſa eccleſia, per eumdem Abbatem cum litteris Apoſtolicis miſit: obſecrans, ut quod utiliter ſupplicanti Abbati pro utilitate ſuæ eccleſiæ conceſſerat, ipſi ſua adſtipulatione firmarent, & ſua ſubſcriptione corroborarent. Acceptis litteris Apoſtolicis ceteri conſenſerunt; ſolus Leodienſium Antiſtes Theoduinus, impulſus conſiliis eorum quibus omnia honeſta atque inhoneſta vendere mos erat, litteras Apoſtolicas repulit, Abbatem quem pro vitæ merito ante valde dilexerat, turbida indignatione de conſpectu ſuo exire juſſit. Deinde uſus eiſdem conſiliatoribus, conventum Abbatum & Clericorum adverſus illum evocavit, eoque ſtatuto in medio, cur Romam ire, cur eccleſiam ſancti Huberti, quæ Leodienſis epiſcopi eſſet, apoſtolico juri mancipare, cur eam ſanctæ Mariæ, ſanctoque Lamberto vellet tollere? Poſtremo, cur, cum ipſe ſuus Abbas eſſet, nec ejus legatione functus fuiſſet, epiſtolas à Romana ſede ſibi contrarias afferre præſumſiſſet, requiritur? At ille: Cauſa orationis, reſpon-

[a] Romam petit.

[b]

Privilegium à Gregorio papa obtinet.

[a] Hunc ex Leodienſis eccleſiæ gremio in Mettenſem ſedem aſſumtum eſſe legitur in Chronico Epiſcoporum Mettenſium, Acheriani Spicilegii tomo 6.

[b] Illud iter Theodericus anno circiter 1074. confecit, ſiquidem Gregorius anno 1073. electus eſt, & Theoduinus Leodienſis, cum quo poſt reditum controverſiam habuit, anno 1075. exceſſit è vita.

ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XXIV.

dens dixit, mihi fuit Romam, veſtra licentia, ſi recordari placet, ire. Eccleſiam autem ſancti Huberti, neque ſanctæ Mariæ, neque ſancto Lamberto tollere, neque Apoſtolico juri umquam habui animum mancipare: ſed poſſeſſiones, quas vel primum habebat ipſa eccleſia, vel quas Deus addidit, ſcilicet quæ à duce Godefrido, vel Remenſi & Laudunenſi epiſcopo ad Dei ſervitium ſunt condonata, confirmari feci auctoritate apoſtolica. Si in hoc peccavi, quia quod non habebat eccleſia ſancti Lamberti, illi adjeci, idque quod ab externis epiſcopis multo ſudore & labore acquiſivi, ne ulterius perdat, providi; videat & judicet prudentia veſtra, & qui aſſident conſilio veſtro Abbates & ſapientes Clerici. Nec, ſi ſit opus, refugio in hoc quoque ſapientum laïcorum uti judicio. Apoſtolicus autem cum ei me veſtrum Abbatem indicavi, gratiam apoſtolicæ benedictionis, ſi placet vobis, per me miſit. Epiſtolæ vero ab illo miſſæ, quia non adverſum vos, ſed pro gloria & honore veſtro ſint, ecce (& eas porrigit) poteſt & à ſapientibus judicari. Plura parantem dicere, iidem incentores Epiſcopi occupant loquentis verba, impetu clamoſo vocum perturbant, Epiſcopum libenter & placide aures excuſanti accommodantem avertunt. Quibus impellentibus, Antiſtes inde ſurrexit iratus; Abbas autem, remiſſo comparendi in aliud tempus judicio, ad monaſterium eſt regreſſus. Iterum [a] vero atque ſæpius revocatus, veritate nixus & rationis ope, ſemper receſſit tutus. Poſtremo apud Hoyenſe* caſtrum revocatus, atque iterum pro cauſa ſua reſpondere juſſus, converſis omnibus, Deo faciente, judicio Epiſcopi & omnium, qui prius maligne contra eum egerant, diſceſſit abſolutus.

* Huy.

Henricus Theoduino Leodienſi ſuccedit.

26. Non longo autem poſt tempore, THEODUINO rebus humanis exemto, anno dominicæ Incarnationis MLXXV. epiſcopali cathedræ prælatus eſt HENRICUS, à proavis clarus, & à puero bonis moribus inſtitutus, & diſciplinæ canonicæ & Religionis æmulator non fictus. Ei abbas Theodericus ante epiſcopatum ſatis carus, poſt, innocentis vitæ merito, carior eſt factus. Qui facta ſibi ab eodem epiſcopo permiſſione, Romam perrexit jam vice ſeptima, illaque ultima. Ubi devote ſuo more reverentia & humilitate, veneratis Apoſtolorum & ſanctorum ſepulturis, à Gregorio adhuc Romano epiſcopo officioſiſſime eſt ſuſceptus, & per totam paſchalis feſtivitatis ſeptimanam retentus, & benedictione apoſtolica dimiſſus, *Remis* civitatem venit. Tunc poſt illam longiſſimam & aſperrimam hyemem, qua Galliarum fluvii maximi Rhodanus, Ligeris, & Rhenus; & Germaniæ Alba, Viſela, Viſcla, & Danubius; in Italia etiam Tiberis, & rex fluviorum Eridanus, gelu & frigore concreti, navibus invii, hominibus, equis, aſinis & plauſtris uſu ſimili terræ fuerant pervii, tanta longo ſereno ſiccitas ſubſecuta erat, ut negatis nimia ariditate pecori paſcuis, vitio aëris arentibus arvis, & morientibus per omnes agros herbis, trepidarent late uno timore multarum gentium populi, timentes ne rediret vel illud grave ſæculum, quando in ſervum vendito Joſeph à fratribus, præ inopia famis in Ægyptum venientibus, eadem Ægyptus ſe vendidit Pharaoni; vel quando, jubente Helia, refrænatis imbribus, clauſiſque cælis, impietatem Jezabelis toto orbi fames nuntiavit. Cumque eum majores Remorum civitatis illuc veniſſe audiſſent, certi de ejus ſanctitate, congregati pariter magna cum parte plebis, venerunt ad eum, rogantes, ut pro periclitante mundo preces Deo proſterneret, & orando pluvias ſitienti terræ cælo deduceret, quoque modo ipſi iræ Dei ſatisfacerent eis conſilium daret. Quod vir ſanctus diu multumque recuſavit, donec ſe inſpirante Deo, victus importunitate clamantium, univerſæ civitati per Preſbyteros jejunium unius diei indixit, dicens: Si fideliter & devote fieret, hoc eſſe ſatis ad mitigandam iram di-

Romam item petit.

[a] Hanc controverſiam ad aures Gregorii VII. perveniſſe patet ex ejus Epiſtola ad hunc Dietvvinum epiſcopum Leodienſem, ubi ipſum ea de re arguit. Ea eſt epiſt. 61. lib. 1. Conc. tom. 10. col. 114.

vini

vini furoris. Poſtera autem die in eccleſia beatæ Mariæ [a] ſemper virginis, convenientе utroque ſexu & ætate, inter Miſſarum celebrationem, habuit ſermonem ad populum, ex temporis qualitate, admonens Ninivitarum exemplo, vera pœnitudine & eleemoſynis & lacrymarum humilitate cito Deum placari poſſe. Cumque finito, quo eos ad gemitus & lacrymas impulerat, ſermone, oblatis humanæ redemtionis myſteriis, & potenti oratione cælum penetraſſet; repente (erat enim tunc magna cæli ſerenitas) colliſis nubibus ſubito tonitrua mugire, fulgura coruſcare, & omnia miſceri cœpere. Noſtriſque temporibus ſtupendo miraculo, uno eodemque brevi momento vir ſanctus & orationem terminavit, & Deus cælum concuſſit, ventorum turbinem movit, pluvias adduxit, magnaque inundantia terram diu aridam uberrime ſatiavit; & quam, peccatis offenſus hominum, terris ſubduxerat, pœnitudine eorum placatus, & meritis Theoderici adſtrictus, miſericordiam redonavit, & longa ariditate ſqualentia arva viroris refecit gratia. Actum hoc anno ab Incarnatione Domini MLXXVI. atque communi decreto litteris & Annalibus traditum in urbe Remenſi, totque habet teſtes, quot ex his qui in ea urbe tunc erant, adhuc ſuperſunt homines.

ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XXIV.

Remis pluviam impetrat.

Auctoris ætas.

27. Alio autem tempore in villa, quæ Piros vocatur, pro utilitate eccleſiæ commorans, quadam nocte poſt expletos matutinales hymnos, paullo ante lucem ad eccleſiam ſancti Hilarii Miſſam cantaturus cum ſuis comitibus perrexit matutinus; ſed cum reſeratis foribus, eccleſiam jam deberet ingredi, lucerna quam unus puerorum ejus ante illum perferebat, in ipſius eccleſiæ ingreſſu, flante vento, repente extincta eſt. Cumque aliquis ignem allaturus ad proximam domum iſſet, nec propter quod ierat cito inveniens, in redeundo moram faceret; homo Dei quaſi tædio affectus, protento dextera crucis ſigno, eccleſiam eſt ingreſſus; & ecce, quod qui cum eo erant videre datum eſt omnibus, emiſſo divinitus lumine, candela, quam ſuper candelabrum relictam ſero preſbyter extinxerat, ſubito accenſa eſt; ut ex eo clareſceret quo lumine ille interius ſplenderet, ante cujus adventum cæleſtis lux tenebroſæ noctis caliginem dimoveret. Huic & aliud non diſſimile eſt, quod dum longo poſt tempore, in monaſterio ſancti Huberti circa mediam fere noctem, familiari ſibi more nocturnas vigilias fratrum prævenіſſet, & orationibus incumberet; coruſca lux cælitus repente emicuit, & totius monaſterii latitudinem novæ claritatis ſplendor illuſtravit. Præterea, cum luce ipſa, avicula quædam, magnitudine columbæ par, coloris varia pulcritudine diſtincta, dulci voce grata, & ipſa, ut creditur, cælitus demiſſa, ſtuporem & miraculum quibuſdam, quibus hac viſione frui conceſſum eſt, incutiebat. Nam modo ab orientali domus parte ad occidentalem pervolabat, modo dextrorſum, modo ſiniſtrorſum ſe agebat; nunc quaſi importuna, lætis alarum plauſibus ſe oculis intuentium immergebat, ita ut etiam interdum capi poſſet, ſi quis eam temerare præſumſiſſet. Quæ poſtquam diu hac & illac lætis plauſibus circumvolavit, poſtquam omnes baſilicæ angulos perluſtravit, etiam omnia ſanctorum altaria lætabundæ vocis ſtridore ſalutavit; poſtremo levi volatu allapſa venerabilis viri capiti innocua inſedit: nec inde prius diſceſſit, quam pulſantibus matutinis, & jam convenientibus fratribus, cum ea quæ videbatur luce diſparuit. Viderunt hoc nonnulli ex fratribus, qui in monaſterii cuſtodia excubabant, ſed timore anxii, & antea inviſæ lucis claritate attoniti, nec quidquam dicere, nec de lectulis etiam audebant ſurgere: ſed mane ad eum veniunt, quaſi congratulantes, cum admiratione & laudum præconio viſa referunt. Ille vero iratus, quaſi cum indignatione eos redarguit, præcipiens inſuper, ne amplius, quoad ipſe viveret, de ea re indicarent alicui. Timebat enim ſervus Chriſti laudes hominum ſicut allap-

Alia miracula.

[a] Hæc eſt metropolitana Remorum eccleſia.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XXIV.

ſus ſerpentium, ſciens quia ſemper cauſa ruinæ fuerit etiam Angelis & hominibus vanæ gloriæ appetitus. Nec illud de viri Dei virtutibus reticendum puto, quod cum aliquando ad quamdam eccleſiam in villa, quæ dicitur *Lezines* *, orationis gratia divertiſſet, eamque ſera & clavi clauſam & ſignatam offendiſſet; dum exſpectabatur Preſbyter clavem delaturus, ipſe ad oſtium acceſſit, atque ante illud quaſi oraturus in pavimento procumbere voluit: ſed miro atque poſt Petrum apoſtolum ſtupendo miraculo, oſtium quod revera erat obſeratum, quadam divina & inviſibili virtute ſubito patuit apertum. Mirantibus, & poſt illum ingredientibus ceteris, preſbyter venit, & inſpecta diligenter ſera, peſſulo, & oſtio, ubi omnia illæſa invenit, ipſe quoque attonitus novitate miraculi, cœpit mox prædicare divinæ virtutis potentiam, in ſua eccleſia Theoderici meritis tam evidenter declaratam. Ipſe autem quaſi diſſimulans ſe ſcire quod acciderat, completa oratione velociter inde receſſit, fugiens ſcilicet ſemper vanis hominum laudibus attolli, quos jam de tota villa contrahebat auditi fama miraculi. Qui quamvis, ut prælibavimus, ſemper Deum contemplando, mente in cæleſtibus habitaret, fuit tamen ſollicitus, & pro utilitate commiſſæ ſibi adminiſtrationis exterius non mediocriter laborare.

* al. *Lermes.*

28. Longum eſt, ſi quot eccleſias, vel domos quibus in locis à fundamentis exſtruxerit velim renumerare: oneroſum erit, ſi quæ partim ſemiruta, partim vetuſtate vel majorum ſuorum incuria ruinam minantia, vel jam pæne collapſa reſtauraverit, proſequar: ſuperfluum judicabitur, ſi quibus prædiis eccleſiam ſancti Huberti dilatavit, & abundantem fecit, oſtendero; parum utilitatis conferet legentibus, ſi corona ex auro argentoque mirifica, ſi crucibus aureis, ſi vexillis argenteis, ſi palliis multis, ſi veſtibus, ſi tapetibus plurimis, denique ſi ſupellectili varia monaſterium ſancti Huberti decenter eum exornaſſe ſcripſero. Quod vero caſtrum, cui nomen fuit antiquitus *Mirvvolt*, quod dum caſtrum fuit, ſancti Huberti monaſterio & finitimis omnibus nimis importunum, poſtquam iterum ab HENRICO Leodienſium epiſcopo inæſtimabili ſumtu reædificari cœpit; quantis vigiliis, quantis lacrymis, quam devotis precibus, ut illud priuſquam in antiquam potentiam, & ut ipſe deplorare ſolitus erat, in inſidias ſanctificationi, & in diabolum malum in Iſraël invaleſceret, Deus everteret, impugnaverit; quove labore, Deo cor Epiſcopi molliente, quod volebat obtinuerit, & conceſſo juri ſancti Huberti, & ſuo cum omnibus appendiciis ſuis eodem caſtro, illud funditus dejecerit; & quibus ſumtibus in loco ubi caſtrum fuerat, eccleſiam in honore ſancti Michaëlis ædificaverit, monachoſque in ea conſtituerit; atque Calviniacum * caſtrum, fiſcum amplum ſatis & optimum, auxilio ipſius epiſcopi Henrici à BALDUINO Comite Montenſi compararit, refugio per ordinem enarrare, ne tædioſa prolixitate verborum faſtidium arguar inferre, maxime cum ex his atque aliis ejus geſtorum operibus multo manifeſtius fidem ſibi videntium faciant oculi, quam poſſit ſcripto aut verbis explicari. Reſtant etiam plurima, quæ de tanti viri vita & virtutibus miraculorum, quæ per eum divinitus dum adhuc præſens eſſet in corpore geſta ſunt, poſſint enumerari. Sed quia hæc interim eruditioni legentium (ſi quis tamen hæc ejus amore captus dignabitur legere) credimus ſufficere; abhinc quo ordine vita deceſſerit dignum videtur apponere.

Monachos apud S. Michaëlem inſtituit.

* al. *Caviacum.*

29. Tribus igitur antequam obiret fere menſibus, gravibus pulſatus languoris incommodis, neque lectulo more ægrotantium decumbere, neque remiſſius potuit cogi vivere. Ibat etiam, ut ſolebat, quo eum vocabat neceſſitas eccleſiæ, vel ut locorum mutatione dolor ſibi lenior fieret, vel ne quid detrimenti ſua eccleſia ejus culpa ſuſtineret. Igitur cauſa exſtitit, qua ſtatuto tempore, Piros & villam ſancti Sulpicii Confeſſoris meritis glorioſam petiit. Cumque reformatis & ordinatis pro quibus ierat, per aliquot dies ibi morari decreviſſet, confluentibus undique in eum ſenſim

Incidit in morbum in villa.

multis ac magnis doloribus, compulſus eſt tunc primum lecto decumbere. Cum vero in dies languor validior ingraveſceret, ubi revelante Deo quem menti gerebat, viciniam mortis adventare ſibi ſenſit, referri ſe ad ſancti Huberti monaſterium, quod quindecim fere ab eo loco diſparatum erat milliaribus [a], juſſit. Ubi autem in grabato geſtatorio locatus, domo eſt elatus, totius pagi omne vulgus, & de vicinis opidis & de caſtellis [b] multi & potentes viri catervatim cœperunt ruere, ultro parati uſque ad monaſterium ejus comites ire, & hoc extremum obſequii ſui munus illi exhibere. Erat namque vita ejus cum ætate venerabilis, & multorum in ejus amore dediti erant animi. Sed ipſe nolens eſſe oneri, de quibus certum habebat pro ſe, ſi neceſſe eſſet pati, poſſe mori, lectulum quo portabatur medio agro qui erat pro villa deponi fecit, collectoque qui toto manebat ſpiritu, in lectulo ſedit, omnique illi multitudini ultimum vale dicens, protenta dextera benedixit; atque poſtremo omnes, licet invitos & triſtes, domum remiſit. Deinde multo eorum, qui ejus obſequiis deſerviebant, labore & mærore vectus, cum interdum ingraveſcente languore vitalis ſpiritus in eo pæne videretur deficere, perlatus eſt non longe à monaſterio infra poſſeſſionem eccleſiæ. Præceſſerat autem jam illum fama magni doloris nuntia, atque ex vicis, & agris, & pagis, & omnibus circumjacentibus eccleſiæ villis, multam illic turbam contraxerat, quæ ruens obvia, plangentia jungit agmina. Erat vero pleraque pars viduarum, pupillorum, & pauperum debilium; ille viritim omnes quos noverat, & inopiam ſingulorum pie pro poſſe ſuo ſublevare conſueverat. Hi undique circumfuſi ſeni, pie flebant, atque illius miſericordes largitiones, & dulces & blandas conſolationes, quibus ſæpiſſime abundanter uſi fuerant, renumerantes, ſuas miſerias, ſuas calamitates querulis lamentationibus Deo ingerebant. Erat enim vir ille inter ceteras bonarum artium virtutes, quibus illum animi induſtria extulerat, pietatis & miſericordiæ operibus valde deditus, omnibus ſe rogantibus juxta qualitatem uniuſcujuſque egregia liberalitate profuſus. Magno igitur utriuſque planctu & miſerabili fletu primo noctis initio perveniunt ad portam monaſterii, ubi ex præcepto Senis, ne videlicet ſtrepitus populi jam quieſcentes in dormitorio inquietaret fratres, excluſis ceteris, monaſterio invectus eſt à domeſticis. Ea vero nocte, quamvis jam toto corpore invalido, per momenta exilis in eo deficeret ſpiritus, defixis in eum, cui ſemper devote ſervierat, cordis luminibus, pſalmis & divinis laudibus morientia membra Deo ſervire coëgit, juxta quod ei in omni vita ſua facere perpetui moris fuit: ſed & omni tempore, quo illa gravi ægritudine preſſus languit, numquam eam, quam à tenero ſibi indixerat, ſemel comedendi in die abſtinentiam ſolvit, nec uſque ad eam diem conſuetudinem orationum & pſalmorum prætermiſit, excepto quod paucis ante diebus, infirmitatis nimietate ſuperatus Miſſarum ſollemnia celebrare deſiit. Cilicium quoque, quo mollitiem carnis tot annis preſſerat, nec ad momentum depoſuit; ſed cum jam in extremis ageret, ii qui vel vitæ merito, vel obſequii ſtudio ei familiariores erant, cum jam eum deficere viderent, perſuadere conabantur, ut ſibi cilicium detrahi pateretur, dicentes ſatis eſſe, quod uſque huc carnem ſuam afflixerit illa aſperitate. At ille indignans [c], ait: Nolite, filii, immiſericorditer eſſe miſericordes, nolite volentem proficiſci ad Chriſtum, falſa pietate remorari Theodericum. Nam quod vere hactenus me dilexeritis, in hoc oſtendetis, ſi propoſitum meum, quod ego bonum arbitror fuiſſe, non impediatis. Vos autem ſcitis, quod ſervum Chriſti non niſi in cilicio & cinere decet mori.

Ann. C.h. MLXXXVII. Aug. XXIV.

a Alter codex habet, *quod triginta fere ſex ab eo loco diſtat milliaribus*.

b Idem codex addit, *hoc eſt de Warh & Maceres*. Illa procul dubio ſunt opida *Warck* & *Meziares*, ad Moſam in Remorum finibus verſus Leodienſes.

c Alius codex, *indignatus in fratres: Nolite, alt fratres, &c.*

Ann. Ch. MLXXXVII. Aug. XXIV.

30. Diluculo autem monachi convenerunt frequentes, multo planctu & lacrymis proteſtantes, & ſuam orbitatem, & eccleſiæ ſancti Huberti dejectionem, & dulciſſimi patris ſui modeſtam ſeveritatem, & leniſſimam pietatem. Tanta enim ſeveritate delinquentium culpas ſemper inſecutus eſt, ut vitia quælibet, mox ut oriri perſpexit; numquam primum requieſcere, vel foveri paſſus eſt, quam ea caritatis ſarculo radicitus exſtirparit. Et hic ei perpetuus labor, & indefeſſum ſtudium fuit, ut inimici Domini & ſanctæ Religionis ejus hoſtes fierent; nec ante ad ejus gratiam redirent, quam digna ſatisfactione & pœnitentia culpas diluerent. Suas enim injurias quas vel pravi monachi, vel alii perverſæ mentis homines frequenter intulerunt, tanta patientia ſuſtinuit, ut nec ſe, cum poſſet, umquam ultus ſit, nec umquam graviter conviciantibus, ſaltem leviter reſponderit. Tali vero pietate enituit, ut dum omnes homines, præter eos dumtaxat, quos ſua perfidia condemnabat, excoleret, omnes ſibi commiſſos fratres & patria reverentia honoraret, & tamquam filios cariſſimos diligeret, maxime quos morum probitas & obedientia plus quam alios commendabat. Magno igitur mærore concuſſis omnibus, ut vidit omnes flere, & ipſe motus, teſtatus quo potuit niſu dolorem ſuum, qui erat non pro ſua reſolutione, cum optabile & gratiſſimum illi eſſet reſolvi & cum Chriſto eſſe, ſed pro filiorum, quos per Evangelium Chriſto genuerat, deſertione, lectulo ſe erigi juſſit; ſtolaque ſacerdotali amictus, & paſtorali virga ſuſtentatus, poteſtate ſibi tradita, omnes ſibi commiſſos, tam præſentes, quam & abſentes abſolvit. Omnibus etiam, quicumque in eum criminoſa locutione, vel opere, vel quolibetcumque modo aliquando aliquid deliquerant, indulſit. Deinde exoſculatis omnibus, poſtremo data benedictione, iterum in lectulo relocatur. Quicquid deinde diei ſuperfuit, ſequentemque noctem Dei laudibus & divinæ contemplationi deputavit. Sequenti vero die primo diluculo, aderat cum Berengero abbate monaſterii ſancti Laurentii Henricus Leodienſis epiſcopus, præterea & alii quamplures religioſi viri, ad hoc ut obſequium ferrent tanto funeri. Ii utrique ex debito convenerunt. Epiſcopus quidem, quia & ante epiſcopatum & poſt in epiſcopatu, dum adhuc viveret, privata quadam gratia venerabilem ſenem dilexit, & in præcipuo amicorum loco habuit. Abbas autem, quia adhuc in annis adoleſcentiæ ex clerico monachus ab eo conſecratus, tanti magiſtri inſtitutione exercitatus, inter familiariter ſibi adhærentes erat cariſſimus. Horum adventu ſenex non mediocriter delectatus: Jam lætus moriar, dixit, quia quorum patrocinio ſecurum ire me non dubito, in exitu meo Dominus mihi adeſſe miſit. Et converſus ad Epiſcopum: Deo, ait, & veſtræ providentiæ & pietati, domine Pater, creditæ mihi diſpenſationis officium reconſigno; & quas ulterius, jam incumbente mihi morte, ipſe regere non poſſum, Dominicas oves veſtræ fidei committo. Et quia & in hoc, præterea & in aliis multis, ut ab homine, frequenter erratum à me & peccatum eſt, culpam agnoſco & confiteor, veniam peto, indulgentiam flagito, remiſſionem à Deo & veſtra caritate poſtulo. Epiſcopus autem in lacrymas reſolutus, intromiſſis monaſterii fratribus, ſecundum eccleſiaſticam conſuetudinem, primo eum abſolvit, deinde juxta apoſtolicum præceptum ſancto oleo inunxit.

Ab Epiſcopo Leodienſi viſitatus.

Abſolvitur & inungitur.

31. Quicquid poſtea ſupervixit, toto die illo uſque ad noctem, fratres exhortari & admonere non ceſſavit, obſecrans ut in eo quod cœperant boni operis propoſito perſeverarent. Mærentes autem & pro ſui tabernaculi depoſitione contriſtatos, conſolabatur dicens, ſi ſe in veritate diligerent, potius eis eſſe gaudendum, quia de labore ad requiem, de corruptione per gratiam miſericordiæ Dei ſperaret ſe tranſire ad incorruptionem; pro ſua autem ſeparatione eos contriſtari non debere, quorum non longo inter-

Ann. Chr. MLXXXVII. Aug. XXIV.

vallo confideret ſe perpetuo frui iterum communione. Pro dejectione autem eccleſiæ ſancti Huberti, non oportere eos ſollicitos eſſe: quia provideret Dominus, qui ſecundum ordinationem ſuam ſuo gregi utiliter præeſſe poſſet. Noctem vero totam uſque ad lucis crepuſculum, quamvis per ſingula verba pæne jam mortua cadente lingua, in divinis laudibus conſumſit. Cumque poſt modicum Pontifex ingreſſus aſſideret ægrotanti, ille pie reflexis in eum obtutibus, & protenſis manibus: Ex præcepto Legis, ait, domine Pater, cauda quoque hoſtiæ in ſacrificio jubetur offerri, per quod ſignificatur ſacrificium boni operis perducendum ad finem debitæ actionis. Et cum Epiſcopus converſus, ab aliis quæreret, quid his verbis innuendum putaret. Ille iterum: Quia, ô pie Pater, dixit, uſque nunc mihi in perunctione fuiſti Maria; deprecor, ſi placet, abhinc in obſequio funeris non graveris eſſe Martha. Quod Epiſcopo libenter annuente, ille quaſi præſumta ſecuritate in latus ſe vertit, & quaſi qui ulterius cum terrenis nihil commune haberet, licet jam morientibus labiis laudes Domini tenuiter ſuſurrabat. (Teſtor Chriſtum, & qui aderant, me nihil commenti fingere, ſed quod videre & audire mihi contigit, in veritate de ſancto homine vera dicere.) Jam frigentibus aliis partibus corporis, in ſolo pectore adhuc exilis ſpiritus palpitabat, & crebriores ſingultus jam vicinam mortem nobis nuntiabant. Ille autem per totam noctem uſque ad matutinales vigilias deficientes artus egredienti animæ etiam tunc ſervire cogebat. Et quia æternæ mortis ſtridores ante mentis ſuæ oculos ſemper habuerat, illum ſtridorem quo anima corpuſque dividitur, in laudes Domini convertebat, totumque pſalmum *Qui habitat*, uſque in finem, item & laudes trium Puerorum attentius repetebat. Præterea & alia multa, tamquam his deliciis ultimo ſatiari cupiens, frequenter iterabat. Finitis autem nocturnalibus hymnis, iterum dominus Epiſcopus ante lectulum ejus venit, & utrum ſe agnoſceret, multis perfuſus ora lacrymis requiſivit. At ille rejectis in eum pie lacrymis: Ecce, inquit, vir Oriens nomen ejus, qui illuminare venit in tenebris ſedentibus. Atque coram eo omnem catholicæ Fidei regulam, ſicut à ſanctis Patribus conſtat conſcriptam, utque eam ipſe à puero imbiberat, & tenuerat, memoriter relegens: Hæc in veritate credo & teneo, dixit: Hæc ore, corde & tota animi intentione confiteor. Tunc iterum qua voce potuit, pro reſtauratione ipſius eccleſiæ ſatis humiliter & devote preces coram Epiſcopo * proſtravit. Epiſcopus autem concuſſis ad pietatem omnium animis, quia erumpebant lacrymæ, & non poterat ſe continere, data benedictione egreſſus eſt flens uberrime.

Auctoris fides.

Fidei ſymbolum recitat.

* al. illo.

31. Ipſe autem ſalutaris Euchariſtiæ ſacramenta ſibi afferri præcepit, erectuſque lectulo, Deo ſe commendans, ſolita humilitate & reverentia ea percepit. Benedictiſque fratribus, propter viciniam mox futuræ mortis, jam lingua & toto corpore invalidus, cœpit deinceps ſpiritus ejus tendere ad eum, ad quem mox erat iturus. Cumque lectulo expoſitus, jaceret in agonis anguſtia conſtitutus, & morienti fratrum mærentium conventus aſſiſterent, ejuſque exitum pſalmis & orationibus commendarent, & longæ in ejus reſolutione traherentur moræ, inito conſilio obtulerunt commmuniter ſalutarem hoſtiam Deo pro ejus depoſitione *. Cumque jam peracto illo ſacro myſterio, ultimas preces qui celebraverat ſacerdos offerret Deo; anno ætatis ſuæ octogeſimo non ad integrum expleto; poſtquam monachum profeſſus fuerat, anno ſeptuageſimo; poſtquam ſacerdos ordinatus, quinquageſimo [a]; ex quo Abbas conſecratus, trigeſimo-tertio, anno ab Incarnatione Domini MLXXXVII. octavo Kal. Septembris, hora diei prope tertia, carnis vinculo reſoluta, ad eum cui devote ſemper ſervierat, felix

Euchariſtiā percipit.

* al. pro eo.

Moritur.

a In altero cod. mſ. ponitur, *poſtquam ſacerdos ordinatus* LIII. *anno, ex quo abbas conſecratus* XXX. *anno ſalutis* MLXXXVIII. *nono Kalendas Septembris, &c.* De his vide quæ in obſervationibus annotavimus.

ANN. CH. MLXXXVII. AUG. XXIV.

illius abiit anima. Secutus eſt autem abeuntem pie mærentium monachorum dolor maximus, ingens fletus, miſerabilis gemitus. Nam alii confuſe corruentes ſuper cadaver exanime, oculos, ora, faciem, manus, pedeſque defuncti, vel ſi quid aliud nudum patebat, arte deoſculabantur, & lacrymis rigabant. Alii ad planctus exſerti, brachia, pectora pugnis tundebant, vel crines laceros ſpargebant: pars doloris impatientia humi proſtrata jacebat; omnes autem communiter lacrymoſis vocibus plangebant & flebant queruli *; adoleſcentes cum junioribus, grandævi, ſenes, quos omnes ille in monaſterio jam à tenera ætate paterno affectu nutriverat, aut de tempeſtate fluctuantis mundi placido monaſterii portu exceperat, mixto fletu & ululatu, pium Patrem, bonum Rectorem, egregium Doctorem lamentabantur, & cum ſancto ſene querebantur pariter interiiſſe, & eum locum refugiſſe ſobrietatem, gravitatem, modeſtiam, humilitatem, patientiam, vel ceterarum virtutum inſtitutiones. Sed & multa plebs promiſcui ſexus & ætatis, maxime vero pauperes, de quibus ſemper ei cura fuerat, ſimili pietate perculſi, miſerabiliter ululabant, vulſiſque hinc inde & ſparſis crinibus, & percuſſis manibus conpertuſiſque pectoribus erat cernere quod dolerent, quanto Patre orbatos ſe cernerent. Itaque beati viri corpus in eccleſiam elatum, duos dies totidemque noctes, numquam deficientibus Pſalmorum & vigiliarum ſupplicationibus, pio fratrum ſtudio eſt aſſervatum. Tertia autem die, celebrata ab Epiſcopo Miſſa, proſequentibus ſe cum fletu maximo, cum innumeroſa plebe, illuſtribus & potentibus viris, item Clericis & Sacerdotibus multis, portatus eſt ad ſepulcrum, magno ſtipatus agmine monachorum, & in crypta, quam, ut ſuperius dictum eſt, novam exſtruxerat & dedicari fecerat, balſamo & aliis pretioſis aromatibus delibutus ab eodem domino Henrico epiſcopo in ſarcophago lapideo, cum multis lacrymis & gemitu, & omnium qui aderant planctu inæſtimabili, coram altari ſanctæ ſemper Virginis XXVII. Auguſti menſis die eſt ſepultus.

* al. pueruli.

33. Tali Theodericus ordine natus, tali ſerie fuit nutritus, his virtutum initiis ſuam vitam inſtituit, ſic media ætate vixit, hunc felicem vitæ exitum ſenex & plenus dierum habuit. Nunc, Deo gratias, ille fruitur bonis, in quæ ſemper ſuſpirando ſe extendit. Carnem ſuam *crucifixit cum* vitiis & concupiſcentiis hujus mundi, gaudet modo cohabitatione Chriſti *; qui pro hominibus eſt crucifixus. Corpus jejuniis & afflictionibus tenuavit, ſaturatur modo deliciis gloriæ Dei: conſtriſtatus temporaliter, lætatur æternaliter. Paucorum dierum lacrymas perpetua exultatione compenſat; cilicii aſperitatem, quæ paucis annis mollitiem carnis ejus preſſerat, ſuavitate æternitatis mitigat; nigredinem veſtis, qua mundo ſpectaculum fuit, jam albis veſtibus mutavit. O felix & appetenda talis commutatio! Dedit ille caduca, & recepit æterna; vendidit terrena, & mercatus eſt cæleſtia. Et, ô felix ſupra hujus mundi & miſeri temporis fæces Theodericus, poſt ſe ulterius parem non habiturus! Namque, quod pace aliorum dictum ſit, quiſquis ei Abbas ſucceſſerit, ſemper invidus ejus erit [a]. Sed ego, mi Lamberte, hunc tibi libellum de veſtro, immo & noſtro patre Theoderico, parciore quam propoſueram ſtilo exaravi, cum adhuc etiam reſtent multa, quæ, relegata falſitate, de eo potuiſſent narrari. Sed ne prolixa & inculta oratio legentibus faciat tædium, advertat ex his, quiſquis non aſpernabitur legere, quod vir ſanctus Theodericus, quia ſancte & juſte vixit, feliciter ab hoc mundo migravit; & quia legitime certavit, merito coronatus eſt corona immortalitatis à Domino noſtro Jeſu-Chriſto, qui vivit & regnat cum Patre in unitate Spiritus-ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

* al. ejus.

[a] Alter codex, *ſemper in bono æmulus & invidus erit.*

Google

DE B. VICTORE PAPA III. & aliis abbatibus & viris piis, qui in monaſterio Caſinenſi, ſæculo XI. exeunte floruerunt.

1. *IN prima hujus Sæculi parte egimus de abbatibus & piis viris, qui ab eodem ſæculo ineunte ſacrum Caſini montem illuſtrarunt ad annum* ML. *hic vero de iis agere propoſuimus, qui ab hoc tempore uſque ad ejuſdem ſæculi exitum ibidem floruerunt.* RICHERIUS *tunc temporis hujus ſacri loci erat abbas, quo ſedente Leo IX. ſummus Pontifex ter ſacrum Montem inviſit, cum fratribus in refectorio communi, atque in capitulo cum iis ſedere non dedignatus: quin & Mandato, ut vocant, intereſſe cum ceteris voluit, & monachis pedes lavit, & ab ipſis viciſſim lotus eſt. Multa privilegia monaſterio Caſinenſi ab eo Pontifice fuiſſe indulta refert Leo Marſicanus libro* 2. *Chronici Caſinenſis, ex quibus unum fuit, quo Richerio ejuſque ſucceſſoribus ſandaliorum, dalmaticæ ac chirothecarum in præcipuis anni ſollemnitatibus uſum indulſit. quod ſicut jam antea, ut monet Angelus de Nuce, à nonnullis pontificibus conceſſum fuerat; ſic & ſubſequentes etiam pontifices non ſemel confirmarunt.* Richerius abbas.

2. *Richerio anno* MLV. *die* III. *Idus Decembris defuncto ſubſtitutus eſt* PETRUS, *monaſterii decanus, quem Leo jam laudatus libro* 2. *Chronici capite* 92. religioſum valde & honeſtiſſimi habitus virum *appellat. Hic, ut idem auctor teſtatur capite ſequenti,* à pueritia monachus & eccleſiaſticis uſibus non mediocriter eruditus, adeo religioſis & honeſtis moribus crevit, & tam angelici vultus & reverendi habitus exſtitit, ut imperator Heinricus eo tempore, quo ad monaſterium venit, tranſeunti illi ante ſe humiliter aſſurrexerit, teſtatuſque ſit numquam ſe in toto regno monachum eo honeſtiorem vidiſſe. *Petrus tunc, quando in abbatem electus eſt, jam erat ætate provectus, nec exteriori ſolummodo præditus erat præclaro corporis habitu, ſed etiam ſincera humilitate aliiſque animi virtutibus pollebat. Utrumque ex capite* 92. *jam laudato diſcimus. Invitus nempe in monaſterii regimen aſſumtus, quod ad tantum onus ſuſtinendum imparem ſe exiſtimaret, electionem à ſe avertere omnimodo conatus eſt, allegans* ſenectutem niveam tanto officio idoneam *non eſſe. qua occaſione Leo alterius monachi,* JOHANNIS *nomine,* cognomento Marſicani, *tunc temporis Capuæ præpoſiti mentionem facit, qui cum vereretur, ut revera nonnulli volebant, ne hoc onus ſibi imponeretur,* ſuper altare obſtinate juravit, *ſe numquam abbatiæ regimen ſuſcepturum.* Petrus.

3. *Porro Victor II. Romanus Pontifex, qui jam tunc Leoni IX. fuerat ſubſtitutus, ægre tulit abbatis Caſinenſis electionem à monachis ſe inconſulto factam fuiſſe. Quare Petrus Romam à Pontifice accerſitus eſt, in quo cum nihil reprehenſione dignum deprehendi potuiſſet, Caſinum redeundi licentia ei tributa eſt. Nihil magis adverſus eum profecit Humbertus ab eodem Pontifice Caſinum miſſus, ejuſdem abbatis electionis formam & mores exploraturus.* Priores *etenim monaſterii conteſtati ſunt, abbatis Caſinenſis electionem* Regulæ auctoritate & conceſſione apoſtolica nulli omnino mortalium niſi propriis monachis pertinere; nulli ambitioni locum aliquem in *Petri* ordinatione fuiſſe; neminem de ſuis neque honeſtiorem, neque religioſiorem, neque meliorem in abbatem eligendum ſe invenire potuiſſe. Invito illi & omnimodis renitenti officium iſtud impoſitum eſſe.... Nullius demum imperio alterum ſeſe conſenſuros recipere. *Quibus auditis Epiſcopus ſiluit. & ſic a capitulo diſceſſum eſt. Verum cum ſequenti* Ejus electio Papæ diſplicet. Quam monachi tuentur.

ANN. CH. MLXXXVII. SEPT. XVI.

die turbæ à nonnullis loci monachis ea occaſione excitatæ fuiſſent, Petrus, ut erat vir
modeſtiſſimus, Humbertum clam adiit, eique ſe ſponte loco ceſſurum pollicitus eſt. Ter-
Sponte ceſſit. tia vero poſthac die, id eſt XI. Kalendas Julii, anno MLVII. ut ex hoc capite
95. libri 2. colligit Angelus de Nuce, coram cunctis fratribus in eccleſiam ve-
niens, & virgam ſuper altare ponens, abbatiam tali ordine refutavit.
Quamdiu poſtea vixerit Petrus incertum eſt. Eum in monaſterium Vallis-lucis, ſancti
Nili & aliorum monachorum Græcorum hoſpitio celebre, quod Giſulfus abbas reſtau-
raverat, cum aliquot monachis ſeceſſiſſe dicitur. Memoriam ejus ſemel & iterum cum
Ejus memoria. ſancti titulo celebrat Bucelinus in Menologio Benedictino, die ſcilicet 28. Maii &
24. Junii. Sanctum Petrum in monte Caſino abbatem die item 28. Maii memorat
quoque Ferrarius in Catalogo ſanctorum, qui non habentur in Martyrologio Romano.
Ex quo Bollandus in prætermiſſis & alii ea die ejus memoriam conſignarunt. At
Hugo Menardus poſt Arnoldum Wionem, nulla in Martyrologio Benedictino Petri
abbatis Caſinenſis facta mentione, Petrum monachum laudat in Appendice, Ca-
ſinatem & abbatem ſapientia & ſancta converſatione clarum. quem non alium
eſſe à noſtro Petro pluſquam veri ſimile cenſemus.

Fridericus, poſtea Stephanus papa. 4. Vacua haud diu manſit Petri demiſſione abbatialis Caſini ſedes. Nam altera
die, quæ feria erat ſexta poſt Pentecoſten, Humbertus, uti Leo proſequitur, apoſtoli-
cus legatus in capitulum venit, ibique congregatis monachis FRIDERICUS unanimi
omnium conſenſu in abbatem electus eſt. Is erat natione Lotharingus, ex nobiliſſimo
genere ortus, frater Godefridi Lotharingiæ Ducis, viri tunc temporis celeberrimi.
Fridericus archidiaconus fuerat eccleſiæ Leodienſis, (ſeu, ut habet Sigebertus ad an-
num MLIX. clericus ſancti Lamberti, is eſt Leodienſium eccleſiæ præcipuus pa-
tronus) cum à Leone IX. in Italiam abductus eſt, à quo Romanæ eccleſiæ cancella-
rius primum inſtitutus, poſtea Conſtantinopolim cum Humberto Silvæ-candidæ epiſ-
copo miſſus eſt ad reconciliandos Latinæ Eccleſiæ Græcos. qua in legatione cum ver-
ſaretur, Leo ſupremum obiit diem, & Fridericus in Italiam redux, cum Henrico im-
peratori, qui Godefridum ejus fratrem exoſum habebat, ſuſpectus eſſet, in monaſte-
rium Caſinenſe ſeceſſit, ubi à Richerio abbate ſuſceptus monaſticam veſtem induit.
Abbas poſtea, eo quo diximus modo electus, in Tuſciam properavit à Pontifice Ro-
mano, qui tunc temporis ibi verſabatur, benedictionem, pro antiqua abbatum Ca-
ſinenſium conſuetudine, accepturus. quod die ipſo natalis ſancti Johannis-Baptiſtæ
factum eſt, cum ante paucos dies tituli ſancti Chriſogoni Cardinalis presbyter creatus
fuiſſet. Antea enim ſolummodo inter diaconos Cardinales locum habuerat. Accepta
deinde à Pontifice Romam adeundi licentia, ut iniret ſui tituli poſſeſſionem, non-
dum in Urbe menſem exegerat, cum acceptis de Victoris obitu nuntiis, ipſe communi
conſenſu in pontificem aſſumtus eſt, dictus STEPHANUS, eo nomine IX. quod hac ipſa
electionis ſuæ die Stephani papæ feſtum celebraretur, ut narrat Leo in Chronici libro
2. capite 97. Pontifex factus abbatiæ curam haud dimiſit. quare cum Romæ per qua-
tuor menſes moratus fuiſſet, ubi in frequentibus Synodis, uti ait Leo capite lau-
dato, clerum Urbis populumque conveniens, maxime pro conjugiis clerico-
rum ac ſacerdotum, necnon & conſanguinearum copulationibus deſtruen-
dis nimio zelo decertavit: ad ſacrum poſtea montem acceſſit in feſtivitate ſan-
cti Andreæ, ubi uſque ad feſtum ſanctæ Scholaſticæ commoratus eſt. quid vero ibi
præſtiterit verbis Leonis dicendum eſt. Et quoniam, inquit, vitium proprietatis
paullatim in hoc loco à prioribus annis irrepſerat, cœpit omnimodis in-
ſiſtere, opportune, importune arguendo, obſecrando, increpando, nec-
non & diſtrictiſſime interminando, ut prædictum vitium hinc juxta man-
datum Regulæ, radicitus amputaret. & hoc quidem ex parte maxima fe-
cit. Tunc etiam Ambroſianum cantum in eccleſia iſta cantari penitus in-
terdixit. Ambroſianum cantum à Romano differre ex Radulfo Tungrenſi obſervat
Angelus de Nuce. quod Ambroſianus fortis ſit & ſollemnis, Romanus vero magis
dulcoratus & ordinatus. Varia & pretioſa donaria, quæ ab eodem pontifice mo-
naſterio Caſinenſi collata ſunt, recenſet Leo in ultimo capite libri 2. Cum vero in mo-
naſterio

naſterio moraretur, gravem in morbum incidit: quem cum ſibi extremum eſſe putaret, curavit ſibi in monaſterii regimine ſucceſſorem ſubſtitui Deſiderium. Sanitati tamen contra ſpem reſtitutus, Romam rediit, unde cum paullo poſt in Tuſciam fuiſſet profectus, ibi Florentiæ ſupremum obiit diem, IV. Kalendas Aprilis. Cujus nomen hac ipſa die in Martyrologio Benedictino, ac in aliis paſſim ſacris faſtis celebratur ſub ſancti, aut beati titulo. nullo tamen cultu publico memoria ejus in Eccleſia celebratur, nequidem Romæ aut Caſini, immo nec Florentiæ, ubi mortuus & ſepultus fuit. Eum piæ memoriæ virum appellat Lambertus Schafnaburgenſis, ad annum MLVIII. qui vere, ut ſperamus, inquit, de hac valle lacrymarum ad gaudium tranſiit angelorum. Indicio ſunt ſigna & prodigia, quibus ſepulcrum ejus in eadem civitate uſque hodie divinitus illuſtratur. Idem teſtatur Leo Caſinenſis libro laudato capite 100. Ad cujus, ait, ſacratiſſimum corpus, meritis ejus intervenientibus, plurima Chriſtus ſigna oſtendit. Eadem habet Petrus diaconus in libro de viris illuſtribus Caſinenſibus cap. 17. ubi recenſet Stephani opuſcula, his verbis: Scripſit apud Conſtantinopolim adverſus Michaëlem ejuſdem urbis abuſivum patriarcham, una cum Uberto *, librum de corpore Domini, in quo omnia, quæ Græci adverſus Latinorum ſacrificium delatrabant, deſtruxit. Alium etiam librum de eadem re edidit adverſus quemdam monachum Conſtantinopolitanum. Stephanum laudat Petrus Damiani, ab eo Cardinalis & epiſcopus Oſtienſis creatus, quod potiſſimum concubinariis ſacerdotibus exſtirpandis animum applicuerit, qua in re, inquit in epiſtola ad Taurinenſem epiſcopum, opuſculo 18. Stephanus zeli Phinees ardorem æmulatus eſt. Eumdem piæ memoriæ pontificem appellat in epiſtola ad Henricum epiſcopum Ravennatem. Non vacat huc referre quæ de eo paſſim in variis auctoribus habentur; at omittere non licet, quod de pio ejus obitu ſcribit Hildebertus Cenomannenſis tunc antiſtes in vita ſancti Hugonis abbatis Cluniacenſis. Cum papa, inquit, Stephanus in civitate Florentia ſupremo teneretur incommodo, ex voto decumbentis, Hugo illuc acceſſit, comitantibus eum monachis conſummatæ ſanctitatis.... Teſtatus eſt autem præfatus antiſtes ad introitum quidem ſervi Dei malignum diſceſſiſſe ſpiritum, ad egreſſum vero remeaſſe..... Denique cum præfatus pontifex ad ultima jam deductus feſſos artus & naturam profitentes cilicio & cineri commendaſſet, ſuſceptis vitalibus ſacramentis, inter ſacras abbatis manus ſpiritum exhalavit.

Ann. Ch. MLXXXVII. Sept. XVI.

Ejus obitus & memoria.

* ſ. Humberto.

5. DESIDERIUS *Stephani morte plenum abbatiæ regimen adeptus, quartus monaſterii fundator à Leone Marſicano appellatur, cujus vitam & præclare geſta cum ſuo continuatore fuſe proſequitur in libro 3. Chronici Caſinenſis, qui totus eſt de abbate Deſiderio, tandem in ſedem apoſtolicam ſub nomine Victoris III. ſublimato. Ejus vitam exinde mutuabimur, omiſſis iis quæ ad rem noſtram minime pertinebunt. ſic itaque Leo prologum exorditur.*

Deſiderius abbas.

DESIDERIUS abbas hujus monaſterii triceſimus-ſeptimus, & quartus hujus loci reſtaurator ac renovator, ſedit annis viginti novem, menſibus quinque. Primus ſiquidem monaſterii hujus fundator atque conſtructor fuit pater ſanctiſſimus BENEDICTUS, PETRONAX ſecundus, tertius ALIGERNUS, Deſiderius hic noſter exſtitit quartus. in quo videlicet omnipotens Deus noſtro hoc tempore etiam corporaliter, evangelicam illam pollicitationem viſus eſt adimplere, qua dicitur: Amen dico vobis, quod omnis qui reliquit domum vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. Hujus plane admirabilis & ſingularis vere ſui Ordinis viri tam dives, tam multiplex, tam denique copioſa eſt geſtorum materia, ut ipſi Hieronymo, ſi adeſſet, vel Sulpicio non poſſet videri ad ſcribendum indigna. Ego tamen, quamvis omnium imperitiſſimus, & tanto ſim operi nequaquam ſufficiens, tum pro imperio ſanctiſſimi ODERISII, *is eſt ipſe qui Deſiderio in monaſterii regimine ſucceſſit,*

Ejus geſta ex Chronico Caſin. PROLOGUS LIB. III.

Matth. 19.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXVII. SEPT. XVI.

minime contemnendo, tum pro maxima quam idem pater Deſiderius in me ab ipſa fere infantia habere dignatus eſt, dilectione; cum me vixdum quatuor & decem annos egreſſum in hoc ſancto loco quam libenter ſuſcepit, inſtruxit, enutriit ac provexit. Cernens inſuper & dolens cum tanti utilitate operis, memoriam quoque tanti viri ſcriptorum negligentia paullatim in oblivionem, ac per hoc in contemtum fore venturam; licet non decenter, licet non eleganter, licet denique non ſufficienter valeam ejus opera ex toto complecti, aggrediar tamen, confiſus de auxilio Dei, quoquo modo illa perſtringere, & ad gloriam Dei, tantique viri ſanctam memoriam, necnon ad ſolatium filiorum ejus, fratrum noſtrorum, litteris utcumque mandare: æquius utique judicans cum obedientia & devotione inſcitiæ notam ſubire, quam de tam pretioſa materia ex toto ſilere; & indignum prorſus eſſe decernens, ut, etſi omnia nequeo, vel aliquanta non ſtudeam de tot tantiſque operibus ejus referre: prudentiſſimo utique more venantium inſectantium feras, qui etſi omnes capere nequeunt, nequaquam tamen quotquot poſſunt capere negligunt. Et quoniam plurima prorſus, & fere innumera tanti viri ſunt opera, multa me, ex ipſis etiam quæ ſcio, prætermiſſurum confiteor, quoniam ſcribere ſi omnia voluiſſem, prolixam certe & enormem hiſtoriam condidiſſem: quamvis ob hoc à multis noſtrorum, qui mecum pariter illa recolunt, me redarguendum fore non dubitem. Sed ego lectorum faſtidio utiliter conſulens, ſi ea tantum, quæ relatu eſſent digniſſima, ſcriberentur, ſufficere judicavi. Nam ſi qua minus noſtris litteris reperiuntur, in ejus operibus luce clarius conſpiciuntur. Hujus ſane viri primordia, quoniam, opitulante Chriſto, hinc exordium ſumere geſtio ab his, qui ejus ab incunabulis exſtitere ſodales, addidici. Multa præterea ex ejuſdem ore veridico, cum me frequenter ſibi nimia bonitate faceret adhærere, percepi, nonnulla etiam à prioribus quibuſdam audivi: cetera poſtremo illius & oculis propriis plurima vidi, & univerſis fere uſque ad obitum ejus interfui. Unde lectorem meum reddere certiſſimum volo, nulla me in hoc opuſculo extrinſecus additamenta facturum, nulla prorſus de illo, niſi veraciter comperta ſcripturum, utpote qui me ſimplici intellectu legiſſe meminerim: Perdes Domine omnes qui loquuntur mendacium; ſalvo utique intellectu alio, quo dictum id de *hæreticis* affirmatur. Quod ſi forte aliquis invidentia, ſeu malitia ductus fidem his accommodare noluerit, & favoris potius gratia huic rei me operam dediſſe putaverit; huc, ſi placuerit, properans aperiat viſus, & videat; ac per ea quæ videntur, illa quoque quæ videri non poſſunt, ſemoto livore, conſiderans admiretur & credat; credenſque bonorum omnium largitori laudes ſuper hoc & gratias referat: ſicque tandem me de multis illius pauca, deque maximis minima prorſus ſcripſiſſe cognoſcat.

Auctoris fides.

Pſal. 5. 7.

CAPUT I. Deſiderii genus.

6. Deſiderius igitur ex nobiliſſima Beneventanorum principum origine ſanguinis lineam ducens, ſpiritu potius quam carne nobilis eſſe ab ipſis rudimentis infantiæ cœpit, & Dei magis ſervitio quam ſæculi vanitatibus operam dare ab ipſis, ut ita dicam, uberibus matris elegit. Studebat namque puerulus adhuc frequentare eccleſiam, divinas lectiones & audire libenter & legere, cum quibuſdam etiam religioſis ſæpe de his ſermones innectere, & quæque ab eis de bonis moribus addiſcere poterat, in ſemetipſo ſatagebat exprimere. At pater illius ſæcularibus eum negotiis cupiens implicare, &, ut pote unicum, unice diligens, per poſteritatis illius lineam ſuæ nobilitatis nomen diſponeret propagare, puellam ei adæque nobilem, cum jam inciperet adoleſcere, ſtuduit deſponſare, utque parentela eadem adinvicem firmaretur, modis omnibus maturare. Sed quoniam Dei Spiritus ſuo igne cor Deſiderii ad mundi contemtum accenderat, è contrario longe aliter, quam pater diſpoſuerat, agere puer egregius

Adhuc pueri pietas.

deſtinabat, ſeque potius eremum quam nuptias appetere, ſecretis quibus poterat geſtibus, indicabat; & feciſſet ſuis deſideriis ſatis, niſi quod diligens parentum cuſtodia, & ſingularis amor ac ſollicitudo ingens impediebat.

7. Non poſt multos dies, Dei judicio, patre à Normannis peremto, Deſiderius aliquomodo nactus occaſionem, quam dudum optaverat, omnibus cœpit modis, clam licet, ſatagere, ut deſiderium, quod cogitatu conceperat, opere parturiret. Cuidam igitur monacho bene ſibi noto, prudenti ſatis in ſæcularibus viro, nomine Jaquinto, cujus hoc ego relatione percepi, conſilium totum communicat, pandit votum, voluntatem oſtendit, &, ut ei ſuper hoc fidenter auxiliaretur, fideli prece depoſcit. Erat tunc circiter annorum viginti: Noſti, inquiens, mi pater, qualiter me ſæculo huic miſero propinqui innexuerint: ſed quoniam, ut vere tibi fatear, jamdudum Deo vacare decrevi, per ipſum te obteſtor & obſecro, ut juxta quod ſcis & potes, his me vinculis exſolutum, Deo liberius ſerviturum clam omnibus ad aliquam remotiſſimam ſolitudinem transferas. Quid multa? pollicetur in omnibus Jaquintus auxilium, ſed cavere imperat, ne forte ſit hæc ſuggeſtio dæmonum. Verum cum ejus per omnia firmum in Chriſto pectus agnovit, & iterum iterumque illum frequentando pertentans idem ſemper quod pridem invenit; quadam die, jam circa veſperam, pariter aſſcenſis equis, quaſi ſpatiandi gratia civitatem egreſſi, conſequentibus aliquot famulis, eccleſiam beati Petri, cognomento Majoris, quæ juxta eamdem civitatem eſt ſita, perveniunt; ibique quaſi cauſa orationis ingreſſi, equos & gladium, quo idem Deſiderius tunc erat accinctus, prædictis famulis pro foribus veluti ſervanda relinquunt. Inde jam ſero per quamdam illius eccleſiæ poſterulam vadentes, iter aggrediuntur, & cum non plus octo milliariis ab inde locus ille diſtaret, ad quem pergere diſpoſuerant, noctis errore ſimul ac pavore confuſi, vix illuc alterius diei mane perveniunt. quos cum vir Dei, qui ſolitariam inibi vitam ducebat, Santari nomine, conſpexiſſet, valde miratus atque lætatus eſt: moxque inducens illos in cellam ſuam, ac Deſiderium frequenter exoſculans, cœpit ſollerter exquirere, cur ita veniſſent. Cognita itaque Deſiderii voluntate, vehementer obſtupuit, quod puer tam nobilis, tam delicatus, tam dives, & præcipue parentibus ſingularis, tam ferventer univerſis ſæculi pompis ac vanitatibus ſpretis, ſub tam diſtricto propoſito ſerviturus Domino acceſſiſſet. Sed quoniam nil Deo difficile aut impoſſibile eſſe ſciebat, laudes illi & gratias maximas referens, veterem hominem cum actibus ejus Deſiderium, ipſo vel maxime inſiſtente, protinus exuit; & novum, qui renovatur in Dei cognitionem, illum conſequenter veſtivit, & Jaquinto in ſua maturius redeunte, ſolus Deſiderius cum Santari ſolo remanſit.

II.

Fugit in eremum.

Veſte monaſtica induitur.

8. Famuli igitur ejus, ut ſupra dictum eſt, cum equis & armis ipſius fruſtra illum pro foribus eccleſiæ præſtolantes, cum diſceſſum illius tandem aliquando cognoviſſent, vicina jam nocte, ad civitatem maturius revertuntur, matrique ac propinquis quid accidiſſet, pavitantibus animis, referunt. Noctem illam mater continuavit in lacrymis, propinqui vero & affines ipſius mane facto, equis aſſcenſis, per diverſas vicinias requirendi illum gratia diſperguntur, ac tandem, quod erat in re ſuſpicantes probitatum ejus indicio, ad Santari cellam deveniunt. quam ſtatim violenter ingreſſi, veſte illum monaſtica veſtitum reperiunt, ac vehementer irati, præfatum Dei ſervum contumeliis magnis, & conviciis multis adoriuntur, & inhoneſte ſatis ſacram veſtem Deſiderium exuentes, manibus eam propriis ſcindunt, eumque priori veſte reveſtiunt, invitum licet ac repugnantem; ac poſtremo illum equo impoſitum ipſis lora tenentibus, quaſi maximam ante ſe prædam agentes, ad urbem more triumphantium rever-

III.

Quæ ei vi aufertur.

ANN. CH. MLXXXVII. SEPT. XVI.

tuntur. Hic jam matris lacrymas & querelas, ſimul ac ſuadelas fruſtra in Deſiderium jactas, propinquorum, immo totius urbis tripudium, quis referre contendat? Annum fere integrum ſub ingenti cuſtodia in domo matris, habitu tantummodo ſæcularis, ceterum mente cælebs, exegit; nulluſque illi neque de nuptiis, neque de aliquo actu ſæculari perſuadere aliquatenus potuit. Ita quem fidelem ac ſtrenuum domui ſuæ diſpenſatorem conſtituere Dominus diſponebat, ab omni eum carnalis contagii macula purum immunemque ſervavit; unde non immerito à cunctis civibus mirabilis ac deſiderabilis habebatur.

IV. Fugit iterum.

9. Sed cum jam nulla fugæ ipſius ſuſpicio matrem teneret, eumque, quoniam conjugatum non poterat retinere ſecum, vel clericum niteretur, ad epiſcopium, quod domui ſuæ ſatis erat contiguum, primo quidem non ſine cuſtodia, dehinc, ſecuritate creſcente, ſolum ſæpius ire ſinebat. Erat tunc in monaſterio ſanctæ Sophiæ præpoſitus, nomine Siconolfus, qui Deſiderii deſiderium pleniter noſcens, quoniam per diem, ne ſuſpicio reviviſceret, non præſumebat, nocte cum eo apud epiſcopium ſæpiſſime loquebatur. Poſt non multos dies noctu, ſicuti conſueverat, ad eum cum equis veniens, cuculla indutum clam Salernum perduxit, ac Beneventum perniciter rediit. Mox Deſiderius ad principem GUAIMARIUM, conſanguinitate ſibi propinquum, accedit, adventus cauſam oſtendit, orat ut, quoniam in patria vivere monachus parentum pertinacia non auderet, quiete apud illum Deo ſibi ſervire liceret. Si hoc mereretur impetrare, nuſquam inde procederet: ſi vero aliquando illum reddere propinquis deberet, modo potius ſibi licentiam daret alio properandi. Hujus igitur adventu nimis exhilaratus Guaimarius, & vehementer admiratus tantum in tanto adoleſcente fervorem, annuit poſtulatis; eumque ſecum per dies aliquot retinens, nullique ſe contra votum reddendum fidiſſime pollicens, demum ad monaſterium ſanctæ Trinitatis, quod ad Cavam nuncupatur, non longe à Salerno ſitum, eodem petente tranſmiſit. quod propinqui perſequentes *, magnis ac frequentibus precibus Deſiderium ſibi reddi Guaimarium interpellant: ſed Principe in promiſſione, quam Deſiderio fecerat, permanente, per ſemetipſum LANDULFUS Beneventanus princeps, matris ac propinquorum orationibus fatigatus, Salernum venit, & Deſiderium affinibus reddi depoſcit. *Porro monaſterium ſanctæ Sophiæ erat haud procul à muris Beneventanæ urbis ſitum, ab Arichi Beneventano duce pro ſanctimonialibus conditum, ut fuſius exponit ipſe Leo in Chronici libro* 1. *cap.* 9. *poſtea ad viros tranſiit, monaſterioque Caſinenſi diu fuit ſubditum, ut habet idem auctor. Ejus monaſterii Chronicum edidit Ughellus ad calcem tom.* 8. *Italiæ ſacræ, quod tandem poſt varias fortunas unitum eſt à Clemente VIII. anno* 1590. *congregationi canonicorum regularium ſancti Salvatoris Bononienſis, ut monet Lubinus in Notitia abbatiarum Italiæ. De monaſterio Cavenſi inferius memorato paſſim agitur in hoc & ſuperiori tomo.*

* *al.* præſentientes.

V. Redire cogitur.

10. Tali igitur tandem aliquando conditione ad Beneventum redeat impetratur, ut ſine alicujus impedimento vel contradictione apud monaſterium ſanctæ Sophiæ ſub monaſtica profeſſione ſibi manere liceret. Poſtquam ventum eſt Beneventum, univerſis affinibus ſibi obviam ſimul cum civitate ruentibus, cum omni pariter comitatu Princeps illum ad monaſterium eſt proſecutus. GREGORIUS tunc vir valde prudens & ſtrenuus eidem monaſterio præerat in abbatem, qui Deſiderium multa hilaritate recipiens, pro eo quod univerſis deſiderabilis erat, tunc primum, mutato ejus nomine, DESIDERIUM appellari præcepit. nam uſque ad id tempus DAUFERIUS vocabatur.

In monaſt. S. Sophiæ ſuſcipitur.

VI.

11. Ibi ergo illo per annos aliquot ſub vita religioſiſſima commorante, & ſæpe ſecum reputante monachum in ſua patria perfectum eſſe non poſſe,

pervenit interim ad notitiam illius fama monaſterii Tremitenſis, quod videlicet in Adriatico mari apud inſulam, Diomedis quondam nomine vocitatam, triginta circiter millibus à terra diſtans, ſitum eſſe dinoſcitur. Et quoniam jam dudum apud Beneventum familiaritatem abbatis prædicti loci adeptus fuerat, vix licet impetrata licentia, illuc perrexit; ibique ſatis auſteræ converſationi ſe tradens, non parvum tempus exegit. Sed cum ab eodem abbate adeo diligeretur, ut eamdem ei abbatiam, ſe quoque vivente, contradere cuperet, ille vero ſubjectioni potius quam prælationi mentem accommodaret, ac propterea cedendum loco illi decerneret, quodam tempore idem abbas ad res monaſterii diſquirendas egrediens, eumdem Deſiderium ſecum ire rogavit. quam ille egreſſionis opportunitatem libenter amplexus, minime differendam putavit. Cumque pariter ad Transmundi comitis, quoniam res ita poſcebat, curiam perrexiſſent, uxor ejuſdem Comitis ſuper adventu Deſiderii, propter quod ejus affinis eſſet, valde exhilarata, à viro ſuo, ut ſecum illum aliquamdiu retineret, etiam invito abbate, obtinuit, cujus videlicet retentionis auctor ipſemet, ut dicit, exſtitit. Audiens autem celebre tunc nomen eremitarum Majellæ degentium, illuc properare ac Deo ſecretius ſervire deſiderans, prædictum Comitem, ut ibidem tranſmitteretur, oravit. quod & factum eſt. Ubi cum tribus circiter menſibus, à principio videlicet Februarii, uſque in tertiam poſt Paſcha dominicam, ſub ingenti continentia remoratus fuiſſet, tranſmiſſus eſt illuc ſupra nominatus Jaquintus cum litteris ex parte Apoſtolici ad Eremi ipſius Priorem, quarum tenore Priori ſub interminatione jubebat, ne illum amplius retinere præſumeret; & illi nihilo minus mandat, ne vel aliquantas inibi moras innectere auderet. Ita regreſſus ad ſanctæ Sophiæ monaſterium eſt.

Ann. Ch. mlxxxvii. Sept. xvi. Tranſit in monaſt. Tremitenſe. Tum in eremum. Cogitur redire.

12. Non poſt multos dies, dominus LEO papa ſanctiſſimus à partibus ultramontanis regreſſus Beneventum intravit, & quoniam Deſiderius jamdudum HUMBERTO Silvæ-candidæ epiſcopo cognitus, & nimis carus exſtiterat, tam per illum, quam & per FRIDERICUM tunc cancellarium, eidem Papæ notus & valde familiaris efficitur, adeo ut illi frequenter in altaris officio adhæreret, & Evangelium ad ejus miſſas ſæpius legeret. Per idem tempus præfatus Pontifex deſcendit in Apuliam cum Normannis dimicaturus: ſed Dei judicio ab his ſuperatus, ac Beneventum regreſſus, ordinato VODELRICO archiepiſcopo, quem ſecum adduxerat, poſt novem circiter menſes Romam reverſus atque defunctus eſt. Interea Deſiderius ob nimiam abſtinentiam, multaſque vigilias, in languorem non modicum decidens, medendi gratia Salernum perrexit. Ibi itaque illo aliquamdiu remorante, ALFANUS, qui poſtmodum ejuſdem civitatis archiepiſcopatum adeptus eſt, prudentiſſimus & nobiliſſimus clericus, maxima illi eſt familiaritate conjunctus, cujus animam frequentibus monitis ad mundi contemtum exhortans, ſic tandem ab illo exegit, ut monachus fieret, ſi prius, ut jamdudum mente conceperat, Jeroſolymam ire permiſſus fuiſſet. Hac inter illos ſponſione firmata, Beneventum reverſus Deſiderius eſt, atque poſt non multos dies mandat eidem Alfano, ut ad ſe veniat. Renuente illo, ac potius pavitante Salernum egredi, iterum Deſiderius ad illum abiit, eumque, propter quorumdam inimicantium illi timorem, cuculla ſua indutum noctu de civitate educens, ſecum Beneventum adduxit. Cum vero cœpiſſent Alfanum nobiles quique viri ac clerici frequentare, eumque ob maximam ejus prudentiam decenter excolere, propoſitum autem Jeroſolymitanæ viæ paullatim cœpiſſet & in ejus mente tepeſcere, ſeque à Deſiderii latere nullo umquam modo, nullo umquam tempore aſſereret velle dividere, tempus ab his aliquantum apud monaſterium ſanctæ Sophiæ exactum eſt.

VII. Leoni Papæ fit notus. Alfano junctus.

ANN. CH. MLXXXVII. SEPT. XVI. Victorem papam inviſit.

13. Cum ecce fama percrebruit VICTOREM papam ab ultramontanis partibus Romam veniſſe, eumque ad partes iſtas in proximo venturum fore. Territus Alfanus hujuſmodi nuntio, quod fratres ſuos ſuper Guaimarii principis occiſione inſimulandos procul dubio noſſet, præoccupare ſtatuit Apoſtolicum, ſecumque ire orat ſuppliciter Deſiderium. Et quoniam miram cantandi peritiam, & medicinæ artis ſcientiam non parvam habebat, ejuſdemque artis codices nonnullos ſecum à domo detulerat, magni aliquid ſe habendum in ſummi Pontificis curia omnimodis confidebat. Confectis igitur atque aptatis quotquot potuit medicaminibus, una cum civitatis ipſius Archiepiſcopo ad Romanum Pontificem in Tuſciam proficiſcuntur, eumque apud Florentiam remorantem reperiunt. In brevi itaque maximam apud illum familiaritatem adepti, & ſatis honorifice habiti ſunt. Sed cum jam ibi per tempus aliquantum remorati, pro certo Deſiderius comperiſſet Papam minime ad partes iſtas venturum, inſuper etiam ultra montes proxime profecturum, ſimulque valde inutilem eſſe propoſito ſuo conſiderans in ejuſdem Pontificis curia converſationem, cœpit omnimodis inſtare Alfano, ut jam jamque peteret ab eo licentiam revertendi. PETRUS ante non multos dies huic monaſterio electus fuerat à fratribus in abbatem, qui pro ſua ipſa ordinatione inſinuanda duos hujus loci ad Papam tunc fratres tranſmiſerat. Igitur Deſiderius optata jamdudum oportunitate reperta, accedit pariter cum Alfano ad Romanum pontificem, ſimulque pedibus illius ſe proſternentes, orant recedendi licentiam; adduntque petentes, ut gratia religioſius vivendi per monachos, qui ad eum à Caſinenſi monaſterio venerant, illuc eos tranſmittere, ſuiſque litteris illos Abbati dignaretur ac fratribus commendare. Annuit Apoſtolicus, atque ita ſicut popoſcerant, cum fratribus illis ad hoc cœnobium tranſmiſſi ſunt. Receptique decenter ab Abbate, & fratribus ſociati, honeſte nimis atque humiliter inter illos aliquamdiu converſati ſunt, & ab univerſis in dilectione plurima habiti, necnon & monaſticam ab eodem Abbate conſecrationem adepti, Friderico ſuper eorum adventu pluſquam ſatis eſt gratulante.

Et Caſinum ſecedit.

VIII. Viſio.

14. Viderat per hos dies Deſiderius viſionem non contemnendam, quam ſatis proxime rei commendavit effectus. Cernebat ſiquidem ſe una cum Alfano in quadam excelſa ac valde pulcherrima turre, quæ juxta Capitulum fratrum ſita eſſet, conſiſtere, in qua nimirum pater BENEDICTUS videbatur ſede decentiſſima reſidere. Cumque ad illius viſionem ſtupefacti paverent, & accedere propius nequaquam præſumerent, beatus Benedictus Deſiderio hilariter innuebat, eumque juxta ſe ſedere manu porrecta jubebat. Alfanus vero, quoniam vocatus ab eo non fuerat, quaſi indigne ferens, de domo illa exibat: quæ nimirum viſio manifeſtiſſime portendere viſa eſt, & Alfanum in loco hoc non diu remoraturum, & Deſiderium Benedicti patris vicem in hoc monaſterio ſuſcepturum. Non multo poſt igitur à GISULFO principe Alfanus expoſtulatus, primo apud Salernum in monaſterio ſancti Benedicti abbas effectus, dehinc ejuſdem civitatis archiepiſcopatum indeptus eſt; Deſiderius vero ad Capuanum monaſterium eſt tranſmiſſus præpoſitus. RICHARDUS tunc Verſanus * comes Capuam expugnabat: ſed cum PANDULFUS ipſius civitatis princeps indigna quædam & ſuperflua, juxta priorum temporum conſuetudinem, Deſiderio vellet injungere, ille conſtanti ut erat pectore, nequaquam in his ei congruum duceret aſſentiri, Capuam egreſſus ad Richardum acceſſit, & omnium, quæ extra civitatem erant, monaſterio pertinentium ab eo ſecuritate accepta, & maxima inſuper illi ex tunc fœderatus amicitia, in obedientiis ejuſdem monaſterii aliquamdiu remoratus eſt, pauciſſimis in monaſterio relictis fratribus, & ceteris ad ſe accerſitis. *Alfanus hîc memo-*

* Averſanus.

Monaſterio Capuæ præponitur.

ratus celebris eſt inter auctores eccleſiaſticos, ob varia opuſcula, quæ Petrus diaconus recenſet in libro de viris illuſtribus Caſinenſibus cap. 19. Plura de eo & ejus ſcriptis obſervavit Marus in notis ad hunc Petri diaconi locum. Eumdem laudant Trithemius, Baronius, Voſſius, & alii paſſim. Ejus vero nonnulla opuſcula edidere Martinengius, Ughellus, Surius, &c. Ab Arnoldo Vvione dicitur inter ſanctos relatus, ſed ejus nomen in ullis faſtis ſacris reperire non licuit. Ceterum Deſiderius eccleſiam ſancti Benedicti intra Capuam renovavit, ut dicitur in libro 4. Chronici cap. 33. quam ſub Oderiſio abbate Paſchalis II. papa conſecravit. Hæc abbatia ſub Leone X. in collegium Canonicorum mutata eſt, cui aliquamdiu præfuit abbas ſæcularis. Poſtea Clemens VIII. eam Cardinali Bellarmino archiepiſcopo Capuano commendavit. quo tandem agente, & annuente Paulo V. ad Jeſuitas tranſiit, ut narrat Michaël Monachus in Sanctuario Capuano, qui ait eam eccleſiam, antequam ad patres Societatis perveniret, picturis antiquis & muſivis ornatam fuiſſe; in cujus abſide hi tres verſus legebantur.

ANN. CHR. MLXXXVII. SEPT. XVI.
Alfanus.

Hoc Deſiderius, qui & Victor, Præſul & abbas,
Cœpit opus, quod Odereſius optimus abbas
Complevit, Benedicte, tuum decorans ad honorem.

IX.
Stephanus X. papa.

15. Dehinc cum prædictus Fridericus in abbatem hujus loci electus, demum vero in Romanum pontificem ordinatus fuiſſet, Romam ad illum menſe Auguſto cum duodecim aliis loci hujus fratribus, nominatim ab ipſo vocatus, perrexit, ibique Romana febre perculſus, poſt paucos dies huc rediit. Cum autem idem Apoſtolicus ad monaſterium hoc poſt quatuor circiter menſes veniſſet, non multo poſt gravi languore detentus, atque ad extrema fere perductus eſt. Accerſitis itaque cœnobii hujus prioribus, dat optionem illis in abbatem eligendi quem vellent. qui cum habito ad invicem conſilio, nunc illum, nunc alium, ut in talibus conſuetudo eſt, eligendum cenſerent, communis tandem univerſorum conſenſus in Deſiderium expetendum aſpirat, & ut ipſe illis in patrem concederetur, communibus votis Papam exorant. Cumque ſatis ſibi placere eamdem electionem Apoſtolicus aſſeruiſſet. nam & olim à tempore Leonis papæ optime illi apud Beneventum notus exſtiterat, & ex quo Petrus abbas eumdem Deſiderium ante non plenum biennium receperat, multa ſe illi familiaritate devinxerat, ita quidem ut in camera erat, fratrum electionem confirmavit, dicens, quod quamvis plures eo tempore religioſos ac ſpirituales viros, multaque honeſtate & prudentia præditos monaſterium hoc haberet, neminem tamen magis idoneum eligere ad id officium de ſuo collegio potuiſſent. Et quoniam, dum ipſe adviveret, nulli ſe mortalium eamdem abbatiam traditurum decreverat, Deſiderium vero ad Conſtantinopolitanum Imperatorem jamdudum Romanæ ſedis apocriſiarium facere diſpoſuerat, conſtituit, ut ſi idem Deſiderius ſe ſuperſtite reverteretur, ipſe illi vellet abbatiam contradere, ſi vero ante illius reverſionem defunctus fuiſſet, redeuntem illum abſque aliqua contradictione in abbatem congregatio univerſa reciperet. STEPHANUM itaque Cardinalem, & MAINARDUM, poſtmodum Silvæ-candidæ epiſcopum, illi ſocios itineris donans, & in epiſtolis, quas Imperatori mandabat, Caſinenſis abbatiæ illum Electum commemorans, emiſit à ſe, præcipiens, ut expleta legatione reverti quam poſſet citius feſtinaret. Deſiderius igitur injunctum ſibi officium perficere ſatagens, aſſumtis quæque eſſent tanto itineri neceſſariis, ſimul cum ſibi traditis ſociis iter aggreſſus, ad monaſterium ſancti Johannis, quod appellatur in Veneris, ut ibi mare ingrederetur, profectus eſt. Cum autem per dies aliquot ibi fruſtra remoratus fuiſſet, & propter aëris inclementiam mare ingredi nequaquam præſumeret, Sipontum inde contendit: ibi navem, qua Barim navigaret, ingreſſus, per

Deſiderius abbas Caſini eligitur.

A Papa mittitur CP.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXVII. SEPT. XVI. quemdam epiſcopum, qui orationis gratia montem Garganum adierat, fratribus ſe commendari, ſeque mare ingreſſum illis ſignificari rogavit: ſed cum apud Barim quoque cauſa tempeſtatis aliquamdiu reſtitiſſet, alium item nuntium huc dirigere ſtuduit, per quem videlicet ſignificando mandabat, ob temporis intemperiem uſque ad illam diem apud Barim morari. Mortuo Papa. Contigit autem diſpoſitione divina, quæ illum ad loci hujus recipiendum honorem hactenus retardaverat, ut eo die quo idem nuntius huc applicuit, eo quoque die fratres noſtri, qui cum Papa profecti fuerant, illo apud Florentiam defuncto atque ſepulto, rediiſſent. Mox itaque noſtri conſilio habito, duos fratres, qui Deſiderium revocare, nuntiata Apoſtolici morte deberent, feſtinanter tranſmittunt.

X. 16. Jam tandem Deſiderius ſufficienter neceſſaria quæque itineri cœpto paraverat, jamjamque ſimul cum ARGIRO Barenſium magiſtro navigare diſponebat, cum ecce ipſo Palmarum dominico circa veſperam eoſdem nuntios à noſtris directos accepit defunctum Apoſtolicum, & ſe ad revocandum illum feſtinanter tranſmiſſos ab univerſis fratribus aſſerentes; rediret ergo quantocius, & regimen monaſterii, prout Dominus ordinaverat, cunctis ſe deſiderabiliter præſtolantibus, ſumeret. Obriguit Deſiderius tam ſubita Apoſtolici morte perculſus, moxque ſociis advocatis, aperuit quid nuntii detuliſſent; cœperuntque pariter cum Argiro ſatagere qualiter, antequam mors Papæ divulgaretur, reverti valerent. Non enim dubitabant ſe, cognito ejus obitu, à Normannis vel capiendos vel diſturbandos. Infecto itinere Caſinum redit. Redemtis igitur protinus, ſeu acquiſitis pro ſe ac ſociis aliquot quibus veherentur jumentis, ſecunda feria poſt Palmas iter aggredientes venerunt ad ROBERTUM-VISCARDUM, tunc quidem Normannorum tantum Apuliæ Comitem, poſtmodum vero totius Apuliæ & Calabriæ atque Siciliæ Ducem, rogantes, ut ſecure illis per terram ipſius tranſire liceret. Qui, ut fuit vir maximæ bonitatis, licet jam Papæ tranſitum compertum haberet, & ſecuritatem illis conceſſit, & tres Deſiderio equos, quibus adhuc indigebat, largitus eſt. Ita, Deo in omnibus proſperante, ſine aliquo impedimento reverſi, ipſo paſchali ſabbato jam tardiuſcule ad civitatem ſancti Germani applicuerunt. Dominica vero ſancti Paſchæ valde diluculo huc aſſcendentes, de more monaſterii Capitulum fratrum ingreſſi ſunt, præſidentibus Humberto ſanctæ Rufinæ, & PETRO Tuſculanenſi epiſcopis, & Stephano Cardinali, ac Mainardo Deſiderii ſociis. Nam prædicti epiſcopi, Humbertus & Petrus, ut longe jam ſupra retulimus *, à Roma tunc Mincii ordinationem fugientes, Beneventum Paſcha celebraturi pergebant: ſed, Deo ordinante, gratia tantæ feſtivitatis à noſtris prioribus invitati atque retenti fuerant. Poſt ſollemnem itaque diei tanti ſermonem, mox Humbertus totius illius ordinationis optime conſcius, Deſiderium advocat, eique, quemadmodum olim fuerat à Papa diſpoſitum, obedientiam abbatiæ recipere ex parte fratrum omnium imperat. Nulla in medium mora, nulla exſpectatio reſponſionis, protinus univerſi ſurgentes eumdem Deſiderium acceperunt, atque cum maximis laudibus ad eccleſiam deportantes, in ſede illum abbatis honorifice locaverunt, univerſis, tum pro ſollemnitate Paſchali, tum pro ipſius ordinatione, immenſa lætitia & jocunditate repletis. Anno ſcilicet Dominicæ Incarnationis MLVIII. Abbas conſtituitur.

* lib. 2. cap. 101.

XI. 17. Igitur abbatia ſuſcepta Deſiderius cœpit modis omnibus ſtudere atque ſatagere, ut quod dicebatur dici veraciter poſſet. Monaſterii ædificia reparat. Cernens itaque totius monaſterii officinas, & anguſtas ambitu, & forma deformes, & cum vetuſtate tum inertia ruinoſas, adeo ut & contiguo viderentur omnes domate coopertæ, & egreſſus unius ingreſſui connexus eſſet alterius, incitabatur quidem animo illas aggredi ad renovandum: ſed angebatur iterum, quia,

quia, ut tam arduum inciperet opus, nihil fere penſi habebat. Primo itaque quaſi experiri cupiens, ſi quid valeret, Palatium, quod dudum RICHERIUS abbas ab orientali parte monaſterii inchoatum ad ſolarium uſque perduxerat, opere ſatis decente perfecit, juxtaque ipſum verſus eccleſiam, parvulam quidem ſed competentem plane, in qua libri reconderentur, ædiculam fabricavit. Quod cum ſibi proſpero eventu cerneret obveniſſe, domum etiam, in qua Abbates manere conſueverant, quæ videlicet à ſeptemtrionali parte adhærens eccleſiæ, & viliſſimis ligni furculis ab inferiori parte ſuſtentata, & viminibus ex parte maxima videbatur conſtructa, à fundamentis ædificare inſtituit, adjuncto illi palatio cum abſida, quod veteres Todericum appellare ſolebant. Dehinc inſpirante ac proſperante Deo, manſionem etiam illam, quæ fratres quieſcentes diverſis, præ ſui exiguitate, ſolariis continebat, nihilo ſegnius renovare aggreſſus eſt, in latere ſcilicet prioris à meridiano, quam funditus evertere ob clauſtri ſpatium diſponebat. Nam propter ipſius montis verticem, cui nulla fere conſtabat planities, vix in hoc loco parviſſimi clauſtri ſpeciem juxta abſidam eccleſiæ priores effecerant. Perfecta eſt igitur eadem domus in longitudine cubitorum ſexaginta & centum, in latitudine vero cubitorum viginti & quatuor; in altitudine autem propter ipſius montis inæqualitatem, quantitatis diverſæ, maximæ tamen, eamque abietinis trabibus ſatis pulcrè contignans, lateribus cooperuit, diverſiſque coloribus decoravit. Nihilque moratus, pari tenore vetus capitulum funditus diruens, renovavit, illudque gypſea urna in giro, vitreiſque feneſtris, ac pulcro variorum marmorum pavimento decorans, tegulis nihilo minus cooperuit, & nimis venuſta colorum varietate depinxit. ANN. CHR. MLXXXVII. SEPT. XVI.

18. *Hoc in capite Deſiderius dicitur caſtellum novum*, ADENULFI Cajetani *ducis ope, conſtruxiſſe adverſus* opidanos Frattenſes, *qui* Minturnenſibus *& vicinis opidis Caſinenſis ditionis infeſti erant, cum fruſtra* eos rationibus ac beneficiis ſedare *tentaſſet*. XII.

19. *De* NICOLAI *papa, qui Stephano ſucceſſerat, ordinatione agit. Ille autem Pontifex* mandat ad hoc monaſterium, *uti proſequitur Leo*, quatinus domnus Abbas ſibi in Marchiam proficiſcenti, quam citius poteſt occurrat, videlicet ut proximo Martii menſis jejunio, & preſbyteri gradum & cardinalatus pariter officium recipere debeat. Dominica igitur prima Quadrageſimæ, paratis omnibus neceſſariis, iter arripiens, apud Farfenſe monaſterium Apoſtolico ſe conjunxit, ubi nimis ab eo amicabiliter, honorificeque receptus, Auximum ſimul cum ipſo profectus eſt. Ibidem itaque ſecundo Quadrageſimæ ſabbato, quod tunc pridie Nonas Martii evenit, Cardinalis preſbyter ab eodem Apoſtolico ordinatus, & ſequenti Dominica abbatiæ conſecrationem adeptus, privilegium ab eo ſatis honorificum, juxta conſuetudinem prædeceſſorum ſuorum recepit. quo inſuper, ad cardinalatus videlicet ejus dignitatem, & honorificentiam patris ſanctiſſimi Benedicti, per totam Campaniam & Principatum, Apuliam quoque atque Calabriam, ab ipſo fluvio Piſcaria, ſicut fluit in mare, vicem ſuam idem Apoſtolicus illi conceſſit. Poſt hæc accepta licentia remeandi, Romam veniens, proxima dominica mediantis Quadrageſimæ apud eccleſiam beati Petri miſſam ſollemniter celebravit, atque Romanorum turba innumera comitatus ad titulum ſanctæ Cæciliæ trans Tiberim maxima cum laude deductus eſt: ſicque ad hoc monaſterium in beati Benedicti eſt feſtivitate reverſus. Et quoniam ab eodem Pontifice paſchalis feſtivitatis gratia invitatus fuerat, Romam reverſus, poſt feſtum Urbem egrediens, Melfiam Apuliæ urbem perrexit, ubi tunc idem Apoſtolicus Concilium celebrare diſpoſuerat: in qua etiam ſynodo, dum Richardus Capuanus princeps cum aliis quam pluribus interfuiſſet, à ſupradicto papa Nicolao admonitus, præceptum fecit XIII. Fit Cardinalis preſbyter. Vicarius ſedis Apoſt. Concil. Melfitanum.

ANN. CH. MLXXXVII. SEPT. XVI. beato Benedicto de monaſterio ſanctæ Mariæ in Calena cum pertinentiis ſuis. *Præceptum hîc laudatum exhibet Angelus de Nuce in notis*, datum x. Kal. Septembris, anno principatus Richardi ſecundo. *Illud porro monaſterium juxta Veſtiam civitatem ſitum Eugenius IV. anno* 1446. *Lateranenſi Canonicorum regularium congregationi univit, ut obſervat Lubinus in Notitia abbatiarum Italiæ.*

XIV. Monaſteria Salerni. 20. Tunc temporis Giſulfus Salernitanus princeps, Deſiderio ſuper hoc conquerenti, reddidit huic ſancto loco cellam ſancti Benedicti de Salerno, quod à jure noſtri cœnobii Salernitanorum eatenus violentia ſubtraxerat. Sed cum exinde ſubducto abbate, præpoſitum ibi, juxta morem cellarum noſtrarum, conſtituiſſet, Salernitani nimis hæc indigne ferentes eidem Principi inſtare cœperunt, ut monaſterium illud ordinatum ſicut antea fuerat eſſe permitteret. Coactus itaque Princeps illorum rogatu, monaſterium ſancti Laurentii, intra civitatem Salernitanam conſtructum, ſibi hereditario jure pertinentem, in hoc monaſterio ex integro obtulit. nec tamen reſtitutionem, quam antea de ſupra dicta cella fecerat, irritam fecit, &c. *Multa proſequitur de chartis monaſterii Salernitani ad Caſinenſes pertinentibus, quæ primum abſcondita, ac tandem diſciſſæ fuerant. Monaſterium ſancti Benedicti poſt varias fortunas datum tandem fuit à Clemente VIII. anno* 1591. *monachis Olivetanis.*

XV. Monachi ad dignitates evecti. 21. Sequenti tempore ſupradictus Pontifex iterum ad has partes deveniens domnum ODERISIUM, ODERISII Marſorum comitis filium, & loci hujus à puero monachum, diaconum in Lateranenſi eccleſia, apud Acerras poſitus ordinavit. Poſtmodum autem in Aquinenſi civitate, depoſito epiſcopo, nomine ANGELO, eo quod neophytus, & rerum eccleſiaſticarum male prodigus erat, necnon & quibuſdam nequitiis ſuis à ſanctæ memoriæ papa Leone jamdudum excommunicatus extiterat, domnum MARTINUM, Florentinum genere, religioſum plane atque prudentem de hujus loci prioribus monachum, epiſcopum conſecravit. PETRUS etiam Benefranæ & Hiſernienſis ſedis epiſcopus, Ravennas natione, noſter monachus, tempore ipſo ſacratus eſt.

XVI. Robertus & Richardus Principes amici. Hiſdem quoque diebus & Richardo principatum Capuanum, & Roberto Ducatum Apuliæ & Calabriæ atque Siciliæ confirmavit, cum ſacramento, fidelitate Romanæ eccleſiæ ab eis primo recepta, necnon inveſtitione cenſus per ſingulos annos.... Sed quoniam horum duorum magnatium, Roberti ſcilicet atque Richardi, qui præ ceteris ſui temporis mortalibus locum hunc dilexerunt, ditaverunt ac protexerunt; quique huic noſtro Deſiderio nimium devoti, fideles & amiciſſimi in omni vita extiterunt, decurrens hiſtoria attulit mentionem, dignum videtur qualiter ſit uterque ad ſuæ dignitatis honorem provectus, vel breviter opuſculo iſti inſerere, &c. Richardus venit ad hoc monaſterium, recipitur honorifice nimis cum proceſſione ſollemni. placent omnia valde; rogatus à ſenioribus de loci tutela, devotiſſime promittit ſe totius monaſterii contra omnes quos poſſet, fideliſſimum de cetero defenſorem, &c. In omnibus autem his proſperitatibus Deo & patri Benedicto ſemper gratias referebat, ejus ſe meritis adjuvari, ejus orationibus attolli certiſſime profitens. Jam vero domnum Abbatem, licet dudum apud Capuam præſidentem, ut ſupra diximus, ſibi amiciſſimum fecerit, ex eo tamen illum ac ſi patrem, modis omnibus venerari, ejus conſiliis ſe committere, ipſi quaſi domino libenter obtemperare.

XVII. XVIII. XIX. 22. Primo igitur anno, quo Princeps ſimul cum Jordane filio factus eſt, juxta morem priorum Principum, generale præceptum fecit huic monaſterio &c. *narrat, ſicut & capite ſequenti, multa quæ in favorem monaſterii Caſinenſis Richardus egit. In capite autem* XIX. *varias donationes à* GREGORIO conſule Romano, BALDOINO comite de Valle-Sorana, PANDULFO Venafrano

comite, LANDULFO comite Minianenſi ad converſionem veniente, *& aliis viris piis & illuſtribus factas, quas hic ſingillatim recenſere nihil juvat.* ANN. CH. MLXXXVII. SEPT. XVI.

23. Æſtuabat interea ingenti deſiderio Deſiderius eccleſiaſtica etiam ornamenta, de quibus uſque ad id temporis pauperes admodum videbamur, undecumque conquirere; ſed bonum deſiderium, donante Deo, non potuit in tanto homine inefficax eſſe, ſicut in ſequentibus pervidebitur. Partim itaque de propriis deferens, partim vero à Romanis amiciſſimis mutuans, centum & octoginta librarum pretio congeſto, omnia fere ornamenta papæ Victoris, quæ hac illacque per Urbem fuerant pignorata redemit, quæ videlicet ſunt hæc: Pluviale diarodanum magnum, totum undique auro contextum, cum fimbriis nihilo minus aureis; planetam diacitrinam magnam, aureis liſtis undique decenter ornatam; aliam quoque exametam, friſo nihilominus in giro circumdatam; dalmaticam ſimiliter exametam, auro & alb. à capite & pedibus ac manibus inſignitam: tunicam diapyſtin cum urna ampliſſima, à pedibus & manibus ac ſcapulis aurea; ſtolas auro textas cum manipulis, & ſemicinctiis numero novem: pannum diarodanum cum liſtis aureis pro faldiſtorio. Libet præterea hoc in loco deſignare ſingula, quæ ex eo quo ordinatus eſt tempore, uſque ad renovationem baſilicæ majoris, in eccleſiæ utenſilibus ſive fecerit, ſive adquiſierit. nam cetera deinceps plenius exſequemur. Paſtoralem virgam argento veſtivit & deauravit; fecit ante faciem altaris tabulam auream cum gemmis librarum circiter decem, necnon & turibulum de auro cum gemmis & ſmaldis librarum duarum. Librum quoque Epiſtolarum ad miſſam deſcribi faciens, tabulis aurea una, altera vero argentea, decoravit. Codicem etiam Regulæ beati Benedicti pulcro nimis opere deintus comtum, à foris argento veſtivit; ſimiliter fecit & de Sacramentoriis altariis uno & altero, & duobus nihilominus Evangeliis, & Epiſtolario uno. Nam uſque ad illud tempus in plenario Miſſali tam Evangelia quam Epiſtolæ legebantur. quod quam eſſet tunc inhoneſtum, modo ſatis advertitur. Idipſum fecit & de alio libello, in quo ſunt orationes proceſſionales. Fecit & libellum ad cantandum ante altare, ſive in Gradu, eumque tabulis eburneis mirifice ſculptis, & argento ornatis annexuit. Codicem quoque de vita ſancti Benedicti & ſancti Mauri, & ſanctæ Scholaſticæ deſcribi ſtudioſiſſime fecit. Fecit & portellas argenteas ad ingreſſum chori librarum circiter triginta. Fecit & ſedilia lignea in circuitu chori cum doſſalibus eorum, ſcalptura ſimul & pictura præſtantes; ſed & Gradum nihilo minus ligneum ejuſdem operis extra chorum, in ammonis * modum, ſatis pulcrum conſtituit; in quo videlicet tam lectiones in nocte, quam etiam Epiſtolæ & Evangelia ad miſſas procipuarum feſtivitatum legerentur. Per eos etiam dies, cum rumor increbruiſſet Regem ad Italiam venturum, nequaquam ſenix * perrexit Amalfim; ibique viginti pannos ſericos, quos triblatos vocant, coëmit, ut ſi forte neceſſarium eſſet, haberet certe quod Regi donaret, pro tutela videlicet & honore monaſterii hujus. Hydriam quoque argenteam librarum ſeptem ibidem tunc adquiſivit, quam ad miniſterium aquæ ſanctificatæ in proceſſione dierum Dominicorum, cum alia ejuſdem metalli & quantitatis hydria poſtmodum illi donata, eſſe conſtituit. De triblatis vero omnibus, quoniam Rex de via reverſus fuerat, pluviales protinus fieri juſſit. Videns autem tunc portas æreas epiſcopii Amalfitani, cum ſatis placuiſſent oculis ejus, mox menſuram portarum veteris eccleſiæ Conſtantinopolim miſit, ibique illas valde pulcras fieri fecit. Nam nondum diſpoſuerat eccleſiam renovare, & ob hanc cauſam portæ ipſæ ſic breves effectæ ſunt, ſicut hactenus permanent. XX. Eccleſiæ ornamenta confert.

* ambonis.

* al. ſegnis.

24. Interea defuncto apud Florentiam Apoſtolico, *&c. agit de Alexandri II. electione & ſchiſmate Cadaloi.* XXI.

ANN. CH. MLXXXVII. SEPT. XVI.

XXII. Sacer mons fulmine ictus.

25. Quintum jam fere ordinationis ſuæ complebat Deſiderius annum, cum terribilius ſolito, permiſſione divina, fulmine monaſterium iſtud attactum eſt. Cum enim fratres in eccleſia die quodam de more primæ horæ ſollemnia agerent, ſubito cælitus fulmen elapſum, ipſum hebdomadarium ſacerdotem, cui Manno erat vocabulum, honeſtæ famæ virum, in choro ſtantem feriens exſtinxit, ceteros vero circumſtantes velut exanimes ad terram proſtravit; novitium etiam quemdam extra chorum ſtantem, ante ipſam majorem crucem, percutiens occidit: in Capitulo tabulas officiales excidit, ipſumque tabularium, ac ſi mortuum reddidit; vultum imaginis abbatis Richerii in eodem Capitulo in tabella depictum ſcidit pariter ac porro dejecit, & in pleriſque monaſterii locis percuſſit. Fuit autem dies hæc quinto-decimo Kalendæ Februarii. Quamobrem conſilio cum fratribus Pater venerabilis habito, ad iram Dei placandam, ſtatuit tunc per omnes menſes primam ſextam feriam communiter ab omnibus in abſtinentia peragi, ac diſcalciatis pedibus procedendo, Miſſam proinde ſpecialiter celebrari, necnon & omnibus per annum cotidianis diebus orationem pro fulgure ad miſſam publicam, & ad pſalmos ſpeciales edici. Porro autem dominus PETRUS-DAMIANI ad hoc monaſterium veniens, cum verbo pariter & exemplo ad Dei ſervitium ferventi zelo quoſcumque poſſet, accenderet, tandem permiſſione domini Abbatis, à cuncta congregatione voluntaria oblatione in remiſſionem omnium peccatorum obtinuit, ut per totius anni ſextas ferias pane tantum & aqua contenti eſſent, ac per ſingulas ſinguli diſciplinas data confeſſione reciperent; inſuper & triduanum jejunium in caput Quadrageſimæ per annos ſingulos agerent. Multotiens vero Deſiderio cogitanti, & revelari ſibi oranti, quidnam eſſe vellet, quod ſic frequenter hunc locum prædictum flagellum attereret, quadam nocte per viſum Benedictus pater apparuit, eique inter alia de hoc ſollicite percontanti, nihil aliud quam diabolicas inſidias, & antiquam pro loco invidiam eſſe perdocuit. Egometipſe cum adhuc in ſchola monaſterii degerem, reminiſcor una nocte ad ſecundum duntaxat nocturnum ſexies in eccleſia & campanario fulmen percuſſiſſe, &c.

XXIII. Miſſio in Sardiniam.

26. Per idem tempus legati ex parte BARESONIS regis Sardiniæ ad hoc venere cœnobium, per quos beato Benedicto duo magna & optima pallia Rex idem tranſmittens, orat ſibi aliquot ex noſtra congregatione fratres ad monaſterium conſtituendum tranſmitti, ſpondens & pollicens maximum in regno ſuo noſtris utilitatibus honorem & commodum proventurum, ſi monaſticæ religionis ſtudium, hactenus partibus illis incognitum, qualiter apud nos tunc vigere perceperat, apud eos deinceps nobis ſtudentibus aſſueſceret. Mox venerabilis Pater, deliberato conſilio, duodecim de melioribus hujus cœnobii fratribus elegit, eiſque tam divinarum ſcripturarum codices, cum diverſis eccleſiaſtici miniſterii apparatibus, ac ſanctorum patrociniis plurimis, quam & diverſarum rerum ſupellectilem abundanter præbens, necnon & abbatem, qui illis præeſſe deberet, inſtituens, nimis eos honorifice illuc cum Cajetanorum nave direxit. Verumtamen Deo permittente, & ſatana impediente, res eadem eodem tempore ad effectum pervenire non potuit. Piſani ſiquidem maxima Sardorum invidia ducti, cum jam noſtri ad inſulam, quæ Lilium vocatur, proſpero ſatis eventu tranſiſſent, & ſcaphis egreſſi opportunum navigationis tempus attenderent,

Impedita.

ex improviſo ſuper illos cum armatis navigiis veniunt, &, tam noſtros quam ceteros omnes, indiſcrete ſimul & nimis injurioſe tractantes, univerſa diripiunt: inſuper etiam prædictæ legationis principem patibulo jam parabant crudeles affigere, niſi monaſticum habitum, quodam ex noſtris illi porrigente, protinus induiſſet. Poſt hæc incenſa navi, & veſtimenta ſolummodo noſtris reſtituentes, ceteris omnibus onuſti & hilares ad propria remearunt. Noſtros autem per diverſa ab eis loca diſperſos fratres noſtri de.

monaſterio Lucenſi pio ſtudio diſquirentes reperiunt, omneſque præter quatuor, qui jam ad Chriſtum migraverant, ad monaſterium ſuum conductis vehiculis revehunt; quique poſtmodum, licet diverſis temporibus, eodem tamen anno, ad nos univerſi fere reverſi ſunt, &c. Piratæ igitur illi cetera omnia inter ſe dividentes ſcrinium reliquiarum cuidam eorum contradunt.... *qui aliquando in cubiculum, in quo erant* ingreſſus, ſubito corruit & exſpiravit. quod ubi innotuit, magnus horror protinus univerſos invaſit, & die altera diſcalceatis pedibus venientes, cum ingenti reverentia & honore præfatas reliquias exinde abſtulerunt, atque ad epiſcopium cum magnis Dei laudibus tranferentes, ibidem illas debita tractandas honorificentia poſuere. ANN. CH. MLXXXVII. SEPT. XVI.

27. Sardorum interea Rex, digna pro tantis injuriis ſatisfactione à Piſanis recepta, cum rurſus ad hoc monaſterium mandaſſet, ſe quidem multo ardentius in priori devotione perſiſtere, nos vero propter id quod evenerat, nequaquam debere negligere, duos tandem illuc fratres jam poſt biennium fere tranſmiſſos, Rex idem alacriter nimis recepit, eiſque eccleſiam beatæ Mariæ in loco, qui dicitur Bubalis, necnon & ſanctum Heliam de Monte-ſancto cum integro ipſo monte ad monaſterium conſtituendum per præceptum conceſſit, cum colonis & ſervis quamplurimis, & cum ſubſtantiis ac poſſeſſionibus magnis. Hunc æmulatus ad bonum alter rex ejuſdem Sardiniæ, nomine TORCHYTORIUS, fecit & ipſe chartulam oblationis ſuæ, & tranſmiſit ad hoc monaſterium, de ſancto ſcilicet Vincentio de Taberna, &c. ad monaſterium ex eis conſtituendum..... Ad Piſanos præterea legatus ab ALEXANDRO papa ſimul cum monacho noſtro directus eſt, ut niſi anathema vellent apoſtolicum protinus experiri, cauſam beati Benedicti, quam nequiter abripuerant, ex integro redderent... qui ſatisfacientes..... *in Deſiderii gratiam redierunt.* XXIV. Monaſteria in Sardinia erecta.

28. Sed cum prædictus Apoſtolicus, magnæ admodum circa hoc monaſterium devotionis exſiſteret, ſuggerente pariter & inſtigante HILDEBRANDO archidiacono, ſi quos ex hac domo fratres à domno Abbate adquirere poterat, vel ſuo lateri ad eccleſiaſticum miniſterium ſociabat, vel certe in epiſcopos ſive abbates honorifice promovebat. TODINUM igitur Berardi Marſorum Comitis filium, Romam ad ſe accerſitum, in Lateranenſi patriarchio levitam conſtituit; ALDEMARIUM quoque felicis memoriæ, Capuanæ civitatis prudentiſſimum ac nobilem clericum, & Richardi principis olim notarium, qui meus in converſione magiſter exſtiterat, quique in abbatem Fratribus in Sardiniam miſſis dudum fuerat ordinatus, poſtquam reverſus ad monaſterium eſt, in eccleſia ſancti Laurentii, quæ appellatur Foris-muros, cardinalem ſimul & abbatem ſacravit; ſed & AMBROSIUM Mediolanenſem, prudentem nihilominus & eruditum non mediocriter hominem, in Terracinenſi eccleſia epiſcopum ordinavit: GERALDUM etiam doctiſſimum per omnia clericum, Teutonicum genere, in archiepiſcopum eccleſiæ Sipontinæ præfecit. Per idem quoque tempus & MILO Capuani monaſterii præpoſitus in Sueſſana eccleſia epiſcopus factus eſt; & PETRUS, qui dicebatur Athenulfi, patris agnomine, de nobilibus Capuanis, qui poſtmodum Romæ factus eſt Cardinalis, ad abbatiam ſancti Benedicti de Salerno, cujus jam ſupra fecimus mentionem, rogatu Salernitani Principis eſt tranſmiſſus. Eodem tempore ſollemne Deſiderio privilegium idem Apoſtolicus, præter cetera, ſuper omnimoda hujus cœnobii libertate conceſſit, ne videlicet aliquis alicujus eccleſiæ epiſcopus, præter Romanum pontificem, non ſolum in noſtra ac principali eccleſia, verum etiam in omnibus ubique locorum nobis pertinentibus cellis, quamlibet ditionem uſurpare quolibet modo præſumeret, auctoritate apoſtolica interdicens. Quo etiam tempore cum Hildebrandus Capuanus archiepiſ- XXV. XXVI. Viri illuſtres Caſinenſes.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXXVII Sept. xvi. copus elatione quadam turgidus, contra hanc auctoritatem fuiſſet ſummurmurare conatus, publice in Romana ſynodo, nobis ſuper hoc proclamantibus, privilegiis ſedis Apoſtolicæ convictus, ſe peccaſſe confeſſus eſt, &c.

XXVII. Monaſt. Tremitenſe. 29. Præterea cum de rectoribus Tremitenſis cœnobii, quod nobis antiquitus pertinuiſſe Romanorum quoque pontificum privilegia pleraque teſtantur, multa eo tempore inhoneſta & nefanda divulgarentur, eidem Deſiderio ad diſquirendum & diſponendum illud, prout ſibi optimum videretur, data ab Apoſtolico auctoritas eſt. qui cum abbatem ejuſdem loci Adam, multorum facinorum reum convictum, exinde ſubduxiſſet, Roberto de Laurotello & Petrone de Leſina Comitibus, & epiſcopis Trojano, Draconarienſi, ac Civitatenſi, necnon & abbate Terræ-majoris ſe comitantibus, inſulam præfatam ingreſſus, Transmundum inibi, filium Oderiſii Marſorum comitis, nimis honorifice ordinat in abbatem, egregiæ ſane tunc indolis adoleſcentem, prudentia & litteris non parum valentem, honeſtis quoque moribus hoc in loco à puero inſtitutum; niſi demum peſſimorum loci ipſius fratrum conſiliis aſſenſus fuiſſet, ſed illorum plane, quos illi etiam noſter abbas injunxerat auſcultandos. Nam redeuntibus noſtris, paucos poſt dies tribus de prioribus ejuſdem loci monachis oculos eruit, uni vero linguam abſcidit. fuerant enim apud eum de rebellatione inſulæ à ſociis inſimulati. Quod ubi Deſiderio noſtro relatum eſt, indigne nimis & graviter excepit, & maximo eſt ſuper iſta mærore confectus, tum pro paſſorum miſeria, tum pro jubentis ſævitia, tum denique, quod erat præcipuum, & quod magis cor ejus angebat, pro loci hujus infamia. Et quoniam eodem anno dedicationis eccleſiæ noſtræ fieri præſtolabatur ſollemnitas, ad eam ſuſtinetur venturus, ac juxta culpæ modum ſententiam excepturus: quem, cum veniſſet, in totius monaſterii conventu aſpera nimis & digna caſtigatione correptum graviori pœnitentiæ ſubdidit, eumque illuc remeare ulterius non permiſit. Hildebrandus autem archidiaconus ea, quæ Transmundus egerat, omnimodis approbans, & nequaquam illum hoc crudeliter, ſed ſtrenue ac digne in malignos homines feciſſe confirmans, nondum anno completo, eum à domno Abbate aliquando difficulter extorſit, atque abbatiam ſancti Clementis de Inſula Balvenſis * comitatus primo illi committens, paullo poſt eidem Balvenſis epiſcopatus addidit dignitatem, &c.

* al. Pennenſis.

XXVIII. Novam baſilicam ædificat. 30. In omni igitur Abbas venerabilis proſperitate atque quiete, meritis beatiſſimi patris noſtri Benedicti divinitus conſtitutus, & in tanta ab univerſis in circuitu honorificentia habitus, ut non modo mediocres quique, verum etiam ipſi eorum principes ac duces libenter ei obedire, ejuſque voluntati non aliter, quam ſui patris ac domini in omnibus parere ſtuderent; ad veterem diruendam eccleſiam, & novam pulcrius atque auguſtius ædificandam, non ſine divino inſtinctu, animum appulit; quamvis pleriſque tunc de noſtris prioribus grave nimium id & intentabile videretur, plurimumque ab hac intentione mentem illius avertere, tum precibus, tum rationibus, modiſque omnibus ſint conati. quippe à quibus omni vitæ ſuæ tempore tantum opus non poſſe perfici æſtimaretur, cum ille Deo fidens, ad omnia quæ pro Deo fiunt, Dei ſibi ſolius polliceretur ac præſtolaretur auxilium. Anno itaque ordinationis ſuæ nono, divinæ autem Incarnationis milleſimo ſexageſimo-ſexto, menſe Martio, Indictione quarta, conſtructa prius juxta infirmantium domum non ſatis magna beati Petri baſilica, in qua videlicet fratres ad divina officia interim convenirent, ſupradictam beati Benedicti eccleſiam, tam parvitate, quam deformitate theſauro tanto, tantæque fratrum congregationi incongruam, evertere à fundamentis aggreſſus eſt. Et quoniam in ipſo montis vertice conſtructa, & ventorum vehementibus flabris quaquaverſum patuerat, & igneis frequenter fuerat attacta fulminibus, ſtatuit, de ſolo Dei auxilio fidens, ejuſ-

Digitized by Google

dem montis ſaxeam criſtam igni ferroque exſcindere, & quantum ſpatio fundandæ baſilicæ poſſet ſufficere, locum in imo defoſſum, quo fundamenta jaceret, complanare. Ordinatis igitur, qui hæc toto niſu, & inſtantia ſumma perficerent, ipſe interea Romam profectus eſt, & amiciſſimos quoſque conveniens, ſimulque larga manu pecunias opportune diſpenſans, columnas, baſes ac lilia, necnon & diverſorum colorum marmora abundanter coëmit, illaque omnia ab Urbe ad Portum, à Portu autem Romano per mare uſque ad turrem Gariliani, indeque ad Suïum navigiis conductis ingenti fiducia detulit: abinde vero uſque in hunc locum plauſtrorum vehiculis, non ſine labore maximo comportavit. Et ut magis fervorem fidelium obſequentium admireris, primam hic columnam ab ipſo montis initio ſola civium numeroſitas colli brachiique virtute impoſuit. Namque ad augmentum fatigii, montis hujus aſſcenſus nimis tunc erat clivoſus, artus & horridus; necdum enim in cor ejus aſſcenderat eamdem viam complanare ac ſpatiare, quemadmodum poſtea fecit. Tandem igitur totius baſilicæ, præter adytum, cum difficultate non parva ſpatio complanato, & neceſſariis omnibus abundantiſſime apparatis, conductis protinus peritiſſimis artificibus, tam Amalfitanis quam & Lombardis, & jactis in Chriſti nomine fundamentis, cœpit ejuſdem baſilicæ fabricam in longitudine cubitorum centum & quinque, in latitudine vero cubitorum quadraginta & tres, in altitudine autem cubitorum viginti & octo, baſibuſque ſuppoſitis, columnas deſuper decem à latere uno totidemque ex altero in cubitis novem erexit: feneſtras quoque in ſuperioribus ſatis amplas, in navi quidem viginti & unam, in titulo vero ſex longas, & rotundas quatuor, ac duas in abſida mediana inſtituit. Porticus etiam utriuſque parietes in altitudine cubitorum quindecim ſubrigens, feneſtris hinc decem, totidemque inde diſtinxit. Adytum interea cum planitiei baſilicæ, quæ cubitorum ferme ſex putabatur, conſequenter diſponeret coæquare, tres non integras ulnas fodiens, ſubito Benedicti patris venerabilem tumulum reperit; moxque cum religioſis viris communicato conſilio, ne illum aliquatenus mutare præſumeret, confeſtim ne quis aliquid de tanto poſſet theſauro ſurripere, eumdem tumulum, eodem quo ſitus fuerat loco, pretioſis lapidibus reoperuit, ac deſuper arcam de Pario marmore in tranſverſum baſilicæ, ideſt à ſeptemtrione in meridiem, quinque per longum cubitis opere nimis pulcro conſtruxit. Hoc itaque modo adytus in eminentia priori permanſit, ita ut à pavimento ipſius uſque ad pavimentum baſilicæ octo gradibus deſcendatur, ſub fornice ſcilicet maximo, qui eidem adyto imminet, præter illum utique gradum, qua undique ad altare ſubitur. Porro in abſida majori ad orientalem plagam ſtatuit altarium beati Baptiſtæ Johannis, in eo videlicet loco, ubi ejuſdem olim oratorium Benedictus pater exſtruxerat: à parte vero meridiana altarium beatæ Dei-Genitricis, à ſeptemtrionali autem altarium beati papæ Gregorii, juxta cujus abſidam bicameratam domum ad theſaurum eccleſiaſtici miniſterii recondendum exſtruxit. quæ videlicet domus ſecretarium conſuetudinaliter appellatur, eique ejuſdem nihilo minus operis alteram, in qua miniſtri altaris præparari debeant, copulavit. Sane quoniam ſpatiandæ eccleſiæ gratia partem non modicam cameræ ſuæ ſubtraxerat, conſequenter etiam prædicto ſecretario conjunctam eamdem cameram ampliorem priori potius, ac pulcriorem effecit; ſecus ipſam vero, juxta porticum ſcilicet principalis eccleſiæ, beati Nicolai, curvato pariete, brevem quidem, ſed pulcram admodum fundavit ædiculam; ab ipſa autem uſque ad extimam baſilicæ frontem venerabile ſatis beati Bartholomæi apoſtoli oratorium opere pari porrexit. In ejus etiam fronte prope valvas majoris eccleſiæ de quadratis & maximis ſaxis, mirificam arcem, quæ vulgo campanarium nuncupatur, erexit. Fecit &

Ann. Ch. MLXXXVII. Sept. XVII.

Ejus deſcriptio.

ANN. CH. MLXXXVII. SEPT. XVI. atrium ante eccleſiam, quod nos Romana conſuetudine paradiſum vocitamus, longitudine cubitorum ſeptuaginta ſeptem ac ſemis, latitudine quinquaginta ſeptem & ſemis, altitudine vero quindecim & ſemis; quatuor & totidem in geminis frontibus, octo autem & octo per latera ſingula ſuper quadrifidas baſes habens columnas. In cujus etiam meridiano latere ciſternam maximam tantumdem longitudinis habens, arcuato opere ſub ejuſdem pavimento atrii fabricavit. Ante ingreſſum vero baſilicæ, necnon & ante introitum atrii quinque deſuper fornices, quos ſpiculos dicimus, voluit. In occidentali porro atrii parte, in ſingulis cornibus ſingulas baſilicas, modo turrium, valde pulcras erexit; in dextro quidem ſancti archangeli Michaëlis, in lævo autem beati Apoſtolorum principis Petri, ad quas videlicet interius ab atrio quinque gradibus eſt aſſcenſus. Jam vero extra atrii veſtibulum, eaſdemque baſilicas, quoniam clivoſus valde ad eccleſiam erat aſſcenſus, montem ipſum ſexaginta & ſex per longum, totidemque per latum, ſeptem vero cubitis in altum excavavit; adeo ut ab imo uſque ad ipſum veſtibulum atrii quatuor & viginti marmoreis gradibus, quos ibi conſtituit, aſſcendatur, habentibus in ſpatio latitudinis cubitos ſex & triginta.

XXIX. Ornamenta. 31. Legatos interea Conſtantinopolim ad locandos artifices deſtinat, peritos utique in arte muſiaria & quadrataria, ex quibus videlicet alii abſidam, & arcum atque veſtibulum majoris baſilicæ muſivo comerent; alii vero totius eccleſiæ pavimentum diverſorum lapidum varietate conſternerent. quarum artium tunc ei deſtinati magiſtri, cujus perfectionis exſtiterint, in eorum eſt operibus æſtimari, cum & in muſivo animatas fere autumet ſe quiſque figuras, & quæque virentia cernere, & in marmoribus omnigenum colorum flores pulcra putet diverſitate vernare. Et quoniam artium iſtarum ingenium à quingentis & ultra jam annis magiſtra latinitas intermiſerat; & ſtudio hujus, inſpirante & cooperante Deo, noſtro hoc tempore recuperare promeruit, ne ſane id ultra Italiæ deperiret, ſtuduit vir totius prudentiæ pleroſque de monaſterii pueris diligenter eiſdem artibus erudiri. Non autem de his tantum, ſed & de omnibus artificiis quæcumque ex auro, vel argento, ære, ferro, vitro, ebore, ligno, gypſo, vel lapide patrari poſſunt, ſtudioſiſſimos prorſus artifices de ſuis ſibi paravit. ſed hæc alias. Nunc vero conſtructam baſilicam qualiter ex parte decoraverit, demumque ſacraverit, prout poſſumus, deſignemus. Plumbeis igitur domatibus illam totam cum titulo, & utroque porticu ac veſtibulo decenter operiens, abſidam & arcum majorem muſivo veſtivit, in cujus videlicet circuitus amplitudine, aureis litteris hos verſus deſcribi præcepit.

Ut, duce te, patria juſtis potiatur adepta,
Hinc Deſiderius, Pater, hanc tibi condidit aulam.

In abſida vero hinc inde ſub pedibus ſanctorum Baptiſtæ, & Evangeliſtæ Johannis verſus iſtos.

Hæc domus eſt ſimilis Synaï ſacra jura ferentes,
Ut lex demonſtrat hîc quæ fuit edita quondam,
Lex hinc exivit, mentes quæ ducit ab imis,
Et vulgata dedit lumen per climata ſæcli.

Feneſtras omnes tam navis quam tituli plumbo ſimul ac vitro compactis tabulis, ferroque connexis incluſit. Has vero quæ in lateribus utriuſque porticus ſitæ ſunt, gypſeas quidem, ſed ſimilis fere decoris exſtruxit. Dehinc ſubpoſito trabibus laqueari, coloribus figuriſque diverſis mirabiliter inſignito,

ſignito, parietes quoque omnes pulcra ſatis colorum omnium varietate depinxit, pavimentum etiam univerſum totius eccleſiæ cum adhærentibus oratoriis beati Bartholomæi & beati Nicolai, ſimul etiam & cameræ ſuæ, mira prorſus, & hactenus partibus iſtis incognita, cæſorum lapidum multiplicitate conſtravit: ſed illud præcipue quod ſecus altarium eſt, & in choro gradibus illis, quibus ad idem altare conſcenditur, cruſtis pretioſorum marmorum decenti diverſitate diſtinctis. Frontem quoque chori, quem fere in medio baſilicæ ſtatuit, quatuor magnis marmorum tabulis ſepſit, è quibus porphyretica una, viridis altera, reliquæ duæ ac ceteræ omnes in chori circuitu ſimplices. Veſtibulum autem eccleſiæ, deſuper quidem muſivo fecit pulcherrimo cum ſuperlimineis arcubus decorari; ab inde vero uſque ad imum pavimenti, totam baſilicæ faciem gypſo veſtiri: arcus etiam ejuſdem veſtibuli de foris muſivo nihilo minus veſtiens, verſus Marci poëtæ inibi aureis litteris ſcripſit. Reliquas vero tres atrii partes diverſis, tam veteris quam novi Teſtamenti, hiſtoriis ab intus ac deforis depingi præcipiens, marmoreo totum pavimento conſtravit; deſuper autem laquearibus ac tegulis adoperuit: veſtibulo quoque ejuſdem atrii cum geminis turribus pari modo depicto, operto, ac marmorato.

ANN. CHR. MLXXXVII. SEPT. XVI.

32. His igitur omnibus intra quinquennii ſpatium, Deo proſperante & auxiliante, peractis, dedicare baſilicam ſollemnitate maxima & ingenti tripudio ad ſempiternam memoriam Deſiderius ſtatuit, adienſque ſummæ Sedis pontificem Alexandrum, ad eamdem illum dedicationem venire devotiſſime invitavit. quo libentius annuente, Hildebrandum quoque archidiaconum ejus, ceteroſque Cardinales ac Romanos Epiſcopos, deque Urbanis clericis ac nobilibus plurimos affectu familiariſſimo convocavit. Die tantæ ſollemnitatis, ex conſultu Apoſtolici & Cardinalium, in ipſis Kalendis Octobris conſtituta, ac litteris invitatoriis ejuſdem Apoſtolici ad univerſos Epiſcopos Campaniæ, Principatus, Apuliæ, atque Calabriæ datis. Fama itaque hujus rei longe lateque vulgata, tanta totius fere Italiæ Epiſcoporum, Abbatum, monachorum, clericorum, magnatum, nobilium, mediocrium, diverſæque conditionis virorum pariter ac mulierum, ad diem condictam multitudo confluxit, ut ſtellarum fere cæli, quam illorum omnium numeroſitatem cuilibet fuerit æſtimare facilius. Ita univerſæ monaſterii officinæ, & ipſa quoque officinarum omnium tecta, ita totius ab imo uſque ad ſummum montis itinera, & quid dicam, domus civitatis omnes, omneſque plateæ, omnia etiam longe lateque camporum adjacentium ſpatia congregatorum ad tanta ſollemnia cuneis ſtipata erant atque conferta. Apparatus interea per tres illos continuos dies præcedentes ac ſubſequentes eamdem ſollemnitatem, in pane videlicet ac vino, carniumque diverſarum ac piſcium multiplicitate adeo eſt copioſus exhibitus, ut nullus fere aliquis in tam innumera multitudine, qui non ſe ſufficienter hæc accepiſſe dixerit, potuerit reperiri. Interfuere itaque tantæ tunc celebritati archiepiſcopi decem, id eſt, *Ildebrandus* Capuanus, *Alphanus* Salernitanus, *Johannes* Neapolitanus, *Johannes* Surrentinus, Amalfitanus, *Girardus* Sipontinus, *Biſantius* Trandiſis *, *Arnaldus* Acerentinus *, *Ugo* Ydruntinus, Oiretanus *. Epiſcopi autem quadraginta & tres, id eſt, *Johannes* Portuenſis, *Johannes* Tuſculanenſis, *Ubaldus* Savinenſis, *Eraſmus* Segninus, *Petrus* Anagninus, *Honeſtus* Berulanus, *Ambroſius* Terracinenſis, *Leo* Cajetanus, *Martinus* Aquinenſis, *Palumbus* Soranus, *Pandulfus* Marſicanus, Balvenſis, Pennenſis, *Guillelmus* Teanenſis, *Johannes* Calenus, Roſellanus, *Goffridus* Averſanus, Nolanus, Avellinenſis, *Maraldus* Peſtanus, *Stephanus* Trojanus, *Robertus* Florentinenſis, Melfitanus, Lucerinus, *Campo* Draconarienſis, *Rogerius* Civitatenſis, *Nicolaus* Termulenſis, *Petrus* Guardienſis, *Guillelmus* Larinenſis, *Maynardus* Arianenſis, Sernienſis, *Al-*

XXX. Dedicatur à Papa.

*Tranenſis. * Acheruntinus. * f. Oriſtagni in Sardinia.

ANN. CH. MLXXXVII. SEPT. XVI.

bertus Bovianenſis, Salpitanus, *Johannes* Cannenſis, *Guillelmus ſeu Guibertus* Rubeſſanus, *Conſtans* Venuſinus, *Innacius* Monorbinenſis, *Johannes* Vigiljenſis, *Balduinus* Melfitenſis, *Johannes* Juvenazenſis, *Petrus* Monopolitanus, *Datto Oſtunenſis* Stunenſis, *Drogo* Tarentinus, *Goffridus* Peruſinus, & *Theobaldus* Caſtellanus electus, qui videlicet in epiſcopum altero poſt dedicationem die ſacratus eſt. *Horum Epiſcoporum nomina propria, quæ apud Leonem non habentur, alio charactere inſeruimus ex libello de hac Dedicatione mſ. quem ex bibliotheca Caſinenſi Antonius Caracciolus publici juris fecit Neapoli, anno 1626. cum Eremperti epitome & aliis antiquis monumentis. Sed Leo multo plures recenſet quam hujus libelli auctor, archiepiſcopos ſcilicet Amalfitanum & Oiretanum, & epiſcopos Balvenſem, Pennenſem, Roſellanum, Nolanum, Avellinienſem, Lucerinum, Sernienſem, Salpitanum & Melfitanum. Libellus autem habet Petrum Venafranum & Johannem Picenum, qui apud Leonem deſiderantur. In Bulla autem Alexandri II. quam ex autographo idem Caracciolus laudat, loco Johannis epiſcopi Caleni, nominatur* Johannes epiſcopus Claudiopolitanus. *Subſcribunt item* Ildebrandus archidiaconus S. R. E. Petrus Damiani Oſtienſis epiſcopus, Firminus Card. S. R. E. Leo Card.... Stephanus Card. preſbyter, Landulfus Card. preſbyter, Leo Card. preſbyter, pro omnibus preſbyteris Cardinalibus, diaconibus & clericis S. R. E. De Magnatibus autem, *ut Leo proſequitur,* Richardus princeps Capuanus, cum Jordane filio & fratre Rainulfo, Giſulfus princeps Salernitanus cum fratribus ſuis, Landulfus quoque princeps Beneventanus, & Sergius dux Neapolitanus, Sergiuſque dux Surrentinus. nam dux Robertus Panormum eo tempore oppugnabat, ideoque tantæ ſollemnitati tunc intereſſe non potuit. Sed & Marſorum Comitum ac Balvenſium, filiorumque Borelli ingens frequentia. Ceterorum vero potentium ſeu nobilium, tam noſtratium quam Normannorum, omnium circumquaque terrarum vel nomina, vel numerum innumerum nulla fuit prorſus poſſibilitas, vel conſilium recenſendi. Horum igitur omnium ſumma devotione, & ingenti lætitia, maximo honore, ac præcipua gloria, dedicata eſt eadem beati Benedicti baſilica cum quinque altaribus ſuis ipſa die Kalendarum Octobrium, anno Incarnationis divinæ milleſimo ſeptuageſimo-primo, Indictione nona, die Sabbati; & altaria quidem mediana, beati videlicet Benedicti, & ſancti Johannis vocabulis inſignita, manu propria prædictus Apoſtolicus benedixit: altare vero, quod in auſtrali parte ad honorem ſanctæ Dei genitricis eſt ſitum, Johannes epiſcopus Tuſculanenſis; quod autem in parte aquilonari ad nomen beati Gregorii Hubaldus epiſcopus Savinenſis; ſancti vero Nicolai Eraſmus epiſcopus Segninus ſollemniter dedicarunt. Quorum ſane Sanctorum reliquiæ tunc in ſingulis altaribus ſunt reconditæ, opportunum hoc in loco inſerere duximus. In altare itaque beati Benedicti habentur reliquiæ ſanctorum apoſtolorum Philippi & Jacobi, &c. In altare ſancti Johannis....... ex oleo de candela ſancti Sepulcri, quæ videlicet per ſingulos annos, modo valde mirabili, cælitus die ſancti ſabbati Paſchalis videntibus cunctis accenditur, &c. Super omnia vero hæc, quod tacendum non duximus, in ſingularum columnarum ejuſdem baſilicæ capitellis, tempore conſtructionis, reverenter ſatis in æreis pyxidulis reliquiæ ſanctorum Philippi .... de capillis ſancti Remigii epiſcopi, &c. In quatuor angulis campanarii hæ reliquiæ ſunt, lignum Domini, &c. In cruce campanarii, lignum Domini, de capite ſancti Johannis-Baptiſtæ, &c. In frontiſpicio eccleſiæ in cruce ærea, lignum Domini, de lapide, &c.

XXXI. Indulgentiæ conceſſæ.

33. Peracta igitur ſollemniter celebritate Miſſarum, & Apoſtolicæ poteſtatis auctoritate, tam iis quos tunc præſentes eſſe contigerat, quam omnibus, qui per octo continuos dies ob devotionem tantæ ſollemnitatis ibidem accurrere poſſent, confeſſorum peccatorum abſolutione conceſſa, cum

maxima & ingenti lætitia ſinguli redierunt in ſua. Verum præfatæ abſolutionis gratia, tanta undique huc diverſi ſexus atque ætatis per eoſdem octo dies hominum ſe continuavit frequentia, ut neminem fere illorum, qui ad primum diem confluxerant, domum remeaſſe putares. ANN. CH. MLXXXVII. SEPT. XVI.

Nec modus eſt populis coëuntibus agmine denſo;
Nec requies, properant in lucem à nocte, diemque
Exſpectare piget.
Lucani coëunt populi, coit Apula pubes,
Ac Calabri, & cuncti quos abluit æſtus uterque,
Qui læva & dextra, Latium circumſtrepit omne;
Ipſaque cælæſtum ſacris procerum monumentis
Roma, Petro Pauloque potens, rareſcere gaudet,
Millia profundens ad mœnia celſa Caſini.
Vincit iter durum pietas, amor & Benedicti;
Vincit & alma fides, præſens Deus * omnibus iſthic
Creditur, & ſummi Benedictus gloria Chriſti.

* al. de.

Infidelem certe quiſque ſe credere, miſerum penitus æſtimare, ſi tantæ ſollemnitatis vel fini tandem non ſatageret intereſſe. Ex eo jam per totum Chriſtianum orbem cœpit celebritatis tantæ gloria divulgari: ex tunc iſte locus, licet ab olim Benedicti patris meritis famoſus ac nobilis fuerit, nobilior multo ac glorioſior cœpit haberi; patriſque Deſiderii nomen, apud pleroſque jamdudum magnum & celebre, celebrius deinceps ac nobilius per Occidentem totum diffundi; prudentiæ ſimul ac religionis maximæ ab omnibus prædicari, omnibuſque ipſius temporis Abbatibus ubique locorum, non ſolum in occidentalibus & orientalibus partibus, ſed & per orbem terrarum, ab omnibus cenſebatur jure præferri. Partim igitur deſiderio Deſiderium videndi, partim vero templi tam vulgati & tam celebris contuendi, partim denique in hoc ſacro-ſancto cœnobio converſandi, & Deo quoad viverent ſerviendi, multi ex multis & extimis terrarum partibus huc cœpere confluere: & hilariter Deſiderio recipiente, factum eſt, ut intra ipſum ferme biennium, ad ſecundum circiter centenarium congregationis loci hujus ſe numerus porrexiſſet. Jam vero diverſorum Regum atque potentium utriuſque ſexus, quanta circa eumdem venerabilem Patrem cœperit haberi devotio, ſupplices ad eum litteræ & munera decentia teſtabantur; quibus ſe ſuoſque omnes, tam ſuis quam fratrum ſub eo degentium precibus, attentius commendabant. *Hanc dedicationis ſollemnitatem memorant faſti Benedictini & Ferrarius in Catalogo generali, die* 1. *Octobris.*

34. Nec imperatricis quoque AGNETIS dignum videtur religioſam tacere devotionem, quæ velut altera Regina Saba, Salomonis alterius, & alterius templi magno videndi deſiderio ducta, ex ultimis huc Germaniæ finibus adventavit, ac per medium ferme iſtic anni ſpatium commorans, multo majora ſe de his, quæ ſuper hoc loco auditu perceperat, tam ſecundum Deum quam ſecundum ſæculum videre gaudebat, & aſſerebat; merito cenſens & locum, & Patrem, & Fratres per totum orbem ſui Ordinis hominibus celebriores habendos. Obtulit autem beato Benedicto, prout dignitatem auguſtalem decebat, dona magnifica, ideſt, planetam diaſperam, totam undique auro contextam; albam quoque à ſcapulis & capite ac manibus friſo decentiſſime adornatam, à pedibus vero friſea nihilo minus liſta, menſuram ferme cubiti in latitudine habens, circumdatam, ſimulque & amictum cum bruſto; pluviales duos purpureos, pretioſis aureis liſtis ornatos; pannum diarodanum friſatum cum auro ante faciem majoris altaris; necnon & pallium magnum cum elefantis, quod doſſale cognominant; XXXII. Agnetis imperat. dona.

ANN. CH. MLXXXVII. SEPT. XVI.

euglium * cum tabula fuſili de argento, opere anaglyſo & pulcherrime deaurato: duo quoque candelabra argentea, æque fuſilia, pondo librarum duodecim.

* Evangelium.

XXXIII. Baſilicæ ornatus.

35. Libet nunc poſt eccleſiæ dedicationem, reſidua exornationis ipſius deſcribere, ut licentius deinceps valeamus Deſiderii geſtis, tam in ædificiis, quam & in aliis quibuſlibet magnificentiis, operam dare. Ad ſupradictam igitur regiam Urbem quemdam de fratribus cum litteris ad Imperatorem, & auro triginta & ſex librarum pondo tranſmittens, auream ibi in altaris facie tabulam, cum gemmis ac ſmaltis valde ſpecioſis patrari mandavit: quibus videlicet ſmaltis nonnullas quidem ex Evangelio, fere autem omnes beati Benedicti miraculorum inſigniri fecit hiſtorias. quem certe noſtrum confratrem imperator ROMANUS nimis honorifice ſuſcepit, & quamdiu ibi manſit, honeſte cum ſuis omnibus, reverenterque tractavit; & quidquid ornamentorum inibi vellet efficere, imperialem ei licentiam tribuit. Fecit itaque & cancellos quatuor, fuſiles ex ære, ante altare ſcilicet hinc inde inter chorum & adytum ſtatuendos; trabem quoque nihilo minus fuſilem ex ære, cum candelabris numero quinquaginta; in quibus utique totidem cerei per feſtivitates præcipuas ponerentur, lampadibus ſubter in æreis uncis ex eadem trabe triginta & ſex dependentibus: quæ videlicet ærea trabes æreis æque brachiis ac manibus ſuſtentata, trabi ligneæ, quam pulcherrime ſculpi, & auro colorumque fucis interim fecerat Deſiderius exornari, commiſſa eſt, & ſupra ſex columnas argenteas, quatuor & ſemis in altitudine cubitos habentes, & octo libras per ſingulas in ipſa chori fronte conſtituit, ſub qua nimirum trabe quinque numero teretes iconas ſuſpendit, tredecim vero quadratas paris menſuræ ac ponderis deſuper ſtatuit. E quibus videlicet decem ex quadratis prædictus frater apud Conſtantinopolim croſſo argento ſculpſit ac deauravit, habentes per ſingulas aliæ libras quatuordecim, aliæ duodecim: rotundas vero omnes argentea ſolum urna quatuor librarum circumdans, cetera coloribus ac figuris depingi græca peritia fecit: tres vero alias de quadratis ejuſdem metalli atque menſuræ patrari, ſuorum artificum opere nequaquam diſſimili, Deſiderius juſſit. Alteram quoque iconam rotundam, ex utraque parte argento mirifice ſculpto ac deaurato veſtitam, argenteis etiam bullis extrinſecus in giro circumdatam, quidam nobilis tunc beato Benedicto à regia urbe tranſmiſit; cui poſtmodum ſimilis altera fieri juſſa, utraque eſt in ciburio altaris hinc inde ſuſpenſa. Ceraptata etiam ærea fuſilia, valde pulcra, duo magna & parva ſeptem, ſupra dictus frater ſecum à Conſtantinopoli detulit. Fecit præterea Deſiderius & aliam trabem de argento, librarum circiter ſexaginta, ſculptam nihilo minus ac deauratam, quam in fornice majori ante altare ſuper quatuor argenteas columnas ex parte inauratas decima * libras, & quinque cubitos altitudinis habentes locavit. Fecit & duas cruces magnas argenteas librarum per ſingulas triginta, quarum imagines cælatura ſatis mirifica prominerent; eaſque ſub prædicta trabe inter eaſdem columnas hinc inde ſuper marmoreos ſtipites ſtatuit. Tres porro reſiduas majoris altaris facies argento librarum octoginta & ſex bene ſculpto ac deaurato veſtivit. Nam reliquorum trium altarium facies veteribus tabulis à tribus partibus adornatæ ſunt. quatuor etiam trabes propter ciburium altaris ſimili modo ſculpto, ac deaurato argento extrinſecus induit; ab intus vero petalis * & coloribus decoravit, è quibus duæ habent cubitos in longitudine ſex libras viginti & viginti, duæ vero aliæ cubitos quatuor ac ſemis, libras viginti & viginti. ſex etiam candelabra magna tres cubitos altitudinis habentia de productis ac ſculptis argento laminis fecit, ana * ſex vel quinque librarum, quæ videlicet in feſtis præcipuis ante altare in directa linea poſita accendi cum maximis faculis debeant. Pulpitum quoque li-

* i. laminis.

* i. æque.

gneum ad legendum ſive cantandum, longe priori præſtantius, & eminentius fecit in aſſcenſu graduum ſex; idque diverſis colorum fucis & auri petalis de pulcro pulcherrimum reddidit: ante quod columnam argenteam viginti & quinque librarum, partim deauratam ad modum magni candelabri, ſex cubitorum in altitudine habens, ſupra baſim porphyreticam ſtatuit, ſuper quam videlicet cereus magnus, qui ſabbato paſchali benedicendus eſt, ſollemniter debeat exaltari. Fecit & pharum, ideſt coronam maximam, de argento librarum circiter centum, habens in circuitu cubitos viginti cum duodecim turribus extrinſecus prominentibus, ſex & triginta ex ea lampadibus dependentibus, eamque extra chorum ante crucem majorem ſatis firma ferrea catena, ſeptem deauratis malis diſtincta, ſuſpendit. His tantiſper de conſtructione, conſecratione, partimque decoratione novæ baſilicæ quomodolibet exaratis, ad cetera monaſterii ædificia percomplenda ſimul cum noſtro Deſiderio reditum faciamus. ANN. CH. MLXXXVII. SEPT. XVI.

36. Poſt tranſactam igitur ſollemnem baſilicæ dedicationem, cernens Deſiderius, divina cooperante potentia, ſimulque patris Benedicti meritis, omnia quæ cœperat ad perfectum, prout optaverat, perveniſſe, audentior jam, immo valentior factus, totius cœnobii ambitum decrevit ingenti animo ſpatiare; &, ut jam de aliquibus fecerat, reliquas officinas, cum his etiam, quæ ipſemet ante eccleſiæ conſtructionem conſtruxerat, renovare. Et primo quidem clauſtrum, quod tantæ congregationi adhuc permodicum eſſe conſtat, ampliare deſiderans, everſo mox vetere refectorio, quod ſatis enormiter à latere templo, à fronte vero Capitulo inhærebat, quodque etiam ipſe dudum bis tempore diverſo adauxerat, in ulteriore illud parte futuri clauſtri, juxta meridianum ſcilicet atrii eccleſiæ latus, decorum valde ſatiſque magnum exſtruxit, diverſiſque totum coloribus pictorum artificio comſit, & laqueari appoſito trabibus, tegulis deſuper operuit. Legivum quoque perpulcrum & eminens in eo conſtituit, quod valde decenter gypſo veſtitum, cunctis ſpectabile reddidit. Cujus videlicet domus longitudinis in cubitis quinque & nonaginta extenditur, latitudo in tribus & viginti porrigitur, in quintodecimum vero altitudo ſuſtollitur; ab orientali parte habens ingreſſum, ab occidentali vero abſidam, ante quam profecto ampla valde Abbatis menſa ex tranſverſo cernitur conſtituta. Habet autem à latere meridiano feneſtras quatuordecim, circa pulpitum tres, à ſeptemtrionali vero duas tantum, duas quoque rotundas in frontibus ſingulis, omnes vitro tam gypſo quam plumbo inſigniter laboratas. Juxta eamdem quoque domum ab auſtrali parte coquinam fratrum, amplam ſatis & pulcram, in duobus invicem connexis fornicibus, quos una tantum columna ſuſtentet, erexit; interque ipſam & refectorium, gradus & januam, unde quæque neceſſaria in idem refectorium ſive conferantur, ſive referantur, conſtituit. Ex altera vero ipſius coquinæ parte cellarium ſtatuit, ex quo videlicet, tam refectorio quam coquinæ quælibet debeant neceſſaria tribui. Poſt hæc cum necdum ſufficiens ſibi ad tantam fratrum multitudinem clauſtri ſpatium videretur, vir certe magnanimis & nimis magnæ fiduciæ, dormitorium atque capitulum, quæ dudum ipſemet magno valde ſumtu ac ſtudio fabricaverat, necnon & veterem infirmantium domum, ex integro eſt aggreſſus evertere, & clauſtri ampliandi occaſione, eaſdem quoque domos ampliores efficere. Quoniam igitur exteriorem dormitorii murum porro longe ab altero in magno montis præcipitio ſtatuebat erigere, quinque craſſam cubitis maceriam in fundamento maximæ firmitatis gratia jaciens, eam in ducentorum ſpatio cubitorum per longum extendit, in altitudine autem cubitorum triginta erexit, quatuor & viginti cubitis in latitudine à muro interiori diſtantem; habens à meridiano tantum feneſtras amplas viginti, è quibus tres maximæ tribus columnellis mar- Cetera monaſterii ædificia.

Digitized by Google

moreis fulciuntur. quæ videlicet domus longe priore amplior, firmior ac pulcrior, ſtudioſe nimis eſt & fabrorum peritia lateribus tecta, & pictorum artificio coloribus decorata. juxta quam etiam in ulteriori capite ipſius, veſtiarium fratrum conſtruxit, parvum quidem, ſed ſatis competens pulcrumque.

37. His triennio circiter conſummatis, montem è veſtigio, qui intra jacebat, ſuffodere aggreſſus eſt, per longum ſcilicet cubitis centum & quinque, per latum autem quadraginta & novem, per altum vero circiter ſeptem; ſicque capituli ædem ab orientali parte per tranſverſum conſtituit; ut interior ejus frontiſpicii angulus angulo exteriori tituli baſilicæ ſit connexus, abſida vero ipſius appropiare dormitorio videatur. cujus videlicet domus longitudo cubitorum quinquaginta & trium, latitudo viginti, altitudo autem octo & decem habetur: habet autem à latere uno feneſtras vitreas ſpecioſiſſimas novem, ab altero totidem, à frontiſpicio aquilonali tres rotundas, ab auſtrali vero duas æque rotundas, laqueari, & pavimento, ſeu picturis pretioſiſſimis ſufficientiſſime decorata. Tantam autem tunc, cum iſta ſuffoderentur, terræ motuum experti ſumus frequentiam, ut uno quidem die vicibus decem & ſeptem, per alios vero aliquot dies nunc quatuor, nunc duobus, modo etiam ſex vel quinque vicibus, id per dies ſingulos ſentiremus. quod certe propter innumeras ejuſdem loci ſepulturas tunc neceſſario violatas, quæ ſanctorum forte hominum fuerant non ab re contigiſſe multi putavimus. Alias ſane ſatis raro hoc in loco ſolet fieri terræ motus. Verum quoniam ingens præcipitium ab interiori dormitorii parte remanſerat, erectis ſecus eamdem domum cameris, & terra, ſaxiſque cetera replens injectis, itemque ante refectorium, in fronte videlicet clauſtri, curva nihilo minus camera, ciſternam maximam fabricans, ita demum totius clauſtri ſuperficiem coæquavit; mox itaque arcus per gyrum deambulatorios ſuper centum & decem marmoreas columnellas inſtituens, clauſtrum omne in longitudinem cubitorum centum & quinque, in latitudinem vero quinque & ſeptuaginta diffudit. Cujus quia ea pars, quæ majoris baſilicæ erat contigua, ſi ceteris coæquaretur, non aptus in eamdem baſilicam eſſet ingreſſus, ſubtus item & ſuper deambulatorios fornices fecit, & in ejus utriuſque angularis marmoreos gradus, quibus in cetera deſcenderetur, inſtituit; ad capitulum quidem quintodecimum, à refectorio vero tertio decimum, totumque in circuitu, & lapideis pavimentis biſantei artificii ſtravit, & picturis pulcherrimis comſit. Nihil hoc moratus expleto, ſolarium palatii illius, quod à Richerio cœptum ipſe perfecerat, ab eminentia priori ad clauſtri planitiem depoſuit, adque inibi infirmorum fratrum quietem conſtituit. Porro ab occidentali parte clauſtri, juxta ciſternam videlicet quam prædiximus, cellam novitiorum ordine ſatis aptavit, in qua videlicet iidem, juxta regulare inſtitutum, & meditari & quieſcere atque comedere novitii ipſi deberent; ſicque jam tandem fratres, qui eatenus ſuper tot operibus inquietati ac moleſtati pluſquam ſatis exſtiterant, opportuna ſimul & amœna quietis ſtatione locatos, ordini de cetero regulari, quanto ordinatius tanto diſtrictius, operam dare perdocuit.

Religio erga defunctorum corpora.

38. His igitur omnibus ex voto perfectis, & interioribus fratrum officinis decentiſſime, ut optaverat, conſummatis, ad exteriora ſe nihilo minus ædificia monaſterii perficienda impiger ac fortis accingit. Ab occidentali igitur parte primum maceriam firmiſſimam erigens, portam pæne cubitos triginta extra veterem de quadratis ac ſectis lapidibus ſtatuit, ſupra quam turrem fortiſſimam in quatuor magnis columnis erectam ingenti camera confirmavit. Verum cum exterius præcipitium pateret immenſum, tumulus vero interius magnus exſiſteret, eo defoſſo, præcipitium illud ſaxis ejus & terra, clivoſo licet tramite, pervium fecit; ibique juxta, extra

Digitized by Google

portam ſcilicet, xenodochium maximum fabricavit; itaque demum hinc inde muro contiguo, ac civitatum more munito, univerſum monaſterium circumſepſit. Dehinc aquilonali parte palatium quantitatis non modicæ ad hoſpitum quorumque receptionem ædificavit: piſtrinum quoque tanto decore conſtruxit, ut multi peregrinorum huc venientium ignorantes, quaſi ad eccleſiam ſæpius illuc oraturi convenerint. Non ceſſabat, dum iſta agerentur, Deſiderius conquirendis eccleſiæ ornamentis inſudare, & undecumque poſſet, quibuſcumque poſſet ingeniis, quæ ejus apta eſſent pulcritudini, comparare. ANN. CH. MLXXXVII. SEPT. XVI.

39. Chriſto igitur duce, omnia ſibi prout optaverat eveniſſe cognoſcens, hinc ad eccleſiam beati Martini, quæ ſola fere jam intra monaſterii ambitum de veteribus ædificiis remanſerat, renovandam totum cor Deſiderius vertit. Diruta namque priori ejuſdem beati Martini baſilica, jactiſque in Chriſti nomine fundamentis, cœpit ejuſdem eccleſiæ fabricam in longitudine cubitorum trium & quadraginta, latitudine viginti & octo, altitudine viginti & quatuor; feneſtras vero ab uno latere novem, ab altero totidem: porticus etiam utriuſque parietes in ſedecim cubitorum altitudine erigens, feneſtris quatuor & quatuor, totidemque ab altero diſtinxit, & illas quidem quæ in navi ſunt, plumbo ſimul & vitro compactis tabulis ferro ligatis incluſit. In frontiſpicio porro ejuſdem eccleſiæ feneſtras tres, ac unam in abſida diſtinguens, ſimilis decoris patrari mandavit. Illas autem quæ in porticibus ſunt, gypſeas quidem, pari vero decore conſtruxit. Columnas vero novem ab uno latere, totidemque ab altero erexit. Secus ipſam quoque eccleſiam curvato pariete, brevem quidem ſed perpulcram domum, ad ejuſdem eccleſiæ miniſterium conſtruxit. Cancellos vero lapideos ante beati Martini altarium mirificos patrari fecit: abſidam autem muſivo decenter veſtivit, in qua etiam aureis litteris hos verſus deſcribi fecit. XXXIV. Eccleſia S. Martini conſtruitur.

Cultibus exſtiterat quondam locus iſte dicatus
Dæmonicis, inque hoc templo veneratus Apollo.
Quod pater huc properans Benedictus in Omnipotentis
Vertit honore Dei, Martini & nomine ſancti.
Hoc Deſiderius poſt centum luſtra vetuſtum,
Parvumque evertit, renovavit, comſit & auxit.

Jam vero ipſius eccleſiæ pavimentum, quam ſit conſpicuum, quam ſpecioſum, ac diverſorum marmorum multiplicitate conſtratum, oculis omnium patet. Legivum quoque pulcherrimum, auro atque coloribus pictorum ingenio decoratum, ibidem exſtrui juſſit. Ante ipſius namque beati Martini altarium tabulam argenteam ac deauratam, & pulcherrime ſculptam, quatuor & quadraginta libras habentem, Deſiderius patrari mandavit, in qua omnes fere beati evangeliſtæ Matthæi, & ſancti confeſſoris Chriſti Martini deſculpſit hiſtorias. Fecit & portas æreas in ingreſſu ejuſdem eccleſiæ. Juxta eamdem vero baſilicam manſiunculam, in qua ipſe maneret conſtruens, trabibus appoſitis, tegulis deſuper operuit. Hæc ubi, cooperante Domino, prout optaverat conſummavit, beati Bartholomæi baſilicam cum fratrum univerſo conventu tertio Nonas Januarias à JOHANNE, hujus ante cœnobii monacho, poſt Sorano epiſcopo fecit ſollemniter dedicari; in cujus altari Apoſtolici corporis partem non exiguam in argentea recondidit capſa: in qua etiam has reliquias poſuit, de lapide ſancti Sepulcri, & ſanctorum Johannis & Pauli, Viti, Januarii, Hermetis & quadraginta Martyrum. Enimvero tantæ apud Romanum pontificem Deſiderius auctoritatis habebatur & gratiæ, ut in quibuſcumque vellet proprio paſtore viduatis eccleſiis vel cœnobiis, juris ei eſſet ſuis ex fratri- Dedicatur.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXVII. SEPT. XVI. bus Epiſcopos ſubſtituere vel Abbates. Non multo poſt hæc temporis evoluto, ædiculas quoque illas, quas inſtar turrium in atrii diximus angulis conſtitutas, alteram ab eodem Johanne, alteram à LEONE fecit Aquinenſi epiſcopo magna cum lætitia dedicari, quarto Idus Septembris. Sane in altari beati Archangeli Michaëlis reliquias condidit ſanctorum Nicandri & Marciani, Johannis & Pauli, Viti, Mercurii & Catherinæ, & vocabula ſanctorum Apollinaris epiſcopi, Prothi & Hiacinthi; altare vero Principis apoſtolorum Leo Aquinenſis epiſcopus divino nomini, ipſo domno Abbate omniumque fratrum præſente conventu, cum magna lætitia & devotione ſacravit. In eodem vero altario reconditæ ſunt reliquiæ iſtæ: de quinque panibus ordeaceis & ſanctorum apoſtolorum Petri, Matthæi, Jacobi, Nazarii & Celſi, Januarii, Feliciſſimi & Agapiti, Sergii & Bacchi, Nicandri & Marciani, Aurelii, Protaſii, Fortunati & ſociorum ejus, & de veſtimentis trium puerorum.

40. *Huc uſque Leo Marſicanus Caſinenſe chronicum perduxit; quæ vero ſequuntur, à Petro Diacono addita ſunt, ut ipſemet atteſtatur in Prologo libri* 4. *quem Raynaldo abbati nuncupavit; ſed cum ille multa interſeruerit, quæ ad illuſtrandam Deſiderii vitam non attinent, ea ſolummodo deinceps huc proferemus, quæ ad rem*
XXXV. *noſtram facient, ceteris omiſſis. In capite* XXXV. *agit de Alberico, Alfano, Amato & Conſtantino Afro, monachis Caſinenſibus, quorum opuſcula recenſet, quæ item in ejuſdem auctoris libello de viris illuſtribus Caſinenſibus videri poſſunt.*

XXXVI. 41. Sequenti tempore ſupradictus papa Alexander Urbem egrediens, venit ad hoc monaſterium. qui à Deſiderio honorifice ſuſceptus, dum Abbatis cameram, quæ juxta eccleſiam ſancti Nicolai conſtructa eſt, ingreſſus fuiſſet, dæmoniacus quidam *ab eo liberatus eſt, &c.* Fecit præterea idem ſanctiſſimus Pontifex patri Deſiderio privilegium de monaſterio ſanctæ Mariæ in Palladio, &c.

XXXVII. 42. Per idem tempus Richardus princeps per præceptum obtulit beato Monaſt. S Angeli de Formis. Benedicto eccleſiam ſancti Angeli, quæ nuncupatur ad Formas, de qua ſuperius, tempore ſcilicet BALDOINI abbatis, qualiter nobis à Marino papa conceſſa ſit plenius ſcripſimus. Sed quia Capuanus archiepiſcopus illam eo tempore retinebat, præfatus Princeps cupiens ibi facere monaſterium, ante ſeptem circiter annos cum eo concambiavit, data pro ipſa alia eccleſia..... & Caſinenſi cœnobio prædictam eccleſiam obtulit. Et quoniam locus idem valde amœnus, & ſatis aptus monaſterio erat, rogavit humiliter Deſiderium, ut pro amore ſuo ſpecialiter inde ſtuderet. quod & fecit de monaſterio Albanetæ, integram omnium mobilium medietatem accipiens, & cum medietate etiam ejuſdem loci monachorum illuc tranſmittens, cœpitque Deſiderius illud ædificare ex integro tam ſpecioſe, tam ſpatioſe, quemadmodum hodie cernitur, ubi etiam intra breve tempus quadraginta & eo amplius monachos regulariter victuros aggregavit.

XXXVIII 43. Circa hos dies MICHAEL Conſtantinopolitanus imperator, patri
XXXIX. Deſiderio per nuntios, quos ad eum direxit, dona quamplurima tranſmiſit, poſcens, ut pro ſe ac liberis, & pro ſtatu Imperii ſui Dei omnipotentis clementiam aſſidue ſupplicarent. Inſuper etiam ob patris Benedicti reverentiam, pro ſalute animæ ſuæ, per præceptum aurea bulla bullatum conſtituit, ut per unum quemque annum hoc monaſterium accipiat de palatio Conſtantinopolitani Imperii auri libras viginti quatuor, & pallia quatuor, ad noſtræ congregationis ſuſtentationem.

Imp. CP. dona.

44. Borellus autem comes Borelli majoris filius, cum ob nonnulla ſua in hoc loco ſervitia Deſiderii familiaritatem fuiſſet non immerito adeptus, monaſterium ſancti Petri, quod vocatur de Avellana, quod videlicet pater ipſius beato DOMINICO ante quatuor & quadraginta annos ad conſtruendum tradiderat, quodque idem Borellus ſatis ampla terrarum conceſſione

Monaſteria Caſino tributa.

ſione ditaverat, cum eccleſiis & colonis, & cum omnibus omnino pertinentiis ac poſſeſſionibus ſuis, quod eſt terra quinque millium circiter modiorum, beato Benedicto devotiſſimus obtulit, &c. Theodinus quoque & Oderiſius atque Bernardus Balvenſes comites, non multo poſt & ipſi quoque monaſterium ſancti Petri, quod ſitum eſt in valle de Lacu, & aliud monaſterium eremitarum in loco, qui dicitur Pratum-cardoſum, quæ nimirum & ipſa nihilo minus à beato Dominico ante non plures annos fundata exſtiterant, pari modo in hoc monaſterio obtulerunt, &c. *De his monaſteriis actum eſt in hujus Sæculi parte ſuperiori, in vita ſancti Dominici abbatis Sorani ad annum* MXXXI. Eodem etiam anno Leo & Girardus Fundani conſules... una cum Richardo, cognomento de Aquila, obtulerunt huic loco eccleſiam ſancti Onufrii cum pertinentiis ſuis. Et quoniam locus idem habilis ad conſtruendum monaſterium erat, Deſiderius cupiens ibidem facere monaſterium, per GIRARDUM præpoſitum ſancti Nicolai in Pica, qui quintus poſt eum hujus cœnobii abbas factus eſt, in ſtatum quo nunc cernitur erexit. ANN. CH. MLXXXVII. SEPT. XVI.

45. Eodem tempore Roſellanenſis eccleſiæ Pontifex ad hoc cœnobium veniens, non parvæ pecuniæ ſummam in hoc loco depoſuit. quod ubi Jordano principi relatum eſt, miſſis militibus, eamdem pecuniam de eccleſiæ ſecretario abſtractam ad ſe deferri mandavit. Fratres autem ad hæc: Pecuniam, quæ patri Benedicto credita eſt, nos alicui viventium minime damus: ſed illam in ſecretario ponentes, exinde qui præſumſerit auferat. Milites vero hæc audientes, & diabolico ſtimulo debriati, pecuniam de ſecretario eccleſiæ abſtrahentes ad Principem deferunt. Tantum vero & tam immane & inauditum flagitium GREGORII papæ dum perveniſſet ad aures, hujus temeritatis noxam inultam eſſe non ferens; & verens, ne exemplo hujus facinoris, iterum noſtra eccleſia violaretur, divinum officium in patris Benedicti eccleſia interdixit, altariaque omnia denudari fecit: aſſerens quod in tanto ſcelere nimiæ negligentiæ & acriter ulciſcendæ timiditatis & Deſiderium ac fratres arguere poſſet, & gravius adverſus congregationem noſtram commoveri debere, niſi ea, qua locum iſtum ſemper dilexerat, caritate detineretur. ſiquidem tolerabilius ſibi videretur villas & caſtella nobis pertinentia in prædam & direptionem dari, quam ut ſanctus locus, & per totam chriſtianitatem famoſus & venerabilis, tantæ ignominiæ periculo ſubjaceret. Sed non in longum, poſtquam officium de eccleſia noſtra interdictum eſt, vindictam diſtulit dextera Dei. Nam Princeps tanti auctor ſceleris, poſtquam pecuniam accepit, lumen amiſit. Idem vero papa Gregorius in Concilio reſidens conſtituit, ut ſi quis Normannorum, vel quorumlibet hominum prædia, monaſteria, villas ſeu poſſeſſiones hujus cœnobii Caſinenſis invaſerit, & bis vel ter admonitus non emendaverit, excommunicationi ſubjaceat, donec reſipiſcat, & eccleſiæ ſatisfaciat. XLVI. Pontifex in bonorum invaſores decernit.

46. *Capite* XLVIII. *Petrus de Guinizone & Gebizone piis monachis agit, de quibus infra dicemus. In duobus autem capitibus quæ ſequuntur fuſius diſſerit de diſcidiis inter Gregorium papam & Henricum auguſtum, tum de colloquio inter eumdem Imperatorem & Deſiderium, quæ hîc fuſius perſequi non vacat.*

47. Circa hæc tempora HUGO venerabilis abbas Cluniacenſis, vir celeberrimæ vitæ ac famæ, ad patris Benedicti limina valde devotus advenit, quem venerabilis Deſiderius honorifice, ut tantum decebat virum, ſuſcipiens, & ſocietatem Cluniacenſium fratrum noſtræ Congregationi adjungens, memoriam illorum apud nos, noſtræque congregationis apud illos, in morte & in vita iidem viri venerabiles in perpetuum habendam ſanxerunt. *Nonnulla ſubjungit de Gregorio & Randiſcio piis monachis, de quibus egimus in prima hujus Sæculi parte, pag.* 103. *&c. ubi hoc ipſum Chronici Caſinenſis caput, & alia nonnulla ex Petri continuatione, ſub Leonis nomine, ut vulgo fit, lauda-* LI.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXVII SEPT. XVI. *vimus. Porro Angelus de Nuce in notis ad hunc locum, profert Deſiderii epiſtolam ad Petrum Damiani, qua ipſi tam viventi, quam defuncto ſuas & totius Congregationis Caſinenſis, ac ſucceſſorum ſuorum preces pollicetur.*

LIII. 48. *Robertus Guiſcardus Gregorium papam, quem Henricus imperator in arce ſancti Angeli obſeſſum tenebat, liberavit, eumque* ad hoc, *inquit Petrus*, monaſterium uſque deduxit. quem Apoſtolicum noſter abbas uſque ad ipſius exitum, cum Epiſcopis & Cardinalibus, qui eum ſecuti fuerant, ſuſtentavit.

LV. Donum S. Crucis. 49. His porro temporibus quidam Amalfitanæ civitatis nobilis, mundo mundaniſque omnibus abrenuntians, ad hunc locum pervenit, & à Deſiderio gratanter ſuſceptus, & monachus factus, partem non exiguam ligni ſalutiferæ & vivificæ Crucis, auro & lapidibus pretioſis ornatam, & in aurea icona locatam, quam ipſe de palatio Conſtantinopolitano abſtulerat in conjuratione, quæ contra Michaëlem imperatorem facta eſt, beato Benedicto devotiſſimus obtulit. Deſiderius autem poſt iſta Capuam pergens, & officinas monaſterii Capuani in ruinis jam poſitas cernens, ad renovationem illius animum dedit. Dirupta namque priori eccleſia, juſſit conduci artifices alios ad capitella columnarum miro opere facienda. Evocanſque ad ſe Benedictum ejuſdem loci præpoſitum, præcepit, ut in ejuſdem eccleſiæ renovatione, omnibus rebus poſtpoſitis, ſpecialiter invigilare ſtuderet. Cujus ille imperio parens patris Benedicti baſilicam, ſicut nunc cernitur, pulcherrimam ſatis conſtruxit, &c.

LVII. 50. Hoc anno, *ſcilicet, ut monet Angelus de Nuce,* MLXXXV. *menſe Julio, die feſto ſancti Alexii*, Robertus *Guiſcardus Apuliæ* dux obiit, *&c.* Non autem videtur indignum hic ex parte aliqua ſummam oblationum iſtius Ducis, ejuſque conjugis Sicelgaitæ, ad ſcientiam poſterorum annectere, qui ſupra omnes fere ſui temporis mortales locum iſtum, patrem Deſiderium & noſtram congregationem diligere, exaltare & honorare ſtuduerunt. *Capite* LVIII. *recenſet Petrus donationes illas ſingillatim, & capitibus ſequentibus alias ab aliis viris nobilibus factas. Capite* LXII. *agit de Guaiferio, quem etiam laudavit in libro de viris illuſtribus cap.* 29. *ubi* Benedictus, qui & Guaiferius *dicitur.*

LXIII. 51. Non ſolum autem in ædificiis, verum etiam in libris deſcribendis operam Deſiderius dare permaximam ſtuduit. Codices namque nonnullos in hoc loco deſcribi præcepit, quorum nomina hæc ſunt: Auguſtinum contra Fauſtum, de opere monachorum. De ſermone Domini in monte. Homilias quinquaginta ſuper Epiſtolam ad Romanos. Sermones in Epiſtolas Pauli. De Geneſi ad litteram. Epiſtolas ejus. Paſtorale ejus. De baptiſmo parvulorum. Ambroſium de rebus geſtis in eccleſia Mediolanenſi, de Patriarchis, de fide ad Gratianum imperatorem. Sermones ejus. Regiſtrum Leonis papæ, Regiſtrum Felicis papæ. Regulam Baſilii. Hieronymum ſuper Ezechielem, ſuper Epiſtolas Pauli, ſuper duodecim Prophetas. Eugeſipium. Sermones Severiani. Hiſtoriam Anaſtaſii. Hiſtoriam Langobardorum, Gotthorum & Vvandalorum. Hiſtoriam Jordanis epiſcopi de Romanis & Gotthis. Hiſtoriam Gregorii Turonenſis. Joſephum de bello Judaïco. Hiſtoriam Cornelii, cum Homero. Hiſtoriam Erchemperti. Bedam ſuper Tobiam. De locis ſanctis. Evangelium majorem auro & lapidibus pretioſis ornatum, in quo has reliquias poſuit. de ligno Domini & de veſtimentis ſancti Johannis Evangeliſtæ. Sermones Leonis papæ. Sermones Gregorii Nazianzeni. Doctrinam Patrum. Sacramentorium cum Martyrologio. Sacramentorium aliud. Ordo epiſcopalis. Gualfridum de officiis. Super Regulam. Paſſionaria totius anni, libros quatuor. Antiphonaria de die duo, in choro ſemper habenda. Antiphonarium de nocte. Vitas Patrum. Inſtituta Patrum. Actus Apoſtolorum cum Epiſtolis canonicis & Apocalypſin. Epiſ-

Ann. Ch. MLXXXVII. Sept. XVI.

tolas Pauli. Paralipomenon. Super Cantica Canticorum Origenis, Gregorii & Berengarii. Johannem Chryſoſtomum de reparatione lapſi. Dialogum, quem ipſe cum Alberico diacono edidit de miraculis monachorum loci iſtius. Dialogum aliud. Dialogum de vita ſancti Benedicti. Hilarius myſteriorum & hymnorum. Sedulium de Evangeliis. Juvencum de Evangeliis. Medicinalis. Pſalterium. Creſconium de bellis Libicis. Verſus Arichis, Pauli & Caroli. Verſus Paulini, Ciceronem de natura deorum. Inſtituta Juſtiniani, Novellam ejus. Terentium. Horatium cum Geometria. Ovidium Faſtorum. Senecam. Virgilium cum Egloga Theodori. Donatum.

52. Hoc præterea tempore latrones noctu hujus noſtri monaſterii ingreſſi cellarium, carnes, caſeum, lardumque ſurripientes, ſuos his mercibus ſacculos impleverunt: foras autem egreſſi, ſacculos quos impleverant levare conati, minime potuerunt. Dein relicta ſarcina, tentantes fugam, per totius excurſum noctis monaſterii clauſtra circumeuntes, nullam egrediendi facultatem penitus conſequi valuerunt, &c. Hoc præterea tempore fames maxima per totam fere Italiam facta eſt. Tunc Deſiderius cum fratribus communicato conſilio, cibos indigentibus abundanter conferebat. LXIV.

Fames.

53. Anno autem Dominicæ incarnationis milleſimo octogeſimo-quinto, indictione octava, cum venerabilis ac ſemper recolendæ memoriæ domnus Gregorius ſeptimus papa apud Salernum infirmitate magna detineretur, interrogatus ante diem tertium obitus ſui ab Epiſcopis & Cardinalibus, qui tunc una cum Deſiderio præſentes erant, quid poſt ſuum obitum de Romanæ ſedis ordinatione juberet: reſpondit, ut ſi umquam aliquo modo poſſent, eumdem Deſiderium ad hoc officium promoverent. Is enim præter id quod primus preſbyter cardinalis Romanæ tunc eccleſiæ eſſet, & prudentia maxima, & religione ſingulari, & Principum circummanentium amicitia multa polleret. Si vero hunc nullatenus flectere ad iſta valerent, aut archiepiſcopum Lugdunenſem Ugonem, aut Ottonem Oſtienſem, aut Lucenſem epiſcopum, quem prius ex his habere poſſent, in papam eligere poſt ſuum obitum quantocius feſtinarent. Hoc ſtatuto defunctus eſt, octavo ſcilicet Kalendas Junii, die Dominica, & honorabiliter intra eccleſiam beati Matthæi apoſtoli & evangeliſtæ ſepultus, cum ſediſſet in pontificatu annis duodecim, menſe uno, diebus tribus. Et quoniam Romana eccleſia paſtore deſtituta remanſerat, & hæretici atque ſchiſmatici more luporum illam nitebantur invadere, Deſiderius una cum Epiſcopis & Cardinalibus, necnon & laïcis religioſis, qui hactenus in catholica unitate, & obedientia papæ Gregorii fideliter perſtiterant, cœpit unanimiter agere, qualiter eam poſſet decentiſſime ordinare. Miſerunt ergo & convenire fecerunt undique aptas huic officio perſonas, quatinus ex eis unanimi conſenſu eam perſonam cum gratia & auxilio Dei eligerent, quæ idonea & apta tanto ordini eſſet. Convenientes poſt hæc ad prædictum abbatem Epiſcopi & Cardinales, cœperunt eum ſuper præfati Pontificis judicio appellare, utque in tanta temporis neceſſitate periclitanti ſubveniret Eccleſiæ, papatum ſuſcipiendo, inſtantiſſime flagitare. Ad hæc ille Papatum quidem ſe ſuſcipere obſtinatiſſima reſponſione recuſavit; aliis vero quibus ſciret & poſſet modis, ad Romanæ eccleſiæ ſervitium ſe paratum eſſe ſpopondit. Die Pentecoſtes Savinenſi epiſcopo & Gratiano Roma venientibus occurrit, eiſque verba, quæ cum papa Gregorio de Eccleſiæ ordinatione habuerat, retulit; pariterque cum eis Jordanum principem & Raynulfum comitem adiit, atque ad ſervitium & adjutorium Romanæ eccleſiæ adhortatus, libentiſſime ad omnia paratos invenit. Cœpit deinde Cardinalibus vehementer inſiſtere, ut de Pontificis eligendi perſona quantocius deliberarent, & ut ad comitiſſam Mattildam litteras mitterent, quatinus ſtuderet, ut & ii, quos prædiximus, Epiſcopi, & quotquot idoneæ tanto officio LXV.

Defuncto Pontifice.

Papatum ſuſcipere renuit.

ANN. CH. MLXXXVII. SEPT. XVI. perſonæ judicarentur, Romam ſine tarditate venirent. Quod illi facere negligentes, cum Jordano principe clam machinabantur eidem Abbati paſtoralem curam injungere, & ſuaſionibus multis nitebantur eum quoquo modo Romam perducere, putantes violenter ſe id ei poſſe imponere. quod ipſe perſentiens, omnimodo renuere & contradicere cœpit; ſicque ad hoc monaſterium reverſus, iterum Normannos & Langobardos, & omnes quotquot potuit, hortari ad Romanæ eccleſiæ ſervitium cœpit, & multos ex eis promtos & paratos ad rem ipſam invenit. Sed quia fervor æſtatis nimius erat, propterea tunc Romam ire diſtulerunt, quouſque ſe & calor æſtatis imminueret, & tempora infirma tranſirent. Poſtquam vero Princeps conducto exercitu hujus rei gratia Romam eundi Campaniam venit, comitantibus etiam ſe una cum Deſiderio nonnullis partium iſtarum Epiſcopis, ipſe ſuſpectus prædictorum conſiliorum amplius procedere noluit, dicens quod, niſi Jordanus princeps & comes Raynulfus, & Epiſcopi Romani fidem ſuam ſibi præſenti darent, nullam ſuper hac re vim illi illaturos, neque alios inferre paſſuros, ipſe cum eis nullatenus pergeret. Renuentibus facere, hac de cauſa res tunc infecta remanſit.

LXVI. 54. Jam fere annus in tali fluctuatione tranſierat, quo in ſede Apoſtolica nullus paſtor erat, nullus Dominici gregis curam gerebat, & Guibertus hæreſiarcha oves Chriſti ſanguine redemptas, ſuis cum ſequacibus laniabat, cum circa paſchalem feſtivitatem Epiſcopi & Cardinales Romanæ eccleſiæ de diverſis partibus Romam convenientes, mandaverunt prædicto Abbati, ut una cum Epiſcopis & Cardinalibus Romanis, qui ſecum tunc morabantur, & cum Giſulfo Salernitano principe, qui tunc à ciſalpinis partibus venerat, ad eos quantocius pergerent, quatinus de Romanæ eccleſiæ ordinatione ſimul tractarent. Ille nihil ſuſpicans de ſe jam illos aliquid cogitare, cum jam nulla de eo mentio ab aliquo fieret, aſſumtis præfatis omnibus, Romanam pervenit ad urbem. Eo die quo applicuit, in vigiliis Pentecoſtes, inſtante Deſiderio, ut pontificatus apex perſonarum earum injungeretur alicui, quæ vel ipſis vel ei videbantur idoneæ, renuerunt prorſus omnis Romanus & clerus & populus conſentire. Per totam autem ipſam diem, multa frequentia, quotquot catholicæ parti favebant, tam clerici quam laïci, ad eum convenientes, jam circa veſperam congregati ſunt pariter omnes, tam Epiſcopi & Cardinales, quam & ceteri Romani, qui in fidelitate beati Petri Apoſtolorum principis perſeverabant, in diaconiam ſanctæ Luciæ, quæ eſt juxta Septe-ſolis *, cœperuntque omnes unanimiter Deſiderium multis precibus obſecrare, ut Romanum pontificatum ſuſcipere non recuſaret; eumque obteſtare per divina, per humana omnia, ut ſubveniret periclitanti Eccleſiæ in naufragio conſtitutæ, multotiens ad genua ejus, nonnullis lacrymantibus, omnes pariter ruentes. Deſiderius vero, qui jamdudum decreverat vitam ſuam in quiete tranſigere, & qui magis optabat in divina peregrinatione ſuum tempus finire, cœpit omnimodis refutare, & hoc ſe numquam conſenſurum firmiter repromittere. Inſtare illi vehementer, perſeveranter inſiſtere; ipſe vehementius reniti, reſiſtere perſeverantius, dicens: Pro certo ſciatis, quia ſi aliquam mihi violentiam ſuper hoc intuleritis, ego quidem, prout citius potuero, Caſinum redibo, & nullo modo umquam inde me intromitto; vos autem propter hoc, ridiculum magnum & vobis & Romanæ eccleſiæ facitis. quia tardior jam hora proceſſerat, imminente jam nocte, ad ſua quique reverſi ſunt. Summo mane, Dominica Pentecoſtes, omnes unanimiter ad eum iterum convenientes, eadem cœperunt repetere; & ipſe nihilo minus in ſemel fixa ſententia perdurare. Videntes ſe omnino jam nihil proficere, dixerunt Deſiderio preſbyteri & Cardinales epiſcopi, quoniam quemcumque ipſe illis conſuluiſſet, ipſum illi parati eſſent eligere. Unde cum

* *f.* Septizonium.

Cencio Romanorum conſule conſilio habito, tandem ut Oſtienſis epiſcopus papa eligeretur, decrevit. Poſt hæc quæſierunt ab eo, ut ipſum pontificem, quem eligerent, in Caſinenſi monaſterio reciperet; eumque donec Eccleſia tranquillaretur, cum ſuis omnibus ſuſtentaret, ſicut & de ſupradicto papa Gregorio fecerat. quod Deſiderius libentiſſime facere repromiſit, & per ferulam quam manu geſtabat, eos in fide ſua de hoc inveſtivit. Cum autem jam jamque de Oſtienſi Epiſcopo decernerent, repente iterum quidam de Cardinalibus contra Canones hanc eſſe electionem affirmans, nequaquam ſe conſenſurum clamavit. Illis pro tempore, pro neceſſitate hoc ferre oportere adſtruentibus, nequaquam eum ad ſuam ſententiam flectere valuerunt. Verum ut ſapientum Salomon ſapiens atteſtatur, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Deum. Mox enim Epiſcopi & Cardinales una cum clero & populo in Deſiderii duritiam ſtomachantes, & videntes ſe nil poſſe cum eo precibus agere, ſtatuerunt violenter cauſam perficere. Tandem itaque univerſi pariter uno conſenſu & animo illum capientes, invitum & renitentem attrahunt, & ad eccleſiam prædictam Chriſti martyris Luciæ perducunt, ibique eum juxta morem eccleſiæ eligentes, Victoris ei nomen imponunt. Sed quoniam hæc omnia, ut diximus, contra ejus animum & voluntatem fecerunt, cappam quidem rubeam induebat, albam vero numquam ei potuerunt induere.

ANN. CH. MLXXXVII. SEPT. XVI.

Eligitur.

55. Eo igitur tempore præfectus Imperatoris à duce & ejus matre dimiſſus, propter illud videlicet odium, quod Epiſcopi & Cardinales, faciente tamen Salernitano principe, Salernitanum archiepiſcopum ſacrare noluerunt, die, noctuque cum aliquantis ære iniquo conductis in capitolium contra eumdem Electum conveniens, perſecutiones ei maximas intulit. Poſt quatuor dies idem Electus Romam egreſſus, venit Ardeam, ibique per triduum remoratus, abiit Terracinam, ab inde crucem & chlamydem & cetera Pontificatus inſignia ita dimiſit, ut eis ulterius uti nullo umquam modo perſuaderi potuerit, decernens potius omni vitæ ſuæ tempore in divina peregrinatione vitam finire, quam tanti ordinis faſcibus graviſſimis colla ſubmittere. Inſiſtebatur ei quotidie precibus, lacrymiſque creberrimis, objiciebantur eccleſiarum magna diſcrimina, ingerebatur plurimarum perditio animarum, quibus ei manifeſtiſſime divina indignatio intendebatur; ſicque Caſinum reverſus eſt. Ceterum per anni totius curriculum adeo mentis ejus propoſitum immobile perſtitit, ut nullis omnino argumentis ad eorum potuerit hortamenta, precationeſque deflecti. Non tamen ob hoc Cardinales & Epiſcopi, qui cum eo erant, aliquatenus quieſcentes Jordano principi inſtare cœperunt, ut quantocius properaret, & propter conſecrationem ejuſdem Electi Romam cum eis pergeret. Qui cum magno exercitu ad hoc monaſterium veniens, partim dehortatione ipſius Electi, partim timore æſtatis ulterius progredi nolens, reverſus eſt.

LXVII. Româ diſcedit.

Caſini moratur.

56. Sequenti anno, mediante Quadrageſima, apud Capuam concilio Epiſcoporum congregato, cum prædictus Electus una cum Epiſcopis & Cardinalibus Romanis eidem concilio præfuiſſet, Cencius etiam Romanorum conſul cum aliis nobilibus Romanis, & Jordanus princeps, & Rogerius dux cum omnibus fere ſuis optimatibus interfuiſſet, poſt finem concilii rurſus inſperate, & nihil eo de his ſuſpicante, cum multis precibus lacrymiſque à clericis & laïcis perurgeretur, biduo immobilis perſtitit. Tandem cum Dux & Princeps, una cum Epiſcopis, ceteriſque catholicis viris, flentes ejus pedibus adjacerent, multis rationibus & orationibus coactus vix tandem ſuccubuit, & præteritam electionem crucis & purpuræ reſumtione firmavit, duodecimo ſcilicet Kalendas Aprilis, dominica in Ramis palmarum. Inde Caſinum reverſus, ibidem Paſcha celebravit. Per-

LXVIII. Concilium Capuæ.

ANN. CH. MLXXXVII. SEPT. XVI.

acta feſtivitate, cum Capuano, ac Salernitano principe Romam perrexit, ac juxta civitatem Oſtienſem Tiberim cum omnibus tranſiens, cum gravi infirmitate detineretur, extra porticum ſancti Petri tentoria fixit: & quoniam Ravennas hæreſiarcha *, qui vivente papa Gregorio, papatum invaſerat, eccleſiam ſancti Petri armata manu tenebat, non integro die à militibus Principis, Dei auxilio expugnata & recepta eſt. Dominico vero die poſt dominicam aſſcenſionem, multis Romanis & omnibus fere tranſtiberinis ſollemniter cum maxima frequentia occurrentibus, præfatus Electus à Romanis Epiſcopis, Oſtienſi videlicet, Tuſculanenſi, Portuenſi atque Albanenſi, Cardinalibus quoque & Epiſcopis, atque Abbatibus quamplurimis aſſiſtentibus, more eccleſiaſtico conſecratus, & in Apoſtolicam ſedem locatus eſt, ſeptima Idus Magi. quo etiam die corpus ſancti confeſſoris Chriſti Nicolai à civitate Mirenſi, in qua per annos ſeptingentos ſeptuaginta quinque quieverat, Barim delatum eſt. Prædictus autem Pontifex per octo circiter dies Romæ remoratus, una cum prædictis Principibus, ad hoc monaſterium rediit.

* Guibertus.

Romæ conſecratur.

Caſinum redit.

LXIX.

57. Poſt exiguum vero temporis ſpatium comitiſſa MATHILDIS urbem adiens, magnis eumdem pontificem ſupplicationibus per legatos interpellavit, quatinus ejus frui aſpectibus, ejus potiri colloquiis mereretur. Eam quippe cauſam ſibi Romam veniendi fuiſſe permaximam ſuggerebat. Cogebat corporis languor loco non abſcedere; ſed quia pro ſanctæ utilitate Eccleſiæ omnibus ſe diſpoſuerat vel extremis periculis objectare, iter per mare aggreſſus eſt. Cumque ad Urbem perveniſſet, à Comitiſſa & ejus exercitu, ac ceteris beati Petri fidelibus devotiſſime, officioſiſſimeque ſuſceptus eſt, atque apud eccleſiam beati Petri octo diebus permanſit. Deinde in feſtivitate ſancti Barnabæ ſuper altare ſancti Petri miſſam ſollemniter celebrans, eadem die, auxilio & ope præfatæ Comitiſſæ, per Tranſtiberim Romam intravit. Tranſtiberim tunc totam, Romanorumque permaximam partem, & nobilium, pæne omnem populum, caſtellum quoque ſancti Angeli, baſilicam beati Petri, civitatem Oſtienſem ac Portuenſem in ſui juris ditione tenebat; morabatur vero apud Inſulam Romæ, quæ & ipſa ſui juris exſtabat. Die igitur, qui Apoſtolorum natalitia præcedebat, nuntius quidam, quaſi ex Imperatoris parte adveniens, omnes Conſules, Senatores ac populum Romanum de corona ſummovit Imperii, cum ſubito Romani pervenientes, præter beati Petri eccleſiam, univerſa ceperunt; eccleſiam vero ipſam, quam ſupradicti Pontificis homines deſuper tenebant, ingredi nullo modo potuerunt. Sed quia Guiberti hæreſiarchæ multitudo permaxima erat, hi qui ex parte papæ Victoris erant, contra tantam hoſtium manum obſiſtere non valentes, in Tranſtiberim, ſive in caſtellum ſancti Angeli diſceſſerunt. Jam die mediante in eccleſia ſanctæ Mariæ in turribus Ravennas hæreſiarcha Miſſam cantavit. nam utrumque campanile, igne & fumo ſubpoſito, cœperat; ſole autem jam ad occaſum vergente, hi qui in eccleſia ſteterant, palam cum armis ſuis deſcendentes, reverſi ſunt. Ita, heu, pro dolor! apoſtolica & univerſalis beati Petri eccleſia, eo die, quo ejus præcipue feſtivitas exſtitit, omni tam nocturno quam diurno officio caruit. Sic Guiberti hæreſiarchæ ſpes fruſtrata eſt, qui in Apoſtolorum ſollemnitate miſſas illic celebrare affectabat. Altera die ab hæreticis apoſtolicum altare lotum, & miſſa eſt ibi peracta. Die vero ſequenti omnes ad propria ſunt reverſi, & eadem eccleſia in ditionem papæ Victoris rediit. Eo itidem tempore, dum quidam peregrini orationis gratia ad beatum Benedictum venirent, obvius illis quidam vir canonicus factus eſt, quem quis eſſet interrogantes, Petrum apoſtolum ſe eſſe reſpondit. Et illi: Quo tendis? Et ſanctus Apoſtolus: Vado ad fratrem Benedictum, ut cum illo paſſionis meæ diem celebrem. nam Romæ conſiſtere

Romam adit.

Ubi turbæ.

non valeo. Variis enim procellis eccleſia mea deprimitur. Quod dum fratribus viri illi poſtmodum reſeraſſent, ad ſuccedentium memoriam conſtituerunt, ita tanti Apoſtoli feſtivitatem ſicut & patris Benedicti, cum maxima devotione ſollemniter celebrare. *Capite ſequenti agit de variis tumultibus à Guiberto ac ejus ſequacibus excitatis, & de coronatione Henrici.* ANN. CH. MLXXXVII. SEPT. XVI.

58. Æſtuabat interea ingenti deſiderio idem Victor apoſtolicus, qualiter Saracenorum in Africa commorantium confunderet, conculcaret, atque contereret infidelitatem. Unde cum Epiſcopis & Cardinalibus conſilio habito, de omnibus fere Italiæ populis Chriſtianorum exercitum congregans, atque vexillum beati Petri apoſtoli illis contradens, ſub remiſſione omnium peccatorum, contra Saracenos in Africa commorantes direxit: Chriſto igitur duce, Africanam devoluti dum eſſent ad urbem, omni niſu illam expugnantes, Deo adjuvante cœperunt, interfectis de Saracenorum exercitu centum millibus pugnatorum. Quod ne quis ambigat hoc abſque voluntate accidiſſe divina, illo die, quo Chriſtiani de Saracenis victoriam adepti ſunt, eo etiam Italiæ divinitus patefactum eſt. LXXI. Expeditio in Africam.

59. Præfatus autem Victor papa tertius Urbem egrediens venit ad hoc monaſterium, ſociatiſque ſibi Epiſcopis & Cardinalibus eccleſiam ſancti Nicolai in Pica ſollemniter dedicavit. Menſe autem Auguſto ſynodum celebrare cum Epiſcopis Apuliæ & Calabriæ, necnon Principatuum ſtatuens, Beneventum perrexit, in qua videlicet idem Apoſtolicus præſidens, ait: Novit dilectio veſtra, &c. *Multa oratione complectitur adverſus Guibertum, quem anathematizat: tum conqueritur adverſus Hugonem Lugdunenſem & Richardum abbatem Maſſilienſem deſertores. Declarat excommunicatorum conſortium ita fugiendum eſſe, ut debeant fideles potius abſque ſacramentis vivere & mori, quam eorum communione pollui. Exſtat in tomo 2. Spicilegii Acheriani pag.* 405. *Hugonis Lugdunenſis epiſtola ad Mathildem Comitiſſam, in qua diluere conatur ea quæ ſibi hac in re impoſita fuerant. Multum invehit in Deſiderium in epiſtola altera ad eamdem Mathildem, quam Hugo Flaviniatenſis abbas integram inſeruit in Chronico Virdunenſi, apud Labbeum tomo* 1. *Bibliothecæ novæ pag.* 233. *Sed has calumnias expungit unanimis ſcriptorum hujus ævi graviorum conſenſus, qui multis laudibus Victorem celebrarunt. Sic de eo habet Chronographus noſter mſ. Saxonicus ad annum* MLXXXV. Hildebrandus papa, qui & Gregorius VII. apud Salernam exulatus moritur, & ibidem in eccleſia ſepelitur, cui Normannorum ex Apulia & Machtildis potentiſſimæ per Italiam feminæ cunctorumque ejuſmodi ſectam æmulantium aſſenſu, Deſiderius Cardinalis Romanus & abbas Caſinenſis, verus Chriſti famulus, licet multum corde ſimul & corpore renitens ſubſtituitur, Victor nominatus. Etenim cum infirmitate gravi laborans ad ſummum hunc apicem invitus, immo captivus proveheretur, precibus obtinuit, ut infra non multos dies ab hac vita tolleretur. *Eadem ferme habet Trithemius ad laudatum annum* MLXXXV. *in editione Sangallenſi Chronici Hirſaugienſis. qui & eumdem pontificem aliis quoque locis paſſim celebrat. Quæ vero poſt Capuanam ſynodum geſta fuerint, ex Petro Chronicum proſequente diſcamus.* LXXII. Synodus Beneventi.

60. In eodem vero Concilio idem Pontifex graviter infirmatus, poſt actum per tres dies concilium, feſtinanter Caſinum rediit, atque cum Epiſcopis & Cardinalibus ad hoc monaſterium aſcendens, in Capitulum fratrum ſe ferri præcepit, & ſub diſtrictiſſimo anathemate interdixit, ne quis ſucceſſorum ſuorum auderet vendere, vel alienare terraticum, eccleſias, villas, vel quaſcumque poſſeſſiones huic Caſinenſi cœnobio pertinentes. Simili modo interdixit, ne quis monachorum auderet facere chartam, vel libellum abſque ſcientia abbatis ſui. quod ſi feciſſet, irritum eſſet. Conſtituit etiam tunc, ut omnia monaſteria, quæ ſub ditione hujus noſtri Caſinenſis cœnobii ſunt, prandium per unumquemque annum huic noſtræ LXXIII.

Digitized by Google

ANN. CH MLXXXVII. SEPT. XVI. congregationi faciant. Hoc ſtatuto omnium monachorum unanimi conſenſu, præfatis Epiſcopis in eodem Capitulo reſidentibus atque confirmantibus, domnum ODERISIUM, religioſum valde virum, & Romanum diaconum, qui tunc in hoc noſtro monaſterio præpoſituræ fungebatur officio, abbatem conſtituit. Poſt hæc convocatis eiſdem Epiſcopis atque Cardinalibus, monuit atque præcepit, ut juxta quod prædeceſſor ſuus papa Gregorius jamdudum decreverat, Ottonem Oſtienſem epiſcopum in papam eligere, quanto poſſent citius, perſtuderent; eumque, quia præſens erat, manu apprehendens ceteris Epiſcopis tradidit, dicens: Accipite eum, & in Romanam eccleſiam ordinate; meamque vicem in omnibus, quouſque id facere poſſitis, habete. His ita diſpoſitis atque decretis, ſepulcrum ſibi conſtrui in abſida ipſius Capituli juſſit, atque poſt diem tertium feliciter migravit ad Dominum, ſexto-decimo Kalendas Octobris, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo octogeſimo-ſeptimo, à patris autem Benedicti tranſitu anno quingenteſimo ſeptuageſimo-nono, cum præfuiſſet in hujus monaſterii regimine annis viginti novem, menſibus quatuor, dies ſexdecim; in ſede vero Apoſtolica ab ipſo ſuæ electionis exordio anno uno, ſacrationis menſibus quatuor, dies ſeptem. *Eum diſſenteria diſſolutum obiiſſe ſcribit Sigibertus in chronico ad annum* MLXXXVI. *Alii veneno illum periiſſe aiunt; unde nonnulli Martyris ei titulum dedere, quod hoc pacto ob Eccleſiæ defenſionem ab ejus inimicis veneno necatus poſſit dici.*

Oderiſius abbas.

LXXIV. 61. Iſta præterea ornamenta idem papa Victor ad mortem ſuam in hoc monaſterio dereliquit. quæ omnia fere poſt dedicationem eccleſiæ partim ipſe cum fratribus hujus cœnobii acquiſivit, partim ab aliis in pignore poſita recollegit. Planetæ diaſpræ deauratæ quinque, & tres ſine auro; diarodanæ tres deauratæ, diapiſti duæ, & alia cetrina; purpureæ deauratæ ſeptem, & aliæ quinque purpureæ, & duæ exametæ; planeta Johannis medici; planetæ quotidianæ ſex, quadrageſimales quatuor. Dalmaticæ paratæ octo, & aliæ undecim. Tunicæ paratæ quinque, & aliæ decem & novem; propter incenſum quinque. Pluviales auro ornatos triginta octo, & alios octoginta ſeptem. Albas lineas centum nonaginta tres, de ſerico decem. Stolæ deauratæ cum manipulis ſuis decem & novem; de argento cum manipulis ſuis tres: ſtolæ aliæ decem & octo. Semicinctia ſeptem. Fanones aurei pro ſubdiaconibus tres, & alii quatuordecim. Camiſi magni deaurati cum amictis ſuis duo; & alii de ſerico ſeptem. Panni de altari ſancti Benedicti facies una cum margaritis, & altera facies deaurata; coopertoria cum auro tria, & duo ſine auro; circitoria magna & optima undecim. Panni de altare ſancti Johannis, circitoria quinque & coopertoria quinque. Panni de altare ſanctæ Mariæ facies una purpurea cum auro, coopertorium cum ſmaltis, circitoria quatuor, opertoria quatuor. Panni de altare ſancti Gregorii, circitorium aureum & alios quatuor ſine auro, opertoria quatuor, doſſales magni decem & novem, doſſales minores triginta. Oſtiaria * ſeptem. Calices aurei duodecim cum patenis ſuis: ſeptem majores, & quinque minores; fiſtula aurea cum angulo. Calices argentei Saxonici duo, & alii argentei ſeptem; fiſtulas argenteas duas. Thuribula de auro duo, de argento deaurata duo; alia argentea maxima duo, & alia argentea octo. Candelabra de cryſtallo parium unum, & aliud parium argenteum cum onychino, & aliud parium argenteum cum malis cryſtallinis, & alia candelabra quinque. Duæ laternæ argenteæ magnæ, & una quotidiana. Evangelium ipſius, Evangelium Imperatoris, Evangelium papæ Stephani, Evangelium Imperatricis. duo Evangelia fratris Firmi, Evangelium abbatis Aligerni. Duo Sacramentoria cum argento. Epiſtolaria duo, unum cum tabula aurea, aliud cum tabulis argenteis. Regulam ſancti Benedicti cum tabulis argenteis. Capſa magna argentea cum gemmis & ſmaltis. Scrinia argentea

* f. Hoſtiaria.

argentea duo. Duas cruces aureas magnas cum gemmis, & duæ aliæ aureæ minores, & tres argenteæ ad proceſſionem. Candelabrum. Urceum cum aquamanili ſuo. Fumigatorium græcum; aliud cum nigello. Urceum cum ſmaltis. omnia hæc argentea. Pixis aurea cum ſmaltis pro corpore Domini, & alia major argentea cum nigello. Coppetellæ de pernis tres. Calices onychinos duos. Bacilia argentea paria duo. Centum libras auri non laborati. Stolæ aureæ duæ. Fanonem imperialem totum aureum. Scaramangæ Imperatorum duodecim. Coronam de argento ſuper altare ſancti Johannis cum crucibus quinque, & aliam crucem græcam. Coronam argenteam deauratam, & lapidibus pretioſis ornatam, ferens ſex cruces; aliam coronam ſuper altare ſancti Benedicti, ferens tres cruces lapidibus pretioſis ornatas. In ſancto Nicolao, coronam argenteam, & crucem argenteam fuſam. Coronæ argenteæ, quas in veteri eccleſia invenit, undecim. Hæc de reverendiſſimi Victoris tertii papæ vita & moribus, ac loci iſtius renovatione ſeu adornatione breviter dicta ſufficiant. Ceterum quamdiu mundi iſtius orbita volvitur, ejus laudabile meritum ſemper accipit incrementum per Jeſum-Chriſtum Dominum noſtrum, qui vivit & regnat cum Patre & Spiritu-ſancto in ſæcula ſæculorum. Amen. *Hic ſubjicimus epitaphium, quod hodieque viſitur inſcriptum ejus ſepulcro, in capella ſancti Berthari.* ANN. CH. MLXXXVII. SEPT. XVI.

EPITAPHIUM VICTORIS PAPÆ III.

Quis fuerim, vel quid, qualis, quantuſve doceri
Si quis forte velit, aurea ſcripta docent.
Stirps mihi Magnatum, Beneventus patria, nomen
Eſt DESIDERIUS, tuque Caſine decus.
Intactam ſponſam, matrem, patriamque, propinquos
Sternens huc propero, monachus efficior.
Abbas dehinc factus, ſtudui pro tempore totum,
Ut nunc aſpicitur, hunc renovare locum.
Interea fueram Romana clarus in urbe,
Preſbyter eccleſiæ, Petre beate, tuæ.
Hoc ſenis luſtris minus anno functus honore,
VICTOR Apoſtolicum ſcando dehinc ſolium.
Quatuor & ſemis vix menſibus inde peractis,
Bis ſex luſtra gerens, mortuus hic tumulor.
Solis virgineo ſtabat lux ultima ſigno,
Cum me Sol verus hinc tulit ipſe Deus.

62. *His quæ de Deſiderio ſeu Victore diximus ex Leone & Petro ejus continuatore, nihil fere adjiciendum occurrit, cum animus non ſit ea quæ in vulgatis auctoribus de eo habentur, huc referre. Ejus memoriam ipſa Septembris* XVI. *die, qua ei ultima fuit, celebrant faſti Benedictini & Ferrarius in Catalogo generali Sanctorum. Sacra ejus oſſa ex antiquo ſepulcro in ſacellum beati Berthari tranſlata ſunt anno* MDXV. *cum vero idem ſacellum, jam ab annis multis inchoatum, anno tandem* MDCLXVI. *plane conſummatum fuiſſet, beati Pontificis reliquiæ ſollemni pompa ibidem ad altaris dexteram partem locata ſunt ab Illuſtriſſ. præſule Angelo de Nuce, tunc temporis ſacri Montis abbate, poſtea Roſſanenſium archiepiſcopo, ut ipſe narrat in notis ad caput 73. libri 3. Chronici Caſinenſis. Porro locum inter eccleſiaſticos ſcriptores meruit Victor, cujus opuſcula recenſet Petrus Diaconus in libro de viris illuſtribus monaſterii Caſinenſis capite* 18. De miraculis, *inquit*, quæ à beato Benedicto & à monachis Caſinenſibus geſta ſunt, una cum Theophilo diacono libros edidit quatuor. Cantum etiam beati Mauri compoſuit, &c. factus Pontifex ſcripſit ad Philippum regem Francorum, ad Ugonem Clu- Victoris memoria & reliquiæ. Opuſcula.

niacenſem abbatem quamplures epiſtolas. Ex his Dialogorum libri tres editi ſunt, quarto nondum reperto.

Oderiſius abbas.

63. Oderisius, hujus nominis primus, ex nobili Marſorum Comitum familia exortus, à Richerio abbate in monaſterium ſuſceptus fuit. qui abbas, ut auctor eſt Petrus libro 4. Chronici Caſinenſis cap. 1. cernens eum luxus ſæculi ſpernere, divinis lectionibus intentum eſſe, contemplativam vitam inhianter appetere, & regularis vitæ egregium ſectatorem, & Caſinenſem abbatem illum futurum eſſe prædixit. Quod re ipſa contigit, ut ſupra ex capite 73. libri 3. ejuſdem Chronici ſupra num. 60. diximus, cum jam eſſet Romanæ eccleſiæ Cardinalis, atque eo potiſſimum nomine Urbani II. electioni interfuiſſet, à quo poſtmodum monaſterii privilegiorum confirmationem accepit. Eo ſedente idem Pontifex ſemel & iterum Caſinum venit, ubi beati Benedicti interventu à lateris dolore liberatus fuiſſe dicitur libro 4. Chronici capite 5. qui Johannem Caïetanum, Caſinenſem à puero monachum, in ſacrum Cardinalium Collegium cooptavit, ut habetur capite 7. Porro Oderiſii tempore multæ donationes ac bonorum reſtitutiones ſacro loco factæ fuerunt, quæ paſſim in libro laudato memorantur. Ejus vero amicitiam coluere viri potentes non ſolùm Itali, ſed etiam in exteris & longinquis regionibus degentes. Ejus tempore Alexius Conſtantinopolitanus imperator ſancto Benedicto tranſmiſit veſtem de dorſo ſuo oxi deauratam, (Chlamydem imperialem valde deauratam interpretatur Angelus de Nuce) Oderiſius autem Alexium participem fecit omnium bonorum operum, quæ in ſacro Monte fierent. Sicelgaita duciſſa, uxor Roberti Guiſchardi, erga beatum Benedictum devotiſſima, obtinuit ut in ejus monaſterio ante baſilicam beati Petri in ipſo paradiſo, id eſt atrio, tumularetur. quod anno MXC. contigit. Ibidem ſepultus eſt Jordanus princeps Capuanus. Publicata vero per Urbanum pontificem ſacra expeditione, multi Cruce-ſignatorum per Italiam in Orientem perrexerunt, quibus religio fuit, inſalutato patre Benedicto, tam periculoſum iter arripere. quare luſtrata Roma, per Caſinenſe monaſterium, inquit Petrus libro 4. Chronici capite 11. tranſeuntes, Benedicto patri ac fratribus ſe plurimum commendantes, Barum profecti ſunt. Ex his fuiſſe ſcribit idem auctor, Robertum comitem Flandriæ, Robertum comitem Normanniæ & Hugonem magnum, [Philippi regis fratrem] Guillelmum Marchiſii filium, cum aliis pluribus.

Ejus fortitudo, &c.

64. In tuendis monaſterii bonis adverſus invaſores haud ſegnis fuit Oderiſius, hinc cum Rainaldus caſtrum Fractarum quod ad monaſterii jus pertinebat, invaſiſſet, eum prius debite monitum, ſed contemnentem, ante patris Benedicti corpus excommunicavit, & caſtrum armis recepit. Nec Rainaldus anathemate ſolutus eſt, donec diſcalceatis pedibus publice coram multis viris nobilibus ac eccleſiaſticis ſatisfeciſſet, uti narratur libro laudato capite 9. Monaſterium novis ædificiis exemplo Deſiderii ſui prædeceſſoris ornaſſe dicitur Oderiſius cap. 3. Eccleſiam vero ſancti Martini, quam idem Deſiderius imperfectam reliquerat, complevit ac dedicari curavit, cui ſollemnitati ſex adfuere epiſcopi, inter quos erat Rainaldus, paullo ante ex monacho Caſinenſi factus Cajetæ epiſcopus. qui quidem antiſtes anno MXCIII. ſancti Andreæ eccleſiam conſecravit. Tertiæ eccleſiæ, ſancti ſcilicet Stephani, dedicationem curavit Oderiſius per Benedictum Terracinæ epiſcopum fieri. quâ in eccleſia cum beatorum Paulini & Augustini, diſcipulorum ſancti patris Benedicti, corpora inveniſſet, ea inde elevans, ut habet Petrus capite 23. in muro eccleſiæ ſancti Andreæ reverenter locavit.

Pietas in defunctos.

65. Occaſione ſenis cujuſdam monachi, qui dæmonis fallacia deceptus interierat, & beati Benedicti interventu inter cælites fuerat admiſſus, conſtituit abbas Oderiſius, ut quotquot fratres obirent, tot etiam pauperes uſque ad triceſimum diem ad mandatum hoſpitum addi deberent: adjuncto inſuper uno paupere pro anima Deſiderii ſui prædeceſſoris; & omni tempore cum à Capitulo fratres ſurgunt, cantent pro defunctis pſalmos quatuor, & quotquot fratres defuncti fuerint, tot etiam pſalmi de canticis Graduum ſuper præfatos quatuor, uſque ad diem triceſimum addantur. Inſuper ſexta fe-

ria per totum annum, mox ut miſſa defunctorum expleta fuerit, pſalmos decantantes ad cimiterium pergant; ibique dantes orationem, poſtea de more capitulum ſolvant. *Eidem Oderiſio abbati locum inter ſcriptores eccleſiaſticos tribuit Petrus diaconus in libro de viris illuſtribus capite 28. ſed ejus opera non recenſet*, quia *inquit*, præ manibus habentur. *Ejus vero elogium paucis his verbis abſolvit: Oderiſius* humilitate ſummus, caſtitate pudicus, ſpirituali lumine præditus, verſificatorque mirabilis. *Oderiſii epiſtolam ad monachos Floriacenſes refert Lauretus in libro de exſiſtentia corporis ſancti Benedicti in monaſterio Caſinenſi capite 26. Obiit anno* MCV. *die* IV. *Nonas Decembris, qua die memoria ejus cum* Beati *titulo in faſtis Benedictinis celebratur apud Arnoldum Vvionem, Hugonem Menardum, Gabrielem Bucelinum &c. Die tamen 4. Decembris memoratur in Ferrarii Catalogo generali, & ex eo in Sanctuario Capuano Michaëlis Monachi. Sed de Abbatibus ſacri Montis hæc dicta ſufficiant: jam ad viros pios qui locum hunc ſæculo* XI. *exeunte illuſtraverunt, agendum eſt.*

ANN. CH. MLXXXVII. SEPT. XVI.

Obitus, &c.

66. *Primus occurrit Johannes monaſterii Lucenſis abbas ex monacho Caſinenſi, cujus geſta aliquot enarrat Deſiderius ſeu Victor III. papa in Dialogorum libro* I. *cujus verba huc proferre viſum eſt.* JOHANNES, *inquit*, ſanctæ recordationis preſbyter, qui in noſtro monaſterio decanatus officio aliquo tempore functus eſt, veſtri poſtmodum monaſterii, quod intra Lucenſem urbem conſtructum eſt, præpoſitus fuit. qui quantæ obedientiæ, quantæque humilitatis fuerit; plures qui eum noverunt monachi, & adhuc ſuperſunt, teſtes exſiſtunt. De mirabilibus vero, quæ per eum divina majeſtas operari dignata eſt, quia plura à memoria lapſa ſunt, quæ recolo pauca narrabo. Cum idem vir Dei jejuniis, vigiliis, orationibus; maximeque largitati eleemoſynarum eſſet intentus, tantam lacrymarum gratiam, Domino largiente, promeruit, ut dubium non eſſet, quod illæ lacrymæ multa apud Deum impetrare valuiſſent, quæ ex tam ſimplici humilique corde editæ fuiſſent. Cumque fama ſanctitatis ejus totam per eamdem urbem clareſceret, dæmoniaca quædam, quæ graviter vexabatur, ad monaſterium, cui ipſe præerat, adducta eſt. Et cum ab eis qui eam duxerant, ut pro ea Dominum precaretur, magnis precibus fuiſſet obſtrictus, convocatis fratribus oratorium intravit, atque multis effuſis lacrymis, preces pro ea Domino fudit, ſtatimque ab ea dæmonium effugavit.

Viri pii Caſinenſes.

JOHANNES abbas Lucæ.

Ejus miracula.

67. Sed neque hoc ſileam, quod veridicis viris de eodem venerabili viro narrantibus agnovi, quod videlicet ita clarum eſt, ut nullis pæne qui intra mœnia ejuſdem præfatæ urbis Lucenſis commorantur, occultum ſit vel incognitum. Cujuſdam namque illuſtris viri uxor infirmitate detenta jacebat in lectulo, quæ adeo creſcente languore ad extrema perducta eſt, ut per tres dies ſine ſenſu, ſine voce recubans, velut mortua haberetur. Cumque omnes qui aderant, funditus de ejus vita deſperarent, ad Dei hominem miſſum eſt, ut pro ea omnipotenti Domino hoſtias preceſque offerre dignaretur. At ille, ut erat benevolus animo, & ad ſupplicantium vota paratus, mox ſacerdotalibus indutus veſtibus, ad altare omnipotenti Deo ſacrificium oblaturus acceſſit. Igitur cum intra ſacra Miſſarum ſollemnia nomen illius memoraretur, illa in domo propria longe à monaſterio poſita, ex lectulo, in quo quaſi exanimis jacebat, tamquam ſi ab aliquo vocaretur, reſpondit: cumque ab illis qui aderant interrogaretur, quid diceret, vel cui reſponſum dediſſet, illa inquit: Dominus Johannes præpoſitus numquid non eſt hic? ipſe enim vocavit me, illique reſpondi. At illi obſtupefacti ex tam inuſitato, tamque obſtupendo miraculo, tum quia illam, quæ fere exanimis jacuerat, ſanam pæne & incolumem videbant; tum quia vocem illius tam longe poſiti ſe audiſſe referebat, ſtatim curaverunt ad monaſterium nuntios mittere, ut quid ſervus Dei ageret, agnoſcerent, & indicarent: procul dubio credentes, quod non abs re

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXVII. SEPT. XVI. mulier tam celeriter in lectulo ſurrexiſſet, reſponſumque dediſſet. Cumque illi, qui miſſi fuerant, ad monaſterii oratorium intraſſent, virum Dei invenerunt juxta altare ſtantem, ac pro ea longinquitatis auctori Domino ſacrificium offerentem: & ſubtiliter notantes horam, repererunt eodem momento, quo intra ſacra miſſarum ſollemnia nominata eſt, eam ex lecto ſurrexiſſe, reſponſumque dediſſe.

68. Felicis etiam memoriæ Alexander papa, vir diſertiſſimus ac eruditiſſimus exſtitit, qui primum Lucenſem, poſtmodum vero Romanam eccleſiam rexit: ex cujus ore, ea quæ nunc refero de eodem venerabili viro, audiſſe me contigit. Cum quodam tempore idem præfatus Pontifex febre correptus graviter ægrotaſſet, & quotidie languore creſcente vehementius fatigaretur, repente & ad memoriam rediit, quod fama vulgante de prædicto ſervo Dei ſæpius audierat. quod videlicet quicumque febre detentus hauſiſſet ex aqua, quæ de manibus ipſius defluebat, dum poſt miſſarum ſollemnia ablueretur, mox recepta ſanitate liberaretur. Latenter igitur miſit, qui ſibi ex illa aqua aliquantulum afferre debuiſſent; cumque hi qui miſſi fuerant, aquam quam poſtulaverat attuliſſent, mox ebibit; atque ita repente ſanitati priſtinæ reſtitutus eſt, ut nulla in eo languoris indicia remanerent.

Ex Leone Marſicano. 69. *Hæc eadem duo miracula iiſdem pæne verbis narrat Leo Marſicanus in Chronico Caſinenſi libro 2. cap. 93. ſubjungitque* multa alia de virtutibus prædicti Dei famuli *referri:* ſed quæ, *inquit*, non ſunt neque temporis, neque codicis hujus. *Paullo ſuperius dixerat, Johannem illum* genere ac cognomine Apulum, decanatus officio tempore non modico *functum fuiſſe in ſacro Monte*, virum ſupra cetera bonitatum ſuarum inſignia, compunctionis & lacrymarum gratia munere divino ditatum. *Monaſterii Lucenſis cui abbas præfectus fuit, idem auctor originem deſcribit loco laudato, ubi ait Heinricum & Rolandum germanos fratres, Lucenſis civitatis nobiles, ſedente Petro abbate Caſinenſi, cujus ſupra geſta retulimus, monaſterio Caſinenſi obtuliſſe* eccleſiam ſancti Georgii, quæ intra eamdem civitatem in eorum patrimonio ſita eſt, prope poſterulam, quæ dicitur Guirigala, ad monaſterium ibi conſtruendum, cum horto & puteo & caſis, &c. *atque* ad illud monaſterium conſtruendum ſive ordinandum *Johannem noſtrum* tranſmiſſum *fuiſſe. Johannis memoria cum* Sancti *titulo in Faſtis Benedictinis memoratur apud Menardum & Bucelinum die 22. Februarii; nullo tamen cultu publico celebratur, ut obſervat Bollandus eadem die in prætermiſſis. De anno ejuſdem extremo nihil diximus, quod nobis ignotus ſit.*

Monaſt. Lucæ origo.

Johannis memoria.

GUINIZO. 70. GUINIZONEM *proxime Johanni ſubjungit Victor in Dialogorum libro 1. ubi de ejus &* JANUARII *illius diſcipuli ſanctitate diſſerit. Eorum vitam à ſe ſcriptam laudat Petrus Diaconus in Chronici Caſinenſis libri 3. cap. 48. tum in capite ultimo de viris illuſtribus Caſinenſibus, ubi ſuorum ipſius operum Catalogum exhibet. Eam vero ex mſ. codice Caſinenſi à Godefrido Henſchenio erutam edidere Bollandiani die 16. Maii Socii: ſed cum nihil habeat alicujus momenti, præter ea quæ de illis in laudato Victoris Dialogo, & in Chronico Caſinenſi referuntur, viſum non eſt eam huc integram proferre. ſic vero de Guinizone loquitur Victor.* Vir venerabilis vitæ, Guinizo nomine, mente & habitu monachus fuit, qui ex ulteriori Hiſpania noſtrum ad cœnobium veniens, in hac vicina ſilva non parvo tempore vitam ſolitariam duxit, ibique in omnipotentis Domini Jeſu-Chriſti ſervitio vitam finivit. De quo venerabili viro JOHANNES abbas monaſterii ſancti Vincentii, ſiti juxta ortum Vulturni amnis, qui ei familiariſſimus fuit, multa miranda mihi, cum adhuc in noſtro monaſterio præpoſituræ curam gereret, referre ſolitus erat. *Guinizonem tunc temporis in Caſinenſi monaſterio degiſſe ſcribit Petrus in ejus vita, cum Pandulfus Capuæ princeps, pulſo abbate Theobaldo, Baſilium quemdam pſeudo-abbatem ſacro Monti præficere conatus eſt. De his vero turbis, quæ fuſe in Chronico Caſinenſi deſcribuntur, diximus, quantum ad rem noſtram ſpectabat, in priori hujus Sæculi parte;*

nunc autem quid tunc noſtro Guinizoni, à ſuis fratribus è ſolitudine in monaſterium revocato, ut eis opem ferret, contigerit, ex ejuſdem Chronici libro 3. *capite* 48. *dicendum.* His namque, *inquit Petrus ipſe Leonis Marſicani continuator*, temporibus Guinizo confeſſor almificus & hujus cœnobii monachus vita deceſſit. De cujus virtutibus, quia ad id loci decurrens pervenit hiſtoria, æquum plane videtur aliquanta opuſculo iſti annectere. Hic dum Baſilii perverſi temporibus, pro hujus cœnobii cauſis ad Theodinum ſervum, tunc in arce, quæ Bantra dicitur, reſidentem directus fuiſſet, rogatus ut ea nocte in ſupradicta arce remoraretur, extra cellam Guinizo nullatenus ſe manere poſſe reſpondit. Tunc Theodinus diabolico debriatus veneno, dum ſervum Dei orationis gratia eccleſiam intraſſe conſpiceret, cum ſumma diligentia claudi eccleſiam fecit. virgam vero, quam in manu ſervus Dei adduxerat, uxori ſuæ tradens, in arcam claudi præcepit. Sed humani generis Conditor atque Redemtor, qui in ſe ſperantes non deſerit, miſit angelum ſuum, qui ſalvo januarum ſignaculo eum de eccleſia abſtrahens, ad radices montis depoſuit. Ruſtici vero, ſole jam ad occaſum vergente, redeuntes à ruribus, percontati à caſtri habitatoribus, ſi quid novum in illis partibus nuperrime foret geſtum, reſponderunt ſe omnino nihil aliud vidiſſe, niſi quemdam hominem ſolivagum diſcalciatis pedibus, cambutam in manu portantem. Theodinus vero nequiſſimus ſervus hoc audiens, evocat confeſtim preſbyterum, & quid de Dei homine actum fuiſſet, ſollicite cœpit inquirere. Qui cum in eccleſia eum requiſiſſent, & non inveniſſent, ſtupore ſimul & admiratione ingenti repleti ſunt. qualiter autem omnipotens Deus de eadem eccleſia januis clauſis ſervum ſuum abſtraxit, uſque hodie cunctis mortalibus manet incognitum. ANN. CH MLXXXVII. SEPT. XVI.

71. *Prophetiæ dono præditum fuiſſe Guinizonem Victor & Petrus iiſdem ferme verbis exponunt. Hæc ex prioris dialogo* 1. *exſcripſimus. Guinizonis* diſcipulus, *inquit*, Januarius nomine, magnæ obedientiæ, magnæque abſtinentiæ monachus exſtitit. qui dum quodam tempore à magiſtro ſuo, venerabili videlicet Guinizone, ut ferramenta quibus operari ſoliti erant, reficeret, Aquinum miſſus fuiſſet, domum fabri ferrarii adiit, atque ab eo eadem ferramenta reparari data mercede popoſcit. Faber vero ferrarius cœpit eum irridere, dicens: Num ex pane & aqua ſolitarius iſte tam rubicundus tamque pinguis exſtat. Rubor iſte, ut mihi videtur, magis ex vino quam ex latice hauſto procedit. At ille: Hodie, inquit, tibi utrum ex natura, an ex aſſidua vini potatione rubore conſpergar, oſtendam. Cum vero ferrum in ignem miſſum vehementer ferveret, & faber ferrarius id acceptum forcipe ſuper incudem poſuiſſet, ac ſcintillæ huc illucque undique volantes totam pæne domum illuſtraviſſent, caſu ferrum ex incude in terram deſiliens cecidit. Igitur venerabilis vir Januarius ferrum ex incude cecidiſſe conſpiciens, inclinans ſeſe fervens ferrum nuda manu tenuit, & ſuper incudem ponens, malleatorem, ut quantocius id percuteret, hortatus eſt. At illi qui aderant, viſo tanto miraculo, nimio pavore perterriti, pedibus ejus provoluti, veniam ex irriſione, quam in eum exercuerant, humiliter deprecati ſunt. Sicque factum eſt, ut omnis illa irriſio in venerationem verſa ſit, quam ſtulti homines in Dei ſervum procaciter inferre præſumſerant. Itaque cum venerabilis vir ad magiſtrum, atque ad cellam propterea remeaſſet, ab eo vehementer correptus eſt, quod inſultantibus cedens, talia in oculis hominum facere præſumſiſſet. Cumque ille, unde hoc ſciret, vel quis ſibi indicaſſet percunctaretur. Ille, inquit, qui tibi præſtitit, ut poſſes facere; mihi etiam ut poſſim ſcire. JANUARIUS.

72. *Altero exemplo probat Petrus Guinizonem ſpiritu prophetiæ occulta cognoviſſe. quod nempe furem longe à ſe poſitum convicerit, raptas ab eo fuiſſe uvas ex monaſterii vinea. Sed quæ de ejus morte ſcripſit uterque auctor, Victor ſcilicet & Petrus, profe-*

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXVII. SEPT. XVI. *ramus. ſic nempe habet Victor in Dialogo laudato.* Ea quoque quæ de hoc egregio viro, videlicet Guinizone, Johannes religioſus monachus, qui in hac vicina ſilva ſub anachoretica diſciplina ſolitarius commoratur, ſolitus eſt referre, dignum duxi huic noſtro aſſociare libello. Dicebat enim, quia dum adhuc in Beneventana civitate in ſuo monaſterio degeret, quadam die, quidam Dei ſervus ſibi aliiſque fratribus, qui ibi aderant, intulerit, dicens: Pro certo ſciatis hodie aliquem magnum virum è monachis apud montem Caſinum ex hoc mundo migraſſe ad Dominum. quod illi audientes mirati ſunt, quod per octoginta ferme milliaria egredientem è corpore animam illius videre potuerit: & non adhibentes fidem, ſubtiliter ſtuduerunt indagare. Et repertum eſt eo die illum venerabilem virum emiſiſſe animam, quo prædictus Dei ſervus Beneventi poſitus agnovit. *Eadem habet Petrus, qui ſanctum virum ait* expleto ſui temporis curſu laudabili *perrexiſſe* ad Dominum VII. Kalend. Junii.

73. *De ejus & Januarii ejus diſcipuli ſepultura, hæc ſcribit idem Petrus:* Sepultus vero eſt in eccleſia ſancti confeſſoris Chriſti Nicolai, in loculo plumbeo, ad dexteram partem altaris, in loco qui dicitur Ciconia; in quo & ſanctus Januarius diſcipulus defunctus, una cum magiſtro ſuo poſitus eſt; ad quorum Chriſtus merita declaranda, mira in diem uſque hodiernum patrare non ceſſat. *Ex hac porro ſancti Nicolai eccleſia jamdudum tranſlatæ fuerant in majorem eccleſiam beatorum Guinizonis & Januarii ſacræ exuviæ. Etenim cum anno* MDC. XXVII. *Simplicius Caſſarellus abbas Caſinenſis baſilicæ ſacri Montis exornandæ operam daret,* removendo altari & fodiendo ſanctuario intentus, *ſanctorum Conſtantini & Simplicii abbatum, Carolomanni, Guinizonis & Januarii monachorum corpora invenit. Ex his Guinizonis & Januarii corpora in decentiorem loculum Kalendis Octobris tranſlata, in novo ſacello pereleganter ornato depoſuit. Hujus Inventionis ſimul & tranſlationis hiſtoriam Marcus Antonius Scipio Neapoli evulgavit anno* MDC. XXX. *quam Bollandiani exhibent* XXVI. *Maii. quo die Ferrarius in Catalogo generali* in monaſterio Caſinenſi ſanctum Quinizonem abbatem *laudat. Ejuſdem memoria cum* ſancti *titulo in Martyrologio Benedictino Arnoldi Vvionis & Hugonis Menardi eadem die celebratur. Utrobique etiam* miraculis clarus *dicitur. Idem habet Bucelinus in Menologio, primum hac ipſa die* 26. *Maii, & iterum* 17. *Julii. At Januarii memoriam cum elogio, ut aſſolet, die* 25. *Februarii conſignavit. quo die inter prætermiſſos memoratur apud Bollandianos. Quo anno uterque exierit è vita incertum eſt, id tamen paullo ante quam Deſiderius Caſinenſi monaſterio præeſſet contigiſſe, ex iis quæ diximus facile colligitur.*

GEBIZO. 74. *Iiſdem temporibus* GEBIZONEM *monachum in ſacro Monte floruiſſe auctor eſt Petrus Diaconus in Chronici Caſinenſis libro* 3. *capite* 48. *jam laudato, cujus vitam à Paulo Grammatico ſcriptam fuiſſe commemorat. Et quidem idem auctor in libro de viris illuſtribus Caſinenſibus capite* 36. *inter alia ejuſdem Pauli opuſcula recenſet.* Vitam ſancti Ebizzonis monachi, qui Hilarioni ſimilis fuit. *Sed cum hæc vita haberi non poſſit, ſufficiat hic ea proferre, quæ de Gebizone habet Petrus loco laudato, ubi cum de Guinizone & Januario dixiſſet, ſic de ipſo proſequitur:* Circa hoc fere tempus ſanctæ memoriæ Gebizo è colonia, de qua oriundus erat, egrediens, ad hunc locum pervenit, atque à Deſiderio monachus factus eſt, vir humilitate ſummus, honeſtatis nitore conſpicuus, qui cujus apud Omnipotentem meriti fuerit, non debet videri laciniofum, ſi ex his quæ de eo apicibus tradita ſunt, ex parte hic aliqua perſtringamus. Habuerat namque ante converſionem quemdam familiariſſimum, Adonem nomine, prædivitem. In vigiliis autem natalis Domini oranti ei diabolus innumera dæmonum caterva ſtipatus affuit. quem vir Dei ſciſcitatus eſt, dicens: Unde jocundaris miſerrime? Et diabolus: Quoniam ex anima Adonis modo triumphavi. nunc enim inter noſtros eam ſuſcepi. Et his dictis, oſtendit prædictam animam jumentorum more ligatam ad ſupplicia

trahi. Tunc vir Dei onus pœnitentiæ divitis ſibi imponens, cœpit omnipotentem Deum rogare, ut eamdem animam de antiqui hoſtis poteſtate eripere dignaretur. Nocte vero adveniente, diabolus affuit, eumque flagellis ita cæcidit, ut ſeminecem eum relinqueret, dicens: Cur pro eo auſus fuiſti Deum rogare, qui ſuis ſceleribus innumeris exigentibus in noſtra jura devenit? Non tamen pro hoc vir Dei ab oratione ceſſavit, uſquequo Angelus Domini apparens dixit: Hactenus ego meique ſodales pro Adone laboravimus, ſed age gratias Deo, quia modo liberatus, & noſtris eſt concivibus aggregatus. Nocte quadam dum in ſtratu ſuo, quod eſt ante ſecretarii januam, in ipſo aditu baſilicæ reſideret, viſi ſunt in choro ſtare fratres, & quaſi viritim thurificarentur, à ſingulis ſubſelliis videbatur exire fumus, cujus virgulæ ſupra beati Benedicti colligerentur altarium. Cumque ad hoc cerneret, Angelus Domini apparens, dixit: Quod vides orationes ſunt fratrum, quæ propterea in altari congeruntur, ut ſanctus Benedictus repræſentet eas ante ſedem Majeſtatis. Exſtant præterea de hoc egregio viro plura miracula, quæ ſi quis noſſe deſiderat, hiſtoriam vitæ ejus à Paulo Grammatico, & hujus cœnobii monacho deſcriptam relegat. *Ejus memoriam cum* ſancti *titulo Arnoldus Vvion & Hugo Menardus celebrant in Martyrologio Benedictino die* 21. *Octobris. quo item die memoratur à Bucelino in Menologio itidem Benedictino, ubi nonnulla miracula, præter ea quæ ex Chronico Caſinenſi deſcripſimus, exhibet.* ANN. CH. MLXXXVII. SEPT. XVI.

75. *Celebrant iidem faſti Benedictini cum Ferrario in Catalogo generali, die* 24. *Maii,* Caſini depoſitionem ſancti BENEDICTI monachi, miraculis clari. *de quo Bollandiani ad eamdem diem in Prætermiſſis hæc ex Petri Diaconi libro de ortu & vita juſtorum ſacri cœnobii Caſinenſis cap.* 67. *deſcripſerunt:* Benedictus Caſinenſis monachus, Capuani cœnobii præpoſitus, ſub Deſiderio abbate Caſinum veniens, quam creber in pſalmodiis, quam ſedulus in orationibus, quam ſtudioſus in eleemoſynis, quam pervigil in vigiliis, luce clarius patet. qui apud Capuanum monaſterium infirmitate tactus defunctus eſt undecimo Kalendas Junii; ſepultus vero ante oſtium ejuſdem monaſterii ad dexteram partem introeuntibus eccleſiam, ubi uſque hodie mira virtute divina patrare non ceſſat. *De eodem agit Michaël Monachus in Sanctuario Capuano. Porro ſi in laudata Petri verba nullus error irrepſerit, Benedictus die* 22. *Maii defunctus eſt, proindeque emendanda Martyrologia vulgata, quæ die* 24. *ejuſdem menſis illius memoriam conſignarunt.* BENEDICTUS.

76. *Alius eſt* BENEDICTUS, *ex monacho Caſinenſi in Sardinia epiſcopus Urbani II. tempore inſtitutus, uti ex Petro Diacono diſcimus in libro* 4. *Chronici Caſinenſis capite* 7. *ubi de Oderiſio abbate agit. Hic auctor laudat* librum de Miraculis ejuſdem ſancti Benedicti, ante fere ſeptennium *à ſe exaratum, quod argumento eſt hunc beatum Antiſtitem multis miraculis coruſcaſſe. Scribit Dionyſius Bonfantus in triumpho ſanctorum regni Sardiniæ libro* 13. *capite* 39. ſanctum Benedictum in baſilica ſancti Saturnini ſepultum *fuiſſe*, ibique illius anniverſariam memoriam XVII. Februarii celebrari, & ſpectari in ara majori pictam ejus effigiem, monachili habitu pedum archiepiſcopale manu geſtantis, ad dexteram Deiparæ. *Unde nonnulli colligunt eum Calaritanum archiepiſcopum fuiſſe. Alii tamen epiſcopum ſolummodo fuiſſe contendunt, quod Petri verbis magis congruere videtur, qui ſcribit loco laudato* Benedictum in Sardinia inſula epiſcopum *creatum fuiſſe. Ejus memoriam Ferrarius in catalogo generali, Hugo Menardus, & alii Faſtorum Benedictinorum ſcriptores celebrant die* 17. *Februarii. Eam ſe inveniſſe in Kalendario pervetuſto bibliothecæ Caſinenſis litteris Longobardicis exarato teſtatur Arnoldus Vvion in notis ad hanc ipſam diem, ubi & laudat Petri librum de ſanctis monaſterii Caſinenſis, in quo nonnulla occurrunt de ejuſdem ſancti geſtis. Annus ejus mortis incertus eſt, at conſtat eum exeunte hoc ſæculo floruiſſe. unde eum ad annum circiter* MC. *revocavit Johannes Bollandus. Circa idem tempus* BENEDICTUS alter.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXXVII. Sept. xvi. *vivebat* GREGORIUS venerabilis monachus, *eccleſiæ ſancti Liberatoris ad radices montis Majellici cuſtos, ab ipſo Victore ſub libri 2. Dialogorum finem celebratus.*

Alii. 77. *Sanctum* ALAMANNUM, patria non nomine *ſic dictum, monachum Caſinatem, laudat Arnoldus Vvion, & ex eo Hugo Menardus in Appendice ad Martyrologium Benedictinum*, cujus anima, *ut ex Petri Diaconi libro de ſanctis Caſinenſibus capite 52. &c. referunt*, à Nicolao Cellerario in globi ignei ſpeciem cælum aſſcendere viſa eſt. Vixit, *ut iidem auctores ſcribunt*, anno MLXXX. *Memorat Bucelinus die 14. Januarii cum* ſancti *titulo* THEODEMARIUM *monachum, Sacellanum antea Agnetis auguſtæ, qui miraculis nonnullis, quæ ille auctor ea die in Menologio narrat, coruſcaſſe dicitur. Hunc poſt annum* MXX. *obiiſſe ſcribit idem auctor; & quidem multo poſtea mortuus fuiſſe dicendus eſt, ſi, ut ipſe idem Bucelinus innuit, ſub Oderiſio abbate floruerit. Eumdem* virum ſanctitate plenum, *ex Petro Diacono appellant Vvion & Hugo Menardus in Appendice ad Martyrologium Benedictinum.*

78. *His addendus monachus quidam Anonymus ex monaſterio Beneventano ſanctæ Sophiæ, cujus felicem exitum narrat Victor ſub finem libri 3. Dialogorum his verbis.* In eadem urbe *Benevento* monaſterium eſt, quod ſanctæ Sophiæ dicitur, in quo quidam à pueritia ſanctæ converſationis & magnæ humilitatis monachus fuit, qui infra annos adoleſcentiæ nimio languore præventus ad extrema perductus eſt. Ad cujus exitum congregati fratres, hymnis & pſalmis Deo cœperunt animam ejus commendare, ſanctorumque cœtus in ejus auxilium attentius invocare. qui creſcente languore defunctus eſt. Sed dum ad lavandum ejus corpus aqua præparatur, per unam fere horam exanimis jacuit; cumque qui aderant, orationi & pſalmodiæ inſiſterent, ſubito corpus ejus omne contremuit, ac paullatim reviviſcens, cunctis mirantibus in lectulo conſedit. Dein interrogatus, cœpit illis quæ egreſſus de corpore viderat referre, dicens: Cum anima mea vobis litanias canentibus, ſanctoſque Domini invocantibus, de corpore egrederetur, mox ad preces veſtras ſancti, quos invocaſtis, meum in auxilium advenerunt. Cumque illi ab eo requirerent, ſi illos quos numquam viderat cognoſcere potuiſſet, reſpondit: Sanctum Benedictum & ſanctum Gregorium cognovi, beatum Donatum & Felicem cum reliquis, qui in hac eccleſia quieſcunt ſanctis, meum in auxilium venire conſpexi: inter quos beatus Mercurius patronus noſter, velut ſplendidum ſidus rutilans videbatur. Quem cum interrogaſſent, utrumnam in hac vita eſſet moraturus? Minime, inquit. nam beatus Mercurius hodie ſe ad me aſſumendum venire ſpopondit. Quæ ut dixerat vera fuiſſe rei exitus comprobavit. Eodem namque die ex hac luce ſubtractus, ab illis procul dubio eſt receptus, quos antea moriens ſuum in auxilium venire conſpexit. Ego denique, *inquit Victor*, in eodem monaſterio poſitus, *ſupra ex cap. 5. libri 3. chronici Caſinenſis in monaſterio ſanctæ Sophiæ veſtem monaſticam induiſſe dicitur*, unum ex illis, qui adfuerant teſtibus, Sicenolfum nomine, ſuperſtitem vidi, qui cuncta hæc ut dicta ſunt, ſe vidiſſe & audiſſe profitebatur. *Unde hæc ante ſæculi hujus medium contigiſſe colligimus.*

79. *Alios omitto, qui hoc ſæculo exeunte in ſacro Monte floruiſſe dicuntur, quod vel ad ſæculum ſequens pertineant, vel ſane ſub* beati *aut* ſancti *titulo apud veteres memorati non occurrant. Ex his plerique in libro Petri Diaconi de viris illuſtribus Caſinenſibus recenſentur, quales ſunt* BENEDICTUS, *qui &* GUAIFERIUS, *qui* ſanctitate & religione conſpicuus *dicitur capite 29.* LEO *Oſtienſis epiſcopus, Marſicanus vulgo appellatus, ob ſcriptum Caſinenſe Chronicum celebris, quem Petrus capite* 30. ſanctitate & monaſticis diſciplinis ad plenum imbutum, &c. *fuiſſe ſcribit.* ALFANUM *quoque archiepiſcopum Salernitanum abſolute* ſanctum *appellat Ughellus in tomo* VII. *Italiæ ſacræ, ubi plura de eo habentur; ejus vero opuſcula, ut jam obſervavimus ſupra num. 14. recenſet Petrus libro laudato capite 19.*

Albericum

Albericum Cardinalem, Conſtantinum-Africanum, Amatum epiſcopum & ceteros, quos nemo neſcit tunc temporis illuſtres fuiſſe, hic recenſere non vacat. Quales fuerint ſub Deſiderii regimine in Caſinenſi cœnobio monachi, uno verbo exponit Petrus Damiani Opuſculo 34. quod etiam inter epiſtolas locum habet lib. 2. epiſt. 15. ubi eos angelicum fratrum ſanctumque conventum, *ac Abbatem* monachorum archangelum *appellat.* ANN. CH. MLXXXVII. SEPT. XVI.

80. *Pro coronide proferimus vitam ſancti Aldemarii, ex monacho Caſinate abbatis monaſterii ſancti Laurentii Capuæ, quam vitam à Petro Diacono exaratam Michaël Monachus ex veteri codice deſcriptam in Sanctuario Capuano retulit. Aliam tamen, ſive potius eamdem, ſed nonnihil diſſimilem, exhibet Bollandus die 4. Februarii, cum Prologo quem Michaël monachus omiſit. quæ vero ex his duabus ſincerior ſit, alii judicabunt. Primam hic damus integram; ſi quæ in altera occurrant alicujus momenti lectionum diverſitates, eas in notis marginalibus apponemus, omiſſo prologo, qui nihil complectitur ſingulare. Quo autem tempore vixerit Aldemarius, ineunte an exeunte ſæculo* XI. *incertum eſt. Si primus fuerit monaſterii ſancti Laurentii Capuæ abbas, ab ejus conditrice Aloara Pandulfi, cognomento Capite-ferreo, relicta ibidem præfectus, ut putat Michaël Monachus, & innuit Petrus ipſe in Vita num. 4. certe jam ſub finem ſæculi præcedentis huic monaſterio præeſſe debuit. Etenim Aloara anno* CMLXXXVI. *privilegium in monaſterii à ſe conditi gratiam ab Adenulfo archiepiſcopo Capuano obtinuit. Vita tamen à Michaële Monacho vulgata ſic incipit:* Anno... circiter MLXX. Aldemarius, &c. mundo illuxit. *At hæc verba in codd. Bollandianis non habentur, & ea cenſet Bollandus ab interpolatore addita. Sed etſi forte vera non ſit hæc temporis nota, videtur tamen à Petro aſſignata. nam idem ipſe in Chronici Caſinenſis libro 3. capite 56. de Aldemario agens, ejuſque nonnulla miracula laudans, ea aliis eventibus illigat, quæ anno circiter* MLXXVIII. *contigerunt. Ceterum non minus Aldemarii dies mortis incertus eſt, quam annus. hinc Arnoldus Vvion & Hugo Menardus ejus memoriam in Appendicem Martyrologii Benedictini rejecerunt, Bucelinus tamen eum celebrat die 24. Martii, quo die Bollandus vitam ejus exhibet. Mirum eſt Michaëlem Monachum, qui obſervat ſanctum Aldemarium Buccanici, ſeu Bocclanici, quod eſt Marrucinorum in Aprutio opidum haud procul à Theatina urbe ſitum, coli, nullum tamen ejus aſſignaſſe feſtivum diem.* S. ALDEMARIUS.

VITA S. ALDEMARII ABBATIS.

Auctore PETRO diacono & monacho Caſinenſi.

Ex Sanctuario Capuano Michaëlis Monachi.

1. ANNO ab Incarnatione Domini circiter milleſimo-ſeptuageſimo [a], ſanctiſſimus ipſe ALDEMARIUS, miraculorum patrator egregius, virtutum meritis præclarus; mundo illuxit. Hic ergo in Capua, totius olim Campaniæ præſtantiſſima urbe, natus, patrem habuit JOHANNEM, venerabilis vitæ virum; matrem vero MIRAM, quæ non immerito tale ſortita eſt nomen, miris enim refulſit operibus. Cum itaque iſti devoti conjuges divinis legibus præcincti, Deum timentes, præceptaque ejus cuſtodientes, religioſis actibus inſiſtentes, diu prole carerent, obnixis precibus Deum deprecabantur, ut eis filium concedere dignaretur. quorum gemitibus miſericors Dominus, qui voluntatem timentium ſe facit, annuens, beatiſſimæ prolis eis præmium contulit. [a] Aldemarii patria, parentes.

[a] Nulla temporis nota in Vita Bollandiana habetur, ut jam præmonuimus.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXVII. SEPT. XVI.

Pia educatio.

2. Sacri ergo baptiſmatis fonte lavatus, Aldemarius appellatus eſt. Ab iiſdem parentibus pie educatus, cum ipſorum moribus imbueretur, virtutum etiam ac ſanctitatis futuræ ſpecimen dabat. Litterarum namque ſtudiis ab illis traditus, ita egregiæ naturæ indole ac ingenii acumine æquales omnes præcedebat, ut immatura ætas nullius impedimenti illi eſſet ad diſciplinas adipiſcendas, liberaliumque artium ſcientiam obtinendam. Tali itaque pollebat ingenio: non tamen animo inflatus erat, ſed puerilis ætatis levitatem morum gravitate compeſcens, nullis voluptatum illecebris ſe patiebatur irretiri; ſicque cum ſpiritu ſcientiæ clareſcebat etiam in eo ſpiritus timoris Domini. Abſente autem doctore, à ſuis ſodalibus, ut mos eſt puerorum, ludentibus longe ſemotus, ſecretiorem locum adibat, ne ſibi impedimento eſſent. Ludos enim, ac puerorum curſus, ut inutiles devitabat, orationi operam dabat, & quantum poſſibile tali adhuc erat ætati, in corporis motu & inceſſu, foris oſtendere qualis habitus formaretur in mente nitebatur. Unde ab eiſdem loci alumnis jure vocabulum ſortitus fuit Sapientis. Ad ſapientiam enim litterarum ſolus incedens, pertingere anhelabat. Porro parentes ejus pueri animum in tenera ætate adhuc poſiti intuentes, eumque virtutibus incumbentem ac terrena omnia deſpicientem agnoſcentes, laudum munia Domino referebant pro tantæ munere prolis, in cujus adhuc puerili pectore gratiam ſuam, virtutumque dona ponere dignatus eſſet.

Sapiens cognominatur.

Fit monachus Caſini.

3. Talibus itaque divinæ largitatis muneribus illius animus corroboratus, toto vitæ ſuæ tempore omnem vitiorum immunditiam ſuperavit. Cum ergo ætate adoleſceret, ad cæleſtia jam anhelans, ſacrum Caſinum adire diſpoſuit, ibique ſub regulari converſatione Domino militare. Relictis ergo parentibus, mundique voluptatibus, Caſinenſe cœnobium petens, ab Abbate benigne ſuſceptus, monachali habitu inſignitus eſt. Monachus autem factus ſoli regum Regi in vigiliis & orationibus placere ſtudebat; obedientiam, humilitatemque adeo coluit, ut propter hoc cunctis imitandum ſe exhiberet. nam cum ipſe univerſos perfecta caritate diligeret, diligebatur ab omnibus. Abbas itaque intelligens, quoniam vas electionis erat iſte, levitico eum ordine ſublimari fecit. qui tali honore decoratus, juxta Sapientis ſententiam, quanto major erat, quantoque ſublimiores gradus aſſcendebat, tanto ſe magis humiliabat in omnibus. Non diu tamen lucerna ardens ſub modio latere poterat, ſed jam ejus ſanctitatis fama ab omnibus celebrari incipiebat.

Tum Abbas Capuæ.

4. Tanti ergo viri præconium ad uxoris aures Capuani principis cum perveniſſet, Abbatem, ſub cujus regimine Dei famulus Aldemarius degebat, adiit, poſtulans, ut ſibi Aldemarius concederetur. cujus precibus annuens Abbas, Dei ſervum cujuſdam monaſterii, quod ipſa mulier in honorem ſancti Laurentii [a] in Capuana urbe conſtruxerat, rectorem conſtituit. Illius igitur cœnobii venerabilis Aldemarius curam ſuſcipiens, vigiliis, orationibus, carniſque macerationi quotidie inſiſtebat. Paupertati autem, quam cælorum viam eſſe noverat, adeo deditus erat, ut deteriora ac viliora ſibi retinens veſtimenta, quæ nullatenus à frigore eum tueri poterant, nova pauperibus, tamquam Chriſto in eis, erogaret. Quamobrem Altiſſimus ita in eo ſibi complacuit, ut ſervum ſuum miraculorum gratia illuſtrare voluerit, quatenus Dei virtus in ſancto ejus ab omnibus laudaretur.

[a] Monaſterium S. Laurentii in Capuana urbe ſub annum 982. conſtruxit Aloara, relicta Pandulfi principis, cui cognomen Caput-ferreo, cum teneret illa principatum cum Landenolfo ipſius filio tertio. Eadem immunitatis & exemtionis privilegium eidem loco obtinuit ab archiepiſcopo Adenolfo, cujus hac de re diploma in Averſano S. Laurentii monaſterio, cui hæc S. Laurentii eccleſia modo ſubjecta eſt, Michaël Monachus aſſervari teſtatur. Ejuſdem diplomatis initium edidit Ughellus tomo 6. Italiæ ſacræ. Monaſterii vero S. Laurentii, cujus ſupereſt eccleſia, meminit Leo Marſicanus libro 2. Chronici Caſin. cap. 21.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXVII. SEPT. XVI.

5. Cernens autem Caſinenſis Abbas tantum virum ſignis & virtutibus coruſcantem, ad ſe eum evocare diſpoſuit. quod audiens præfatæ Capuanæ urbis domina, à civitate receſſum Dei famuli ægre ferens, omnino renuere cœpit, ne vir Dei diſcederet. Videns autem Aldemarius litem inter Abbatem & Dominam illam in dies ſuccreſcere, locum deſerere voluit, ne propter ipſum tanta diſcordia amplius haberetur. Omnibus ergo inſciis Capua egreſſus, Boviani * civitatem petiit, in qua duplici miraculo, divina gratia largiente, illuſtratus eſt. Tres enim in urbe illa fratres aderant, quamdam eccleſiam pariter poſſidentes, quorum unus partem quamdam illius eccleſiæ ſibi contingentem Aldemario tribuit: reliqui vero id indigne ferentes, virum Dei perimere, niſi quantocius inde diſcedere properaret, minitabantur. Ipſe vero in eo, qui protector ſuus & merces magna erat, confiſus, eorum minas contemnebat. quapropter magis in eum ira ac furore fremebant quotidie. Quadam vero nocte, dum vir Dei eccleſiam more ſolito ingreſſus, ibi in oratione ac precibus perſeveraret, ipſi telis armiſque præcincti, eamdem ingredi auſi fuerunt. Incœptis autem matutinis laudibus, unus ex illis eum occidere niſus, telum in illum vibravit. quod cum feciſſet, lacertus ejus in tantum obriguit, ut brachium flectere nullatenus poſſet. Summo ergo dolore afflictus, pedibus viri Dei provolutus, cum lacrymis veniam deprecari, atque ut ſuum illi auxilium impendere dignaretur, inſtanter depoſcere cœpit. Hujus autem calamitati compatiens vir domini Aldemarius, Salvatoris memor præcepti, qui dixit: Benefacite his, qui oderunt vos; & rurſus: Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, continuo Dominum deprecaturus pro illius ſalute ſeſe orationi dedit. qua completa, mox ille ſanitati redditus eſt.

Bovianum ſecedit. — * *Boiano.* — *Ab interitu divinitus ſervatur.* — *Matth. 5. 44.*

6. Illis item diebus Canonicus ejuſdem urbis ita infirmitate depreſſus jacebat, ut membrorum omnium uſus & exercitium penitus ei deeſſet, medicorum etiam ipſi ars nulla prodeſſe nequiret. Quadam ergo nocte dormienti illi revelatum fuit, quod ſi Dei famulo Aldemario mittere vellet, ut ſibi aquam benediceret, illaque inde aſpergeretur, continuo ſanus fieret. Evigilans autem Canonicus, ad virum Dei quemdam ex ſuis direxit, ut ſibi aquam à ſe benedictam mittere dignaretur. Quo audito Levita Aldemarius, huic qui nuntium attulerat reſpondit: Nequaquam mei juris eſt, frater, aquæ benedictionem infundere, qui adhuc ſacerdotii munere non fungor. Verum petitioni inſiſtendo ejus excuſationibus non acquieſcens, enixius flagitare cœpit, ut ad petentis infirmi voluntatem aquam benedicere non dedignaretur. Videns ergo humillimus Levita Chriſti Dei eſſe voluntatem, aquam benedixit, quam celeriter ille ſumens, infirmo Canonico detulit. qui magna animi devotione accipiens ac bibens, eaque corpus ſuum aſpergi faciens, priſtinæ incolumitati reſtitutus eſt.

Canonicum ægrotum ſanat.

7. His ergo aliiſque virtutum ſignis pollens famulus Dei, rogatus à civibus & clericis, preſbyteri munus tandem ſuſcepit. Ordinatus autem, vivificam ac ſalutarem hoſtiam Domino in altari immolabat quotidie, ac virtutibus magis inſiſtere curabat.

Preſbyter ordinatur.

8. Inde itaque diſcedens, monaſterium ᵃ ſancti Liberatoris adiit, quod ad pedes conſtitutum eſt montis, qui Majella præ magnitudine appellatur. Ibi quoſdam reperiens monachos muſicæ artis ignaros, libriſque ad divinum cultum adinventis carentes, aliquamdiu commoratus, antiphonarium deſcribere aggreſſus eſt, multiſque virtutibus coruſcans, ab omnibus unice diligebatur. Ad Caſinenſe monaſterium poſtea regredi cogitavit. quod vir quidam, Adam nomine, perpendens, ejuſque diſceſſum non ferens, ipſius equum abſtulit, ne illinc diſcedere poſſet. Ad alium ergo

Degit in monaſt. S. Liberatoris.

a De hoc monaſterio ad Laentum fluvium ſito, paſſim agit Leo Marſicanus in Chronico Caſinenſi. illud Theobaldus, poſtea Caſinenſis abbas, renovaſſe & multis ornamentis donaſſe memoratur lib. 2. cap. 51.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXVII. SEPT. XVI.

locum, qui ſanctæ Euphemiæ dicitur, directus eſt, ibique monaſterium [a] conſtruxit, ubi monachorum numero aggregato, iis ſupplicantibus, invitus Abbatis onus ſuſcipere cogitur, magniſque virtutibus fulgens, tamquam lucerna in candelabro poſita, exemplum bonorum operum cunctis ſe exhibebat. Dei autem cultus, & honoris zelo exæſtuans atque permotus, animarum quoque ſaluti conſulere cupiens, plurima per Theatinæ provinciæ [b] opida cœnobia conſtruere curavit, innumeram ſervorum Dei multitudinem, qui divinis laudibus incumberent, in illis conſtituens. Divina ergo ducente eum gratia, ad opidum, quod Bocclanicum [c] dicitur, pervenit, ibique eccleſia quadam reperta, magnum cœnobium ædificare Dei famulus ſtatuit, quod opibus & auxilio cujuſdam nobiliſſimi Treviſii *, illarum partium ditiſſimi viri, celeriter conſtruxit; congregatoque non parvo monachorum numero, cogente Treviſio illo, paſtoris onus ſuſcepit. Ibi miris virtutibus enituit, tanta humilitate, tantaque cum omnibus uſus eſt caritate, ut ab omnibus diligeretur. unde brevi ſanctitatis ejus odor univerſam provinciam illam replens, omnes ad ejus merita laudanda, ac beneficia per eum recipienda perduxit.

Conſtruit monaſt. S. Euphemiæ. Et alia. Aliud Boccanici. * Boll. ſemper Treſidius.

9. Mulier quædam paupercula aridam habens manum, ad eum venit: utque pro ea omnipotentis Dei clementiam exorare dignaretur, precibus illum compellere cœpit, quatenus ſui corporis manum priſtinæ reſtitueret ſanitati. Ille, ut erat mitis & benignus, lacrymis ejus commotus, ſacerdotalibus veſtibus aſſumtis, ſacrificium omnipotenti Deo pro illius ſalute offerre non diſtulit: ſacris autem peractis, prædictæ mulieris manum tenens, in cælumque oculos lacrymis profuſis elevans, ſic Deum precatus eſt: Deus æterne, cui omnes cæleſtes & terreſtres famulantur creaturæ, omniaque obediunt elementa, tuo omnipotenti Verbo creata; à te omne bonum, omne datum optimum eſt, cujus miſeratio ſuper omnia opera tua, huic ancillæ tuæ infirmitate detentæ pietatis clementia ſubvenire digneris, ut jam agnoſcant omnes quod te corde puro, & fide non ficta invocantium preces non deſpicis. Hac ergo oratione peracta, mox mulieris illius manus priſtinæ incolumitati reddita eſt.

Mulierem contractam ſanat.

10. Tanta autem in ejus pectore divini amoris flamma degebat, ut non homines tantum, verum nec ipſa etiam bruta animalia deturbare vel in minimo vellet. Accidit enim, ut cum monaſterium in honorem ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ conſtructum peteret, gravi ibidem detentus languore, multo tempore commoraretur. Sanitate autem, Deo largiente, recepta, ad monaſterium, cui præerat, reverſus eſt. Arca quadam [d] in præfato cœnobio, in quo infirmatus fuerat, relicta, quam maximum apum agmen per foramen ingreſſum, per quod ipſa arca clave aperiebatur, non parvum ibi mellis favum compoſuit. Reverſus ſervus Dei Aldemarius ad monaſterium illud, arcæ clauſtra aperiens, quod intus latebat adſpiciens, nullamque illis moleſtiam inferens vir piiſſimus, domicilium, quod elegerant, benigne eis reliquit. Illinc autem deſcendens ad cœnobium, quod ſuper ripas poſitum eſt, fratres viſendi gratia perveniens, benigne ab illis exceptus eſt.

Ægrotat. Ejus manſuetudo.

11. Cum vero nocte quadam, ſicut conſueverat, ut divinas laudes perſolveret, ſurrexiſſet, impellente humani generis hoſte, ita graviter lapſus

a Hoc in ducatu Beneventano ſitum fuiſſe conjicit Lubinus, quod ei Grimoaldus princeps Beneventanus privilegium conceſſerit, editum in Chronico S. Sophiæ, apud Ughellum tomo 8. Italiæ ſacræ. col. 610.

b Boll. *Theatinæ Picenæque provinciarum*, &c. Picenum hodie dicitur Marchia Anconitana. Theate vero, vulgo *Chieti*, metropolitico jure gaudet, eſtque ſedes præfecti regii utriuſque Aprutii.

c Opidum eſt Maruccinorum in Aprutio citeriori, quatuor circiter millibus diſtans à Theatina urbe. Ibi, uti ſemel & iterum monet Ughellus in Catalogo Theatinorum epiſcoporum, religioſe colitur S. Aldemarius in monaſterio à ſe conſtructo. An vero monaſterium hodieque ſubſiſtat, nec ipſe, nec Michaël Monachus quem laudat, nec Lubinus in Notitia abbatiarum declarant.

d Bolland. *quamdamque propriam arcam ibi dereliquit*, &c.

Digitized by Google

eſt humi, ut femoris ſui virtutem penitus amiſerit. Illo autem morbo ingraveſcente, ad cujuſdam opidi mœnia, quod Sanctus-Martinus dicitur, ſe deferri juſſit: ibique febribus ſubito correptus, poſt multa virtutum opera, & miraculorum inſignia, peracto bono certamine, & curſu felici conſummato, vitam in terris angelicam vivens, & mentem in cælo ſemper affixam habens, pretioſiſſimam tandem Creatori ſuo animam reddidit: quam inter Angelorum tripudiantes choros in cæleſtibus ſedibus collocavit.

Ann. Ch. MLXXXVII. Sept. XVI.

Obit.

12. Ejus autem ſacrum corpus in præfato opido ſepelire cupientes illius habitatores, ad eorum auxilium & patrocinium, ſtatim ſumſere ligones; & certatim, ne inde auferretur, terram fodere cœperunt. Verum mox fodientibus illis, quidam ibi parvulus lapis, ſic diſponente Deo inventus fuit, quem iidem abſtrahere ſatagentes, totius diei fruſtra conſumſere labores. Interea audientes monachi, quorum regimini præfuerat, paſtorem ac Patrem ſuum è mundo jam migraſſe, illuc properare feſtinant, ut ſacrum ejus corpus ad eorum cœnobium ſepeliendum deducerent. Opidani autem, ubi illos adveniſſe ad corpus viri Dei auferendum agnoverunt, nullatenus, ut ſacratiſſimum corpus inde tollerent, permiſerunt: inſuper ligonum ictibus illos interficere minitati ſunt. Hæc ergo videntes monachi, ad dominum illius opidi acceſſerunt, cum lacrymis ac gemitibus rogantes, ut eorum Patris corpus ad monaſterium, cui præfuit, reduci concedere dignaretur. Tandem poſt multas preces illis acquieſcens, corpus viri Dei monachis reſtitui imperavit. Tunc lætanter ſacrum Aldemarii corpus monachi ſuſcipientes, maximo fidelium concurſu, in hymnis & laudibus benedicentes Dominum, in decenti ac decoro, quod ſecum detulerant, feretro poſuerunt, atque ad monaſterium ſummo honore, cunctis lætantibus, ſepeliendum aſportarunt.

Monachi corpus repetunt.

Quod obtinent.

13. Cumque in eccleſia collocatum fuiſſet, ut decentiſſimæ traderetur ſepulturæ, quam præparare curabant, multitudine hominum confluente, cuidam pauperculæ mulieri illuc à longe adventanti, & lepræ morbo laboranti, ita revelatum eſt: Surge quantocius, atque ad monaſterium, in quo exſequiæ præparantur, præpeti, ut prævales, curſu perge. Illius enim meritis & precibus, cujus corpus in eadem eccleſia inhumatum requieſcit, reddenda es ſanitati. Continuo expergefacta, quæ in ſomnis audierat, qualiterque admonita eſſet, hoſpiti ſuo innuere non dubitavit. qui de quo corpore hæc intelligi poſſent, ſecum mente revolvens, confeſtim divino permotus ſpiritu, recoluit, quod beatiſſimi Aldemarii corpus in eccleſia inſepultum jaceret. nam per eum adhuc in carne degentem mirabilia patrari agnoverat. Mulierem ergo illam ad monaſterium direxit, dicens: Celeriter vade, & ſicut in ſomnis admonita es, Dei famulum Aldemarium deprecari non deſinas. ipſe enim eſt, quem tibi Dominus revelare dignatus eſt. Mulier itaque, ut potuit, ad monaſterium cito cucurrit, quæ beatiſſimi Aldemarii intercedentibus meritis ita ſana effecta eſt, ut nec cicatricum quidem ſigna in ea remanſerint. Tanto itaque miraculo adſtantes permoti, innumeras Deo retulerunt gratias, qui talia meritis ſervi ſui Aldemarii mirabilia operari dignatus ſit. Decentiſſimo ergo tumulo extra eccleſiæ muros præparato, magnificentiſſimi honoris ſtudio, monachorum pſallente choro, melos dulce organis perſonantibus, omniumque fidelium jubilo & lætitia pretioſus theſaurus reconditus eſt.

Leproſam ſanat.

Sepelitur.

14. Anniverſario [a] autem præfati beati viri Aldemarii die appropinquante, quidam de monaſterii fratribus in gravem morbum incidit, qui nimio febrium calore exæſtuans, ſancti Patris ſepulcrum adiit; ubi placidiſſimo ſopore oppreſſus, expergefactus poſtea, ita ſanus effectus eſt, ac ſi numquam ægrotaſſet. qua fama per totam provinciam peragrante, omnes

[a] Miracula ad ejus ſepulcrum.

a Bolland. *Accidit autem ut quarta die depoſitionis prædicti Patris, &c.*

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXXVII. Sept. XVI.

variis morbis languentes ad beati viri tumulum recurrere feſtinabant, cujus meritis intervenientibus mirabiliter curabantur.

15. Interea vir quidam, Picenæ provinciæ oriundus, filiam habebat pedibus contractam, quæ jam triennium tranſgreſſa, nulla incedendi ſigna præbebat. Hanc pater ſecum aſſumens, ad ſepulcrum viri Dei pervenit, & obnixis precibus pro filiæ ſalute deprecari ſanctum Aldemarium non deſinebat. Biduo ergo in precibus elapſo, jam quaſi de ſalute deſperans, triſtis ac lugens ad propria remeavit, filiamque ſuam in ſubſellio collocavit. quæ ſedens, ſic matrem ſuam affata eſt: Da mihi baculum, mater, quo ſubnixa incedere valeam; mater vero hoc audiens baculum ilico præbuit. quo puella accepto, ita protinus inoffenſo gradu ambulare cœpit, ac ſi pluribus annis ipſum adhibuiſſet. Filiam ergo ſoſpitem pater aſſumens, ad ſepulcrum beatiſſimi Aldemarii acceſſit, eam ibi devovit, ut quamdiu in carne viveret, quotannis munera offerre ſatageret.

16. Alio quoque tempore leproſus quidam ex opido, cui vocabulum Ripa eſt, à primævo ſuæ vitæ tempore ita ulceribus repletus erat, ut nullus in corpore ejus ſanitatis locus appareret. Miraculorum itaque viri Dei Aldemarii fama commotus, ad monaſterium illud acceſſit, atque meritis ejuſdem ſancti ita mundatus eſt, ut vix à parentibus agnoſci potuerit, aliquantulum autem in præfato cœnobio commoratus eſt. Quoniam vero patri ſuo unicus erat, nequaquam ibi ſe diutius perſeverare poſſe fatebatur. Quadam ergo die iter arripuit, & patrem in præfato opido commorantem reviſit. Tanta vero ilico correptus eſt lepra, ut omnem ſui corporis figuram amiſiſſe videretur. Dormienti autem illi in ſomnis ſic revelatum eſt: Surge & virum, qui te curavit, repete. niſi enim illuc redieris, numquam de hoc morbo liberaberis. Quacumque autem die illinc diſcedere tentaveris, tali correptioni ſtatim ſubjacebis. Quibus verbis admonitus, expergefactus ad cœnobium illud reverſus eſt, ibique perſeverans, integre tali morbo curatus eſt: quoties vero à monaſterio diſcedere conabatur, eodem ſemper morbo afficiebatur. His ergo aliiſque mirabilibus ſignis ſanctiſſimi Aldemarii ſepulcrum jugiter decoratur, ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, qui vivit & regnat in omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Ann. Ch. MLXXXIX. Maii XXVIII.

VITA BEATI LANFRANCI

ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS.

Auctore Milone-Crispino, monacho & cantore Beccenſi, ſubpari.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ auctor.

1. *MILO monachus & cantor Beccenſis monaſterii, ex nobili Criſpinorum familia ortus, de qua in obſervationibus ad beati Herluini vitam egimus, beati Lanfranci vitam litteris mandavit. Ejus ætatem ex hac ipſa Vita colligimus, ubi capite 14. loquens de beati Lanfranci Diacono, qui à dæmone arreptus fuerat, ſic habet:* Hoc, beato Anſelmo archipræſule referente, cum pluribus aliis audivi. *Porro etſi ipſum ante Lanfranci obitum, in vivis fuiſſe non dubitemus, veri ſimile tamen eſt ab eo Lanfrancum numquam viſum fuiſſe, quod ex ejus Prologo patet, ubi ait ſe ea quæ narraturus eſt, ex Herluini vita,*

Digitized by Google

excerpſiſſe, aut certe ex iis quæ à venerabilibus ac veracibus viris *audierat*; *& paullo inferius ſubjungit*: Et de his quidem non omnia quæ dicenda forent audire potui. *Haud dubium quin ſi aliquando illi ipſummet Lanfrancum audire aut videre fuiſſet datum, id ad comparandam ſuæ narrationi auctoritatem non reticuiſſet.*

Lanfranci erga monachos propenſio.

2. *Multa ſunt quæ Lanfranci merita plurimum commendant, tum in rem monaſticam, tum in litterariam, tum etiam in Eccleſiam univerſalem. Ut à rebus monaſticis ſumamus exordium, Beccenſe inſigne monaſterium, ſi non ei inſtitutionem, ſaltem incrementum & ſtabilitatem debet. Alium hujus rei teſtem adhibere neceſſe non eſt præter Herluinum ipſum, qui aſſerebat ſe à Deo multis lacrymis poſtulaſſe & impetraſſe Lanfrancum, ut monaſterium ſuum, ad quod recte inſtituendum imparem ſeſe cenſebat vir ſanctus, ejus conſilio & opera confirmaretur.* Multoties, *inquiebat ille Lanfrancum ipſum alloquens*, per magnos gemitus Deum rogavi, uberrimis lacrymis divinæ ſupplicavi miſericordiæ, ut talem mihi virum præſtaret, cujus conſilio & auxilio locum iſtum emendarem, & quæ Deo eſſent placita monachorum uſibus inſtaurarem. Et quando, frater Lanfrance, huc te Deus adduxit, preces humilitatis meæ exauditas credidi. *Et re quidem vera Herluini ſpem non fefellit eventus. nam ipſius Lanfranci opera Becci monaſterium ex tenuiſſimo celeberrimum numero monachorum, pietate & doctrina illuſtrium, atque etiam temporalium bonorum affluentia evaſit. quod ex ſubſequentis vitæ contextu melius patebit. Quid de Cadomenſi utroque monaſterio proferamus? quorum alterum in honorem ſancti Stephani pro monachis, alterum in honorem ſanctæ Trinitatis pro ſanctimonialibus, à Guillelmo Duce conſtrui & dotari procuravit Lanfrancus. Cum enim illegitimas hujus Principis nuptias approbare renuiſſet, obtinuit ut res ad Romanum pontificem deferretur, diſpenſationis obtinendæ gratia. quam ille, agente Lanfranco Vuillelmi ipſius legato, ea conditione conceſſit, ut duo monaſteria in piaculi expiationem conderentur. Perſtat etiamnunc utrumque ſub Ordine noſtro, de quibus fuſe agunt Acherius noſter in Notis ad Lanfranci vitam, & Arturus Monſterius in Neuſtria pia. ex his monaſterium ſancti Stephani virorum, noſtræ Congregationi ſancti Mauri jam ab aliquot annis adjunctum fuit. De cujus monaſterii conditione & de Lanfranco, quem ei Guillelmus loci fundator primum abbatem præfecit, ſic loquitur Petrus Pictavienſis, auctor æqualis, in ipſius Guillelmi Geſtis.* Lanfrancum, *inquit*, quemdam, de quo venit in litem, pluſne ſit meritus reverentiam atque gloriam ſæcularium ac divinarum litterarum ſingulari peritia, an ordinis monachici ſingulari obſervantia, intima familiaritate *Guillelmus* colebat; ut patrem venerans, verens ut præceptorem, diligens ut germanum aut prolem. Illi conſulta animæ ſuæ, illi ſpeculam quamdam, unde Ordinibus eccleſiaſticis per omnem Normanniam proſpiceretur, commiſit. Potuit namque viri talis vigilans cura, cum maximam auctoritatem ſapientiæ pariter ac ſanctitatis prærogativa comparavit, ſecuritatem non parvam optimæ ſollicitudini promittere. Ipſum pia quadam violentia monaſterii Cadomenſis abbatem ſtatuit, non minus reluctantem ſubjectionis amore, quam altioris gradus timore. Multis deinde poſſeſſionibus, item argento, auro, diverſiſque ornamentis monaſterium idem locupletavit, &c.

Archiepiſcopus quid eis præſtiterit?

3. *Lanfrancus ad Cantuarienſem Archiepiſcopatum promotus, majora dedit in rem monaſticam propenſionis ſuæ argumenta. Tunc quippe Monachis præcipuas Anglicani regni eccleſias cathedrales occupantibus invidebant clerici, nihilque omittebant quacumque data occaſione, ut eos ab iis eccleſiis exturbarent: immemores hanc fuiſſe primam Anglicanæ eccleſiæ diſciplinam, ab ipſo ſancto Auguſtino, qui cum ſociis ſuis Ordinis noſtri monachis Anglicanam gentem ad fidem adduxerat, inſtitutam. Opportuna viſa fuit clericis occaſio in tanta rerum mutatione perſuadendi novo Regi, ut clericos monachis in eccleſiis cathedralibus ſubſtitueret. Et quidem ſua eos non fefelliſſet opinio, niſi Lanfrancus eorum conatibus totis viribus reſtitiſſet. Guillelmus quippe rex epiſcopos, quos in Anglia de novo conſtituerat, omnes pæne ex clericali ordine elegerat, qui proinde clericorum conatibus favebant, aut ſane non multum adverſabantur. unde res ipſis adeo indubitata videbatur,* ut Valchelinus epiſcopus *Vuintonienſis, inquit Eadmerus lib.* 1. jam adunatos pæne quadraginta clericos, canonicorum more tonſura ac veſte redimitos haberet, quos ejectis monachis, Vventanæ eccleſiæ cui præſidebat, mox intromitteret. *Solus ſupererat conſenſus Lanfranci obtinendus, quem abſque negotio ſe impetraturum autumabat. At res longe aliter evenit, ut proſequitur Eadmerus*, nam ubi quod Epiſcopus moliretur inſonuit auribus ejus, ilico facinus exhorruit, nec ſe dum viveret, ut effectum quoquomodo talis voluntatis obtineret, conſenſurum aſſeruit. *Multo gravior fuit in monachos procella, cum de Primatiali Cantuariæ eccleſia actum fuit, proindeque majori ad eam ſedandam conſtantia opus habuit Lanfrancus; ſed eum nec Regis auctoritas, nec aliorum Principum conſenſus umquam adducere potuerunt, ut monachorum ex ea eccleſia expulſioni conſentiret; immo, inquit Eadmerus,* ne poſt obitum ſuum fieret, quod ſe ſuperſtite ſciebat per auxilium Dei nequaquam perficiendum, neſciens mortis ſuæ diem vel horam, egit ſagacitate & induſtria qua pollebat, ut auctoritate Romanæ & Apoſtolicæ ſedis, monachorum habitatio in eadem eccleſia confirmaretur, & inconvulſa, dum ſæculum duraret, in perpetuum ſtabiliretur. *Exſtat ea de re Alexandri II. papæ decretum inter alias hujus pontificis Epiſtolas, quod Eadmerus*

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXXIX. Maii XXVIII.

aliique auctores integrum ſuis ſcriptis inſeruerunt. Exinde Benedictinus Ordo in Cantuarienſi aliiſque quamplurimis Angliæ regni eccleſiis cathedralibus perſeveravit uſque ad ejuratam tempore Henrici VIII. catholicam fidem. Quid præterea monachis præſtiterit Lanfrancus, ex eodem Eadmero aliiſque auctoribus repetendum eſt: pauca ex multis hic delibare ſufficiat. Monachorum eccleſiæ ſancti Salvatoris, domo veteri deſtructa, alias decore ac magnitudine multum præſtantes ædificavit, *inquit Eadmerus; abbatiam ſancti Albani*, quam intus & extra ad nihilum fere devolutam, ipſe ut ſuam, inſtituto ei bonæ memoriæ Paulo abbate, à fundamentis reædificavit, & intus magna religione, foris multarum rerum donatione auxit, honeſtavit, ditavit. Per *Gundulſum monachum, quem Epiſcopum Roffenſem inſtituit*, vetuſtam eccleſiam epiſcopatus, cum fabrica adjacente ſubvertit, & nova quæque exſtruxit.... ſedem epiſcopalem monachici ordinis cultu inſtituit, ac delegatis terris, & aliis quæ ſuſtentationi illic ſervientium Deo competebant, divitem de paupere, ſublimem de humili, ſicut in præſenti habetur, effecit. *Hæc Eadmerus, & Vuillelmus Malmeſburienſis. Nec minus eum de accurata regularis diſciplinæ obſervatione ſollicitum fuiſſe quam de ſplendore aut amplitudine ædificiorum probant præclara illa ſtatuta, quæ pro monachis edidit, à noſtro Acherio edita. Denique ſincerum ejus in monaſticam vitam amorem teſtatur illa epiſtola, quam ad Alexandrum papam ſcripſit, ut ab eccleſiæ Cantuarienſis regimine abſolveretur.* Rogo, *inquit*, quatenus propter Deum & animam veſtram, ut ſicut veſtra, cui contradici fas non fuit, me auctoritate alligaſtis, ſic quoque alligatum, abrupto per eamdem auctoritatem hujus neceſſitatis vinculo, abſolvatis, vitamque cœnobialem, quam præ omnibus diligo, repetendi licentiam concedatis. *quæ omnia probant titulum* Patris monachorum *jure merito Lanfranco conceſſum fuiſſe.*

Eccleſiarum protector.

4. *Mutatis in Anglia rebus, opus erat viro, qui eccleſiæ negotia ita moderaretur, ut nec eccleſiaſtica diſciplina his tumultibus jacturam aliquam ſuſtineret, nec eccleſiarum jura violarentur à victoribus. utrique egregie providit Lanfrancus, ea in re auctoritate qua pollebat in Regem prudenter utens, cujus à conſiliis erat. Etenim, ut notat Adam Bremenſis lib.* IV. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap.* XIV. Vuillelmus Baſtardus ablatis ſcandalis eum poſuerat Eccleſiæ doctorem, cujus ſtudio multi ad divinum animati ſunt obſequium. *Hinc cum pius antiſtes Conciliorum uſum in Anglia à multis retro annis obſolevisse animadvertiſſet, curavit ut deinceps frequenter haberentur. quod & factum eſt, & multa in iis ad diſciplinam recte ſervandam ſtatuta ſunt. Bona vero temporalia, quæ Eccleſiæ ſuæ bellorum tempore rapta fuerant, reſtitui procuravit, ad id Guillelmum Regem prudentia ſua* perducens, *inquit Eadmerus*, ut quam plures terras eccleſiæ Cantuarienſis, diverſis cauſis ac violentiis hominum ablatas, pro redemtione animæ ſuæ *reſtitueret.* viginti quinque maneria *ex iis enumerant Rodulfus de Diceto, & Matthæus Pariſius ad annum* MLXXXIX. *Quanta vero animi conſtantia Odoni Bajocenſi Epiſcopo, uterino ejuſdem Regis fratri, Eccleſiæ Cantuarienſis jura violanti reſtiterit, narrant Eadmerus lib.* I. *Novorum, & Vitæ auctor cap.* IX. *Hæc vero omnia ei tantam auctoritatem etiam apud Regem ipſum conciliarant, ut cum Vuillelmus in Normannia verſaretur, Lanfrancus* Princeps & cuſtos Angliæ eſſet, ſubjectis ſibi Principibus, *teſte Vita auctore cap.* XV. *Eadmerus aliis verbis idem omnino adſtruit, aſſerendo*, ad nutum Lanfranci totius regni intuitum ſpectaſſe. *Quod poſt ejus mortem potiſſimum enituit. Nam Guillelmus Rufus, qui jam patri ſuo ſucceſſerat*, confeſtim *inquit Eadmerus* foras expreſſit, quod illo, *Lanfranco*, conſotum habuit. Fecit ergo Eccleſiam Chriſti venalem, &c. *Unde merito de Lanfranco paucis verbis cum eodem Eadmero dici poteſt:* Breviter dico, ipſum revera magnum & inſuperabilem Eccleſiæ Chriſti defenſorem, & pium totius Angliæ Principem, ac in quantum ſibi licuit, bonum Paſtorem cunctis in ea conſiſtentibus, dum vixit fuiſſe. *Noverat id Alexander II. ſummus Pontifex, qui apud eumdem auctorem, Lanfrancum vocat* Patrem patriæ Anglicanæ; *& ei revera Paſtorales virgas, prout ipſi videretur, diſpenſandas contradiderat. Chronographus noſter Saxonicus, Normannis licet infeſtus, Lanfrancum laudat* in Eccleſia doctorem, cujus ſtudio & prius in Gallia, & poſtmodum in Anglia, multi ad divinum animati ſunt obſequium.

Scripta ejus.

5. *Non factis ſolum ſed etiam ſuis ſcriptis Lanfrancus Eccleſiam catholicam illuſtravit, quæ ei inter Eccleſiaſticos auctores locum meruerunt. Ejus opera omnia, quæ inveniri potuerant, primo in unum collecta edidit noſter Lucas Acherius, quorum hic eſt Catalogus.* Commentarius in Epiſtolas beati Pauli. Libellus de corpore & ſanguine Domini contra Berengarium. Annotatiunculæ in nonnullas Johannis Caſſiani Collationes Patrum. Decreta pro Ordine ſancti Benedicti, liber Epiſtolarum, Pericope orationis quam habuit in Concilio Anglicano, & libellus de confeſſione celanda. *Ex his Commentarius in Pauli epiſtolas ab Acherio vulgatus, non eſt ſincerus Lanfranci fetus: illum autem ipſum, qui ab eo ſcriptus eſt, habemus præ manibus, quem ſi aliquando opportuna fuerit occaſio, in lucem proferemus. Verum præter hæc opera dicitur etiam edidiſſe commentarium in pſalmos Davidicos, & hiſtoriam eccleſiaſticam, ſed neutrum hactenus reperire licuit. Certe quod Lanfrancus hiſtoriam ſui temporis ſcripſerit, extra dubium videtur eſſe. cujus rei teſtis eſt Eadmerus libro* I. *Novorum, ubi de Lanfranco ſic loquitur:* Ipſemet de rebus eccleſiaſticis quæ ſuo tempore geſta ſunt, veraciſſimo & compendioſiſſimo calamo ſcripſit. *Hoc opus, ut mihi videtur, laudat Vuillelmus Malmeſburienſis libro* I.

de

Digitized by Google

de Pontificibus Anglorum, ubi de controverſia inter ipſum Lanfrancum & Thomam Eboracenſem archiepiſcopum exorta agens, rem eſſe ex Lanfranci ſcriptis repetendam his verbis monet: ANN. CHR. MLXXXIX. MAII XXVIII. Ipſe melius ſcripto ſuo inſinuabit, quod de ordinatione ſua, & controverſia inter ſe & Eboracenſem Thomam commota & ſedata ita ſcripſit. Anno Dominicæ Incarnationis MLXX. intravit, &c. Porro inter cetera ejus opera principem locum facile obtinet liber, quem, cum adhuc Prior eſſet Becci, de corpore & ſanguine Domini edidit adverſus Berengarium hæreſiarcham. Hunc quidem jam ſemel & iterum verbis confutaverat, primum ſcilicet in Romana ſynodo præſente ſummo Pontifice Leone, & iterum in altera ſynodo CXIII. epiſcoporum coram Nicolao II. ubi Berengarius abjurata hæreſi catholicæ fidei formulam palam legerat, & ei ſeſe ſincero animo, adhibito etiam jurejurando, adhærere profeſſus fuerat, libris ſuis in ignem projectis coram univerſa ſynodo; paullo poſt tamen ad vomitum ſuum reverſus, pravitatem ſuam, inquit Lanfrancus, clandeſtinis diſputationibus apud imperitos tueri conabatur. ſed id impune non tulit. nam Lanfrancus, ut teſtatur Baronius ad annum MLIX. libro adverſus eum ac ejus errores edito, arrogantis hæreſiarchæ retudit audaciam, refellit errores, diſſolvit fallacias, blaſphemias redarguit, convertens eas in caput ipſius, &c. Hunc librum Johannes Bromtonus abbas Jornalenſis in Chronico appellat Tonantem librum, quem ab ipſo Lanfranco Scintillarum fuiſſe intitulatum ſcribit.

6. Tanta doctrinæ fama per totam Europam peragrans plurimos diſcipulos Lanfranco adquiſivit, Diſcipuli. hincque Beccenſe cœnobium, quod exiguum antea erat & vix notum, brevi amplis poſſeſſionibus, & monachorum numero celebre evaſit. Immo Normannia, quæ huc uſque litterarum expers habebatur, Lanfranco magiſtro ita profecit, ut poſtea viris eruditione & doctrina eximiis abundaverit. Ea de re audiendus Ordericus Vitalis libro IV. Hiſtoriæ eccleſiaſticæ, ubi de Lanfranco hæc habet. Cœnobiolum Beccenſe in Normannia loci ſitu, & paupertate elegit, quod prudentia ipſius vigilantiſſimaque cura locupletavit, & in ſtatum pulcherrimi ordinis provexit.... Coactu obedientiæ de clauſtrali quiete protractus magiſter proceſſit, quo docente philoſophicarum ac divinarum litterarum bibliotheca effulſit. In utraque nodos quæſtionum ſolvere potentiſſimus erat. Hoc magiſtro primitus Normanni litteratoriam artem perſcrutati ſunt, & de ſchola Beccenſi eloquentes in divinis & ſæcularibus Sophiſtæ proceſſerunt. Nam antea ſub tempore ſex Ducum Neuſtriæ, vix ullus Normannorum liberalibus ſtudiis adhæſit, nec doctor inveniebatur, donec proviſor omnium Deus Normannicis oris Lanfrancum appulit. Fama peritiæ illius in tota ubertim innotuit Europa, unde ad magiſterium ejus multi convenerunt de Francia, de Vvaſconia, de Britannia, necnon Flandria. Paucioribus verbis hæc eadem omnia expoſuit Vuillelmus Malmeſburienſis libro I. de geſtis Pontificum Anglorum, ubi de Lanfranco ſic loquitur: Litteratura perinſignis Liberales artes, quæ jamdudum ſorduerant, è Latio in Gallias vocans acumine ſuo expolivit.... Exivit fama ejus remotiſſimas latinitatis plagas, eratque Beccum magnum & famoſum litteraturæ gymnaſium. Inter celebriores Lanfranci diſcipulos recenſentur Alexander II. ſummus Pontifex, Guitmundus Averſanus poſtea Archiepiſcopus, Guillelmus Rotomagenſis, Hernoſtus & Gundulfus Epiſcopi Roffenſes, Fulco Belvacenſis, Ivo Carnotenſis, ut teſtis eſt Robertus de Monte, aliique quam plurimi, qui ad infulas variarum eccleſiarum rapti ſunt. Sanctus vero Anſelmus ita Lanfranci eruditionem ſuſpiciebat, ut ad eum Monologium à ſe editum tranſmiſerit ejus cenſuræ ſubjiciendum, immo & Lanfrancum precatus eſt, ut quemcumque titulum meliorem judicaret, huic libro imponeret. Hoc, inquit Anſelmus lib. I. Epiſt. LXIII. cum importunitate à veſtra auctoritate non deſinam exigere, quatenus de eodem opuſculo.... quid fieri debeat veſtra decernat auctoritas. Titulum autem nullum illi præpoſui, quippe quod nequaquam tanti exiſtimavi, ut illud ſuo nomine dignarer. Si igitur veſtro ſederit arbitrio, ut quod ſcripſi ſcripſerim, à quo habebit firmitatem, ab eo habeat & nomen. Eum vero quem vivum tanti fecerat, poſt mortem adverſus hæreticum calumniatorem egregie propugnavit. Nam Roſcelinus, qui tres perſonas ſanctiſſimæ Trinitatis tres res eſſe, eo modo quo tres angeli tres res ſunt, aſſerebat, ita tamen ut una eſſet in his tribus perſonis voluntas aut poteſtas, eo impudentiæ devenerat, ut Lanfrancum & Anſelmum ſui dogmatis fautores eſſe mentiretur. at hæretici calumnias fortiter refutavit Anſelmus, ut patet ex ejus epiſtola ad Fulconem Belvacenſem epiſcopum ſcripta, quæ eſt libri ſecundi XLI. ubi eum monet ut Lanfranci ac ſui defenſionem ſuſcipiat in Concilio, quod ea de re à Rainaldo Remorum archiepiſcopo proxime congregandum erat. Ita vero de Lanfranci doctrina loquitur: Archiepiſcopum quidem Lanfrancum vita ejus multis religioſis & ſapientibus viris nota, quia de eo numquam aliquid tale ſonuit, ab hoc crimine ſatis excuſat, &c. Nec mirum eſt id Lanfranco defuncto impactum fuiſſe, quod ipſi adhuc in vivis agenti factum fuerat. Nonnulli enim, neſcio quo ſpiritu ducti, eum apud Romanum pontificem accuſaverant, quaſi Berengarii erroribus faveret. quam calumniam brevi non ſolum ſcriptis, ſed etiam verbis coram duobus Pontificibus & univerſis ſynodis, ut jam diximus, penitus à ſe removit; ſicque pravi rumoris, ut ipſemet loquitur in libello contra Berengarium ſupra laudato, à ſe maculam abſterſit, fidem ſuam expoſuit; atque quod dixit omnibus placuit, nulli diſplicuit. Magnum de-

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXIX. MAII XXVIII. Obitus.

nique argumentum eſt Lanfranci doctrina, quod poſt ejus mortem Epiſcopi Anglicani, ſimul in unum in ſynodo adunati, eum Magiſtrum ſuum nuncupaverint.

7. Supereſt ut inquiramus, quo anno, quove menſe & qua tandem die Lanfrancus è vivis exceſſerit; hæc enim omnia in controverſiam vertuntur. Verum ſi antiquorum ſcriptorum teſtimonio ſtare voluerimus, nulla erit de anno difficultas. illi enim conſtanter affirmant, Lanfrancum anno MLXXXIX. è vivis exceſſiſſe. ſic habent Symeon Dunelmenſis, Johannes Bromton in Chronico, Ordericus Vitalis lib. VIII. hiſtoriæ, Chronicon Beccenſe ab Acherio editum, item Chronicon Mailroſenſe, & alii paſſim auctores Hiſtoriæ Anglicanæ, quibus præivit Ingulfus, Lanfranco dum viveret amicitia conjunctus, ut ipſemet in nova ejus Hiſtoriæ integræ editione atteſtatur. Major eſt circa menſem difficultas. Nam omnes ferme recentiores hiſtorici ea in re à ſe invicem diſſentiunt. Matthæus Vveſtmonaſterienſis eum die IX. Cal. April. obiiſſe memorat; Matthæus Parkerus die IV. Junii, Petrus Equilinus V. Non. Julii, Balæus V. Cal. Julii, Arnoldus Vvion, Hugo Menardus aliique recentiores plerique tertia die Julii. His tamen omnibus præferimus antiquiorum Angliæ ſcriptorum auctoritatem, qui Lanfrancum menſe Maio obiiſſe una voce affirmant. at quo hujus menſis die id contigerit, hic totus eſt difficultatis nodus, quem, ut verum fateamur, nemo facile ſolvet, ob nimiam opinionum diſcrepantiam. Sic quippe ea de re Symeon Dunelmenſis, Anno MLXXXIX. Feria V. IX. Cal. Junii obiit Lanfrancus. Idem ipſiſſimis verbis aſſerunt Rogerius Hovedenus in parte priori Annalium, Florentius Vvigornienſis in Chronico. Et quidem notæ iſtæ chronologicæ optime inter ſe cohærent. nam anno MLXXXIX. dies Dominica erat dies XX. Maii, exſiſtente littera Dominicali G. ac proinde feria V. ſequens in diem XXIV. hujus menſis incidebat, quam iſti auctores aſſignant. Verum Gervaſius Dorobernenſis in actis Pontificum Cantuarienſium alia die Lanfranci obitum aſſignat his verbis: Obiit anno Patriarchatus ſui XIX. V. Cal. Junii, Feria II. poſt Octavas Pentecoſtes, hora diei prima. Conſentiunt Milo Vitæ ſequentis auctor, Johannes Bromtonus in chronico, & Tabulæ eccleſiæ Cantuarienſis. conveniunt item huic calculo aliæ notæ chronologicæ, cum eo anno dies Paſchatis inciderit in diem primam Aprilis, ac ideo feſtum Pentecoſtes die XX. Maii, celebratus fuerit, ejus octava die XXVII. ejuſdem menſis, & proinde ſequens feria II. quæ à Gervaſio aſſignatur, dies erat Maii XXVIII. Hanc ſententiam amplexus eſt Johannes Capgravius qui Sanctorum Angliæ vitas conſcripſit, ac poſt eum Eduardus Maihevv in Trophæis Anglo-Benedictinis. cui calculo nos quoque adhærebimus, donec certiora pro priori afferantur argumenta. Ad id nos potiſſimum movet, quod hujus poſterioris ſententiæ auctores data opera vitam ſancti Lanfranci ſcripſerint, ceteris ea de re ex occaſione ſolummodo loquentibus.

Cultus & memoria.

8. Porro etſi nulla veneratione publica colatur memoria beati Lanfranci, ejus tamen nomen cum ſancti titulo in vulgatis Martyrologiis inſertum eſt, ut in Martyrologio Benedictino Arnoldi Vvionis, & in Catalogo generali ſanctorum Philippi Ferrarii. Hugo Menardus, Eduardus Maihevv & alii paſſim beatum appellant, ſummæ ſanctitatis & doctrinæ. Iiſdem titulis antea donatus fuerat à Trithemio, Lelando, Capgravio, quod jamdudum vetuſtiores ſcriptores fecerant. Sic quippe de eo loquitur Guillelmus Pictavienſis in libro de Geſtis Guillelmi Ducis: Illi conſulta animæ ſuæ, Guillelmus Dux, illi ſpeculam quamdam, unde ordinibus eccleſiaſticis per omnem Normanniam conſuleret commiſit. potuit nempe viri talis vigilans cura, cum maximam auctoritatem ſapientiæ pariter ac SANCTITATIS prærogativa comparavit, ſecuritatem non parvam ſollicitudini promittere. Et Oſbernus monachus in Epiſtola ad ſanctum Anſelmum, Recuperemus in te, quod in mortuo ſanctiſſimo patre Lanfranco perdidimus. exſtat inter epiſtolas ſancti Anſelmi libro 3. num. 5. edita. Aſſerit Vvillelmus Malmeſburienſis lib. I. de Pontificibus Anglorum, ſanctum Dunſtanum Lanfranco ſemper affuiſſe, quoties de tuendis eccleſiæ ſuæ juribus ageretur, quod etiam refert Oſbernus in Vita ſancti Dunſtani ſuperiori Sæculo edita. Quin etiam Lanfrancus, ut idem Vvillelmus obſervat, quemdam ægrum & cunctantis vitæ pertæſum, in viſione qua videretur cum eo luctam iniviſſe, eripuit diſcrimini, reſtituit bonæ valetudini. quod, occaſionem præbere potuit nonnullis, maxime Vvicnis, Lanfrancum miraculis clariſſimum prædicare. Denique in variis auctoribus, bonæ aut piæ memoriæ vir paſſim appellatur. Quæ ſane omnia probant quod Vvillelmus libro III. de Geſtis Regum Anglorum in noſtri Lanfranci honorem protulit, eum quippe eſſe virum antiquis ſcientia & religione comparandum, de quo ſerio dici poteſt, Tertius è cælo cecidit Cato. adeo cæleſtis ſapor pectus ejus & palatum infecerat. Plura de ejus laudibus habentur in libro dierum obitualium eccleſiæ Cantuarienſis, ubi præſcribitur qua ſollemnitate ejus anniverſarium debeat celebrari. Adi ſi vis Angliæ ſacræ tom. I. ubi habetur pag. 55. Denique nullus ferme Hiſtoriarum ſcriptor Lanfrancum multis laudibus non exornavit. ſed jam proferenda eſt ejus Vita, quam ab Acherio noſtro ex codice Beccenſi, multis paſſim prætermiſſis editam, integritati ſuæ reſtituimus.

INCIPIT PROLOGUS IN VITAM MAGNI, & glorioſi LANFRANCI Cantuarienſium Archiepiſcopi.

QUONIAM à pluribus quæritur vita venerabilis LANFRANCI Dorobernenſis Archipræſulis, nec invenitur: volui de eo aliquid ſcribere pro tenuitate ingenii mei; ne omnino tanti viri memoria ſilentio deleatur. Opus ſiquidem, ut mihi videtur, hactenus intermiſſum; rarus quippe de eo aliquid ſcripſiſſe reperitur. Propter quod in vita beati patris noſtri HERLUINI venerabilis Vueſtmonaſterii abbas GISLEBERTUS, quaſi ex occaſione inſeruit, quantum ad hiſtoriam pertinere viſum fuit: quæ exinde mutuans, & in hanc narrationem transferens, adjeci quælibet invenire potui, ſive quæ à venerabilibus ac veracibus viris audivi. Hoc autem ideo facere ſtudui, ut (quantum in me fuit) non lateret, qui aliis proponendus ad imitandum foret, ſed notus omnibus fieret ad honorem Dei, & utilitatem legentium; atque ut noverint, qui ſcire volunt, quis vel unde fuerit; quam vivendi inſtitutionem habuerit; quomodo ad religionem, ac deinde ab Abbatiam, & poſtea ad Archiepiſcopatum venerit; ſeu qualiter de hac luce migraverit. Et de his quidem non omnia quæ dicenda forent audire potui. Nec quiſquam mihi ſuccenſere debet, quod imperitus ſermone & ſcientia aggredi materiam tam dignam auſus fuerim: quia potius duxi quoquomodo dicerem, quam nullus. Quod ſi cui ruſticitas ſtili, & incultus ſermo diſplicuerit, & ornatius eadem dicere voluerit, precor ne mutando verba, tollat rei geſtæ ſententiam; niſi forte aliquid ineſſe repererit falſitatis.

INCIPIT VITA B. LANFRANCI.

1. FUit quidam vir magnus Italia ortus, quem Latinitas in antiquum ſcientiæ ſtatum ab eo reſtituta tota, ſupremum debito cum amore & honore agnoſcit Magiſtrum, nomine LANFRANCUS. Ipſa quoque in liberabilibus ſtudiis magiſtra gentium Græcia, diſcipulos illius libenter audiebat, & admirabatur. Hic Papia civitate oriundus fuit. Parentes illius, ejuſdem urbis cives, magni & honorabiles habebantur inter ſuos concives. Nam, ut fertur, pater ejus de ordine illorum [a], qui jura & leges civitatis aſſervabant, fuit. Lanfrancus in primæva ætate patre orbatus, cum ei in honorem & dignitatem ſuccedere deberet, relicta civitate, amore diſcendi ad ſtudia Litterarum perrexit: ubi plurimo tempore demoratus, omni ſcientia ſæculari perfecte imbutus, rediit. Deinde patria egreſſus, & Alpes tranſgreſſus, in Gallias venit tempore HENRICI regis Francorum, & glorioſi ducis Normannorum GUILLELMI, qui Angliam ſibi armis ſubegit. Et pertranſiens Franciam, quamplures magni nominis ſcholares ſecum habens, in Normanniam pervenit; & in Abrincatenſi * civitate demoratus, per aliquod tempus docuit. Conſiderans vero ſcientiſſimus vir, quod captare mortalium auram vanitas eſt; & quia ad non eſſe tendunt omnia, præter eum qui fecit univerſa, qui ſemper eſt, & qui ei intendunt; ad obtinendum ejus amorem, animum convertit & ſtudium. Quod igitur in litteris perfectius invenit ſalutis conſilium, & placendi Deo, arripere ſtatuit: ut relictis omnibus, abdicato etiam ſui ipſius jure, illum ſequeretur, qui dixit: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Et quia quanto magnus fuerat, tanto optabat fieri humilior,

CAPUT I. Lanfrancus Latinæ linguæ reſtitutor.

Patria & parentes.

a

In Abrincenſi civitate docet.

* *Avranches.*

Matth. 16. 24.

a Robertus de Monte in Chronico mſ. hæc habet ad annum 1042. *Lanfrancus de Senatorum Papiæ nobili genere natus, in ſeptem liberalibus diſciplinis mirabiliter eruditus.*

Ann. Ch. MLXXXIX. Maii XXVIII.

locum adire nolebat, ubi litterati, qui eum honori ac reverentiæ haberent.

2. Interea cum ire vellet Rotomagum, iter agebat inclinata jam die, per ſilvam ultra fluvium Riſlam [a], incidit in latrones [b]; qui cuncta quæ habebat tollentes, ligatis à tergo manibus, & caputio cappæ ante oculos admoto, abduxerunt illum de via; & inter condenſa ſaltus fruteta dimiſerunt. Talibus anguſtiis comprehenſus, neſcius quid ageret, ſuum infortunium lamentabatur. Tandem nocturno ſilentio in ſe reverſus, voluit Domino laudes debitas perſolvere, & non potuit: quia ad hoc antea non vacaverat. Et converſus ad Dominum: Domine Deus, ait, tantum tempus in diſcendo expendi, & corpus & animum in ſtudiis litterarum attrivi; & adhuc quomodo te debeam orare, atque laudis officia tibi perſolvere non didici. Libera me de hac tribulatione; & ego, te auxiliante, ſic vitam meam corrigere, & inſtituere curabo, ut tibi ſervire valeam, & ſciam. Surgente aurora, in ipſo crepuſculo audivit viatores iter carpentes; & cœpit vociferando ab eis auxilium petere. Illi audientes primo expavere; dehinc vocem hominis advertentes; ad ſonum vocis perrexere, & quis eſſet, quid haberet indicavit. Tunc eum ſolventes reduxerunt ad viam. Rogavit ſane ut vilius & pauperius cœnobium quod in regione noſſent, ſibi demonſtrarent. Reſponderunt: Vilius & abjectius monaſterium nullum ſcimus, quam iſtud quod in proximo ædificat quidam homo Dei; & oſtendentes viam diſceſſerunt. At ille greſſum illuc vertens, BECCUM adiit, quo nullum uſquam tunc pauperius æſtimabatur, vel abjectius cœnobium. Forte tunc Abbas exſtruendæ fornaci occupatus, ipſemet operabatur manibus ſuis; & accedens ad eum dixit: Deus te ſalvum faciat. Et Abbas: Deus te benedicat, inquit. Es Lombardus? at ille, ſum. Et Abbas, Quid vis? Monachus, ait, fieri volo. Tunc Abbas præcepit cuidam monacho, nomine Rogerio, qui in parte opus ſuum faciebat, ut illi oſtenderet librum Regulæ [c]. qua perlecta, reſpondit omnia Deo ſe juvante libenter ſervaturum. Hæc audiens Abbas, & ſciens quis eſſet, & unde, conceſſit ei quod petebat. At ille per os furni procidens in faciem, oſculatus eſt pedes ejus. Lanfrancus humilitatem animi ſermoniſque gravitatem in Abbate plurimum veneratus & amans, monachus ibi efficitur.

Rotomagum petens incidit in latrones.

Vitam meliorem ſpondet.

Beccum adit.

Fit monachus.

3. Quo facto venerabilis pater HERLUINUS gaudio repletus eſt non modico, quia credebat à Deo preces ſuas eſſe exauditas. Nam quia ſumtuum procurandorum neceſſitas illum extra clauſtrum demorari cogebat, nec erat qui præſideret introrſus, & religionem aſſervaret: multoties Deum cum exoraſſet, divina miſeratio ſibi accommodavit auxilium, ſufficiens ad omnia quæ agenda forent ſuffragium. Videres ergo inter eos pium certamen: Abbas ex grandævo laïco nuper in clerum promotus, verebatur ſibi ſubditam tanti doctoris celſitudinem: ille nullam pro eminenti ſcientia gerens inſolentiam, humillime ad omnia parebat, attendebat, admirabatur, & prædicabat quam ipſi in intelligendis ſcripturis gratiam Deus conceſſerat, & dicebat: Quando attendo laïcum iſtum, neſcio quid dicam, niſi quia Spiritus ubi vult ſpirat. Abbas erga illum debita veneratione, ille erga eum omnimoda contendebat ſubmiſſione, forma gregi uterque viven-

Johan. 3. 8.

[a] Riſla Normanniæ fluvius, qui prope S. Ebrulfi monaſterium ortum habet. unde conjicere eſt Lanfrancum à latronibus ſpoliatum fuiſſe in ſilva Uticenſi, vulgo *la foreſt d'Ouche*, quæ prædicto monaſterio Utici nomen dedit, qua tranſeundum eſt eundo Abrincis Rotomagum.

[b] Paullo aliter rem narrat Chronographus Beccenſis ad annum 1041. ubi refert latrones Lanfranco omnia præter veterem chlamydem abſtuliſſe. Ac ipſe volens eis & chlamydem dimittere, exemplo Libertini de quo Gregorius Magnus lib. 1. Dialog. c. 2. ut ſibi, ſicut Libertino contigerat, omnia miraculo reſtituerentur, cum recta non eſſet ejus intentio, contrarium evenit. latrones quippe ipſum nudum arbori uni alligarunt, & ſcholarem ſuum alteri. Sic relictus Deo promiſit, ſe omnia mundana dimiſſurum, ſi liber evaderet: ſtatimque vinculis ejus divinitus ſolutis, ſodalem ſuum ſolvit, & votum ſuum apud Beccum explevit.

[c] Juxta Regulæ S. P. Benedicti præſcriptum in capite 58. de diſciplina ſuſcipiendorum fratrum.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXIX. MAII XXVIII.

di facti; unus activæ, alter contemplativæ. Abbas humilis, patientiæ ſummæ, in cura corporis continentiſſimus, nullam ſæcularis pompæ curam gerens, legum patriæ ſcientiſſimus, præſidium erat ſuis contra iniquos exactores, ad tractanda cauſarum ſæcularium negotia & diſponenda exteriora peritiſſimus, in exſtruendis vel procurandis neceſſariis nec prudentior, nec efficacior, ſalva religione, eſſe poterat. At Doctor ille maximus in clauſtro omnem operam impendebat quieti & ſilentio, cordis ſui novalia verbi ſacri excolens aſſidua lectione; irrigans ea dulci, quam ſæpe obtinebat, lacrymarum compunctione.

4. Nec oblitus quod Deo in nocturna captione promiſerat, poſtquam factus eſt monachus, in diſcendis officiis diurnis & nocturnis curam maximam impendere voluit, ut ſciret Deo laudis ſacrificium perſolvere, ſicut noverat. Sic per tres annos vixit ſolitarius, gaudens quod neſciebatur, præter paucos quibus aliquando loquebatur, omnibus ignotus. Rumor ut hoc factum prodidit, longe lateque protulit; & fama viri præclariſſima Beccum, & Abbatem Herluinum brevi per orbem terrarum extulit. Clerici accurrunt, Ducum filii, nominatiſſimi ſcholarum magiſtri latinitatis, laïci potentes, & nobiles viri multi, pro ipſius amore multa eidem eccleſiæ contulerunt. Hic ergo Lanfrancus, qui pro Deo ſe abdicaverat ſibi, omni vilitate & extremitate contentus, omni obedientia ſe ſubmittere curabat Majori. Denique, ut fertur, lectionem non volebat legere in eccleſia niſi prius eam cantor audiſſet. Quadam die dum ad menſam legeret, dixit quiddam inter legendum ſicut dicere debuit, quod non placuit præſidenti, & aliter dicere juſſit; velut ſi ille dixiſſet, docēre, media producta, ut eſt; & iſte eadem media correpta emendaſſet dócere, quod non eſt. Non enim Prior ille litteratus erat. At vir ſapiens ſciens magis obedientiam Chriſto deberi quam Donato, dimiſit quod bene pronunciaverat, & dixit quod non recte dicere jubebatur. Nam producere brevem, vel longam corripere ſyllabam, non capitale noverat crimen; verum jubenti ex parte Dei non parere, culpam non levem eſſe ſciebat.

II. Lanfranci regularis obſervantia.

Ejus fama.

S. Benedicti Reg. c. 7.

Humilitas notanda.

Obedientia.

5. Quidam ſæcularis dedit Beccenſi eccleſiæ terram [a], ad quam miſſus eſt Lanfrancus, ut eam ſervaret & inſtauraret. Una dierum dum de monaſterio ad locum illum regrederetur, detulit catum in panno involutum, poſt ſe ad ſellam ligatum. Dum iter faceret, quidam adjunxit ſe illi: cumque ſimul pergerent, ſocius viator audivit vocem cati, & cœpit mirari & circumſpicere ubi eſſet catus, cujus audiebat vocem; tandem advertit magiſtrum Lanfrancum, illum poſt ſe ligatum ferre. & ait illi: Domine quid portas? Reſpondit, Mures & rati valde nobis ſunt infeſti, & idcirco nunc affero catum, ad comprimendum furorem illorum. Ecce ad quantam humilitatem tantus vir pro Deo ſeſe ſubmittere curavit; & quia multum ſe humiliavit, Deus illum exaltare in præſenti non diſtulit.

A

6. Verum fratres qui jam adunati erant in ipſo loco, non multum litterati, nec admodum religione inſtructi habebantur. Cernens Lanfrancus fratrum inertiam, morum pravitatem, ordinis tranſgreſſionem, contuens aliquos etiam ſibi invidere, qui ſibi metuebant eum præficiendum fore: ignorabat quid ageret, quo ſe transferret. Tædebat eum converſationis inhoneſtæ, inhiabat ardenter ad ſolitariæ dulcedinem vitæ. Simulata igitur ſtomachi infirmitate, Fulcrannum hortolanum rogavit, ut ei quotidie afferret radices quorumdam carduorum, quas ſibi aſſerebat afferre ſolutionis remedium. Hoc autem faciebat, ut corpus ſuum aſſuefaceret tali edu-

Eremiticam vitam optans fugam meditatur.

[a] Hæc terra, ut puto, eſt monaſterium S. Ebrulfi, quod Vvillelmus-Geroii monaſterio Beccenſi, ubi monachum induit, tradidit. Ibi Lanfrancus aliquamdiu degit cum aliquot monachis, ac celebre olim iſtud monaſterium, quod omnino dirutum erat, utcumque reſtauravit. Poſtea data Beccenſibus villa *Ruſſerie* à B. Theoderico, ut in ejus Vita diximus, monaſterium S. Ebrulfi priſtinum ſplendorem recepit.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXXIX. Maii XXVIII.

lio, quali vivere diſponebat in eremo. Cum ergo jam animum & corpus præpararet ad fugam nocturnæ elapſionis; domno Herluino abbati nihil de hac re ſuſpicanti, dum in lecto quieſceret, egregiæ indolis Hugo puer, qui nuperrime obierat, in veſte candida apparuit (filius Baldrici de Sauvarvilla, nepos ejuſdem Abbatis) cujus aſpectu in nullo turbatus, amabiliter ſic eum Abbas affatur: Quid eſt fili? Quomodo te habes? Et puer alacriter; Ego me, ait, bone Pater, bene habeo: quia per Dei miſericordiam, & tuam interceſſionem, liberatus ſum ab omni tormento. Sed Deus miſit me ad te, ut dicam tibi, quia ſi tibi non proſpexeris, magiſtrum Lanfrancum ad proximum non habebis. Abbas admiratus: Quomodo, inquit, fili? Puer ad hæc: Quia ſolitariam vitam deſiderat, & de monaſterio egredi deliberat, quoniam mores fratrum & vita ſibi non placent. vide ergo quid facias; quia tibi non expedit ut te deſerat. His dictis puer diſparuit. Abbas attonitus in his quæ audierat, reliquum noctis in vigiliis & orationibus inſomne peregit. Summo autem mane, mox [a] ut hora loquendi ſe dedit, Lanfrancum adſcivit, ſecum ſingulariter ſedere fecit; cor Abbatis intimo dolore concutitur, vox intra fauces premitur, lacrymæ erumpentes dolorem cordis aperiunt. Lanfrancus hoc videns in terram proſternitur; cur Abbas ſic plorat, aperiri ſibi ſuppliciter precatur. Tandem Abbas in hæc verba prorumpit: Heu mihi cui tale damnum minatur Deus! Væ mihi qui meum conſilium perdidi, meum adjutorium amiſi! Multoties per magnos gemitus Deum rogavi, uberrimis lacrymis divinæ ſupplicavi miſericordiæ, ut talem mihi virum præſtaret, cujus conſilio & auxilio locum iſtum emendarem, & quæ Deo eſſent placita monachorum uſibus inſtaurarem. Et quando, frater Lanfrance, huc te Deus adduxit, preces humilitatis meæ exauditas credidi. Ego in te onus meum transferre cogitabam: ego te totius oneris mei ſarcinam ſupportare ſperabam. Nunc autem neſcio qua de cauſa hinc diſcedere, me relicto, ſatagis, & ad deſerta pergere cupis. Lanfrancus intelligens voluntatem ſuam detectam, & propoſitum cordis ſui, quod occultum putabat, evidenter propalatum, Abbatis pedibus ilico advolvitur, & qualiter ſibi innotuiſſent talia, humiliter ſciſcitatur. Tunc ei Abbas blanda voce viſionem aperuit, & quid ſibi divinitus per puerum revelatum ſit, ſicut ſuperius reteximus, per ordinem explicavit. Lanfrancus mirabilius dictu obſtupefactus, & Dei gratiam in Abbate vehementer admiratus, humi proſtratus, per confeſſionem patri protinus quidquid in voluntate habuerat, corde compunctus expoſuit, pœnitentiaque accepta, & abſolutione impetrata, ſpopondit ſe numquam ab ipſo diſceſſurum, ejuſque præceptis per omnia obtemperaturum. Abbas ingentes omnipotenti Deo gratias referens, quam citius potuit Lanfrancum Priorem conſtituit; & quidquid ditioni monaſterii ſubjacebat, interius & exterius ipſius curæ commiſit. Quos ita unanimes tribuit eſſe divina protectio, ut nulla umquam inter eos orta fuerit diſſenſionis occaſio. Hanc viſionem Lanfrancus nec volens propalare, nec omnino occultare, indicavit illam cuidam monacho, nomine Vuillelmo, quem ipſe à puero nutrierat, & docuerat, plurimumque amabat: præcipiens ne cui diceret quamdiu ipſe in corpore viveret. Quod ille ſervavit uſque ad ultimam ſenectutem. Poſt mortem vero Lanfranci, cum jam nulla prohibitione urgeretur, ſcripſit rem ſicut audierat; & Abbati ac monachis Becci ſcriptam [b], pro-

Retinetur ab Herluino.

Prior inſtituitur.

a Poſt Primam ſcilicet & preces in Capitulo recitatas. ante enim iſtud tempus ſilentium, quod in Regulæ cap. 42. ſtrictius præſcribitur, ſolvere abſque gravi neceſſitate non licet.

b Hanc epiſtolam ex mſ. Beccenſi vulgarunt Johannes Picardus, & noſter Gabriel Gerberonus in notis ad Epiſtolam 41. lib. 2 beati Anſelmi. Ad Vuillelmum ſcripſit Lanfrancus epiſtolam, quæ eſt 48. editionis Acherianæ. Obiit circa annum 1109. ex Orderico Vitali lib. 2. qui eum inter viros ſanctitate & doctrina præcipuos recenſet, ſic enim loquitur. *In illo tempore migraverunt plures ſanctitate & ſapientia præcipui doctores eccleſiarum, Anſelmus ſcilicet Archiepiſcopus Cantuariorum, Guillelmus Archiepiſcopus Rotomagenſium, venerabileſque cœnobiorum Rectores, Hugo abbas Cluniacenſis, Gervaſius Rhedonenſis & Guillelmus Cormelienſis.*

ut ſupra digeſſimus, direxit. Fuit idem Vvillelmus abbas Cormelienſis cœnobii. ANN. CH. MLXXXIX. MAII XXVIII.

7. Ad adminiſtranda quoque totius patriæ negotia ſummus ab ipſo Normanorum duce VVILLELMO Conſiliarius aſſumitur. III. Duci Vvillelmo eſt à Conſiliis. Cujus gratiæ nimiam perturbationem, quæ repente irruit, inſperato Deus ſereno lætificavit. Quorumdam enim accuſationibus delatorum Dux in eum vehementer amaricatus, mandat ut monaſterio exturbetur, patria diſcedat Lanfrancus. Nec motus animi ſui hac indicta ſedare valens, mandavit juris monaſterii villam, quæ Parcus dicitur, flammis excidi. Paretur tam efferæ juſſioni. Eo diſcedente, qui omne gaudium fratribus erat & conſolatio, Ab ipſo alienatus. dolor altus remanet. Quia melior non habebatur, tripes equus quarto pede inutili, illi tribuitur, & unus famulus. Inſtant itaque fratres orationi, juxta illud Jeremiæ: Præſtolantes cum ſilentio ſalutare Domini. *Thren. 3. 26.* Protinus qua ille diſcedebat Duci obvius venienti appropinquans, equo per ſingulos paſſus caput ad terram ſubmittente, dominum ſalutat: innocentiæ quidem conſcius, ſi locus dicendi daretur, non diffidebat cauſæ. Dux primo vultum avertit, ſed divina agente clementia, mox miſerando reſpexit, & nutu benevolentiæ aditum loquendi concedit. Tunc Lanfrancus decenti joco ait: Tuo juſſu provincia tua diſcedo pedes, hoc inutili occupatus quadrupede: vel ut juſſioni tuæ parere queam, da mihi equum meliorem. Cui Dux ſubridendo: Quis, inquit, ab offenſo judice, infecto illati criminis negotio, munera expoſcit? Tandem diſertiſſimus orator petiit audientiam, & Deo ſibi opem ſubminiſtrante cauſam exorſus, brevi ad optatum finem peroravit. In ampliſſimam gratiam ilico receptus, accipit promiſſum, In gratiam redit. quod nulla deinceps accuſatione ſubiret purgandi præjudicium. Gratiſſimi mox ſuccedunt amplexus & oſcula. Multo etiam cum augmento reſtituenda promittuntur, quæ Dux nuperrime devaſtari juſſerat. Alacerrime quidam præcurrens nuntiat fratribus illum redire. Commutantur lacrymæ, perſonat non ſemel, ſed per totum diem ubique corde & ore à cunctis pium *Te Deum laudamus*. Abbas inopinatæ rei fidem adhibere non poterat, propter feritatem quam in domino ſciebat, donec deſideratus advenit. Accumulatur gaudium, quia incenſorum fit integra reſtitutio; terrarum quoque eidem eccleſiæ conceſſarum, ab eodem domino obtinetur confirmatio.

8. Hujus tam improvidæ juſſionis cauſam [a] aiunt, quod idem Lanfrancus Cauſa calamitatis. contradicebat nuptiis filiæ Comitis Flandriæ, quam ipſe ſibi Dux copulaverat in matrimonio, quia proxima carnis conſanguinitate jungebatur. Unde auctoritate Romani Papæ, tota Neuſtria fuerat ab officio Chriſtianitatis ſuſpenſa & interdicta. Quapropter Lanfrancus iterum Romanum Papam adiit: jam enim antea Romam petierat cauſa cujuſdam clerici, nomine BERENGARII [b], qui de Sacramento Altaris aliter dogmatizabat quam Eccleſia tenet. Dicebat enim panem & vinum poſt conſecrationem, Berengarii errores. Sacramentum tantum, non autem eſſe verum Chriſti Corpus & Sanguinem. Iſte clericus Lanfranco quaſi familiari ſuo litteras [c] miſerat errore ipſo reſperſas: eas qui legerunt Lanfrancum talia ſentire opinati ſunt, &

[a] Aliam cauſam hujus rei narrat Vvillelmus Malmeſburienſis, quam ejus verbis exponere juvat: *Lanfranco apud Beccum monachato, cum ubique ſcholares inflatis buccis dialecticam ructarent, Herfaſtus jam Vvillelmi Comitis, poſtea Regis Capellanus, ad famoſum gymnaſium, magna ſociorum & equorum pompa pervenit. Tunc Lanfrancus ex prima collocutione intelligens, quam prope nihil ſciret, abecedarium ipſi expediendum appoſuit, ferociam hominis italica facetia illudens. Quo is iratus Comitem pereffecit, ut Lanfrancus Becco, omnique Normannia ſummoveretur. Sed, &c.*

[b] De Berengario actum eſt fuſius in hujus tomi præfatione.

[c] Epiſtolam hanc Berengarii ad Lanfrancum refert noſter Acherius in ſuis notis. Hæc ipſa eſt quæ à Clerico quodam Remenſi Romam perlata Lanfrancum de Berengariana hæreſi ſuſpectum ſummo Pontifici Leoni reddiderat, quam ſuſpicionem penitus in ſynodo Romana à ſe amovit. Hæc refert Lanfrancus ipſe in libro adverſus Berengarium, ubi & eadem quæ hic de ſynodo Vercellenſi dicuntur, fuſius exponit.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXIX. MAII XXVIII.

ſocium erroris diffamaverunt. At tum forte Lanfrancus ad urbem profectus erat, pontificante tunc ſedem beati Petri LEONE [a] octavo. Amici qui infamiam ſibi conflatam audierunt, litteras ipſas poſt eum miſerunt Romam; ibique ſuſpicionem de Lanfranco quibuſdam pepererunt. Papa Berengarium ad diem vocavit. Verum ille timens venire, diſtulit; ſed reſponſales pro ſe duos clericos miſit, qui ante Papam venientes, & in cauſam deficientes, reprobati & capti ſunt. Lanfrancus juſſus ſurrexit, pravi rumoris à ſe maculam abſterſit, fidem ſuam expoſuit, expoſitam plus ſacris auctoritatibus, quam argumentis probavit. Quod dixit & probavit; omnibus placuit, nulli diſplicuit. Hæc eadem in Synodo Vercellenſi retracta ſunt, & ſententia Berengarii audita & reprobata: fides vero Eccleſiæ quam Lanfrancus tenebat & adſtruebat, expoſita, & concordi omnium aſſenſu confirmata eſt. Quæ ſententia non effugit hujus Leonis Papæ ſucceſſorem VICTOREM. Denique in Concilio Turonenſi [b], cui ipſius Victoris interfuere atque præfuere Legati, data eſt ipſi Berengario optio defendendi partem ſuam: quam cum defendendam ſuſcipere non auderet, confeſſus eſt coram omnibus communem Eccleſiæ fidem; & juravit ab illa hora ſe ita crediturum, ſicut Eccleſia tenet. Quod juramentum tranſgreſſus, nihilominus primum dogma in populo ſpargere non omiſit. Quod cum audiſſet NICOLAUS ſecundus, vocavit eum: qui Romam veniens, & cauſæ ſuæ diffidens, & patrocinio eorum quos ſibi impenſis beneficiis conciliaverat, parum confidens; cum non auderet ſuam defenſare ſententiam, poſtulavit Nicolaum ſecundum ejuſque Concilium, quatenus fidem quam illum tenere volebat, verbis ſibi exponeret, ſcripto firmaret. Itaque jubente Papa, fides verbis expoſita, & ſcripta, & omnium aſſenſu confirmata, tradita eſt Berengario ad legendum. Accepit, legit, & eam ſe tenere juravit, manuque propria ſubſcripſit. Quo facto gaviſus eſt Papa, & multi alii, de ejus reverſione & converſione, qui antea dolebant de ejus averſione. Hujus ſacramenti ſacrilegus tranſgreſſor, contra præfatam Synodum, contra catholicam veritatem, omniumque Eccleſiaſticorum Doctorum fidem, ſcriptum poſtea condidit. Cui Lanfrancus reſpondens, ſub nomine Epiſtolæ, libellum elegantem compoſuit, catholica veritate ſubnixum, & ſanctorum Patrum undique auctoritatibus corroboratum, in quo inveniuntur iſta quæ diximus. His enim geſtis Lanfrancus interfuit, qui cauſa hujus litis Romam venerat; & ut ageret pro Duce Normanorum & uxore ejus apud Apoſtolicum, pro qua re, ſicut diximus, illuc perrexerat. Igitur locutus cum Papa Nicolao, oſtendit quia ejus ſententia illos tantum gravabat, qui eos nec conjunxerant, nec ſeparare poterant: nam Dux puellam, quam acceperat, nullo pacto dimittere vellet. Hoc audiens & verum eſſe advertens ſummus Pontifex, diſpenſatione habita, conjugium conceſſit: eo tamen modo, quatenus Dux, & uxor ejus, duo monaſteria conſtruerent; in quibus ſingulas congregationes virorum, ac mulierum coadunarent, qui ibi ſub norma ſanctæ religionis, die noctuque Deo deſervirent, & pro ſalute eorum ſupplicarent. Paruit Dux Apoſtolicæ diſpenſationi, & ædificaverunt duo [c] monaſteria in prædio, quod antiquitas Cadomum nuncupabat. Dux unum monachorum in nomine ſancti Stephani Protomartyris; & uxor ejus alterum ſanctimonialium in nomine & honore ſanctæ Trinitatis; quibus tantum de rebus & reditibus ſuis contulerunt, quantum ſufficeret ibidem habitantibus & ad victum & veſtitum.

Lanfrancus crimen ſibi impoſitum diluit coram ſummo Pontifice.

Synodus Vercellenſis contra Berengarium.

Turonenſis.

Nicolaus II. papa.

Scriptis Berengarii reſpondet Lanfrancus.

Duo monaſteria conſtruere jubetur Dux Guillelmus.

IV. 9. Per idem tempus creſcente Beccenſi congregatione, in eo loco con-

[a] Is eſt S. Leo IX. à Milone dictus VIII. quod nonnulli Leonem, qui ab Ottone Imperatore contra Johannem XII. creatus fuit, cenſuerint è pontificum catalogo expungendum.

[b] Huic Turonenſi Concilio adfuiſſe Lanfrancum teſtis eſt Ordericus Vitalis lib. 4. Hiſtoriæ.

[c] De duobus iſtis monaſteriis Cadomi excitatis egimus prævüs obſervationibus.

tigit

Digitized by Google

tigit illud dictum à Domino per Iſaïam prophetam : Anguſtus mihi eſt locus ; fac ſpatium ut inhabitem. Spatioſitas enim domorum parva multitudinem adunatam fratrum jam capere non valebat : ſed ſitus loci incolumitati degentium contrarius exſiſtebat. Itaque venerabilis Lanfrancus ſanctum patrem Herluinum, de majoris monaſterii ædificatione compellare cœpit. Tanti operis ſolam commotionem ille extimuit, ætatis jam deficientis viribus plurimum diffidens ; confortari, adhortari, ac ſæpe id ipſum ingerere, qui cœperat non omittebat, dicens locum aquoſum non eſſe aptum habitationi monachorum. Abbate nullatenus acquieſcente, fertur dixiſſe Lanfrancus quibuſdam nobilibus viris, cum quibus loquebatur: Domnus Abbas conſumit tempus & laborem ſuum in hoc aquoſo loco, nec vult mihi credere, ut deſinat ab iſto opere, & incipiat aliud opus in ſaniori loco : Deus omnipotens det illi tale impedimentum, quatenus me audiat, atque in tam incompetenti loco operam ſuam expendere deſiſtat. Nec multo poſt preſbyterii pars dextera corruit, in qua oratorium erat, & altare ſancti Benedicti. Anxiato ſuper hoc, & multum conturbato Abbati, ſuus in omni ſua deſolatione conſolator acceſſit, obſecrans, ut vel nunc acquieſcens, majora inchoaret ædificia. Tandem victus ſpem in Deo certiſſimam gerens, & plurimum in conſiliarii ſui ope confidens, cujus opera ſibi bona omnia proveniebant, in ſalubriori multum & convenientiori loco nova inchoavit, monaſterium & officinas, opus pergrande ; quod non res propriæ, quæ adhuc erant permodicæ, ſed fides in Deum firma, & ſpes certa, univerſa conferendo accumulavit. Lanfrancus quoque licentia Abbatis ſui iterum ſcholam tenuit, & ea quæ à ſcholaſticis accipiebat Abbati conferebat, Abbas operariis dabat.

Ann. Chr. MLXXXIX. Maii XXVIII. Cap. 49. 10.

Lanfranci prophetia.

Scholas inſtituit.

10. Poſt triennii completionem, ſola necdum completa baſilica, venerabilis Lanfrancus cœpti operis inſtitutor, tam Ducis Normanniæ, quam Primatum ſupplicatione cœnobio Cadomenſi, quod Dux hortatu papæ Nicolai ædificaverat, abbas præficitur. Qui de monaſterio Becci ad hoc opus exiens, unum duxit ſecum, qui nuper habitum ſuſceperat, ſed profeſſionem nondum fecerat, nomine Radulfum ; qui poſtea in eo loco fecit profeſſionem ; & procedente tempore, ejuſdem eccleſiæ Cadomenſis Prior exſtitit ; ad ultimum abbas de Bello [a] obiit. In adventu Lanfranci mox ad ipſum locum venire ad converſionem cœperunt nobiles viri, & optimi clerici, inter quos fuit egregius & venerabilis Vvillelmus [b] Rabodi filius, qui poſt Lanfrancum Cadomenſi eccleſiæ præfuit, & poſtea Rotomagenſis archiepiſcopus exſtitit. Iſte Vvillelmus cum habitum religionis Cadomi ſuſcepiſſet, miſſus eſt Beccum, ut ordinem ibi addiſceret : quia novella plantatio ipſius loci nondum poterat alios perfecte inſtruere. Iſte vir generoſis natalibus ortus, ſimplex, bonis moribus ornatus, religioſus : cum aliquantum temporis ibi * prius clauſtralis, poſt Abbas tranſegiſſet ; inde aſſumtus, conſecratus eſt archiepiſcopus Rotomagenſis : in quo loco perlongum tempus vixit, & in bona ſenectute diem ultimum clauſit. In illo Cadomenſi cœnobio tempore Lanfranci, & eorum, qui ſæculum relinquentes monaſticam vitam ſub eo arripuerunt, cœpit religio magna, quæ perdurat uſque hodie. Interea Dux Normannorum Vvillelmus hereditarium ſibi regnum Angliæ pervadens, ad quæ voluit jura diſpoſuit : deinde ad meliorandum Eccleſiæ ſtatum, animum intendit. Igitur Alexandri univerſalis Eccleſiæ ſummi Pontificis, viri vita & ſcientia excellentiſſimi,

Fit Abbas Cadomenſis.

a

b

** f. Prior.*

a Cœnobium de Bello, vulgo *Bataille*, in agro Suſſexienſi in Anglia conſtruxit Guillelmus Conquæſtor anno 1067. in eo ipſo loco, ubi prælio contra Heraldum regni invaſorem commiſſo, ipſum vicerat, quod ideo Bellum vocavit. Ejus hiſtoria habetur in tomo I. Monaſtici Anglicani pag. 310.

b Vvillelmus ſucceſſit anno 1079. Johanni archiepiſcopo Rotomagenſi, quam ſedem ad annum 1110. tenuit. Ejus laudes proſequitur Ordericus Vitalis lib. 5. ad annum 1079. cui alii auctores conſentiunt. Ratbodus ejus pater fuit Epiſcopus Sagienſis.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXIX. MAII XXVIII. conſulto & rogatu, omnium quoque Anglici & Normanni imperii magnatum libentiſſimo aſſenſu, Rex Vuillelmus, quod potiſſimum ſolumque acceptabat conſilium, doctorem ſupra memoratum, Lanfrancum ſcilicet, ad hoc elegit negotium ſuſcipiendum.

V. 11. Libet nunc quaſi ab alio exordio ſeriem noſtræ narrationis dirigere, & quædam omiſſa inſerere [a], & ſic cuncta de eodem Lanfranco, prout poterimus, proſequi. Hic igitur homo religione, ſapientia omni ævo memorabilis, nobili ortus parentela, ab annis puerilibus eruditus eſt in ſcholis liberalium artium, & legum ſæcularium ad ſuæ morem patriæ. Adoleſcens orator veteranos adverſantes in actionibus cauſarum frequenter revicit, torrente facundiæ accurate dicendo. In ipſa ætate ſententias depromere ſapuit, quas gratanter Juriſperiti aut Judices vel Prætores civitatis acceptabant. Meminit horum Papia. At cum in exſilio philoſopharetur, accendit animum ejus divinus ignis, & illuxit cordi ejus amor veræ ſapientiæ. Animadvertebat enim quod mundi hujus proſperitas & gloria, vanitas eſt. Repentino itaque animi motu ſe abnegans, mundoque renuncians, ſumſit Becci habitum religionis, & regulariter vivere cœpit. Studioſus fuit idem cœnobita, verbi gladio perimere ſectas, ſi quas advertiſſet catholicam lædere fidem. Idem quoque optimus plenitudine caritatis, reſuſcitare ſatagebat per fidei rectitudinem, in hæreſi mortuos. Sapientes & religioſi Pontifices metropolitani, necnon & Abbates, tremuerunt ſapientiam Lanfranci, atque religioſitatem & auctoritatem, ejus & correctioni ſe ſubdi gaviſi ſunt. Ipſum quoque eccleſiæ plures, Pontificem vel Abbatem ſibi incredibili deſiderio petierunt. Roma caput orbis ſollicitavit [b] eum epiſtolis, precatu conata eum retinere & vi. Quippe cognoverant eum peritiſſimum honeſta quælibet, & eorum contraria ſecernere; diligentiſſimum cuique ſua retribuere perpendiculo rationabilitatis; promtiſſimum ardua duraque ſuſcipere ac perpeti cauſa veri boni. Cognoverant etiam hanc ejus vitam, quæ merito dicatur quædam directiſſima atque tutiſſima ad perennis vitæ portum via. Ille vero nimis altum ſibi duxit aliis præeſſe, infimam extremitatem corde & affectu non deſerens. Glorioſus Dux Normannorum Vuillelmus, hunc præcordiali colebat familiaritate. quapropter cœnobio Cadomenſi illum præfecit invitum. Ea tempeſtate civitas Rotomaga viduata eſt ſancto ac venerabili Archipræſule MAURILIO [c]: tunc clerus omnis, & populus congregati, volebant ſubſtituendum eligere Lanfrancum [d]: verum toto conamine ille tale onus devitabat ſubire, humiliter magis cupiens ſubeſſe quam præeſſe. Nam abbatiam Cadomenſem, quam invitus ſuſceperat, libenter dimiſiſſet, ſi extra animæ læſionem gravem facere valuiſſet. Quod Rex advertens, providit ſubrogare JOHANNEM [e], quem Abricatenſium conſtituerat pontificem: ſed ut hoc canonice fieret, licentiam petendi gratiâ Romam direxit eumdem abbatem Cadomenſem Lanfrancum: qui onus hujuſce legationis alacriter perferens, ſicut eccleſiis cupiebat eſſe conſultum, à papa Alexandro impetravit; ſacrum quoque Pallium, cum licentia hujus promotionis, deportavit: unde & ipſi toti Neuſtriæ gaudium fuit.

[a] Compendio repetit auctor quæ præfatus eſt.

Lanfranci dotes.

[b]

[c] Rotomagenſem Archiepiſcopatum recuſat.

[d]

[e]

Mittitur Romam.

VI. 12. Poſt hæc venerunt ad Regem in Angliam tres legati ſimul, ERMENFREDUS Sedunorum epiſcopus, & duo clerici Cardinales, miſſi ad petitionem ipſius à papa Alexandro, qui eum in Paſcha coronam regni ca-

[a] Huc uſque fere totum ex vita beati Herluini deſumtum eſt.

[b] Vide ea de re epiſtolam Lanfranci ad Alexandrum pontificem, num. 14. infra, & ipſius Alexandri epiſtolam ad Guillelmum Conquæſtorem Angliæ Regem, quæ eſt hujus Pontificis decima apud Labbeum Tom. 9. Conciliorum. col. 1123.

[c] Maurilii Elogium dedimus ad annum 1067.

[d] Idem refert Ordericus Vitalis lib. 4. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ.

[e] Is Johannes eſt auctor libelli de divinis officiis, quem tum epiſcopus Abrincatenſis Maurilio Rotomagenſi nuncupavit. Quattuor ad ipſum epiſtolas ſcripſit Lanfrancus, quæ ab Acherio editæ ſunt. De eodem agit Ordericus lib. 5. Hiſtoriæ ad annum 1079. quo obiit. Vide ibi ejus Epitaphium.

Digitized by Google

piti ejus imponentes, in regem Anglicum confirmaverunt. Congregata eſt ergo ſynodus magna * Vvindreſoris [a]; in qua præſidente Rege, ab ipſis legatis dejecti ſunt quidam Epiſcopi indigni epiſcopatu, propter vitam criminoſam, & inſcitiam curæ paſtoralis. Inter quos depoſuerunt STIGANDUM cum anathemate reprobatum, multis criminibus coinquinatum; qui cum duobus epiſcopiis infanda ambitione Cantuarienſem archiepiſcopatum invaſerat. Subſtitutis itaque in locum dejectorum idoneis rectoribus, remanſit vacua Dorobernenſis cathedra, in qua pretioſus Chriſti confeſſor AUGUSTINUS omnibus præfuit Britanniæ epiſcopis. Cogitanti vero Regi de hac re, & proceres regni conſulenti, convenientiſſimo fine, in Lanfranco quievit: quatinus uberrimum luminare in hac arce elatum, nebulas undique pravitatum, & caligines dilueret, ſaluberrimo fulgore cuncta honeſtans. Quapropter miſit prædictos legatos in Normanniam ad hoc opus perficiendum. Cum igitur Sedunenſis Epiſcopus invitaret eum ad regimen pontificale, denuntians in Concilio Epiſcoporum & Abbatum Normanniæ petitionem Regis, ſimulque voluntatem ſuam, & reliquorum Sedis Apoſtolicæ Legatorum, & quaſi præceptorum ſuper hac prælatione, ſancta ira, ſancta triſtitia ſic perturbatum fuiſſe compererunt, ut omnino contradicturum putarent, inducias ad deliberandum petentem. Perſpectum namque vel indubitatum tenebat, ſimul ire non poſſe negotium Archipræſulis, & otium monachi. Ad hoc ſui provectum ſolito deſpiciebat, atque extimebat oneroſiſſimum gubernaculum. Precatur Regina cum filio, jubet abbas Herluinus licet invitus, cui tamquam Chriſto obedire ſolitus erat, hortantur etiam ſtudioſe ad hoc collecti Majores: nam hanc urgentem undique violentiam dictaverat mandatum Regis, ſcientis obſtinationem dilectiſſimi ſibi Patris, cum ad altiora invitaretur. Non abnuit ille præcipiti ſententia, ut omne factum ac dictum ejus diſcretionis norma dirigebat. Obedientiam offendere cavet, ſimul & tantos qui rogant, favent, hortantur. Mæſtus ergo trans mare excuſatum ſe vadit, ſperans jocunditatem in reverſione. Non enim æſtimare potuit vir ſingularis forma perfectæ humilitatis, invitum ſe ad archiepiſcopatum trahi. Ceterum divinæ diſpoſitioni quo conſilio reſiſti poterit? Rex cum gaudio atque cum digna reverentia recepit Chriſtianæ religionis adjutorem, devicit reluctantem, excuſationem pulcre pugnans humilitate & majeſtate. Advocantur hilari feſtivoque juſſu Cantuarienſis eccleſiæ primores, & multa dignitas regni eccleſiaſtica & ſæcularis.

ANN. CH. MLXXXIX. MAII XXVIII.

* al. Vvindreford.

[a] Stigandus Cantuariæ archiepiſcopus deponitur.

Cujus ſedem renuit Lanfrancus.

13. Hunc igitur Rex intima ſemper coluit familiaritate, tum pro eminenti ſæcularium ac divinarum litterarum peritia, tum pro monachici ordinis ſingulari obſervantia, impendens ei reverentiam & gloriam: venerans ut patrem, verens ut præceptorem, diligens ut filium vel fratrem. Illi conſulta animæ ſuæ, illi ſpeculam quamdam, unde ordinibus eccleſiaſticis regula vivendi per omnem Normanniam & Angliam proſpiceretur, commiſit. Si quis vero admirans quærit, cur tantus vir tantopere voluit declinare officium epiſcopale, vel quare Abbas invitus hoc ei præcipiebat. Primum de Abbate noverit; quod nequaquam invidendo ejus promotioni hoc faciebat, quippe cum ejus & honorem, & exaltationem præ ceteris affectaret. Præcipiebat ergo illi, quia voluntati Dei, & ſanctæ Eccleſiæ electioni eum vocanti, contradicere non audebat. Invitus autem

[a] Synodus in qua depoſito Stigando Cantuarienſi ſubſtitutus eſt Lanfrancus, Vvintoniæ habita eſt, anno 1070. in octavis Paſchæ, ac paullo poſt, feria ſcilicet ſecunda poſt Pentecoſten, apud Vvindleshorum Guillelmus Eboracenſem archiepiſcopatum Thomæ contulit, quæ omnia, quaſi in Synodo Vvindleshorenſi ſimul contigiſſent, enarrat auctor noſter; ſed Rogerius Hovedenus in parte priori annalium, duas has Synodos diſtinguit. Ceterum quamvis Anglicani auctores Stigandum non omnino excuſent; cum tamen & alios epiſcopos & abbates ob id potiſſimum à Guillelmo rege exturbatos fuiſſe ſcribunt, ut Normanni, quibus ille magis fidebat, eorum ſedibus potirentur. quod ſcriptores Normannici à Guillelmo recta intentione factum fuiſſe contendunt.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXIX. MAII XXVIII.

jubebat, quoniam ægerrime ferebat tanti ac tam dulciſſimi amici carere conſortio, qui cœnobium Becci nuperrime incœptum, ſitu & paupertate horrendum elegit, quod prudentia illius vigilantiſſimaque cura locupletavit, & in ſtatum provexit pulcherrimi ordinis, dum regeret collegium * fraternum ſevera ac miti diſciplina, ſanctum etiam Abbatem humili & utili conſilio. Etenim cum ingloriam propriæ tantum mortificationis operam idem Lanfrancus deſideraret, cum adhuc Becci eſſet, deprehendit eum atque publicavit cogitationum inſpector Deus, ut lucerna ſeſe colligens in vallem, diffunderetur per excelſa. Effulſit eo magiſtro, obedientiæ coactu, Philoſophicarum ac divinarum litterarum Bibliotheca, nodos quæſtionum in utraque ſolvere potentiſſimo. Fidem ſcriptis merear nullam, niſi quæ ſcribo Europæ latitudo aſſerat. Neque ſileri puto de eiſdem in Africa vel Aſia. Ipſe vero Lanfrancus idcirco Pontificale onus ſubterfugere geſtiebat; quia ſapientia plenus prævidebat, quod otium monachilis ordinis, inter occupationum epiſcopalium frequentiſſimos tumultus nequaquam ex integro haberi poteſt. Terreat exemplum iſtud damnatos cum Simone Mago, zelo Principis Apoſtolorum: hinc intelligant perditiſſimi amentiam ſuam: muneribus emunt ineptiſſimi, quod ſecundum Deum oblatum tremit talis; pecunias offerunt, majores promittunt, nunc per ſe, nunc per amicos, quibus dignitatum culmina, ſi ad hujuſmodi honorem pervenire poterint, repromittunt.

* *al.* fratrum.

Tandem præbet aſſenſum.

14. Victus igitur Lanfrancus Cadomenſis abbas tam Dei voluntate, quam circa ſe intelligebat, quam etiam Apoſtolica auctoritate, & domni Herluini præceptione, & optimatum Normanniæ aſſenſu. Ita multiplici ratione in Angliam traducitur; &, quæ Inſularum tranſmarinarum primatum obtinet, Cantuarienſis eccleſiæ ſuſcepit præſulatum. Qui tanto honore ſublimatus, multarum amplitudine terrarum ditatus, auro argentoque locupletatus, non immemor divini illius mandati: Honora patrem & matrem; omnimodis benignus & liberalis exſtitit circa patrem ſuum ſpiritualem Herluinum abbatem, & matrem eccleſiam Beccenſem: cujus ad eas partes tranſmigratio, paucos ante dies quam inde allegatio veniret, venerabili Herluino abbati per viſum oſtenſa eſt hoc modo. Videbat quod in virgulto ſuo arborem malum habebat, cujus ramorum ſpatioſitas multa erat, & magna fructuum ubertas; pomorum quoque ſpecies delectabilis, & ſapor optimus. Hanc Rex prædictus ab Abbate poſcebat, volens eam ad quoddam ſuum virgultum transferre, reluctante Abbate, & quod ea ſola ſuſtentaretur, opponente: quia dominus erat evicit, & arborem aſportavit. Verum radices penitus avelli non potuerunt; ex quibus pullulantes virgulæ confeſtim in arbores magnas excreverunt. Poſt parvum denique ſub eo viſu intervallum, memoratus Rex, de arboris ipſius nimia fructificatione coram illo gaudebat; & ille ſe ex ea lætiſſimas habere propagines adgaudendo reſpondebat: invitabatur à Rege, ut ipſum tranſlatæ arboris incrementum iret videre, ſed neſcio quæ cauſa impediebat ne iret. Hæc omnia ſicut viſio digeſſit, rerum eventus explicuit, præter quam quod vere ivit & quod audierat vidit. Virgultum Abbatis erat Beccenſis eccleſia, cujus arbor maxima, ille doctor non ſolum eam, verum alias omnes per patriam ſuo exemplo & doctrina ſuſtentabat eccleſias. Qui ob religionis ſacræ inſtitutionem tradendam Anglis, à prædicto Rege per Abbatem ſuum, cui ſoli tamquam Deo parebat, ad tranſmarina migrare poſtulatus; multum invitus, ſalva obedientia, atque ab invito Abbate juſſus, paruit. Unde ſcribens [a] papæ Alexandro, poſt ſalutationem ait: Cum de Beccenſi congregatione, in qua habitum religionis aſſumſi, à principe Normannorum Vvillelmo abſtractus, Cadomenſi præeſſem cœnobio, imparque exſiſterem pau-

Exod. 20. 12.

B. Herluini viſio.

[a] Eſt epiſtola 1. editionis Acherianæ.

Ann. Ch. MLXXXIX. Maii XXVIII.

corum regimini monachorum, incertum habeo, quo judicio omnipotentis Dei factus ſum, te cogente, ſpeculator multorum, numeroque carentium populorum; quod cum præfatus Princeps jam Rex Anglorum factus, multis variiſque modis laboraret efficere, caſſatis tamen laboribus ſuis, à me nullo modo potuit impetrare, quoad uſque legati tui [a], Hermenfredus videlicet Sedunenſis epiſcopus, atque Hubertus ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalis in Normanniam venerunt, Epiſcopos, Abbates, ejuſdemque patriæ Nobiles convenire fecerunt, atque in eorum præſentia, ut Cantuarienſem eccleſiam regendam ſuſciperem, ex Apoſtolicæ Sedis auctoritate præceperunt. Adverſus hoc imbecillitas mearum virium, morumque indignitas prolata in medium nihil profuit; excuſatio incognitæ linguæ, gentiumque barbararum, nullum apud eos locum invenire prævaluit. Quid plura? aſſenſum præbui, veni, ſuſcepi. in quo tot moleſtias, tot tædia, tantumque ab omni fere bono defectum mentis quotidie ſuſtineo, tot aliorum in diverſis perſonis perturbationes, tribulationes, damna, obdurationes, cupiditates, ſpurcitias, tantumque ſanctæ Eccleſiæ caſum inceſſanter audio, video, ſentio, ut tædeat me vitæ meæ, doleamque plurimum me uſque ad hæc tempora perveniſſe. Mala ſiquidem ſunt, quæ in præſenti cernuntur; multo vero deteriora ex iſtorum conſideratione, in futuro conjiciuntur. Et ne diu celſitudinem veſtram, multis magniſque negotiis occupatam, prolixæ orationis ambitu protraham, rogo quatenus propter Deum & animam veſtram, ſicut veſtra, cui contradici fas non fuit, me auctoritate alligaſtis, ſic quoque alligatum, abrupto per eamdem auctoritatem hujus neceſſitatis vinculo, abſolvatis; vitamque cœnobialem, quam præ omnibus rebus diligo, repetendi licentiam concedatis: nec in hujus rei ſperni petitione debeo, quam tam pie, tam neceſſarie, tam juſtis ex cauſis concedi mihi à vobis depoſco. Meminiſſe quidem debetis, nec tradi oblivioni oportet, quam benigne veſtros conſanguineos, alioſque à Roma ſcripta deferentes, in præfatis adhuc cœnobiis conſtitutus ſæpe recepi, quam ſtudioſe eos pro captu meo, ingeniique ipſorum, tam in ſacris, quam in ſæcularibus litteris erudivi, ut taceam multa alia in quibus vobis, veſtriſque anteceſſoribus, pro rerum ac temporum qualitate nonnumquam ſervivi. Nec hoc jactando aut improperando, teſte conſcientia, dico; nec favorem gratiæ veſtræ, quaſi prolatis obedientiæ meæ obſequiis, ſolito majorem captare requiram; hoc tantum ſtudeo, harumque litterarum is ſolum meus finis eſt, ut congruam rationem juſtamque cauſam poſſim oſtendere, qua id quod peto à veſtra munificentia, Chriſto aſpirante, valeam obtinere. Quod ſi fortaſſe conſiderata aliorum utilitate ſecus agendum, mihique id denegandum eſſe decernitis, valde vobis cavendum atque timendum eſt: ne unde vos mercedem habere apud Deum exiſtimatis, inde (quod à veſtris actibus ſemper procul ſit) peccati periculum incurratis. Nullus eſt enim à me aut per me in hac terra animarum profectus; aut ſi ullus exſtitit, tam parvus eſt, ut detrimentis meis comparari non poſſit. De his hactenus.

Ceterum quando Romæ fui, veſtramque faciem videre, veſtroque colloquio frui, divina gratia concedente, promerui, rogaſtis me quatenus in ſequenti anno circa Nativitatem Chriſti ad vos venirem, vobiſcum in palatio veſtris ſtipendiis, tribus aut eo amplius menſibus, moraturus; verum hoc ſine magna rerum corporiſque incommoditate me facere non potuiſſe teſtis eſt mihi Deus, teſtes angeli ejus. Cur autem non potuerim, plures variæque cauſæ effecerunt, quæ epiſtolari brevitate, pro ſui prolixitate, comprehendi non poſſunt. Sed ſi ſuperna Majeſtas vitam mihi, atque incolumitatem cum rerum commoditate conceſſerit, ſanctos Apoſtolos, &

[a] De his duobus legatis paſſim agunt Anglicani ſcriptores. Hubertum, *Subdiaconum ſacri palatii* fuiſſe ait Lanfrancus in epiſtola 8. quæ eſt ad Gregorium Pontificem.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXIX. MAII XXVIII

„ Vos, ſanctamque Romanam Eccleſiam viſitare deſidero. Quod ut fiat, ro-
„ gate obſecro divinam clementiam, quatenus domino meo Regi Anglorum
„ longam vitam concedat, pacemque ei de omnibus ſibi adverſantibus faciat,
„ cor ejus ad amorem ſuum, & ſanctæ Eccleſiæ, ſpirituali ſemper devotione
„ compungat. Eo enim vivente pacem qualemcumque habemus, poſt mor-
„ tem vero ejus, nec pacem, nec aliquod bonum nos habituros ſperamus.

15. His verbis adverti poteſt quam invitus paſtoralem curam ſuſceperat, & quam libenter eam dimiſiſſet, ſi concedere Papa voluiſſet. Nam timebat ſuum defectum, nec adhuc ad votum cernebat in ſibi commiſſis profectum. Verum ejus inibi quantus poſtea exſtiterit fructus, latiſſime atteſtatur innovatus uſquequaque inſtitutionis eccleſiaſticæ ſtatus. Cœnobialis ordo, qui omnino ad laïcalem prolapſus fuerat diſſolutionem, ad probatiſſimorum reformatur diſciplinam monaſteriorum. Clerici ſub canonicali coërcentur regula. Populus rituum barbarorum interdicta vanitate, ad rectam credendi atque vivendi formam eruditur.

Eccleſiæ Anglicanæ ſtatus.

VII. *Herluinus in Angliam venit.*

16. Hanc fructuum Deo ſuaviſſimorum fragrantiam, cujus ex odore domus Dei per orbem impleta eſt, quam & ipſe Abbas abſens jocundiſſime ſenſerat, poſtea præſens quanto vicinius, tanto jocundius ſenſit, profectus ad eum in Angliam. Cumque ad Archiepiſcopum perveniſſet, quæ tunc inter eos ſummittendi ſeſe ad invicem pia contentio? Summus Antiſtes, & in eccleſiis transmarinis vices Apoſtolicas gerens, ſubmittebat ſe ſuo quondam Abbati, ut alius quivis monachus: ſecundus ubique ab eo, ubi ad Miſſarum ſollemnia reſidendo, & manum illius, cum aliquid ab eo accipiebat, niſi raptim ille retraxiſſet, oſculando. Illi ſedes eminentior, ac imperandi jus omne tribuebatur: donabat famulorum delinquentium reatus, ac cetera in domo pro velle faciebat. Domini nomen alius, ille auctoritatem gerebat. Quanto curia ſua frequentior, quanto utriuſque ordinis perſonarum totius regni excellentium conventus fiebat numeroſior; tanto majori coram omnibus illum Archiepiſcopus præferebat obſequio. Multum mirabantur univerſi, maxime Angli, archiepiſcopum Cantuarienſem ſic ſummitti ulli mortalium. Abbas vero quam debebat dignitati tantæ ſummiſſionem conabatur exſolvere, ſed nullatenus permittebatur. Ecce quid in hac vita ſervientibus ſibi opulentiſſima Dei manus retribuit. Qui pauperiem Chriſti aſſumens olim contemtui ab univerſis & deriſui habebatur; habet nunc qui morem ſibi gerat Primatem totius regni Angliæ, cum omnibus ſibi commiſſis Pontificem. Eamdem benignitatis Dei vicem & ille acceperat, qui abnegans ſemetipſum ſibi, qui olim pro Deo libertatem ſui tradiderat, videt nunc ad veſtigia ſua advolvi, ut non dicam conſulares multos, immo & maximum totum ſibi accline regnum.

Lanfranci humilitas.

17. De radicibus illius magnæ arboris, quæ in horto ſuo remanſerant, ut per ſomnium ſuum viderat, vidit poſtea prædicandus vir Herluinus pullulantes quaſdam virgulas in arbores magnas excreviſſe: multos videlicet ad magna bonorum operum incrementa, per illius inſtitutionem acceſſiſſe. Arbor fructibus opima fuit venerabilis ANSELMUS, eccleſiæ Auguſtenſis clericus, qui Lanfrancum ad monachatum ſubſecutus, poſt eum Prior, poſt abbatem Herluinum Abbas Becci, dein archiepiſcopus Cantuarienſis poſt eumdem Lanfrancum fuit; de quo cuncta majora fuerunt, quam noſtra oratione referri queant. Arbores fructuum bonorum jocunditate delectabiles fuerunt abbas Vveſtmonaſterienſis GILBERTUS-CRISPINUS [a], abbas Cormelienſis Vvillelmus, HENRICUS eccleſiæ Cantuarienſis Deca-

Herluini & Lanfranci diſcipuli.

[a] Alios Lanfranci diſcipulos in obſervationibus præviis indicavimus. De Giſleberto multa diximus ad vitam B. Herluini, quam ille ſcripſit, de Vvillelmo in notis ad cap. 2. hujus vitæ. Henricus Cantuarienſis eccleſiæ Decanus is, ut videtur, fuit ad quem S. Anſelmus ſcripſit duas epiſtolas, una eſt 1. lib. 54. altera 2. libri 49. ubi ejuſdem Cantuarienſis eccleſiæ Prior vocatur. De Ernoſto agit Lanfrancus Epiſt. 48. editionis Acherianæ, Gundulfi ſanctitatem prædicant auctores coævi. videtur is eſſe, ad quem Lanfrancus

Digitized by Google

nus; HERNOSTUS Roffenſis eccleſiæ epiſcopus, & qui ei ad idem officium ſucceſſit ibidem, vir morum ſanctitate admodum reverendus GUNDULFUS. Hi, juvante Dei gratia, in Beccenſi eccleſia à magiſtro Lanfranco edocti, & à ſancto patre Herluino in ſancta religione inſtructi, in eccleſiis aliis poſtea honorabiles Patres ſunt inſtituti. ANN. CH. MLXXXIX. MAII XXVIII.

18. Nova necdum ſacrata erat eccleſia Becci, quam ab ipſo cujus eam conſilio inchoavit, & auxilio conſummavit, exſpectabat conſecrari. Inſtanter hoc à Deo expoſcens, cujus petitioni, qui ad cetera ſibi benignus exſtiterat Deus, optatum conceſſit effectum, adimplens per omnia ſuper hac re illius deſiderium. Interea paratis omnibus quæ neceſſaria erant uſibus habitantium, poſt refectionem, vigilia omnium ſanctorum, fratres relinquentes veterem habitationem, ordinata proceſſione, canentes Reſponſorium *O beata Trinitas*, venerunt in novam eccleſiam; intrantes novas ædes deinceps habitaturi, ibique feſtivitatem omnium Sanctorum, cum gaudio & alacritate omnium, celebraverunt. In craſtinum dum Miſſa cantaretur, ſanctus Pater collectam multitudinem pauperum in novas officinas juſſit induci, & abundantiſſime cibo & potu refici. Quarto deinde anno dedicata eſt eccleſia cum magna gloria, & à quo Pater deſiderabat. Nam pro quibuſdam negotiis tam ſæcularibus, quam eccleſiaſticis, gentium tranſmarinarum ſæpe memoratus pontifex ſummus Lanfrancus ad curiam eminentiſſimi Regis Anglorum VVillelmi, in Normannia tunc commorantis, veniens, primo acceſſit ad ipſum monaſterium; & qua non potuit majori decentia, à fratribus eſt ſuſceptus: ipſe qua non potuit majori humilitate, cum eis ſe habuit; juxta quod ſcriptum eſt: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus.* (Eſt autem BECCENSE monaſterium inter duos montes ſitum, ſuper rivum qui Beccus dicitur, à quo & nomen accepit.) Cùm ergo veniſſet ad deſcenſum montis, qui ipſi cœnobio eminet, fertur anulum de digito extraxiſſe; nec poſtea quamdiu Becci moratus eſt, niſi ad Miſſarum ſollemnia, reſumſiſſe. Ad Abbatis jam ſenio incurvati oſculum accedens tam magnus Antiſtes, ad pedes ejus advolvi conatus eſt: verum illo è contra id ipſum conante, longo * utrique luctamine, dum alter alterum ſuſtentat, neuter explevit quod ſatagebat. Poſt multos diuque optatos amplexus, cum fratribus in clauſtro ſedit Archiepiſcopus, ut quivis alius ipſorum; juvenes, ſenes, atque infantes, unumquemque ſingillatim compellans, & juxta uniuſcujuſque qualitatem debita confortatione adhortans. Quis enarrare ſufficienter queat quantam humilitatem & benignitatem omnibus condeſcendendo exhibebat? Ad menſam dextrorſum & ſiniſtrorſum fratres cum Archiepiſcopo ſedere ac communi calice, ſcutella una, cum eo coguntur ſumere cibum. Nec ſola ædificatione ſolatia fratribus impendit, ſed tanto hoſpite digna hoſpitium locavit munificentia, ut ex reliquiis feſtive geminari potuerint octavæ. In eccleſia cathedram epiſcopalem ſibi præparari noluit, ſed in ſedem Prioris intravit; dicens ſe adhuc Priorem eſſe, & nondum dimiſiſſe prioratum. Compellatus ab univerſis de conſecratione ejuſdem eccleſiæ, paratus eorum morem gerere voluntati, ad curiam profecturus inducias petiit, donec inde ſciret voluntatem Regis. Dein fratrum votis commendatus, ad Regem pervenit. locutus cum eo *, unde rogatus diſceſſerat, diem dedicationis accepit, & confeſtim remiſit non ſolum qui diceret, verum & unde fieret.

VIII.

Pauperes recreat Herluinus.

Eccli. 3. 20.

Pia humilitatis decertatio.

* al. utique.

* al. inde.

19. Igitur decimo Kalendas Novembris, anno ab Incarnatione Domini MLXXVII. ſanctæ omni Eccleſiæ venerandus, gentium tranſmarinarum

Epiſt. 46. ſcripſit Ordinatus eſt autem anno 1077. deſtructaque Roffenſi, vetuſtate pæne collapſa eccleſia, novam ædificavit, in qua ſexaginta monachos adunavit. Hæc & alia Gundulfi præclare geſta refert Anonymus ipſius vitæ ſcriptor; quem Acherius in notis ad cap. 13. hujus vitæ Lanfranci edidit poſt Sedlenum in notis ad Eadmerum. qui quidem Eadmerus eadem narrat. Vita integra Gundulfi edita eſt tomo 2. Angliæ ſacræ.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXIX. MAII XXVIII.

a Beccenſis eccleſia à Lanfranco conſecratur an. 1077.

Primas & Pontifex ſummus [a] Lanfrancus advenit, conſecrando conſummaturus eccleſiam, quam inſpirante Deo inchoavit; & in cujus fundamentis exſtruendis lapidem ſecundum ipſe manu ſua impoſuit. Convenerunt univerſi Normanniæ Epiſcopi, Abbates, & alii quique religioſi viri; affuerunt & proceres regni. Rex & Regina aliis intenti non affuerunt; ſed largitatis ſuæ beneficia miſerunt. Agitur dedicatio lætiſſima ſollemnitate, & ſollemni omnium alacritate: alacritati hominum aër ipſe puriſſimus dieſque lucidiſſimus arridebat. Languor, qui per octo ante dies Patrem ipſum monaſterii tenuerat, tunc eum dimiſit, & Deo miſerante ad diem pleniſſime convaluit. Finitur majori quam cœpta fuerat jocunditate ſollemnitas. Tertio die ſæculis memorandus jam ſæpe fatus Cantuariorum archiepiſcopus, ab univerſis fratribus eundi miſſionem popoſcit. Quis tantum tantæ inter eos benignitatis virum recedentem ſiccis oculis aſpicere potuit? Omnes erupere in lacrymas. parvuli non valebant conſolari. Conſulto maturavit diſceſſum, quatenus à fletu ſe continerent, vel poſt ejus diſceſſum. Venerabilis Herluinus eum ſupra omnes mortales amans, & ab eo amatus, per duo milliaria diſcedentem proſecutus eſt amicum, ad ſuos viſus numquam in hac vita ulterius rediturum. Nam ante diei ipſius dedicationis annuam revolutionem, diem clauſit extremum. Quæ cordis amaritudo! quis fletus in ipſo ultimo vale, & ultimo ab invicem diſceſſu!

Herluini obitus.

IX.

Eccleſiam Dorobernenſem & officinas ædificat.

20. His præoccupando ita præmiſſis, ad ordinem nunc revertamur. Poſt tranſlationem in Angliam Lanfrancus, non oblitus propter quod venerat, totam intentionem ſuam ad mores hominum corrigendos, & componendum Eccleſiæ ſtatum convertit. Et prius ipſam regni matrem eccleſiam Dorobernenſem renovare ſtuduit. Et quia ante aliquot annos, igne combuſta fuerat, à fundamentis illam reædificare ſtuduit, grande opus & ſpatioſum. Officinas quoque uſibus monachorum neceſſarias ædificavit. Et quod mirum admodum ſit, de Cadomo ubi Abbas exſtitit, velivolis navibus per mare tranſvehi faciebat quadros lapides ad ædificandum. Domos quoque ad habitandum ſibi conſtruxit prope eccleſiam. Quæ omnia ædificia muro magno & alto cinxit. Diſpoſitis ſufficienter quæ ad regularem victum & veſtitum ſunt neceſſaria, eccleſiam ipſam pretioſis atque multis ditavit ornamentis. Dignitates vero Cantuarienſis eccleſiæ, quæ vetuſtate vel negligentia deciderant, ſive imminutæ fuerant, renovando reformavit. Terras multas quæ ablatæ fuerant, in jus eccleſiæ revocavit, & viginti quinque maneria eccleſiæ reſtituit. Xenodochia [b] vel procotrophia duo extra civitatem ædificavit: unum ad aquilonem, alterum ad occaſum, cum omnibus neceſſariis, quibus de ſuo annuos reditus, quantum ſatis viſum eſt, delegavit. In maneriis ſuis inſtituit prebendas dandas pauperibus per annum. In pluribus ipſorum maneriis conſtruxit lapideas domos ſibi ad habitandum.

Reſtaurat omnia.

b

c Suos tuetur.

21. ODO [c] Bajocenſis epiſcopus, frater Vuillelmi Regis, erat Comes Cantiæ eo tempore quo Lanfrancus ad Archiepiſcopatum venit. Hic multis gravaminibus atterebat homines illius provinciæ, & ſimul homines Dorobernenſis eccleſiæ: cui Lanfrancus in faciem reſtitit, & coram omnibus teſtimonio antiquorum Anglorum, qui periti erant legum patriæ, deratiocinatus eſt libertatem terræ ſuæ, & liberavit homines ſuos à malis conſue-

a Sic præcipuarum ſedium archiepiſcopi paſſim hoc ævo nuncupabantur. Ita Wido Remorum archipræſul in Hiſtoria Inventionis S. Bertini *ſummus-pontifex*, alias *ſummus-præſul* dicitur.

b Egregiam horum xenodochiorum deſcriptionem habet Eadmerus libro I. Hiſtoriæ Novorum, ſicut & donorum, quæ idem Lanfrancus Eccleſiæ ſuæ contulit. vide etiam ea de re fuſius diſſerentem Gervaſium Dorobernenſem in Actis Pontificum Cantuarienſium, & in libro de ejuſdem eccleſiæ conflagratione & reparatione.

c De ejus adminiſtratione plura ſcripſit Ordericus libris 3. 4. & 7. Hiſtoriæ ſuæ. Quod vero ad hanc diſceptationem cum Lanfranco attinet, legendus eſt Eadmerus qui eam libro I. Hiſt. Novorum fuſe exponit, ſicut & ſequentem cum Epiſcopo Ciceſtrenſi. Ibidem notat Eadmerus Lanfranco affuiſſe Dunſtanum, ut Eccleſiæ ſuæ jura tueretur.

tudinibus

Digitized by Google

tudinibus, quas Odo volebat illis imponere. Adhuc plures ſuperſunt, qui & locum placiti [a], & nomen loci norunt, & modum finemque litis, quo contentio terminata eſt, referunt. Quid de Clericis villarum ſuarum Ciceſtrenſi Epiſcopo ſcripſit, ſubter annecti dignum duximus.

Lanfrancus [b] gratia Dei Archiepiſcopus, dilectiſſimo fratri Stigando Ciſtrenſi epiſcopo, ſalutem. Clerici villarum noſtrarum qui in veſtra diœceſi exſiſtunt, queſti nobis ſunt, quod veſtri Archidiaconi, repertis occaſionibus, pecunias ab eis exquirunt, & à quibuſdam jam acceperunt. Meminiſſe debet fraternitas veſtra, quia contra morem anteceſſorum noſtrorum atque veſtrorum vobis conceſſimus, eiſque imperavimus, quatenus ad veſtras ſynodos irent, & ea quæ ad Chriſtianæ religionis notitiam prodeſſe poſſunt ſine interpellatione, vel diſcuſſione aliqua à vobis audirent; ſi quæ in ipſis culpæ invenirentur, ſuſpenſa interim vindicta, ad noſtrum examen ſervarentur, & nobis vel in miſerendo vel in ulciſcendo, ſicut ſemper conſuetudo fuit, obnoxii tenerentur. Mandamus itaque ut male accepta ſine dilatione reddi jubeatis; & miniſtris veſtris, ne ulterius id præſumant, ſervandæ caritatis ſtudio prohibeatis. Nos vero presbyteris noſtris, qui extra Cantiam conſtituti, omnino præcipimus, ne ad veſtram, vel alicujus Epiſcopi ſynodum amplius eant, nec vobis, nec aliquibus miniſtris veſtris pro qualibet culpa reſpondeant: nos enim cum ad villas * veſtras veniemus, quales ipſi vel in moribus, vel in ſui ordinis ſcientia ſint, paſtorali auctoritate veſtigare debemus. Chriſma * tantum à vobis accipiant, & ea quæ antiquitus inſtituta ſunt in chriſmatis acceptione perſolvant. Sicut namque ea quæ antiquitus uſque ad noſtra tempora anteceſſores noſtri habuerunt, ſolerti vigilantia cupimus illibata ſervare, ita aliis debita aliqua, quod abſit, uſurpatione nolumus denegare.

* al. noſtras.
* al. tamen.

X. 22. Euntem illum ad Archiepiſcopatum multi ſecuti ſunt; è quibus plures retinuit; quos honoribus & terris ditavit, ſicut poſteri eorum teſtantur manentes uſque ad præſens. Sed ut retro redeam, primo adventu ejus in Angliam, auctoritate ſummi Pontificis Alexandri, & glorioſi Regis Vuillelmi, convocavit Epiſcopos & Principes terræ, clerum & populum, ad renovanda decreta & inſtituta ſanctorum Patrum de Synodis celebrandis, de conſuetudinibus eccleſiaſticis. In hoc conventu oſtenſum eſt contra THOMAM [c] electum, qui hoc contradicebat, quod Eboracenſis archiepiſcopus debet eſſe Cantuarienſi ſubditus Antiſtiti: quod quomodo actum ſit plenius qui voluerit ſcire, ex his quæ ſubjecta ſunt noſſe poterit. Anno [d] ab Incarnatione Domini MLXX. intravit Anglicam terram Lanfrancus Cadomenſis cœnobii abbas, moventibus atque præcipientibus Vuillelmo glorioſo Anglorum rege, & felicis memoriæ Alexandro totius ſanctæ Eccleſiæ ſummo Pontifice. Is poſt paucos ſui introitus dies Dorobernenſem eccleſiam regendam ſuſcepit: conſecratus eſt autem IV. Kalendas Septembris, in ſede metropoli à ſuffraganeis ipſius ſedis, VUILLELMO Londonienſi epiſcopo, VUALCHELINO Vuentano, REMIGIO Dorcenſi ſive Lincolienſi, SIVUARDO Roffenſi, HERFASTO Helmeanenſi ſive Theſfordenſi, STIGANDO * Selengenſi, HERMANNO * Siraburnenſi, GISONE Vellenſi. Ceteri qui abſentes fuerunt, cauſas ſuæ abſentiæ, tam legatis, quam litteris, oſtenderunt.

Synodus provincialis.

* al. Seleſienſi.
* al. Schireburnenſi.

[a] Bis ea de re diſceptatum fuiſſe teſtis eſt idem Eadmerus: primo *Pinnidone*, ubi Goffridus Conſtantienſis epiſcopus, *vice Regis Lanfranco juſtitiam de ſuis querelis ſtrenuiſſime facere juſſus, fecit*. Altera autem vice qui Eccleſiæ jura tuebantur victi fuerant, ſed abſente Lanfranco: unde ſequenti die, ipſe beati Dunſtani monitu ad placitum venit, & cauſam repetens, *quæ pridie dicta fuerant inania eſſe ſic monſtravit, ut donec vita præſenti ſuperfuit, nullus exſurgeret, qui inde contra eum os aperiret.*

[b] Ea epiſtola eſt 27. editionis Acherianæ.

[c] Thomas è canonico Bajocenſi in Archiepiſcopatum Eboracenſem à Guillelmo rege promotus.

[d] Hæc ipſiſmet verbis habes apud Vuillelmum Malmeſburienſem lib. 1. de geſtis Pontificum Anglorum. Tractatus prolixus de controverſia inter ſedes Cantuarienſem & Eboracenſem de primatu habetur tomo 1. Angliæ ſacræ pag. 655

Digitized by Google

ANN CH. MLXXXIX. MAII XXVIII. Inter Lanfrancum & Thomam Eboracenſem diſſidium.

23. Ipſo anno Thomas Eboracenſis eccleſiæ electus antiſtes Cantuarberiam ex priſca conſuetudine ab eo ſacrandus advenit : à quo cum Lanfrancus ſcriptam de obedientia ſua, cum adjectione jurisjurandi, profeſſionem, cuſtodito anteceſſorum more, expoſceret ; reſpondit Thomas numquam ſe id facturum, niſi prius ſcriptas de hac re auctoritates legeret ; niſi teſtes hujus antiquitatis aſſertores cerneret ; poſtremo niſi congruas ſuper hac re rationes audiret, quibus id juſte & rationabiliter, ſine ſuæ eccleſiæ præjudicio facere deberet. Hoc autem ignorantia magis, quam ſpiritus elati pertinacia, agebat. Novus enim homo, & Anglicæ conſuetudinis penitus expers, verbis adulatorum plus æquo & bono fidem exhibebat. Lanfrancus tamen in præſentia paucorum epiſcoporum, qui ad eum pro hac conſecratione venerant, quod poſtulavit, oſtendit. At ille aſpernatus omnia, non ſacratus abſceſſit. Quod Rex audiens graviter accepit, exiſtimans Lanfrancum injuſta petere, & ſcientia litterarum magis, quam ratione & veritate confidere ; quamvis nec ipſi Thomæ deeſſet ſcripturarum peritia, multo ingenio, multo ſtudio comparata. Paucorum dierum ſpatio evoluto, Lanfrancus ad curiam venit, à Rege audientiam poſtulavit, redditis rationibus, ejus animum mitigavit ; tranſmarinis, qui aderant, ſuæ parti juſtitiam adeſſe ſuaſit, & perſuaſit. Angli enim qui rem noverant, aſſertionibus ejus per omnia conſtantiſſime teſtimonium perhibebant. Itaque regio edicto, communique omnium decreto ſtatutum eſt, ad præſens debere Thomam ad matrem totius regni eccleſiam redire, profeſſionem ſcribere, ſcriptam legere, lectam inter examinandum, in præſentia Epiſcoporum, more eccleſiaſtico, Lanfranco porrigere ; in qua præceptis quidem ejus in omnibus, quæ ad Chriſtianæ religionis cultum pertinent, ſe obtemperaturum abſolute, nulla interpoſita conditione, promitteret ; ſucceſſoribus vero ejus non ita, niſi prius vel coram, vel in epiſcopali Concilio, competens ei ratio redderetur, qua anteceſſores ſuos Dorobernenſis eccleſiæ Primatibus, id feciſſe, & facere debuiſſe, evidentiſſime oſtenderetur. Igitur rediit, quæ juſſa ſunt implevit, ſacratus abſceſſit. Non poſt multos dies Lanfrancus ab univerſis regni Anglici Epiſcopis, qui diverſis temporibus, diverſis in locis, ab aliis Archiepiſcopis, vel à Papa, tempore Stigandi, ſacrati ſunt, profeſſionem petiit & accepit.

XI. Uterque Romam petit.

24. Sequenti anno cum præfato Archiepiſcopo Romam ivit, & honorifice à ſede Apoſtolica ſuſceptus eſt : ſiquidem venienti Papa aſſurrexiſſe dicitur ; tum pro ſua magna religione, & eminenti ſcientia ; tum quia, dum eſſet in Normannia, venientes Romanæ Eccleſiæ miniſtros honorifice ſuſcipiebat ; & quoſdam Papæ conſanguineos ſtudioſe docuerat. Fertur etiam Papa dixiſſe : [a] Non ideo aſſurrexi ei, quia archiepiſcopus Cantuariæ eſt : ſed quia Becci ad ſcholam ejus fui, & ad pedes ejus cum aliis auditor conſedi. Itaque duo pallia illi dedit ; unum quod de altari, Romano more, accepit : alterum [b] vero in indicium videlicet ſui amoris, cum quo Miſſam celebrare ſolebat, Alexander ei Papa ſua manu porrexit : in cujus præſentia Thomas calumniam movit de Primatu Dorobernenſis eccleſiæ, & de ſubjectione trium epiſcoporum, Dorceſtrenſis ſive Lincolnienſis, Vvigornenſis, Licifeldenſis, quæ nunc eſt Ceſtrenſis ; dicens, Cantuarienſem Eccleſiam atque Eboracenſem, parem ad ſe invicem honorem habere, nec alteram alteri, ſecundum beati Gregorii conſtitutionem, debere ullatenus ſubjacere : excepto quod alterutrius Archiepiſcopum, priorem & digniorem oporteat eſſe eo, quem conſtiterit fuiſſe poſterius ordinatum ; prædictos vero tres Epiſcopos ſuæ ſedi, ſuiſque anteceſſoribus ab antiquis temporibus exſtitiſſe ſubjectos. Lanfrancus hoc audiens, etſi moleſte tulit, modeſta

[a] „ Alexander „ auditor Lanfranci. „
[b]

[a] Hæc habet Eadmerus lib. 1. Novorum.

[b] Id Hincmaro Remenſi ſæculo IX. & Brunoni Colonienſi, ſæculo X. conceſſum jam fuerat. Nec ejus rei alia occurrunt exempla.

Digitized by Google

tamen diſcretione verba illius veritate penitus carere reſpondit; aſſeverans Gregorianam illam conſtitutionem [a] non de Cantuarienſi & Eboracenſi eſſe promulgatam. De qua re, & de tribus Epiſcopis, multis hinc inde verbis prolatis decrevit Alexander papa, oportere hanc cauſam in Anglica terra audiri, & illic totius regni Epiſcoporum & Abbatum teſtimonio, & judicio definiri.

Ann. Ch. MLXXXIX. Maii XXVIII.

Controverſia in Angliam remiſſa.

25. Lanfrancus quamvis alligatum illum ſuo tempore facta ab eo profeſſione teneret; maluit tamen pro ſucceſſoribus ſuis laborare, quam eis in poſterum indiſcuſſam hanc tantam calumniam diſcutiendam reſervare. Uterque igitur in Paſchali ſollemnitate ad Regem venit; ibique prolatis in medium partium rationibus, ſententiam de negotio regalis curia dedit. Juſſum tunc eſt fieri ſcriptum totius cauſæ continens finem. Lanfrancus Alexandro papæ epiſtolam direxit, in qua ei totius negotii geſtionem breviter, & veraciter enarravit. Utraque ſcripta ſubter annexa ſunt, præmiſſa profeſſione, quam Thomas Lanfranco coram Rege & ejus curia manu in manum porrexit.

Thomæ profeſſio.

Decet Chriſtianum quemque Chriſtianis legibus ſubjacere, nec his quæ à ſanctis Patribus ſalubriter inſtituta ſunt, quibuſlibet rationibus contraire: hinc namque iræ, diſſenſiones, invidiæ, contentiones, ceteraque procedunt, quæ amatores ſuos in pœnas æternas demergunt. Et quanto quiſque altioris eſt ordinis, tanto impenſius divinis debet obtemperare præceptis. Propterea ego Thomas, ordinatus jam Eboracenſis eccleſiæ Metropolitanus antiſtes, auditis cognitiſque rationibus, abſolutam tibi, Lanfrance Dorobernenſis archiepiſcope, tuiſque ſucceſſoribus, de canonica obedientia profeſſionem facio: & quidquid à te vel ab eis juſte & canonice injunctum mihi fuerit, ſervaturum me eſſe promitto. De hac autem antea cum à te ordinandus eſſem dubius fui; ideoque tibi quidem ſine conditione, ſucceſſoribus vero tuis conditionaliter obtemperaturum eſſe promiſi.

DECRETUM CONCILII [b].

26. Anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu-Chriſti MLXXII. Pontificatus autem domni ALEXANDRI papæ undecimo, regni vero VUILLELMI glorioſi Regis Anglorum & Ducis Normannorum ſexto. Ex præcepto ejuſdem Alexandri papæ, annuente eodem Rege, in præſentia ipſius & Epiſcoporum atque Abbatum, ventilata eſt cauſa de primatu, quem Lanfrancus Dorobernenſis archiepiſcopus ſuper Eboracenſem eccleſiam jure ſuæ eccleſiæ proclamabat: & de ordinationibus quorumdam Epiſcoporum, de quibus ad quem ſpecialiter pertinerent certum minime conſtabat. Et tandem aliquando diverſis diverſarum ſcripturarum auctoritatibus probatum, atque oſtenſum eſt, quod Eboracenſis eccleſia Cantuarienſi debeat ſubjacere, ejuſque Archiepiſcopi, ut Primatis totius Britanniæ diſpoſitionibus, in his quæ ad Chriſtianam religionem pertinent, in omnibus obedire. Subjectionem vero Dunelmenſis, hoc eſt Lindisfeldenſis Epiſcopi, atque omnium regionum, à terminis Licifeldenſis epiſcopii, & Humbræ magni fluvii, uſque ad extremos Scotiæ fines, & quidquid ex hac parte prædicti fluminis, ad parochiam Eboracenſis eccleſiæ jure competit, Cantuarienſis Metropolitanus Eboracenſi archiepiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus, in perpetuum obtinere conceſſit: ita ut ſi Cantuarienſis archiepiſcopus Concilium cogere voluerit, ubicumque viſum fuerit, Eboracenſis archie-

Dunelmenſis ſeu Lindisfeldenſis Epiſcopatus.

a Id de Cantuarienſi Archiepiſcopo cum Londonienſi ſtatuerat B. Gregorius. De his fuſe Vuillelmus Malmeſburienſis lib. I. Hiſtoriæ pontificum Anglorum, quem legeſis.

b Illud Concilium Vvindleshoræ habitum fuiſſe refert Spelmannus Tom. 2. Conciliorum Angliæ. Attamen Vuillelmus Malmeſburienſis, ex quo hæc omnia deſumta ſunt, nullum locum exprimit: unde Labbeus in editione Conciliorum maluit ipſum ſimpliciter *Anglicanum* appellare.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXXIX Maii XXVIII. » piſcopus ſui præſentiam, cum omnibus ſibi ſubjectis Epiſcopis, ad nutum » ejus exhibeat; & ejus canonicis diſpoſitionibus obediens exſiſtat. Quod » autem Eboracenſis archiepiſcopus profeſſionem facere debeat Cantua» rienſi archiepiſcopo, etiam cum ſacramento, Lanfrancus Dorobernenſis » archiepiſcopus ex antiqua anteceſſorum conſuetudine oſtendit. Sed ob » amorem Regis, Thomæ Eboracenſi archiepiſcopo ſacramentum relaxavit; » ſcriptamque tantum profeſſionem recepit, non præjudicans ſucceſſoribus » ſuis, qui ſacramentum cum profeſſione à ſucceſſoribus Thomæ exigere vo» luerint. Si archiepiſcopus Cantuarienſis vitam finierit, Eboracenſis ar» chiepiſcopus Doroberniam veniet; & eum qui electus fuerit, cum ceteris » præfatæ eccleſiæ Epiſcopis, ut Primatem proprium jure conſecrabit. Quod » ſi archiepiſcopus Eboracenſis obierit, is qui ei ſucceſſurus eligitur, acce» pto à Rege archiepiſcopatus dono, Cantuariam, vel ubi Cantuarienſi vi» ſum fuerit, accedet: & ab ipſo ordinationem canonico more ſuſcipiet. Huic conſtitutioni conſenſerunt præfatus Rex, & Archiepiſcopi, Lanfrancus Cantuarienſis, & THOMAS Eboracenſis, & HUBERTUS ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Subdiaconus & præfati ALEXANDRI Papæ Legatus, & ceteri qui interfuerunt Epiſcopi & Abbates.

27. Hæc ut geſta ſunt Lanfrancus Alexandro notificavit per ſubſcriptam Epiſtolam.

Epiſt. 3. » Domino totius Chriſtianæ Religionis ſummo ſpeculatori Alexandro Papæ, » Lanfrancus ſanctæ Dorobernenſis eccleſiæ Antiſtes debitam cum omni » ſervitute obedientiam. Meminiſſe debet humiliter excellens, excellenter» que humilis Beatitudo veſtra, quia quo tempore apud vos fuimus, Ebora» cenſis eccleſiæ antiſtes adverſum me palam murmuravit, clam detraxit, in » præſentia Celſitudinis veſtræ calumniam ſuſcitavit, dicens me injuſte velle » agere, eo quod ſuper ſe ſuamque eccleſiam, jure * veſtræ eccleſiæ prima» tum niterer obtinere. De quorumdam quoque ſubjectione Epiſcoporum, » quos eccleſiæ ſuæ conatus eſt aggregare, antiquam ſua querela non eſt ve» ritus conſuetudinem temerare. Quibus de rebus vos, ſicut ſanctum pruden» temque Paſtorem decuit & oportuit, per ſcriptum ſententiam promul» gaſtis, quatenus conventus Anglicæ terræ Epiſcoporum, Abbatum, cete» rarumque religioſi ordinis perſonarum, utriuſque partis rationes audiret, » diſcuteret, definiret; factumque eſt ita. Convenerunt enim ad regalem cu» riam apud Wentanam civitatem in Paſchali ſollemnitate Epiſcopi, Abba» tes, ceterique ex ſacro, ac laïcali ordine, quos fide, actione, morumque pro» bitate par fuerat conveniſſe. In primis adjurati * ſunt à nobis ex veſtra au» ctoritate per ſanctam obedientiam; deinde Regia poteſtas per ſemetipſam » conteſtata eſt eos per fidem & ſacramentum, quibus ſibi colligati erant, » quatenus hanc cauſam intentiſſime audirent, auditam ad certum rectum» que finem ſine partium favore perducerent. Utrumque omnes concorditer » ſuſceperunt, ſeſe ita facturos ſub præfata obligatione ſpoponderunt. Alla» ta eſt igitur eccleſiaſtica gentis Anglorum hiſtoria, quam Eboracenſis ec» cleſiæ preſbyter & Anglorum doctor BEDA compoſuit. Lectæ ſententiæ, » quibus pace omnium demonſtratum eſt à tempore beati AUGUSTINI primi » Dorobernenſis epiſcopi, uſque ad ipſius Bedæ ultimam ſenectutem, quod » fere centum & quadraginta annorum ſpatio terminatur, anteceſſores meos » ſuper Eboracenſem eccleſiam, totamque inſulam, quam Britanniam vocant, » necnon & Hiberniam primatum geſſiſſe, curam paſtoralem omnibus impen» diſſe, in ipſa Eboracenſi urbe perſæpe, locisque finitimis, ubi eis viſum » fuit, epiſcopales ordinationes, atque Concilia celebraſſe, Eboracenſes an» tiſtites ad ipſa Concilia vocaſſe; & cum res popoſciſſet, de ſuis eos actibus » rationem reddere compuliſſe. Epiſcopos quoque quorum ſubjectionem, in » quæſtionem adduxerat, infra illud centum & quadraginta annorum ſpatium

* al. noſtræ.

* mſ. adunati.

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXXIX. Maii XXVIII.

per Dorobernenſes archiepiſcopos fuiſſe conſecratos, ad Concilia vocatos, quoſdam quoque, exigentibus culpis, ab eis cum Romanæ Sedis auctoritate depoſitos, multaque in hunc modum, quæ epiſtolaris modeſtia per ſingula explicare non poteſt. Diverſa ad legendum Concilia porrecta, quæ diverſis temporibus, diverſis de cauſis, à meis ſunt anteceſſoribus celebrata; quæ tametſi non eamdem ſuæ inſtitutionis habuere materiam, eamdem tamen de primatu, & ſubjectionibus Epiſcoporum tenuere ſententiam. Recitatæ eorumdem, de quibus quæſtio verſabatur, Epiſcoporum ante prædeceſſores meos factæ electiones, & per eos ordinationes, quæ Dorobernenſi eccleſiæ de ſua obedientia ſcriptas reliquerunt profeſſiones. Urbs namque, quæ Cantuerbia nominatur, antiquis temporibus, ab ipſius terræ incolis Dorobernia vocabatur. Acceſſerunt omnium teſtimonia, qui omnia, quæ ſcripta ſonuerant, ſe ſuis quiſque temporibus vidiſſe & audiviſſe conſtantiſſime firmaverunt. Nec defuerunt geſta, quibus reſeratum eſt, cum Anglia per plures regulos eſſet diviſa, Nordanumbrorum Regem, ubi ſita eſt civitas Eboraca, accepto pretio cuidam ſimoniaco epiſcopatum vendidiſſe, pro qua culpa à Dorobernenſi archiepiſcopo ad Concilium vocatum fuiſſe, nolentemque venire pro ſua inobedientia excommunicationis ſententiam pertuliſſe; cujus communionis atque conſortii omnis illarum partium eccleſia tamdiu abſtinuit, quoad uſque Concilio ſeipſum exhibuit, culpam dixit, quod male geſtum eſt correxit, de reliquo emendaturum ſeſe fore ſpopondit. Quæ res non mediocre tulit indicium, anteceſſores meos ſuper ipſam terram, illamque eccleſiam habuiſſe primatum. Ultimum quaſi robur totiuſque cauſæ firmamentum, prolata ſunt anteceſſorum veſtrorum Gregorii, Bonifacii, Honorii, Vitaliani, Sergii, item Gregorii, item ultimi Leonis privilegia atque ſcripta, quæ Dorobernenſis eccleſiæ præſulibus, Anglorumque Regibus, aliis atque aliis temporibus, variis de cauſis ſunt data aut tranſmiſſa. Reliqua enim reliquorum tam authentica, quam eorum exemplaria, in ea combuſtione atque abolitione, quam eccleſia noſtra ante quadriennium perpeſſa eſt, penitus ſunt abſumta. His atque aliis, quæ particulatim breviterque explicari non poſſunt, ex parte noſtræ eccleſiæ in cauſa Primatus, contra tantam tantarum auctoritatum evidentiam pauciſſimas contradictiones oppoſuit, epiſtolam illam præcipue ferens in medium, qua beatus Gregorius Londonienſem atque Eboracenſem eccleſiam pares eſſe, nec alteram alteri ſubjacere inſtituit. quam ſcripturam, cum in rem nihil facere concordi ſententia cuncti protinus definiſſent, pro eo quod nec ego Londonienſis epiſcopus eſſem, nec de Londonienſi eccleſia eſſet quæſtio inſtituta, vertit ſe ad alia egena atque infirma argumenta, quæ poſt paucam moram, Chriſto revelante, paucis ſunt objectionibus abolita. Quem cum Rex dulci paternaque reprehenſione argueret, quod contra tantam argumentorum copiam, tam inops rationum venire præſumſiſſet; reſpondit ſe antea ignoraſſe Dorobernenſem eccleſiam tot tantiſque auctoritatibus, tamque perſpicuis rationibus eſſe munitam. Verſus itaque ad preces eſt; rogavit enim Regem, ut me rogaret, quatenus omnem mentis rancorem adverſus eum pro hac cauſa conceptum omitterem, pacem diligerem, concordiam facerem, aliqua quæ mei eſſent juris ſtudio ei caritatis concederem. Cui petitioni ego libenter, & cum gratiarum actione aſſenſum præbui: quia, miſerante Deo, non ego, ſed ille priſcæ conſuetudinis violator, cauſa erat illius ſcandali. Facta eſt igitur communi omnium adſtipulatione de hac re quædam ſcriptura, cujus exemplaria per principales Anglorum eccleſias diſtributa, ut futuris ſemper temporibus teſtimonium ferant, ad quem finem cauſa iſta fuerit perducta; cujus exemplar vobis quoque, quibus ſanctam totius mundi Eccleſiam conſtat eſſe commiſſam, tranſmittendum curavi, ut ex hoc, atque aliis quæ tranſmiſſa ſunt, perſpi-

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXIX. MAII XXVIII. „ çue cognoſcatis, ex more anteceſſorum quid mihi, Chriſtique eccleſiæ, quam „ regendam ſuſcepi, concedere debeatis. Quod peto honeſte & ſine dilatio- „ ne per indultum Sedis apoſtolicæ privilegium fieri, quatenus ex hoc quo- „ que, quantum me diligatis evidenter poſſit oſtendi, &c.

Ex Epiſt. 5. 28. De eadem re ſcripſit Hildebrando Romanæ Eccleſiæ Archidiacono, „ ita. Calumnia quam Eboracenſis eccleſiæ Antiſtes adverſum me movit „ de Primatu, & ſubjectione quorumdam Epiſcoporum, ſecundum præce- „ ptum apoſtolicæ Sedis audita & determinata eſt; cujus negotii geſtionem „ breviter ex ordine ſcriptam, domino noſtro Papæ tranſmiſi, quam volo & „ rogo à vobis competenti diligentia legi; quatenus caritas veſtra certiſſi- „ mum teneat, quid mihi, eccleſiæque meæ Sedes apoſtolica confirmando „ concedere, & concedendo confirmare per Privilegium debeat.

Epiſt. 6. 29. Ad hæc Hildebrandus reſpondit Lanfranco.

„ Verba Legatorum veſtrorum graviter accepimus, ſed quod voluntati „ veſtræ, in mittendo abſenti perſonæ privilegio, ut illi petebant, rite non „ potuimus ſatisfacere, valde doluimus. Neque id ægre ferat veſtra prudentia, „ quoniam ſi alicui Archiepiſcoporum, veſtris temporibus, abſenti hoc conceſ- „ ſum fuiſſe vidiſſemus, profecto religioni veſtræ promtiſſima caritate ho- „ norem hunc abſque veſtra fatigatione impenderemus: unde neceſſarium „ nobis videtur, vos Apoſtolorum limina viſitare, quatenus de hoc & cete- „ ris una nobiſcum efficacius, quod oportuerit conſulere valeamus, atque „ ſtatuere. De cetero ſi legatos noſtros ad vos venire contigerit, ſolita cari- „ tate recipite, qui * vobis in aure dixerint, prout cariſſimum ſanctæ Roma- „ næ Eccleſiæ filium, & religioſum decet ſacerdotem, procurare ſtudete.

* al. & quæ.

XII. Concilium Londoniæ.

30. Anno ab Incarnatione Domini MLXXV. regnante glorioſo rege Vuil- lelmo Anglorum, anno regni ejus nono, congregatum eſt Londoniæ in eccleſia beati Pauli apoſtoli Concilium totius Angliæ regionis Epiſcoporum, Abbatum, necnon & multarum religioſi ordinis perſonarum; jubente atque eidem Concilio præſidente Lanfranco ſanctæ Dorobernenſis eccleſiæ archipræſule, totiuſque Britanniæ Primate; conſedentibus ſecum viris venerabilibus, THOMA Eboracenſi archiepiſcopo, VUILLELMO Londinenſi epiſcopo, GOISFRIDO Conſtantienſi (qui * cum tranſmarinus eſſet epiſcopus, in Anglia multas poſſeſſiones habens, cum ceteris in Concilio reſidebat). VUALCHELINO Vintonienſi, HERMANO * Siraburnenſi, VUILFSTANO Vvirceceſtrenſi, VUALTERIO Herefordenſi, GISONE Vellenſi, id eſt, Batenſi, REMIGIO Dorchacenſi ſive Lincolienſi, HERFASTO Helmeanenſi ſeu Norvvincenſi, STIGANDO Selengenſi, OSBERNO Exonienſi, PETRO Liciferdenſi. Roffenſis eccleſia per id tempus paſtore carebat. Lindisfarnenſis, qui & Dulmenſis * Epiſcopus, canonicam habens excuſationem Concilio intereſſe non poterat. Et quia multis retro annis in Anglico regno uſus Conciliorum obſoleverat, renovata ſunt nonnulla, quæ antiquis etiam noſcuntur canonibus definita.

* al. Schireburnenſi.

* Dunelmenſis.

Acta Concilii.

Ex Concilio igitur Toletano quarto, Millevitano, atque Bracharenſi ſtatutum eſt, ut ſinguli ſecundum ordinationis ſuæ tempora ſedeant, præter eos qui antiqua conſuetudine, ſive eccleſiarum ſuarum privilegiis digniores ſedes habent. De qua re interrogati ſunt ſenes, & ætate provecti, quid vel ipſi vidiſſent, vel à majoribus atque antiquioribus veraciter atque probabiliter accepiſſent. Super quo reſponſo petitæ ſunt induciæ; ac conceſſæ uſque in craſtinum. Craſtina autem die concorditer perhibuere, quod Eboracenſis archiepiſcopus ad dexteram Dorobernenſis ſedere debeat, Londonienſis ad ſiniſtram, Vventanus juxta Eboracenſem; ſi vero Eboracenſis deſit, Londonienſis ad dexteram, Vventanus ad ſiniſtram.

* Solus hic cum Odone Bajocenſi ex Normanniæ Epiſcopis, cum Guillelmo conquæſtore in Angliam tranſiit.

Digitized by Google

Ex Regula beati BENEDICTI, ex Dialogo GREGORII, & antiqua regularium locorum conſuetudine; ut * monachi ordinem debitum teneant, infantes præcipue & juvenes, in omnibus locis, deputatis ſibi magiſtris, cuſtodiam habeant. Nocte luminaria ferant; generaliter omnes niſi à Prælatis conceſſa proprietate careant. * Si quis vero aliquid proprii ſine præfata licentia habere in morte fuerit deprehenſus, nec ante mortem id reddiderit, cum pœnitentia & dolore peccatum ſuum confeſſus: nec ſigna pulſentur pro eo, nec ſalutaris pro ejus abſolutione Hoſtia immoletur, nec in cimiterio ſepeliatur.

ANN. CH. MLXXXIX. MAII XXVIII.

* Reg. capp. 63. 22. 33.

* Gregor. Dial. lib. 4. cap. 55.

Ex Decretis ſummorum Pontificum, DAMASI videlicet, & LEONIS, necnon ex Conciliis Sardicenſi atque Laodicenſi, in quibus prohibetur Epiſcopales ſedes in villis exſiſtere: Conceſſum eſt regia munificentia, & Synodi auctoritate, præfatis tribus epiſcopis de villis ad civitates tranſire; Hermanno de Siraburna ad Seleſberiam, Stigando de Selengeo ad Siceſtrum, Petro de Licifelde ad Ceſtrum. De quibuſdam, qui in villis ſeu vicis adhuc degebant, dilatum eſt uſque ad Regis audientiam, qui in tranſmarinis terris tunc temporis bellum gerebat.

Can. 6.

Can. 57.

Ex multis Romanorum præſulum decretis, diverſiſque ſacrorum Canonum auctoritatibus, Ne quis alienum clericum, vel monachum, ſine commendatitiis litteris retineat vel ordinet. Ad comprimendam quorumdam indiſcretorum inſolentiam, ex communi decreto ſancitum eſt, ne quis in Concilio loquatur præter licentiam à Metropolitano ſumtam, exceptis Epiſcopis & Abbatibus.

Ex Decretis Gregorii Majoris [a], necnon & Minoris: ut nullus de propria cognatione, vel uxoris defunctæ, ſeu quam cognatus habuit, uxorem accipiat, quoad uſque parentela ex alterutra parte ad ſeptimum gradum perveniat.

Ut nullus ſacros ordines ſeu officium eccleſiaſticum, quod ad curam animarum pertineat, emat vel vendat. Hoc enim ſcelus à PETRO apoſtolo in Simone Mago primitus damnatum eſt, poſtea à ſanctis Patribus vetitum & excommunicatum.

Ne oſſa mortuorum animalium, quaſi pro vitanda animalium peſte, alicubi ſuſpendantur.

Ne ſortes, vel aruſpicia, ſeu divinationes, vel aliqua hujuſmodi opera diabolica, ab aliquo exerceantur.

Hæc enim omnia ſacri Canones prohibuerunt, & eos qui talia exercent, data ſententia excommunicaverunt.

Ex Conciliis Eliberitano, & Toletano undecimo. Ut nullus Epiſcopus vel Abbas, ſeu quilibet de clero, hominem occidendum, vel membris truncandum judicet; vel judicantibus ſuæ auctoritatis favorem accommodet.

Ego LANFRANCUS Dorobernenſis Archiepiſcopus ſubſcripſi.

Ego THOMAS Eboracenſis Archiepiſcopus ſubſcripſi.

Subſcripſerunt & alii Epiſcopi & Abbates qui interfuerunt [b].

31. Poſt hæc Thomas Eboracenſis humiliter rogavit per epiſtolam [c] Lanfrancum, ut mitteret ſibi duos epiſcopos Dorchaceſtrenſem, & Vvigornenſem, ad ſacrandum quemdam clericum, quem PAULUS comes Orcadum [d] inſularum illi miſerat, ad ordinandum illis partibus epiſcopum; affirmans nullum impoſterum, ſe horum Epiſcoporum hac de cauſa, quæſiturum ſubjectionem. Cujus petitioni Lanfrancus annuens, ſcripſit epiſco-

XIII.

Paulus comes Orcadum inſularum.

[a] Id eſt Gregorius Magnus ſeu primus, & Gregorius ſecundus, ut jam alias obſervatum eſt.

[b] Eorum nomina recenſentur in editione Labbeana, ubi tria hujus Concilii exemplaria, ſicut & apud Spelmannum, habentur.

[c] Eſt inter Lanfranci Epiſtolas editionis Acherii 11. ea autem quam Lanfrancus ad eoſdem epiſcopos ſcripſit, eſt 12.

[d] Orcadum inſulæ ſunt numero circiter 30. prope Scotiam, quarum præcipua eſt Pomonia, in qua ſedes eſt harum regionum epiſcopi.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXIX MAII XXVIII.

piſ Vvlſtano Vvigornenſi, & Petro Ceſtrenſi: ut Thomæ ſicut petebat, occurrerent, ad prædicti clerici conſecrationem, ad diem quem ipſe nominaret.

Eccleſia S. Martini olim Epiſcopalis.

32. In ſuburbio civitatis Cantuariæ, eſt quædam eccleſia ſancti Martini, in qua, ut fertur, priſcis temporibus fuit ſedes [a] epiſcopalis; &, ut aiunt, epiſcopum habuit, antequam ad illas partes tranſiret Lanfrancus. Sed quia auctoritate Canonum conſtat præceptum, ne in una civitate duo Pontifices ſimul habeantur, ſtatuit Lanfrancus, ne ulterius ipſi loco ordinaretur epiſcopus.

33. In quadam feſtivitate, de tribus magnis, quibus Rex coronatus ſolebat tenere curiam, die feſtivitatis cum Rex diademate & indumentis regalibus ornatus ſederet ad menſam, & Lanfrancus juxta eum, quidam ſcurra videns Regem auro & gemmis radiantem, exclamavit in aula, magna adulationis voce, & dixit: Ecce Deum video, ecce Deum video. Lanfrancus converſus ad Regem, ait: Nolite talia pati imponi vobis; non ſunt hæc hominis, ſed Dei: jubete illum acriter verberari, ne audeat umquam talia iterare. Quod Rex juxta verbum illius fieri juſſit. Noverat vir prudentiſſimus, quod tertius Herodes ideo ab Angelo percuſſus interiit, quia adulatorum verba, quæ quaſi Deo ſibi acclamabant, non reſpuit, ſed ſuſcepit.

34. Eccleſiam Roffenſem ipſe inſtauravit, & in ea epiſcopum ordinavit Beccenſem monachum, nomine Hernoſtum. In hujus conſecratione inventus eſt Evangelii verſus: Cito proferte ſtolam primam, &c. (Luc. 15. 22.) Quod cum audiſſet Lanfrancus, prædixit eum cito moriturum, & ſic contigit. Namque ei in epiſcopatu nondum anno completo, decedenti ſucceſſit Gundulfus, & ipſe monachus Beccenſis, vir Deo amabilis & religioſus, qui perſeveravit uſque ad tempora ſancti Anſelmi & regis Henrici. Abbatiam quoque ſancti Albani reſtituit in priſtinum ſtatum; in qua poſuit Abbatem [b] PAULUM Cadomenſem monachum, qui ibi ordinem, & eccleſiaſtici officii uſum inſtituit, ſicut cernere eſt uſque hodie.

XIV. 35. Quadam die dum Miſſam celebraret, & ventum eſſet ad horam, qua Corpus Domini manibus accepit, Diaconus, qui ad Miſſam ſibi miniſtrabat, pervaſus à dæmone arripuit Archiepiſcopum manibus per ſcapulas: venerabilis Antiſtes in nullo turbatus, reflexa manu dextera per capillos eum tenuit, & ante pedes ſuos adduxit. Percelebrata Miſſa, in domum infirmorum juſſit illum perduci, ubi per aliquot dies in eadem inſania permanſit. Non autem multum illum vexabat poſſeſſum, niſi quia in amentia tenebat; ridebat vero præſentes cum cachinno, reſpondens ad ea quæ dicebantur. Videbant autem quemdam tumorem per membra diſſilientem: & ſi quis voluiſſet manum ſuperimponere, ſtatim in alium locum exhibebat. Contigit autem venerabilem prædictum Gundulfum præſulem Roffenſium adeſſe, qui cum voluiſſet manum ſuper tumorem illum imponere, deſiliit alíorſum. & ait Epiſcopus: Revera ſalit ſicut catus. Reſpondit dæmon: Non ut catus, ſed ut catulus. Dicebat autem de quibuſdam ejuſdem loci fratribus quædam nefanda. Tunc nominaverunt quemdam, dicentes: Quoniam de illo non haberet quid diceret. At ille cœpit affirmare, quia numquam ille quem dixerant, auderet in præſentiam ſuam venire. Quod cum frater audiſſet, timuit ne forte aliquid ſibi perperam geſtum improperaret. Tunc

[a] Ibi chorepiſcopum tantummodo ſediſſe affirmat Gervaſius Dorobernenſis in Actis Pontificum Cantuarienſium, cap. de S. Elfego, ubi hæc habet: *Habebat quondam Cantuarienſis archiepiſcopus corepiſcopum quemdam, qui in eccleſia ſancti Martini extra Cantuariam manebat; qui adveniente Lanfranco deletus eſt, ſicut ubique terrarum factum eſſe audivimus.* Quo ex loco videntur chorepiſcopi uſque ad undecimum ſæculum perſeveraſſe.

[b] Eadmerus lib. 1. Hiſtoriæ Novorum fuſius refert monaſterii S. Albani reſtaurationem, quam Lanfrancus, conſtituto ibi Paulo abbate, conſummavit. Ceterum ad hunc Paulum ſcripſit S. Anſelmus, ut ipſi de ejus electione gratularetur, quæ epiſtola eſt in nova editione 78. lib. 1.

ſapientes

Digitized by Google

Ann. Ch. MLXXXIX. Maii XXVIII.

ſapientes fratres dederunt conſilium, ut cum Archiepiſcopo loquens, puram confeſſionem faceret, revelans illi totam vitam ſuam: & ſic fiducialiter cum abſolutione, & benedictione ejus, iret ad dæmoniacum. Nec mora, fecit quod ſibi conſulebatur; & mox ingreſſus ſtetit ante eum. Tunc qui aderant dicebant dæmonioſo: Ecce adeſt cui minitabaris. dic ſi quid de eo noſti. At ille in eum torvo reſpectans oculo, ait cachinnans: Proth malo omine, quomodo es nunc rebullitus & candidatus? Quis te ſic rebullivit & dealbavit? Et cum ab aliis urgeretur, ut diceret quod antea ſe dictúrum minitabatur, nihil plus dixit. Unde datur intelligi, quia virtus confeſſionis & abſolutionis aufert diabolo aut memoriam peccati, de quo pura confeſſio facta fuerit; aut certe poteſtatem hominem accuſandi. Unde beatus Auguſtinus: Si, inquit, fueris tui ipſius accuſator, & Dominus liberator; quid erit ille, niſi calumniator? Poſt aliquot dies, Deo miſerante, & magno præſule Lanfranco cum fratrum ſanctæ ſedis orationibus adjuvante, liberatus eſt ab illa peſte, & priſtinæ reſtitutus eſt ſanitati. Hoc, beato Anſelmo archipræſule referente, cum aliis pluribus audivi.

Virtus confeſſionis ſacramentalis.

Auctoris ætas.

XV. Lanfrancus regni Angliæ adminiſtrator.

36. Quando glorioſus rex Vuillelmus morabatur in Normannia, Lanfrancus erat princeps & cuſtos Angliæ, ſubjectis ſibi omnibus Principibus, & juvantibus in his quæ ad defenſionem, & diſpoſitionem, vel pacem pertinebant regni, ſecundum leges patriæ. Lectioni erat aſſiduus, & ante epiſcopatum, & in epiſcopatu, quantum poterat. Et quia Scripturæ ſcriptorum vitio erant nimium corruptæ, omnes tam veteris, quam novi Teſtamenti libros; necnon etiam ſcripta ſanctorum Patrum, ſecundum orthodoxam fidem ſtuduit corrigere [a]. Et etiam multa de his, quibus utimur nocte & die, in ſervitio eccleſiæ ad unguem emendavit: & hoc non tantum per ſe, ſed etiam per diſcipulos ſuos fecit. Qua de cauſa, ut in principio jam dictum eſt, merito illum latinitas cum honore & amore veneratur Magiſtrum. Hujus commendationis claritate omnis occidui orbis Eccleſia tam Gallicana quam Anglica gaudet ſe illuminatam. Ita fuit liberalis, ut diceretur nullum tam largum de Italia Longobardum egreſſum fuiſſe. Erat ea tempeſtate transmarina regio plena & abundans omnibus bonis, quæ Deus ad utilitatem hominum creavit; ipſe quoque Archiepiſcopus ditatus multis poſſeſſionibus, locuples erat. Verum quanti penderet iſta, in hoc apparebat, quod quantum poterat, paupertatem retinebat in vilitate habitus, parſimoniam tenens inter multimodas delicias. Multa quoque & magna offerebantur ſibi dona, quæ ille hilariter rogantibus ſe, vel indigentibus tribuebat. Pauperibus quoque erat ita dapſilis, ut quingentas libras quotannis in eleemoſynam erogaſſe dicatur; & merito. nam in conſecratione ejus repertum eſt, ſuper caput ejus Evangelicum dictum: Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. quod ipſe tota devotione facere ſtuduit. Conſanguineis monachorum ſuorum indigentibus, quam benigne, quam ſufficienter beneficia impendebat. Vere poterat dicere: Ab adoleſcentia crevit mecum miſeratio.

Libris emendandis incumbit. [a]

Job 31. 18.

Anſelmus Angliam petit.

37. Interea contigit ſanctum abbatem Becci Anſelmum, qui beato Herluino ſucceſſerat, tranſire in Angliam, tum pro utilitatibus eccleſiæ ſuæ, tum ut cum Archiepiſcopo loqueretur, cujus alloquium & conſilium multum amabat. Et perveniens ad illum, cum magno amore & debito honore ſuſceptus eſt. Cumque ſimul loquerentur, & ad invicem de diverſis plura conferrent, intimavit Abbati antiſtes Cantuarienſis quaſi conquerendo,

[a] Exſtat in bibliotheca monaſterii noſtri S. Martini Sagienſis codex mſ. collationum Caſſiani à beato Lanfranco emendatus, quod patet ex notula marginali ipſius manu ſcripta: *Huc uſque ego Lanfrancus correxi.* De eadem re præclarum exſtat Matthæi Pariſ. teſtimonium in Hiſtoria Anglorum ad an. MLXXXIX. ubi hæc habet: *Eodem anno obiit Lanfrancus... qui lectioni aſſidue vacavit, libros veteris ac novi Teſtamenti ſcriptorum vitio corruptos corrigere ſtuduit, cujus emendationis luce, tam Anglorum eccleſia quam Gallorum ſe gaudet illuſtrari,*

ANN. CH. MLXXXIX. MAII XXVIII.

quod homines illius patriæ colerent quoſdam ſanctos, quos ille non affectaret, & maxime, ait, quemdam ELFEGUM [a] hujus ſedis Archipræſulem. quem non ſolum inter ſanctos, ſed & inter martyres numerare contendunt; cum conſtet illum non pro fide Chriſti, ſed quia ab inimicis, à quibus captus tenebatur, ſe redimere noluerit, interemtum fuiſſe. Ad hæc Anſelmus hujus reddit rationem. Certum eſt, inquit, quia is qui ne leviter peccando Deum offendat, mori non dubitat; multo magis mori non dubitaret, priuſquam aliquo gravi peccato Deum exacerbaret. Et revera gravius eſt Chriſtum negare, quam aliquem pro ſua redemtione, homines ſuos ablatione ipſorum pecuniæ ad modicum gravare: ſed quod minus eſt Elfegus facere noluit. Multo igitur minus Chriſtum negaret, ſi veſana plebs eum ad hoc mortem intentando conſtringeret. Unde datur intelligi, quanta vis juſtitiæ pectus ejus poſſederit, quando vitam ſuam maluit dare, quam ſpreta caritate, proximos ſuos ſcandalizare. Nec immerito, ut reor, inter martyres computatur, qui pro juſtitia mortem ſponte ſuſcepiſſe prædicatur. Nam & beatus Johannes-Baptiſta, quem tota Dei Eccleſia præcipuum martyrem credit & veneratur; non quia Chriſtum negare, ſed quia pro defenſione legis divinæ veritatem noluit tacere, ad votum ſaltatricis capite plexus eſt. Et quid diſtat pro juſtitia mori, vel mori pro veritate? Conſtat, teſtante ſacro eloquio, quia veritas & juſtitia Chriſtus eſt. Ipſe enim dicit: Ego ſum veritas. Et Apoſtolus: Chriſtus factus eſt nobis à Deo ſapientia & juſtitia. Qui ergo pro veritate & juſtitia moritur, pro Chriſto moritur; qui autem pro Chriſto moritur, Eccleſia teſte, martyr habetur. Beatus vero Elfegus, æque pro juſtitia, ut ſanctus Johannes pro veritate, paſſus eſt. Cur ergo plus de unius, quam de alterius vero ſanctoque martyrio quiſque ambigat; cum par cauſa in mortis perpeſſione utrumque detineat? Audiens hoc Lanfrancus, gratanter rationem approbans accepit, collaudans viri ſapientiam, & perſpicacem ingenii ſubtilitatem firma veritate ſubnixam. Et deinceps ſanctum Elfegum, ut vere magnum & martyrem glorioſum devote veneratus eſt.

Probat Elfegum eſſe vere Martyrem.

Johan. 14. 6.

1. Cor. 1, 30.

Prædicit B. Anſelmum ſibi ſucceſſurum.

38. Interea relatum eſt ipſi Lanfranco, quod præmemoratus Abbas Anſelmus, una nocte poſt matutinas veniens ad lectum ſuum, invenit in eo anulum aureum: prius cruce Chriſti ſignans, ne forte illuſio dæmonum eſſet, accepit illum vere anulum, & oſtendit omnibus, per quorum manus res monaſterii tranſibant; & nullus faſſus eſt ſe illum perdidiſſe. Deinde venditus eſt anulus, & in uſum fratrum expenſus. Quod cum audiſſet Archiepiſcopus, referenti ſibi reſpondit: Certiſſime ſcias illum poſt me futurum Archiepiſcopum. Sicut prædixit ita eveniſſe ſcimus.

Epilogus.

39. Hæc de tanto viro perpauca inculto ſermone dicta ſint. Verum & ea quæ diximus de illo, vera credimus; & plura his per gratiam Dei illum egiſſe non dubitamus. Nam à tempore ſuæ converſionis toto animo operam dedit religioni; & ſemper ad meliora tendens, de virtute in virtutem proficere ſtuduit. Quis digne poteſt enarrare ejus ſapientiæ claritatem, ingenii ſubtilitatem, cordis benignitatem, induſtriæ probitatem, animi puritatem? Fuit enim alacritate jocundus, humilitate ſummiſſus; in eleemoſynis largus, fide catholicus, Chriſtianæ religionis reparator, pauperum ſuſtentator, pupillorum protector, viduarum conſolator. His, aliis, aliiſque virtutibus ornatus, fidem recte vivendo ſervavit, curſum bene moriendo terminavit. Non enim poteſt male mori, qui bene vixerit. Nec putanda eſt mala mors, teſte beato Auguſtino, quam bona vita præceſſerit. Nam appropinquante termino vitæ ſuæ, decidit in ægritudinem [b], qua in dies ingraveſcente, anno Archiepiſcopatus XIX. v. Kalendas Junii, diem

Mors beati Lanfranci, v. Kalend. Junii.

[a] De eo egimus ad annum 1012.

[b] Audita hac Lanfranci ægritudine Anſelmus ſui & totius conventus Beccenſis nomine, ad ipſum epiſtolam ſcripſit, quæ eſt in nova editione ultima libri 2.

Digitized by Google

ANN. CH. MLXXXIX. MAII XXVIII.

clauſit extremum, regnante VVILLELMO filio Vvillelmi Regis. Dolor omnibus incomparabilis, & luctus inconſolabilis ſuis. Sepultus eſt in eccleſia Chriſti [a], quam ipſe ædificavit. Et quia ipſa Eccleſia parvum * caput habere videbatur, beatus Anſelmus ſucceſſor ejus, ante deceſſum ſuum augmentare ſtuduit eccleſiæ ejuſdem caput. quod ab eo inchoatum, & poſt mortem ejus per plures annos ædificatum, tandem perfectum, magnum opus & pulchrum, à Vvillelmo, qui poſt Rodulfum Anſelmi ſucceſſorem, Archiepiſcopus exſtitit, cum magna gloria, & omnium rerum abundantia dedicatum eſt: ſicut clerus & populus regni teſtantur, qui affuerunt. Itaque cum immineret dies ipſius dedicationis, ſicut mos eſt, omnia corpora de eccleſia elata fuerunt. Tunc quidam frater, ſive curioſitate, ſeu, quod magis credibile eſt, pro reliquiis habendam de caſula glorioſi Lanfranci abſcidit particulam; de qua miri odoris ſuavitas efflagrabat. Oſtendit aliis, qui & ipſi ſenſerunt odoris fragrantiam. Qua de re intelligi datur, quod anima illius in magna ſuavitate requieſcit, cujus corporis indumenta tanto odore redolent. Quæ nimirum gratia illis maxime conceditur, qui dum viverent in corpore, munditiam cordis, & carnis incorruptionem uſque ad finem vitæ ſervare ſtuduerunt. Æternæ beatitudinis quietem animæ illius pius Chriſtus Dominus noſter donare dignetur, qui eſt benedictus in æternum. Amen.

* Vulgo *le chevet.*

Vvillelmus, & Rodulfus Archiepiſcopi Cant.

[a] Sic de eo tabulæ mſſ. apud Gerberonem in notis ad Epiſt. 41. libri 2. S. Anſelmi. *Lanfrancus Cantuarienſis metropolis Archiepiſcopus defunctus, in baſilica ſanctæ Trinitatis, quam ipſe mirifico opere conſtruxerat, ſepultus eſt.*

APPENDIX.

POST Lanfranci obitum multi pro illius temporis more ejus elogium, verſibus, aut etiam proſa celebrarunt, ut referunt Tabulæ Eccleſiæ Cantuarienſis apud noſtrum Gerberonem in notis ad Epiſt. XLI. *lib.* II. *ſancti Anſelmi. Ex his aliquot verſus nobis ſuperſunt, quos hic adjicere viſum eſt. Primi ſunt ſancti Anſelmi, quorum meminit Ordericus Vitalis lib.* VIII. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. alios etiam huc referimus à monacho Croylandenſi compoſitos, quos Ingulfus beati Anſelmi amiciſſimus refert in ſui monaſterii hiſtoria, quæ integra prodiit anno* MDCLXXXIV. *Londonii. quibus tandem ſubjungemus epitaphium à Philippo Bonæ ſpei abbate editum, quod noſter Acherius jam in notis ad hanc vitam vulgaverat.*

Verſus ſancti Anſelmi de prædeceſſore ſuo Lanfranco.

Archiepiſcopii * non divitias, nec honores
LANFRANCUS ſubiit: ſed curas atque labores.
Natus in Italia, Papienſi de regione,
Civibus egregiis, & honeſta conditione.
Monachus atque Prior Becci fuit, hinc Cadomenſis
Abbas; poſt Præſul Primas & Cantuarienſis.
Totius Anglorum fuit eccleſiæ reparator:
Et Normannorum nihilominus auxiliator.
Hujus doctrinam pars maxima ſenſerat orbis;
Et commune fuit viduis ſolamen, & orbis,
Claudis, contractis, leproſis, dæmonioſis,
Surdis, & cæcis, nec non aliis vitioſis.
Poſt exhortamen non ſprevit ferre juvamen:
Sed dum vixit, erat ſpes omnibus atque levamen.
Et quamvis epulæ cum potu delicioſæ;
Et veſtes fuerant ſibi molles, & pretioſæ;
Ipſe tamen tectus fuit aſperitatis amictu;

* *al.* Archiepiſcopus.

ANN. CH. MLXXXIX. MAII XXVIII.

Semper de vili vivens & paupere victu.
Verus juſtitiæ, non falſus in ordine cultor:
Nequitiæque fuit rectiſſimus & pius ultor.
Aſper in elatos, nulli pro munere ſupplex:
Innocuiſque bonis & nullo tempore duplex.
Caſtus & inceſtis parcendo ſubveniebat,
Juſtus & injuſtos tolerando corripiebat.
Sic alios curans, paſtoris opus faciebat,
Sic ſe conſervans, Domino per cuncta placebat.
Hic vir tam ſapiens, & in hoc luctamine fortis;
Non potuit tandem laqueos evadere mortis.
O quantos miſeri tunc invenere dolores!
Et gens Anglorum; quantos amiſit honores!
Quo gemitu clerus; quo fletu monachus orat!
Et quantus dolor eſt, quo ſexus uterque laborat!
Si quis confidit totum ſe dicere poſſe:
Hunc ego confirmo non totum dicere noſſe.
Et qui LANFRANCO ſe judicat æquiparandum;
Illum jure facit præſumtio vituperandum.
Sole ſub undecima geminos ſubeunte dieta;
Felicis vitæ ſibi ponitur ultima meta.
Regum Rex æterne Deus, rerumque creator;
Sis ſibi perpetuus defenſor & auxiliator.
Virgo Redemtoris mundi ſanctiſſima mater,
Illum conſerva, ne ſpiritus atterat ater.
Omnes Electi, precibus, meritiſque juvate
LANFRANCUM veſtris; & vobis conſociate.
Vos quoque, qui vitam gratanter adhuc retinetis;
Et ſpem venturæ, donec ſupereſtis, habetis:
Hortor & admoneo, quod eidem ſubveniatis,
Ut quod feceritis, poſt mortem percipiatis.
Nam qui propter eum ſupplex, & ſedulus orat,
Pro ſemet ſupplex, & ſedulus ipſe laborat. Amen.

Epitaphium Lanfranci, ex Ingulfi Hiſtoria.

Heu, heu ploret Anglia, plangat & Italia,
Fleat ſimul Francia, lugeat Almannia:
Scotia, Hibernia, & omnis gens extranea,
Omnis terra ſuum florem cecidiſſe lugeat,
Sponſa Chriſti magnum decus amiſiſſe doleat,
Nec ſolamen in hac vita de LANFRANCO capiat.
O vos omnes qui tranſitis, exſpectate modicum,
Et Lanfrancum mecum flete virum Apoſtolicum,
Lacrymando, lamentando propter ejus obitum.

Aliud Epitaphium à Philippo Bonæ-Spei abbate compoſitum.

Vixiſti, venerande Pater, ſapienter & æque;
    Vixiſti vivens, mors quoque vita tibi.
Inter divitias pauper Lanfrance fuiſti,
    Divitiis manans, pauperum amator eras.
Per te florentes artes valuere Latinæ,
    Gratia de vobis, ecce triumphat ovans.

VITA S. ADALBERONIS

EPISCOPI HERBIPOLENSIS.

Auctore monacho Lambacenſi.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. ADALBERONI Herbipolenſi epiſcopo locum inter beatos viros, qui Ordinem noſtrum illuſtrarunt, merito concedi poſſe fatebitur, quicumque res ipſius geſtas perſpectas habebit. quamvis enim profeſſionem monaſticam eum numquam emiſiſſe veri ſimilius ſit, multis tamen aliis titulis noſtris accenſeri debet. Illuſtre quippe ſummæ illius in ordinem Benedictinum propenſionis, argumentum ſimul eſt & monumentum, monaſterium Lambacenſe, quod à ſuis ipſius parentibus conditum & dotatum, Benedictino Ordini addixit, in ipſum ſeſe recepit, diuturna multorum annorum commoratione conſecravit, ſepultura ſua honoravit, ac tandem poſt mortem infinitis propemodum miraculis illuſtravit. Trithemius præterea in Chronico Hirſaugienſi ad annum MXLV. & iterum ad annum MXC. eum noſtris accenſet, quem ante adeptum epiſcopatum monachum & abbatem Lambacenſem fuiſſe ſcribit. *Adalbero an Benedictinus?*

2. Hujus beati Pontificis vitam è tenebris eruit Johannes ejuſdem Lambacenſis monaſterii abbas, quam è codicibus iſtius loci bibliothecæ, ut ipſe teſtatur, vetuſtiſſimis deſcriptam publici juris fecit Auguſtæ Vindelicorum anno MDCXIX. cum aliis quibuſdam opuſculis: ſed quiſnam fuerit illius vitæ auctor, non indicatur, nec id expiſcari licuit ex ipſo vitæ contextu. Illud ſolummodo certum eſt ipſum Lambacenſem monachum fuiſſe, eumque ſæculo XIII. ineunte vixiſſe, quod colligimus ex libello Miraculorum Vitæ adjuncto, ubi auctor cap. 15. miraculum narrat, quod ſe ipſo præſente anno MCCIV. fuerat patratum. Aliud item refert miraculum cap. 17. quod anno MCCXV. contigerat. In Præfatione autem ſe antiqua miracula prætermiſiſſe declarat ob pluralitatem; ſubjicitque, ſibi viſum fuiſſe ſatis ea enarrare, quæ coram viderat & audierat, & manus ejus, ut ipſe loquitur, contrectaverant. Porro libellum hunc de Miraculis ab ipſo Vitæ auctore conſcriptum fuiſſe non ſolum ex eo colligimus, quod in eodem codice Lambacenſi, ab annis, ut ſupra laudatus Johannes abbas teſtatur, circiter quadringintis ſcripto ſimul cum Vita habeatur, ſed etiam ex ipſiſmet utriuſque opuſculi verbis. Etenim in Vitæ prologo, non ſolum beati Adalberonis vitam ſcribere ſe velle auctor teſtatur; ſed etiam miracula & ſigna, virtuteſque ſanitatum, quibus miſericordia Domini beati Antiſtitis tumulum tunc illuſtrabat: in poſterioris vero opuſculi præfatione, ejus auctor aperte declarat numquam antea beati Adalberonis miracula litteris conſignata fuiſſe, quorum idcirco pleraque oblivione abſorpta & per incuriam abolita fuiſſe conqueritur. Quin & idem Vitæ ſcriptor ſe Adalberone multo poſteriorem fuiſſe indicat, cum de Pariſiorum urbe agens ita loquitur: ubi tunc ſicut & nunc floruit omnium peritia artium. Ceterum cum in iſto Miraculorum libello nihil peculiare occurrat ad illuſtrandam Ordinis noſtri hiſtoriam, ipſum omittere viſum eſt. Sed dabimus Vitæ compendium metricum, quod nonnulla complectatur, quæ in vita deſiderantur. *Ejus Vitæ auctor.*

3. Difficillimis temporibus eccleſiæ Vvirceburgenſi præfuit Adalbero, ob varios tumultus, quibus tunc Germania agitabatur. Certe res eo proceſſere, ut ſemel & iterum ſuo epiſcopatu cedere coactus fuerit, intruſo in ejus ſedem quodam Meinhardo, & poſt iſtius mortem Einhardo. Recenſet abbas Urſpergenſis Adalberonem inter eos Epiſcopos, qui Ottonis Bajoariæ Ducis cauſam apud Alexandrum II. Romanum pontificem contra Henricum regem egerunt. Ipſe vero paullo poſt ad Romanum concilium cum aliis provinciæ Moguntinæ epiſcopis vocatus eſt à Gregorio VII. qui Alexandro ſucceſſerat, ut ex ejuſdem Papæ epiſtola 30. libro 2. patet. quod quidem concilium majorum turbarum initium fuit. Quippe cum Gregorius Henricum frequentibus litteris, ut abſtineret ab iis qui excommunicati fuerant, adhortaretur; & ille moræ impatiens Germaniæ epiſcopos & abbates apud Vormaciam congregaſſet; ibi ſub variorum ſcelerum ſpecie, quæ adverſus Gregorium ab Hugone-Blanco Cardinali, qui paullo antea Romæ à ſuo loco dimotus fuerat, conficta fuerant, declaratum eſt, quod Papa eſſe non poſſit, nec ullam juxta privilegium Romanæ ſedis, ligandi aut ſolvendi poteſtatem habeat, vel aliquando habuerit; qui *Rebus in Germania turbatis.*

Digitized by Google

ANN. CH. MXC. OCT. VI. Laborat Adalbero.

tantis vitam probris ac criminibus commaculaverit. *Hæc Lambertus Scafnaburgenſis monachus, ſcriptor illorum temporum accuratiſſimus. qui obſervat, ceteris omnibus huic ſententiæ ſubſcribentibus, duos tantummodo epiſcopos, Adalberonem ſcilicet Vvirtzeburgenſem & Hermannum Mettenſem, aliquamdiu reſtitiſſe, dicentes* incongruum valde & contra Canonum ſcita eſſe, ut epiſcopus aliquis abſens, abſque generali concilio, ſine legitimis & idoneis accuſatoribus & teſtibus, necdum approbatis criminibus, quæ objicerentur, condemnaretur; nedum Romanus Pontifex, adverſus quem nec Epiſcopi, nec archiepiſcopi cujuſquam recipienda ſit accuſatio. *Hunc conventum primam originem fuiſſe calamitatum illarum, quæ adeo Eccleſiam & Imperium afflixerunt, teſtatur Hugo Flaviniacenſis in Chronico: nec refragantur ceteri ejuſdem ætatis auctores. Et quidem cum paullo poſt Gregorius in Romana ſynodo Henricum ipſum cum Sigefrido Moguntino archiepiſcopo, Vvillelmo Trajectenſi, aliiſque nonnullis epiſcopis, & aulæ regiæ proceribus communione eccleſiaſtica interdixiſſet, omnis inter Sacerdotium & Imperium concordia ſciſſa ac prorſus diſrupta fuit, quod anno* MLXXVI. *contigit. Hanc reſtaurare ſategit Adalbero cum aliquot aliis in conventu Triburienſi, ea de cauſa coacto, ſed incaſſum. Anno* MLXXX. *Henricus Guibertum Ravennatem epiſcopum, qui jam ab aliquot annis à Gregorio anathemate perculſus fuerat, Papam in conciliabulo à ſe convocato conſtituit, adeoque perturbata erat in Germania rerum facies, ut teſtante auctore Vitæ ſancti Gebehardi, quinque ſolummodo epiſcopi catholici in toto regno Teutonico invenirentur, Gebehardus ſcilicet archiepiſcopus Saliſburgenſis, Altmannus Patavienſis, Adalbero Vvirzburgenſis, Hermannus Mettenſis & Meginvvardus Friſingenſis epiſcopi, qui è ſede ſua dejecti fuerunt. Quare cum Meinhardus ab Henrico intruſus ſedem Herbipolenſem invaſiſſet, Adalbero in monaſterium Lambacenſe ſeceſſit, uti in ejus vita fuſius narratur. Devicto Henrico per Hermannum, Adalbero ſedem ſuam recepit; ſed paullo poſt rurſus exſulare coactus Lambacum repetiit, exinde amplius non reverſurus: quamvis biennio antequam è vivis excederet, mortuo Meinhardo invaſore, ſedem ſuam potuiſſet recuperare. At maluit vir ſanctus in monaſterio vitam quietam in jugi cæleſtium meditatione tranſigere, quam novis iterum exagitari tumultibus.*

In monaſterium ſeceſſit.

Moritur.

4. *Defunctus eſt Adalbero vulgaris æræ anno* MXC. *Id diſerte habet Bertholdus, ſcriptor æqualis & accuratus, qui ad hunc ipſum annum de eo ſic ſcribit:* Adalbero reverendæ memoriæ Wirceburgenſis epiſcopus, unus de antiquioribus Epiſcopis, in cauſa ſancti Petri ſtrenuiſſimus in Guibertum & ejus complices, poſt multa pericula, perſecutiones & exſilia, quæ pro Chriſto libentiſſime paſſus eſt, in bona confeſſione diem clauſit extremum, in prædio ſuo, quod Lanbac vocatur. *Idem ex vitæ ipſius ſcriptore colligitur. qui ejus obitum contigiſſe ait biennio poſt Lambacenſis eccleſiæ dedicationem, quam anno* MLXXXVIII. *menſe Septembri celebratam fuiſſe teſtatur. Conſentiunt Trithemius in Chronico Hirſaugienſi & poëta Adalberonis Encomiaſtes, cujus verſus Vitæ ſubjiciemus. Obiit vero die* VI. *Octobris ex eodem poëta. Idem innuit miraculorum ſcriptor, qui cap. 6. die Octava Angelorum feſtivitatem Adalberonis celebrari ſolitam fuiſſe commemorat, ex quo itidem loco patet jam tunc Adalberonem publico cultu honoratum fuiſſe, quamquam ipſius nomen nec Romanum Martyrologium, nec cetera quæ videre licuit, repræſentent. Ejuſdem ſancti ætas nuſquam melius indicatur quam in Chronico noſtro Magdeburgenſi mſ. ubi:* Anno Incarnat. MXC. *obiit* Adalbero vigeſimus poſt beatum Burchardum ſacroſanctæ Wirceburgenſis eccleſiæ epiſcopus, defuncto domno Brunone III. Kalend. Julii conſtitutus, vixit poſt acceptum epiſcopatum annos XLV. menſes III. dies VII. ſubſtitutis tamen duobus epiſcopis, Meinhardo juniore & Einhardo. Obiit pridie Nonas Octobris in prædio patris ſui, ſepultus in monaſterio ſuo Lambach, ubi in pace requieſcit. *Plura de eo paſſim habet, quæ referre non vacat.*

5. *Lambacenſe monaſterium in Archiducatu Auſtriæ ſitum eſt ſupra Anaſum flumen, de quo videſis Bucelinum in Geographia ſacra. Porro præter hoc monaſterium, duo item alia Ordinis noſtri ab eodem beato Pontifice dotata fuiſſe memorat laudatus poëta, quorum alterum* Schvvarzig *appellat, alterum vero ſancti Stephani. De quibus Bucelinus ſupra laudatus. qui monaſterium ſancti Stephani in ſuburbio Herbipolenſi ſub annum* MLX. *ab Adalberone* fundatum & ſplendide dotatum *fuiſſe ſcribit. Hoc tamen Trithemius in Hirſaugienſi Chronico ad annum* MLVII. *revocat, quo Adalbero monachos in eccleſia ſancti Stephani, canonicis alio tranſlatis, inſtituit, dato eis in abbatem primum Ruperto, cujus ibidem laudes proſequitur. Duo autem monaſteria* Schvvarzach *dicta, & ſita in Franconia, præter tertium ejuſdem nominis in Alſatia, laudat Bucelinus, utrumque Ordinis noſtri; unum nempe virorum in cognomine opido ad Mœnum amnem, à Megingaudo Franconiæ Duce ſæculo nono conditum, in honorem ſanctæ Felicitatis; alterum vero ſacrarum virginum, quod haud procul à priori, eodem ſæculo fundavit Tirrada ſeu Theodoreta, ex Pippino Caroli Magni neptis. Ex ſecunda parte Germaniæ ſacræ ejuſdem auctoris diſcimus, monaſterium Schvvarzachenſe, quod beatus Adalbero reparavit, virorum fuiſſe. ſic enim habet de Eggberto, iſtius loci nono abbate.* EGGBERTUS monachus ſancti Gorgonii in Galliis, reformationis cauſa huc vocatus, vir ſanctus, & qui miraculis claruiſſe perhibetur. Sub hoc, incertum quo caſu, deſtructum ac incenſum cœnobium de novo dotavit

Eggbertus abbas.

Digitized by Google

& conſtruxit Adalbero Herbipolenſis epiſcopus. Benefecit eidem Ludovicus Comes de Caſtell, ſed & Hermannus comes, ibidem ſepulti. Eggbertus abbas præfuit monaſterio ſuo annis 27. & ad ſuperos migravit VII. Calendas Septembris anno MLXXV. *Ekkebertum abbatem Lambacenſem laudat vitæ auctor, & Trithemius in Chronico Hirſaugienſi ad annum* MLXXV. *Monaſterium* Svarizaha *ultra Rhenum, recenſetur inter cetera, quæ olim Regi tantummodo munera debebant. An vero idem ſit quod Suvarzaha inter monaſteria quæ cum Augienſi ſæculo* IX. *ſocietatem habebant, recenſitum tomo* IV. *Analectorum vet. pag.* 642. *incertum. Certe ibi laudantur* Job abbas, Agoaldus abbas, Lupus abbas, Dato epiſcopus, Bruningus abbas, Albricus abbas, Ebroinus abbas, Walto abbas. *quorum ne unicus quidem in Catalogo Bucelini occurrit.* ANN. CH. MXC. OCT. VI.

PROLOGUS.

INTER cetera rudimenta ſua Apoſtolus ait: Chriſtus heri & hodie; & ipſe in ſæcula ſæculorum. Et Johannes: Qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt. Per hæc tria diſtinctionis membra, tria intelligimus tempora; præteritum, præſens, & futurum: per quæ mundus partim evolutus eſt, evolvitur & evolvetur. In præterito enim tempore, poſt Patriarcharum & Prophetarum, ante legem, & ſub lege, glorificationem, Chriſtus Apoſtolos vocavit, & juſtificavit; Martyres ſanguine purpuratos coronavit; Confeſſores, Eremitas, Anachoretas, qui carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis, in gloria æterna beatificavit; Virgines felici conſummatione aſſumſit, denarioque vitæ remuneravit. Hodie autem, id eſt, in præſenti tempore, uſque ad noviſſimum Electum, qui in fine mundi naſciturus eſt, quotidie non deſinit vocare quem vult, juſtificare quem vult, beatificare quem vult, ſignis clarificare quem vult; ut reſtaurentur ruinæ, & ædificentur muri Hieruſalem: donec impleatur numerus electorum in ſuperna felicitate locandus: qui numerus ſoli Deo eſt cognitus, de quo Johannes ait: Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat. Et ipſe ait: Reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal: (ponens numerum finitum pro infinito.) Sic, ſic ludit in humanis divina potentia rebus. Mundus in maligno poſitus eſt, & mundus in immundo nequit ullus vivere mundo, niſi quem Deus elegerit de mundo, & poſuerit, ut eat, & fructum afferat: tamen non minus poteſt Deus nunc, quam tunc; non minus ſanctificat quem vult nunc, quam tunc, ubi vult, & quando vult. Pleraque ſanctorum geſta, vitæ, & paſſiones eorum inveniuntur in geſtis pontificalibus, pleraque in Eccleſiaſticis hiſtoriis, pleraque in authenticis chronicis: quæ ibi omiſſa, ea viri illuſtres, flores & lucernæ Eccleſiarum, qui ſuo tempore fulgebant in Eccleſia ut ſol & luna, ut ſplendor firmamenti, illuſtri ſtilo depinxerunt, & poſteris memoriter & æternaliter retinenda tradiderunt. Philoſophi, ut humanæ ſapientiæ tutius liberiuſque ſtuderent, omnia ſua reliquerunt; omnem conatum, omne deſiderium ſuum ad diſcendam, poſtea ad docendam ſapientiam tranſtulerunt; curſus, vias, virtutes ſiderum rimati ſunt; terrarum ſpatia, & cetera hominibus incognita ſolerti inveſtigatione perdidicerunt. Heb. 13. Apoc. 1. 4.

Sic ſua gentiles ſtuduerunt ficta Poëtæ,
Grandiſonis ornare modis, tragicoque boatu.

Et ritu magnifico pulcra mendacia ſua, parum poſteritati profutura, pulcris ænigmatum adumbrare, & includere figuris. Alii res geſtas Regumque, Ducumque, & triſtia bella, ceteraſque mundi vanitates & lenocinia operoſe conſcripſerunt; & proinde nil aliud niſi laudes humanas meruerunt, ad poſtremum vero ſpes ſuas fabulis, animas tumulis tribuerunt.

Laudamus veteres, ſed noſtris utimur annis.

Cur miſeri Chriſtiani ſalutem, quam operatur Deus in medio terræ, ſecus eos, immo in eis, gratiaſque ſanitatum, quas in dies & vident, & experiuntur, turpi & inerti ſomno deſidiæ & incuriæ depreſſi, negligenter æterna moliuntur oblivione tumulare, quas ipſe vult ad laudem nominis ſui toti mundo radiare? Sed quia generatio præterit, & generatio advenit, ne volubilibus annorum circulis, deſidioſa, quæ iſtius temporis facile ſubrepit hominibus, negligentia, poſteritas poſt ſucceſſura oblivioni tradat originem Lambacenſis cœnobii; fundatores ejus, quibus ſummam & æternam debemus reverentiam, inſuper ſigna & miracula, virtuteſque ſanitatum, quibus miſericordia Domini, qua plena eſt terra, tumulum beati Patris noſtri epiſcopi Adalberonis illuſtravit, dignum poſteris commendare duximus; ne iſto terribili multemur elogio: Ignorans ignorabitur. Et Propheta: Væ mihi, quia tacui. Digne enim in memoriam vertitur hominum, qui ad gaudium tranſiit Angelorum.

Digitized by Google

ANN. CH. MXC. OCT. VI.

CAPUT I. Adalberonis parentes.

Igitur, ſicut veridica veteranorum tradit aſſertio, erat quidam Comes, Arnoldus nomine, qui caſtrum opinatiſſimum in Lambacenſi loco, ſicut ipſe ſitus curioſos inſpectores edocet, juxta fluvium, cui vocabulum Truna, inhabitabat: ubi vectigalia & tributa, ſecundum antiquam legem, à tranſeuntibus ſolvebantur; quæ & poſteris inibi commorantibus legitimo jure, quo ad ſe tranſmiſſa erant, reddenda reliquerat: licet modo per incuriam intermiſſa ſint. Hic ex Regila nobili uxore, ex Francia orientali oriunda, plures ſuſcepiſſe filios fertur; de quibus nunc non eſt dicendum per ſingula; paucos tamen propter ſeriem narrationis proſequi, non contemnenda cogit nos ratio. Habebat filium nomine Godefridum, dignitate Marchionem, virum ſtrenuum & fortem, rebus bellicis aptiſſimum, & crebris prœliorum ſucceſſibus fortunatum, qui, ut decuit juvenile decus,

Gaudet equis, canibuſque, & aprici graminecampi,

Cujus ditioni cum redditibus circumjacentibus ſerviebat Putina, urbs inclyta & famoſa: quæ quaſi Metropolis & mater civitatum verſus Pannoniam ad Auſtralem plagam, ad arcendos hoſtiles Pannoniorum incurſus & devaſtationes antiquitus conſtituta fuit. Magnæ etiam nobilitatis & ingenuitatis, ſecundum ſæculi dignitatem habebat filiam, quæ nupſit Ekkeberto Comiti, cujus caſtrum Nunenburg in ora Oeni fluminis erat ſitum. Huic, poſt felicem fratrum exceſſum, in ſortem dotis urbs Putina cum omnibus ad ſe pertinentibus cecidit. Beata itaque Regila, benedictionibus dulcedinis præventa, de benedictionibus concepit, & peperit filium, Adalberonem dictum, benedictum à Domino fructum, in quo benedicenda fuit omnis tribus & parentela ſua, utpote qui de ſtirpe beata, & radice ſancta deſcendiſſet. De radice enim bona naſcitur omne bonum. Mox mirum in modum, filius ſapiens gloria cepit eſſe patris, gradatim de virtute in virtutem aſcendens, ſæculi blandi blandimenta deſpiciens, Chriſto duce, ſic tranſiens per bona temporalia, ut non amitteret æterna. Necdum tamen emenſis infantiæ annis igne ſancti Spiritus ſpirans, anhelare non deſiit ad regnum vitæ perpetis, omnia regna mundi, & gloriam eorum parvipendens, ſpurcitias diaboli impolluto calle tranſiens, ſacramenta militaria exſecrans, totum ſe arbitrio Domini & voluntati mancipans. Pater autem pius conſiderans piam & irrevocabilem in filio conſtantiam, veritusque Dei incurrere offenſam, ſi eum à bono retraheret propoſito, communicato cum ſuis ſenioribus & ſanioribus conſilio, filium ſuum primæ ætatis flore nitentem, Herbipolim uſque perduxit, eumque ſecundum quod Canonum & Decretorum edocent ſcita, Deo, & ſanctis ibidem quieſcentibus in æternum militaturum obtulit: addito, quo in Franconia abundabat, patrimonio, ſub Pontificis, qui tunc cathedræ Herbipolenſi præfuit, ſub cleri, plebiſque teſtimonio. Ad rudimenta litteralia diſpoſitus, brevi Spiritu ſapientiæ & intellectus adeo affatim eſt imbutus, ut omnes mirarentur ſuper doctrina & reſponſis ejus. Ubi vero annos adoleſcentiæ intravit, cum conſilio, conniventia, auctoritateque Pontificis ſui, aſſumtis aliquibus ſodalibus, Pariſios pervenit: ubi tunc, ſicut & nunc, omnium floruit peritia artium; ibique dulcibus abundanter theoriæ refectus fructibus, ſapientia plenus Herbipolim eſt reverſus.

(Margin: Herbipoli educatur.)

II. S. Gebeardi amicus. Erat ei comes & ſocius itineris GEBHARDUS [a], vir venerandus, vir dilectus Deo & hominibus; qui providentia Dei electus, & ordinatus Saliſburgenſis Archiepiſcopus, monaſterium in honorem beati Blaſii Epiſcopi & martyris, quem ſibi ſpeciali prærogativa elegit, & prece continua adoptavit patronum, inter montana, unde & ei Admont [b] vocabulum indidit, fundavit: illud etiam ſufficientibus fratribus cumulavit, quibus neceſſaria tam large adminiſtravit, ut terrenis divitiis cæleſtes adipiſci, largitate eleemoſynarum poſſint: ubi inſuper in pulvere mortis feliciter obdormiens, noviſſimam exſpectat tubam ad reſurgendum. Nam regularis diſciplina, & antiqua patrum veterum ſcita, adeo ibi jugiter exercentur & obſervantur, ut fratres Dei laudibus inſudantes, cunctis ubique terrarum poſitis exemplo ſint virtutis & ſalutis; ut merito de eis dicatur: Videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui eſt in cælis. (*Matth. 5. 16.*)

III. Et S. Altmanni. Habuit præterea alium comitem, ALTMANNUM [c] videlicet, virum omnium morum honeſtate dotatum, omni laude digniſſimum, virtutibus & ſignis ditatum: qui nutu Dei in cathedram Pontificalem Patavienſis Eccleſiæ ſublimatus, tam glorioſam, quam religioſam vitam duxit, & mors ejus nihilominus pretioſa in conſpectu Domini exſtitit. Hic monaſte-

[a] Ejus vita edita eſt à Johanne abbate Lambacenſi laudato, ſimul cum hac B. Adalberonis vita. obiit anno 1088. epiſcopatus ſui 28. ſepultus eſt in monaſterio Admontenſi, de quo infra, ubi miraculis claret.

[b] De hoc monaſterio plura habet laudatæ Vitæ auctor. Abbatum Catalogum edidit Bucelinus in Germania ſacra. Ceterum Gebhardus inſtituit etiam Gurcenſem epiſcopatum in Carinthia, cujus ſedem eo in loco inſtituit, quem antea ſanctimoniales occupabant.

[c] Et hujus vita in eodem libro itidem edita eſt. Obiit anno 1091. ſexto Id. Auguſti.

Digitized by Google

rium in monte Gotvvico [a] in Auſtria, ſub honore Dei-Genitricis & perpetuæ Virginis Mariæ conſtituit, quam ſibi unicum præ ceteris ſanctis elegit aſylum, & Patronam, clementia & miſericordia pleniſſimam. Ibi etiam rogatu ipſius migrans ad Dominum tumulatur, cujus ſepulchrum frequentibus illuſtratur ſignis. Ann. Ch. MXC. Oct. VI.

IV. Fit epiſcopus.

Aliquibus vero elapſis annis, Bruno Epiſcopus Herbipolenſis vita ex hac decedens migravit ad Dominum. Ordinante itaque eo, cujus providentia in ſui diſpoſitione non fallitur, vicinorum præſulatuum Epiſcopi, univerſi ipſius præſulatus Prælati, principes, primates, & patroni regionum, tribuni & optimates, clerus & populus utriuſque ſexus & ætatis, à minimo uſque ad maximum, uno ore, unanimi conſenſu, pari voto vociferant, clamitant, Adalberonem Epiſcopatu fore digniſſimum. Quid multa? Canonice à cunctis eligitur, electus eccleſiaſticis ritibus ſtabilitur, ſtabilitus tempore opportuno conſecratur, conſecratus ſatis optime ſapienterque in Epiſcopatu converſatur: curam ejus in his quæ ſunt ad Deum & homines decentiſſime adminiſtravit, vitam irreprehenſibilem duxit; pater orphanorum, ſolator & recreator pauperum, judex viduarum, defenſor exſtitit pupillorum. Adeo enim dilexit juſtitiam, & odivit iniquitatem, tam in ſpiritualibus, quam in ſæcularibus judiciis, ut putares Pſalmiſtam de eo dixiſſe: Miſericordiam & judicium cantabo tibi; ut referas miſericordiam ad ſpiritualia, judicium ad ſæcularia. De priori enim dicit: Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt; de ſequenti vero: Juſte judicate filii hominum. Duo porro dignitatum inſignia gerit Epiſcopus Herbipolenſis, Præſulatus videlicet, & Ducatus, ſicut in his verſiculis dicitur:

Pontificem pariterque Ducem, ſtola ſignat & enſis:
Jure ſuo tenet iſta duo locus Herbipolenſis.

Ita dextera Dei exaltatus, ſtrenue & glorioſe curam Epiſcopalem adminiſtravit, uſque ad tempora ſchiſmatis, quod tunc inter Imperatorem Henricum, & filium ejus ortum eſt. Sed de his poſtea. Nunc vero, qualiter inſtitutio Lambacenſis cœpit, breviter dicendum.

In primitiva Eccleſia, cum poſt apparitionem benignitatis & humanitatis Salvatoris noſtri Dei, Chriſtianis aurea, & argentea illuxiſſent ſæcula, plerique fidelium ſectatores bonorum operum, vitam iſtam tranſitoriam & caducam conſiderantes, de qua dicitur: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas, manſuram & æternam totis viſceribus anhelantes, Chriſtum heredem patrimoniorum ſuorum conſtituerunt. Nam eccleſias impendiis ſuis conſtruxerunt, monaſteria fundaverunt, res ſuas, redditus, poſſeſſiones, Chriſto famulantibus contulerunt; pro quibus memoriam & gloriam æternam meruerunt, inſuper theſauros, & divitias cæleſtes adepti ſunt. Nunc vero, quia V. Eccle. 1.

Ultima de ſuperis terras Aſtræa reliquit,

Et ferrea ſæcula nimis invaluerunt, invaleſcendo fere ubique prævaluerunt, regnat avaritia: regnant, dominantur avari, divites egent & eſuriunt rapinam, non juſtitiam; quorum animi ſunt

Hamus avarus, edax, & rete rapacius orbe,
Omnia cum capiant, inſatianter hiant:

Caſas in honorem Dei conſtructas deſtruunt, & in dies demoliri nituntur; poſſeſſiones & decimas Deo famulantium invadunt, rapiunt, comminuunt hoſtiliter, violenter, inceſſanter; nec Deum, nec hominem verentes. Hinc eſt, quod ubi ubi eccleſias dirutas videmus, ruinas infinitas cernimus: & ubi prius glorioſa claruerunt cœnobia, nunc qualeſcumque aſpicimus eccleſiolas, & plebeia conventicula, pro religioſis conventibus in ſanctitate & juſtitia Deo ſervientibus. Arnoldus itaque Comes, cujus in primordio narrationis fecimus mentionem, cujus gratia & iſta prælibavimus, pro terrenis cæleſtia, pro parvis magna, pro caducis ſempiterna adipiſci deſiderans & anhelans; uxore viduatus, filiis & heredibus, excepto Wirzburgenſi Epiſcopo Adalberone, orbatus; caſtro ſuo, in Lambacenſi loco ſito, deſtructo, monaſterium in honorem beatæ Dei-genitricis Mariæ conſtruxit: ut ubi erat domus exactionis, ibi fieret domus orationis; & ubi pridem illicita commercia, Chriſti deinceps frequentarentur miniſteria. Aggregavit præterea, (ſicut ſeniorum percepimus relatione) duodecim clericos, non cœnobiali lege in cœnobio degentes, ſed in vicinia clauſtri circumquaque in ſingulis tuguriis commorantes, deputatis eis, prout cuique Lambac. fundatio.

[a] Sæculo ſequenti ad noſtrum Ordinem tranſiit, cujus abbatum catalogum habet Bucelinus in Germania ſacra. Aliud item monaſterium in ſuburbio Patavienſi inſtituit ſub titulo S. Nicolai; utrumque pro Canonicis regularibus. Sed & alia monaſteria, inter quæ, celebre erat Crembmunſter ordinis S. Benedicti, ad puriorem Regulæ obſervationem revocavit. Vide laudatam ipſius Vitam.

ANN. CH. MXC. OCT. VI.

opus eſſet, neceſſariis. Certis enim & ſtatutis temporibus, vel horis, ad monaſterium divina acturi veniebant: quibus peractis, ad ſua remeabant, ſuis incluſi cellulis.

VI. Schiſma.

In diebus illis, incentor nequitiæ & omnium malorum, caput & initium omnis peccati & jurgiorum, hoſtis pacis & concordiæ, diſſeminator & amator diſcordiæ, dolens & invidens pacis & quietis gratiam Imperio Romano & Chriſtianis tunc temporis arriſiſſe, ſuſcitavit rixas & diſſenſiones, odiaque inter Imperatorem Henricum, qui Romanæ Reipublicæ præfuit, & Henricum filium ejus; in tantum, ut regnum paternum modis omnibus affectaret, eumque omnibus conatibus, tum clam, tum palam impugnaret, & animum ejus, oblitus paternæ reverentiæ, in dies exacerbaret. Tum vero aſciſcit ſibi arte peſtifera patris ſecretarios, Cubicularios, Conſiliarios, Duces, Tetrarchas, Palatinos, univerſique regni Principes: & alios quidem emollit blanditiis, alios impetit minis & terroribus; illos nefandis ſuggeſtionibus, illos verbis ad deprecandum compoſitis & muneribus; illis prædiorum & beneficiorum copiam; illis urbium & caſtellorum eminentiam, &, quod magis corda ſitiunt mortalium, infinitam theſaurorum pecuniam promittit, & offert. Nam

Dulcia gaza ſono cytharizat in aure potentum;
Tam ſuavem neſcit Muſica tota ſonum.

Matth. 10. Quid enim? Nihil opertum, quod non reveletur, neque abſconditum, quod non ſciatur. Tum in lucem prodeunt inſidiæ; regnum invaditur, crematur, ſpoliatur: pater à *filio* calumniis attenuatur acriter, inhumane, crudeliter. Cerneres ibi impletum, quod Veritas aliquando prædixerat: Quia ſurget gens in gentem, regnum adverſus regnum; & inſurgent filii in parentes. Et illud: Omne regnum in ſeipſum diviſum deſolabitur. Sic Imperator Imperatoria majeſtate & dignitate privatur: ſic filius patrem armis, & univerſis agminibus, non reveritus canos multi temporis, depilavit. Quid plura?

Matth. 24. *Luc* 11.

Expulit illatis patrem crudeliter armis.

Apoſtolicus vero, qui tunc Romani culminis Pontificium tenuit, audito nefando ſchiſmate & ſcelere, quod poſſet non ſolum Romanum Imperium, ſed & totum maculare, diſturbareque orbem Chriſtianum; inito conſilio, Imperatori reſiſtentes, filio inique conſentientes, univerſoſque complices ſuos, utpote operarios iniquitatis, dictata ſuper eos ſententia excommunicavit. Tum omnis Eccleſiaſtica ſublimitas, omnium graduum dignitas, cupientes Domino ſervire in ſanctitate & juſtitia, nefas exiſtimantes, Regiæ, immo iniquæ ſubdi clientelæ, aut fugam iniere, aut diverſis ſe injuriis ſponte obtulere, aut in ſpeluncis, & exiguis ſilvarum uniti tuguriis, more beſtiarum delituere: ut aliquando beatus Blaſius, & ſanctus Silveſter fecere. Habebant enim præceptum Domini: Cum perſecuti vos fuerint in civitate iſta, fugite in aliam.

VII. Adalbero loco cedit.

Fervente itaque perſecutionis ſævitia, epiſcopus Adalbero, cum nequiret, & nollet nefariæ contraire poteſtati, horrens etiam communicare excommunicatis; magis vero metuens offenſam Dei, & Papæ incurrere, ſi manus parricidis daret & homicidis, collecto cum ſuis conſilio, elegit abjectus eſſe in domo Domini magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum. Contemta denique Pontificatus dignitate, reverſus eſt in Bavariam, ad terram patrum ſuorum; invenienſque hereditatem paternam fere exheredatam, & ſpiritu conſilii repente informatus, ſeipſum cum omni patrimonio ad cœnobium beatæ Mariæ tranſtulit, & locum ſibi dilectiſſimum, qui charos parentum ſuorum cineres, avi videlicet, patris & matris, fratrum, aliorumque conſanguineorum felici gremio foveret, & ubi, ut hodie cernitur, requiem ſibi in ſæculum ſæculi elegit. Videns autem antiquam patris inſtitutionem in Lambacenſi loco conſtare non poſſe, officia tam nocturna, quam diurna negligenter, nec ſuo tempore celebrari, clericos ibi diſpoſitos non tute à caſulis ſuis poſſe egredi propter timores nocturnos; quia ſæpenumero arcerent eos, & includerent tempeſtates imbrium, coruſcationes fulgurum; brumali vero tempore denſitates nivium, ſævitia nefandarum beſtiarum, pericula latronum, & alia, quæ longum eſt enarrare, genera diſpendiorum. Aſſerebat inſuper, magis congruum fore, cœnobitam à ſecretis cœnobii, non rure, ad divina peragenda, abſque periculis corporis, & timoribus humanis prodire. Super hac re conſuluit Epiſcopum Patavienſem Altmannum, præ ceteris ſibi peculiarem & intimum amicum, in cujus diœceſi locus ille ſitus eſt, ad quem etiam ſpiritualia ſpectabant; & quæ de tranſmutatione clericorum animo conceperit, beato aperit viro. Approbat ille, & commendat; dicens, hunc animum divinitus ſibi inſpiratum, bonum hunc cogitatum in acta poſſe procedere: dummodo Apoſtolica auctoritate ex omni parte roboretur. Tum vero legati ad id negotium idonei & honorati eliguntur, & Romam diriguntur: qui poſt itionis ſuæ cauſam expoſitam, papæ Gregorii benevolentiam, conniventiam, auctoritatemque ſol-

Pſal. 83.

Digitized by Google

lemniter reportant. Et cum dies opportunus accidiſſet, beatus præſul Adalbero, ſollemni ſpiritualium uſus conſilio, clericos ſemovit, monaſticamque vitam in Lambacenſi cœnobio inſtituit: & quicumque ex clericorum ordine ad hoc propoſitum tranſire voluiſſent, non prohibebantur; nolentes non cogebantur, neceſſaria tamen iis quoad viverent providebantur. Præfecit autem fratribus inibi degentibus abbatem Ekkebertum, virum venerabilem, morum honeſtate Deo complacentem: qui poſtea occaſione accepta, humillimis obtinuit precibus, ut ipſe abrogaretur, & unus è fratribus ſuis, Becemannus ſubrogaretur. Qui adeptus abbatiæ dignitatem, ſobrie, juſte, & pie vivens, curam ejus quamdiu Domino placuit adminiſtravit, beatoque fine ex hujus incolatu ſæculi ad auctorem vitæ tranſivit. Ceterum ne quis nos autumet novam elicere fabulam, nec ſequi veritatis regulam, privilegii præſentis auctoritate thema narratiunculæ noſtræ dignum duximus roborare.

Ann. Chr. MXC. Oct. VI. *Monachos Lambaci inſtituit.*

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. Ego Adalbero Dei gratia Wirzburgenſis epiſcopus. Notum eſſe volo omnibus Chriſti fidelibus, qualiter parentes mei ob ſalutem animarum ſuarum, in loco Lambach dicto, congregationem inſtituerunt clericorum; & qualiter ego, heres eorum factus, licentia domini Apoſtolici, papæ Gregorii, (qui & Hildebrandus) pro hac, in eodem loco congregationem ſubſtitui monachorum, conſenſu & conſilio parochiani epiſcopi, Patavienſis ſcilicet Altmanni. Et quoniam communis vita monachorum plus indiget, quam ſæcularium conventus clericorum, ad ſupplementum eorum ex noſtro adauxi fiſco, quatuor videlicet ſilvas: quarum duæ juxta Trunam in parte Aquilonari ſunt ſitæ; una mercato Wels inferior, alia ſuperior; inferioris vero Hardis nemorarius erat Enzo, ſuperioris autem Hardis nemorarius erat Engizo. Ex altera autem parte ejuſdem fluminis Trunæ contra meridiem, duæ ſilvæ: una ad Buchenloch, cujus nemorarius Bero erat; altera ad Eitervvald, cujus nemorarius Ello erat. In his ergo ſilvis ſolus abbas, abſque ulla contradictione, pro ſuo libitu habet poteſtatem evellendi, domos ædificandi, plantandi, molendinos faciendi, venandi, inſuper quicquid ad utilitatem fratrum inde potuerit excogitari. Addidi inſuper quantum mihi prædii de patruo meo Arbone ad Zvviſil contigit, & vicinum mercatum ad Wels; duo præterea mercata in Francia, unum ad Onoldeſbach, ad Geroldeshoven alterum, cum omni utilitate ad ipſa pertinente; & parochiam, quæ dicitur Tutenſteten. Hæc omnia Ekkeberto venerabili abbati commiſi, eo quo ego hæc jure habui, monaſteriique curam poteſtative habere feci. Hujus rei teſtes ſunt, Eberhardus comes, Marquardus, Gerungus, Ebo, Heinricus, Zeizolf, Arbo, Porn, itemque Porn, Nendingus, Archo, Herrandus, Penno, Wermut, Arbo, Erkenbertus, Adalramus, Altmannus, Adelbertus. Actum eſt Ratiſbonæ, anno 1056. Indictione 9. Epiſcopatus autem domini Adalberonis duodecimo. Deinde poſt aliquantum temporis, abbatis Ekkeberti coactus piis petitionibus ab hoc onere ſibi impoſito eum abſolvi: ſed ex ſuis ille unum fratrem, nomine Becemannum, in hoc abbatiæ onus elegit. Hunc quoque pergens mecum illuc adduxi, eamdemque rem, qualiter anteceſſori ſuo commiſſa erat, commiſi. Cum autem hoc ipſum monaſterium inſtauratum, à ſupradicto epiſcopo Altmanno, & à me pariter dedicaretur, anno Dominicæ Incarnationis 1088. Indictione 12. Epacta 6. Concurr. 6. 18. Kalendas Octobris, anno ordinationis domini Altmanni 25. meique 45. iterum, & tertio, hæc quæ prius feci, renovavi; tradens tunc ad altare ſanctæ Mariæ & ſancti Kyliani unam ſtabulariam curtem ad dotem, ſimul cum his omnibus, quæ à me, vel à parentibus meis ante ad illud tradita fuerant. Hæc Epiſcopali banno, atque hujuſmodi anathemate ambo Epiſcopi confirmavimus: ut ſi quis hanc traditionem deſtruere præſumſerit, ligatis manibus & pedibus mittatur in tenebras exteriores; ibi erit fletus & ſtridor dentium.

Charta fundationis.

Qualiter autem ſollemnitas dedicationis ſit celebrata, paucis inſequentibus liquebit. Beatus præſul Adalbero, ut effectui manciparet, quod pio conceperat animo, litteras epiſcopo Altmanno, amico intimo, tranſmiſit, hæc continentes.

Altmanno patri ſancto & venerabili, ſanctæ Patavienſis eccleſiæ digno præſuli, Adalbero Dei gratia Herbipolenſi eccleſiæ præfectus, licet nunc violentorum manu injuſte ejectus, fontem vitæ ſitire, & ad ejus hauſtum pervenire. Quia, teſte Propheta, in manu Domini ſumus, ut lutum in manu figuli; & figulus noſter lutum ſuum in quamlibet facit tranſire formam & imaginem, defectivam tamen; quia debemur morti nos, noſtraque, & omne quod eſt genitum, tendit ad interitum; jamque canus enervitatem ſuam mundus ad deteriora vergendo indicat, quoniam in dies deficiendo labitur, & lapſum defectionis ruina conſequitur; vereor affatim ne nos improviſos & imparatos fluctibus ſuis ingurgitet. Quoniam autem diſpenſante Deo, quaſi poſtliminio, paternæ hereditatis ſolus relictus ſum heres, ſatis multum pertimeſcendo meditatus ſum nocte cum corde meo, ne propter varia rerum diſpendia, quæ poſthac ſupervenient univerſo orbi, & propter hominum poſt futurorum inertiam, conſecratio Lambacenſis cœnobii in longa tempora differatur, & dilata intermittatur. Scio enim, pater mi, quia juſtis ſupplicationibus ſemper præſto es, & pia vota intueris: propterea multa confidentia animatus & roboratus, peto, rogo, ut intuitu divini

Ejuſdem epiſtola. *Jerem. 18.*

Digitized by Google

Ann. Ch. M X C. Oct. VI. „ timoris, per induſtriam ſanctitatis tuæ conſecratam, vertatur in oratorium, quod pia ſollicitudo patrum meorum condidit monaſterium; ubi divinum jugiter adjutorium invocetur, & Deus in ſanctis ſuis laudetur. Quamvis hoc per me fieri liceret, non expedit quidem; vetant etiam decreta falcem mittere in alienam ſegetem, ne uſurpatio, & indiſcreta invaſio alienæ rei, auſuſque temerarius, generet offenſam, odium, aut ſchiſma in contubernio fraternæ unitatis. Felicem enim me fore exiſtimo, ſi me agente, me patrante, me procurante tam ſacratum pertractatum fuerit negotium: & tu felicior, ſi tua beata opera ille, quem cæli capere non poſſunt, locum ſibi habitationis cum ſanctis ſuis hac in æde delegerit. Qui te ut pupillam oculi cuſtodiat, & ſub umbra alarum ſuarum protegat. Amen.

Pius autem Epiſcopus viſis litteris gaviſus eſt, & amico dilecto litteras tranſmiſit dilectione plenas, hunc tenorem continentes.

S. Altmanni reſponſio. „ Adalberoni patri beato & venerando, ſanctæ Herbipolenſis eccleſiæ Antiſtiti per omnia digno, Altmannus Dei gratia Pataviensis ſedis Pontifex licet indignus, in tribulatione non deficere, in fide ſtare, viriliter agere. Ne circa vilem, patulumque nimis morer orbem, litteris ſanctitatis tuæ viſis, quaſi de gravi ſomno ſuſcitatus, & adeo exhilaratus, ut mæror, qui præcordia dudum cinxerat mea, admodum ſit mitigatus. Funiculo triplici, quem Philoſophia manibus ſummæ diſcretionis & providentiæ, tribus fidibus, fide videlicet, ſpe & caritate contexuit, in tantum nos connexuit, conſociavit, counivit, ſapienter, fortiter, ſalubriter, ut nullo erroris impulſu rumpatur, etiamſi quovis impetatur periculo, & diſcriminum turbine. Hunc eſſe funiculum puto, de quo Sapiens quidam, Funiculus, inquit, triplex difficile rumpitur. Cum dicit difficile, innuit, ſuum quoquo modo poſſe rumpi funiculum: noſter autem funiculus numquam rumpetur, dummodo fervor caritatis non refrigeſcat, aut tepeſcat. Quid plura? Paratus ſum tecum in carcerem, & in mortem ire: & quomodo juſte petita negare tibi potero, qui nil negans vultum tuum honorare ſemper paratus ſum, & ero? Ego quidem, ſicut petis, ſollemnitatem Dedicationis tecum concelebraturus venio. Sed vereor, ne, dum multorum nitimur militare compendiis, vertatur in contrarium; & hoc à communibus alis, quæ naturali quadam feritate, etiam inſontibus irrogare depilationis moliuntur diſpendia, dum noſtra opinantur tripudiare præſentia. His & aliis Charybdum furiis, quæ emergere poſſunt,

In noſtras curas area longa patet.

„ Sed ejus erit ea mitigare, cui ſervire, eſt regnare. Prex tua imperium eſt. Propterea prudenter feciſti, quod faciem meam honoraſti, & legem meam dioceſanam mihi exſequendam adjudicaſti. Tamen ſi divinum illud officium aggreſſus fuiſſes, parum in me deliquiſſes: quia tecum ſentio, tecum ſum, & ero; tua facta per me ſunt protinus alba. Quia vero, juxta præceptum Domini, jubemur afflictis, in tribulatione poſitis, condeſcendere, ſocii paſſionum fieri, fluctuantes ſolari: moneo, ſuggero, ſuadeo, ne deficias à diſ-

Prov. 3. „ ciplina Domini, & ne fatigeris, dum ab eo argueris. quem enim diligit Dominus, corri-

Pſal. 33. „ pit, & quaſi pater in filio complacet ſibi. Juxta eſt etiam his, qui tribulato ſunt corde, & humiles ſpiritu ſalvabit. Gaude, pater mi, & lætare, quia dabit Deus his quoque finem; & dum minime credis, Grata ſuperveniet, quæ non ſperabitur hora. Deus pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, conſoletur nos in omni tribulatione noſtra. Amen.

VIII. Eccleſia dedicatur. Paucis perinde evolutis dierum interſtitiis, menſe octavo, eo videlicet tempore, quo Judæi feſtum Scenopegiæ celebrant, hodieque celebrant, tempore illo, quo omnis proventus totius anni in unum congregatur: unde & autumnus tempus illud appellatur. Nam cornu pleno copia tempus hoc perfudit, fugit hoc inopia, quo totus annus ludit; venit Epiſcopus Altmannus Lambacum, ſicut citatus erat. Præſul vero Adalbero totus feſtivus & lætabundus occurrit ei, excipiens eum cum laudibus, hymnis, & canticis; ac ſi Angelum Dei excepiſſet, ita in adventu ejus jucundatus eſt: & quod reliquum fuit diei, vicaria & caritativa collatione expenſum eſt. Crepuſculo autem alterius diei illuceſcente, omnia ad diem feſtum pertinentia parata erant: jam procedunt ambo Epiſcopi, ſuo tempore pontificalibus induti, jam quaſi Deificati, Spiritu ſancto præduce; Epiſcopus quidem Altmannus majus & principale altare, in honorem beatæ Dei-Genitricis, & ſancti Kiliani martyris ſociorumque ejus conſecrat: & hoc propter geminæ devotionis affectum; tum propterea, quia pius pater Adalbero Epiſcopium Vvirzburgenſe rexit; tum quia filius ejuſdem loci exſtitit. Altare vero, quod ſecundum à principali locum obtinet, beatus Præſul Adalbero in honorem ſancti Johannis Evangeliſtæ, aliorumque ſanctorum, quorum reliquiæ ibi ſunt reconditæ, conſecrat. Et cum jam gerula, ſacra gerens officula, loco confeſſionis imponenda eſſet, gemma Pontificalis annuli elapſa, thecam incidit confeſſionis. Levita autem, quaſi novo experrectus miraculo, ut gemmam erueret, manum extendit. Epiſcopus vero clementer eum intuens: Sine, inquit, fili, ſine. converſuſque ad clerum, & circumſtantem

Digitized by Google

populum, digito deſignat locum. Hæc, inquiens, requies mea in ſæculum ſæculi; hic habitabo, quoniam elegi eam. Omnis ergo Eccleſia circumfluæ regionis convenerat ad dedicationis diem feſtum, ad ſacri exercitii ſpectaculum: eratque quadrifidum hac die, largitate divina, tripudium. Pœnitentes cujuſcumque criminis rei, de abſolutione & remiſſione peccatorum gratulabantur: pauperes de recreatione ſua jucundabantur; omnis in communi ætas, verbo ſalutis & doctrinæ ſalutaris ab ore utriuſque Pontificis feliciter hauſto, ſpiritali gaudio replebatur, de viſitatione Angelorum in ſcala Jacob aſcendentium & deſcendentium exhilarata conſolabatur, & quaſi Dominum ſummitati ſcalæ innixum cerneret, in ſanctitate & juſtitia ei fabulabantur: præterea qui poſt baptiſmi ſacramentum confirmandi lege Chriſtianorum erant, Epiſcopis beatis ad confirmandum offerebantur; jamque ſigno victoriæ frontibus eorum unguine chriſmatis indito, quaſi in reges ungebantur, ſicut prius in baptiſmate oleo ſancto in ſacerdotes uncti ſunt: ut impleatur, quod Petrus de fidelibus ait: Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis. Hac etenim unctione percelebrata ſumma totius Chriſtianæ religionis in nobis confirmatur, ſtabilitaſque fidei prius novella & rudis conſolidatur. Eſt adhuc cauſa non contemnenda confirmationis fidelium, ut videlicet inveniantur in numero centum quadraginta quatuor millium, qui in Apocalypſi ab Angelo in frontibus ſignati, à nocumento quatuor Angelorum, quibus datum eſt nocere terræ & mari, ſegregantur. Cerneres ibi impletum quod Propheta ait: Celebra Juda feſtivitates tuas, & redde Domino vota tua. Videtur & Poëta nobis applaudere jucundando ludens:

Ann. Ch. MXC. Oct. VI.

Pſal. 131.

Geneſ. 28.

1. *Petr.* 2.

Nah. 1.

Salve feſta dies, meliorque revertere ſemper.

Sollemnitate itaque ſollemniter ſollemnizata, ab omnibus diſceſſum eſt, gratia Dei uſque ad conſummationem ſæculi ibi perdurante. Acta ſunt hæc anno [a] Dominicæ Incarnationis 1088. Indictione duodecima 17. Calendas Octobris. Secundo deinde anno beatus præſul Adalbero migravit ad Dominum, ſepultus in eodem quod dedicaverat monaſterio; eo in loco, quem demonſtraverat digito, patribus, & paternis participans ſepulchris in pace. Tertio itidem ab hac dedicatione anno Epiſcopus Altmannus obdormivit in Domino: tumulatus in monte Gottvvico, in monaſterio quod fundaverat.

[a] Obiit.

EPITAPHIUM BEATI ADALBERONIS.

Hîc pater eſt [illegible] *us* ADALBERO *pulvere tectus,*
Virtutum cumulo vivit adhuc tum[illegible]*lo*
Vivere di[illegible]*endus, nec erit ſub morte tenendus,*
Cui dum vivebat, vivere Chriſtu[illegible]*rat.*
O paſtor qualis! ô gloria pontificalis!
O lux Eccleſiæ, gemma, decus patriæ!
Herbipolis gaude, tanto de Præſule pla[illegible]*de:*
Nos celebrare pias ſufficit exeq[illegible]*ias.*
Octobris nona datur expectata corona,
Dum via grandis eum ſuſtulit ante Deum.

ALIUD.

Quicunque has noſtras peregrinus tendis ad ædes,
Hancque meam tumbam noſcere forte cupis:
Sum Comes ex Lambach, cui nomen ADALBERO *quondam,*
Inclytus & Præſul Herbipolenſis eram.
Henricus Cæſar Francorum depulit urbe,
Pontificem ſummum quando ſecutus eram.
Hinc ego ſub patriæ cogebar pergere fines,
Fundavi hocque ſacram monte monaſterium.
Quod, rogo, ſi poteris, vel parvo munere dones;
Ut tibi ſidereum det Deus ipſe polum.

[a] Eodem anno, ut ſcribit Trithemius in Chronico Hirſaugienſi, S. Antiſtes dedicavit eccleſiam monaſterii Cambergenſis in honorem S. Nicolai. quo in loco Burghardus comes de Rotenburg monaſterii fundator Guntherum cum aliis 12. monachis ex Hirſaugienſi monaſterio abbatem conſtituit.

Digitized by Google

HISTORIA TRANSL. S. FELICIS CONFESSORIS IN MONASTERIUM S. ÆMILIANI CUCULLATI IN HISPANIA.

Auctore GRIMALDO coæquali.

Ex Prudentio Sandovallio de fundatione monaſteriorum Hiſpaniæ.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Felix beati Æmiliani inſtitutor.

1. D*IXIMUS Sæculo* 1. *beatum Æmilianum, quem Hiſpani primum Regulæ Benedictinæ in iſtis regionibus alumnum & propagatorem agnoſcunt, à beato Felice eremita, primis ſpiritualis vitæ rudimentis eruditum fuiſſe. Hic, teſte ſancto Braulione epiſcopo Cæſaraugustano, qui beati Æmiliani vitam conſcripſit,* in caſtello Bilibio *vitam eremiticam ducebat, ubi & poſtea, vita functus, ſepultuſque, uſque ad ſæculi undecimi finem fere ignotus, & incultus remanſit. Verum cum eo ſæculo, devictis Mauris, qui Hiſpaniam tot cladibus affecerant, Chriſtianæ res in meliorem ſtatum revocatæ eſſent, monachi ſancti Æmiliani, qui jam beatiſſimi patroni ſui ſacras reliquias in ditiorem thecam, locumque honeſtiorem tranſtulerant, ut patet ex duabus chartis, in appendice tomi* 1. *Chronicorum Tepeſii relatis, de transferendo quoque ſancti Felicis in ſuum monaſterium corpore cogitarunt. quod aſſentientibus Alphonſo VI. qui tunc temporis in Caſtella aliiſque vicinis regionibus imperabat, & Pontio comite Bilibienſi domino, feliciter conſummatum eſt, anno* MXC. *ut in hujus narrationis fine dicitur.*

Hiſtoriæ hujus auctor.

2. *Hujus vero Tranſlationis hiſtoriam debemus Grimoaldo ſeu Grimaldo, auctori gravi & æquali, qui opus ſuum Blaſio abbati, ſub quo hæc tranſlatio peracta eſt, inſcripſit. De Grimaldo egimus ad annum* MLXXIII. *in obſervationibus ad vitam ſancti Dominici Exilienſis abbatis ſupra pag.* 293. *Blaſius vero abbas, is eſt qui tertius hujus nominis in catalogo abbatum ſancti Æmiliani apud Tepeſium recenſetur, ſub quo nonnulla monaſteria ſive Prioratus, cœnobia ſancti Æmiliani ſubjecta fuere. Hanc autem hiſtoriam primus vulgavit vir de ordine Benedictino bene meritus Prudentius Sandovallius, in libro de Hiſpaniæ monaſteriis, ex quo eam deſcripſimus.*

Monaſt. S. Æmiliani.

3. *Monaſterium ſancti Æmiliani, vulgo* San-Millan de la Cogolla, *in parva regione de Rioïa, quæ veteris Cantabriæ pars eſt, ſitum eſt, tribus fere leucis ab urbe Najarra, ſex autem Longronno diſtans. Nullum eſt in tota Hiſpania celebrius, ab ipſomet ſancto Æmiliano conſtructum. quem Æmilianum monachi Benedictini veluti alterum ſuum parentem, Reges vero & Hiſpaniarum populi, ut ſuum tutelarem venerantur. Pluſquam centum monaſteria ipſi veluti capiti ſubjecta enumerat Tepeſius, qui ad annum* DLXXIV. *ejuſdem loci hiſtoriam fuſe proſequitur, ubi in Catalogo Abbatum obſervavit, nonnullos ejuſdem loci abbates Epiſcopi titulo inſignitos fuiſſe. Idem monaſterium ſub decimi-quinti ſæculi finem Congregationi Valliſoletanæ unitum eſt, quæ unio Alexandri VI. ſummi Pontificis bulla, Rege Catholico rem permovente, confirmata, hactenus perſeverat. Qui fuſiorem ejus loci hiſtoriam cupit, adeat Tepeſium loco laudato, nobis autem hæc annotaſſe ſufficiat.*

PRÆFATIO AUCTORIS.

1. PASTORALI auctoritate, & paterna pietate, impoſuiſti mihi GRIMALDO, BLASI abba venerande congregationis in monaſterio ſancti ÆMILIANI Confeſſoris Chriſti, omnipotenti Deo ſervientis, ut qui à Deo dignus BRAULIO Cæſaraugustanæ ſedis epiſcopus inſeruit actibus beatiſſimi & prænominati Æmiliani breviſſimo relatu felicem curſum, & agonem atque triumphum beati FELICIS Preſbyteri contra antiquum hoſtem, in Bilibienſi [a] caſtro feliciter fore

[a] Hoc caſtrum Najaræ proximum, diſtinguendum eſt à Bilbili celebri Aragoniæ urbe. Vide Sæc. 1. pag. 208. in notis ad Vitam S. Æmiliani.

Digitized by Google

ANN. CH. MXC. NOV. VI.

completum, ejuſque exemplo beatum Æmilianum ad mundi contemtum, & ad ſuperni Regis ſervitium eſſe animatum, doctrinaque perſpicaci diligenter inſtructum: ego quoque Tranſlationem ſacri corporis beati Felicis, quam per te, & per devotam, tam tibi quam Deo, ſubditam congregationem Dominus compleri voluit; litteris tradam ad ædificationem poſteriorum, atque noſtram, opus optabile ſatis, ni obſtaret vitium meæ eloquentiæ atque imperitiæ. Ergo fiſus de clementiſſimi Dei miſericordia, cujus munere ineffabili, infantibus & indoctis, atque mitis *, brutiſque animalibus docte loquendi datur efficacia: aggreſſus ſum tuis juſtiſſimis præceptis, pro ſcire, & pro poſſe modo parere. Periculoſum nempe intellexi crimen eſſe, nimiſque formidabile, tam æquiſſimæ præceptioni contradicere, obſtinanterque contraire, & non potius omni juſſu, omnique vigilantia obedire. Deum enim benignum ſuppliciter invoco, quo valeam, ſalva fide, ſanoque intellectu, ſeriem hujus relationis ad effectum perducere; & quomodo ſacra membra viri Dei Felicis preſbyteri à proprio tumulo ſublata, & ad locum in quo nunc venerantur, ſunt delata, fideli ſcripto elucidare.

Auctoris ætas.

* f. mutis.

HISTORIA INCIPIT.

2. CUm igitur glorioſus rex ALDEFONSUS [a], filius FERDINANDI regis ſtrenuiſſimi viri, apud Hiſpaniam arcem teneret imperii, & undique reſiſtentes ſibi numeroſis, præclariſque victoriis ſubjugaſſet dominator; inter ſuos nobiliſſimos frequentiſſimoſque triumphos, etiam Toletum urbem, regiam retinentem, totiuſque Hiſpaniæ monarchiam, à ſpurciſſima gente Agarenorum dudum impugnatam, & expugnatam, & uſque ad temporis ſui regni eorum turpiſſima violentia ſubactam, captivatam & oppreſſam, concedente miſericordia Domini, & inſudante viriliter manu militari, priſtinæ libertati, nobilitatique reſtituit, religioſoque cultu Chriſtianitatis ampliavit, omnigena honeſtate decoravit; & inſuper, papa ſedis Apoſtolicæ annuente, eidem regiæ urbi antiquam Archipræſulatus [b] infulam reddente, cum acclamatione cleri & populi Archiepiſcopum in ea ordinavit. Hoc itaque tempore quidam venerabilis monachus, BLASIUS, vir bene religioſus, in monaſterio ſancti Æmiliani, ſitum intra Calagurritanum territorium, onus paſtorale gerebat, quod ut poſſibile eſt humanæ fragilitati, & quantum hominibus datum eſt cognoſcere, exemplo & verbo decorabat. Hic itaque Abba prudens, reperiens in beati Æmiliani geſtis, virum Dei Felicem preſbyterum in caſtro Bibilienſi [c], migraſſe ad Dominum, & ibi per multa curricula temporis eſſe reconditum: ardua & pæne inacceſſibili difficultate caſtri frequentem populorum prohibente acceſſum, in reſiduo internæ mentis deſiderio æſtuabat, & quo ingenio, vel labore præfati famuli Dei Felicis preſbyteri artus, de tam inhabitabili & vili loco, ad eccleſiam ſancti Æmiliani ejus diſcipuli transferre laborabat: ubi honorifice reconditum, ab omni populo veneraretur; & ipſe populus ipſius meritis & precibus tueretur, & ab omnibus incurſibus inimicorum viſibilium & inviſibilium, ejus obtentu defenderetur, patrocinio frueretur, præſentia lætificaretur. Quod ſuum juſtum & laudabile deſiderium, cum Fratribus retuliſſet, & quod animo gereret, palam expoſuiſſet; unanimiter omnes Deo gratias referentes, in magna exſultationis voce proruperunt, ac deſiderium Abbatis juſtum & bonum eſſe conclamaverunt.

Alfonſi Regis præclare geſta.

Blaſius abbas S. Æmiliani.

Tranſlationem S. Felicis meditatur.

3. Abbas igitur, ut erat vir ſollertiſſimus, & nulla induſtria juſtæ ac rectæ rationis indigus, intra ſui cordis arcana cœpit diligenter conſiderare, & ſagaciter perpendere, quia cuncti licet ſuum deſiderium laudarent, & ut ad effectum perduceret, pari conſenſu admonerent: tamen judicavit non poſſe juſte & ſine inquietudine omni compleri, abſque auctoritate & permiſſione regali. Accepto hoc itaque ſalubri conſilio, & quibuſdam Fratribus, viris boni teſtimonii ſibi adjunctis, ad prænominatum ALDEFONSUM regem perrexit, deſiderium quod animo retinebat aperuit, & ut, eo annuente & adjuvante, complere poſſet expetiit. Rex vero, erat enim pleniſſime adornatus omni divino ac humano ſtudio, mox ut laudabile deſiderium, juſtamque petitionem Abbatis intellexit, benigniſſime aſſenſum præbuit: & ut membra beati Felicis preſbyteri de caſtro Bilibienſi ad eccleſiam beati Æmiliani illius diſcipuli honorifice transferrentur, coram adſtanti nobili multitudine optimatum totius provinciæ, publica auctoritate annuit. Denique ipſi Regi & omnibus inhoneſtum videbatur, ut tanti viri corpus tam humili loco retineretur, & tam vili tumulo tegeretur. Præfatus er-

Id à Rege impetrat.

a Alphonſus VI. primo rex Legionis fratres habuit Sancium II. Caſtellæ, cui poſtea ſucceſſit, & Garſiam Calleciæ Reges.

b Evecto ſcilicet Bernardo Cluniacenſi monacho ad hanc ſedem, qui Romam profectus, pallium ſibi, & Primatum ſedi ſuæ ab Urbano II. ſummo Pontifice obtinuit. De eo agendum Sæculo XII.

c Illud caſtrum prope S. Æmiliani monaſterium ſitum eſſe, jam Sæculo I. ad vitam S. Æmiliani annotavimus contra Michaëlem Martinezium de Villars, qui illud putavit eſſe Bilbilim celebre ſatis Arragoniæ opidum. Sed ejus ſententia plenius ex hujus hiſtoriæ narratione refutatur; quod jam fuſius egit Yepeſius ad annum 574.

Digitized by Google

ANN. CH. MXC. Nov. VI.

go abbas Blaſius, adeptus ut optaverat effectum ſui deſiderii ac petitionis, reverſus eſt ad ſuum Monaſterium cum magno affectu exſultationis. Sed ut mos eſt, ſæcularibus obſtantibus, atque omni ex parte impedientibus plurimis ac diverſis curis eccleſiaſticis, mundaniſque occupationibus, quod magno voto ſuæ mentis complendum diffinierat, ſupradictis caſibus accidentibus, prorelatione omnibus Fratribus moleſta nimiumque tædioſa, non ſatis juſta conſideratione ac deliberatione, de die in diem prolongabat. Etenim iſta tranſitoriis intentus negligebat: quæ res omnes Fratres nimia importunitate vexabat, & vehementi anxietate affligebat.

A ſuis negligentiæ arguitur.

4. Itaque Fratres præfati cœnobii hac negligentia Patris ſui coacti, & accepto conſilio ſalubri, eumdem Abbatem communiter convenerunt, & humili convenientique allocutione reverenter dixerunt: Provideat, Pater cariſſime, pietas tua & perſpicax induſtria, ne ſtatus hujus ſanctiſſimi cœnobii tibi Divina providentia commiſſi, dum in hoc corpore moraris, atque vitali ſpiritu frueris, aliquam in partem vacillet, vel labefactetur, aut degradetur, vel aliqua ſui honeſtate fraudetur, vel quod abſit, aliqua incuria dedecoretur, aut blaſphemetur; ſed ſemper tuo inſtanti ſtudio pervigilique labore, nobis omnibus tecum communiter laborantibus augmentetur providentia Divina, atque imitabili converſatione nobilitetur & amplificetur, ut Domino tuo redeunte de longinqua peregrinatione, videlicet Domino Jesu, ſummo, vero, & bono Paſtore, non cum negligenti ſervo in exterioribus tenebris retrudaris, ſed potius cum fidelibus ſervis in gaudium Domini tui intrare merearis. Non ergo moveat bonitatem vel patientiam tuam, Paſtor venerande, nos hæc tibi temerario auſu retuliſſe: quia, Deo teſte, quem ſolum viſorem & intellectorem humanarum cogitationum ſcimus eſſe, quod omnis noſtra oratio de fonte procedit non fictæ caritatis, carens omnino exſecrabili nubilo falſitatis, ſeu calliditatis. Si ergo jubet ſanctitas tua, ad publicum proferemus, cur iſta tibi retulimus. Jubente ergo Abbate, Fratres ei tale reſponſum reddidere cum magna honeſtate: Dudum te, Pater, opus te facturum nobis promiſeras, de quo nos ingenti gaudio lætificaveras, nempe corpus beati Felicis Preſbyteri, de loco in quo nunc negligenter & inhoneſte tenetur reconditum, te ad noſtrum monaſterium tranſlaturum diſpoſueras, & hoc etiam benigno voto propoſueras, auribuſque regalibus intimaveras, & ab eo jam licentiam transferendi, ut deſideranter optaveras, devotiſſima promiſſione acceperas. Nunc vero neſcimus, quo pacto rem tam optabilem, & nobis, ſucceſſoribuſque noſtris omnino utilem, parvipendendo negligis, nec ad effectum perducere ſatagis, cum hoc foret perpetua ſalus tuæ animæ, & funditus deſiderabilis tui protectio corporis, & inſuper relinques nomen memoriale, expleto tuæ vitæ tempore, quod nulla oblivio umquam poſſit oblitterare. At fortaſſe, ſi ut cœpiſti perficere quanto ejus hoc opus neglexeris, eveniet quod timemus. nam concedetur alteri cæleſtis theſaurus nobis promiſſus, & nos, ipſo fruſtrati, fruſtra dolebimus. Quocirca rogamus tuam miſericordem pietatem communi obſecratione, ut quod propoſuiſti, & etiam incœpiſti, nobis tecum laborantibus coneris adimplere, remota omni dilatione aut excuſatione. Motus igitur Abba hac juſta venerabilium Fratrum admonitione & querimonia, ſpondet ſub modeſta & ſalubri teſtificatione, ſe ocius completurum, quod requirebat benigna & Deo acceptabilis petitio ipſorum. Hac miti & humili reſponſione Patris lætificati Fratres valde, crebris, ſtudioſiſque precibus exorabant Dominum, ut ſua clementia eorum non deſpiceret deſiderium, ſed dignaretur in bono complere, conceſſo ſibi præfati viri Dei Felicis preſbyteri pretioſo corpore: quorum vota fide pollentia omnipotentis Dei clementia veloci effectu dignanter adimplevit, & poſtulata conceſſit. Juxta namque Apoſtolicum præceptum, in fide poſtulaverunt, & nihil hæſitaverunt; & ideo quod petierunt ſine omni dilatione accipere meruerunt. Nunc ergo fideli relatione referamus, quomodo, annuente miſeratione Domini, tranſlatum ſit feliciſſimum beati Felicis corpus. Quia ergo longum eſt enarrare, ne faſtidium videamur legentibus ingerere, ad enarrandam beati Felicis tranſlationem, articulum revertamur, & ut facta eſt, per ordinem libenter, & fideliter audientibus referamus.

Tranſlationis narratio.

5. Igitur monachi cœnobii beati Æmiliani in unum congregati ad domnum abbatem Blaſium adeuntes, ut ſicut olim promiſerat, corpus beati preſbyteri Felicis tumulatum in caſtello Bilibienſi transferre curaret, humiliter hortantur, & his eum verbis alloquuntur: Cernis, Pater dilectiſſime, in partes Hiſpaniarum maxima bella & perſecutiones non modicas increviſſe, & gentem ſuper gentem ſurrexiſſe. Perpendat ergo tua pia ſollertia, quia ſi transferre ſicut deſtinaſti ſtudueris beati Felicis Preſbyteri quieſcentis in caſtro Bilibienſi ſacratiſſima membra, ſine dubio ſanctiſſimis meritis ipſius, & piiſſimis interceſſionibus, Dominus pro peccatis totius terræ offenſus, & vehementer iratus, clementer repropitiabitur, & patriæ noſtræ barbara perſecutione vehementer afflictæ, pie ac benigne ſine dilatione miſerebitur. Prudens igitur vir Abba Blaſius intelligens conſilium & admonitionem Dei ſervorum eſſe juſtam, bonam & ſanam, & omnino rationabilem, decrevit quod expoſcebant complere abſque aliqua retardatione ſeu dilatione. In hoc itaque Deo acceptabili

facto

Digitized by Google

Facto etiam non defuit verax viſio divinitus oſtenſa. In eccleſia ergo beati Æmiliani cuidam monacho quieſcenti apparuit in ſomnis quædam congregatio pulcherrima, decoris & albis veſtibus decorata, & ut mos eſt religioni eccleſiaſticæ, ad proceſſionem parata decentiſſime. Ipſis igitur egreſſis, apparuerunt ante oculos ejus alii duo homines vultu & habitu extranei, veluti hoſpites, qui ad eum acceſſerunt, & hoc ei benigniſſimo ac reverentiſſimo ſermone dixerunt: Cur tam moroſe & negligenter differtis deferre ad iſtam eccleſiam artus beati Felicis? hoc in veritate dicitur vobis, quod ſi amplius corpus ejus transferre neglexeritis, & corpore & patrocinio illius amplius carebitis. Quibus ille reſpondit: Domini mei, onus tam pretioſi & difficilis operis non debetis, ſi placet vobis, imponere mihi; ſed potius hoc decet vos indicare domino Abbati: res autem tam ardua & divina pertinet ad illius prudentiſſimam excellentiam, & magnam peritiæ intelligentiam, non ad meam humilem & penitus indoctam inſipientiam. hoc enim peritia & conſilium illius ſalubre valet honeſtiſſime adimplere, non mea impoſſibilitas & imperitia, quæ funditus altioris ingenii eſt ignara. Qui protinus tale reſponſum reddiderunt: Ne ergo ſit vobis aliqua occaſio excuſationis, non pigeat te venire nobiſcum, & certiſſime oſtendemus tibi ſacratiſſimi tumuli beati Felicis preſbyteri locum. Quos dum ſecutus fuiſſet, ad difficillimum & perarduum aſcenſum Bilibienſis caſtelli pervenerunt, cujus aſperum introitum & cacumen altiſſimum atque penitus inacceſſibile, ſine aliqua tarditate ac labore proſpero & inoffenſo gradu aſſcenderunt. In cujus caſtri valde eminenti cacumine pariter conſtituti, oſtenderunt præfato Fratri locum ſepulcri beati Felicis Preſbyteri, beati Æmiliani quondam didaſcali; & diligenter deſignaverunt ei caput ſepulcri beati Felicis Confeſſoris Chriſti eſſe poſitum ſub pariete altaris. Hoc viſo, ille Frater à ſomno ſurrexit, & ſequenti die congregatis Fratribus in præſentia domni Blaſii abbatis, cuncta quæ viderat per ordinem expoſuit. Ergo domnus abba Blaſius, & totus Fratrum conventus ut hoc audierunt, unanimi voto & conſona voce Deum laudaverunt, gratias magnas retulerunt, & obnixis precibus ac devotis omnipotentis Dei clementiam flagitaverunt; ut donum ſuæ miſericordiæ, quod eis ſua gratuita pietate dignatus fuerat oſtendere, dignaretur etiam ad deſiderabilem effectum perducere.

6. Caſtrum autem Bilibienſe, quod retinebat, ut ſupra retulimus, ſancta beati Felicis membra, in ipſo tempore erat ſub Lupi [a] egregii Comitis & ſtrenuiſſimi militis atque devoti Deo famuli dominio, regali donativo: & ideo ſine ejus conſenſu & adjutorio non poterat juſte & honeſte ad effectum perduci optabilis corporis beati Felicis tranſlatio. At Comes Lupus habebat conjugem, Theclam nomine, Deo, ut hominibus poteſt eſſe notum, in omnibus operibus ſuis ſatis acceptabilem: quibus domnus abba Blaſius patienti & humili prece deſiderium ſui cordis intimavit, & ut ſui adjutores eſſent in hoc facto, humiliter expoſtulavit, præbendo facultatem intrandi intra caſtra Bilibienſis caſtelli. Qui, ut erant prudentiſſimi & ſagacis ingenii, vera & prudenti reſponſione ſunt uſi. Nam unanimi concordia & una voce tale reſponſum reddiderunt Abbati, ſacra membra beati Felicis quærenti, de caſtro Bilibienſi ad monaſterium ſancti Æmiliani ſui quondam diſcipuli transferre cupienti. Intelligimus, pater dilectiſſime, deſiderium tuum ſanctum & juſtum eſſe, ſed non eſt noſtræ auctoritatis & poſſibilitatis alicui viventi homini hanc licentiam tribuere, ut caſtra Bilibienſis regalis caſtri temere aut violenter irrumpat, & feliciſſimum corpus ſancti Felicis ad alium locum transferat. Hoc ergo deſiderium tui cordis, monitis noſtris obtemperans, ſalubribus regalibus intimare non differas auribus; & ſi ab eo hoc potueris impetrare, ſcito nos omnibus modis tuæ piæ petitioni libentiſſime favere. Vir itaque prudentiſſimus abba Blaſius, tam ſalubri accepto conſilio, ſine dilatione regem Aldefonsum adit: & ut ante comiti Lupo intimaverat, ipſi Regi voluntatem ſui deſiderii intimavit. Sed prudentiſſimus Rex mox ut audivit, hujuſmodi reſponſionem Abbati dedit: Mihi videtur, pater venerande, nimis difficillimum & grave, aliquod ſanctiſſimi viri corpus inquietare ac transferre. Attamen ne videar eſſe contrarius veſtris juſtis deſideriis, & ſanctis operibus; pergite cum omnipotentis Dei benedictione, & ſi placet ipſi ſancto Felici, corpus ejus ſecundum deſiderium veſtrum transferte: ſi autem ſuper hoc, quod abſit, factum aliquod infortunium divinitus fuerit illatum, mihi inde non imputetur culpa: ego me omnino judico indignum & ignarum eſſe re tam ſanctiſſima.

Lupus Comes.

7. Igitur Abba Blaſius lætus ad monaſterium beati Æmiliani eſt reverſus, & communi ac ſalubri conſilio accepto, cunctiſque indicto triduano jejunio, omnes interno cordis niſu exorabant Dominum, ut ſuo gratuito dono eorum complere dignaretur deſiderium, omni patriæ proficuum. Electis igitur ab Abbate duodecim Fratribus, ad hoc ſanctiſſimum opus idoneis ex omni Congregatione, ordinatiſque rebus neceſſariis, profecti ſunt gratia Dei præeunte ad caſtrum ſæpefatum Bilibienſe. Itaque concedente & permittente juſſu Lupi Comitis & ſuæ Deo dignæ Theclæ conjugis, à cuſtode caſtelli ſtatim apertis portarum obſtaculis, aſſcenderunt illius arduam rupem, & pervenerunt ad ipſius præcelſam plani-

[a] Hic Lupus dicitur Comes de Hari & dominus Biſcaïæ apud Yepeſium, ad annum DLXXIV.

Digitized by Google

ANN. CHR. MXC. NOV. VI. tiem, in qua divina myſteria congrua ac devota intentione celebraverunt. Hiſque rite peractis, cum timore ac tremore, & cum magna precum ſupplicatione, & cum ſatis digna devotione, ad locum ſepulcri per viſionem Fratris, ut ſuperius retulimus, demonſtrati, acceſſerunt. Quod ſepulcrum in ſummitate rupis ante altare eccleſiæ in eodem loco fundatæ, in Orientali parte erat conſtructum, & artificis arte facto fornice, de ſuſpenſo punice * coopertum: rataque ſuſpenſi punicis congerie, invenerunt ligneum ſepulcrum, in quo erat pretioſum corpus beati Felicis Chriſti egregii Confeſſoris, negligenter, & non ut decebat tam ſanctiſſimum virum, reconditum, omnino viliſſimum, retinens tamen theſaurum magnum omnium theſaurorum pretioſiſſimi obriſi puriſſimum; eratque illud ſepulcrum, ſicut in viſu fuerat Fratri demonſtratum, parieti altaris ſatis proximum atque contiguum. Ablata ergo opertione ſacri tumuli, non eſt paſſa pietas Domini fore occultum meritum beati corporis in eo reconditi. Nam ſtatim ab eodem tumulo egreſſa ſuaviſſimi odoris fragrantia, odoribus omnium anteponenda aromatum. Referebant denique illic adſtantes, cum magna terribilis ſacramenti teſtificatione, ſe numquam tam miræ ſuavitatis odorem ſenſiſſe, qua uſi ſunt detecto beati viri corpore. Cum digna itaque veneratione, & cum debiti cultus exſecutione, ſacra membra tractantes, & cum magnæ religionis honorificentia, de locello humilis tumuli erigentes, pretioſiſſimis & mundiſſimis palliis diligentiſſime involverunt, atque tripudiantes de cæleſti theſauro ſibi, Domino concedente, conceſſo, cum ingenti exſultatione ad proprium beati Æmiliani monaſterium redierunt.

* *l.* punice.

Sancti corpus inventum.

Transfertur.

8. Interea fama hujus præclariſſimi operis citò volatu innotuit omnibus circumjacentis regionis populis, beati Felicis ſacra membra de caſtro Bilibienſi ad monaſterium viri Dei Æmiliani, ſui quondam diſcipuli, eſſe tranſlata: ob quam rem multos invaſit ſtupor nimius, multoſque ad credendum ſeduxit incredulitatis ſcrupulus, omninoque impoſſibile videbatur omnibus, hoc tam mirabile donum eſſe conceſſum præſentibus, quod omnino eſt denegatum cunctis prædeceſſoribus. Moliti ſunt certe hoc opus perficere, videlicet ſanctiſſimi Felicis presbyteri confeſſoris Chriſti ſacratiſſimum corpus à proprio tumulo ſubtrahere, & alia ad loca transferre: ſed quod omnibus prædeceſſoribus occultum Dei denegavit judicium, hoc patenter videmus, & intimo mentis affectu gaudemus divinitus præſentibus eſſe donatum: & de multis unum proferamus in medium, omni veritate & fideli referentium relatione ſubnixum. Refert rumor veridicus multorum aſſertione probatus, GARSIAM [a] Alavenſem Epiſcopum juſſu Regis GARSIÆ, gratia transferendi corpus beati Felicis presbyteri, ad ejus tumulum venerabilem inconſulte & temerario auſu, & abſque ulla divina admonitione acceſſiſſe. Et quia hoc damnabili præſumtione, & non aliquo divino inſtinctu facere præſumſit, mox ut ſacratiſſimum ſepulcrum ſanctiſſimi viri, ut illud aperiret percuſſit, ſuperna ira terribili ultione, non ſolum eum à loco venerandi tumuli repulit, ſed etiam deformi oris tortione damnavit, ac turpiter dehoneſtavit: & omnes qui eum viderunt, verum eſſe hoc quod de eo referimus teſtificati ſunt. Orta ergo inſuper tempeſtate ingenti, omnes comites Epiſcopi tanto terrore ſunt exterriti, ut nullus eorum crederet ſe poſſe periculum inſtantis mortis evadere, & tam terribilem vindictam ſeveritatis ſupernæ. Epiſcopus autem percuſſus his plagis, & cognita virtute beatiſſimi Felicis confeſſoris ibi quieſcentis, promiſſiſque magnis votis, cum ſuis omnibus à loco ſacratiſſimi tumuli velociter receſſit, neque ad eumdem locum ulterius accedere præſumſit: in deformitate tamen ſui oris, non plene recepta ſanitate, omnibus diebus vitæ ſuæ permanſit.

9. Igitur hac de cauſa uſque ad hæc tempora beati viri ſepulcrum permanſit inviolatum: ſed ineffabilis gratia & benignitas omnipotentis Dei, omnia juſtiſſimo moderamine & æquiſſima lance diſponentis, dignata miſericorditer viſitare locum retinentem felicia membra beati Æmiliani, detexit, ut ſupra fideliter retulimus, cæleſti revelatione, & conceſſit eidem ſanctiſſimo cœnobio ſanctiſſimum corpus beati Felicis Presbyteri ſua gratuita & inenarrabili pietate. Gaudere igitur & exſultare nos oportet dilectiſſimi omni affectu devoti animi, quos præclaro lumine meritorum reverenda præſentia tantorum corporum ſacrorum patronorum eſt dignata ſublimiter honorare & decorare: quatenus cum eiſdem patronis noſtris pervenire mereamur ad gaudia æternæ beatitudinis. Præſtante Domino noſtro Jeſu-Chriſto, qui cum Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat, per omnia ſæcula ſæculorum Amen. Facta fuit hæc Tranſlatio in Era MCXXVIII. 8. Idus Novembris.

[a] Idem Epiſcopus & Garſias Rex tranſtuliſſe corpus ſancti Æmiliani ex veteri monaſterio in novum, dicuntur apud Yepez in Appendice tomi I. ubi de ea re Charta, quæ eſt XXII. habetur. Alavenſis autem Epiſcopus dicitur à regione Alaba, quæ hodiernæ Biſcaïæ pars eſt, eò quod ob recentem Maurorū ejectionem nondum ſtabilitæ omnino tunc eſſent Epiſcoporum ſedes. Ceterum in eodem Yepeſii tomo in ſcriptura XXI. quæ Sancii Majoris eſt, memoratur Munio Alabenſis epiſcopus.

Digitized by Google

VITA B. VVOLPHELMI ABBATIS BRUNWILLERENSIS PROPE COLONIAM.

Auctore Conrado ejuſdem loci monacho ac B. Wolphelmi diſcipulo.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Conradus auctor Vitæ.

1. Beatus Wolphelmus, *tertius monaſterii Brunvvillerenſis abbas, vitæ ſuæ ſcriptorem habuit unum è ſuis diſcipulis*, Conradum *nomine, qui ſancti magiſtri ſui geſta, ut pleraque viderat, ac de cetero ab aliis viris fide dignis audierat, ſcriptis fideliter & accurate commendavit. Illud opus paucis poſt beati viri obitum annis ſcriptum fuiſſe patet, tum quod Everhardo proximo Vvolphelmi ſucceſſori ſit nuncupatum, tum ex fine prologi, ubi auctor ſic loquitur:* Quod ſi ullius fides hæſitaverit, tot exſtant idonei teſtes, quot ex illius temporis collegio fratres uſque nunc permanent ſuperſtites. *Conradi vero ipſius elogium paucis his verbis deſcribit Trithemius in Chronico Hirſaugienſi ad annum* MXCI. *ubi de Vvolphelmo agens ait.* Ejus vitam plenam virtutibus & ſignis Conradus monachus atque diſcipulus ejuſdem veraci narratione deſcripſit ad Everardum Bruvillerenſem & Hermannum ſancti Pantaleonis abbates, qui Conradus cum eſſet in ſacris ſæcularibuſque litteris non infime doctus, & à bono doctiſſimoque præceptore optime in omni ſcientia imbutus, compoſuit & alia quædam opuſcula, quibus ingenii ſui acrimoniam ad poſteritatis notitiam tranſmiſit. *Quænam ſint illa opuſcula quæ edidit Conradus, nos latet, niſi quod idem Trithemius in Sangallenſi Hirſaugienſis Chronici editione & in Catalogo virorum illuſtrium alterum librum de beati Vvolphelmi miraculis præter ejus vitam, ac complures ſermones ab eo editos fuiſſe dicit, cum aliis opuſculis, quæ ſibi incognita fatetur. Laudatum hic à Trithemio de Miraculis librum, ſi alius fuerit à vita quam Bollandiani exhibent, excidiſſe facile crediderim, cum neque à Surio, neque à Bollandianis, ad quos multa de Brunvvillerenſibus ſanctis tranſmiſſa ſunt, editus fuerit.*

Ejus ſcripta.

2. *Porro ex hac Conradi Vita plerique auctores, qui poſtea ſecuti ſunt, beati Vvolphelmi elogium contexuere, quales ſunt ex recentioribus Tepeſius tomo* VI. *Annalium Benedictinorum, Bucelinus in Menologio Benedictino, aliique Ordinis noſtri hiſtoriæ ſcriptores, & inter ceteros ipſe Trithemius, qui in Chronico Hirſaugienſi hæc ad annum* MXCI. *habet.* Eodem anno, quo in Abbatem fuerat electus Gebhardus, tribus videlicet & ſeptuaginta diebus ante obitum ſancti patris Wilhelmi, anno Chriſtianæ ſalutis MXCI. X. Calendas Maii, mortuus eſt venerabilis atque ſanctiſſimus ille Bruvillerenſis cœnobii abbas, Vvolphelmus nomine, vir tam in divinis Scripturis quam ſæcularibus litteris egregie doctus, cujus ſanctiſſima converſatio multis profuit ad ſalutem. Magna inter duos iſtos reverendiſſimos viros, Vvilhelmum Hirſaugienſem, & Vvolphelmum Bruvillerenſem familiaritas pari fuit ſanctitate comparata, quæ uſque ad mortem utriuſque inviolata permanſit, &c. *Iiſdem elogiis eum exornat in Catalogo virorum illuſtrium, qui Germaniam ſuis ſcriptis illuſtrarunt, ubi etiam opuſcula ab ipſo edita recenſet.* Vvolphelmus, *inquit*, abbas.... vir in divinis Scripturis eruditus, & in ſæcularibus litteris egregie doctus, vita & converſatione devotus, atque ſanctiſſimus, & multorum miraculorum patratione clarus, ingenio ſubtilis & comtus eloquio, metro excellens & proſa. Scripſit nonnulla præclara volumina, ſed pauca eorum ad notitiam meam pervenerunt. Contra Berengarium Turonenſem de Sacramento altaris edidit parvum, ſed neceſſarium opus ad Meginhardum abbatem lib. I. Sermones quoque multos ad fratres, & varias ad diverſos epiſtolas. Carmina etiam multa & elegantia, vario genere metri compoſuit, & epigrammata ſuper omnibus voluminibus ſuæ bibliothecæ ordinavit. Alia quoque nonnulla ſcripſiſſe dicitur, quæ ad notitiam noſtræ lectionis minime venerunt. *Ejus opuſculum de Sacramento altaris, cujus Baronius meminit ad annum* MLIX. *Conradus vitæ inſeruit num.* 10. *in quo illud ſingulare obſervari poteſt, quod Berengarius Dominum Chriſtum, ad diſcipulos januis clauſis ingreſſum fuiſſe negaverit, quem errorem ab aliis auctoribus ei fuiſſe tributum nuſquam invenimus.*

Digitized by Google

Ann. Chr. MXCI. Apr. xxii.

Variis monaſteriis præeſt.

3. *Præter monaſteria ſancti Maximini Trevirenſe, & ſancti Pantaleonis Colonienſe, in quibus privatam vitam egit beatus Vvolphelmus, aliis tribus præfuit, quæ non ſolum ſanctiſſima vita, ſed etiam cura paſtorali & paterna ſollicitudine egregie illuſtravit. Primum eſt Gladbacenſe in agro Juliacenſi, alterum vero Sigeburgenſe trans Rhenum; ſed cum ibi exterioribus negotiis ſupra modum gravaretur, ab Annone Colonienſi epiſcopo ad Brunvvillerenſe monaſterium, quod aliquot leucis ab eadem urbe diſtat, translatus eſt; ibique uſque ad vitæ finem perſeveravit.*

Monaſterii Brunvvillerenſis initia.

Monaſterium iſtud Erenfrido ſeu Ezzoni comiti Palatino originem ſuam debet, qui illud in honorem ſancti Nicolai cum uxore ſua Mathilde, Ottonis ſecundi Imperatoris filia, conſtruxit, operam promovente beato Poppone abbate Stabulenſi, qui ibi Ellonem abbatem primum inſtituit, anno circiter MXXIV. *Ezzonis comitis Mathildiſque ejus uxoris ac filiorum vitam ad nos tranſmiſit R. P. Vvillelmus Vulfrath Prior ſancti Pantaleonis Colonienſis; ſed cum jam à Bollandianis ad diem* XXI. *Maii edita ſit, nonnulliſque fabulis aut dubiis rebus videatur interpolata, eam omittere viſum eſt. Id ſolummodo notandum velim, Ezzonis filias ſex totidem Ordinis noſtri monaſteriis præfuiſſe, præter Richezam Poloniæ Reginam, erga Brunvvillerenſe monaſterium munificentiſſimam. Monaſteriorum autem, & ipſarum nomina ſic recenſet ille auctor.* Adheleit in Nivella monaſterio, Theophanu in Aſynde, Heilevveig in Nuſſia, Mathilt in Didinckirica atque Vvilica; Ida in monaſterio ſanctæ Mariæ in Colonia, Sophia ſimiliter in monaſterio ſanctæ Mariæ Moguntiæ, atque Gandersheim, ſanctimonialibus feminis ſunt prælatæ loco regiminis.

Vvolphelmi cultus.

4. *Ceterum cum Vvolphemus nondum publico decreto inter ſanctos annumeratus ſit, nullaque etiam apud Brunvvillerenſes noſtros, ut quidem ſcribit Henſchenius, officio publico colatur, eum* Beati *titulo donaſſe ſatis fuit. Quamvis in catalogo Reliquiarum ejuſdem monaſterii, qui ad nos tranſmiſſus eſt, inter alias recenſeatur* caput beati Vvolphelmi, cujus, *inquit catalogi ſcriptor,* oſſa reliqua per bella huc illuc diſtracta & aſportata fuerunt violentia militum. *quæ ſane indicant ejus ſacras Reliquias è terra levatas fuiſſe ac publicæ venerationi expoſitas. unde Gelenius libro tertio de admirandis Coloniæ Agrippinæ, inter feſta peculiaria monaſterii Brunvvillerenſis, feſtum ſancti Vvolphelmi ad diem* XXII. *Aprilis aſſignat.*

Memoria.

Quo quidem die memoriam ejus recolunt Martyrologia Benedictina Arnoldi Vvionis, Hugonis Menardi & Benedicti Dorganii, Molanus in additionibus ad Uſuardum, Martyrologium Germanicum, Philippus Ferrarius in catalogo ſanctorum qui in Martyrologio Romano non habentur, aliique paſſim ejuſmodi auctores.

PROLOGUS.

1. DOMINICI gregis Paſtoribus, rectoribuſque vigilantiſſimis, EVERHARDO [a], videlicet cœnobii Brunvvillerenſis, & HERIMANNO, in Colonia beati Pantaleonis, CONRADUS infimus omnium ſub regulari propoſito, coronam vigilantibus repoſitam à Domino. Hortamini, Patres excellentiſſimi, nos vitam beati VVOLPHELMI abbatis ſcriptis depromere, ſecundum à Deo vobis collatam præſcientiam, non modicam hinc fidelibus providentes ædificationis gratiam. Satagitis enim, ut virtutum ejus exempla ad notitiam legentium litteris deducta, bene vivendi piis mentibus pariant inſtituta. Sed quid, Patres illuſtriſſimi, id placuit injungere nobis, dum nec ſcientia ſuppetit, nec facundia ſermonis ſuppeditat? Porro in jubendo veſtra tanta eſt auctoritas, ut licet quod exigitis paveamus, omnino tamen negare vobis, nefas eſſe ducamus. Liceat autem ſub exemplo rei viſibilis, plenius vobis declarare qua ſumus hactenus ſuſpenſi dilatione. Noſtis quod abſque dubio acies oculorum ſolis ſuccumbat reverberata ſplendore: quanto magis ſcintilla noſtræ ſcientiæ, ſi altiora ſe præſumſerit attentare? Verum ne ſanctitatis illius teſtimonium diutius differendo videamur ſubtrahere, quamvis mole videamur victi ſuccumbere, veſtris tamen votis, pro virium noſtrarum facultate, ſtatuimus obedire. Dat auſum etiam vel fiduciam iſtud præſumendi, quod quiſque pro ſuo modulo, in Domini legitur obtuliſſe tabernaculo: alius aurum & argentum, alius purpuram vel coccum tinctum, alius pelles rubricatas arietum. Bene autem agitur nobiſcum, ſi pi-

a Everhardus B. Vvolphelmo ſucceſſit. Hermannus autem monaſterio S. Pantaleonis uſque ad ann. 1021. præfuiſſe dicitur.

Digitized by Google

los obtulerimus caprarum. Hæc autem omnia cum allegorica ſint, ut Catholici doctores tradunt, in diverſis donariis gratiarum genera diſtinguentes, in pilis caprarum, quibuſdam locis verba exprimi voluere laudationum. Unde quoniam per ſcientiæ donum, vel affluentiam meritorum, perfectionem illam attingere nequimus auro figuratam & argento, purpura, vel cocco bis tincto, ceteriſque donariis: cupimus ſaltem pilos offerre caprarum, quod eſt, vitulos labiorum noſtrorum: quatenus in tabernaculo Domini utcumque nos contingat utiles inveniri, ne vacui prorſus appareamus in conſpectu Domini. Itaque virorum illuſtrium actibus vel triumphis traditis litterarum monimentis, triplex ineſſe commodum reperitur utilitatis, dum ſtudio æmulandæ pietatis, tot plerique modis illorum informantur exemplis. Sunt quippe inſtrumenta bonorum operum, errantium via, pœnitentium venia, perſeverantium ſpes & corona. His tribus generibus differentiarum vim profecto patitur regnum cælorum, dum errans corrigi, pœnitens juſtificari, perſeverans contendit ſalvari. Laudes etiam divinæ attolluntur, dum ad exemplum fidelium, ſanctorum merita ad memoriam revocantur. Ne vero plura replicando faſtidium legenti faciam, per hæc omnia ad illud tendit oratio, ut doceam ſanctorum merita, rediviva fidelium votis ſemper accipere incrementa: dum ſuperna gratia illorum fœcunditatem mentibus præſtat, & fructificandi gratiam ſubminiſtrat. Igitur ſancti ac beatiſſimi Vuolphelmi abbatis vitæ ſeriem explicaturi, nil aliud prorſus intendimus proſequi, quam quod ab idoneis teſtibus contigit audiri, ſeu quod aliquot annis miniſtrantibus vel adſtantibus ſibi, divina nobis gratia contulit intueri. De quibus, ſi ullius hæſitaverit fides, tot nobiſcum exſtant idonei teſtes, quot ex illius temporis collegio fratres nunc uſque manent ſuperſtites.

[margin: ANN. CH. MXCI. APR. XXII.]

[margin: Auctoris Vitæ ætas & fides.]

INCIPIT VITA.

2. IGitur glorioſus Domini confeſſor Vuolphelmus in Ribuarenſi [a] pago ex illuſtri proſapia ortus, Dei, omnem juſtum gratuito illuminantis, præveniente gratia, lineam generoſæ propaginis ornavit titulo ſanctitatis. Qui merito juxta etymologiam, vel idioma linguæ regionis illius, Vuolphelm [b] dignoſcitur appellatus, quoniam pro caſtris Domini contra immaniſſimum lupum, id eſt, diabolum, galea ſalutis munitus, erat congreſſurus; quod quam efficaciter, quam ſtrenue, pro re, pro tempore, nomini contendens geſtis congruere, ſtuduerit exercere, loco ſuo lector plenius poterit invenire. Pater vero ipſius, FRUMOLDUS [c] nomine, ut ex nominis ejus liquet expreſſione, probus modis omnibus floruit actione. Hic genere moribuſque ſibi competentem, EVEZAM nomine, ſortitur uxorem: quibus, juxta Apoſtolum, honorabile connubium & torus exſtitit immaculatus; quoniam matrimonium non contraxere cauſa explendæ libidinis, ſed gratia procreandæ ſobolis. Qui genere clari, & inter ſuos quodam innocentiæ privilegio inſigniti, erant Chriſtianæ religionis devotiſſimi cultores, fidei dote pollentes, caritate ferventes, pietatis amatores, juxta Apoſtolum, bonum operantes ad omnes. Verum domina Eveza, ut illuſtrem exponam familiam & alti ſanguinis decus, ex cujuſdam illuſtriſſimi Comitis, Sicconis nomine, ſtirpe deſcenderat, quem & ampla prædiorum ſpatia, & utriuſque ſexus numeroſa familia, ſed & militaris animi commendabat audacia. Hic, quod opibus & nobilitate ſit celſius, juſti-

[margin: Vuolphelmi patria. a b c Parentes. Heb. 13. 4. Gal. 6. 10.]

a Ripuarii tunc dicebantur, qui nunc potiſſimum agros Colonienſem & Juliacenſem incolunt. Vuolphelmi originem ex Comitibus de Niel repetit Gelenius libro 3. de Admirandis Coloniæ.

b Notat Henſchenius apud Colonienſes *Wolf*, lupum, *helm* vero galeam ſignificare.

c Idem notat Germanis *From*, idem ſignificare ac probum, *Olde* vero antiquum referre.

Digitized by Google

ANN. CH. MXCI. APR. XXII. tiam æquitatemque ſectatus, qua Deo nil invenitur acceptius, totis elaborabat niſibus, ut ſicut propaginem magnificentia generis, ita & illuſtraret operibus pietatis. Unde proculdubio innuitur, hunc juſtum tamque præclari meriti virum, ex modeſtis & piis parentibus ortum: quamquam pleroſque legamus juſtorum ex parentibus editos impiis, veluti roſæ gignuntur ex ſpinis. Genitricem vero ejus, quam exemplo Rachelis, pro filio doloris ac dexteræ, in benedictione ſeminis Abrahæ hunc conſtat peperiſſe, dubium non eſt, cum Anna Samuëlis matre, vicem à Deo commodati fœnoris meruiſſe. Pari quippe voto hæc filium invenitur obtuliſſe Domino. De qua etiam plane ſentiendum, quod non minus placuerit in tabernaculo Domini propter commercium conjugii, quam ſi toro minime fuiſſet ſociata virili; hinc etenim potius laudis ejus videtur propagari titulus, quod tam bene redolentis floris fructum ad totius Eccleſiæ edidit ſtatum, quam quod clariſſimum ſtemmatis ramum, ab anteritate dignoſcitur traxiſſe priorum. Magis denique Omnipotens uniuſcujuſque approbat mentem, quam conditionem; dum liber ac ſervus, unum profecto in Domino ſumus. Ea vero ſolum, præter omnem mundi gloriam, Deo probatur grata libertas, eamque nobilitatem non eximet ulla vetuſtas, ſi quid boni, ſi quid recti aut nos ipſi fecerimus, aut talium ſtudioſos ſucceſſores habere meruerimus.

3. Primam itaque humani incrementi beatus Vvolphelmus aſſcendens lineam, auſpice Deo, de infantia ad bonæ indolis tranſiit pueritiam. In qua ætate, & liberalium artium diſciplinam eſt profeſſus, & ſuorum inſtantia, Coloniæ apud ædem * beati Petri Apoſtolorum Principis, corpori congregationis ſociatus. Quo temporis articulo, poſt juniorem OTTONEM ſceptrum imperii HENRICO ſecundo feliciter adminiſtrante, rebus quidem bellicis viro potentiſſimo, circa eccleſiaſticas vero diſciplinas ſollertiſſimo, ſanctus HERIBERTUS, toto jam orbi fama ſanctitatis notiſſimus, ſanctæ Colonienſi eccleſiæ præſidebat epiſcopus. Qui beatiſſimus Pontifex, jam ultimæ ætatis ſenio feſſus, famulum Dei Vvolphelmum tam corpore adhuc, quam & malitia parvulum, more ſibi Chriſtianæ religionis oblatum, ut evangelicum Dominus parvulum, in medio ſtatutum benedixerat, & per ſacri chriſmatis unctionem, ſanctique Spiritus invocationem, in filiorum Dei tranſtulerat ſortem. Porro ne inanis, aut vacua, vel certe fortuita in illo poſſet æſtimari tanti benedictio viri, ſancti Spiritus attactus calore, ad contemplativam vitam toto jam mentis deſiderio cœperat anhelare, ſatiſque feciſſet votis, ſi immaturitas id non impediſſet ætatis. Verum quanto naturali proceſſu augmentum capiebat virium, tanto in dies ſancti fervoris illius creſcebat deſiderium.

In Eccleſia Colonienſi educatus.

A B. Heriberto confirmatus.

4. Fuit autem ut corpore caſtus, ita mente ſobrius, tantam poſſidens gratiam vultus, ut quodammodo angelicus ejus putaretur adſpectus. Præter hæc divinæ pietatis indicia, in eruditione Scripturarum tantam promeruit efficaciam, ut quod ſemel legendo adverteret, perpetuo retineret. Quod plerumque, ut credimus, occulto Dei agebatur judicio, ne beatiſſimo viro, in aliquo ſcientiæ deeſſet plenitudo. Igitur exceptis divinorum voluminum paginis, quicquid poëta cecinit, orator facundus diſſeruit, philoſophus excogitavit, quadam penna altioris ſenſus penetravit. Quamquam vero tanta juvenis ſcientia præditus claruerit, numquam tamen hinc jactantiæ vitio elatus ſuccubuit, memor dicentis Apoſtoli: Nolite ſeduci per inanem ſapientiam hujus mundi. Tanta autem gravitas, tanta morum illi inerat maturitas, ut palam cunctis daretur intelligi, vas illum electionis exſiſtere. Nullam vero pro carnali ingenuitate ſibi patiebatur reverentiam exhiberi, utilius cenſens amore Chriſti ſe humilem exhibere

Præclaræ ejus dotes.

Eph. 5.

* Hæc eſt eccleſia metropolitana Colonienſis, cui S. Heribertus ad annum uſque 1021. præfuit.

Digitized by Google

perſonam, quam animum habere degenerem. Ineptas etiam fabulas, juvenumque laſciviam declinabat, venenatas adulantium linguas abhorrebat; vaniloquium, levitatem oculorum, totiuſque motus corporis, anchora cohibebat gravitatis. Conſiderans itaque & perpendens magiſter ſcholarum hunc illius in omnium virtutum diſciplinis profectum, gaudebat doctrinæ illi impendiſſe ſtudium, quem perfectionis cernebat attigiſſe faſtigium. Arctius itaque ſibi eum eligens annectendum, honorificentiuſque ſervandum, aſſumſit illum conſortem participemque laboris, onus cum illo partiens regendæ diſciplinæ ſcholaris. Fervebat itaque in eo magnifice ſtudium, jugi exercitatione ſcripturarum: & quoniam ſcientiæ illius theſaurus non occultabatur abſconditus, fiebat ubique, fama vulgante, celeberrimus. Hinc non minor de longinquo, quam ex proximo, ſtudioſorum illum clericorum expetebat frequentia, præſenti auditu cupientium experiri, quanta in illo veri Salomonis vigeret ſapientia. Verum ſicuti nulla eum argumentatione concludere, ſic nulla tam argutæ propoſitionis valebant documenta proponere, quæ concite non ſolverentur, convenienti hiſtorica vel allegorica expoſitione.

Ann. Ch. MXCI. Apr. XXII.

Quam in ſtudiis profecerit.

5. Itaque novorum iſte ac veterum de bono theſauro ſui cordis prolator, animadvertens quantæ impoſſibilitatis ſit duobus dominis ſervire, ut uni Deo, cui ſervire regnare eſt, liberiori animo poſſet inhærere, ſæculo penitus deliberat renuntiare. Juxta illud ergo Gregorianum, pedem quem quaſi in ingreſſu mundi poſuerat, retrahens, ruptis terrenarum voluptatum catenis, morarum impatiens, fugam iniit, latenter diſceſſit, ſanctumque Maximinum in Treverica urbe expetiit, ubi ſub venerabilis patris Bernardi [a] regimine, amplius & perfectius tunc temporis monachicam vitam fervere cognovit. ibi præoptati diu voti compos effectus, ſe monachum eſt profeſſus, ſeniſque cum Seraphim alis amictus, Deum excelſo gloriæ ſolio ſubnixum tranquilla mentis acie contemplari lætatur. Quod ne abuſive videatur prolatum, noverit lector, Romana auctoritate decretum [b], illius Ordinis habitu ſignificantiam exprimi ſex alarum. Duas alas, illo quo totius corporis velatur altitudo: duas, quo brachiorum tegitur latitudo: duas vero ſuperiores, invicem ſibi junctas, capitis operimento. Quod quia priorum ſancta definivit auctoritas, nulla argumentatione refellere habet poſteritas; cum videatur & crucis per omnia ſpeciem gerere ejuſdem habitus inſpecta qualitas. Quam crucem beatus Vvolphelmus, ut alter Paulus, vel Antonius, non tantum exterius aſſumens, ſed & interiori homini indiſſolubiliter adſtringens, onere ſæculi expeditus, ſequebatur Chriſti veſtigia, expanſis in ſuæ exaltationis ligno manibus ad ſe trahentis omnia.

Lib. 2. Dial. c. 1.

Fit monachus Treviris.

6. Colonienſes interea, quibus non leviter ferendum videbatur, tantæ ſanctitatis viro carere, ubi ubi requiſitum, tandem audientes Treviris angelicæ converſationi ſtudere, invicem contulerunt, qualiter eum poſſent repetere. Hinc Herimannum [c], illis diebus Coloniæ currum Dei aurigantem, adeunt, quid habeant voti palam faciunt illi, & cur alio tranſlatum inſigne urbis ſuæ non repetat, pie ſevera indignatione in eum conclamant. Erat tunc videre togatæ urbis primores iterum Gregorii [d] ſui diſceſſum conquerentes; quia non major illo diſcedente Romanorum confuſio, quam hoc abſente Colonienſium agitabatur quæſtio. Nec id injuria. Sicut enim ille, ſuo nomini bonis operibus congruendo, ſuæ & proximo-

Colonienſes eum repetunt.

a Bernardus celeberrimo S. Maximini Trevirenſis monaſterio duobus tantum annis præfuit, de quo in vita S. Popponis, quem Bernardus in eodem monaſterio deceſſorem & ſucceſſorem habuit.

b Illud eſt decretum Bonifacii Papæ IV. in Concilio Romano promulgatum anno 610. quod videſis Conciliorum Labbei tom. 5.

c Hic eſt Herimannus Ezzonis Comitis Palatini, Brunvvillerenſis monaſterii conditoris filius, qui ab anno 1036. ad 1055. eccleſiæ Colonienſi præfuit.

d Vide S. Gregorii vitam per Johannem Diaconum lib. 1. cap. 6.

Digitized by Google

ANN. CH. MXCI. APR. XXII.

rum ſaluti invigilabat: ita & iſte fidei opera exſequendo, cunctorum dilectione & veneratione digniſſimus erat. Archiepiſcopus autem juxta illud Sapientis: *Qui à multis timetur, neceſſe eſt ut multos timeat*, ſubjectorum importunitatibus obtemperare feſtinat: ſed ſuſpicatus Trevirenſes difficile reddituros virum tam laudabilis vitæ, æſtimavit eum repetendum, facta in totius Eccleſiæ auditu vocatione.

Coloniam revocatus. [a]

7. Eminebat tunc temporis inter præſentis regni cælorum majores, HENRICUS [a] abbas monaſterii ſancti Pantaleonis, qui memorati & ſæpius memorandi viri avunculus erat. Iſte cariſſimi ſui revocationem gratanter quidem ſuſcipiens, ſed illam æquanimiter ferre nequiens, Epiſcopi præſentiam expetiit, quid facto opus ſentiret, expoſuit. Pontifex ſani conſilii neglector fugiens apparere, litteras ſigilli ſui impreſſione bullatas, Treviros maturat dirigere, ad patrem videlicet Bernardum, ſub cujus converſabatur regimine. Ille perpendens nihil intereſſe, utrum ovem alienam de manu paſtoris ſui rapuiſſet, vel eo invito retinere contenderet, humilem tantæ legationi præbuit aſſenſum, quamvis non ſine gravi mærore tantum gregis omitteret ornamentum. Talem adoleſcens, monaſticæ vitæ deſiderantiſſimus Colonienſium paſſus violentiam, in ſui Pontificis deducitur præſentiam: à quo, ut filius, debito paternæ dilectionis affectu recipitur, & propter aſſumtum angelicæ dignitatis habitum, Henrici avunculi ſui providentiæ commendatur. Qui videns eum aſſuetæ ſolitudinis inhærentem ſtudio, frequentiam audiendi & videndi cauſa undique concurrentium habere faſtidio, urbe eductum, præpoſuit cuidam ſui regiminis abbatiæ, nomine Gladebaco. Cujus utilitatibus quam ſtrenuam ſuæ ſagacitatis curam impenderit, nemo eorum, qui præceſſerunt, credulus dubitare poterit.

Præficitur monaſterio Gladbacenſi.

8. Interea iſdem vir Dei, cujus animus à terrenorum appetitu peregre erat, & ſine corpore velox ad ſupernorum civium ſocietatem tendebat, dudum præconceptam aggreſſus eſt peregrinationem, Romamque petiit cauſa ſolvendi vota precum apud Apoſtolorum confeſſionem. Quia vero in ſuis poſitus, unicam ſalutis noſtræ hoſtiam ſingulis diebus aſſueverat immolare, ab hoc etiam inter eundum noluit deſueſcere. Neque enim gravis videbatur itineris dilatio, quæ fiebat ſolo amore patriæ cæleſtis. Factum eſt autem, ut nonnulli peregrinationis illius comites, humano more ad dulcia ſoli natalis arva ſuſpirantes, eo paucis cum neceſſariis relicto, abirent, quaſi ex hoc expeditiorem & viam & reditum habituri eſſent. Sed fruſtra reniſi ſunt ſententiæ Apoſtoli, qui omnem [profectum] non volentis neque currentis, ſed miſerentis ait eſſe Dei. Ita enim occulta Dei voluntate profecit ſancti viri dilatio, & ita illorum dilata eſt acceleratio, ut unius horæ una omnium fuerit perventio. Nondum enim illi expediti viatores Apoſtolorum ſubintrarunt limina, cum vir Dei ſubſequenti gradu preſſit eorum veſtigia; non tam verbis oſtendens quam rebus, non eſſe in quoquam hominum viam ejus. Qui expertam in hoc rerum eventu, Dei omnipotentiam admirati, tranſacto peregrinationis negotio, in ſua ſunt reverſi, ex illo tempore Dei hominem digno reverentiæ loco habituri.

Romam petit.

Rom. 9. 16.

9. Herimanno autem Pelegrini ſucceſſore cum vita pontificatus infulis exuto, pari Colonienſium aſſenſu ſubſtitutus eſt divæ memoriæ archiepiſcopus ANNO. Qui cum, ut ſacerdos magnus in diebus ſuis, volens Deo placere, miro religionis ferveret amore, non minimum expendebat in conſtructione cœnobiorum, unde unde legis Dei æmulatores aggregans inhabitationi eorum. Cetera igitur piæ ſollicitudinis monimenta Sigebergenſis cœnobii conſtructione decoravit, virumque ſæpedictum, accepta ſanctitatis ejus

Monaſt. Sigebergenſi præficitur.

[a] Hunc abbatem ejus loci ſextum fuiſſe dicit Gelenius, quem anno 1066. è vivis abiiſſe notat, VII. *Idus Novembris*, quamvis ejus depoſitio VI. Calendas Septembris in catalogo abbatum Gladbacenſium, ut ipſomet Gelenius teſtis eſt, notetur. Anno fortaſſe ſequenti eidem monaſterio præfectus eſt Wolphelmus.

notitia,

Digitized by Google

notitia, loco præponere curavit. Sed ſtudioſum divinæ contemplationis hominem, activæ vitæ, talibus initiis pernecesſariæ, videns omnino expertem, eduxit eum ad locum ſolitudini ejus competentiorem. In proximo enim abbatia Brunvvilerenſis erat, quæ quoniam viduata erat paſtore, curam ejus ſancti viri commendavit providentiæ, quam ſine propoſiti detrimento facile poſſet explere. *Ann. Chr. MXCI. Apr. XXII.* *Tum Brunvilerenſi.*

10. Iſtis diebus Francia turbabatur per Berengarium Turonenſem, qui aſſerebat Euchariſtiam, quam ſumimus in altari, non eſſe revera corpus & ſanguinem Chriſti. Unde contra eum, & pro eo, multum à multis & verbis & ſcriptis diſputatum eſt. Adverſus quem etiam exſtat hujus beatiſſimi viri epiſtola, ad quemdam Meginhardum abbatem Gladebacenſem edita, firmiter undique veritatis aſſertione ſubnixa: qui quaſi filius patrem ſcriptis conſuluit, ſuper hujus quæſtionis definitione. Quam licet attexere ſit longum, utilitati tamen proſpicientes legentium, non incongruum duximus præſenti inſerere opuſculo, ut ad notitiam tranſlata poſterorum, hinc ejus cognita ſinceritate fidei, caveant fideles aliquando hujuſmodi erroribus implicari. Eſt autem hic modus vel textus epiſtolæ. *Berengarii errores impugnat.*

Epiſtola ſancti Wolphelmi de Sacramento Euchariſtiæ, contra errores Berengarii.

11. Dei gratia VVOLPHELMUS abbas, coabbati MEGINHARDO ſalutem. Lac doctrinæ ſpiritualis, quod à me rogaſti, de cælo tibi fide & humilitate largius accumulaſti. Fide, quoniam quod in me non eſt, credis in me poſſe Deum omnipotentem operari; humilitate vero, quia deficientibus meritis & ſapientia, canitiem & ordinis dignitatem non abhorres in me venerari. O quam conſequens eſt, ut dum nocet quod inebriat, pro remedio deſideres quod debriat. Nocet autem quædam ebrietas hæreſis Berengarii, cujus ebrietatis periculum declinemus, & ad ubera vino meliora appropiemus. Et mox, ut eam aſſertionem, juvante Chriſto, poſſimus deſtruere, quæ clauſis januis eum ad diſcipulos poſt reſurrectionem non intraſſe, nititur adſtruere; ex matris Eccleſiæ manans mammis, lactet nos Evangelium Johannis: Cum eſſet, inquiens, ſero die illo una ſabbatorum, & fores eſſent clauſæ, ubi erant diſcipuli congregati, ſtetit Jeſus in medio. Et paullo inferius: Poſt dies octo, iterum erant diſcipuli ejus intus, & Thomas cum eis; & venit Jeſus januis clauſis, & ſtetit in medio. Ecce inter Berengarium, quod non intraverit Dominus januis clauſis [a]; & inter Johannem, quod intraverit, cum ſit controverſia, ſuperat ille, cui, Scimus, inquienti, quia verum eſt teſtimonium ejus, omnis applaudit Eccleſia. Nam ſi gentilitas, dum libros claudit, his, quos recipi judicat, applaudit: multo verius huic Evangelio perhibet Eccleſia teſtimonium, pro quo, priuſquam ſcriberetur, præmiſit orationes & jejunium. Norit igitur Berengarius hæc ſibi ſufficere, quibus, cum à Deo ſint, non poſſit homo contradicere. Itaque deinceps ad id quoque, Domino juvante, veniam, quod in Euchariſtiæ ſacramenta loquitur blaſphemiam. Sed quia Scriptura docet, ſtulto juxta ſtultitiam ſuam eſſe reſpondendum: repreſſis interim ipſis blaſphemiæ verbis, ad fontem ejus præcurrendum, ut ſi Dominus dederit nos eum obſtruere, deſinat inde ſanies hujus blaſphemiæ ad nos defluere. Eſt autem vena hujus ſcaturiginis, quod non recte ſentit de Sacramento Dominici corporis & ſanguinis: & dum ad aſpiciendum in eis panem & vinum, oculos corporis habet, ad perſpiciendum in eiſdem carnem & ſanguinem, oculos mentis non adhibet. Nos autem ut viſum acuamus, & acuendo proficiamus, quo hæc intuemur, ad obtinendam ſemel acceptam hujus veritatis traditionem noſmet hoc modo cohortemur. Si

Berengarii errores. *Johan. 20. 19. & 26.* *Id. 21. 24.* *Prov. 26. 4. 5.* *Circa Euchariſtiã.*

[a] Sic Guitmundus libro 3. hinc emenda quæ diximus in Obſerv. n. 2.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXCI. Apr. XXII. » qui dixit, & facta ſunt; & mandavit, & creata ſunt omnia: ſi is, inquam, » dixit de hoc pane, Hoc eſt corpus meum; & de vino, Hic eſt ſanguis meus. » neceſſe eſt omnino ſic eſſe. Nam hæc ſola myſteria non ab aliis ſunt ſeparata, quæ dicente Deo facta ſunt, vel mandante creata. Eſt autem unus atque idem Deus, primo mundum formans, deinde hoc Sacramento ſuam imaginem reformans. Si enim alius faceret hominem, & alius redimeret; redimens plus honoris ſibi aſſumeret; atque ita & Deus per ſe redemturus erat, & homo non niſi per ſe redimi poterat; quia videlicet nil homini jure redimendo proficeret, quicquid aliud quam hominem induendo Deus perficeret; ut ex hoc liquido conſtet, quod unus atque idem, Deus & homo, redemtor hominis exſtet. Igitur omnino ſic eſſe neceſſe eſt, quod, dicente Deo vel mandante, non eſſe non poteſt. Ecce novi & veteris Teſtamenti nos hæc auctoritate probamus: quibus Berengarius tertium addit, quod non minus, quam tertium de cælo cecidiſſe Catonem, reprobamus. Eia ergo, poſt duo teſtamenta, tertium hoc; & ideo tertium, quia ab eis alienatur, verbis ipſius auctoris; ita loquitur: Si mures conſecratum corpus Chriſti comederint, non ideo Chriſtus in eis, & ipſi in Chriſto manebunt, nec vitam æternam habebunt. O ſi nunc apud inferos tortor Horatii deſideat, dum hoſtem Eccleſiæ hunc verbis his derideat,

De Arte poëtica. Parturient montes, naſcetur ridiculus mus;

» Putavimus hunc inter montes exaltatum, magnum quid parturire, dum ecce mures in adjutorium ejus conſpicimus eum de cavernis accire. Jam autem mediam hanc ironiam abrumpentes, contra Berengarium & pro nobis noſmet cohortemur, ita dicentes: Si corpus hoc unde agitur, ab Apoſtolis & ab omnibus Electis comeſtum, qui ſoli ſic illud comedunt ut Chriſtus in eis maneat, & ipſi in Chriſto: & non Judas & omnes reprobi, ad quos poſt buccellam panis ſatanas intrat, & ſit longe alia conglutinatio intrantis ſatanæ & reproborum, quam ea, quæ eſt Chriſti & Electorum: (nuſquam enim angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.) Si, inquam, hoc corpus ita ab Electis comeſtum & eis conglutinatum, illis quoque conglutinatis eidem, ſe ſanum & incolume, vivum & integrum recipit ad Patrem: multo magis à Juda & reprobis omnibus, plus etiam à muribus & ab aliis mundi ſpurcitiis, recolligitur in regnum ſuum ſine ſui diminutione vel contaminatione. Nam & ſol hic viſibilis creatus & non omnipotens, radios ſuos in cloacas & alias mundi ſordes emiſſos, rurſus retrahit ad ſe ſine aliqua pollutione. Hoc autem corpus, poſt expletam more catholico communionem, ſanum & incolume, vivum & integrum ſe recipit ad Patrem. Sic enim teſtatur Eccleſia Achaïæ * beatum Andream apoſtolum dicere: Poſtquam omnis populus credentium Agni carnes comederit & ſanguinem biberit, Agnus, qui ſacrificatus eſt, integer perſeverat & vivus: & cum vere ſacrificatus ſit, & vere carnes ejus comeſtæ ſint à populo, & vere ſanguis ejus ſit bibitus; tamen, ut dixi, & integer permanet, & immaculatus, & vivus. Igitur corpus hoc ab his, quibus ille participibus particeps eſt, ſe vivum & integrum & incolume recipiens, multo magis ab his [qui ejus gratiæ non participant] colligit in regnum ſuum. Hoc interim caritati tuæ puto ſufficere, dum videamus, ſi ſit opus his aliquid adjicere. Verumtamen & quod dixi, & ſi quid dicturus ſum, tuis orationibus & omnium pie de me ſentientium commendo: quoniam etſi mortui ſunt obtrectatores Hieronymi, auctorem obtrectationis hujuſmodi vivere perpendo. Taliter hic miles emeritus armis juſtitiæ, fide ſcilicet, ſpe & caritate munitus, perfidiam Berengarii, in acie Domini conſtitutus,

* In epiſtola encyclica de martyrio S. Andreæ.

ſuo loco expugnavit invictiſſimus. Quod quantâ fecerit devotione, teſtantur, quas fundebat orationes & lacrymæ, quatenus ſeducti reſipiſcerent; catholica fides intemerata conſiſteret, & à recto tramite nulla pravitate infecta deviaret. Ann. Chr. MXCI. Apr. xxii.

12. His ita prælibatis, vertatur ſtilus ad deſcribendum, quales pro bono eccleſiæ ſuæ, *Cloteno* videlicet nomine, pertulit labores, immo, ſi dici fas eſt, perſecutiones. Quod qualiter eccleſiæ collatum fuerit & ablatum, paucis videtur intimandum; quoniam non pleniter advertitur ratio, cujus ignoratur origo. Domina Richeza [a], cujus genitores Brunvvilerenſe à fundamentis exſtruxerunt cœnobium, fidei ac devotionis illorum æmulatrix exſiſtens, terrenarum poſſeſſionum ſuarum eccleſias Dei fecit heredes, ut regni cæleſtis ipſa compos effici mereretur & heres. Tradidit itaque beato Petro in Colonia *Comburg* & *Salevelt*, cum univerſis appendiciis ſuis: ſancto vero Nicolao in *Brunvvilere* villam, quæ dicitur *Cloteno*, cum omnibus reditibus ſuis. quam traditionem, ſub multarum probabilium perſonarum teſtimonio factam, præſens domnus epiſcopus Anno ſua auctoritate corroboravit, auctorizavit; & ut per ſæcula inconvulſa conſiſteret, violatores, raptores, perpetuo anathemate damnavit. Solvente vero domna Richeza regina mortis debitum, dum deferretur tumulanda in Brunvvilerenſi cœnobio, uti ipſa vivens conſtituerat, nam & locum ſibi ſepulturæ ibidem deſignaverat, juſſu prædicti archiepiſcopi Annonis corpus ejus vi retinetur, & in eccleſia [b], quam ipſe in honorem beatæ Dei-Genitricis ſemper virginis Mariæ à fundamento erexerat, ſepelitur. Quo facto, memoratum allodium *Cloteno* eidem contulit eccleſiæ, contradicentibus illis, quibus ardore juſtitiæ hæc erat ad videndum violentia gravis. Adeo tunc vir prudens & ſollertiſſimus pravorum fuerat conſiliis circumventus, nec repente poterat animus ab incœpto revocari, quippe cujus nutu etiam tunc diſponebantur negotia regni. His ita patratis, imminente jam ejus mortis articulo, gravi cœpit anxiari infirmitatis incommodo. Tunc vir beatus Vvolphelmus viſendi eum gratia adiens, inter conſolationis verba hujus rei mentionem ingerens, monuit eum pia ſollicitudine hoc piaculum expiare, hanc injuſtitiam eliminare: addens, niſi emendatione mutaſſet commiſſum, pernicioſum ejus animæ imminere periculum. Cujus ille, ut erat vir mentis ingenuæ, benigne ſuſcepta admonitione, ſciens eum virum juſtum & ſanctum, humiliter ejus ſe commendat orationi, ſpondens in proximo aut idem bonum redditurum, aut aliud reciproca viciſſitudine pro eodem reſtituturum. His exhilaratus promiſſionibus, gaudens remeat ad propria Domini ſervus. Sed, prô dolor! ſecus quam promiſerat, accidit. nam immatura morte præventus obiit, & cum vita in medio, quod promiſerat, imperfectum dereliquit. Igitur quæ à majoribus noſtris, coævis videlicet, vel diſcipulis beatiſſimi viri, comperimus, fideliter ſtilo percurrente digeſſimus: nunc quæ noſtris ſunt acta temporibus, & ipſi vidimus, in geſtorum illius ordinem referamus.

In monaſterii ſervandis bonis deſudat.

13. Poſt exceſſum itaque venerabilis archiepiſcopi Annonis, domnus Hildolphus, non abſque Colonienſium injuria, præſulatus obtinuit inſignia: qui ſuper hac eadem re ſæpius eſt conventus à venerabili patre. qui præmonitus à prædicti loci congregatione, reſpondit ſe nulla ratione id ſanctæ Dei-Genitrici adimere, quod tanti meriti vir pro ſua contulerit devotione. Tunc vir Domini apud Archiepiſcopum minime ſe cernens proficere, per ſuos legatos regiam magnificentiam ſtuduit adire, omnem-

Juſtitiam à Rege expoſcit.

[a] Hæc Mizechoni regi Poloniæ nupſit, fuitque mater Caſimiri de quo ſupra egimus. Ejus ſanctitatis Apologiam conſcripſit contra Poloniæ ſcriptores Gelenius. Ipſius vero nomen variis in Martyrologiis inſcriptum eſt, qua de re videſis Tom. 5 Maii Bollandiani die 21. ejuſdem menſis.

[b] Hæc eccleſia hactenus ſtat Coloniæ, quæ dicitur beata Maria ad Gradus, eſtque Collegiata, de qua Gelenius libro 3. Mirabilium Coloniæ.

Ann. Ch. MXCI. Apr. XXII. que geſtæ rei ordinem proclamare. Tunc quartus Henricus Rex, poſtmodum Romanorum Auguſtus, qui illo tempore regni monarchiam ſtrenue gubernabat, hujus rei comperta proclamatione, ſpondet ſe omnimodis affuturum juvamine: factum quidem graviter ferre, numquam vero, quoad viveret, permiſſurum ſtabile. Animadvertens etiam famam bonitatis domni archiepiſcopi Annonis hac prævaricatione legum vel juſtitiæ non mediocriter poſſe obfuſcari, memor veteris amicitiæ viri (ab illo quippe educatus vel nutritus fuerat) mandat domno Hildolpho ejus ſucceſſori, Cloteno celerius reſtitui cœnobio Brunvvilerenſi. At illo nil certi ad hæc reſpondente, ſed potius de die in diem differendo tempus redimente, non ex voto conſulti, ſed ſpe fruſtrati, rediere legati. Tunc vir Domini, omni humano deſtitutus conſilio, quid ageret, quo ſe verteret, dubius fluctuabat: ſed ab eo ſibi opem vel conſilium flagitat, qui ſolus novit in periculis & neceſſitatibus ſubvenire.

Item à ſummo Pontifice.

14. Tunc ejus incidit animo, nil præſtantius, nil conſultius fore, quam Pontificem ſedis Apoſtolicæ ſuper hac re interpellare. Qua inſpiratione animæquior factus, deſtinat velociter legatos ad Apoſtolicum, tunc forte conſiſtentem in confinibus Alpium. Qui ubi coram ſenatus primoribus, & Romanæ Eccleſiæ judicibus ad liquidum verbis Papæ expoſuere ſingula, quæ ab archiepiſcopo Annone de Cloteno ſæpius memorato geſta fuere, omnium mentes & corda ſtupor apprehendit cum admiratione non modica. Tunc domnus papa Hildebrandus, qui & Gregorius, ex auctoritate beati Petri apoſtoli per epiſtolas * ſuas denuntiat domno Hildolpho ejus ſucceſſori, ne ſub ſpecie pietatis, defenſor exſiſtens impietatis, Cloteno Brunvvilerenſi eccleſiæ violenter ablatum, diutius patiatur irrevocatum. Non eget, inquiens, ô fili, Deus offerri quicquam ex injuſtitia ſibi: quia, ut legimus, ſic ei fiunt victimæ ex rapina, quomodo ſi mactet quis filium in patris præſentia. (*Eccl.* 34. 24.) Patratorem quidem multorum bonorum agnovimus fratrem noſtrum Annonem archiepiſcopum: ſed tamen in hac parte minime defendendus eſt non erraſſe; dum quod beato Nicolao præripuit, ſanctæ Genitrici Dei gratum holocauſtum æſtimavit, dicente Domino per Prophetam: Quia ego Dominus diligens judicium, & odio habens rapinam in holocauſto. (*Iſai.* 61. 8.) Nec fas eſt à fidelibus credi, Matrem diſcrepare à voluntate Filii: dum id prorſus conſtet utriſque proprium atque commune, eadem velle & eadem nolle. At tu, ne defendendo injuſtitiam videaris offendere Deum, tolle de medio, quod, alias licet bonus, hic male conſultus commiſit epiſcopus Anno: ne & illius detrimentum ſit coronæ, & tibi occaſio culpæ.

Hildolphi arch. odium incurrit.

15. Hujuſmodi paternis admonitionibus à Sedis Apoſtolicæ auctoritate ſuſceptis, prædicti pontificis Hildolphi magis in furorem verſus eſt animus, quam ad juſtitiam vel miſericordiam provocatus. Denique convocat eccleſiæ Colonienſis primores, ſe diffamatum & accuſatum per virum Dei conquerens apud Apoſtolicum. Tunc vir mitiſſimus, his humiliter renitens objectionibus: Proferatur, inquit, ô domine in medium, ſi placet, accuſationis teſtimonium; ſi nequeo me excuſare, de quibus criminor à te, tunc demum digne convincar offenſam meruiſſe. Epiſcopus itaque domni Apoſtolici epiſtolam tenens præ manibus, legendam tradit in publico, æſtimans per ejus relationem cunctos in ſervi Dei armari contradictionem. qua recitata, plures aſſenſere nil actum dignum offenſione. Quidam vero Bezelinus, domus * beati Petri Apoſtoli cuſtos, cum aliis, quibus erat animus rem potius perturbare, quam ex æquo determinare, cum aliud non invenirent quod obtenderent, non abſque ſuo conſultu Papam ſuper hac re aſſerunt licuiſſe expetere. Dum facili reſponſione hanc Domini famu-

* *i.* eccleſ. cathedralis.

* Hæ litteræ non reperiuntur inter Gregorianas, quæ in ejus Regiſtro exſtant.

Digitized by Google

lus objectionem quiviſſet refellere, Epiſcopi magis furentis odio, quam juſto judicio, injuriatur, calumniatur: conviciis quoque & contumeliis, ſecus quam pati dignum fuerat tantæ reverentiæ virum, attrectato, poſtremo etiam terribilibus ſacramentis paſtoralis curæ baculum ademturum minatur. Tunc vir beatus in injuriis patientiſſimus, virtute conſtantiæ roboratus, timore nudus, adverſariorum conatibus reſpondit intrepidus: (neſciebat quippe mens juſti pavere, quæ nulla torquebatur conſcientia culpæ.) Divina nos comitante clementia, non hic hodie præjudicium veremur incurrere, puram gerentes conſcientiam, totius prorſus criminationis innoxiam. Hic ſermo videtur completus, ubi dicitur, ut leo confidere juſtus. Dum hæc & his ſimilia vir Deo plenus efficaciſſime loqueretur, oris gratiam, mentiſque conſtantiam omnes æmuli mirabantur: & veluti nox quædam & tenebræ mentibus eorum infuſæ quid agerent, quo ſe verterent, dubii nutabant, dolentes ſe caſſo conſumtos labore; non invenientes, qua parte eum caperent in opere & ſermone.

Ann. Ch. MXCI. Apr. XXII. — *Prov. 28.*

16. In his perturbationum anguſtiarumque preſſuris, ex primoribus præcipue favebant beato viro BERTULFUS, vir probus, eccleſiæ beati Andreæ apoſtoli Præpoſitus, & quidam Wigmannus de Heverſbach, vir militaris & nobilis, ſed & eloquentia inſignis. Hi duo medium habentes eum, ut olim cælitus directi Machabæum, pro defenſione juſtitiæ non ſunt reveriti injuſtitiam oppugnare: adeo ut nec minis, nec terroribus concuti, nec à propoſito aliquo poſſent munere frangi. Inſtabant igitur viriliter ex Apoſtolica auctoritate, precantes judicium eccleſiæ Brunwilerenſi fieri, juxta mandatum & legationem Apoſtolici. Quorum vocibus & inſtantia non mediocriter exacerbatus Epiſcopus, cum gravi indignatione inquit: Habetote vobis Cloteno: meum erit, tam & injuriam meam vindicare, quam & utiliora pro Cloteno data recipere. Itaque raptum ex ore ejus verbum, & cum velocitate diriguntur legati, idem bonum vindicaturi.

Recipit Cloteno.

17. His ita patratis, jubet Epiſcopus virum Domini apud Nuſſiam * caſtrum ſibi occurrere, ea omnimodis intentione, ut nullo ejus obſiſtente adjutore vel defenſore, facilius eum valeret pro voto deponere. Sed non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum. Quamdiu vero iſta incubuit adverſitas, tamdiu fratrum non deſtitit votiva caritas ſeptem pſalmorum & litaniæ ſupplicatione Dominum inceſſanter exorare, ut de mærore gaudium, de tribulatione lætitiam concederet invenire. Vir itaque Domini ſciens tutam defenſionem conſtare non poſſe per hominem, Pſalmiſta dicente: Bonum eſt ſperare in Domino, quam ſperare in principibus; de adjutorio Domini confiſus, hilaris & gaudens iter aggreditur, quo fuerat imperatus. Perveniens igitur ad locum, non modica inopum collecta multitudine, per opera pietatis & miſericordiæ ſe Deo cœpit attentius commendare. Cumque in ſolario cujuſdam domus reſediſſent, & vir Domini cum ſuis neceſſaria miniſtrans, ſollicitus circuiret, ex improviſo ſolarium corruit, totaque illa multitudo cum viro Dei in cellarium ſubterraneum cadendo devenit. Quos eveſtigio pars non minima domus ſubſequens oppreſſit, ſed ex Dei providentia, ſervi ſui meritis, nulli læſionem intulit. Itaque exciti cives tanti ſonitus fragore, ocius advolant undique, & non ſine grandi admiratione ſoſpites extrahunt, quos jamjamque, periiſſe crediderunt. Quidam vero præ ceteris lapſus, oppreſſuſque periculoſius, dum jam ac ſi mortuus defleretur ab omnibus, eductus, nulla reperitur parte corporis læſus. Sed & pincerna hominis Dei, Godecho nomine, ipſa hora bina vaſa teſtea vino repleta præ manibus tenens, cum ruentibus pariter ruit. Sed, mirum dictu, nec ſui, vel vaſorum, vel vini pertulit effuſionem. Quod factum mirabile idcirco divinæ clementiæ pla-

Ab Archiepiſcopo evocatur. — *Pſal. 117. 19.*

* Alias Noveſium, urbs ditionis Archiepiſcopalis, vulgo *Nuitz*.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXCI. Apr. XXII. cuit demonſtrare, ut panderetur mortalibus, quanti apud ſe meriti vir ſanctus iſte fuerit. At vero Epiſcopus, qui eo illum advenire compulerat, divinitus, ut creditur, refrenatus, in nullo tunc ei valuit eſſe contrarius. Egit quippe hoc miro modo circa famulum ſuum divina proviſio, ne mortalis hominis premeretur judicio, quem tanto magnificare diſpoſuit prodigio. Hinc non ſopitum, ſed acrius accenſum eſt prædicti Epiſcopi furoris incendium. nam quamvis tunc eum ſiverit abire, rurſus tamen Coloniam ſtatuto die ad ſe jubet redire. Interea fratribus, ut ſupra meminimus, pro eo ſollicitis in vigiliis & orationibus, adeſt vir Domini improviſus. Quis, quæſo, fluctus eloquentiæ, quæ lingua poteſt evolvere gaudium tunc factum in commune? Gloriabatur quippe non immerito humilitas gregis ex præſentia ſui paſtoris, quem Dominus glorificaverat admirandæ proteſtatione virtutis.

a 18. Ea tempeſtate, quidam HARTMANNUS [a], abbas Tuitienſis, dum nocte quadam ſomno indulſiſſet, tale vidit ſomnium, præſagium utique futurorum. Vidit igitur per viſum, virum quemdam forma egregium, vultu reverendum, epiſcopalibus infulis decenter ornatum, à Brunvvilerenſi eccleſia prodeuntem, & iter Coloniam dirigentem. quem præcedentem, beatum Vvolphelmum abbatem cum fratrum caterva cernit è veſtigio ſubſequentem, ſeptem pſalmos cum litaniis ſæpius modulatis vocibus iterantes. At ubi ad fores perventum eſt cubiculi Epiſcopi quieſcentis, fores obſeratæ, virga præcedentis impulſæ, dictu velocius ſunt apertæ. quibus taliter intromiſſis, dux prævius ſtratum adiens recubantis, cum gravi requirit animadverſione, cur tanta contra ſe temerarius præſumſiſſet exercere. Expleto ſermone, virga, quam manu geſtabat, ad ultionem injuriæ, graviter illum percuſſit in vertice. Itaque ſomno excitus Abbas præ pavore, virum Domini certum reddit ex divina protectione & beati Nicolai conſolatione. Nec falſum prorſus ſomnium exſtitit vel inane, dum quod fratres in pſalmis & litaniis conſtitit egiſſe, hoc illi Dominus per viſum dignatus ſit revelare. Adhibet etiam certam fidem viſioni exhibitio operis. nam uno eodemque momento, ut hic illum vidit percuti, ſe ſenſit Epiſcopus morbo gravari. Tali ergo modo divinitus reliſa, niſu fruſtrata illius adverſatrix intentio eſt: morbo quippe invaleſcente, poſt dies paucos obiit, & cathedram præſulatus SEGUINUS vir pius obtinuit. De his ita meminiſſe ſufficiat: nunc ſe ad geſtorum ejus ſequentia deſcribenda articulus vertat.

Hildolpho Colonienſi ſuccedit Seguinus.

Vir S. eccleſiam adornat. *Pſal. 25. 8.*

19. Hic itaque Domini famulus, quæ retro ſunt oblitus, in anteriora ſe extendens totis viribus, exemplo David prophetæ, dicentis: Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ; domum Dei aggreſſus eſt adornare omni decoris varietate. quod quia devotiſſima mente concepit, mirifico effectu conſummavit. Denique, ut breviter cuncta perſtringam, ejus inſtantia vel tempore, in varios ornatus picturæ vel fabricæ, ſeu etiam muſivi operis decore, intus & extra ſe ſtatus exſtulit Brunvvilerenſis eccleſiæ. Textum præterea cujuſque operis verſibus expreſſit egregiis, ut liquido pateret inquirenti totius plenitudo materiei. Operæ pretium eſt, illud etiam non reticere, quod ſingulis annis vir Domini, novi ac veteris Teſtamenti paginas ex integro faciebat legendo revolvi: quatuor vero Evangeliorum libros, quoniam non eo loco vel ordine, quo reliquos, competebat expleri, ſtatuit quatuor temporibus recurrentibus anni in quatuor plagis clauſtri ſingulos à ſingulis diaconibus recitari. Quod cujus fecerit utilitatis intuitu, vel devotionis affectu, ex ſubjectis ejus, ſuper utrumque Teſtamentum compoſitis, liquet verſibus. In quibus ſingulis an-

Sacræ lectionis utilitas.

[a] Quintus dicitur fuiſſe hujus loci abbas. De Tuitienſi abbatia à B. Heriberto prope Coloniam conſtructa vide Gelenium Coloniæ ſuæ lib. 3. ſyntagm. 14.

Digitized by Google

niſs, utriſque explendis non parvipendendam annectit cauſam utilitatis: plurima etiam neceſſaria tangens, nunc perſonas ſubito decenter immutans, nunc Electorum per verbera ſalutem denuntians, nunc Scripturarum ſuavem guſtum commendans, poſtremo geminam in Chriſto naturam generis humani medicinam declarans. Hæc idcirco prælibavimus, ut cum ad talia ventum fuerit loca, intrepidus lector percurrere poſſit, quod ſe jam didiciſſe meminerit. ANN. CHR. MXCI. APR. XXII.

Verſibus expreſſa.

20. Late diffuſus ſic eccleſiaſticus uſus,
Se Teſtamentis exercet in Omnipotentis,
Ut legat hæc ambo, ſed & omni compleat anno,
Sicut in hebdomada pſalmorum clauditur oda.
Aſt hinc pſallendi cum ſtet ſtatus, inde legendi,
Lectio quo proſit, numquam præfatio deſit,
Qua clavi limen patet ad quodcumque volumen:
Pandat ut admiſſo quod clamet abyſſus abyſſo.
Admitti vero dedit ejus gratia Clero,
Qui populis ipſo parat hinc documenta miniſtro.
Sed cunctis æque non detegit intima quæque;
Quis tamen interea non abnuit interiora.
Angelus hinc enſem ſuſpendit percutientem,
Altius inflictus non lædit fulminis ictus,
Non ignis torrens, non vultus dæmonis horrens;
Captivis diræ diſcedunt ſenſibus iræ;
Vaſta lues morbi, quæ ſæpe ſupervenit orbi,
Aut non accedit, citiuſve precando recedit:
Exceptos natos quod vult Pater eſſe paratos,
Verberibus tangi, pœniſque fugacibus angi.
Queis abſterrendi nocuo ſunt fœdere mundi;
Sed non donorum Deus uſum ſubtrahit horum,
Quin patrem ſeſe per verbera comprobat eſſe.
Si ſit eis ritus legaliter hic ſtabilitus,
Ut ſic pſallatur, ceu diximus, atque legatur,
Utilitas extra patet hæc, latet altior intra.
Huc introductus guſtabit munera fructus,
Cui donat mentem Dominus guſtare ſcientem
Fructus majoris, quam pandat lingua, ſaporis.
Sed nec erit, guſtum qui ſcriptis exprimat iſtum:
Guſtans ipſe magis ſcit, quam ſit gratia ſuavis,
Quam Scripturarum conſervat cella ſacrarum,
Et quæ diffundi ſe vult per climata mundi:
Quo genus humanum ſit in hoc medicamine ſanum;
Quod naturarum peragit compago duarum,
Dum Deus inde Pater parit, hinc parit innuba mater.
Nil cælis illinc, nil terris clarius eſt hinc,
Qua ſpecie bina componitur hæc medicina,
Chriſtus Patre ſatus, Deus: aſt homo, Virgine natus;
Qui cum Patre Deus, ſed & almo Pneumate, verus,
Ad nos indultis pandat pia viſcera culpis,
Sæcla per examen dum juſte diſcutit. Amen.

21. Hos verſiculos beati viri, ideo huic operi inſerendos utile dixi, ut quomodo ſimpliciores plane currentis proſæ delectantur paſtu, ita perfectiores enucleatius ſpiritualiter dicta indagantes, eorum ſpirituali guſtu

Digitized by Google

ANN. CH. MXCI. APR. XXII. pariter reficiantur & fructu. Sæpius autem in conventu fratrum de ſalute diſputans & ſuadens animarum, inter multimodas virtutum propoſitiones, hoc modo plerumque eleemoſynarum vel hoſpitalitatis commendabat gratiam. Oportet, inquit, ut ſcriptum eſt, & teſtimonium habere bonum ab his, qui foris ſunt, & hoſpitalitatem non obliviſci: dum & quoſdam placuiſſe legamus, angelis etiam hoſpitio receptis. Unde magnopere vos, fratres, pauperum vel hoſpitum ſuſceptioni curam impendere admoneo: quia profecto quicquid illis fideli devotione confertur, Chriſto nimirum, qui ſe in paupere ſuſcipi, in hoſpite colligi vult, impenditur. Ideoque maxime neceſſariam hoſpitalitatis vel eleemoſynarum intuli gratiam: quia nec locum propagari perpendo vel inhabitantes, niſi per eleemoſynas & aſſiduas preces. Verum, cariſſimi, dum alicujus in vobis boni ſcintillam videritis igneſcere, ne veſtris, quæſo, meritis velitis adſcribere: quoniam, ut ſcriptum eſt: Neque volentis, neque currentis, ſed Dei eſt miſerentis. Omnipotens quippe Deus, adſpirando nos prævenit, ut bona velimus; & adjuvando ſubſequitur, ut poſſimus. Inanis enim aliter eſſet conatus noſter, niſi divina cooperaretur & virtus. Taliter autem gratia præcurrente, & bona voluntate ſubſequente, quod Conditoris eſt doni, noſtri fit meriti. His & hujuſmodi exhortationibus corda fratrum irrigans frequentius, ad ſectandam provocabat pietatem. Lucrandis autem ſedulus invigilans animabus, ſatagebat nil promere verbis, quod non roboraret exemplis, ne vitæ munditia prorſus diſcreparet à lingua. Hoc ordine nimirum hypocritarum declinabat conſortium, qui verba quidem ſanctorum habent, ſed vitam non habent: & quos ſermonibus generant, non fovent exemplis; & quos verbis ædificant, moribus & vita deſtruunt. Namque vir beatus non ſolum lingua ſua ſuaſit, ſed & exemplis, moribus, & vita ſubjectis oſtendit, quæcumque fidelibus ſuis omnipotens Deus obſervanda mandavit.

Eleemoſynæ & hoſpitalitatis commendatio. — *1. Tim. 3.* — *Heb. 13.* — *Humilitatis.* — *Rom. 9. 16.* — *Verbis & factis aliis prælucet.*

22. Pauperum vero illi ſemper fuerat maxima cura. Unde diſpenſatione provida xenodochio ſuperaddidit decimas atque vineta, ut abſque pecunia victus eis præberentur neceſſaria. Jugiter illi adverſus vitia pugna: quia mens ad virtutes erecta, non erat proclivis ad vitia. Radicem omnium malorum cupiditatem vel avaritiam adeo perhorrebat, ut præter communem ſimplicemque victum, nil ſibi prorſus quod ſpeciale foret, aſſumeret. Pietatis affectu potius amari, quam timeri ſatagebat; unde jactantiam & elationem proculdubio reſpuebat. Nulli vero detrahere, nullum volens odire, exſtinctis facibus iræ vel invidiæ, elegit omnes fraterna dilectione diligere. Semper hilaris, ſemper lætus; præferens hilaritate vultus, quam ſincerus & purus erga Deum & homines ejus eſſet affectus. Quamquam vero jugi eſſet contemplatione ſuſpenſus, erat tamen ſingulis compaſſione proximus: mente minime deflectens à contemplatione, dum pietas ferveret in opere. Sic nimirum in ſimilitudine cæleſtium animalium, ante & retro oculatus, utrarumque virtutum fuerat caritate devinctus: ut dum cuilibet earum videretur intentus, proprietate tamen non careret alterius.

23. Taliter ſe agebat, qui Deo nil carius poſſidens præferebat, ex omni cordis & animi affectu diligens Deum, omnem vero Chriſtianum tamquam ſe ipſum: ſervans in ſimplicitate innocentiam, in caritate concordiam, in humilitate modeſtiam, in diſciplinæ ſeveritate cenſuram. Erga bene agentes apparere prælatus noluit, ſed ut coæqualis & ſocius; adverſus vero vitia delinquentium, promotionis ſuæ exercebat privilegium. Quis autem verbis valeat exprimere, quanta diſcretione omnia judicia ſua ſtuduerit temperare, quantave juſtitia moderari? Dum etenim pro quovis delicto alicui foret inferenda correctio, primitus in ſe deſcendens, juxta illud Apoſtoli: Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, inſtruite hujuſmodi in ſpiritu lenitatis, conſiderans teipſum, ne

Præclaræ ſuperioris dotes. — *Gal. 6. 1.*

&

Digitized by Google

& tu tenteris; tamquam proprii reatus delictum deflebat alterius. Ita nimirum mens Deo devoti pectoris omni ſe excoluit genere pietatis, ſatagens gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, vir plane mitis & juſtus, ſic omnibus omnia factus. Quo enim dolente non condoluit? Quis ad illius adſpectum mærorem non mutavit in gaudium? Quis ira inflammatus, illius ſermone non eſt mitigatus? Quis iniqua cogitatione pulſatus, non illo eſt medente curatus? Quis conſolari petiit, & conſolationem non invenit? Quis vim verborum, quis efficaciam exprimat ſermonum? Quis pietatem evolvere, quis caritatem valeat enarrare? in qua adeo radicatus fuerat & fundatus, ut licet nullius expers eſſet virtutis, hujus tamen cultor exſiſteret ſpecialis. Non ſegniter etiam animo retinens, quod quanto ſubjectis prælatus, tanto curis majoribus eſſet occupatus, ſtudebat omnimodis Deo per contemplationem placere, exteriorum curas per idoneas quaſque [perſonas] ſollemniter * adminiſtrare. Taliter ex voto liberius vacans Domino, utrobique providus gregi proſpexit: intus propria vigilantia, exterius congrua providentia. At quoniam fuerat miræ manſuetudinis & diſcretionis; ſciens, quod diſtrictio ſi modum excedit, ſævitiam gignit, & nimia pietas diſſolutionem diſciplinæ parturit, tanta inter utrumque uſus eſt diſcretione, ut nec indiſcreta diſtrictio ſubditis recuſandi laboris fieret occaſio: nec nimia pietatis exhibitio, diſciplinæ foret immoderata remiſſio. Ita nempe exemplo ſanctorum Patrum greſſus ſuarum inſtituit actionum, ut nullatenus extra limitem juſtitiæ propriam fineret effluere actionem.

*f. ſollerter.

24. Hinc profecto felicem ac jure beatum talem dixerim virum, qui & eccleſiaſticæ diſciplinæ vigorem fortiter tenuit, & tamen matrem virtutum diſcretionem numquam deſeruit. Cujus ut mores vel actus ſummatim perſtringam. Fuit vita laudabilis, verbo diſcretus & utilis, conſilio providus, moribus ornatus, affabilitate mellifluus, miſericors & benignus, pronus ad veniam, tardus ad iram: per pietatis affectum, omnium condeſcendens neceſſitatibus miſerorum, juxta beatum Job, pater erat pauperum, mærentium conſolator, pupillorum adjutor: non deſpexit inopem, nec dimiſit abſque operimento pauperem; alios refovens verbo conſolationis, alios ope relevans pietatis. Ab infantia Deum timere didicit, ex utero enim ſecum egreſſa miſeratio crevit. Arca cordis jugiter referta bona voluntate, numquam vacua manus exſtitit munere. Pauperum ſibi apud Deum ſic conciliabat patrocinia, faciens ſibi amicos de iniquo mammona, qui eum quandoque reciperent in æterna tabernacula. Ne autem mundum plus juſto videretur diligere, mundo ſolummodo uſus eſt ad neceſſitatem, non ad ſuperfluam delectationem. Noxias quippe ab animo excludens delectationes, Apoſtolicas æmulabatur traditiones, corpus videlicet caſtigare & in ſervitutem redigere, ut extenuatum cæleſtibus diſciplinis vas aptum fieret ſanctificationis. Noverat enim animum non poſſe legitimo imperio perfrui, niſi carnis motus penitus eſſent ſubjugati. Hoc denique ritu ſacrificii in ſui cordis penetralibus hoſtiam vivam, ſanctam, Deoque placentem ſe exhibuit, dum ſingulis diebus, cum ſacroſanctis corporis & ſanguinis Chriſti myſteriis per compunctionis gratiam ſeſe in holocauſtum mactavit.

Job 29. &c.

1. *Cor.* 9.

25. Exſtiterat huic beatiſſimo viro frater germanus, FRUMOLDUS [a] nomine, ſorores ſanctimoniales duæ, quarum una, OSVVENDA nomine, miræ ſimplicitatis & innocentiæ fuit femina: altera vero BERTA nuncupata, litterarum plurimum emicuit ſcientia. Hæc [b] vitam beatæ Adelheidis, primæ Vilecenſis abbatiſſæ, eleganti ſatis admodum ſtilo conſcripſit, & plurimum religionis vel ſcientiæ ſuæ fructum in eodem loco dereliquit.

Fratris & ſororum ejus virtutes.

a Frumoldum & Oſvvennam inter alios ſanctos enumerat Gelenius in faſtis Colonienſibus, quos tamen ſanctorum catalogo adſcriptos non putamus.

b Hanc vitam habes tomo 1. hujus Sæculi.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXCI. Apr. XXII.

De cujus prædicta ſorore, domna videlicet Oſvvenda, noſtris temporibus factum libet referre miraculum, omni ſane laude, memoria, & veneratione digniſſimum. Quidam frater ex cœnobio Brunvvilerenſi, Udo nomine, adeo peſſima laborabat infirmitate, ut omnes cogerentur de ejus deſperare ſalute. Denique toto miſerabiliter intumeſcente corpore, omnium membrorum amiſſa ſanitate, trunco potius, quam humano corpori videbatur ſimilis. quodque maxime mortis indicium ſolet exſiſtere, nullum remedium illi adhibitum valuit proficere; volente, ut credimus, Domino demonſtrare, quod quanto gravior morbus, tanto potentior omnipotens credendus eſt medicus. Cumque de ſolis ejus ageretur exſequiis, lento ſopore corripitur, videtque per ſomnium domnam Oſvvendam, jam immortalitatis luce potitam, ſibi aſſiſtere, compatientiſque affectu, manu totum corpus permulcendo, vim doloris lenire. Inde oratorium, jacentis lecto contiguum, ingreſſa, tertio flexis genibus adoravit; ſicque ſuper ægrotum ſignum ſanctæ Crucis exprimens, diſparuit. Ilico virtus divina eſt ſubſecuta, nam poſt paucos dies convaluit, integra ſoſpitate recepta. Unde nec dubium exſtitit, illo viſa pandente, ipſius ſuffragantibus meritis, erutum illum de confinio mortis. Fuerat autem tam immaniſſimus languor, ut à planta pedum uſque ad verticem in eo non eſſet ſanitas: ſed tota corporis cute ſubtracta, ac ſi vetere homine exutus, recenti corio cum ſalute eſt ſuperindutus.

Oſvvendæ miraculum.

Frumoldus ejus frater ſancte vivit.

26. At vero prædictus beati Vvolphelmi germanus, domnus videlicet Frumoldus, armis terrenæ militiæ exutus, ſe illis implicari recuſavit ulterius, ut Deo ſervire poſſet expeditius. Studium itaque peregrinationis arripiens, ne exſul cæleſtis fieret patriæ, omni reliquo vitæ ſuæ tempore longe lateque, ad promerenda ſanctorum patrocinia, ſe ſtuduit exſiliare, uno tantum contentus ſervulo comite, cui tamen verſa vice, ut alter Martinus, hic ſæpius conſuevit miniſtrare. Quod genus divinæ propitiationis illo pedibus jugiter exſequente nudis, adeo ſæpius vidimus eum liventes plantas habere, ut nulla ratione calceamenta valeret admittere. Erat etiam ei ſollemnis conſuetudo, quamdiu ad divinum in eccleſia aſſiſtebat officium, omnimodis alicujus vitare colloquium: ſed ſtans, vel humi proſtratus orans, tanta lacrymarum potiebatur ubertate, ut velut imbre perfuſum, madidum reliquerit pavimentum. Hanc compunctionis gratiam per divinam poſſidens clementiam, cuſtodem in ſe reliquarum deputavit eſſe virtutum: quia nullum penitus ei dominari novit delictum, cujus mens ſedulo compungitur ad lamentum. Quis hunc fideliſſimum Domini dubitaverit ſervum, cujus exſecutio mandatorum tam evidens meritis illius præbet teſtimonium? Quamvis etenim in pace præſentis vitæ conſummaverit curſum, explevit tamen martyrium, ſatagens crucifixum habere mundum, dum carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis crucifixit, & Dominum fideliter ſequens, mundo peregrinus exſtitit. hic cœtibus juſtorum, ut confidimus, conjunctus, in eccleſia propriæ poſſeſſionis quieſcit ſepultus. Hæc pauca prolata ſufficiant ad ſanctitatis teſtimonium beatiſſimi patris Vvolphelmi & Frumoldi germanorum.

27. Erat tunc temporis vir quidam genere nobilis, ſed moribus nobilior, BURCHARDUS nomine, præfectoriæ dignitatis, ſed & præpotens armis, qui germanus exſtitit illuſtriſſimi viri EINEHARDI [a] Vviceburgenſis epiſcopi. Hic Evangelii non ſurdus auditor: Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus; & veni, ſequere me, relictis omnibus, quæ temporaliter videbatur poſſidere, Kanerberch, caſtellum ſuæ munitionis, Domino conſecrari fecit locum orationis. Taliter cum dives

Matth. 19. 21.

Burchardi viri nobilis amicus.

[a] Hic vulgo Ainhardus dicitur, Meginhardo ſucceſſit anno 1088. & ſedem Vvirzeburgenſem difficillimis temporibus uſque ad annum 1104. egregie adminiſtravit. Comes Rotemburgius ad Tubarum dicitur à Bruſchio, filiuſque Richardi Comitis.

eſſe poſſet in mundo, pauper elegit eſſe cum Chriſto, plebeïo habitu amictus, ſanctorum perluſtrabat loca, ſervorum Dei ſollerter requirens alloquia. Unde & ad notitiam famuli Dei Vuolphelmi deductus, maximæ ab eo loco venerationis eſt habitus: & ut quondam animæ David colligata eſt anima Jonathæ, ſic amor Dei confœderavit utroſque. Ex hac itaque mutuæ caritatis affectione, frequenter eum ſolitus inviſere, dulciſſimos gaudebat verbi divini favos ex ore ejus percipere. Mirabatur autem ſupra modum tantam illi cælitus conceſſam divini affluentiam verbi, ut quomodo ex ſupercreſcente fluvio rivus, ita ex illius mellito gutture manaret ſermo divinus. Sed quid mirum, quod ſemper animus fixus in cæleſtibus, de divinis tractare malebat ſubtilius? Ut ergo rei ordinem proſequamur, volens Dominus pio revelare diſcipulo, quanta perfectio lateret in magiſtro, talis ei nocturno ſilentio divinitus declaratur viſio. Vidit igitur illum, quem tremit tartarus, colit abyſſus, cælorum adorat exercitus, in quem deſiderant proſpicere ordines dignitatis angelicæ: hunc, inquam, vidit balneo impoſitum, manibus & officio beatiſſimi Vuolphelmi reverenter foveri, ablui & detergi; ubi etiam circumſtantes duodecim Apoſtoli, adminiculum ferre videbantur miniſtranti. Ille igitur vir præclariſſimus cælitus ſibi oſtenſam viſionem per quemdam, Meginhardum nomine, monachum, fratrem ſibi ſatis familiarem, ad viri Dei properavit transferre notitiam. Qui ſagaci animo vim ſomnii diſcutiens, cœpit diligenter inveſtigare, quid viſio hæc videretur portendere. Intellexit itaque patenter ſe commoneri, vigilanter boni ſervare tenorem propoſiti, Chriſto in ſuis omnimodis membris miniſtrare, juxta ipſius dicentis vocem: Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Gaudebat autem vir Deo amabilis, ſummo Electorum Capiti ſe operibus placuiſſe pietatis: ſed ſeriem actibus exſequi cupiens viſionis, vice Domini balneum præparatur egenti, in cujus ſingula peraguntur obſequia, quæ viſionis popoſcerat ordo. quibus rite completis, toto corpore mundus & ſanus egreſſus, ex integro novis eſt veſtibus ornatus. A quo tempore tantam gratiam meruit obtinere, ut mirabilium quoque patrator operum mereretur exſiſtere.

Ann. Ch. MXCI. Apr. XXII.

Pauperum cura.

Matth. 25. 45.

28. Ipſo namque tempore fuit quædam mulier in territorio Brunvvillerenſi, Golda nomine, quæ utrorumque luminum cæcitatem ſe doluit incurriſſe. Cumque omnium illuminatori placuiſſet per famuli ſui merita illi ſubvenire, ſub nocturno ſilentio tali perfruitur viſione. Videbatur illi leviter dormienti, viro Dei Vuolphelmo Miſſarum ſollemnia celebranti aſſiſtere, & poſt expletionem, manuum ejus ablutione oculos ſuos diluere, extersoſque fimbriis veſtimentorum ejus, diu optatum lumen recepiſſe. Quam viſionem ad nos perlatam, famulo Dei ad divina myſteria properanti humiliter ſuggeſſimus, & ut pauperculæ mulieri compateretur, exoravimus. Qui non aſſenſit, hoc ſui non eſſe referens meriti, & ſomniis ſæpe fallentibus fidem non leviter adhibendam: Sed ſi eſt, inquit, hæc viſio ex ſe, ſecundo ac tertio Dominus eam dignetur revelare. Itaque corde contrito & humiliato, in jejuniis & orationibus eo conſtituto, eadem viſio, quæ mulieri primo, apparuit ſecundo ac tertio. Quid plura? Tandem vir Domini noſtra victus eſt inſtantia, & ſecreto admittitur illa, ante fores eccleſiolæ juſſa conſiſtere: quia non ei uſus fuerat facile, niſi certa ex cauſa, frequentiam mulierum admittere. Itaque rite peractis Miſſarum ſollemniis, ut docuit viſio, abluit, exterſit, mox clare videns remeavit. Tunc vir ſanctus, nolens virtute facti hujus humanis favoribus attolli, memor Dominicæ præceptionis, jubentis diſcipulis, ne quoaduſque tempus compleretur reſurrectionis, ordinem cuilibet panderent viſionis; interdixit ſummopere nobis, id, illo in vita ſuperſtite, nulla ratione prodere, nulla neceſſitate detegere.

Cæca recipit viſum.

Nota.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXCI. Apr. XXII. Ipſe ad cælum anhelat.

29. Vir itaque Domini de die in diem virtutum exuberans copia, indeſinenter ad vitæ cæleſtis ſuſpirabat gaudia, quæ jam promeruiſſe gaudet felix ejus ſpiritus in Domini ſui præſentia. Nam quamdiu in corpore vixit, mundum corpore, non mente, inhabitavit: ibi magis habere fixum appetens animum, ubi gaudium noverat ſine fine manſurum. Unde & merito dicere valebat cum Apoſtolo: Noſtra converſatio in cælis eſt. Et illud: Non habemus hic manentem civitatem, ſed futuram inquirimus. Cæleſtis ergo patriæ inceſſabili flagranti amore, inter alia atque alia virtutum exercitia, tanta ei erat orationis inſtantia, ut quamquam omnibus floreret virtutibus, hanc tamen poſſidere videretur principalius. Ex cujus aſſiduitate hæc etiam ei inolevit devotio, ut ſingulis annis, dum more ſanctæ & univerſalis Eccleſiæ jejunium obſervaretur Quadrageſimale, non ſolum circumjacentia, ſed & Aggrippinæ Coloniæ ubique ſanctorum orando inviſeret loca.

Phil. 3. 20. Heb. 13. 14.

Periculum cum ſuis evadit.

30. At quoniam hujus rei nunc incidit mentio, libet referre grande periculum, immo miraculum, quod nobis contigit redeuntibus Coloniam è Tuitio. Beati & glorioſi confeſſoris Heriberti ſepulcrum oratum petiveramus: redituri, puppim aſſcendimus: ſoluti à litore, admodum proſpere navigabamus. Introrſum nos unda jam longius rapuerat, dum ecce repente intolerabili exorta tempeſtate, rupta quies Rheni ab imis ſedibus perturbatur, undæque in ſe redundantes, ad inſtar prominentium rupium, capitibus imminere videbantur in navi reſidentium. Sicque navis huc illucque vagis dilabitur undis, & nunc ſummo in fluctu pendens, nunc unda dehiſcens terram inter fluctus aperit, turbatiſque nautis præ pavore mortis, ſonus hæſit in gutture vocis. Tanto nobis vallatis periculo, virum Domini in poſteriori navis parte reſidentem, & ſuo more neſcio quid ſecreti meditantem, & eorum quæ nobis evenerant prorſus ignarum, adii, & mortem omnimodis imminere nuntiavi. Qui protinus ad orationem convolans, nota præſidia, ſanctorum devotiſſime implorat ſuffragia, litaniæ ſupplicatione impoſita. Dehinc cum crebra ſanctæ Crucis objectione, Salvator mundi ſalva nos, cœpit canere; Qui per crucem, inquiens, & ſanguinem redemiſti nos, auxiliare. Hortatur dehinc, reſumtis viribus conſtanter remigare viros, nullo metu mortis concuti, nullum ex eis aſſerens periturum providentia Dei. Hac exhortatione animati, & quoniam res pro anima fuerat illis, dum fortiter ad litus tendunt, viriliter æquora ſcindunt. Interea miſerabilis clamor utriuſque ſexus ſuper litus conſiſtentium attollitur in cælum, periculum noſtrum eminus intuentium. Quid multis morer? Inter confinia poſiti mortis & vitæ, tandem perlabimur ad locum, ubi multitudo navium latius Rheni occupaverat ſinum. Quas attingentes, & ex altera in alteram tranſmigrantes, juxta viri Dei vocem, præter ſpem evaſimus omnes. Verumtamen ne dubitaretur ullo modo illius nos ſalvatos merito, concite id rabies Rheni fluminis divino declaravit indicio. Denique ut ille beatus pedem extra puppim extulit, paullo ante divinitus ſuſpenſis fluctibus, prædæ fuit: & quæ prius onuſta mergi non potuit, ſubſiſtere tanto viduata patrono nequivit, ſed protinus, nobis cernentibus, ſubmerſa diſparuit. Taliter per immenſi mæroris præcipitium, meritis ſervi ſui, maximi nobis gaudii Dominus contulit beneficium: dum & virtutum ejus gratiam extulit, & quod verebamur avertit.

Rem occultam detegit.

31. Per idem tempus quadam die cum ſecretorum ſuorum conſciis, oratorium, ut tunc falſo credebatur, Brunvvillerenſis parochiæ in villa, Kyrchedoro nomine, oraturus intravit: & ecce ſolo proſtratus, carere locum ſanctorum patrocinio, Spiritu-ſancto revelante, didicit. Qui ſurgens ab oratione, cum ſecum conſiſtentibus acceſſit ad altare, & velamine ſubducto, cum omnia diligenti intuitu perluſtraſſet, nihil omnino vel ſub

ſigillo, vel rimarum fiſſuris, præter nidificationes veſpertilionum, & telas reperit aranearum. Unde nimirum *, ut par erat, mente conſternatus, abſque morarum dilatione Colonienſis eccleſiæ præſulem adiit, illi, quæ geſta fuerant, ordine expoſuit. Cujus mentis dolori ille condolens, datis etiam ſanctorum reliquiis, evocatum ad ſe direxit cum eo quemdam HEZELINUM, Scarnenſis [a] ſedis antiſtitem, ut ſua vice prædictum locum, quia epiſcopii ſui diœceſis erat, Deo conſecraret, & ejus ſervitiis manciparet. Qui libenti animo ejus obtemperans imperio, congregata multitudine fidelium, divinæ religioni dedicaverunt idem oratorium: ſtatuentes ibi duo altaria, ſuperius quidem in honore archangeli Michaëlis, inferius vero in veneratione habenda beati Martini confeſſoris. Hoc in facto illi nimirum cum beato Martino ſimilis exſtitit proportio virtutis, qui pari modo ſimiliter illuſtratus divina revelatione, populum abſolvit à diabolicæ fraudis ſeductione, ara deſtructa latronis, qui in vice venerabatur martyris. His ita rite celebratis, redierunt uterque ad propria, Deum collaudantes in jubilo.

ANN. CH. MXCI. APR. XXII.

*f. nimium.

32. Illud etiam non reticendum arbitror rei geſtæ miraculum, quod vidimus fieri ſub teſtimonio omnium fratrum, & eſt, fama vulgante, circumquaque notiſſimum. Mulier quædam, Adelheidis nomine, variis omnium membrorum languoribus oppreſſa, ad beati Nicolai in Brunvvillerenſi cœnobio limina, recuperandæ ſalutis gratia, eſt perlata. Quæ cum detrimento omnium membrorum, occultis etiam viſcerum doloribus ac non ferendis cruciatibus quatiebatur, ita ut omnis generis annonæ panem adeo faſtidiret, ut non ſolum guſtare, ſed & vitaret attingere. Hæc quidem beati Nicolai meritis celerem ſoſpitatem recepit in membris. Verumtamen occulto Dei judicio omnimodis, ut prius, abſtinuit edulio. Dum vero poſt aliquot annos divinæ clementiæ ab hac illam placuiſſet infirmitate abſolvere, intempeſtæ noctis ſilentio tali perfruitur viſu. Videbatur illi, beatiſſimum virum Vvolphelmum panem benedixiſſe, & illum ſuſceptum ab ejus venerabili manu ſe avide comedere. Quæ fidem adhibens viſioni, ſciens per eum his majora poſſe fieri, flebilibus vocibus panem ſibi ab eo obſecrat benedici. Qui renitens totis viribus, indignum ſe proclamat miniſtrum operis hujus. Tunc videres animum viri Dei anxie perturbari; velle quidem miſereri, ſed palam id propter jactantiam favoremque nolle fieri. Attamen ne diutius videretur protrahere, quod divinitas per eum diſpoſuerat adimplere, allatum panem benedixit, mulieri porrexit, præſentibus nobis illa comedit. Quæ viri Dei meritis ex integro ſanitati reſtituta, omni, quoad vixit, tempore ibidem eccleſiæ uſibus tanto commodius ac devotius ſtuduit deſervire, quanto præ aliis multiplicius ac differentius gratias ſanitatum meruit obtinere. Vir autem Domini, quamquam tam præclaris & eximiis polleret virtutibus, numquam tamen illius elationi ſuccubuit animus, non gloriandum recolens ex virtute ſignorum, ſed ex conſortio collegii Electorum. Quis vero ſingulatim queat referre ſanitatum genera, in diverſis per illum languentibus exhibita miſeratione divina? Sæpius enim, illo viſitante, eſt indulta ægrotantibus ſalus, quod tamen ab aliquo ſibi imputari prorſus non patiebatur. Sufficiant è pluribus iſta fidelibus ex illius memorata virtutibus. Nunc ad referendum, qualis ei fuerit de hac vita tranſitus, dirigatur articulus.

Mulier ægra ſanatur.

33. Poſt innumera divinæ per illum operationis patrata beneficia, volens pius Dominus ſervi ſui conſolari gemitus & ſuſpiria, crebro dicentis cum Propheta: Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei mei? Satiabor, dum manifeſtabitur gloria ejus; placuit ei hoc ordine, diſſolu-

Mortem vicinam agnoſcit.

Pſal. 41. 3.

[a] Scardonenſis, reſtituendum eſſe putat Henſchenius, eo quod ejus nominis ſedes epiſcopalis ſit in Dalmatia, cujus forte titulo donatus fuerit ille epiſcopus, quem chorepiſcopum Colonienſem appellat.

ANN. CH. MXCI. APR. XXII. tionis ſuæ tempus revelare. Quodam die tempore meridiano, pro conſuetudine, illo, non jacendo, ſed ſedendo dormiente, ſpecioſiſſimus per viſum juvenis ei adſtitit, & ut ſe quantocius ſequi feſtinaret, admonuit. Qui comitatus euntem, angelico ductu ad loca perducitur amœniſſima, omni decoris varietate vernantia, incomparabili lucis ſplendore micantia, totius etiam ſuavitatis odore redolentia. Ibi oſtenſis illi diverſarum habitaculis manſionum, fidelibus nimirum à Domino promiſſarum, tandem in quoddam illum Angelus magnæ venuſtatis & proceritatis introduxit ædificium, cujus intus & extra contemplari jubetur diligenter ornatum; hunc ſibi manſionis locum divinitus eſſe prænuncians deſtinatum: Quem, inquiens, quanto ſtudioſius ac venuſtius exornaveris, tanto jucundius ac felicius in perceptione illo frueris. Taliter angelico affatu de perennis gloriæ felicitate commonitus, evigilans, ſeorſum quibuſdam viſum indicat fratribus, annectens procul dubio ſe quantocius diſſolvendum. Unde miro modo animo conſternati, utpote, cujus ſemper fuerant beneficia pietatis experti, de illius merito amiſſione intolerabili torquebantur afflictione. Verum certius hinc colligere cupientes, diem ſignant, eum cum viſione notantes: quem anni revoluto circulo ipſa die carnis ſolvi contigit ergaſtulo, quo cælitus ei fuerat viſio oblata. Unde patuit, non phantaſticam illuſionem, ſed veram fuiſſe viſionem, quæ tam evidenter & viri Dei diſſolutionem, & cæleſtem ei deſignavit manſionem.

34. Per continuum itaque illius anni ſpatium, non ſegniter dormiendo, ſed ſollerter bonis operibus invigilando, Domini ſui adventum exſpectabat, atque conſervis ſuis talentum ſibi creditum erogabat. Tanta autem vis divini amoris cor ejus penetraverat, ut etiam ſi nollet de Deo loqui, ſilere non poſſet. Cumque id ſolito inſtantius atque ferventius ageret, proinde nonnulli cœperunt faſtidire, minuſque libenter audire. Quod ille perpendens, non ſe à bona ſubtraxit intentione: ſed volens eos reſipiſcere, Gal. 4. 19. illud Apoſtoli crebra inculcabat repetitione: Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis. Hæc quippe dicebat, quia quos jam prædicando pepererat, reformando gemens iterum parturiebat, illud Phil. 3. 1. ſubjungens: Mihi quidem non pigrum, vobis autem neceſſarium. Dum vero quadam die paterna ſe minus cerneret admonitione proficere, Spiritum-ſanctum tota concipiens mente, in hæc verba prorupit Amos prophetæ; immo, ut potius poſtmodum rerum probavit eventus, ipſe ſpiritu tactus Amos 8. 11. prophetiæ: Venient, inquit, dies, dicit Dominus, & mittam famem in vos: non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Dei. Noverat proculdubio, quod ſicuti fames eſt carnis, ſubtractum ſubſidium corporis: ita fames eſt mentis, ſilentium vel amiſſio divinæ collocutionis. Unde futura eis quaſi jam præterita narrans: Noveritis, aſſerebat, quod abſque dubio in quibus nunc vobis oneroſus exſiſto, vel faſtidium genero, ſummo ea vobis quandoque, non tamen effectum habituris, futura deſi- 2. Tim. 4. 6. derio. Ego enim jam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat. Hæc idcirco non prætereunda putavi, ne incaſſum prolata hæc verba credantur hominis Dei: dum omne, quod locutus eſt, verbum aut impletum, aut in futuro non ambigamus implendum.

35. Licet autem jam ultimam duceret ætatem, nullatenus tamen propoſiti ſui paſſus eſt infirmare rigorem, indulgentius vivendo, labore remiſſo. Exiguum quippe reputabat præſentis temporis laborem, ad ſuperventuræ gloriæ recompenſationem. Quapropter nec longævitatem temporis, nec difficultatem cauſabatur laboris: ſed potius omnimodis apponens labori laborem, angelicam exſequi ſtudebat exhortationem. At vero imminente jam ejus migratione, ubi ſe ſenſit repente viribus deſtitui, infirmitate gravari, evocatum reverendiſſimum Abbatem cœnobii beati Pantaleonis mar-

Digitized by Google

tyris, nomine HERIMANNUM, totius honeſtatis & religionis virum, olei ſacrati ſe fecit liquore perungi. Paucis dehinc evolutis diebus, primo lucis crepuſculo, decimo Calendas Maii, viam univerſæ carnis ingreſſus obiit, & gaudium Domini ſui felix feliciter introivit. Floruit autem temporibus ſecundi Henrici Imperatoris, qui monarchiam regni obtinuit poſt deceſſum tertii Ottonis, tempore beati Heriberti, ſanctæ Colonienſis eccleſiæ archiepiſcopi, & vixit uſque ad triceſimum-tertium annum quarti Henrici Imperatoris, cujus pater exſtitit tertius Henricus, avus Imperator Conradus. Tranſiit autem plenus dierum, omniumque profectibus operum bonorum, anno milleſimo nonageſimo-primo Dominicæ incarnationis. Cujus obitu comperto Herimannus [a], tunc temporis archiepiſcopus Colonienſis, exſequiis ejus ſummopere ſatagens devotionis obſequium impendere, ad ſepeliendum eum devotus occurrit. Cujus exemplo religioſorum virorum etiam turba confluxit, inter quos præcipui & illuſtriores habebantur Abbates, Herimannus videlicet, ſupra memorati cœnobii ſancti Pantaleonis, & REGINHARDUS bonæ memoriæ Sigebergenſis; qui utrique famulum Domini ſummo ſemper coluere ſtudio pietatis. Expletis itaque ab Archiepiſcopo pro ejus veneranda memoria Miſſarum ſollemniis, ubi ſacroſanctum corpuſculum deponi debuit in ſepulcrum, accedens per ſe, amictum amovit, quo ſacer ejus velabatur adſpectus: & ecce, mirum dictu! cum eſſet jam triduanus mortuus, apparuit non defuncti more pallidus, ſed roſeo colore perfuſus, gratia plenus, & veluti roſcidulis guttis ſudore reſperſus. quo præclaro viſo miraculo, plerique flevere præ gaudio. Ad circumſtantes vero converſus Epiſcopus: En, inquit, patres dilectiſſimi, quam devotus hic fuerit Domini ſervus, quem tanta ac talis commendat gratia vultus. His à Præſule peroratis, cum debita veneratione ſecus beati Petri Apoſtoli altare decenter traditur ſepulturæ. Ibi ſuffragantibus meritis ejus, fidelium exaudiuntur vota, infirmis impenduntur beneficia, præſtante Domino noſtro Jeſu-Chriſto, cui una cum Patre & Spiritu-ſancto eſt honor, poteſtas & gloria per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Ann. Ch. MXCI. Apr. XXII. Sacro unctus oleo, obit.

Anno 1091.

[a] Ab Herimanno epiſcopo ſepelitur.

36. Itaque veluti magno mari emenſo præſentis hiſtoriæ pelago, jam quaſi litus cernentes reſpiramus, dum quædam ſolum de miraculis ejus referenda ſupereſſe videmus. Satagendum eſt ergo, ut portum teneamus, curſum conſummemus: quoniam ſicuti ſolent ſolem obducere nubes, ſic pigri, deſideſque ſcriptores, utilium rerum ſæpe ſubtrahunt cognitiones. Aggrediamur itaque referre miracula, quæ poſt obitum ejus, divina per eum ſunt celebrata virtute. In territorio Brunvvillerenſi mulier quædam, Vvazela nomine, dum quadam die ad opus conſediſſet textile, tam crudeli ex improviſo utrarumque manuum torqueri cœpit vexatione, ut clamore diræ vocis cives cogeretur excire. Ex cujus immanitate doloris, paralyſis obnoxia credebatur paſſioni. Subito namque adeo inutilis eſt reddita manibus, ut ad nullos eas valuerit uſus applicare. Quo magis magiſque ingraveſcente morbo, præ nimia doloris contritione inter manus tenentium obdormivit, & hujuſmodi lenis vocis ſonum dulciter audit: Quid ſopore deprimeris? Si præſenti paſſione carere volueris, ſurge velocius, & cum oblatione cerei domini Vvolphelmi adito ſepulcrum. Illius enim meritis es gaudio potitura ſalutis. Quæ alacri fide, promtaque devotione, jubenti ſatagens obedire, ardente ſepulcrum inviſit cereo, nec beati patris diffidens meritis, nec dictis credere cunctata monentis. Quæ ubi ad orationem procubuit, poſt puſillum ſana ſurrexit, & gratias agens Deo, ſoſpes ac læta receſſit.

Miracula poſt mortem.

Paralytica ſanatur.

37. Frater quidam ex cœnobio Brunvvilerenſi, Heribertus nomine, poſt obitum beati Vvolphelmi in Daciam [b] provinciam fuerat tranſmiſſus, cum

[a] Hujus ſcilicet nominis III. qui Sevvino ſucceſſit anno 1089. ad 1099.

[b] Daniam interpretatur Henſchenius.

Digitized by Google

ANN. CH. MXCI. APR. XXII. aliis quibuſdam, religionis monaſticæ gratia, fratribus. Ubi cum aliquantiſper commoratus eſſet, & jam reditum ei perſuaderet animus, comitantibus ſecum viris honeſtis ac religioſis, iter eſt aggreſſus. Cumque ad mare perveniſſent, piratis inſidiantibus, & die noctuque maris ſinum occupantibus, ferme per dies novem negabatur tranſitus. Unde nimia cordis contritione omnes pariter afflicti, ut propitius adeſſe dignaretur Dominus ſe invocantibus, intimis precabantur viſceribus. Nec diſtulit pius Dominus ſuorum vota fidelium, concite largiendo ſubſidium. Adeſt namque prædicto fratri ſub noctis ſilentio beatus Vvolphelmus per viſum, in craſtinum jubens accelerare tranſitum, mare pacatum, hoſtium denuntians impetum refrenatum. In memoriam vero ſuæ liberationis, ter ternis pſalmis cultor ille ſanctæ Trinitatis, Domino vota perſolvi juſſit jubilationis. Taliter hoſtium ſublata formidine, non modicum gaudium ſumſere ex divina revelatione; & marinis ſe læti ingerunt fluctibus, piratis minime nocere valentibus. Hoc ordine per ſervi ſui merita ab imminentibus malorum procellis eruti, divinæ gratias agunt liberationi. Quod & ab ipſo fratre, qui pertulit, agnovimus, fideli narratione retulimus.

Piratæ ejus auxilio evitantur.

38. Eodem tempore claudus quidam, Vvillemannus nomine, ex villa loco Brunvvilerenſi contigua, *Polheim* videlicet nuncupata, obtentu beati Vvolphelmi diu negata membrorum recepit officia. Tempore quippe Quadrageſimali, ad locum accedens ſepulcri, quo ſalutis arderet deſiderio, cordis promebat gemitu: quo ſalutis ducebatur gemitu, cordis illius declarabat afflictio. Denique ad Deum tota intentione converſus, lacrymoſis precabatur ſuſpiriis, ut ſervi ſui meritis ſoſpitatem mereretur in membris. Nec ſpes fefellit, cui fides incitamentum præbuit. Citius enim dictu claruit, cujus ſanctitatis vel meriti vir beatus exſtiterit. Repente enim diu contracti ſe cœperunt extendere nervi, & venarum meatus vitalis ſanguinis infuſione repleri, & membra prius præmortua, in priſtinum vigorem reſtitui. Quid longius morer? Sentiens homo divinam in ſe operari virtutem, lento conamine aſſurgere nitens, quamquam adhuc nutante greſſu, in pedes conſtitit, & quæ circa ſe acta fuerant, præſentibus fideliter diſſeruit. Quorum manibus ſuſtentatus, & huc illucque deductus, ut res innotuit fratribus, magnifice laudatur & glorificatur Deus, qui in ſanctis ſuis mirabilis eſt & glorioſus, faciens mirabilia ſolus. Ad indicium vero tanti miraculi, ſuſtentatorii illius baculi ſuper ſepulcrum beatiſſimi viri multo tempore manſere ſuſpenſi.

Contractus curatur.

39. Alio ferme tempore huic miraculo accidit conſimile, quod quando qualiterve ſit factum, libet referre. De villa *Geroldeshoven*, mulier omnimodis contracta ad ſæpe memoratum locum ab amicis eſt deducta. Hæc ſedulo ibidem incubans precibus, templi limina frequentabat attentius: exſiſtente autem ſacratiſſima beati Petri Apoſtolorum Principis ſollemnitate, & hanc cum reliquo vulgo tantis contigit intereſſe ſollemniis. Quæ largiter flens, & longa ſuſpiria trahens, ante ſepulcrum beati viri proſternitur, miſeram ſe ac infelicem nimium conqueritur; cujus nec preces merentur admitti, nec corporis incommoda ſolvi. Sed qui quondam mulieris Chananææ, & hujus voluit preces differre, ut importunum illius deſiderium, fidei eſſet experimentum. At vero quoniam beati viri meritis ſalvari poſſe non hæſitavit, ſed in fide poſtulans perſeveravit, effectum meruit. Erecta quippe divinitus, exclamavit, omniumque ſilentium clamoribus rupit. Ubi enim oſſibus oſſa ſe conjunxere disjuncta, & nervorum contractio juncturarum fiebat connexio, non eſt mirandum, quod fragilior mulieris ſexus expavit animus. Exſurgens itaque à pavimento, recepto vigore, incolumis prævaluit ad propria remeare. Talibus miraculorum effectibus veraciter cum Chriſto ſe vivere mundo teſtatur vir iſte beatus. Amen.

Et contracta mulier.

VITA

Digitized by Google

VITA V. BENEDICTI ABBATIS CLUSENSIS.

Auctore WILLELMO monacho, ejus diſcipulo.

Ex veteri codice Petaviano.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. CLUSINUM *ſancti Michaëlis monaſterium olim inſigne, in diœceſi Taurinenſi ad Pyrchiriani montis radices ſitum eſt, nempe ad Cluſas ſeu Alpium fauces & anguſtias, quas Carolo M. in Italiam procedenti Deſiderius Langobardorum rex precludere fruſtra tentavit. Hujus loci ſaculo* XI. *duo fuere ejuſdem nominis abbates,* BENEDICTUS *major, &* BENEDICTUS *minor. Utriuſque res geſtas litteris complexus eſt* WILLELMUS *ejuſdem loci monachus, Benedicti junioris diſcipulus & familiaris: quod Vuillelmus ipſe in prologo ſequenti teſtatur. Verum prioris Benedicti acta excidiſſe ſuſpicamur. Tempus quo is vixit, colligimus ex Concilio Lemovicenſi anni* MXXXI. *in cujus actis* Benedictus rector monaſterii Cluſæ ſancti Michaëlis, *ut præſens, laudatur. Hoc enim elogium non poteſt convenire Benedicto juniori, qui obiit anno* MXCI. paſtoralis curæ viceſimo-quinto: *ac proinde eam dignitatem non adiit ante annum* MLXVI. *Dies obitus Benedicti junioris aſſignatur* poſtrema dies Maii *in verſibus vitæ præfixis,* poſtera *eodem ſenſu in ejus epitaphio. Itaque de eo interpretandum eſt Necrologium abbatiæ ſancti Ægidii Nemauſenſis:* Prid. Kalend. Junii obiit Benedictus abbas Cluſæ. *Conſentit Necrologium ſancti Benigni Divionenſis. Utrumque Benedictum omiſit Franciſcus Auguſtinus in Chronologia Pedemontana.* Benedicti duo Cluſini abbates.

2. *De Cluſenſis abbatiæ origine & auctore non una eſt omnium ſententia. Sibi non conſtat Chronographus Malleacenſis, cum nunc anno* DCCCLXXII. Cluſenſe cœnobium ſancti Michaëlis incœptum *dicit; nunc centum poſt annis id factum commemorat, id eſt eodem tempore, quo cœnobium ſancti Michaëlis de Monte conditum eſt. Chronographi hæc verba ſunt.* Eo tempore incœptum erat aliud monaſterium de ſancto Michaële de Cluſa à ſancto Johanne epiſcopo & eremita: ubi primus abba fuit Arveus. *Johannem hunc Ravennæ epiſcopum fuiſſe ferunt. Verum alia eſt opinio Franciſci Auguſtini, qui Cluſenſis monaſterii auctorem, non Johannem epiſcopum, ſed Hugonem Marinum, præpotentem (ut ipſe loquitur)* Auvergnacum, *& Montis-Buceri dominum, qui dum Roma ad patrios lares rediret, cœnobium iſtud conſtrui, ejuſque eccleſiam ab Anucco Taurinenſi antiſtite dedicari curavit anno* DCCCCLXVI. *De auctore certum eſt ex Vita ſequentis cap.* III. *hunc fuiſſe Hugonem, qui eumdem locum apoſtolicæ Sedi commiſit, privilegiiſque decoravit: at quis qualiſve fuerit Hugo ille, Guillelmus non exprimit. Certum vero eſt, veterem hanc eſſe Cluſienſium monachorum perſuaſionem, Hugonem fundatorem ſuum Arvernum, & quidem ex genere dominorum de Monte-Buxerio fuiſſe: id quod teſtantur litteræ Abbatis ſancti Michaëlis de Cluſa, anno* MCCCCXIV. *data Ludovico Montis-Buxerii: qui* ſequens progenitorum veſtigia, & præſertim glorioſæ memoriæ domini Hugonis, *inquit Abbas,* domini quondam Montis-Buxerii, fundatoris noſtri, à cujus clara progenie per rectam lineam noſcitur traxiſſe, donavit nobis octies centum aureos. *quas litteras ex tabulario Marchionis* de Dyene *noſter Claudius Stephanotius eruit. Cetera videſis apud Franciſcum Auguſtinum. Pontius abbas Vizeliacenſis, frater Petri abbatis Cluniacenſis,* de Cluſino monaſterio aſſumtus eſt, *ut legitur in brevi Chronico Vizeliacenſi apud Labbeum tomo* II. *Bibliothecæ novæ. Modo Cluſenſis abbatia collegium eſt perpaucorum Canonicorum ſæcularium.* Monaſterii origo & auctor.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXCI. Maii XXXI.

PROLOGUS.

1. Willelmus famulorum Christi minimus Geraldo armario. Meminit bene fraternitas tua, Geralde cariſſime, quoties fratres mei quam plurimi invitaverint parvitatem meam ſuis crebris hortatibus, ut de vita & actibus Benedicti junioris, quondam abbatis noſtri, meus aliquanta percurreret calamus. Quare, inquiunt, noctes dieſque ſtertendo, commiſſa tibi pecunia ligata in ſudario, ſic marces otio? Cur pateris, ut acta Patris noſtri egregia, ſub tuis etiam oculis patrata, temporis longævitate fiant oblita? quæ non ignoramus, ſi ſcriberentur, multis profutura. Ad quos ego: Nolite, inquam, fratres mei & domini, nolite me ſic illudere. Ego ſolus novi mei quid valeant humeri, quid ferre recuſent. Novi certe vires ingenioli mei, tenues ſatis & pigras, cui utique parum ſit eloquentiæ, atque minus ſapientiæ, ſunt complures ejus alumni in Cluſino cœnobio, qui me præcellant peritia ſeu vitæ merito, quorum pervigili ſtudio hoc opus committendum non ambigo. Et tu, inquiunt, doctrinæ illius lacte, & fortium actuum ſolido cibo ab ipſo ferme pueritiæ tempore educatus, in virile jam robur evaſeras: inſtituta diſciplinæ ejus, ſicut & nos omnes, ſitibundus hauſeras. Nec te patiemur aliquatenus de iſto tanto duce noſtro, qui nos omnes collegit, aluit inſtar piæ genitricis, miſericordiæ gremio fovit, ceu mutum & penitus elinguem reticere, qui dudum veteris Benedicti hujus quoque loci abbatis ſtuduiſti geſta quædam ſtilo commendare. Age igitur, age, incipe omnimoda occaſione ſepoſita: quia etſi imperitus es ſermone, non tamen ſcientia.

2. His & hujuſcemodi excitus rationum flatibus dum in portu ſilentii & quietis ſecurus navigo, ad ſubeunda onera quæ mihi caritas de fraternis cordibus imperat, cui reluctari fas non eſt, obedientiæ humerum ſubdo. ſpero equidem ipſius obedientiæ remo cymbam noſtri operis ſic gubernari, ut tuta & illæſa tranſeat inter Scyllam & Charybdim ſæva maris pericula, evitando Circeos ac Sirenarum illices cantus aure ſurdiſſima. Tuum quoque nihilominus, ô Geralde, ſtudium appulit animum meum ad ſcribendum, qui multos annos ceu apes prudentiſſima circumvolitando loca quæque ac monaſteria, non ceſſas deflorare melleas Patrum ſententias ac volumina, unde noſtra compleas armaria, potioribus videlicet theſauris Crœſi opibus, ſeu gazis opulentis Arabum, quibus augendis incubas, & ſedulo cuſtodis quaſi cellas aromatum. Inter quos, domno Ermengaudo abbate jubente, placeat tibi hoc noſtri libelli munuſculum, licet pauperculum, admittere, quod ego in tabernaculo Domini, qui non ſpernit caprinos humilis confeſſionis pilos, ſtudui offerre, perfuſo jam vertice florida mitique canicie. Sed ne jam videar delfinum ſilvis appingere, fluctibus aprum, ad ea quæ de viro propoſuimus accingamur; quæ, tametſi abjecta videri poterunt pro dictorum inurbanitate, erunt tamen, ni fallor, accepta & cara ſuis diſcipulis, pro ipſorum factorum & materiæ notiſſima qualitate.

Contigit ex æquo nomen tibi qui Benedictus,
 Moribus impleſti nominis officium.
Tu gregis & plebis doctor bonus, ac moderator,
 Juſtitiæ limes ac pietatis eras.
Grex tibi commiſſus Patris exſequias celebravit,
 Mai poſtrema prætereunte die.

Digitized by Google

TEXTUS VITÆ IPSIUS.

CAPUT I. Benedictus Toloſanus.

3. BENEDICTUS itaque Dei famulus, patria Toloſanus, parentibus nobilitatis titulo non obſcuris fuit progenitus: quos tamen ipſe magis inſignibus ſanctæ converſationis præconiis nobilitavit; dum lucifer matutinus ac ſidus aureum noctis umbras decutiens, aſtra quæque ſuis luculentis radiis exſuperavit. Hic cum adhuc bonæ indolis eſſet parvulus, à patre, BERNARDO [a] nomine, viro bono & chriſtianiſſimo regulari norma informandus in monaſterio ſancti Hilarii [b] eſt traditus: ubi pueritiæ & adoleſcentiæ caſte & ſobrie vivendo annos exegit, intentuſque divinis, necnon & ſæcularis litteraturæ ſtudiis, ſub patris cuſtodia juvenilia corporis deſideria frangendo edomuit. Sed cum tandem idem cœnobium à regulari tramite aliquantiſper exorbitare animadverteret, timens ne forte Ordinis diſſolutio remorantem paullatim in præceps traheret, ſimulque accenſus ſpiritualis profectus deſiderio, ad Italiam venit: ubi ab Abbate monaſterii ſancti Michaëlis, quod in ipſis Italiæ faucibus ſummus vertex Pyrchiriani montis ſpecie ac religione venerandum cunctis oſtendit gentibus, benigne ſuſceptus eſt.

Fit monachus.

Cluſium ſe recipit.

4. Cœpit itaque in dies virtutum exercitio magis magiſque in Deum proficere, morum lenitate & affabilitate in amorem ſui cunctorum animos mirum in modum accendere, divinæ philoſophiæ rivulos inhianter haurire; certare cum adoleſcentibus de ſubjectione, cum juvenibus ipſe juvenis de fortitudine, cum ſenibus ipſe maturus de gravitate. Et cum forte omnes honeſtatis & utilitatis gratia anteiret, æque tamen omnibus carus, nulli invidiæ fomitem miniſtrare. Unde factum eſt, ut merito fratribus cunctis annuentibus, & Abbate jubente, ad ſacerdotium promoveretur: cujus officii dignitate ita humiliter & reverenter functus eſt, ut ſeſe indignum mentis judicio ſemper clamitans, vel poſt aliquot dies ad altare oblaturus accederet. Nonnumquam vero poſtea de prædicante didicimus, cum ſe Miſſas agere in die propoſuiſſet, exſpectabat ſi forte à Priore illud ei juberetur, indubitanter credens oblationem ſuam virtute obedientiæ apud Deum commendari, quæ Scripturæ teſtimonio holocautomatibus jure præfertur & victimis.

Fit ſacerdos.

II. Abbas electus.

5. Defuncto denique illo Abbate, & adhuc manente inſepulto, ne forte improba lues Taurinenſis Præſulis ſeſe contra Canonum & Regulæ ſancta decreta ex more interponeret, pie & unanimiter, præſente [c] AIRALDO Bremetenſi abbate, viro religionis ac ſapientiæ titulo id temporis famoſiſſimo, omnium fratrum concluſus eſt cœtus de Patris electione ſub aſpectu Archangeli ſui pii tutoris ſimpliciter acturus. Tunc lecto in Abbatis ordinatione Regulæ capitulo, & à præfato Abbate clare aperteque expoſito, alii alium, ut aſſolet, acclamare, alii alium. Quidam quidem BERTRANNUM quemdam Cumiliacenſem, qui & ſatis homo humanus, & benignus erat, plurimum quoque habens religionis zelum, & ſecundum ſcientiam. Plerique vero AICIUM Priorem monaſtici Ordinis eruditiſſimum, & diſciplinæ ſeveritate inſignem. Stabat autem Benedictus noſter de morte Patris defuncti motus, & quaſi pro ejus funere ſollicitus. Fuerat quippe illi genere propinquus, omnes ſuperiores ſibi fratres humiliter exiſtimans, nihilque minus quam de ſui promotione animo pertractans: cum ſubito vota ac judicia omnium hinc inde reducta in hunc unum conveniunt, ut ne unius quidem favor ab eo diſſentiret. Una omnium voce, una ſententia,

[a] Is mortem obiit in monaſterio Cluſino, infra, cap. 20.

[b] Hoc S. Hilarii monaſterium ſitum in urbe Carcaſſone.

[c] Simile exemplum habes in Sæculi ſuperioris pag. 781.

ANN. CH. MXCI. MAII XXXI.

quamvis clamans multumque renitens capitur, & electus ad eccleſiam cum laudibus ducitur. Hæc de ejus electione, quam puro intuitu juſtoque ordine Dei nutu acta fuerit, paucis abſolvere curavi, ut evidenter pateat lectori, vivum lapidem Dei Benedictum, & columnam veritatis tali fundamento & baſe ſui introitus innitentem, merito non potuiſſe ullis futuris tribulationum turbinibus concuti aut perturbari. Antehac enim in Italia per aliquot annos vix alicujus Prælati electio audita fuerat, cui vel regia manus, vel quælibet pernicioſa & ſæcularis ambitio non ſurriperet.

Epiſcopo Taurinenſi contradicente.

6. Non tamen tunc defuit ſolitus antiqui hoſtis livor & invidia. Cum enim hujus tam juſtæ electionis non modo Eccleſiæ filii, verum totius Italiæ Marchiones, & Duces, populique applauderent univerſi; ſolus Taurinenſis Pontifex [a] CHUNIBERTUS, qui ex bonis initiis malos eventus habuit, ſuperbiæ typo intumuit. Et cum fratres electi ſui conſecrationem ab eo poſtularent, beſtiali fremitu indignans, in hæc verba contumelioſa & blaſphemiæ plena erupit: Quis eſt ait iſte Benedictus, quibuſve ortus majoribus? Qua audacia ſeu auctoritate, vel à quibus me abſente electus? Ad hæc cum fratres Canonum ac Regulæ ſuæ auctoritatem prætendentes dicerent, hujuſmodi electionem illi non deberi, niſi forte monachi vitioſam pravamque perſonam ex conſenſu ſibi prætulerint, conſecrationem autem dumtaxat boni electi ſuam fore. tum vero ſatis ſuperque confuſa bile efferatus efferbuit, tumenſque jurgio inquit: Abſit hoc, abſit illud jus deteſtandum, ut per vos ſeu per Regulam veſtram, ut aſſeritis, iſte, mihi præſertim ignotus, introeat. Mea eſt electio, meus erit Abbas meique juris, mihi uni obtemperans, familiaris domeſticus ac ſubditus. Sicut enim accipiter dum molles urget columbas, quam ſibi voluerit, unguibus rapit; haud aliter ego repentinus inter vos exſpectantes ſuperveniens, illum qui animo tantum ſederit meo, quique mihi cordi fuerit, accipiam, & cunctis vobis præficiam. Nonne his tibi pauciſſimis & ſeſquipedalibus verbis dixiſſe videtur, Per me Abbas intrabit, non per Chriſtum? Aliunde aſcendet ſicut fur & latro, ut mactet & perdat, non per oſtium. O ſimilitudinem argutam, & Epiſcopo dignam! Inſaniſti tunc impos mentis tuæ, Chuniberte epiſcope, talia fando, inſaniſti re vera tali cothurno. Apparuit his dictis qua pollebas, immo qua ampullabaris, tua craſſa pinguiſve minerva. Cum enim tuam ingluviem ſpecie & nomine accipitris figuraſti, ſimplicium te inſectatorem, inſontumque raptorem tali forma depinxiſti. Patet igitur luce clarius, quod non aperuerit tibi oſtium veritatis Oſtiarius, qui & Spiritus-ſanctus, & ideo compreſſus defluxit tumidus prudentiæ tuæ faſtus. quod ſermo declarabit ſubjectus.

III. Romam appellat.

7. Servus itaque domini Benedictus, cognita Epiſcopi vecordia & exactione irrationabili ac duriſſima, primo quidem tanto furori locum dare deliteſcendo, & honorem declinando decreverat humilitatis gratia: ſed iterum atque iterum à fratribus, ut conſtanter ageret, & ex adverſo aſcendens murum pro domo Iſraël opponeret, neve irruenti lupo ac diabolo cederet, utque ſui miſereretur admonitus, tandem diu multumque ab illis fatigatus, & virtute conſtantiæ & obedientiæ animatus viriliter ſtetit, & quemdam fratrem, BOSONEM nomine, qui Sedem apoſtolicam appellet, Taurinum mittit. Qui juſſa perficiens, vix inter lapides, & furentis populi fuſtes vivus evaſit. Tunc Benedictus paucis ſecum aſſumtis fratribus Romam contendit. quem Epiſcopus cum ſuo quodam exercitu pro viribus perſecuturus ſubſequitur.

[a] Durius quidem in Chunibertum auctor loqui videtur: ſed ipſa Chuniberti agendi ratio in aliis non parum cenſuræ meretur, ut qui permittebat, ut clerici eccleſiæ ſuæ, cujuſcumque *Ordinis, velut jure matrimonii confœderarentur uxoribus*. quod ipſi improperat Petrus Damiani in epiſtola ad eum ſcripta: & qui à Nicolao papa excommunicatus fuit, quod in conventu Mediolanenſi cum aliis quibuſdam epiſcopis conceſſit clericis facultatem habendi uxores. Vide infra capp. 8. & 11.

Digitized by Google

8. Quid plura? fit conventus ſacrorum Pontificum & Cardinalium ante domnum ALEXANDRUM, tunc temporis Pontificem Romanum, atque GREGORIUM archidiaconum, poſtea Apoſtolicum. Replicat Epiſcopus prædicta ſuperbiæ verba; magis rhetorica facundia fretus, quam veritatis cauſa ſubnixus. Ad cujus orationem ſacer Præſulum cœtus, maximeque archidiaconus Gregorius, vehementer admiratus ſic fatur: Quid eſt, Epiſcope, quod loqueris? Ubi eſt ſapientia tua? Tuumne dicis Abbatem, tuique ſolius fore juris? Qua auctoritate quæſo, aut qua ratione tuum aſſeris? Num poſſeſſio tua aut ſervus tuus eſt? Itane ſacri Canones animo exciderunt tuo? An putas nos ignorare illius loci tutelam ad Romanæ eccleſiæ ſedem ſolummodo pertinere? fundator nimirum ipſius monaſterii, HUGO nomine, ejuſdem loci curam beato Petro apoſtolo ejuſque Vicariis in æternum commiſit, & apoſtolicis privilegiis locus inde muniri promeruit. Ipſe quoque pius papa Alexander, cognita Epiſcopi injuſtitia, ſic eum mitis alloquitur: Eſto pacificus, fili Chuniberte, eſto benignus. Compeſce mentem. turbatus eſt enim præ furore oculus tuus. Revoca animum ab indignatione, quam non decet aliquatenus reſidere in ſacerdotis pectore. Injuſtum certe nobis videtur & intolerabile, locum illum noſtro tantum commiſſum præſidio ac ditioni, quamvis tuæ ſit diœceſis, tam inique vexari. Quapropter monemus, ut Abbati jure ac regulariter electo paternum animum & affectum, ut te decet, exhibeas, atque conſecrationem benigne impertias. Quod cum ſe facere nulla ratione, niſi alteri à ſe electo, durus aſſereret, contemta ejus protervia, ne longum faciam, ex ſententia & judicio totius venerandi cœtus qui aderat, Benedictus noſter ab ipſo Romano Pontifice benedicitur & conſecratur. Epiſcopo vero interminando imperatur, ut nullam deinceps Abbati ſeu rebus monaſterii moleſtiam inferre audeat, nihil niſi quod canonicum & regulare eſt inde ulterius exigat, niſi forte ab Ordinis ſui ſtatu periclitari non timeat. Qui malignæ ſuæ mentis callidus diſſimulator, benigne quidem tunc reſpondit prout pater, illaturus plurima adverſa, quæ in ſuo verſabat pectore; quæ nos ad Benedicti cumulum patientiæ in rerum quandoque ponemus ſerie.

ANN. CHR. MXCI. MAII XXXII.

Ab Alexandro II. benedicitur.

9. Paſtoris igitur ſuſcepto regimine, quanta vigilantia illud adminiſtraverit, quam ſancte & religioſe quæ juſta ſunt faciendo & docendo vixerit, quamvis noſtræ facultatis non ſit evolvere, aliquo tamen pro modulo noſtræ ſcientiæ amodo referre tentabimus, ſicut audivimus & vidimus in civitate Dei noſtri, in monte ſancto ejus. Primum itaque cum cognoviſſet quam plurimos congregationis fratres quibuſdam novellis uſibus & Regulæ contrariis gaudere inſtitutionibus; ut ſupra firmam Petram ædificaret, niſus eſt hanc arenam poſtmodum nocituram eruere, & agrum his ſentibus expurgare. Noſtis, inquit, Fratres & filii mei amantiſſimi, quomodo ſermo divinus eos increpet, qui humanas adinventiones divinis præferunt mandatis ac judiciis. Unde canit propheta Pſalmographus: Et irritaverunt Deum in adinventionibus ſuis, & ideo multiplicata eſt in eis ruina: & ulciſcens erat in omnes adinventiones eorum. Ipſe quoque Dominus in Evangelio: Væ vobis, ait, Phariſæi, qui dereliquiſtis mandata Dei propter traditiones veſtras; & Paulus: Qui deſerentes juſtitiam Dei, & ſuam volentes ſtatuere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti. itemque Scriptura: Sine cauſa, ait, colunt me mandatis & doctrinis hominum. Quamobrem hortor fraternitatem veſtram, ut poſtpoſitis quibuſdam ſuperſtitionibus & humanis inſtitutis, quæ ad rem non pertinent, & à vera religione abhorrent, Regulæ ſancti patris noſtri BENEDICTI ſtudiis, in qua omnis evangelica & apoſtolica perfectio conſtat, animum ad purum intendatis. Neque enim ego à Romano Pontifice conſecratore meo aliud niſi eamdem Regulam, quam prædicarem ſuſcepi in manibus; nec mihi præceptum memini, ut

IV. Ritus alienos rejicit.

Pſal. 105. 29.

Matth. 3. 6.

Rom. 10. 3.

Iſai. 29. 13.

Regulam inculcat.

Ann. Ch. MXCI. Maii XXXI.

» diverſos docerem & ſectarer monaſteriorum uſus. In eadem quoque Re-
» gula audio mihi eumdem Patrem & ducem intonantem, & quodammodo
» inculcantem, & præcipue ut præſentem Regulam in omnibus conſervem.
» Et alibi quaſi comminando infert: In omnibus igitur magiſtram ſequantur
» Regulam, neque ab ea temere declinetur à quoquam. Nam ſi quid vide-
» tur in Regula deeſſe, aut minus dictum, unicuique Abbati jubetur tempe-
» rando complendum atque ordinandum, cum ab eo dicitur: Nos autem
» providemus propter pacis caritatiſque cuſtodiam, in Abbatis pendere arbi-
» trio ordinationem monaſterii ſui. quod etiam facile eſt in pleriſque ejuſ-
» dem Regulæ capitulis animadvertere. Non eſt ergo neceſſe in ſcribendis
» multorum monaſteriorum conſuetudinibus, Regula quam quiſque profeſſus
» eſt neglecta, multum inſudare. De hac quippe ſcriptum poteſt intelligi:
» Hæc via, ambulate in ea. Non declinetis ab ea, neque ad dexteram, ne-
» que ad ſiniſtram.

S. Benedicti Regula c. 64. Id. c. 3. Id. c. 65.

Adverſantes in Prioratus ablegat.

10. Dixit, & à quibuſdam ipſi Regulæ adjectis & quaſi ſuperfluis, in victu videlicet & veſtitu, ac lectis, abſtinendum & parcius agendum mandavit. Quæ cum quibuſdam dura & importabilia viderentur, eo quod in mente veteri cogerentur nova meditari, non tamen eos omnimodo aſpernatus eſt: ſed paucis, quibus iſta obſervanda placebant ſecum retentis, reliquos in Cellis eſſe præcepit. Opinatus nempe eſt eos aliquando reſipiſcere & ſalutaribus inſtitutis diuturnitate conſilii aſſuefieri. Ipſis autem in noxio tepore perſeverantibus, & quod prius tantum didicerant ſacroſanctum judicantibus, dum ſeſe, invitati ad cœnam Dominicam, quodammodo conantur excuſare, ſtatuit quoſlibet divites ſeu pauperes colligere, maximeque pueros nobilium filios enutrire, ut jacturam legionis quodammodo diminutæ, ceu bonus dux, novo milite inſtauraret, & novello recentique juvenum examine inventum ovium numerum non modo ſupplendo redintegraret, verum etiam augendo multiplicaret. Iis denique informandis, & ad meliora provehendis ſedulus inſtabat prædicando, legendo & orando, opus quodlibet, ne per otium torperent, exercendo, dignas boni paſtoris excubias gregi ſuo exhibens. Duodecim præſertim gradus humilitatis ut unuſquiſque memoriæ commendaret perſuadebat, dicens ibidem virtutum ſummam conſtare, unde quis facile queat ad celſitudinem cæleſtem ſcandere. Sancti Serapionis collationem de octo vitiis principalibus ſingulos ſcriptam habere & imitari cogebat.

Novos tirones ut informat.

Erga confitentes ut ſe gerit.

11. Confitenti aliquod facinus tanto affectu & non ſine fletu condeſcendebat, ac ſi ipſe ejuſdem criminis particeps eſſet: cui ſtatim pro Canonum auctoritate pœnitentiæ legem indicebat. Nec multo poſt, ſi compunctum, ſi humilem & quietum, & verbera Domini trementem explorando animadverteret; temperata & indulta cenſura Canonum, ſacris altaribus reconciliabat, ita tamen, ut memor ſui delicti numquam plangendo flere deſiſteret. Vidimus fratrem fragilem, & peracta pœnitentia labilem & pronum in crimine, quem ut animam ſuam pro ove poneret, in eccleſiam beati Benedicti, quæ ſecretior eſt, ſecum duxit, ibique aliquot diebus cum eo pariter contentus pane & aqua jejunando, Pſalterium devote non ſine fletibus, & per ſingulos verſus invicem flagris affectus complevit, oblationemque pro peccatis illius demum obtulit, & ſic per Dei gratiam fratri non ſolum delicti præteriti indulgentiam obtinuit, ſed (quod ſatius eſt) affectum & voluntatem peccandi ademit. Exceſſus ipſe ſuos fratribus ſpiritualibus, aut bene notis ſibi Epiſcopis ac Sacerdotibus Romam pergentibus, frequentiſſime humi proſtratus confitebatur; & eorum judicio eleemoſynarum largitionibus diluebat, cum ipſe proprio corpuſculo creberrime duris loris ac nodoſis uſque ad ſanguinem non parceret.

Quo modo ipſe delicta ſua expiaret.

12. Tribus per annum Quadrageſimis * totum corpus uſque ad pedes cili-

** mſ. quadrinis.*

Exercitia ejuſdem.

cio ambibat, jejuniis edomabat. Veſtitus omni tempore cuculla & tunica & duro cingulo ſupercincta, velut in acie poſitus, nocte dormiebat. Corporis infirmitatibus magis orationum ac jejuniorum antidoto, quam carnalis medicinæ aliquo medebatur electuario, ducens indignum cujuſquam corpus Gallieni obſervare catarticum, quod Sacramentorum potius decet eſſe vaſculum. Sanguine vero minutus lectione aſſidua carere non poterat. Peculiaribus orationibus ita operam dabat, ut raro umquam poſt matutinos, vel etiam in æſtate, quando ocellis gratus ſopor ſolet irrepere, quieti indulgeret; ſed omnia oratorii circuiens altaria, quæſitum nocturnis vigiliis mentis vigorem ac puritatem ſtudebat cuſtodire & augere, ſpiritu canens in matutino interficiebat omnes peccatores terræ. Poſt completorium vero diu ſolebat orare & legere dicendo: Si dedero ſomnum oculis meis & palpebris meis dormitationem, donec inveniam locum Domino. Cum adhuc eſſem imberbis, & adoleſcens ſequerer ejus cum lucerna veſtigia; laborem tantum orationum ac vigiliarum ejus propter infirmam ætatem ferre nequibam. Illum tamen indefeſſos ſingultus, & ſuſpiria imo latere petita, emittere audiebam. Quis umquam ſenum aut juvenum tam fervens fuit atque robuſtus in religione, quem ſi ſecum aliquamdiu duceret, quodammodo victum & exhauſtum ſuo ſpirituali exercitio non redderet? Oratoria monaſterii, & neceſſaria quæque fratribus habitacula ædificare & amplificare decreverat. Ad quod opus frequentiſſime, ſequente fratrum & juvenum caterva, cum ſilentio pſallendo incurvo dorſo non ſine ſudore lapides & cæmenta ferebat. Nemo aliquando Ducum aut militum tantum gloriatus eſt in ſpecioſis armis & fortibus equis, quantum ipſe gaudebat librorum copia, immortalibus utpote animæ theſauris. quibus ſcribendis & emendandis inſtabat laboribus inexhauſtis & aſſiduis. Balneis, niſi ſuperfundendo, non eſt lotus, carne & adipe, caſeo & ovis non eſt uſus; quamvis ipſius carnis edulium concederet, & ipſemet propriis manibus præpararet, & incideret debilibus. Quotidianam in cibis frugalitatem hujuſmodi omni tempore inconcuſſam tenere ſtuduit, ut vilibus & minus eſculentioribus atque inſulſis cibis refectus ſatietatem uſquequaque caveret; vinum forte & auſterum quaſi venenum fugeret. Benignus & humillimus erat ſubditis & obedientibus, terribilis ac velut fulgur apparebat ſuperbis & reſiſtentibus. ANN. CH. MXCI. MAII XXXI.

13. Memini certe, nec umquam aliqua dies hanc memoriam meo eximet animo, quam benignus mihimet more pii patris occurrit revertenti ac miſerrimo filio, & me fugitivum & inutilem ſervum, prodigumque filium & famelicum ſtola veſtiri, atque calceamentis pedes muniri juſſit. Nec me inter mercenarios paſſus haberi, in numerum filiorum qui ſecum ſemper fuerant, quamvis immeritum, ſemper adſcivit, & vituli ſaginati epulis & gaudiis non diſcrevit. Unde non immerito illi ingens à me debetur gratia; & optavi, ſemperque optabo, ut ejus anima ſedibus ſublimata æthereis, nectarea ſuavitate & regni potiatur auctoritate, ubi me ſuis ſanctis meritis impetret ſibi ſociari perenni tempore. Auctor ab eo benigne acceptus.

14. In celebrandis vero ſollemnitatibus, quam feſtinum ſe ac ſtrenuum, ac ſpirituali gaudio alacrem vel hilarem oſtendebat, quis digne referre ſufficiat? Pridie quidem in vigiliis illorum admodum ſibi in cibo & potu parcus erat, dicens primum ſanctis Martyribus eſſe compatiendum, cum quibus poſtmodum ſemper ſit lætandum. Exin modico ſomno indulgebat, & maturius ceteris à lectulo ſurgens, in oratione aliquantiſper pernoctabat. Tunc denuo cum fratribus laudum officia ita ſtrenue perſolvebat, ut inter Angelos poſitus divinæ majeſtati crederetur adſtare. Videres illum ad pſallendum & canendum ſua liquida & clara voce reliquos excitare, ne quis eorum ſomno marceret, ſedilia cum lucerna circuire; delectos & hu- V. Feſta ut celebrat.

Digitized by Google

ANN. CH. MXCI. MAII XXXI.

miles cantores, quibus vox eſſet modulatior ad canendum, & ad legendum doctiores præponere, adeo ut chorus eo præſente non egeret alio duce ſeu præcentore. Egomet hiſce oculis notavi, cum peracuta & altiſona voce in proceſſionibus cantando jubilaret, lacrymas per ejus ora fluere; quod paucis, & niſi ſpiritualibus reor poſſe contingere. Obſervabat autem lectiones terminando, proceſſioneſque protrahendo, ut ad diem uſque divinum opus procederet, ne quid poſt matutinos ad lectum revertentibus invida hoſtis fraus ſurriperet, quod caſtitatis floſculos ſuave olentes adureret; & ita ſollemne gaudium fœdando à ſacra communione abſterreret.

Somnum poſt matutinos non probat.

15. Jam vero in Capitulo, quæque erant dicenda in craſtinum differendo, non permittebat fratres vacare multiloquio: ſed peracto puro & hortatorio ſermone de Evangelio, & mentibus auditorum ſufficienter impreſſo, monebat ut pariter ſecum ante ſanctam Crucem ſeſe cuncti proſternerent, & indulgentiam ſibi interventu ſancti feſti, quod agebatur, à Deo attentius poſtularent. Quod unanimiter & cum lacrymoſis ſuſpiriis illis adimplentibus, primus ipſe ſurgebat, & abſolvendo eos, quantum poterat, ut ad Miſſas agendas devote & humiliter præpararentur, & ſacroſanctæ reverenter Euchariſtiæ participarent, hortabatur: Sacerdotum autem nullus ante communem oblationem, ut privatam Miſſam ageret, à choro ſecederet: ſed uno eodemque tempore in conſpectum ſummi Dei oblaturi in odorem ſuavitatis accederent. Eleemoſynario quoque pauperes omnes & hoſpites largius ſolito ea die recreare imperabat, cum ipſemet nihilominus inter ipſa Miſſarum ſollemnia gregi pauperum ad ſe confluenti pecuniæ largiretur munera. Itaque omnibus exſtructis & ordinatis ex ſententia, qualiter & quam reverendiſſime ad ſancti Archangeli Michaëlis venerandum altare, cui non puto in orbe reperiri ſimile, procedebat & adſtabat cum electo miniſtrorum ordine, cujus quantumlibet diſerti eloquentia valeat exprimere? Ego nimirum (liceat concedere veris) obſtupefactus in hac parte deficio. Sed ne reatum incurram, ſi de tanta re penitus ſiluero, non totum, prout vidi & ſentio, ſed utcumque quod poſſum, eloquor. Cum enim divina tremebundus ageret myſteria, & in modum crucis ex more tentis brachiis & in cælum defixis ſtaret obtutibus, perfuſus lacrymis ipſam Divinitatem videbatur contemplari vicinius: & totus ardens amore, imis funditus concuſſis viſceribus, inter Angelos mente tranſlatus, ſi fas eſt dici, non jam homo credi poterat, ſed ſpiritus, & (ut pace ſanctorum dicam) quodammodo alter Angelus. Ita verus Dei miniſter ſemetipſum totum per cordis contritionem Deo incendebat in holocauſtum, ipſe ara, ipſe ſacerdos erat & ſacrificium. Recolebat ſiquidem ſæpenumero quod ait beatus Gregorius de hoc tanto myſterio: Penſemus quale ſit pro nobis hoc ſacrificium, quod pro abſolutione noſtra paſſionem unigeniti Filii Dei ſemper imitatur. Quis enim fidelium habere dubium poſſit in ipſa immolationis hora ad ſacerdotis vocem cælos aperiri, in illo Jeſu-Chriſti myſterio Angelorum choros adeſſe, ſummis ima ſociari, terrena cæleſtibus jungi, unum quid ex viſibilibus atque inviſibilibus fieri? Sed neceſſe eſt, ut cum hæc agimus noſmetipſos Deo in cordis contritione mactemus: quia qui paſſionis Dominicæ myſteria celebramus, debemus imitari quod agimus. Tunc ergo vere pro nobis Deo hoſtia erit, cum nos ipſos hoſtiam fecerit. Et fidenter dico, quia ſalutari hoſtia poſt mortem non indigebimus, ſi ante Deo hoſtia ipſi fuerimus. Benedictus ergo quibus Dominici corporis portionem tradebat, vultus eorum & mentes, prout erat poſſibile, inſpiciebat: & ſi quos minime compunctos, aut indignos animadvertebat, à ſacramenti participio continuo arcebat. Quis denique potens, aut ſæcularis quælibet perſona, feſto die virum Deo deditum & lectioni vacantem, niſi grande & inevitabile urgeret negotium, extrahere à clauſtris poterat?

De Miſſis & communione quid ſtatuerit.

Greg. Dialog. lib. 4. c. 58. & 59.

16. In

16. In hunc igitur modum ſollemnes dies, ac potiſſimum ipſius Domini, & intemeratæ Genitricis ejus feſta colebat, quamvis in profeſtis ac quotidianis diebus à Miſſarum celebratione ceſſare minime noverat. Dominicæ quoque Annuntiationis, Nativitatis, Circumciſionis, Apparitionis, in templum Præſentationis, parentibus exhibitæ ſubjectionis, baptiſmi, jejunii, ſanctæ tentationis, & angelicæ miniſtrationis, necnon & prædicationis ac miraculorum, Transfigurationis itidem, Paſſionis & mortis, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Advocationiſque & ſecundum aſſumptam totius noſtræ ſalutiferæ diſpenſationis memoriam quotidie pura devotione recolebat, & quinquaginta pſalmos inter iſta apte partiendo cum antiphonis congruis & collectis intercinebat. ANN. CHR. MXCI. MAII XXXI.

17. De hoſpitalitate autem illius plurima dicere ſupervacaneum duximus, cujus re atque experientia ita factus eſt inclytus, ut ſingularem palmam illius ſuis obtineret temporibus, fieretque per eam cunctis in Romano fere orbe degentibus celebris ac notiſſimus. Nam, quoniam hilarem datorem diligit Deus, multam animi ac vultus in adventu hoſpitum alacritatem præferebat; & tunc permaxime divinitus ſeſe viſitari & quodammodo beatificari crederet, quoties non unus tantum hoſpes, ſed multi ſimul ſupervenisſent. Hanc itaque tam liberalem humanitatis gratiam cum nullis cujuſlibet generis hominibus denegaret, domeſticis fidei præſertim ac peregrinis, ſicut præcipitur, ſpeciali & humillimo affectu, ſicut ipſi Chriſto, cum omni reverentia deſerviebat: quorum frequenter multitudo, quoniam locus in Romano itinere eſt poſitus, oppido feſſa & laſſabunda ad eum confluebat. His nimirum quotquot erant Epiſcopi ſeu Cardinales Romani, Canonici quoque, Abbates, & monachi, poſtquam de more cum fratribus omni officio caritatis occurriſſet, præparata habitacula & tapetibus ſufficienter ſtrata ſingulis apte diſtribuebat, & miniſtros lectos ac ſtrenuos, qui ad nutum ſemper adſtando ſervirent, illis deputabat. Ipſe vero velut ſuccinctus hoſpes, huc illucque curſitando, tempore prandii omnium manibus aquam infundere feſtinat. Dehinc pulmentaria, prout cujuſque propoſitum eſt, copioſe adminiſtrari jubet. Ipſe, ne cui aliquid deſit, miniſtros hortatur, ac circuiendo providet omnia, cupiens varia, ut dicitur, faſtidia vincere cœna. Procurat etiam ne turpe toral, ne ſordida mappa corruget nares. Splendeat ut focus, ſcyphorum, lancis, & cantari eſſet munda ſupellex. Poſtremo qui pridem ſibi aſper erat & parcus, participando menſæ hoſpitum benigne ſolvebat hoſpitis animum, & præſente ſponſo, ineptum putabat & injuſtum ſervare ſolitum rigorem jejuniorum; poſt eorum diſceſſum recompenſans in diſtrictione continentiæ, quicquid minus ſolito ipſorum cauſa fuerat actitatum, ſecundum quod ſcriptum eſt: Non poſſunt jejunare filii ſponſi quamdiu cum illis eſt ſponſus: venient autem dies, quando auferetur ab eis ſponſus & tunc jejunabunt. Inter epulas ipſas, amoto procul omni ſtrepitu, aut lectio ſola reſonare, aut, ut lætum ageret convivam, jocundum de rebus ſpiritualibus colloquium fieri. Quid plura? Large illis per omnia ſuppeditando indigentia, credere ſe reficere Chriſtum, ſecundum illud propheticum: Hæc requies mea, reficite laſſum.

VI. Hoſpites excipit ut Chriſtum.

Marci 2. 19.

Iſai. 28. 12.

18. Enimvero videntur quidam implere caritatis officium ſerviendo hoſpitibus per biduum aut triduum; Benedictus cum eos ſecum haberet per aliquot menſes ſeu tempus annuum, quin (ut verum fatear) biennium vel triennium, exhibendo tam ipſis quam equis eorum ac famulis ad uſum quæque erant neceſſaria, non mutabatur nec minuebatur erga eos prior benevolentia: ſed inconcuſſum & eumdem gerens animum, qualem caritatis affectum monſtraverat in primordio, talem & ferventiorem gerebat in extremo. Et ne tantum videretur illis prodeſſe in alimentis, quoſdam veſtibus valde bonis, quaſi ſuis uſibus præparatis, veſtire, quibuſdam equos do-

Digitized by Google

ANN. CH. MXCI. MAII XXXI. nare, aliorum loculos nummis implere; nonnullis vero, qui omnibus his carebant, aut ſuis rebus nudati, deprædatique in itinere fuerant, hæc omnia ſimul largiebatur; & ita denuo læti ac Deum benedicentes, atque ejus famulo grates agentes, domum regrediebantur. Debiles quoque & diutinis per viam languoribus affecti enitebantur, quantum poterant, ut ad monaſterium pertingerent quantocius, quod certi erant eſſe quaſi aſylum ac commune receptaculum omnium miſerorum. Quos pater ſanctus benignius refocillabat, corpuſque eorum, plurima valitudine attenuatum, delicatioribus cibis atque uſu balneorum uſque recreabat, donec ad priſtinum incolumitatis ſtatum eos reduceret; & ſic eos ſuo viatico & benedictione ſuffultos dimitteret, præcipue illos, à quibus præſentis ſæculi retributionem nullam ſperaret.

19. Præſens aderam cum frater quidam, cujus nomen prudens prætereo, ante patrem Benedictum venit, & maligno mentis ſuæ ſpiritu inflatus ſuper hoſpitum frequentia, eo quod viderentur ſibi monaſterii bona quæque abſumere, ita audacter apud eum conqueſtus eſt: Quid eſt hoc quod vos agitis? quam ob rem omnium rerum noſtrarum copiam ignotis & advenis tam affluenter ac per multa tempora dilapidando diſpergitis? Æquumne vobis videtur & integrum, ut ipſis optime ac ſplendide epulantibus, nos per rerum utendarum inopiam deficientes ceu famelici eſuriamus? Sicut à veridicis certe accepimus, & ipſi experimento probavimus, non habent aliorum monaſteriorum Abbates hujuſcemodi uſus: ſed ſi quis ad eos veſpertinus hoſpes advenerit, aut diſcedit in craſtinum, aut, ut multum, forte moratur per biduum. Vos autem nil credendo hoſpitibus actum, cum quid ſuperſit agendum, quicquid undecumque corradere poteſtis, eiſdem nimis prono favore ſemper largiri non ceſſatis. Cumque talia verba neſciens ac puſillanimis murmuratione turgidus diffidenter evomeret; vir bonus, ut erat mitis atque placidus, ad ſingula ejus mordacia dicta nihil aliud quam illam Apoſtoli auctoritatem ſtuduit opponere: Hoſpitales invicem ſine murmuratione. Unde contigit, ut tam ſancti Apoſtoli auctoritate, quam patientiæ ipſius lenitate frater devictus, numquam deinceps proriperet in tantos diffidentiæ vel impatientiæ auſus. *1. Pet. 4. 9.*

VII. 20. Præſcriptis itaque pietatis & miſericordiæ operibus, quorum odore ubique flagrabat, ſicut ager plenus cui benedixit Dominus; dilectus factus eſt Deo & hominibus: adeo ut beatæ memoriæ Papa GREGORIUS, ſanctorum Canonum ſuſcitator & cuſtos integerrimus, qui pro legis Dei veritate ab HENRICO perfido rege & ſimoniaco, & GUIBERTO hæreſiarcha apoſtolicæ ſedis invaſore innumeros perpeſſus eſt perſecutionum impetus, ſuis eum ſic attolleret ac foveret litterarum conſolationibus. Viſcera ſanctorum requieverunt per te, frater. Hæc de ejus hoſpitalitate dicta ſufficiant. nunc de pauperum cura & eleemoſynis ejus paucis agamus, cujus tam vehemens illi erat ſtudium, ut cum nefas putaret, ſi penes ſe alterius pecuniæ aliquid in loculis haberet reconditum, ferebat tamen ſuper ſe ſemper eleemoſynæ cenſum, ne quando vacuus ab eo redire poſſet aliquis pauperum. Et quamvis à ſuo monaſterio, ut alter Martinus, facile erui non poſſet; ſi quando tamen exſiſtentibus cauſis de monte deſcenderet, eleemoſyna, ſicut ſcriptum eſt, quocumque ibat in manu illius ſudabat: quatenus ejus aſſidua largitione quotidianos mundaret exceſſus, qui frequenter ſolent irrepere curis familiaris rei ac negotiis ſæcularibus. Jam vero extra monaſterium poſitus, tutelam & curam viduarum, pupillorumque & orphanorum, qui ſuæ eccleſiæ juris erant, ad ſe potiſſimum pertinere aïebat; & ne alicujus violentia opprimerentur, anxie providebat. Vidimus ſæpe cum inter judices compelleretur ſedere, ipſique cauſidici linguas acuerent litibus, tacitum finem rei exſpectantem, & librum, quo

Digitized by Google

carere non poterat, præ manibus habentem, lectioni magis operam dare, donec in placiti exitu neceſſario aliquid decerneret aut determinaret. Quis mortalium in ejus præſentia nugari, aut inepte ludere diſcinctus ut nepos præſumeret, excuſſo riſu diſſolutus aut turpi ſcurrilitate? Adeo integritas & ſeveritas animi in ejus venuſto, & gratia pleno vultu, ſignis decentibus erumpendo apparebat, & formoſæ egregiæque perſonæ ſpecioſa proceritas imperioſe ſemper & ubique eminebat, ut aſpicientium oculos ad honeſtatis reverentiam & Dei cultum non ſolum invitaret, ſed etiam traheret. Ann. Ch. MXCI. Maii XXXI.

21. Fratres autem qui in Cellis monaſterii longius degebant, & quorum illi cura erat maxima, viſitaturus, in primis ſummopere providebat tantam librorum copiam ſecum deferre, quæ uſque ad reditum ſufficere poſſet ſibi comitibuſque ad paſtum animæ. Poſitus vero in itinere, per aliquot horas, priuſquam ab hoſpitio exiret, cum ſuis lectioni vacare. Ad quod ſi forte ſæcularium tumultus officeret, in pomeriis domus ſeu vineis locum amicum quieti ſeligere, præſtolantibus ceteris, conſilii agendi vel cujuſlibet rei occaſione. At ubi cum ventum erat ad loca, quorum gratia exierat, fratrum vitam & actiones, ſecundum Prophetam, fodiendo parietem inquirere & ſubtiliſſime examinare ſatagebat, & inſtructionem correctionemque neceſſariam ſubminiſtrare. Clauſtra ſeu ceteras regulares officinas facere eos compellebat, quibuſdam pauperioribus adhoc opus ſumtus præbendo, ſeipſum pauperare voluit, aut per ſe ædificando moratus eſt, quoad illud opere complevit. Hortabatur magnopere, ne bini tantum aut terni, aut certe ſinguli manentes more Sarabaitarum vellent vivere: ſed ſemper hujuſmodi, ſi fieri poſſet, numerum excedentes, & ad monaſterium ſeu ad Cellas, in quibus majori ordo ſervabatur diligentia, crebro recurrentes animarum ſuarum ſaluti ſollicite conſulerent. Obteſtabatur per Chriſtum, ne ſimoniaca aliquatenus hæreſi polluerentur, ſummaque deteſtatione eos abhorrebat, qui pro decimis, vel eccleſiis adipiſcendis, ſicut moris eſſe ſolebat quibuſdam monachis, vel unius oboli pretium largiretur. VIII. Prioratus ut viſitat.

22. Cum autem cauſis aliquando emergentibus, ultra promiſſum ſtatutumque temporis terminum moraretur, ſic eum fratrum fidelibus citus deſideriis ac votis revocabat conventus: O pie Paſtor & Patrum maxime, jam nimium abes, maturum reditum pollicitus, jam nimis ingrata tuæ ſanctitatis abſentia noſtra plena tuæ dilectionis ſollicitat pectora. Quos ipſe Apoſtoli dicto ſic noverat refovere: Si qua conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium caritatis, ſi qua ſocietas ſpiritus, ſi qua viſcera miſerationis, implete gaudium meum, ut idem ſapiatis, eamdem caritatem habentes, unanimes, idipſum ſentientes. Itaque, cariſſimi mei, ſicut ſemper obeditis, non ut in præſentia mei tantum, ſed multo magis nunc in abſentia mea, cum metu & tremore veſtram ipſorum ſalutem operamini. Jam vero in reditu, cum adventus illius fama fratrum aures percelleret, quanto gaudio omnium corda hilareſcebant, teſtabantur lacrymæ fuſæ præ nimia exſultatione. Abſens à ſuis deſideratus. *Philip. 2.

23. Taceo de pauperibus, quorum multitudine adeo tunc denſabantur montis anfractus, ut vix per eos fieret tranſitus. Hi ergo, audito nomine ejus, ingenti tripudio hujuſmodi dabant voces ad cælum cum lacrymis & plauſibus: Advenis tandem, pater deſiderabilis, advenis. Jam reddis lucem patriæ, unicum ſolamen dulceque præſidium, & ſpes tuis orphanis, contractis atque viduis. Alii quoque applaudentes ſuccinebant: O utinam, pater optime, & rerum tutela noſtrarum, tibi longæva vita donetur divinitus, quo tuis alamur eleemoſynis multis temporibus! Tunc illo per montis clivos aſcendente, alii prodeuntes de ſuis tuguriis ac mapalibus, alii infirmi ſuis latentes in antris ſeu cubilibus, nonnulli orphani ſive pupilli Item à pauperibus.

Digitized by Google

ANN. CH. MXCI. MAII XXXI.

præeuntes ac ſubſequentes, velut alter Chriſti exercitus ſuo duci, omnes triumphali voce concinebant: Benedictus qui venit pater Benedictus. At ille pſallens & incedens nonnumquam pedibus diſcalceatis, ceu bonus opilio, prudenter diſcernens vultum proprii gregis, per ſeipſum largiori manu dabat cunctis egenis, maxime curam gerens ſuper cæcis, debilibus, atque contractis. Hæc, quoties aſcendebat, operari non negligebat, ut maculas curæ familiaris dilueret Domini præcepto dicentis: Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. *Luc. 11. 41.*

Miraculis hæc præſtare.

24. Forte aliquis mihi ſuccenſeat, & hoc quod texo opus, quaſi vile ac ſterile nulliuſque momenti, eo quod ſigna atque miracula nulla complectatur, pronuntiet: non intelligens quemlibet ſanctorum magis vera virtute animi, & optimis moribus metiendum, quam miraculis, quæ bonis atque malis communia eſſe poſſunt, prædicandum. Sed immerito. Hæc enim quæ de Dei famulo retulimus, ſanctitatem efficiunt, illa tantum loquuntur: iſta legentibus ædificationem, illa plerumque ſolam admirationem reddunt. Eſt quoque ſatius magnæque virtutis documentum præſtantius, vitia & pravæ delectationis fomenta quemque ab animo pellere; & ſic bajulando quotidie crucem, quodammodo ſemper martyrem eſſe, quam immundorum ſpirituum catervas ab hominibus eijcere, quod etiam multos pſeudo non ignoramus poſſe patrare; & in aliena carne morbos diverſique generis febrium cohortes exſtinguere, quod per herbarum etiam vires & medicinæ antidota fieri liquet eſſe poſſibile. Timeat autem miraculorum appetitor & amator, quod in Evangelio ſuis calumniatoribus exprobrat Salvator: Generatio mala & adultera ſignum quærit. Idemque diſcipulis ſuper miraculorum effectu gloriantibus ac dicentibus, Domine, etiam dæmonia ſubijciuntur nobis in nomine tuo, ait: Nolite gloriari, quia dæmonia vobis ſubijciuntur: ſed gaudete potius & exſultate, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis. Quod autem divina miracula ceſſare quorumdam aliquando peccatorum enormitas faciat, exinde perpendimus, quod eadem Domino noſtro, cum ſit re vera omnipotens, impotentia quædam adſcribatur, cum de eo ab Evangeliſta dicitur: Et non poterat ibi, id eſt Capharnaum, aliqua facere miracula propter incredulitatem illorum. Et beatus Papa Gregorius in ſuo Dialogo: "Plerique, inquit, hodie ſigna non faciunt, & tamen ſigna "facientibus diſpares non ſunt. Item ipſe in quadam homelia: Signa hæc in "exordio Eccleſiæ neceſſaria fuerunt. Ut enim fides credentium creſceret, "ſignis & virtutibus fuit nutrienda: quia nos cum arbuſta plantamus, tam"diu eis aquam fundimus, quouſque ea in terra convaluiſſe videamus: at ſi "ſemel radicem fixerint, irrigatio ceſſabit. Nos ergo metuentes illud unde præco veritatis Paulus, in quo Chriſtus loquitur, Judæorum perfidiam cauſatur: Quoniam Judæi ſigna petunt, &, Signa non ſunt data fidelibus, ſed infidelibus; ad perfectionem feramur, & in iſto Dei famulo non ſignorum efficaciam quæramus, ſed robur animi, veræque dilectionis Dei ac proximi, qua egregie inſignitus eſt, & per quam tota lex adimpletur, decus & conſtantiam admiremur: quamvis & nos paramus pleraque de eo ſcribere, quæ non uſquequaque indigna ferantur admiratione.

Matth. 12. 39. *Luc. 10. 17.* *Marc. 6.* *1. Cor. 14. 22.*

IX. *Chuniberti episc. vim patitur.* *Eccli. 27. 6.*

25. Operæ pretium eſt jam nunc adverſitates illas multiplices, quas à Simoniacis & ſchiſmaticis, maximeque à CHUNIBERTO Taurinenſi, perpeſſus eſt, inſerere, ut quoniam ſcriptum eſt, Vaſa figuli probat fornax, & homines juſtos tentatio tribulationis: iſte quoque diverſis malorum anguſtiis preſſus, inſtar auri probati ac lapidis pretioſi, ad coronam æterni Regis aptus appareat; & paſſus ad modicum cum ſanctis, perenni cum eis luce ſplendeſcat. Ab eo namque tempore, quo, ſicut initio præfatus ſum, idem Chunibertus ab ALEXANDRO Papa in mandatis accepit, quatenus, ſi Romanæ ſedis amicitiam vellet colere, Cluſino monaſterio ſolius beati Petri

Digitized by Google

patrocinio olim commiſſo, atque eidem abbati Benedicto minime infeſtus eſſet; iniquæ mentis lividus diſſimulator curia digreſſus, dolos quos ruminabat, per rerum monſtravit exitus. Cœpit quippe multis oblocutionibus, & abuſivis injuſtiſque exactionibus Abbatem vexando laceſſere: interdum tamen, ne Romani Pontificis imperium offenderet, ab injuriis temperare. At vero prædicto Papa Alexandro ex hac luce ſubtracto, & GREGORIO archidiacono apoſtolatus culmen adepto, cum inter eum & regem Henricum, propter ſimoniacam hæreſim excommunicatum, magnum fieret diſcidium; tunc & Chunibertus cum aliis pleriſque Italiæ Pontificibus, occaſione ſchiſmatis reperta, Regem ſuum ſecutus, & cum eo pariter anathematis vinculo innodatus, à Romanæ eccleſiæ communione ſtolidus diſſilivit: & ſic demum effrænatus, ad perſequendam Cluſinam eccleſiam, & Abbatem, pro viribus animum intendit. ANN. CH. MXCI. MAII XXXI.

26. Et prius quidem fratrum animos diverſis pollicitationibus ac blandimentis ſuaſoriis tentat corrumpere, ſi forte eos ab Abbatis ſui obedientia ſive ſubjectione circumveniendo aliquatenus poſſet ſubvertere. Quod cum minime dolis procedit, alia via aggreditur eos expugnare, & mala quæ poterat inferendo, ac meſſes eorum ſe ablaturum minitando, effecit, ut quidam è fratribus, patre Benedicto non approbante, ad eum venirent, ſi forte hornarum frugum ab eo uſum impetrarent. Quos ubi vidit vir ventoſus, ut erat mirum in modum humanæ laudis avarus, ſignorum claſſe ipſe caritatis expers cymbalum tinniens, mox urbem totam commovet, cunctos cives & populares ſuos convocat ſuper fratrum illorum pœnitentia, eo quod Benedicto quaſi à ſe excommunicato communicaverint, illis nolentibus ad populum concionatur. Denique facit verba plena ſui laude & Benedicti abjectione, ſubjiciens canendo: Venite filii audite me. At illi fratres taliter illuſi, ad monaſterium ſunt regreſſi, non ſine pœnitudine, quod ejus participio ſic fuerant taminati. Tunc Chunibertus, alter Herodes, videns quod ab illis ludibrio ſit habitus, majori indignationis & iræ face ſuccenſus, ſuas vires exſerit, hoſtili manu monaſterii agros populatur, villas & eccleſias igni concremat, factaque multa præda, ſed non abſque ſuorum grandi jactura, redit militum agmine lacerato ad propria.

27. Sed Benedicto hæc intrepide aſpiciente, & ſuper ejus vecordia magis flente & orante, Chunibertus nihilominus cum PETRO marchione conjurat, ut ſæpedicto Abbate à monaſterio ejecto, alium ſibi, pro nefas! ibidem præponere liceat. Nec mora, & ecce uterque multo milite ſtipatus ad ſanctum locum properat. portæ effringuntur, famulo Dei Benedicto, ut quam cito exeat, imperatur. Sed affuit plane virtus divina. Nocte enim jam imminente, dum vir Domini impavidus in oratione & Dei laudibus pernoctat, ipſi ejus hoſtes per totum noctis ſpatium epulantes plus nimio ſeſe mero ingurgitant. Mane autem facto, impulſi, credo, virtute angelica, ob quam rem venerant obliti, citato greſſu exeunt, & infecto negotio nemini quicquam loquentes dilabuntur. Ab ejectione ſervatus.

28. Nec multo poſt Chunibertus ille ad ſe reverſus, ſed divino miraculo minime converſus, Marchionem adit, eumque pactis funeſtis impetendo, quod Benedictum à loco non pepulerit, perjurii arguit. Ad quem ille: Quid eſt, cerebroſe, quod loqueris? Satiſne ſanæ mentis es? Numquid locum & Abbatem tuæ poteſtati, prout pepigi, non deliberavi? Nil jam mea intereſt. Actum, inquiunt, ne agas. Quid plura? Senex inveteratus impellit juvenem circumflecti multis circumventionibus, & ſæpe inſibilando venenata conſilia, ejus patulis auribus urget ad facinus, per quod non dimidiando dies ſuos periturus erat ipſe maturius. Venitur ergo quantocius ad monaſterium: pellitur pater Benedictus, complurimis ſuorum lacrymoſo ſuſpirio comitari illum cupientibus. Et quamvis poſſet hoſtibus facile re- X. Tandem ejicitur.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXCI. Maii XXXI. *Matth.* 10. 23. ſiſtere, Pyrchiriani montis tutela ſatis natura muniti & arte; maluit tamen humiliter adverſario cedere, præcepto Domini dicentis, Si vos perſecuti fuerint in una civitate fugite in aliam; ſimulque dedit locum iræ, imitatus veſtigia ſummi patris Benedicti, monachorum omniumducis eximii, qui locum ſuum deſeruit, circumactus ſimiliter inſidiis cujuſdam ſacerdotis impii. Manſit ergo pauper & exul aliquantum temporis extra poſſeſſionem monaſterii, in vico, qui dicitur ſancti Antonini: ad quem tamen totius congregationis intendebant oculi, & de illius nutu ſeu diſpoſitione pendebant, quamvis illius ſceleſti & ſacrilegi cuſtodes ac famuli in monte reſidentes, ſacri altaris oblationibus diripiendis inhianter inſiſterent.

XI. Caſſianum ad Regulæ intelligentiam eſſe neceſſarium diſcit. 29. Sub eodem tempore, cum mundani ſtrepitus quam maxime ſecurus amicæ quieti & lectionis ſtudio operam daret, & ad intelligendas Regulæ quaſdam ſententias, quarum ſcrupulo non parum movebatur, ad oſtium amici pulſaret, ſanctus Benedictus monachorum Legiſlator & ſignifer in ſomnis illi apparuit. Videbatur autem illi, quod ad menſam tantus Pater ſederet, ſibique aſſiſtenti ac miniſtranti vini pocula ad bibendum porrigeret. Deinde ab illa menſa ſurgens dicebat illi: Fili mi, ſequere me. Cumque juſſus pedetentim præeuntis veſtigia ſequeretur: Mi pater, aïebat, utinam ſuper ſententiis quibuſdam in Regula tua poſitis, quas minus evidenter intelligo, me certificare digneris. Ad quem major Benedictus: Si vis, inquit, cariſſime, de quibus ambigis plenius informari, & monaſtici Ordinis perfectionem deſideras adipiſci, quære tibi librum Johannis Caſſiani, qui Patrum Inſtituta ac Collationes ſtilo proſequitur latiori. Hac igitur viſione potitus, & ſatis ſuperque gaviſus, quam vehemens ſtudium poſtea habuit illum librum legendi, noſtri teſtificantur oculi. Aliquantum fluxerat temporis, & cum hujus viſionis ſeriem Hugoni venerabili abbati Cluniacenſi retuliſſet, hæc ab eo audivit: Poculum à Patre noſtro, cui miniſtrabas illum, ſtatim ſecuturus accepiſti: quia neceſſe eſt te, frater, calicis & paſſionis Sanctorum compatiendo participem fieri. quod ita ſignificatum, ſicut tantus interpres dixit, rerum probavit exitus. Sed prius dicendum eſt qualiter abſque humano adminiculo idem Paſtor noſter monaſterio per Dei voluntatem ſit reſtitutus.

Adverſarii ejus dant pœnas. 30. Quadam namque die fratrum diutinis lacrymis admonitus, ſolis jam abeunte curru, montis verticem paucis comitatus ſubiit. Cujus mox audito famoſo nomine, omnis illa ſacrilega manus, quæ ſua indigna ſtatione & rapina locum polluebat, ingenti horrore percuſſa ilico fugiendo defluxit. Petrus autem marchio, pro eo quod ſanctum locum violavit, necnon & virum Deo plenum ſua temeritate contriſtavit, poſt trium menſium ſpatium, angelica, ut credimus, ultione percuſſus, vitam male finivit. Chunibertus quoque ſuper nequitiæ ſuæ auſibus non diu gloriatus eſt. Nam qui prius pollere videbatur ſapientia & epiſcopali dignitate, involutus tandem Henrici ſuperbi regis errore, ac per hoc ab apoſtolica damnatus ſede, quanto de celſiori gradu proruit, tanto graviori caſu eliſus eſt. Porro quoniam in reprobum ſenſum meritis exigentibus traditus, locum quem princeps Angelorum Michaël ſuperbiæ ultor promptiſſimus elegit, ipſe irreverenter temeravit, extemplo vita privatus, nec in ſepulcris patrum ſuorum, hoc eſt in ſede ſua, utpote excommunicatus, ſepulturam promeruit.

XII. Henrico imp. exoſus. 31. Longum eſt enarrare, & lectionis prolixitas forſitan aures minus purgatas oneret, ſi velim explicare per ſingula, quot & quanta pertulit acerba bonus Doctor noſter ab Henrico rege, ejuſque complicibus Simoniacis, pro veritatis ac religionis conſtantia. Sed, ut verum paucis abſolvam, quia ipſe catholicam veritatem adprime colebat, & beato Papæ Gregorio ejuſque ſequacibus favebat, & caritatis largitionumque copia, ut jam pridem diximus, complacebat: propterea regiam aulam ſimoniaci canes

Digitized by Google

videlicet paullatim hac fama atque latratibus compleverant, ſolum eſſe Benedictum, qui faceret ut ſuum Regi detraheretur diadema, & in monaſterio ſancti Michaëlis, quo pacto vita & regno pariter privaretur, crebra fieri conciliabula. Unde regali non parum infenſus curiæ, cum à domno papa Gregorio, cui ob merita ſua erat cariſſimus, Romam quodam tempore fuiſſet invitatus, ejuſque colloquio fruitus ad Caſinum montem properaret, idque Regi poſt biduum compertum foret; tanto ſtudio juſſit illum perſequi, ut ejus impias manus nullatenus poſſet effugere. Multo quippe militum equorumve ſudore, antequam illo perveniret capitur, trahitur, nec ſine calumnia ad Regem reducitur. O qui tunc plauſus, & gaudia quanta fuere! Iniquorum nempe ſacerdotum non cæleſtis, ſed terreni Regis palatio excubantium, alii cruce dignum, alii ultricibus flammis concremandum, nonnulli ferventiſſimum ferrum per ejus tempora penetrando adigendum, plerique oculis cæcatum in longum exſilium detrudendum, ut regnum tanta ſorde purgetur, adjudicant. Fit prorſus quaſi inſigne trophæum, communem hoſtem eſſe captum, monſtrum magnumque oſorem regiæ ſalutis & ſuorum omnium. — Ann. Ch. MXCI. Maii xxxi. — Et ab eo comprehenſus.

32. Has igitur verborum cruces, & plurimas id generis contumelias diræ cuſtodiæ mancipatus, ſuiſque rebus exſpoliatus jamdudum manſuete tolerabat, nihilque aliud, quam ſuprema mortis pericula ac corporis ſui ludibria manebat: ſed Dei nutu & Archangeli providentia, affuit illi præſidio ADALEIDIS marchiſia, mulier in Dei rebus tunc bene devota, & in rerum adminiſtratione conſtantiſſima, de cujus morte multis facta præda noſtra uſque hodie gemuit patria. Hæc itaque, quoniam apud Regem tunc temporis multum poterat, conſtanter ad eum intrat, & ut illum Dei famulum, qui etiam ſecum venerat, ſibi pro ſua reddat clementia humiliter ſupplicat. Hunc ſuæ decus patriæ, columnam & quaſi ſolem affirmat eſſe Italiæ, ſeque reverti, niſi eo recepto, impoſſibile. Viſum eſt ergo Regi quod petebat durum; hanc tamen offendere ratus non eſſe ſibi integrum, eo quod regni quodammodo claves & Longobardiæ teneret aditum, quamvis invitus multumque renitens, patrem reddit Benedictum. Ereptus itaque ſicut ovis à luporum ſævis faucibus, & ad monaſterium regreſſus, tanto in jejuniis & eleemoſynis ſe in Dei rebus adſtrinxit, quanto extra cellam evagatus ſæculi rebus atque ſceleratis admixtus exſtitit. Qui tetigerit, inquiens, picem coinquinabitur ab ea; &, Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus. — Adaleidæ favore eripitur.

33. Mortuo autem, ut ſuperius dictum eſt, Taurinenſi Chuniberto, ſucceſſit ei quidam [a] VVITELMUS, qui, quamvis omnium quos terra ſuſtinet moribus eſſet turpiſſimus, potuit tamen obtinere ab Henrico rege protervo, copia auri, ut poſſideret, immo pollueret nomen Epiſcopi. Uſurpata vero Epiſcopi dignitate ipſa fæx terræ, & fruges conſumere natus, qui prius fuerat Stoïcus, ſive, ut aiunt, Paterinus, gaudens ſorte mutata, quicquid undecumque compilare poterat ventri donabat avaro. Verum nil ſatis erat. quippe cum quater in nocte, ſi bene memini, totieſque in die blaterando paſtum peteret tribus urſis quod ſatis eſſet. Is ubi bona epiſcopatus in fumum cineremque verterat, pauperum noſtrorum rapinis gula harpiis digna rapacibus exæſtuabat. Talis ergo pernicies & tempeſtas baratrumque macelli annis plurimis ſanctum Dei virum, noſtrumque monaſterium admodum vexavit, ventriſque omaſum noſtrarum rerum ſacrilegio, & raptu farciendo, tandem ad inſtar utris tumidus medius crepuit, atque ita ſua fæce & ſordibus ſupernas infernaſque auras polluit. — XIII. Witelmi episc. pravi mores.

34. Venerat ad monaſterium & Vercellenſis Epiſcopus, æque ipſe peſtis — XIV. Epiſcopi item Vercellenſis.

[a] Et tamen Franciſcus Auguſtinus Chuniberto ſubſtituit VVibertum, VViberto Maynardum, nulla VVitelmi facta mentione.

ANN. CH. MXCI. MAII XXXI. ac ſimoniacus: jamque preſbyter illius ſuper venerandum ſancti Michaëlis altare Miſſas acturus calicem poſuerat, cum juſſu patris Benedicti fratres ſupervenientes calicem ad terram reijciunt, Epiſcopum una cum preſbytero ſuo ab altari retrahunt, & ab eccleſia non abſque injuria eliminant. Quam rabidis tunc ille potens minis ſimul cum Marchiſia, ad cujus curiam venerat, intonuit; quæ rerum damna, vel injurias ab illis ob hanc cauſam non pertulimus? Hæc ideo dixi, ut oſtenderem, quanta conſtantia vir Domini atque ejus alumni ſemper Simoniacorum fugerint conſortia, & vitaverint cautius ſanguine viperino, tametſi multa ferrent incommoda hoc amore veritatis & zelo.

XV. Monachus convaleſcit. 35. Frater quidam, quem hodie reor ſuperſtitem, plurima infirmitate laborans, in extremis poſitus linguæ officium amiſerat: ſed viro Dei Benedicto cito adveniente, & illum ſuo nomine paterno affectu vocitante, cum minime reſpondiſſet: Præcipio, inquit, tibi per obedientiam, fili Petre (hoc enim erat ejus nomen) ut mihi loquaris. Ad hanc vocem oculos mox aperiens delictorum confeſſionem egit, ſuſceptiſque divinis Sacramentis, orante tanto Patre, ocius convaluit.

XVI. Item alius. 36. Novimus alium mei nominis fratrem, qui dum nimis incautus ſuper ſolarium miræ altitudinis temerarius incederet, lapſus eſt, & tanto caſu omnibus pæne attritis oſſibus, in domum infirmorum delatus, multis quamvis balneorum uſibus, ſeu epithimiorum fotus medicamentis, jacebat deſperatus. Huic jacenti quaſi exanimi & diſſoluto ſenex canicie & albis veſtibus decorus in ſomnis viſus eſt, dicens illi: Surgens ſequere me. Cumque frater propter defectum ſuum, cujus erat ſibi conſcius, hæſitando moram faceret, rurſum ſenior ingeminans: Surge, aïebat, ſurge; & hunc quo membra debilia ſuſtentes accipe baculum. Mane igitur facto, cum iſdem æger patri Benedicto ſibi aſſidenti viſionis hujus ordinem panderet, contigit ut bonus Teutonicus baculum fabrefactum Abbati offerret. Quem idem Pater infirmo bajulans: Hic eſt, inquit, baculus tibi, fili cariſſime, in ſomnis traditus; accipe, nihil addubites, ſurge. Qui ſtatim, mirabile dictu, ita erectus eſt, ut pedes, ceterique artus ſua deinceps officia ſtrenue facerent.

37. Tempore quodam communi utilitate fratrum admonitus in Longobardiam exierat: ſed quoniam gregis ſibi commiſſi abſens etiam ſollicitudinem gerebat, cum more ſolito poſt Completorium lacrymoſas preces quaſi pro filiis holocauſta Domino obtuliſſet, poſitus in cubili, cœpit fratrum mores ac vitam animo ſecum revolvere. Tali igitur cura, ut aſſolet, exæſtuanti ſomnus obrepſit, viditque Angelum quaſi ſuccinctum & ad iter agendum præparatum, quem interrogans: Quo tu, inquit, ô beate, ſic intendis pergere? Cui Angelus: Ad monaſterium vado, juſſu Domini correpturus quemdam fratrem impœnitentem, & immemorem factum ſui delicti. Simulque deſignat illi & nomen fratris, & acti facinoris. Nec multo poſt tempore vir Dei ad montem regreſſus, invenit monachum illum Angelica viſione notatum, lecto gravi ægritudine decubantem. qui mox adventu ejus, quem anxius opperiebatur, exſultans, ut ſe viſitaret oravit: &

Confeſſio. confeſſus peccatum illud, pro quo divino flagello multabatur, indictæ pœnitentiæ & orationum ejus ſalutari antidoto, non ſolum animæ, ſed etiam corporis cito ſalutem promeruit.

XVII. 38. Longobardus quidam cauſa orationis ad ſanctum Michaëlem venerat cum proprio filio. qui dum attentius agens curam orationis, cuncta Oratorii circuiret altaria, accidit filium licentius vagari patris ſolutum cuſto-

Paſchalis cereus. dia. Qui licet puerili rerum victus concupiſcentia, de paſchali cereo ante ſanctum altare, ut moris eſt, ſito, furtim portiunculas compilavit. Quod tametſi videri poterat non grande piaculum, virtus tamen Archangeli iſtud non dimiſit inultum: ut poſtmodum, credo, evidenter clareſceret, quid faceret

per

per fidelem ſuum Benedictum. Nam cum paullo poſt vir ille cum puero ſuo de monte deſcenderet, cœpit idem puer gravi dolore illius manus, quæ furti conſcia erat, vexatus, totus tremere, patremque his vocibus interpellare: Accurre, pater, accurre citus, en morior, niſi ſubvenis quantocius. Cumque homo ille manum filii, utrumque jam brachium valde intumeſcere cerneret, nimia doloris anxietate turbatus, hos ad cælum diſploſis manibus ferebat ejulatus: Me miſerum quid agam? Sancte Angele, quid facere voluiſti, ut unicum meum, quem tibi præſentaveram, ſic tolleres mihi? Recepto tamen ſenſu & ſedatis lacrymis, ſciſcitatur puerum ſermonibus blandis: Care filiole, quid feciſti? Num in ſanctuariis aliquid tetigiſti unde ſancti Archangeli celſitudinem forte offenderes? Tum ille: Ita eſt, inquit, de ſancto ejus cereo particulas quaſdam mihi ſurripui. Ad hæc hanc cauſam intelligens morbi, ad ſancta regreſſus, petendo veniam nati reatibus, lacrymoſis complebat monaſterium clamoribus. Quibus excitus adveniens cum fratribus vir Domini, vehementer condoluit miſero homini: & facta oratione, aqua, quam mox benedixit, membra pueri dolentia ac tumida aſpergit; & ita patri ſanum & bene ſe habere clamantem filium reſtituit. Quanto ille bonus vir gaudio deſcendens tripudiavit ex laude Archangeli atque ejus famuli Benedicti, & cantu, quo totum nemus reſonabat, intelligi potuit.

ANN. CHR. MXCI. MAII XXXI.

39. Neque illud miraculum reticendum, quod multi qui videre, magno ſtupore attoniti ſolent enarrare. Quidam Ciſmontanorum nobilium, dum Cellas ultra montes aliquando reviſeret, filium ſuum parvulum, qui GUIGO vocabatur, tanto Patri ad monaſticum Ordinem educandum tradiderat: quem dum in equo effrenando nimis ac feroci à fratre ſibi dato ſecum duceret, unus ex promptis famulis Moreſtinus (notus eſt homo) videns puerulum equi impatientis inſtabilitate jactatum laborare, impoſuit illum in mula, ut manſuetioris animalis dorſo ſuavius jactaretur. Ventum erat ad locum cujuſdam magnæ vallis, quæ Gumniſia dicitur, ubi Beza violentus amnis, exeſis utrimque ſuis ripis, viam iter agentibus juxta ſe habere non patitur. Hac igitur cogente neceſſitate, aſcendentibus illis per arctam ſemitam montis ſecus poſiti, unde tranſeuntium per ardua oculos hians abyſſus ſua altitudine poteſt offendere, accidit ut infans ille timore equi præeuntis & huc atque illuc terga verſantis, frenum nimis trahens, cum eadem mula, cui inſidebat, in præceps rueret, multaque arena atque lapidibus in dorſo montis jacentibus ſecum devolutis, ad ima delaberetur. Tunc patre Benedicto, qui non longe ſubſequebatur, ſignum crucis ſuper cadentem frequenter faciente & orante, illuc aliunde curritur; & puer quidem mula aliunde excuſſus, quamvis mole terræ ac ſaxorum obrutus & ſepultus, nulla tamen alicujus læſionis ſigna habens invenitur, cum in ſella mulæ toto corpore dilaceratæ ne una particula integra reperiretur. Multis itaque præ gaudio flentibus, ſoſpes omnino & incolumis Abbati redditur. quem interrogans: Si, inquit, fili, aliquid doloris in aliquo membrorum ſentis, dicito, confitere, vide ne mihi celes. Cui puer: Ego quippe nil mali patior: quia, cum caderem, videbatur mihi, quod me Pater tu ipſe per pannum capæ meæ teneres, & ut conſiſterem admoneres. Talibus nimirum verbis pueruli innocentis ſatis compertum eſt, meritis tanti Patris, & crucis ſigno ſalutifero illum tunc fuiſſe ſalvatum. Iſtud itaque ingentis fuiſſe miraculi, ſi præruptam illam abyſſum cerneres, fidem tibi ipſi tui facerent oculi.

XVIII. Puer ex lapſu illæſus.

40. Venit aliquando ad converſionem Miles quidam Allobrox, VVILLELMUS nomine, moribus & genere haud ignobilis: quem gratanter ſuo more ſuſcepit Pater inſignis, reminiſcens nempe illius Dominici dicti: Omnis qui venit ad me, non eijciam eum foras, omnibus ſæculum fugere cu-

XIX.

Johan. 6. 37.

ANN. CH. MXCI. MAII XXXI. pientibus lætus occurrebat, & abſque divitiarum perſonarumve præjudicio, cunctis miſericordiæ ſinus pandebat. Frater igitur ille converſus inſtituta ſanctæ diſciplinæ ſitibundo hauſit pectore, & ſæculi prorſus deſpecta vanitate, ac ſpiritu Domino ſerviens, infirmitate correptus ad extrema deductus eſt. qui ab eodem Patre, necnon & HERIMANNO [a] cardinali, ſancti præconii viro & eruditiſſimo, viſitatus, poſt ſacram unctionem ſanctæque eucharistiæ perceptionem, cum eſſet laïcus & litterarum penitus ignarus, cœpit tamen cum illis ita agere verbis latinis, ac ſi doctus fuiſſet inter grammaticos tempore ineuntis ætatis. Sicque mirum in modum de ſpiritualibus diſputando, & multorum fratrum, qui eodem anno morituri erant, finem inſtare prædixit, & aſſerens ſe ſanctam Trinitatem è vicino contemplari, felix illa anima feliciter hominem ſuum exuit. Qua de re pater ſanctus quam plurimum lætus, non ceſſabat grates Deo agere, præmittens ante ſe ad Dominum tales animarum fructus & primitias ex ſuo labore.

Unctio ante Viaticum.

XX. 41. Adoleſcens quoque fuit ejus alumnus, nomine LANTELMUS, (nota res eſt) qui ad diaconatus ordinem nuper promotus, ſimplicitatis & caſtitatis virtute pollebat. Is etiam gravi infirmitatis moleſtia correptus mortis vicinæ, linguæ officio privatus jamdudum fuerat: & ecce ſubito quoſdam fratres ad cuſtodiam ſibi deputatos ſuo indice ad ſe accedere ſignificavit. Quibus propinquantibus ait: Vox Domini intercidentis flammam ignis. Inſtantibus vero illis quare hæc dixerit, ut aperiret, omnino conticuit. Tranſactis autem paucis horis, cum illi quaſi diſſoluti neſcio quid garrirent; ſimili ſigno eis innuens, dixit: O vos ſacerdotes Domini facilius poſſetis ſalvari, ſi ſemper cerneretis eum quem præſentem habetis. His dictis eodem modo ſiluit. Die autem jam adveſperaſcente, Benedictus pater viſere eum cupiens accurrit. Moris enim illi fuerat fratres infirmos ante omnia & ſuper omnia, id eſt mane & ſero, curam eorum agens viſitare; & alloquens juvenem: Fili mi, inquit, moriens quare mihi nihil dicis? Tunc adoleſcens oculos jam morte gravatos aperiens: Quid vis, ait, Pater, dicam? Morior equidem, ſed mirum valde non eſt, quia ſenex ille, qui illic ſedet, poſt triduum me ſequetur. Dixit, & clauſis ocellis ſomno piæ mortis reſolutus eſt. Senex vero ille, cujus finem prophetiæ ſpiritu prædixit, ſecundum carnem pater ipſius Benedicti abbatis erat, ſancta converſatione & mira ſimplicitate egregius, qui in craſtinum cum reliquis ad monachi illius exſequias ac ſepulturam proceſſit incolumis: ſed mox valida febre correptus, in die tertio juvenem ſuæ diſſolutionis præconem ad beatam requiem, ut creditur, proſequutus eſt. Patri nimirum ſancto, intermiſſo pauci temporis ſpatio, puer ille defunctus candida amictus dalmatica apparuit, ſibique bene eſſe dixit. Hæc non ab re ſcripta eſſe intelligit, quiſquis diſcipulorum laudem ad magiſtrum referendam cenſens, illorum fratrum merita patri eorum etiam & doctori Benedicto non immerito adſcripſit.

XXI. 42. Loquebatur aliquando idem Pater ſæpe nominatus mutuo ac familiariter, ut aſſolet fieri, cum quibuſdam fratribus, quorum unus alacrior: Domine, inquit, jam inalbeſcit caput veſtrum canis. Cui pater Benedictus: Deo gratias. Æquum igitur eſt, ut Domino miſerante, floribus erumpentibus ſui fructus ſuccedant maturius. Sed quidni, frater, fieret? Jam equidem ſum ego ferme ſexagenarius. Verum unum eſt quod recolo, per quod Dei miſericordiam me conſecuturum ſpero. Trium namque eram annorum, quando baptiſmi gratiam percepi: & cum in ſalutari lavacro mergerer, viſum eſt mihi non inferius ire, ſed quamdiu in ipſo ſacro fonte fui in alto mentis ſtatu conſtitiſſe, unde mundum totum infra ſitum eſſet aſpicere. Hæc verba habuit non multo poſt è ſæculo migraturus, quibus forte

Benedictus triennis baptizatus.

[a] Ignotus fuit Onufrio Herimannus iſte cardinalis.

Digitized by Google

finem vitæ ſibi propinquum ejus quodammodo conjiciebat ſpiritus, cujus qualitatem noſter jam perſtringat calamus. Ann. Chr. MXCI. Maii XXXI. XXII.

43. Ante exitum vitæ ſuæ toto fere anno gravi ac dubia pulſatus eſt infirmitate, cui cum medicorum alii aliter conſulerent, obediebat quidem illis præſentibus: at ubi ſe ſubmoverant, præ ſpiritus fervore quietis impatiens, & ad ſolitum diſciplinæ atque abſtinentiæ rigorem recurrens, corporeæ neceſſitati minime indulgere noverat, ac per hoc recidivam moleſtiam facile incurrebat. Et cum paullo poſt meliuſcule habens ſublevaretur; ſuæ item debilitatis immemor ac ſecurus ad nocturnas conventus vigilias conabatur aſcendere, ſubnixus trium fratrum auxilio, à dorſo videlicet & utroque latere. Noviſſime vero cum regio morbo gravius afficeretur, quod ex hicterico & citrino colore palam fiebat, à conſueta victus parcitate & qualitate corpuſculo ignorabat parcere, tametſi morbus ille ob hoc, ut aïebant ſibi, diceretur regius, quod regalibus cibis & delicatis ferculis aſſeratur curabilis. Multis autem illi ſuccenſentibus, & dicentibus, adhuc illum carnis edulio poſſe relaxari, ſic reſpondit: En ego morior, & comedam carnes? Carnes edere infirmus recuſat.

44. Voluit autem Dominus ſervum ſuum circa finem vitæ jugi & diutina debilitate tabeſcere; ut ſi qua forte vel levioris culpæ vulnera in illo manebant incurata, duro atque amaro tranſitu fierent medicata atque ſanata. Hoc namque beatus Gregorius comprobat fieri hiſtoriæ Regum auctoritate, ubi leo prophetam interfeciſſe dicitur peccato inobedientiæ, ſed minime guſtaſſe de ſancto cadavere. De termino autem vitæ ſuæ, ſic per viſum longe ante certificatum accepimus. Videbatur videre ſeipſum nudatum per mare nando ad litus pervenire, ibique inventis quibuſdam paucis arborum ſurculis ſatis infirme radicatis utcumque illis hæſiſſe. Quam viſionem mihi ſedulo illi excubanti per ſeipſum interpretans dixit: Per mare hujus ſæculi laborioſa, ut cernis frater, infirmitate natando nudus & pauper ad finem vitæ pertrahor: ſurculorum vero, quibus vix innitebar, radix infirma, in ſucceſſoribus meis debilitatem & inconſtantiam fore præſignat. Hanc utique revelationem ſuum auctorem & interpretem nequaquam fefelliſſe nos atteſtamur, quicumque ejus mortem, heu! non bene ſuperſtites aſpeximus, & navem eccleſiæ noſtræ pæne diſſolutam inſtabilitate ac puſillanimitate ſuccedentium, ceu ventorum turbine, non ignoramus. Mortis præſcius, ſucceſſorũ mores prævidet.

45. His igitur & aliis hujuſcemodi revelationibus edoctus, poſt trium hebdomadarum ſpatium, hora diei ſexta diſſolutionem corporis ſui prædixit affuturam. Super qua jam non incertus, poſtpoſitis ex tunc omnino carnis ſuæ neceſſitatibus, totum ſe erigit & obligat ſtudiis ſpiritualibus. Manant quotidie ex ejus ocellis lacrymarum rivuli: confitetur Auraſiaco * Epiſcopo, qui tunc nutu Dei aderat, & fratribus ſua delicta. Fiunt crebræ viſitationes, ac Miſſarum pro eo actiones, necnon & eleemoſynarum quotidianæ largitiones. Perſonant ante eum nocte dieque pſalmi ſeu divinæ lectiones. Ipſe quoque, quamvis corpore jam præmortuo, ac viribus cunctis effœto, pſalmos qui dicendi ſunt incipit, & ſæpe aſſociatur pſallentibus. Poſtremo peracta unctione ſacra, & Dominica communitus euchariſtia, ter illam beati Andreæ antiphonam largo fletu ora rigatus prout potuit cantavit: Domine Jeſu-Chriſte, magiſter bone, ſuſcipe ſpiritum meum in pace, quia jam tempus eſt ut veniens deſiderem te videre. Ut ad eam ſe diſponit. * d'Orange. Unctus & viatico refectus.

46. His & ſimilibus piis exercitatus operibus Paſtor noſter egregius, in vigilia ſanctæ Pentecoſtes tradidit Domino ſpiritum. Ad cujus exſequias per triduum rite ac devote celebratas convenere frequentes Epiſcopi & Abbates, vicini fere omnes clerici ac monachi, catervatim quoque concurrunt laïci, militum atque pagenſium utriuſque ſexus cunei: alii fama ſanctitatis acciti, plerique caritatis ejus viſcera, & dulcedinem experti. Obit omnibus deſideratus.

Digitized by Google

ANN. CH. MXCI. MAII XXXI. Fletus in commune; præcipue ejus alumni rigant ſolum lacrymis. Cujus vel ſaxea pectora non moverent ad pietatem, viduarum & pauperum lacrymæ, quos ipſe benigne ſolebat alere? Tantus quippe tamque uberrimus fuit omnium luctus, maximeque ſanctimonialium, de morte ſui patroni inſolabiliter mærentium, quas idem Pater pro Chriſti amore congregaverat, ut vix in illa die funus pro denſitate vulgi flentis, & ſeſe ſuperingerentis compleri potuerit. Obiit anno vitæ ſuæ quinquageſimo-octavo, paſtoralis curæ viceſimo-quinto, ab Incarnatione Domini milleſimo nonageſimo-primo. *Anno 1091.*

47. Beata plane, beata es, Cluſina fratrum concio, quæ tanto meruiſti decorari patrono. Habes quippe præ oculis, cujus fidei ſinceritatem & probos mores ſi digne excolueris, perennis ejus gaudii conſors eſſe poteris. Ad ſepulcrum vero illius quique languentes frequenter ſanctitatis ejus experiuntur inſignia, ſi mente fideli per ejus merita à Chriſto implorent ſibi ſuffragia. *Mira ad ejus tumulum.* Cujus rei teſtes exſiſtunt numeroſi, per eum in ſuis valetudinibus medelam conſecuti: quos certe poſſem introducere, niſi debito fine opus vellem claudere. Opportunius quippe eſt, ut tantæ materiæ molem plenius inſinuet tuta taciturnitas, quam pinguis ingenii enervet atque extenuet procax loquacitas.

Verſus ſuper tumulum ejus.

Quiſquis ad hoc noſtrum te vertis forte ſepulcrum,
Quis modo ſim tracta, quis fuerimque nota.
Sum pulvis, factus fueram qui nomine magnus,
Tu fies ſimilis, ſis licet en viridis.
Conditio carnis mortalibus eſt data talis
Pro vetito pomo. . . . .
Unde roga Dominum. . . . .
Ut mihi ſit requies. . . . .

Aliud.

Clauderis en pulcro. . . . . BENEDICTE ſepulcro.
Junctus pro meritis civibus angelicis,
Myſterioque Crucis te munit. . . . . enſis
Quo ſpernis cunctas dæmonis inſidias.
Fratribus hic multis bis denis præfuit annis,
Firmavit monitis, actibus atque piis.
Poſtera lux Maï noſtro fuit ultima Patri,
Hanc ſibi prævidit tutus & hac obiit.
Felix & lætus in pace quietat, adeptus
Lucis ſolamen, ſuccine lector, Amen.

Item verſus de obitu ejus.

Montibus in ſummis nituit mons celſior ipſis,
Mons nimis erectus, nimia bonitate refertus,
Ad cælum tendens, cæli de lumine ſplendens;
Excellens montes, emittens undique fontes,
Ut dicam verum, geſtabat culmine cedrum;
Hanc vidi cedrum penetrantem vertice cælum:
Fructu paſcebat cunctos, & odore replebat.
Heu miſer & triſtis, referam quid nunc ſuper iſtis!
Mons ruit & cedrus monachorum dux Benedictus;

Digitized by Google

Ann. Ch. MXCI. Maii XXXI.

Montibus excelſis cecidit Pater ipſe Cluſenſis,
Non totus cecidit, quia ſpiritus alta petivit, &c.

Hymnus de eodem.

Inſignis Dei famulus
Abbas Cluſinus optimus,
Ut Benedictus nomine,
Sic erat Chriſti munere.
Cujus fidem in opere
Servans, ſigillum inclytæ
Normæ gerebat pectore,
Per quem lauderis Domine.
Quem ſuis jubes finibus
Sacris exire cultibus,
Pium Paſtorem cælitus
Cluſæ dediſti ovibus.
Nudus timore ſæculi,
Fretus fervore fidei,
Inter nexus peſtiferos
Cluſinos rexit monachos.
Conſtans præceptis Regulæ,
Eos inſtruxit optimæ,
Et jugo ſemper Domini
Colla ſubdebat placidi.
Inclytus Paſtor gremiis
Gregem confovens propriis,
Cunctis in eo viribus
Excubabat ſollicitus.
Auſterus fuit improbis,
Dignos inſectans meritis:
Ne dolis hoſtis falleret,
Quos Benedictus aleret.
Summi te laudant ordines,
Deus, oramus ſupplices,
Ut ipſius ſuffragio
Parcas nobis in ſæculo. Amen. [a]

[a] Sequebantur alii duo Hymni prorſus impoliti, quos, cùm nihil ſingulare continerent, conſulto omiſimus.

VITA BEATI VVILHELMI

Ann. Ch. MXCI. IV. Julii.

HIRSAUGIENSIS MONASTERII ABBATIS.

Auctore Heymone monacho Hirſaugienſi coæquali & beati Wilhelmi diſcipulo.

Ex Carolo Stengelio monacho ſancti Udalrici Auguſtenſis.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *ETSI Hirſaugienſe monaſterium, jam ab aliquot annis, antequam ipſi* VVILHELMUS *præficeretur, reſtauratum fuiſſet, perfectaque fere fuiſſent totius monaſterii ædificia; quod ab octo circiter annis monachi inhabitabant, nondum tamen firmus erat monaſterii ſtatus, tum ob Friderici abbatis diſſidia cum monachis, tum ob Adelberti Comitis inconſtantiam, qui non ita monaſterii bonis, quæ tamdiu poſſederat injuſte, plane ceſſerat; ut de iis ſibi aliquando arrogandis, ſi opportuna ſeſe offerret occaſio, non cogitaret. Verum utrique morbo brevi medelam attulit Vvilhelmus noſter, in quo ſumma prudentia in rebus gerendis, animi fortitudo in adverſis ſuperandis, ac pietas & religio in monaſtica diſciplina reparanda & tuenda ita enituere, ut jure merito ab omnibus inter illuſtriores hujus undecimi ſæculi viros recenſeatur. Hujus beati viri vitam ſcripſit Heymo ejus diſcipulus, quem poſtea Gebhardus poſt beati Vvillelmi obitum in Abbatem aſſumtus, Priorem monaſterii conſtituit. De eo Heymone ſic loquitur Trithemius in Chronico Hirſaugienſi ad annum* MXCI. Erat ſane vir ſtudioſiſſimus, & tam in divinis ſcripturis, quam in ſæcularibus litteris egregie doctus, ingenio ſubtilis, & ſatis admodum comtus eloquio, qui eruditionis ſuæ præclara monumenta reliquit. Scripſit inter cetera ingenii ſui opuſcula vitam & miracula beati Vvilhelmi, ſupradicti

Vitæ auctor.

Ann. Ch. MXCI. IV. Julii.

abbatis, quam tamen quidam alius frater poſtea volens ampliare, breviorem reddidit. Scripſit etiam nonnullos ſermones & Homilias, quæ ut plurimum ex errore, alteri cuidam ejuſdem nominis Heymoni, ex monacho Halberſtadienſi epiſcopo, viro æque doctiſſimo, adſcribuntur. *Idem Trithemius in editione Sangallenſi hujus auctoris nomen ſincerum* Haymonem *fuiſſe obſervat*, quem, *inquit*, nonnulli Heymonem, quintam cupientes litteram, Saxonum uſu pro prima nuncuparunt. *Laudat deinde ſummam ejus in colligendis & deſcribendis ſanctorum patrum operibus ſollicitudinem & diligentiam, adeo ut, cum eſſet in omni genere doctrina ſtudioſiſſimus, fratres ſuos verbis & exemplis ad idem præſtandum inducens, brevi in Hirſaugienſi cœnobio bibliothecam inſtructiſſimam comparaverit. De ejus vero lucubrationibus, ſic habet:* Fuit.... non minus in carmine quam in oratione ſoluta exercitatus, in moribus quoque compoſitus, maturus & religioſiſſimus, qui fratres in omni puritate regularis obſervantiæ præceſſit..... Scripſit inter cetera opuſcula..... Vitam, converſationem & miracula ſanctiſſimi abbatis Vvilhelmi bino volumine, quod poſtea frater quidam abbreviavit. Scripſit & de Muſica parvum & non inutilem libellum, Homilias quoque ad fratres nonnullas, quæ Heymoni Halberſtadenſi epiſcopo ex errore multoties adſcriptæ inveniuntur..... Compilavit & alia quædam ſynthemata. *Ex his duo colligi poſſunt. Primum Heymonis noſtri opuſcula nonnulla Haymoni Halberſtadienſi tributa fuiſſe; & quidem, ut proſequitur Trithemius*, ita confuſe plerumque tam iſtius ſcripta quam illius commixta videntur, quod niſi lectoris provida ſagacitas ea noverit diſcernere, non facile cui debeant attribui, phraſis differentiam haud intelligens, valeat judicare. *Secundo ex ſupra laudatis Trithemii verbis colligimus, beati Vvilhelmi vitam, quam hodie unico libro comprehenſam habemus, primum in duo volumina fuiſſe diviſam. Verum ut ut ſit, idem ſemper eſt Heymonis fetus, qui cum fuerit beati Vvilhelmi diſcipulus, ea qua coram viderat & audierat, ſcriptis mandavit, ut ipſe non ſemel diſertis verbis teſtatur, & quidem num. 24. ſe pii Patris morti interfuiſſe memorat. Quæ vero Trithemius de eodem Vvilhelmo in utraque Hirſaugienſis Chronici editione habet, potiſſimum deſumta ſunt ex hac vita. quam hic exhibebimus ex Carolo Stengelio monacho ſancti Udalrici, qui eam cum obſervationibus & notis ſingulari libello typis edidit Auguſtæ Vindelicorum anno* MDCXI. *ſed priuſquam eam proferamus, nonnulla in anteceſſum pro more noſtro obſervanda ſunt, quæ potiſſimum ex Trithemio mutuabimur, ceteris in notas ad Vita ipſius textum rejectis.*

Vvilhelmi in abbatem electio.

2. *De Vvilhelmi parentibus & ejus in monaſterio ſancti Emmerammi educatione nihil obſervandum occurrit præter ea, quæ in ejus Vita habentur, nec animus eſt de iis omnibus, quæ vel in Hirſaugienſi monaſterio, vel in aliis monaſteriis à ſe exſtructis, aut reparatis hic fuſius agere, ſed pauca ſolummodo hic proferemus ad illuſtranda beati abbatis geſta, quæ in Vita deſiderantur, nec facile potuiſſent intra notarum marginalium metas coartari. Vvilhelmus itaque in abbatem ab Hirſaugienſibus poſt Friderici exauctorationem cooptatus, conſentiente proprio abbate ſuo, Hirſaugiam venit anno* MLXIX. *die 28. menſis Maii. Poſſeſſionem abbatiæ iniit die* IV. *Nonas Junii ſequente. At neſcius erat, inquit Trithemius, injuriarum quæ in Fridericum illatæ fuerant: quas cum reſciviſſet, Comitem Adelbertum* exhortari cœpit, quatenus vitum innoxium dignitati ſuæ reſtitueret, cujus locum eo vivente occupare nemini penitus liceret. *Jam ideo reditum parabat vir ſanctus, ne talis ſe criminis participem faceret. ſed tamen poſtea fratrum omnium precibus cedere coactus ita remanſit, ut vivente Friderico, numquam benedictionem ab Epiſcopo ſuſceperit, nec locum abbatis voluerit occupare. Hic fuit Hirſaugiæ ſtatus ad annum ſequentem, quo defuncto Friderico, Vvilhelmus ſollemniter ab Henrico Spirenſi antiſtite in abbatem benedictus eſt. Id die 4. Nonas Maii in feſto Aſſcenſionis Dominicæ factum fuiſſe ſcribit Trithemius, ſed hi characteres chronologici non ſibi cohærent. Etenim ab anno* ML. *ad hujus ſæculi finem ſemel Aſſcenſio Domini in diem Maii* IV. *incidit, anno ſcilicet* MLX. *qui ordinationi Vvillelmi eſſe non potuit. certe necdum tunc abbas erat Fridericus. Vitæ auctor beatum virum ipſa die Aſſcenſionis* in ſedem abbatis collocatum *fuiſſe ſcribit,* IV. *Nonas Junii. quod nonniſi anno* MLXXI. *competere poteſt.*

Monaſterii libertatem obtinet.

3. *Vvilhelmus in abbatem conſecratus, facultates monaſterii adeo exiguas invenit, ut quindecim monachis alendis vix ſufficerent; illi vero ita erant Adelberti comitis Calbenſis arbitrio ſubjecti, ut vix quidquam abſque ejus permiſſu in monaſterio auderent. Id ferre non potuit piiſſimus abbas. quare poſt multos ſuperatos labores, obtinuit tandem à Comite ſui monaſterii libertatem, quam Imperatoriæ auctoritatis diplomate & ſummi pontificis confirmatione aſſeri curavit. Utriuſque, Pontificis ſcilicet & Auguſti, litteras refert Trithemius in veteri & nova Chronici Hirſaugienſis editione, quæ an eædem ſint quas Vitæ auctor laudavit, alii judicabunt. Bertholdus Vvilhelmum laudat, quod* Hirſaugienſe monaſterium tam in ædificiis quam in regularibus diſciplinis mirabiliter exaltarit, ipſumque privilegio ſedis Apoſtolicæ ſub Gregorio papa in perpetuum libertarit. *Ceterum Vvilhelmus hoc pacto ab exterorum jugo cum ſuis abſolutus, totum ſeſe ad gregem ſuum paſcendum, & monaſterii ædificia reſtauranda convertit. Anno* MLXXI. *eccleſia, quam ab annis decem Adalbertus inchoaverat, conſummata & conſecrata eſt ab epiſcopo Spirenſi, rem ipſo Comite promovente, qui ex monaſterii perturbatore in ejus defenſorem & benefactorem jam mutatus fuerat. Multum etiam creverunt monaſterii facultates, creſ-*

Digitized by Google

cente monachorum numero. Etenim, uti ſcribit Trithemius, lucrifaciendi animas gratiam à Domino ſingularem promeruerat *Vuilhelmus,* cujus operatione multos & pæne innumerabiles ad Chriſti obſequium in monaſterium convertit .... ſubſtantiam quoque rei familiaris temporalem ex oblationibus fidelium brevi tempore in multis valde augmentavit. *Centum quinquaginta monachi ex eo tempore ſemper in monaſterio Hirſaugienſi fuere ſub Vuilhelmi diſciplina, & licet multi frequenter ad alia monaſteria reformanda exinde tranſmiſſi fuerint, ſtatim ex his, qui de novo ad monaſticam vitam accedebant, numerus ille inſtaurabatur. Quæ vero fuerint eorum ſub tanto patre exercitia Trithemii verbis exponere juvat ex nova Chronici ejuſdem monaſterii editione, ubi ſub finem anni* MLXX. *ſic habet.* ANN. CR. MXCI. IV. JULII.

4. Hi ſemper erant divinis laudibus dediti & orationi, meditationi ac lectioni ſanctarum ſcripturarum jugiter intenti. Illi qui ad contemplationem cæleſtium minus videbantur idonei, neceſſariis deputabantur laboribus manuum, ut nullum tempus inter eos tranſiret otioſum. Sciens autem ſanctus Pater, experientia laudabiliter doctus, neceſſarium mentis pabulum divinarum eſſe lectionem ſcripturarum, duodecim è monachis ſuis ſcriptores optimos inſtituit, quibus ut divinæ auctoritatis libros & ſanctorum Patrum tractatus reſcriberent, demandavit. Erant præter hos & alii ſcriptores ſine certo numero, qui pari diligentia ſcribendis voluminibus operam impendebant. Et his omnibus præerat monachus unus, in omni genere ſcientiarum doctiſſimus, qui unicuique reſcribendum opus aliquod bonum injungeret, mendaque negligentius ſcribentium emendaret. Multa fratres per temporis curſum reſcripſere volumina, *addit Trithemius,* quorum tamen pars minima in hoc Hirſaugienſi monaſterio remanſit. ſanctus etenim pater, qui lucrum & utilitatem animarum cunctis mundi rebus ſemper prepoſuit, quoties fratres pro reformatione ad alia monaſteria deſtinavit, libros, & quæcumque eis videbantur neceſſaria, libera & ſpontanea voluntate dedit, &c. O virum per omnia laudabilem, qui animas Chriſti ſanguine redemtas commodis tranſeuntis lucri præpoſuit; & aliorum utilitati conſulens, mundi perituras divitias minime quæſivit! profecto iſta virtus paucorum eſt, ut Abbates propria monaſteria ſuis denudent vel ornatibus vel codicibus, & inopiæ ſubveniant aliorum. Monachorum Hirſaug. exercitia.

5. *Præter hos centum & quinquaginta monachos, quos in Hirſaugienſi cœnobio ſub beati Vuilhelmi diſciplina vixiſſe diximus, alii erant* fratres, barbati *ſeu* converſi *dicti, qui labori manuum potiſſimum inſiſtentes, monachorum contemplationi deditorum ſuſtentationi neceſſaria providere curabant.* Ex his, *inquit Trithemius,* erant omnium artium mechanicarum peritiſſimi operatores, qui omnes totius cœnobii ſtructuras ſuis manibus ſumma diligentia conſummaverunt... qui monaſterium ſimul & eccleſiæ (ut in ſculptura turrium hodie cernitur) totius ædificium pulcra diſpoſitione conſtruxerunt. Veſtiarii quoque, coriarii, calcearii, & quidquid artificii ad uſum clauſtralium requiritur: non ſæculares, non mercenarii, non ſervitores conducti, ſed converſi vel monachi barbati fuiſſe omnes memorantur. Hunc vero converſorum ordinem ſanctus ipſe Vuilhelmus abbas in Germania primus inſtituit, quorum laboribus adjutus tot monaſteria fundavit, & omnes monachorum neceſſitates laudabiliter adimplevit. His vir Dei ſtatuta ſanctæ Regulæ conformia tradidit, quibus eorum mentes continua informatione ad contemtum mundi & amorem cæleſtium inflammavit. *Subjungit Trithemius Converſorum illorum leges, quæ infra in Vita num. 23. habentur. Porro alii erant à converſis* Oblati, *quos etiam beatus Abbas,* exemplo Cluniacenſium, *uti proſequitur Trithemius, in ſuo monaſterio inſtituerat.* Iſtos enim manere in priſtino habitu, *id eſt ſæcularium more indutos,* ſacra conſtitutione permiſit. *In hos rejiciebantur quæ extra monaſterium curanda erant, monachum habebant* magiſtrum *ad eorum inſtitutionem; & deſtinatus eis erat* reficiendi locus à monachis & converſis ſeparatus, ut eos non inquietarent. Fratres converſi.

6. *Nihil prorſus omittebat vir ſanctus, ut omnium iſtorum ordinum diſcipulis ſuis convenientia inſtituta provideret. Hinc tanta erat ejus ſollicitudo in ſcrutandis monaſteriorum celebriorum piis conſuetudinibus, ut ex iis ea adoptaret, quæ ſibi ſuiſque magis utilia viderentur. ſic ea de re ipſemet loquitur in Prologo ad conſuetudines Hirſaugienſes:* Statui, *inquit,* apud me, ut ubicumque aliquid informandis fratrum moribus proficuum viſu vel auditu, vel certe lectione ſacrorum librorum perciperem, totum hoc quaſi vivos lapides ad ſpiritualis ſtructuræ fabricam conferrem. *Multum hac in re ſanctum abbatem adjuvit Bernardus abbas Maſſilienſis, Romani pontificis tunc temporis in Germania legatus, qui ob turbatam inter ſacerdotium & imperium pacem, annum unum pæne integrum in Hirſaugienſi monaſterio tranſigere coactus fuit. Hic cum advertiſſet ejuſdem loci* fratres juſte ac ſancte vivendi ardentiſſimo flagrare ſtudio, *Vuilhelmum abbatem monuit, ut ſi vellet monaſticæ converſationis inſtituta perfecte cognoſcere, neceſſe eſſet ea mutuari ex monaſterio Cluniacenſi, quod tunc temporis inter cetera Galliæ Ciſalpinæ cœnobia monachorum ſanctiſſimorum numero, & regularis diſciplinæ accurata obſervatione potiſſimum eminebat. Nihil exinde omiſit Vuilhelmus, ut Cluniacenſium vivendi formam perfectam haberet. quare cum aliquanto poſt tempore Udalricus monachus Cluniacenſis, dudum cum Vuilhelmo amicitia conjunctus, in Alemanniam miſſus Hirſaugiam divertiſſet, ab eo pius Ab-* Hirſaug. conſuetudines, E Cluniac. deſumtæ.

Digitized by Google

ANN. CH. MXCI. IV. JULII.

bas obtinuit, ut accurrate monaſterii Cluniacenſis conſuetudines deſcriberet: quod re ipſa poſtea Udalricus exſecutus eſt, ut in ejus vita inferius ad annum MXCIII. *dicemus. Subinde tamen oriebantur difficultates, quæ vix ſcriptis poterant elevari, quare Vuilhelmo viſum eſt monachos duos Cluniacum mittere, qui res coram viderent: miſit & paullo poſt alios duos, & iterum duos, qui adeo perfecte omnia Cluniacenſium inſtituta* rimati ſunt, *inquit in prologo laudato*, ut ipſi eorum magiſtri affirmarent, numquam aliquos illius ſpiritualis ſcholæ diſcipulos, vel plenius vel veracius ſuæ inſtitutionis artem comprehendiſſe. *Porro Vuilhelmus, mandante Hugone Cluniacenſium abbate, cui Bernardus in Gallias reverſus abbatem & monachos Hirſaugienſes multum commendaverat*, coadunato ſeniorum conſilio, *ea quæ in iſtis conſuetudinibus patriæ moribus, aëris temperiei & locorum ſitui melius congruebant, ſelegit, quæ ſuis diſcipulis tum apud Hirſaugiam, tum in aliis Germaniæ monaſteriis ejuſdem inſtituti obſervanda commendavit, ſcriptis ea de re duobus libris, quos nuncupavit* de Conſuetudinibus Hirſaugienſibus. *quæ quidem Conſuetudines, ut monet Trithemius, in pleriſque Germaniæ monaſteriis viguerunt uſque ad Burſfeldenſium reformationem, cujus conſtitutionibus omnia ferme Hirſaugienſium inſtituta abolita fuere.*

Varia monaſteria reformat.

7. *Vuilhelmi ſollicitudo non intra unius Hirſaugienſis monaſterii ſepta artabatur; de ejus in procuranda aliorum monaſteriorum reformatione audiendus Trithemius, qui in veteri Chronici editione, poſt aliquot enarrata ejus miracula ſic concludit.* Sed his narrandis vix inſiſtam miraculis, cum omnium miraculorum maximum ſit ipſius inſtauratio monaſtici Ordinis & diſciplinæ regularis, cujus necdum feci mentionem. Ipſe namque eſt, qui Ordinem noſtrum in omnibus pæne Theutonici regni provinciis miſere collapſum reformare ſtuduit, & in multis etiam cœnobiis mirifice reformavit. Monachos enim quoſcumque potuit, verbo & exemplo ad obſervantiam regularis diſciplinæ, ferventiſſimo Spiritus-ſancti ardore ſuccenſus, revocavit; & ſummo ſtudio priſtinum illum fervorem ſpiritus, quo ſancti patres noſtri Benedictus, Maurus, Placidus, Columbanus, Gallus, Ægidius, Gregorius, Bonifacius, Lullus, & ceteri pæne innumerabiles, olim fervebant in Deum, ad monachos ſui temporis reducere mirum in modum cupiebat. *Tum monaſteria ſeptem recenſet à beato abbate aut ejus diſcipulis de novo erecta, quæ pariter à Vita auctore laudantur. Ea vero omnia, quæ ad Hirſaugienſem congregationem pertinuere, ſingillatim poſtea recenſet in utraque Chronici editione, ubi etiam profert nomina abbatum, qui Hirſaugienſium conſuetudines illis in locis inſtituerunt. Denique recenſet alia monaſteria, quæ cum Hirſaugienſibus ſocietatem habebant: ſed hæc fuſius perſequi ad noſtrum non pertinet inſtitutum, ſufficiat hic paucis agere de iis locis, quæ ab ipſo beato Vuilhelmo exſtructa, aut ſane reparata fuere.*

Monaſteria à S. Vuilhelmo conſtructa.

Hirſaugia.

8. *Primum locum inter illa monaſteria tribuit Trithemius novo monaſterio Hirſaugienſi ceterorum principi, quod à fundamentis totum conſtruxit Vuilhelmus in honorem ſanctorum Petri & Pauli apoſtolorum juxta fluvium Naghaltæ, remanente priore ſancti Aurelii monaſterio, quod in altera ejuſdem fluminis ripa exſtructum, anguſtius erat. Iſtud incœpit Vuilhelmus anno* MLXXXII. *cujus opifices præcipui, ut jam diximus, fuere ejuſdem loci monachi & barbati fratres: ſumtus vero ſuppeditaverunt viri nobiles & divites vicini, ad id beati Vuilhelmi ejuſque diſcipulorum ſanctitatis fama illecti. Inter eos laudatur potiſſimum Hermanni Marchionis uxor, poſtquam ille divino amore actus Cluniacum ſeceſſiſſet, ubi ignotus, cuſtos porcorum factus, uſque ad finem vitæ perſeveravit ſub beati Hugonis diſciplina. Poſt novem annos, conſummatis monaſterii novi ædificiis, eccleſia ejus ſollemniter dedicata fuit à Johanne epiſcopo Spirenſi in octava Paſchæ, anno* MXCI. *paullo ante beati abbatis obitum, qui eodem anno contigit die 4. Julii, ut inferius ſuo loco dicemus.*

Richenbach.

9. *Anno* MLXXXIII. *qui fuit Vuilhelmi* XIV. *conſtructum eſt monaſterium in Richenbach, cujus fundationis tabula ab ipſo Vuilhelmo edita habentur apud Trithemium, ſub hac forma.* In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, ego Vuilhelmus nullis meis meritis, ſed ſola Dei miſericordia Hirſaugienſis cœnobii abbas, notum eſſe deſidero omnibus, tam futuris quam præſentibus, quod quidam ingenuus ſenior, BIRN nomine, prædiolum ſuum in Nigra-Silva ſitum, qui locus ibidem à rivo, qui Murgam influit, Richenbach vocatur, ſancto Aurelio Hirſaugiæ in præſentia idoneorum teſtium in æternam hereditatem tradidit: id unice poſtulans, ut ibidem monaſterium conſtrui ſatagerem. Accepto igitur communi concordique ſeniorum noſtrorum conſilio, miſimus fratres noſtros monachos tres, & laïcales quinque in idem prædiolum, nemore denſiſſimo hiſpidum, quatenus ſilva eruta, locoque purgato, conſtruerent monaſterium beato Gregorio. Anno itaque Incarnationis Dominicæ MLXXXII. Indictione V. circiter Idus Maii, cum veniſſent iidem fratres in prædictum locum, haud paucis diebus pro tugurio fruebantur nuda abiete. Horum autem unus vocabatur ERNESTUS, vir probus & curialis, qui jampridem ſe ſuaque omnia noſtræ dederat obedientiæ, quem cum ſuis omnibus eidem loco in adjutorium conceſſimus. Exſtitit ergo idem Erneſtus loco & fratribus proviſor & quaſi pater ſecundus, qui ad exſtirpandam ſilvam, ad purgandum locum, ad ædificandum monaſterium, ad conſtruendas officinas maxime ſuas ipſe impenſas

penſas dedit, & undequaque competenter acquiſivit. Ejus ergo parentumque ipſius, ſicut & meam meorumque memoriam ibidem celebrem haberi dignum judicavi, litteriſque firmavi. Acta ſunt hæc anno præſcripto. *Notat Trithemius præter hunc, alios complures* prioratus *à Vuilhelmo fundatos fuiſſe, ex iiſque nonnullos poſtea evaſiſſe in abbatias, alios vero ab Hirſaugienſium obedientia paullatim defeciſſe; hunc vero cum Schonreinſi in diœceſi Herbipolenſi, & præpoſituram Rothenſem in Auguſtana, ſub immediata Hirſaugienſis abbatis juriſdictione adhuc ſuo ævo perſeveraſſe. De Reichenbach iterum dicemus, ubi de Haſungenſi monaſterio.* ANN. CHR. MXCI. IV. JULII.

10. *Secundum monaſterium à beato Vuilhelmo de novo exſtructum, dicitur ſancti Georgii, diœceſis Conſtantienſis, in Silva-nigra ſitum. Fundum conceſſit Hezilo, vir nobilis & dives, qui, adhortante Heſſone, ſumtus cum prædio ſuo ad monaſterii constructionem ſe præſtiturum pollicitus eſt. Rem in ſe ſuſcepit Vuilhelmus, ac conſummatis ad regularem diſciplinam neceſſariis ædificiis, novo monaſterio præfecit* HENRICUM, *quem illuc cum aliis è ſuis diſcipulis direxit. Eo defuncto alium in ejus locum ſubſtituit Vuilhelmus; quem, cum minus eſſet ad monaſterii regimen idoneus, ad Hirſaugiam revocavit. Non enim eos quibus ejuſmodi locorum curam committebat, vir ſanctus à ſua abſolvebat ſubjectione. Ægre tamen tulit id factum Gebhardus Conſtantienſis antiſtes, qui hunc abbatem, ſicut & ejus prædeceſſorem ſollemni ritu benedixerat: unde tertium ordinare renuit, niſi prius eum à ſua obedientia liberum faceret Vuilhelmus. Is fuit ſanctus* THEOGERUS, *ex Hirſaugienſi monaſterio pariter aſſumtus, qui poſt viginti & octo (alio in loco Trithemius triginta habet) regiminis annos, Mettenſium epiſcopus ordinatus eſt. Hic ſancti Georgii monaſterium multum illuſtravit, & alia monachorum ac ſanctimonialium ædificavit monaſteria, itaut animarum* DCC. *tam virorum quam mulierum curam habuiſſe dicatur. De eo agemus, Deo dante, Sæculo ſequenti. Monaſterium ſancti Georgii invaſit non ita pridem dux Vuittembergenſis Lutheranus, & monachi cum abbate alio tranſmigrare coacti Vuillingam ſeceſſerunt, ibique hactenus perſeverant.* S. Georgii.

11. *Tertium monaſterium, quod à beato Vuilhelmo conſtructum eſſe memorant vitæ auctor & Trithemius, ſitum erat in Bavaria, ſub beati Martini Turonenſis antiſtitis patrocinio fundatum. nec de eo plura habent illi auctores, niſi quod illuc beatus vir tranſmiſerit abbatem & aliquot monachos in regulari diſciplina probatiſſimos.* S. Martini in Bavaria.

12. *Quartum locum obtinet monaſterium ſancti Petri Erphordienſe in Thuringia, cujus curam commendavit Vuilhelmus* GISELBERTO, *qui ex monacho Hirſaugienſi jam tunc temporis, ut dicemus infra, abbas erat Reinharzbronnenſis vicini monaſterii. verum poſt beati Abbatis mortem Gebhardus ejus ſucceſſor, anno ſui regiminis* XI. *illuc monachos duodecim cum* BURCHARDO, *quem eis præfecit abbatem, direxit. Multis vero argumentis probat Trithemius hoc monaſterium non fuiſſe Vuilhelmo antiquius, quod ſuo tempore nonnulli ipſum à Dagoberto rege conditum fuiſſe contenderent.* Erphordenſe.

13. *Quintum monaſterium ſub beatæ Mariæ patrocinio ad Duplicem-aquam, lingua theutonica* Zvvifalten *dicitur, ſitum in Suevia, diœceſis Conſtantienſis, prope Danubium, ut monet Bertholdus. Hoc vetuſtiorem quidem habuit originem; ſed ita tunc deſtructum jacebat, ut nihil penitus ex antiquo monaſterio ſupereſſet. Illud Vuilhelmus ad Bertholdi ducis preces à fundamentis omnino reparavit, poſitis ibi monachis, quibus* NOTGERUM *abbatem præfecit, qui* gregem ſibi commiſſum, *ut teſtatur paſſim Trithemius*, verbo & exemplo in vera innocentia pavit. *Notgeri memoria recolitur in Menologio Benedictino Bucelini die* VI. *Martii, ubi obiiſſe dicitur anno* MXCV. *Idem auctor memorat die* XVIII. *Auguſti* LUITOLFUM, *ex comite Achalmenſi monachum Zvvifaltenſem, quem ibidem obiiſſe dicit anno* MXCVIII. *eodem die celebrat Luitoldum comitem de Achalm, anno* MXCVI. *defunctum, ſed idem ipſe eſt Luitolfus. Luitolfum ex comite monachum* XV. *Kal. Septembris defunctum laudat Bertholdus in Chronico.* Zvvifaltenſe.

14. *Sextum monaſterium beatus Vuilhelmus conſtruxit in villa, Vuilheim dicta, quod varias fortunas pertulit. Primum quidem ſub* prioratus *titulo ibi conſtructum fuiſſe ex Trithemio ad annum* MLXXXIII. *diſcimus, quod poſtea in montem ſancti Petri tranſlatum eſt, & in abbatiæ dignitatem evectum. ſed procedente tempore amiſſo abbatiæ titulo in primum ordinem redactum, ac denique in parochialem reſidentiam transformatum fuit, ut monet Trithemius, ſic de ea cella ad annum* MLXXXV. *loquens.* Nunc eſt parochialis reſidentia in Gilheim; monaſterio Hirſaugienſi penitus incorporata & abbati ſubjecta. *Qui primus huic monaſterio à beato Vuilhelmo præfectus fuit, dicitur* ADALBERO *apud eumdem Trithemium, vir, ut idem auctor teſtatur,* regularis obſervantiæ ſtudioſiſſimus. Vuilheim

15. *Septimum denique monaſterium, quod beatus Vuilhelmus à fundamentis erexiſſe memoratur, in Carinthia ducatu ſitum erat, in loco Laven dicto. Huc monachos duodecim beatus pater tranſmiſit, quibus* WEZILONEM *probatæ virtutis virum, in Francia orientali genitum præfecit. quem* vitæ meritis venerabilem ac multis clarum virtutibus *fuiſſe*, ac multa monaſteria in illis provinciis pæne collapſa inſtauraſſe ac reformaſſe *ſcribit Trithemius. Porro ex iis monachis, qui cum Vuezilone in Carinthiam advenerant, duo,* SIGEVVINUS *ſcilicet &* GAUDENTIUS, *in abbates electi fuere, prior in monaſterio* Roſaz prope Aquileiam in Sclavonia, *inquit Tri-* Lavenſe.

Ann. Ch. MXCI. IV. Julii.

themius, alter vero in altero monaſterio, cujus nomen reticet. Verum id præſumſerant abſque abbatis Hirſaugienſis venia, unde communi Hirſaugienſium monachorum decreto ſtatutum eſt, ut nomina eorum ex ſancto collegio fratrum *abraderentur, nec haberentur umquam apud Hirſaugienſes pro abbatibus. qua de re compunctus Sigevvinus Hirſaugiam rediit, & reſignato in manus Gebhardi, qui jam ſancto Vvilhelmo ſucceſſerat, abbatis titulo, veniam poſtulavit, & jubente Gebhardo omnium ultimus in congregatione ſedit. Sed ei pœnitenti idem Abbas poſtea non ſolum pœnitentiam relaxavit, verum etiam in abbatis dignitate reſtituto Roſacum redire permiſit. Hæc de monaſteriis à beato Vvilhelmo exſtructis.*

Alia reſtaurat.

16. *Sed præter illa vitæ auctor tria alia commemorat, quæ idem ſanctus pæne jam deſtructa reſtauravit,* Schaffuſenſe *ſcilicet*, Petershuſen & Campergenſe. *De Schaffuſenſi, cui* SIGEFRIDUM *petentibus loci monachis præfecit, plura diximus ad annum* MLXXV. *occaſione Ebehardi ejuſdem loci ex Comite monachi.* Schaffuſenſe. *Petershuſen, ſeu potius Petroburgenſe, id eſt domus Petri, conditorem habuit ſæculo decimo Gebhardum Conſtantienſem epiſcopum, ut diximus in ejus elogio* Petershuſen. *Sæculo ſuperiori ad annum* CMXCV. *ubi plura de ejuſdem monaſterii fundatione habentur, quæ hic non juvat repetere. Hujus loci abbas à Vvilhelmo conſtitutus eſt* DIETRICUS *ſeu* THEODERICUS, *antea Prior Hirſaugiæ. Situm eſt hoc monaſterium in Suevia è regione urbis Conſtantiæ, cis pontem Rheni, in dextera ejus è lacu Acronio prodeuntis ripa. varias ejus clades recenſet Stengelius in Monaſteriologio. hodieque ſub noſtro Ordine celebre ſubſiſtit. Denique monaſterium Campergenſe anno* MLXXIX. *conſtrui cœpit à Burchardo comite Rotenburgenſi, qui poſt annos novem, conſummatis monaſterii ædificiis, à beato Vvilhelmo duodecim monachos ex monaſterio Hirſaugienſi obtinuit cum* GUNTHERO *abbate,* viro, *inquit Trithemius,* ſancto & valde religioſo, qui commiſſum ſibi paſtoralis curæ officium diligentiſſime proſequens, magnam multitudinem Deo ſervientium monachorum brevi tempore in eodem loco congregavit. *Huc monachi Hirſaugienſes advenerunt anno* MLXXXVIII. *Vvilhelmi abbatis* XIX. *Indictione* XI. *quo anno die 21. Decembris eccleſia Campergenſis in honore ſancti Nicolai cum capellis & altaribus quatuordecim dedicata fuit à ſancto Adelberone epiſcopo Herbipolenſi, in cujus diœceſi ſita erat. Inſignes habuit præter Burchardum alios benefactores, potiſſimum Henricum comitem, poſtea Ducem, ejus fratrem, qui quatuor opida, & plures villas eidem monaſterio donaſſe perhibetur. Locus ille celebris perſeveravit ſub Benedictino ordine uſque ad Trithemii ætatem, ſed tandem monachi Campergenſes,* noviſſimis, *inquit ille,* diebus noſtris perſuadentem intus diabolum ſecuti, ab ordine ſancto, quem profeſſi fuerunt receſſerunt, ſine regula cupientes vivere, facti ſunt nomine & converſatione Canonici ſæculares.

Campergenſe.

Altorfenſe.

17. *Porro his monaſteriis ab auctore Vitæ laudatis alia Trithemius adjungit, quæ à beato Vvilhelmo reformata fuerunt. Ex his ſunt monaſterium Altorfenſe in diœceſi Argentoratenſi, cui abbatem præfecit* VVELICHONEM, *à Trithemio laudatum, quod non ſolum monachos ſibi commiſſos, ſed etiam populos vicinos ad amorem Dei incitaverit. De hoc monaſterio plura habes ſupra in obſervationibus ad Vitam ſancti Leonis IX. ad annum* MLIV. *Idem Vvilhelmus in monaſterio Yſnenſi Conſtantienſis diœceſis abbatem inſtituit* ERCHINBOLDUM, *eruditione & ſanctitate vitæ inſignem. Ottenburenſi diœceſis Auguſtanæ* VVILHELMUM, *Burenſi vero in eadem diœceſi, ſeu Benedictoburenſi,* AZELINUM *abbatem dedit. In Hugheſofenſi monaſterio diœceſis Argentoratenſis* CONRADUM *conſtituit abbatem, quem cum monachis decem illuc ex Hirſaugia tranſmiſit; alii octo ad monaſterium Beinvillarenſe diœceſis Biſuntinæ, in finibus Alſatiæ ſitum, ab eodem miſſi ſunt, cum* ESSONE *abbate, qui diu Cellerarii officio in Hirſaugienſi monaſterio functus fuerat. Hic Eſſo obiit* VI. Kalendas Januarii, miraculis coruſcans, *ut teſtatur Trithemius, ſed ejus exitus annum non expreſſit. Refert idem auctor monachos primum in eccleſia Gundelfingenſi circa idem tempus poſitos fuiſſe, ſed illos poſtmodum Hirſaugiam, neſcio quo caſu, tranſlatos fuiſſe, quibus canonici ſubſtituti fuerunt ab Adelberto comite loci fundatore. Monaſterio ſancti Johannis Magdeburgenſis, ad fratrum ibidem degentium & Archiepiſcopi ejuſdem urbis petitionem, præfectus eſt abbas* HILDIBOLDUS, *qui, inquit Trithemius,* diſciplinam monaſticam juxta exemplar & conſtitutiones divi præceptoris ſui Wilhelmi per totam Saxoniam dilatavit.

Yſnenſe, &c.

Haſungenſe.

18. *Celebris etiam fuit tempore Vvilhelmi abbatis monaſterii Haſungenſis in Thuringia fundatio. Facta eſt à Sifrido Moguntinenſi archiepiſcopo, qui ob diſſidium inter Romanum Pontificem & Henricum auguſtum ſede ſua ceſſerat. Hunc locum elegit Sifridus, quod jam celebris eſſet ob frequentia miracula, quæ ad ſancti Heymeradi presbyteri tumulum fiebant, anno* MXIX. *ibidem ſepulti. Conſummato ac dotato monaſterio Sifridus monachos tredecim ex Hirſaugienſi familia à beato Vvilhelmo impetravit, ex quibus* GISELBERTUM virum doctum, prudentem & valde religioſum, *ordinavit abbatem. Floruit aliquamdiu ſub hujus regimine Haſungenſe monaſterium, ubi degebant haud minus quam ſeptuaginta monachi aut converſi, quos pius abbas verbis & exemplis ad regularem diſciplinam informarat. At invaleſcentibus turbis, veritus eſt Giſelbertus, ne ſchiſmaticorum conſuetudine ſui diſcipuli à recto tramite deviarent, quare Hirſaugiam cum illis omnibus reverſus eſt. Is omnes à Vvilhelmo ceteriſque fratri-*

Digitized by Google

bus benigne excepti, aliquod tempus apud Hirſaugiam tranſegerunt. quibus poſtmodum data eſt ad inhabitandum cella ſancti Gregorii de Reichenbach, de qua ſupra num. 9. plura obſervavimus. Denique Giſelbertus monaſterii Fontis-Reinhardi, ſeu Rheinardiſbronnenſis, in nemore Thuringiæ ſiti, abbas à beato Vuilhelmo inſtitutus eſt, cui etiam monaſterii Erphordienſis, ut ſupra diximus, curam commiſit, donec monachorum habitationi aptum eſſet. Hæc de variis monachorum coloniis, quæ ſub abbate Vuilhelmo ex monaſterio Hirſaugienſi in varias Germaniæ regiones deductæ fuerunt; nunc dicendum de diſcipulis ejus celebrioribus, qui Eccleſiam & Ordinem noſtrum illuſtrarunt. ANN. CHR. MXCI. IV. JULII.

19. Fama, *inquit Trithemius*, ſanctiſſimi viri Wilhelmi abbatis longe lateque per orbem divulgata, cœperunt ad eum multi confluere in ſæculo nobiles & divites, qui contemtis omnibus rebus pompiſque mundi, ſuave jugum Domini ſub ejus obedientia portandum ſubierunt. *Et quidem, ut ait Bertholdus, auctor Vuilhelmo æqualis, in Chronico ad annum* MLXXXIII. *de tribus monaſteriis, ſcilicet ſancti Blaſii in Silva-nigra, Hirſaugienſi & Scafhuſenſi loquens, Marchiones & comites, aliique viri nobiles, admiſſi inter fratres Hirſaugienſes, paſcere porcos, aliiſque ejuſmodi vilioribus miniſteriis ſub Vilhelmi obedientia operam dare delicias computabant. Ex his nonnullos recenſet Trithemius, qui ad Eccleſiæ dignitates poſtmodum evecti fuerunt. Primum inter eos locum obtinet ſanctus* THIEMO, *ex monacho Hirſaugienſi archiepiſcopus Saltzburgenſis creatus, qui tandem in itinere Jeroſolymitano martyr occubuit, ut in ejus Vita Sæculo ſequenti videbimus. Duos ei ſubjungit Trithemius* GEBHARDOS, *quorum primus, Bertholdi ducis frater, in Conſtantiæ urbis ſedem evectus novam Hirſaugienſem eccleſiam conſecravit, & Legatus ſedis Apoſtolicæ factus, multos pro Eccleſiæ tuitione labores pertulit: alter ex Priore Hirſaugienſi factus abbas poſt beati Vuilhelmi exceſſum, tandem epiſcopus Spirenſis ordinatus eſt. Iis accenſendus* THEOGERUS, *multorum monaſteriorum pater, tum epiſcopus Mettenſis factus, qui poſt obitum inter ſanctos locum meruit. ejus vitam Sæculo ſequenti, Deo concedente, dabimus.*

Celebriores B. Vuilhelmi diſcipuli.

S. Thiemo archiepiſc.

Gebhardi duo epiſc.

S. Theogerus epiſc. Mettenſis.

20. *Abbates ex Vuilhelmi diſcipulis aſſumtos pleroſque laudavimus, ubi actum eſt de monaſteriis ab eo inſtitutis. Iis adjungendus eſt* GOTFRIDUS, *qui poſt beati Vuilhelmi obitum Notgero Zvviſalthenſi abbati defuncto ſubſtitutus*, non ſine opinione ſanctitatis, *inquit Trithemius*, ex hac vita deceſſit. *Idem auctor laudat* ERMINOLDUM, *ex Vuilhelmi diſcipulo abbatem Lauriſſenſem, qui cum abdicata dignitate Hirſaugiam rediiſſet, tandem primus abbas Pruveningenſis factus eſt, & multis virtutibus clarus poſt mortem ſancti titulum promeruit. hujus quoque vitam ſuo loco dabimus Sæculo ſequenti.*

Abbates complures.

21. *Nec prætermittendi ſunt Priores Hirſaugiæ, qui ſub abbate Vuilhelmo floruerunt. Primus occurrit apud Trithemium* ADELBERTUS, vir, *inquit Trithemius*, omnium virtutum ornatu decorus, vitæ ſanctimonia paternæ traditionis auditor, cuſtos & æmulator ſtudioſiſſimus; qui etſi debilis corpore, mente tamen & fervore ſpiritus multis fortior fortiſſimis inceſſit.... quicumque illius viſa converſatione ſanctior non evaſit, procul dubio numquam ſanctus fuit. *Poſt ejus felicem ex hac vita exitum beatus abbas* THEODORICUM *ei ſubſtituit*, ſapientia & eruditione ſcripturarum illuſtrem: nec minus vitæ merito ſanctum quam ſcientiæ ſtudio eruditum. *quo, ut mox dicebamus, Petershuſenſi facto abbate, Vuilhelmus* OTTONEM *ex cellerario priorem conſtituit, virum ætate maturum; huic ſucceſſit Gebhardus, qui, ut jam diximus, in beati Vuilhelmi locum poſt ejus mortem abbas Hirſaugienſis ordinatus eſt. Inter celebriores Vuilhelmi diſcipulos locum habere debet Adalbertus Comes, qui beati Abbatis ejuſque diſcipulorum ſancta converſatione permotus, ad meliorem frugem adductus, tandem profeſſus vitam monaſticam ſancto fine quievit. Id non ſolum ex Trithemio diſcimus, ſed etiam ex Bertholdo Hermanni continuatore, qui hoc ipſo tempore in illis partibus ſcribebat. ſic quippe habet ad annum* MXCIX. Adelbertus comes piæ recordationis, in fidelitate ſancti Petri contra ſchiſmaticos jam ex antiquo ſtudioſiſſimus, & demum ex Comite monachus factus, feliciter diem clauſit extremum X. Cal. Octobris; & in monaſterio, quod ipſe de propriis conſtruxit, in quo monachicum habitum ſuſcepit, honorifice ſepelitur, ſcilicet Hirſaugiæ, præſidente domino Gebehardo abbate.

Priores.

Adalbertus comes.

22. His *denique* temporibus, *ut Trithemius ſcribit*, claruerunt in monaſterio Hirſaugienſi ſub magiſterio beatiſſimi patris Vuilhelmi plures monachi præclari & inſignes, quorum aliqui fuerunt in omni genere ſcripturarum doctiſſimi, quidam ſanctitatis merito glorioſi, nonnulli ſcientia ſcripturarum ſimul ac vitæ merito coram Deo & hominibus conſummati. *Et adeo erat, inquit Udalricus in præfatione ad conſuetudines Cluniacenſes, Vuilhelmi diſcipulorum à rebus terrenis aliena converſatio*, ut hi non aliam vitam quam illam, quæ eſt cæleſtis & perpetua, exſpectarent. *Hanc coram miratus eſt ſanctus Anſelmus. nam ſi Trithemio fides eſt, Hirſaugiam venit, ibique tranſegit quatuordecim dies, in medio fratrum quaſi unus ex illis reſidens, colloquens cum eis de Scripturis ſanctis, de inſtitutione morum regularium, de amore Dei animarumque ſalute; reſpondenſque ad omnia fratrum interrogata. Certe ex ipſo Anſelmo diſcimus eum olim id deſideraſſe. ſic quippe epiſtolam ad beatum Vuilhelmum ſcriptam*

Monachi.

A S. Anſelmo laudati.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXCI. IV. Julii.

concludit: Si præſens eſſem coram vobis & coram ſancta congregatione veſtra, de qua multa bona à multis concorditer audio, ſupplici mente totum corpus proſternerem; & ut me bonorum, quæ Deus operatur in veſtro monaſterio, in perpetuum participem in fraterna caritate concederetis peterem. Sed quoniam ego hoc non poſſum, præſumo non de meis meritis, ſed de veſtra ſanctitate rogare, ut vos hoc pro me non humiliato corpore, ſed benigna mente ab eiſdem filiis veſtris mihi petatis & cum illis concedatis. Valete. *Hæc epiſtola locum habet inter alias Anſelmi libro 1. num. 56. eam vero Trithemius integram, & quidem interpolatam, exhibet in utraque Chronici Hirſaugienſis editione, ubi nonnulla interſeruntur de Hirſaugienſi beati Anſelmi itinere, quæ in aliis editionibus non habentur. Fallitur etiam idem auctor, cum ſcribit hanc epiſtolam à beato Anſelmo jam Cantuarienſi archiepiſcopo, qui Romæ noverat Vuilhelmum, exaratam fuiſſe; illud enim vel ex hoc uno conſtat eſſe falſum, quod Anſelmus nonniſi poſt Vuilhelmi mortem in ſedem Cantuarienſem evectus fuerit.*

Vuilhelmi virtutes.

23. *Referre non vacat omnia auctorum teſtimonia, quæ in Vuilhelmi commendationem ſcripta ſunt. Sancto Hugoni Cluniacenſium abbati conjunctiſſimum fuiſſe ex Vita infra patebit. Laudat ejus humilitatem ſimul & caritatem beatus Udalricus, potiſſimum in præfatione libri 3. Conſuetudinum Cluniacenſium, ubi eum* totius religionis præcipuum amatorem *appellat. Enituit potiſſimum ejus caritas in ſuſcipiendis exſulibus, qui fervente inter Gregorium Pontificem & Henricum Auguſtum diſſidio, ſedes proprias relinquere coacti ad Hirſaugienſe monaſterium velut ad tutum portum confugiebant.* Multi, *inquit Trithemius*, viri boni Deum timentes, comites, barones, milites, nobiles & ignobiles, clerici & laïci, divites & mediocres, qui animas ſuas à communione ſchiſmaticorum immaculatas cuſtodire volebant, relictis caſtellis, domibus & eccleſiis ſuis, ad monaſterium Hirſaugienſe, quaſi ad civitatem quamdam refugii venerant, quorum plures mutato habitu monachi facti ſunt, & plures in habitu priſtino Deo & monachis ſanctæ Congregationis uſque ad mortem ſervierunt. *Mirari autem ſubit quod eo tempore, quo ceteri Abbates & Epiſcopi à ſchiſmaticis expellebantur, nullus tamen umquam auſus fuerit Vuilhelmum è monaſterio exturbare, quamvis non ſolum ipſe cum ſuis in Apoſtolicæ ſedis obedientia remaneret, ſed & etiam alios titubantes confirmaret, deviantes revocaret, ac denique omnes in ſuo monaſterio reciperet ac enutriret. Tanta erat ejus ſanctitatis opinio. Hic quippe, uti ait Trithemius*, ſanctus iſte Wilhelmus Dei famulus, numquam induci potuit, ut ſchiſmaticis Eccleſiam Domini conturbantibus vel conſentiret in modico, vel communicaret.... Hic eſt *denique* Vuilhelmus abbas ſanctiſſimus Chriſti famulus, qui Ordinem divi patris noſtri Benedicti ſuo tempore, pæne collapſum in Germania, & deformatum inſolentia monachorum, inſtaurare & reformare ſtuduit, & pluſquam centum monaſteria tam per ſe quam ſuos ad priſtinam regularis diſciplinæ obſervantiam revocavit.... *Hic denique* Vuilhelmus, Hirſaugienſium ter quaterque ſanctiſſimus abbas, octo noſtri Ordinis monachorum cœnobia in diverſis provinciis fundavit. *Eumdem pluribus laudat Bertholdus Hermanni continuator, qui & nonnulla monaſteria ab eo conſtructa aut reſtaurata recenſet.* Vuilhelmus, *inquit*, piæ memoriæ Hirſaugienſis abbas, in cauſa ſancti Petri ferventiſſimus, & in monaſtica religione ſtudioſiſſimus, utpote multorum pater monaſteriorum, III. Nonis Julii migravit ad Dominum. Hic primum Hirſaugienſe monaſterium tam in ædificiis quam in regularibus diſciplinis mirabiliter exaltavit, ipſumque privilegio ſedis Apoſtolicæ ſub Gregorio papa in perpetuum liberavit. Plura etiam monaſteria ex integro uſquequaque conſtruxit; duo quidem in Nigra-ſilva, unum ſancti Georgii, alterum ſancti Gregorii...., item aliud ad Duplicem-aquam prope Danubium; item aliud in Vuirceburgenſi epiſcopatu, in loco qui Camberg dicitur. Schafuſenſe quoque monaſterium, Petriſhuſenſe in ripa Rheni, jamdudum ædificata regularibus diſciplinis inſtituit. Sed & alia quam plura in diverſis regionibus, tum per ſe tum per ſibi ſubjectos, & de novo fecit, & jam facta regularibus diſciplinis inſtituit. *& poſt multa.* Ante omnia in illo ſtudium monaſticæ diſtrictionis prævaluit, in quo totus adeo efferbuit, ac ſi numquam aliud aliquid ſtudii habuerit. Erat enim miræ ſanctitatis, ſanctæ ſimplicitatis, ferventiſſimæ caritatis; Deo vivus & ſæculo crucifixus. quem Dominus in ſenectute bona ad æternam patriam revocavit, cui ipſe à juventute in hac peregrinatione indefeſſo labore ſervivit.

Species externa.

24. *Exterior Vuilhelmi ſpecies egregie internam animi ejus magnitudinem repræſentabat. Hanc prout ex antiquis, uti aſſerit, monumentis acceperat Trithemius deſcribit his verbis in utraque Chronici editione.* Erat vir per omnia dignus honore, cujus etiam diſpoſitio corporis quemdam reverentiæ cultum ab intuentibus exigebat. Statura ſiquidem procerus, in anteriore corporis parte calvus, pilos in reliquo raros habebat, faciem cerulei mixti albedine coloris pulcram & aliquantulum productam, manuumque digitos pulcra longitudine ſubtiles, ac totum corpus debita proportione ad virtutem fuerat ordinatum. Vox illi grandis atque virilis erat, qualis cum naturali quodam ornatu verborum, optimum quemque oratorem facere conſuevit: unde in exhortando multum valuit, ita ut dulcedine vocis, & quadam auctoritate ſermonis modeſtiſſime præſtans, animos auditorum in ſua videretur habere po-

Digitized by Google

Ann. Chr. MXCI. IV. Julii.

teſtate: dum quidquid dicere voluiſſet, admirabili facilitate, pulcritudineque auditoribus potuit perſuadere. Commendabat in eo dicendi peritia naturam, ut facile perſuadendo alliceret quoſcumque ſermonis dulcedine voluiſſet, &c.

Ejus ſcripta.

25. *Nonnulla opuſcula edidit Vuilhelmus, quæ ipſi inter eccleſiaſticos ſcriptores locum meruerunt. Ea ſic enumerat Trithemius in veteri Chronici Hirſaugienſis editione.* Scripſit de Muſica, de compoſitione monocordi, de aſtrolabio & ejus compoſitione, de compoſitione quoque horologii, de correctione Pſalterii & de ratione computi eccleſiaſtica. *Eadem ferme repetit in altera ejuſdem Chronici editione ſicut & in catalogo virorum illuſtrium, utrobique tamen addit librum unum epiſtolarum, & duos libros de conſuetudinibus Hirſaugienſibus, præter alia nonnulla opuſcula, quæ in ſuas manus non pervenerant. Petrus Vagnerus monachus ſancti Udalrici, uti refert Carolus Stengelius in notis ad beati Vuilhelmi vitam, præter hæc omnia opera, laudat in ſuo* virorum illuſtrium congeſtu *dictionarium quoddam beato noſtro Vuilhelmo tributum, in quo multa de ſingulis dictionibus congeruntur, quod ideo* liber ſeu Vuilhelmus de univerſo *nuncupari ſolitum erat. Sed hic omittere non licet quæ de ejuſdem beati viri opuſculis habet Berthodus, auctor gravis & ipſi æqualis.* Hic, *inquit de noſtro Vuillelmo,* multa monumenta ſui naturalis ingenii nobis reliquit. Nam naturale horologium ad exemplum cæleſtis hemiſphærii excogitavit. Naturalia ſolſtitia ſive æquinoctia, & ſtatum mundi certis experimentis invenire monſtravit. quæ omnia quidam ejus familiaris etiam litteris mandare curavit. Multas etiam quæſtiones de Computo probatiſſimis rationibus enodavit. Hic in muſica peritiſſimus fuit, multaque artis illius ſubtilia, antiquis doctoribus incognita elucidavit. Multos etiam errores in cantibus deprehenſos ſatis rationabiliter ad artem correxit. In quadruvio ſane pæne omnibus antiquis videbatur præeminere. *Ex his vero omnibus beati abbatis operibus vix quidquam ſupereſt, præter libros ejus de Conſuetudinibus Hirſaugienſibus, qui hodieque paſſim occurrunt in variis monaſteriorum ordinis noſtri in Germania bibliothecis. Eorum prologum habes ex codice Vueingarthenſi editum tomo 4. Analectorum veterum pag. 465. Ejuſdem liber de Muſica in Auguſtana ſancti Udalrici bibliotheca aliquando exſtitiſſe dicitur. Sed fatetur Stengelius ſe illum fruſtra diu quæſiiſſe. Exſtat in cod. mſ. Villingenſi cum aliis ejuſdem argumenti ſcriptoribus.*

Obitus.

26. *Vuilhelmum eo ipſo anno, quo dedicata eſt novi ejus monaſterii baſilica, è vivis exceſſiſſe teſtis eſt ipſe Vitæ ejus auctor, cui adſtipulatur Trithemius, qui utrumque anno* MXCI. *conſignat. De dedicatione hæc habet:* Eodem anno MXCI. die XX. Aprilis, quæ fuit octava Dominicæ reſurrectionis feſtiva, eccleſia nova præfati cœnobii majoris ad inſtantiam beatiſſimi abbatis Vuilhelmi cum ſollemnitate debita conſecrata fuit per Johannem epiſcopum Spirenſem ſub honorem Domini noſtri Jeſu-Chriſti ac beatiſſimorum Apoſtolorum ejus Petri & Pauli. *Hoc anno Paſcha incidit in diem* XIII. *Aprilis, ac proinde ejus Octava in* XX. *ejuſdem menſis diem. De ejus morte: Vuilhelmus* feliciter in Domino quievit IV. Nonas Julii, anno Dominicæ Incarnationis MXCI. Indictione XIV. ſub Henrico imperatore IV. & Urbano Papa II. anno ſuſcepti regiminis XXII. ætatis vero ſuæ anno LXV. *qui characteres Chronologici optime ſibi cohærent. In nova editione Trithemius habet,* anno Henrici Imperatoris XXXIV. *Bertholdus Hermanni Contracti continuator fuſe agit de noſtro Vuilhelmo ad hunc ipſum annum* MXCI. *quo pariter ejus obitum conſignat, ſed die* III. *Nonas Julii. quod forte Vuilhelmus ipſa nocte inter diem* IV. *&* V. *Julii è vita exceſſerit. Certe ipſe vitæ auctor, quem cuilibet alteri præferendum cenſemus, beatum abbatem die* IV. *Nonas Julii poſt meridiem, obiiſſe ſcribit.*

Cultus.

Ejus tamen memoria die V. *ſeu* III. *Nonas Julii in faſtis Benedictinis celebratur à Dorganio, Arnoldo Vvione & Hugone Menardo in Martyrologio Benedictino, & à Gabriële Bucelino in Menologio. Hos ſequitur Ferrarius in Catalogo generali ſanctorum, qui in Martyrologio Romano non habentur. Mirum eſt autem virum celebrem, & Apoſtolicæ ſedi adeo addictum, miraculiſque ante & poſt mortem clarum, nondum auctoritate publica cultu ſacro fuiſſe donatum. De eo paſſim agunt ſcriptores rerum Germanicarum, aut Benedictinarum. Stengelius in notis ad ejus vitam profert hymnum veterem in beati Vuilhelmi honorem, deſcriptum è codice mſ. monaſterii Viennenſis beatæ Virginis ad Scotos, quem poſt Vitam cum beati viri epitaphio proferre viſum eſt, quod ex eo hymno colligi poſſe videatur beati Vuilhelmi feſtum aliquando publice celebratum fuiſſe.*

Vuilhelmi parentes.

1. REVERENDISSIMUS abbas VUILHELMUS Bavariorum proſapia, religioſis parentibus exortus, Chriſti adſpirante gratia, pia indole mentis accreſcebat, quæ cunctis eum amabilem efficiebat. Puerili vero ætate, ab eiſdem honeſtis parentibus oblatus Deo in monaſterio ſancti Emmerammi martyris [a], ceu pru-

[a] Addit Trithemius tunc temporis S. Ramboldum monaſterio S. Emmerammi fuiſſe abbatem, ſed fallitur, nam Ramboldus primo hujus ſæculi anno defunctus eſt, ut vidimus in ejus Vita.

Ann. Ch. MXCI. IV. Julii.

In monaſterio S. Emmerammi educatur.

dens apis, flores virtutum ex divinis Scripturis, & ab exemplis ſpiritualium ſeniorum carpebat, & in pectoris ſui alveario recondebat. Et quamvis mónaſticæ religionis vigor in eodem cœnobio aliquantulum tepeſceret, ipſe tamen per gratiam Dei in eadem religione ſemper in melius proficiebat; unde etiam ab incautis & negligentibus oppido timebatur, à probis vero & piis ob ſinceritatem & puritatem vitæ nimium diligebatur. Denique divina clementia illum comitante, tanta ingenii excellentia pollebat, ut cum eminentia honeſtorum morum ſimul emineret ſtudio variarum artium, de quibus multa monumenta ſui naturalis ingenii nobis reliquit. Nam naturale horologium ad exemplum cæleſtis hemiſphærii excogitavit, naturalia ſolſtitia, ſive æquinoctia, & ſtatum mundi certis experimentis invenire monſtravit, quæ omnia etiam litteris mandare curavit. Multas etiam quæſtiones de computo probatiſſimis rationibus enodavit. Hic in muſica peritiſſimus fuit, multaque illius artis ſubtilia antiquis doctoribus incognita elucidavit. Multos etiam errores in cantibus deprehenſos ſatis rationabiliter ad artem correxit. In quadruvio [a] ſane omnibus pæne antiquis videbatur præeminere.

Proficit in ſcientiis.

2. Soli autem Deo placendi cupidus, & carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis crucifigere aggreſſus, jejuniis, vigiliis, aſperitate etiam cilicii macerabat corpus. Sic ergo fide firmatum, ſpe roboratum, caritate radicatum & fundatum, omnique morum probitate decoratum, providentia Dei omnipotentis Hirſaugienſi cœnobio proviſorem deſtinavit ad ſolatium multorum. Denique fratres in eodem cœnobio Deo ſervientes, cum jam fuiſſent rectore deſtituti, dulci ejus rumore delectati, honeſtos legatos ad eum evocandum direxerunt. At ille cauſa cognita non ſe in ſuperbiam extulit, ſed jejuniis & orationibus vacans, junctis ſecum ſpiritualibus hominibus, Domini voluntatem hac in re quærendam ſtatuit. Demum accepta licentia, licet boni quique ei congratularentur de honoris prælatione, ſibi tamen dolebant, quod carerent ejus familiaritatis & affaminis prædulci ſolamine. Ille vero non quærens quæ ſua ſunt, ſed quæ Domini, profeſſus eſt ſe non aliter omnino conſenſurum electioni, niſi prius idem cœnobium integræ redderetur libertati. Igitur quia in jus proprium hoc idem monaſterium [b] Adelbertus comes & advocatus ejuſdem loci cum ſuis parentibus redegerat, & pæne deſtruxerat, comperta viri Dei conſtantia & magnanimitate, in omnibus ſe ei obtemperaturum ſimulabat. Cum eodem namque beato viro curtem regiam adiit, ac ſæculari aſtutia chirographum infideliter compoſuit, illo nil ſiniſtri præ columbina ſimplicitate ſuſpicante, regioque ſigillo illud firmari impetravit. Adveniente igitur Dominica Aſſcenſione, quæ illo anno evenit IV. Nonas Junii *, convocata Clericorum & Laïcorum multitudine, omnium communi voto, hic venerandus electus, laudatus, & cum nimia inundatione fletuum in ſedem Abbatis eſt collocatus. Qua dignitate ſuſcepta, cœpit cæleſtis ſtudii fervore tanto magis inardeſcere, quanto ſe cognoſcebat ceteris exempli gratia prælatum eſſe, ſuumque ſagax ſtudium ſuper omnia convertit ad obſervationem religionis monaſticæ. Alacer erat in exhortando, ſeverus in corripiendo. Nulli invidus, caritate diffuſus, & largitate exſtitit munificus. Cum gravitate dulcis ei affabilitas inerat, per quam cordibus humanis ſuaviter influebat. Negotium ſingulorum ac ſi proprium æſtimabat, peregrinos & pauperes paterno affectu fovebat, ſæpiſſime exutus propria camiſia aliiſque veſtimentis miſeri artus tegebat.

Fit abbas Hirſaugiæ.

* V. Obſerv. n. 2.

Præclaræ ejus dotes.

[a] Sic appellabant ævi ejus auctores quatuor poſteriores artes ex iis, quas liberales vocant; tres vero priores, *Trivium*. Bertholdus hunc locum de Wilhelmi operibus in Chronico integrum refert.

[b] De Hirſaugienſis monaſterii reſtauratione & comite Adalberto diximus in Elogio V. Friderici, ſupra ad annum 1070.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXCI. IV. Julii.

Monaſterii ſui libertatem obtinet.

3. Inter hæc ergo exercitia virtutum, quadam tentatione probatus eſt potius quam pulſatus, quæ probatio ſibi quidem ad coronam, Hirſaugienſi vero cœnobio ad ſtabilimentum & munimentum profuit. Nam ſupradictum chirographum libertatis infideliter compoſitum, ſecrete ſibi inſinuante conjuge prædicti Comitis, reſcivit, & ſub obtentu prædictæ libertatis, de priſtina violentia ac ſubjectione injuſta Hirſaugienſis clauſtri nil minutum, ſed potius auctum & roboratum. Tali autem perturbatione aliquantulum commotus propter ſtatum loci, aſſiduis precibus & lacrymis interpellabat Dominum, ut de terrenæ poteſtatis jugo eriperet locum, quem pro ſuo amore ſuſceperat regendum. Itaque miſericors Dominus, qui, juxta vocem Pſalmiſtæ, prope eſt omnibus invocantibus eum in veritate, *(Pſ. 144. 18.)* ex improviſo eumdem Comitem tanta circumdedit adverſitate, ut pæne deſperaret ullum evadendi aditum ſe poſſe reperire. Ita conſtrictus, omni devotione conſilium & auxilium ſpiritualium virorum expetivit. qui dixerunt, eum non aliter evaſurum tanta diſcrimina, niſi cum omni fide libertati redderet Hirſaugienſem locum, quem injuſte poſſederat. Quorum conſiliis acquieſcens, fide integra ſe abdicavit omni jure proprietatis ejuſdem loci; & chirographum cum omni diligentia ſecundum conſilium timentium Deum componi fecit, priori chirographo penitus deleto, atque abjecto. Poſtquam autem venerandus pater Vvilhelmus proprio labore & induſtria novum chirographum ſtudioſiſſime compoſuit, ipſemet illud Regi Henrico regio ſigillo roborandum obtulit.

Romam petit.

4. Quo ad votum completo, ſtatuit etiam Apoſtolicam ſedem adire, & privilegium Hirſaugienſi cœnobio ſecundum ſcita Canonum acquirere. Deinde iter aggreſſus, proſpero curſu Romam venit. Ibi à Domino Apoſtolico beatæ memoriæ Gregorio benigne ſuſceptus, cognitis cauſis quorum gratia illo advenerat, libentiſſime, prout competebat, annuit. Nam privilegium Apoſtolica auctoritate plenum ſibi contradidit, & ob munimentum Hirſaugienſis cœnobii chirographum unum ab eo receptum in ſcrinio ſancti Petri recondidit. Aliquamdiu ergo ibi demoratus, graviſſimam infirmitatem incidit, horribili enim ventris inflatione tenebatur oppreſſus, adeo ut nuſquam poſſet greſſum movere; cumque diu hac infirmitate laboraret, & ejus recuperatio deſperaretur etiam à peritiſſimis medicis, quadam die ſe duci præcepit ad altare ſanctæ Mariæ ſemper virginis, reclinatoque ventre ſauciato ad altare, intimis precibus flagitabat remedium piiſſimæ Dei Genitricis. Tantam ſpem atque fidem gratia Dei amore dulciſſimæ Genitricis ſuæ conſequuta eſt. Subito namque contra ſpem omnium cœpit convaleſcere, ac ſe cibo reficere, & non poſt longum tempus in ſuum locum, cunctis gratulantibus, reverſus eſt.

Infirmus B. Mariæ precibus ſanatur.

5. Eo tempore Eccleſia Catholica miſerabili ac deteſtabili ſchiſmate [a] ab inimicis Chriſtianæ unitatis ſcindebatur. Sed quia hic vere Deo dignus igne divini amoris totus incanduerat, ac zelo animarum æſtuabat, ſalubri conſilio quoſque ad unitatem Eccleſiæ tenendam ſervandamque animabat. Et quia ſimplici ac puro oculo tali inſiſtebat negotio, quidquid agebat, cunctorum religioſorum animis complacebat: quidquid dicebat, omnium bonorum corda intimo amoris affectu delectabat. Cum columbina ſimplicitate tantum viguit in eo ſerpentina aſtutia, ut ab hujus ſæculi prudentibus videretur omnes præcedere in prudentia: & à divina ſapientibus mire coleretur pro puræ mentis innocentia.

Ejus caritas.

6. Tanta caritatis affluebat benignitate, ut neminem perfecte divino ſervitio cupientem ſe mancipare, pro paupertate ſua deſpiceret, neminem ob imperitiam refutaret. Nobiles ac ignobiles, divites & pauperes, viros

[a] Exſtat ea de re Gregorii VII. epiſtola ad A. Patavienſem epiſcopum & noſtrum Vvilhelmum, quæ eſt libri IX. ſecunda.

Ann. Ch. MXCI. IV. Julii. ac mulieres, ad contemtum mundi incitabat, ac ſingulos ad amorem cæleſtis vitæ verbo & exemplo accendebat. Multa hoſpitibus, multa pauperibus diſtribuebat: nec tamen commiſſorum ſibi curam poſtponebat, ſed cum paterna ſollicitudine, & cum magna caritatis affectione omnibus neceſſaria adminiſtrabat. Si qua vero rei familiaris penuria ingruebat, hanc non ſolum tolerabilem, ſed gratam ſibi ſuiſque blande & virili commonitione faciebat, aſſerens hanc eſſe dilectorum Chriſti probationem, & ſi patientia cum gratiarum actione ac precum frequentatione adeſſet, procul dubio mox manifeſtam à Deo venturam conſolationem. Quod utique eſt evidentibus ſæpe declaratum indiciis, dum ei in omni anguſtia Dominus oſtium miſericordiæ ſuæ, fide & precibus pulſanti, aperire dignatus eſt. Fama igitur vulgante ejus laudabiles actus undique, ad eum quaſi ad bonum odorem Chriſti fideles confluebant: quidam utique cupientes uti ejus ſaluberrimis conſiliis, alii vero ejus orationibus ſe commendantes, plurimi etiam abjecta ſæculari ſarcina magiſterium ejus deligebant.

Humilitas. 7. Ad miniſterium divini officii pro humilitate nolebat paratura indui, quæ aurifrigio vel alicujus pretioſi metalli intextura eſſet ornata. Deteſtabatur etiam oſculationem manus & genuum Abbatis, & omnino talem conſuetudinem abſcidiſſet, niſi eum ſeniores hanc reverentiam ab eis ſuſcipere vix compuliſſent. Quolibet loco præeuntem conventum fratrum ſubſequens, & diligenter inſpiciens, gemendo & plorando, oculoſque cum corde ad cælum levando, pro eis attentius orabat. Ad menſam ſi quid accuratius apparatum illi offerebatur, innuit offerenti, ſi omnibus communiter apponeretur. Si annuit, aliquantulum inde guſtavit; ſin autem, ſtatim infirmioribus diſtribuebat. Deliciarum & epularum diverſitatem, quæ ſunt fomenta luxuriæ, contemnebat, parvis ac mediocribus contentus erat. Siquidem quocumque ſibi eundum neceſſitas exigebat, non ſuperbo equo delectabatur, ſed equa, aut vilis aſelli dorſo vehebatur. Veſtes nitidas, pretioſique velleris horrebat, maxime manicas vel cucullas, quas etiam ſub interminatione excommunicationis abſcidebat, variarumque rerum utenſilia ſuperfluo & pompatico ornatu decorari, acerrima exſecratione prohibebat. Quiſquis obedientiarius, vel alius quis tentatus, vel mæſtitia gravatus ad eum acceſſit, non ſpernendo vel deteſtando, illum contriſtatum; ſed mulcendo & blandiendo verbis conſolatoriis dolorem ipſius delinivit, lætumque ac gaudentem à ſe dimiſit. Lucerna enim ardens & lucens non ſub modio latebat, ſed ſuper candelabrum prominebat: ideoque omnibus exemplum bene vivendi fieri ſtudebat.

8. Inter has ergo aliaſque virtutes, quam ſincera & perfecta fide polleret, nullus ſermo ad integrum explicare valet. Hac enim virtute veluti lorica indutus, virili animo quæque adverſa devicit, ac ſæpius nonnulla difficilia, ac multis pæne impoſſibilia aggreſſus, Domino adjuvante, felici effectu terminavit. Ut enim de pluribus pauca commemorem; dum die

Fiducia in Deum. quodam ſanctus Pater de re familiari tractaret cum fratribus exteriora providentibus, inter cetera quæ conferebantur, denunciaverunt pro quadam inevitabili neceſſitate, neceſſarias eſſe quinque libras argenti. Cum vero nec in promtu eas haberet, nec uſque ſcita ſaltem mutuatione acquirere valerent, & imminens neceſſitas urgeret ſine ulla dilatione perſolvere ipſam pecuniam, tali perturbatione coanguſtati ignorabant quomodo poſſent expedire. Pius autem pater in Domino confidens, verbis conſolatoriis puſillanimitatem illorum ſtuduit animare dicens, nullo modo de Dei miſericordia diffidendum eſſe. Illis vero præ anxietate tepidius excipientibus ejus conſolationem, & affirmantibus, non pro ſe, ſed pro communi detrimento anguſtatos fuiſſe; è conſeſſu ſurrexit, & illis ejus reditum præſtolantibus, exiit foras, implorans auxilium Domini. Nec mora, benignus Dominus

Digitized by Google

Dominus affuit fideli famulo ſuo. Ex improviſo namque quidam ignotus ſuperveniens, contulit ei omnem quantitatem pecuniæ. Mox ergo rediens, protulit de manu ſua quinque libras argenti, & fratres caritative corripiens ait: En adeſt pecunia pro qua puſillanimes facti eſtis. Diſcite nil ergo jam ulterius de multiplici bonitate Dei omnipotentis deſperare. ANN. CHR. MXCI. IV. Julii.

9. Item Deo amabilis Pater quadam die diluculo profectus de monaſterio, non longe obviam habuit quemdam pauperculum, cum uxore & undecim filiis parvulis, obnixe ejus eleemoſynam poſtulantem. Fratres autem qui comitabantur eum, de cellario panes paucos, qui vix ad unum prandium paucis ſufficere poſſent, ſecum tulerant, nam in quodam prato pranſuri erant. Ergo vir Domini invitavit pauperculum cum uxore & filiis ad prandium. Reſidentibus vero omnibus, ex improviſo aderat non modica multitudo equitum, popularium, necnon & pauperum. Itaque pro parvitate alimoniæ ſociis beati viri turbatis, ſimulque rubore ſuffuſis, vir Deo plenus hilari vultu ait ad eos: Quinque panes, quibus Dominus quinque millia hominum pavit, quamdiu integri remanſerunt, nec multiplicati ſunt, nec ullus ex illis paſtus eſt; quando vero à Domino fracti ſunt, utique tunc ſunt multiplicati, & plures ex illis paſti. Hæc dicens promto animo & larga manu diſtribuebat multitudini, quæ aderat, parva alimenta; quæ fide ejus & meritis mirabiliter à Deo ad ſufficientiam omnium ſunt multiplicata. Sane multis admirantibus ejus fidem atque liberalitatem, de paucis cibariis ſunt omnes abunde refecti. Singulis ergo in ſua cum gaudio redeuntibus, vir Deo carus ſupradictum pauperculum cum uxore & filiis retinuit, ac longo tempore victui neceſſaria impendendo, uſque ad meſſem novarum frugum perduxit. Panes multiplicat.

10. Quodam etiam tempore, dum tranſiret ſuper pontem fluvii Nagalta vocati, obviavit ei pauper, qui per multos annos in eleemoſynaria domo decumbens, non aliter quoque greſſum movebat, niſi duobus baculis ſub axellis ſuſtentaretur. Cum ergo occurreret eidem pauperi in medio pontis venerabilis Pater, vi abſtulit ei unum baculum, & ultra paullulum progreſſus cum eodem baculo, fixo gradu ſubſiſtens, egeno, ut ad ſe veniret, præcepit. At ille negavit ſe poſſe incedere ſine ſuſtentaculo alterius baculi. Et contra ſenior: Certe, inquit, hinc non recedam, donec venias ad me. Pauper obtemperans juſſioni ejus, pedetentim ſe trahendo, quo valuit anniſu, venit ad eum. Deinde rejecto omni ſuſtentaculo, ſoſpes & incolumis toto corpore, firmis pedibus incedebat. Sanat claudum.

11. Sed neque hoc ſilentio contegi dignum ducimus, quod propriis oculis vidimus & perſpeximus. Quidam Argentinenſis eccleſiæ Canonicus [a], nobiliſſimis ortus natalibus, ad monaſterium viri Dei venit, & devote ſuſceptus, devotius vixit. Qui mox in initio converſionis ſuæ, paralyſi diſſolvitur toto corpore, ita ut, excepta lingua, nullum membrum permaneret in conjunctione ſua. Erat enim ille idem vir præpollens quadam acris ingenii conſtantia, ſcientiæ & eloquentiæ prærogativa; & neceſſe erat, ut pio Domini flagello refrænaretur, ne forte, ut mens eſt hominis prona ſemper ad malum, aliquo vento elationis elevaretur, & mox in immane præcipitium laberetur. Qua infirmitate ita plus anno ægrotavit, ut manum ad os non porrigeret, latus niſi aliorum adminiculo non mutaret; ſed, ut prædictum eſt, omni membrorum officio careret. Jam tempus miſerendi ejus advenerat, jam Dominus ex alto proſpiciebat, & ecce cœpit virium valetudo redire, manducandi & legendi gratia ſedere, greſſum reptando frequentare: ſed manuum officio omnino negabatur, quoniam hoc ad majorem Domini gloriam ſervabatur. Quadam die vir Domini Vvil- Auctoris ætas.

[a] Is eſt Gebhardus, ſi Trithemio fides eſt, qui poſtea B. Vvillelmo ſucceſſit, ac tandem Spirenſis epiſcopus factus eſt, de quo plura idem Trithemius.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXCI. XV. Julii.

helmus cellam ejus viſitandi gratia ingreditur, & ut à Domino uſum dexteræ precibus obtineret adhortabatur. Abnuit ille cum ſumma deteſtatione, confirmans omnino ſalutem corporis ſe parvipendere. Sed pius Pater totus compaſſionis & miſericordiæ viſceribus plenus, apprehendens * illum benedicit, deoſculatur, & capellam ſanctæ Dei-Genitricis ſemperque virginis Mariæ ingreditur; ubi paullulum in oratione proſtratus, infirmum iterum viſitavit, & dextera ejus recuperata invenitur. Poſt paucos dies uxor fratris ſui monaſterium & ipſum viſendi gratia advenit, & ipſe ſella geſtatoria ad eam deportatur, ubi inter ædificationis & familiaritatis colloquia, ſanatæ dexteræ ſuæ manus incidit memoria. Quam illa muliebri affectu deoſculabatur, ſed mox in priſtinam rigiditatem revertitur. Quod mox ut ſenſit, ſalutata illa, & diſſimulato infortunio ſuo, in cellam ſuam ſe recepit, mærens aliquantulum de hoc quod accidit. Quem vir Dei mox è veſtigio ſubſecutus, & ſpiritu Domini edoctus quod evenerat, cauſam quærit triſtitiæ. Quam ille ſatis ſimplici & humili prodidit confeſſione. Cui vir Deo plenus conſolationis reddidit verba, & apprehenſam dexteram benedixit, & ſaluti priſtinæ reſtituit.

* manum.

Manum aridam iterum ſanat.

Occulta detegit.

11. Alio inde tempore, fratrum quorumdam in inferiori eremo, illius permiſſu quaſi eremitarum more victitantium, cellam viſitavit, quibus tamen adventum ſuum pridie nuntiavit. Unde ultra quam credi poteſt lætificati, utpote Patris amantiſſimi & quaſi angeli Dei viſitatione digni, præparant omnia quæ tanto Patri erant neceſſaria, & eum comitantibus congrua. Erat idem locus piſcibus capiendis aptus, & adoleſcentior quidam in eorum commanentia, hujuſmodi opera exercitatus. Huic fratres ſummopere ſupplicant, ut ſibi & illis præſtaret, & in capiendis piſcibus omnem induſtriam ſuam impenderet. Laudavit, fecit quod potuit; ſed res proceſſum non habuit. Nam cum tota nocte laboraret, & ſecundum votum ſuum nihil omnino proficeret, promiſſo ſuo ſimul & verecundia victus, furtum in ſociorum ſuorum præſumſit piſcibus, & inſolitæ magnitudinis truttam mane fratribus retulit, & eos in non parva admiratione diſcedens reliquit. Erat inter fratres unus altioris & perſpicacioris ingenii, qui inſuetam piſcis magnitudinem admirans, cœpit diligentius de eo perſcrutari. Primum, ut hujuſmodi hominum genus ſolet, furtum cum ſumma deteſtatione negat, & abominatur; ſed cum dulcibus verbis & veri ratione, & re ipſa convincitur, culpam ſuam ſimpliciter fatetur. Tunc videres fratres illos non modice contriſtatos, & in ambiguo poſitos, quia furtum piſcem abominabilem fecerat, & quod jam adventanti Patri apponeretur in promtu non erat. Tunc palliante caritate, piſcem Patri apponere communi conſilio decreverunt, & exceſſum illum jejuniis & orationibus apud ſe in occulto abolendum eſſe ſtatuerunt: limitem juſtitiæ exceſſerunt, quando modum in dilectione non ſervaverunt. Jam adveſperaſcente die Pater deſiderabilis advenit, occurritur, ſuſcipitur, ad orationem ducitur. Tunc dilectiſſimus Pater cariſſimis filiis plena jocunditate, quia inſolita eſurie laboraret, aperuit, & ſi quid pulmentarii haberent, citius apponere præmonuit. Tunc recumbitur, & piſcis ille apponitur, & cum ſumma diligentia, quid facturus ſit vir Deo plenus obſervatur. Ille homo Deo hoſpite edocetur interiori, & quamvis, ut prædictum eſt, non parvam famem pateretur, tamen mira abominatione appoſita ſibi exſecratur, & nihil omnino guſtando quaſi in exceſſu mentis rapitur. Nemo diſcipulorum, vel advenientium, vel ibi manentium audet ſubitam viri mutationem interrogare: ſed advenientes in ſumma erant admiratione, habitantes in maximo timore. Poſtera die maxima contriti cordis devotione culpam ſuam fatentur, & à piiſſimo Patre clementer ſuſcepti, ne deinceps aliquid hujuſmodi præſumerent, ſub diſtricta interminatione admonentur.

Digitized by Google

13. Per idem tempus miſit vir Dei de monaſterio unum fratrem, homine Bennonem, cum quibuſdam ruſticis mercede conductis, ut undecim carradas vini adveherent cum plauſtris, quod vinum quidam civis Moguntinus, nomine Vvignandus, officio caritatis tranſmiſit Hirſaugienſibus. In via autem qua cum eodem vino veniebant, latrones noctu irruentes, pro ſpoliis vim eis intulerunt: ſed illi Deo protegente illæſi cum rebus ſuis evaſerunt, excepto quod fratris prænominati dextrum brachium, percutientibus adverſariis, adeo eſt debilitatum, ut faſciolis illud ad collum ligaret, & ulterius uſum ejus recipere deſperaret. Poſt hoc & aliud infortunium inciderunt. Nam unum de doliis plenum vino, quod ſpecialiter ad eleemoſynam fuit deputatum, vergente plauſtro, in foveam cecidit, & vinum effuſum in foveam fere defluxit. Quo à ruſticanis exhauſto, dolioque vacuo ſuper plauſtrum levato, qui damnum ſuſtinuerunt, cum triſtitia magna iter cœptum tenuerunt. At frater prædictus relictis ſociis ad monaſterium præcucurrit, & viro Dei brachii ſui læſionem, cum damno vini quod acciderat, lamentando expoſuit. Cui ille verbis beati Job hilariter & conſtanter reſpondit dicens: Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit ita factum eſt. Sit nomen Domini benedictum. Conſequenter brachium ejus benedicendo conſignans, priſtinæ ſanitati reſtituit. Deinde præcepit eidem, ut omnia dolia vini advectitii levatis operculis diligenter inſpiceret, & quod ceteris plenius inveniret, hoc totum pauperibus impartiret. Quo citius juſſa complente, cunctis qui aderant videntibus, obſtupeſcentibus ſimul & gaudentibus, dolium antea vacuum, ut credimus, per merita viri Dei ita vino redundabat, ut nullum de ceteris tam plenum inveniri poſſet. Cumque & hoc prædictus frater viro Dei gaudens & exſultans referret, protinus mandatum ab eo accepit, ut nulli hoc revelaret. quod ab aliis qui intererant uſquequaque divulgatum eſt. Ruſticis vero, qui prius pro perdito ex ſua negligentia vino, libram unam argenti ſponte perſolvere volebant, juſſit ſolidum unum ſuper condictam laboris ſui mercedem addi, ciboque ac potu laute curatos cum gaudio ad ſua remitti.

ANN. CH. MXCI. IV. JULII.

Brachium debile reſtituit.

Job 1. 21.

14. Sancto viro aliquando apud villam, quæ dicitur *Vvile*, conſtituto, ſæpedictus frater Benno, qui ibidem procurator rerum monaſterii fuit, in hora refectionis paucos piſciculos ei obtulit, dicens, pro adventu ejus ſe diu multumque in piſcando laboraſſe, & nil amplius præter illos ſe capere potuiſſe. Qui ſtatim præcepit ei piſcandi gratia ad gurgitem redire, & nil de miſericordia Dei diffidere. Quod cum ille mature implere properaret, laxato reti in aqua, in verbo viri Dei, ſtatim octo lucios admodum grandes cepit, & cum eiſdem adhuc retis lino involutis ad virum Dei repedavit. Tunc benigniſſimus Pater juſſit omnes pauperes qui in eadem villa poſſent inveniri ad prandium invitari, & eoſdem piſces eis ad refectionem paratos apponi.

Mira piſcatio.

15. Item dum quadam die vir Dei eleemoſynario præciperet, ut ſtipendia pauperibus ſolito largius præpararet, audivit ab eo ad conficiendos panes valde parum ſupereſſe de frumento. Qui juſſus ab eo diligentius intueri, quantum remanſiſſet frumenti; aperta arca, curioſe cum alio fratre inſpexit, menſuravit, vix unum modium invenit, & viro Dei veritatem indicavit. Mane autem facto, cum eleemoſynarius juſſa Patris impleturus eamdem arcam aperiret, manifeſta Dei virtute fidem & merita fidelis famuli ſui declarante, ſummotenus frumento plenam invenit, quæ tam grandis erat, quod viginti modios capere ſolebat. Quia enim vir ſanctus ſemper ad hoc ſtudioſus & intentus erat, ut in omnibus voluntatem Dei perficeret, & ut * proximis quam ſibimet utilia provideret, ideo miſericors & juſtus Dominus piæ ejus petitioni in omni neceſſitate & anguſtia clementer & efficaciter affuit.

Frumentum multiplicatum.

* plus.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXCI. 15. Julii.

16. His quæ ad miraculum pertinent de ſancto viro partim commemoratis, ob teſtimonium tantæ ejus fidei & ſanctitatis. Nunc de eo alia quædam ſunt narranda, non tam mira, quam ad audiendum jucunda & utilia, & humanæ fragilitati ad imitandum poſſibilia. Non enim in ſanctis Dei ſigna & mirabilia jubemur imitari, ſed bonorum operum exercitia. Et, teſtante ſacræ auctoritatis Scriptura, Miſericordia, compaſſio miſerorum, & zelus animarum plus placent Deo, quam ſacrificia; & ſcientia Dei, pluſquam holocauſta. Itaque hic Dei amicus jugiter, ut ſæpe dictum eſt, miſericordiæ operibus inſiſtens, quadam die de monaſterio Haſunga [a] nuncupato, fratres pluſquam ſeptuaginta ſuſcepit ad ſe confugientes, & ejus ſalubre conſilium atque fidum ſolatium implorantes. Denique epiſcopus Moguntinus [b] à ſchiſmaticis electus atque ordinatus, quia idem cœnobium eccleſiæ Moguntinæ jure proprietatis ſubjectum erat, eoſdem fratres minis, ſuaſionibus atque blanditiis conabatur ſuæ ditioni ſubdere, ac participatione illicitæ communionis contaminare. Illi vero è contra, fixa ſententia unitati Eccleſiæ fidem ſervantes, velut ſurdis auribus blandientem ſpreverunt, ac juxta conſilium & mandatum pii patris Vvilhelmi, relictis omnibus ad ipſum ſe contulerunt. Hoc autem evenit circa menſem Auguſtum ante meſſem novarum frugum: & quamvis eodem anno, & ſequenti, maxima ex parte frumentum pecunia coëmtum quotidiano fratrum victui adminiſtraretur, tamen in Deo fiducia magna præſumens, & pro adventu illorum Dominum glorificans, veluti cuncta horrea frumento plena eſſent, præcepit ſolitam quantitatem panis augeri, dicens: Quia Dominus auxit numerum ſervorum ſuorum, debemus etiam & nos augere annonam illorum. Aliquamdiu retentis ſecum eiſdem fratribus, atque omni humanitate eis exhibita, poſtea dimiſit eis Cellam ſancti Gregorii cum omnibus quæ ad eam pertinebant, quanto tempore voluerunt.

Moguntinus Epiſcopus ſchiſmaticus.

17. Alio quoque tempore ad quamdam Cellam iter tunc agebat, quam rogatu cujuſdam Comitis juxta Danubium conſtruxerat. Jamque illuc appropinquare cœperat, & ecce in confinio ſilvarum quoddam tugurium conſpicatur, aſſumtoque ſecum uno ex commeantibus, ceteris cœptum iter exſequentibus, illuc tendere non moratur. Veniens itaque ad ipſam domunculam, repperit mulierem valde pauperculam: ingreſſuſque, & oblitus ſuæ dignitatis, oblitus aſſueti rigoris juxta ignem ſedit, ipſamque ſedere præcepit. Tunc inter ſacræ ædificationis eloquia, oculos huc illucque circumferens, ſciſcitatur ab ea quonam modo ipſa cum viro ſuo viveret, quia nihil in domo, unde temporalis vitæ ſtipendia conſequerentur, haberet. Illa nil præter miſeram vitam reliquum ſibi eſſe fatetur, pane & aqua ſe victitare, & hæc vix quotidiano labore manuum ſuarum parare. Marito interim de agro regreſſo, quærit ab eis fidemne ſciant Catholicam, ſine qua nemo poteſt conſequi vitam æternam? Qui ſimpliciter quidnam ſit fides, penitus ſe ignorare fatentur. At ille altius ingemiſcens, & geminæ eorum inopiæ ex intimis viſceribus condolens: Quid mirum, ait, ſi ab exterioribus rebus videmini inopes, qui intus, miſerabile dictu, à Deo, qui præſtat nobis omnia abunde ad fruendum, eſtis inanes? Poſt hæc, fidem, prout capere poterant, breviter eis exponit, & pro tempore inſtructis, quatenus ad eamdem Cellam ſe ſequerentur injunxit. Poſtera die illo venientes, benigne ſuſcepit, aliquamdiu benigne retinuit, neceſſitates eorum non modice ſublevavit. Sicque factum eſt, ut & mentis illorum inopiam verbo ſacræ eruditionis ineſcaret, & corporalem penuriam munifice alleviaret.

Ruſticos fidei rudimentis imbuit.

[a] De hoc monaſterio, & aliis hîc & infra num. 22. commemoratis, plura diximus in Obſervationibus præviis.

[b] Hic videtur fuiſſe Vvetzilo Sigefridi ſucceſſor, qui cum legatis Clementis pſeudo-pontificis præfuit conventui Moguntino, anno 1085. habito contra Gregorium VII. ad quem conventum vocatus Vvilhelmus adeſſe renuit.

Digitized by Google

18. Cum quodam hyemali tempore iter ageret per fines Bavariæ, obviam habuit duos pauperes, contra frigoris aſperitatem veſtitus ab eo ſubſidium poſtulantes. Qui mox recordatus ſancti Martini, qui dimidium chlamydis ſuæ largitus eſt algenti pauperi, cum uno famulo digreſſus eſt ſeorſum à commeantibus, & ſagum quod ei tam equitanti quam dormienti ſolebat ſubſterni, in duas partes diviſit, ac ſingulis pauperibus ſingulas partes, quibus ſe à frigore protegerent, impendit.

Ann. Ch. MXCI. IV. Julii.

Sagum divisit pauperibus.

19. Quiddam de beato viro referam, quod reſpicit ad animi ſui puritatem, & ſimplicitatem comprobandam & amandam, & multorum ſui nominis vanitatem deteſtandam & damnandam. Quidam Abbas pretioſis veſtibus, pluſquam talem perſonam, & tam arduum propoſitum deceret, deditus erat; quem vir Domini pro multis aliis bonis à Deo ſibi conceſſis diligebat, ſed in hoc, ſecundum zelum Domini, acriter eum ſæpius corripuit, quamvis parum profuerit. Quodam tempore quaſi pro benedictione idem Abbas pretioſum lectiſternium ei obtulit, & ut ob memoriam mutuæ dilectionis ſuſciperet, rogavit. Quod vir Deo plenus multa ſimplicitate ſuſcepit, & ad offerentis duplicitatem non attendit. Offerens quidem id intendebat, ut in hoc vanitatem ſuam in ſtudio pretioſarum veſtium aliquantulum tegeret: ſcilicet, ſi tam laudabilis, & in omni monachica profeſſione perfectus, hujuſmodi uteretur, ille in alio ſimili non admodum notaretur. Ille namque Abbas olim viri Dei erat profeſſus, & ab eodem ad talem honorem provectus. Una autem tantum nocte vir Dei illo lectiſternio utitur. Poſtera die quidam fratrum obſequio illius devotior, ſecreto illum adiit, ſe eſſe circumventum admonuit. Quo audito, incredibile dictu, factum ſuum expavit & exhorruit, & mox in decem pauperum ſubſidium male ſuſceptum diviſit lectiſternium. Habuit & hoc omni laude dignum cum aliis bonis ſuis ille dilectus Domini: nam à quocumque hominum aliquid boni in admonendo audivit, ac ſi de cælo miſſum, omni devotione ſuſcepit. Cogor multorum ſui nominis altum ſupercilium & ſingulare cornu deflere; hic virtutum, hic totius honeſtatis ſpeculum, ab omni homine elegit correptionis judicium, & veritatem à quocumque homine honoravit.

Abbatis veſtes pretioſæ damnatæ.

20. Compaſſio vero tam naturalis & vehemens ei inerat, ut non ſolum erga homines, ſed etiam erga bruta animalia hanc oſtenderet. Hinc eſt quod quadam hyeme, cum ex abundantia nivium vis algoris plus ſolito ingrueret, idem Pater viſceribus pietatis motus, accito Præpoſito, querula voce dixit ei: Volatilia frigore & fame pereunt, ſume manipulos avenæ, & defige circa ſepes, ut inveniant quo paſcantur. At ille reſpondit: Domine, defecerunt nobis manipuli avenarum. Cui ille: Habeſne, inquit, ſiligineos manipulos aut triticeos? Habeo, inquit. Tunc pius Pater: Ergo, ait, illos vende, & eme avenarios. Ille juſſioni obtemperans, adjutori ſuo injunxit, ut mane ad curtem exiens, opera juſſa impleret. Eadem nocte, quando ſubſequente mane iturus erat, gratia Domini benignitatem ſui ſervi remunerante, aſperitas glaciei emollita eſt levi aëris temperie. Sane pauperes in eleemoſynaria, ſive ruſticos in villulis infirmos jacentes humiliter viſitavit, ac piis conſolationibus fovit, poſtremo obeuntes diligenti cura ſepulturæ tradidit. Eorum vero qui inſaniam mentis patiebantur, nullum ſuſcipere dedignatus eſt. Aut enim cum toto fratrum conventu pſalmos & benedictiones recitavit ſuper illos, aut cum quibuſdam fratribus, quæ tali negotio congruebant explevit: & miſericordia Domini ſubſequente, cum ſanitate mentis & corporis læti ad propria redierunt.

Mira compaſſio.

21. Religio quoque monaſtica, quæ pæne in provinciis Theutonicis refrixerat in eis qui habitum religionis prætendebant, hujus beati Patris ſtudio cœpit recaleſcere & recuperari. Non ſolum autem monaſtica inſtitutio ejus

Mores reformat.

Digitized by Google

ANN. CH. MXCI. XV. JULII. æmulatione profecit, ſed & ſinguli gradus eccleſiaſtici Ordinis illius exemplis erudiebantur. Monachos namque humilitate, caritate, fervore, & religione inſtruebat; Epiſcopos, Preſbyteros, ſeu quoſlibet Clericos doctrina & auctoritate promovebat; Laïcos converſione & ſubjectione docebat; Virgines, viduas ac mulieres munditia & caſtitate informabat; pauperes Chriſti & peregrinos parvo contentos eſſe, ac mundum ſub pedibus habere, & omnem ejus gloriam, verbis & operibus diſſuadebat. Singuli fideles Chriſti ad illum quaſi ad ſinum matris confugiebant, multumque per eum in Deo proficiebant.

22. Nunc tandem veniam ad enarrandum id, quod erat inter omnia opera ſua præcipuum, & uſque ad finem ſæculi multorum animabus per cœnobialem vitam ſalvandis profuturum. Erat enim ſtudioſiſſimus cœnobiorum novorum fundator, ac veterum inſtaurator. Denique ſeptem cœnobia tam per ſe quam per ſuos diſcipulos variis in locis à fundamentis conſtruxit. Quorum primum fuit cella ſancti Gregorii, quæ proprie ad Hirſaugiam pertinet. Secundum ſancti Georgii martyris; utrumque in Nigra-ſilva. Tertium in Bavaria in honore ſancti Martini. Quartum in Thuringia, quod dicitur *Erphesfurch* *. Quintum ad Duplicem-aquam in honore ſanctæ Mariæ. Sextum in villa *Vvilheim*, quod poſtea mutatum eſt in montem ſancti Petri. Septimum in provincia Charentinorum. Alia vero tria, id eſt *Schaffhuſen*, *Petrishuſen*, *Campergenſe*, pæne jam deſtructa reſtauravit. In quorum gubernatione hæc erat ei, cum ſollicitudine quotidiana, non parva difficultas, tales videlicet in congregatione fratrum invenire perſonas, quæ eſſent utiles & idoneæ ad lucrandas animas. Nam ſecundum Dominicum ſermonem, Meſſis quidem multa, operarii autem pauci, dum eos qui aliis debent præeſſe, & opere & ſermone oportet eſſe probatos, ac non minus ſæculari ſcientia quam ſpirituali eruditos. Sed quia pauciſſimi inveniuntur, qui utroque polleant: plures tamen ſunt, qui unum ſine altero poſſideant, id eſt aut vitam bonam ſine ſcientia vel eloquentia doctrinæ; aut verbum doctrinæ ſine religioſà converſatione. Eos ille ſapiens architectus ſtuduit quaſi quadratos lapides, ubi apparerent, in ædificio ſpirituali promovere, quos novit expolitis moribus laudabiliter vivere, etiamſi cetera neceſſaria minus ſuppeterent; in hoc ſequens memorabile factum Gregorii papæ ſeptimi. Huic enim cujuſdam eccleſiæ clerus & populus duos electos ad Epiſcopatum præſentavit, & unum quemlibet ex duobus Epiſcopum ſibi ordinari petiit. Sed Papa unum ex his ſciens eſſe bonum doctorem, nec tamen religioſum, alterum è contrario religioſum, nec tamen neceſſariæ eruditionis peritum; quem ex duobus præeligeret, dubitavit, atque id divinitus ſibi manifeſtari orationibus cujuſdam ſervi Dei hoc modo impetravit. Nam idem vir ſpiritualis cum hoc ſibi à Papa injunctum vigilanter Deo commendaret, & per interventum ſanctæ Dei-genitricis Mariæ, ſibi voluntatem Dei revelari intente ſupplicaret, per viſum ei beata Maria virgo apparuit, duoſque anulos, quorum unus purum aurum, alter perlucida gemma eſſe videbatur, oſtendit; eique interroganti, quem ex duobus eligeret. Gemmam, inquit. Qui evigilans, Papæ viſum ſuum narravit, incertus tamen quid ad cauſam prætaxatam vel aurum vel gemma innueret. Confeſtim Papa, qui erat perſpicacis ingenii: Non dubium eſt, inquit, quod, teſtante ſacro eloquio, per aurum ſapientia, per gemmam vero ſimplex & pura vita hominis ſignatur. Ideoque, ex ipſo judicio caſtiſſimæ Dei-genitricis ſemperque virginis Mariæ, ille qui caſte, juſte, pie vivit, etiamſi ei aurum ſapientiæ vel eloquentiæ deſit, ad exemplum bene vivendi populis præeſſe meretur; hujus enim etſi lingua tacet, vita docet. Oportet in hujuſmodi electione ſummopere Canonum ſanctiones obſervari, ſemperque ad regimen animarum, non quoſlibet populares, ſed regulares dumtaxat perſonas promoveri.

Varia ædificat & reſtaurat monaſteria.

* Erphord.

Pius vir docto præferendus.

Digitized by Google

23. Hoc ergo informatus exemplo fidelis ſervus Domini & prudens, in quibuſdam ex prædictis cœnobiis ſtatutis Abbatibus, in quibuſdam Prioribus, religioſos monachos ſimul cum converſis laïcis deputavit. Enimvero amabilis pater zelo animarum fervens primus inſtituit, ut monachi miniſterio fideli laïcorum converſorum in exterioribus adminiſtrandis uterentur, & verſa vice iidem laïci à monachis quod ad curam animarum pertinet conſequerentur, eorumque clauſtralem diſciplinam pro poſſe ſuo, extra clauſtrum, in corrigendis moribus imitarentur: de quorum converſatione, ſecundum quod ſæpe dictus Pater Deo inſpirante ordinavit, operæ pretium eſt aliqua commemorare, de quibus certi ſumus ſicut in præſenti tempore, ita & in futuro multos poſſe proficere. Ad nocturnas vigilias omnes in eccleſiam conveniunt, quibus tamen propter diurnum injunctum operis laborem breviter Matutini decantantur. Poſtea qui volunt ad lectos revertuntur, alii in eccleſia perſeverant, donec nocturni à monachis finiantur. Summo mane Miſſam audiunt; deinde ad Capitulum conveniunt, ibi pro diverſis exceſſibus veniam petunt, & congruam à Magiſtro diſciplinam accipiunt. Quo peracto, & ſubſequente, quibus neceſſe eſt, peccatorum confeſſione, unuſquiſque ad opus ſibi injunctum divertit. Nam illis injuncta ſunt ſingula quæque officia intra vel extra cellam gerenda, quæ tam fideliter, honeſte ac diligenter tractant & adminiſtrant, ac ſi à Deo ſibi commiſſa. Nil proprium poſſident, ſed ſicut in Actibus Apoſtolorum legitur, Omnia in medium conferuntur, unicuique prout opus habet diſtribuitur. In agendis negotiis non ſolum lites ac jurgia devitant, ſed etiam ab otioſo ſermone ſe continent. Prælatis ſuis obtemperant, ſine quorum permiſſione, nec etiam extra Cellam longius iter agunt; ſemper in Dominico die communicant, itaut dimidia pars illorum in una, altera pars in altera die Dominica corpus & ſanguinem Domini reverenter accipiant; ſed in ſummis feſtivitatibus omnes ſimul. Qui iter facturus eſt, ipſa die communicat, ſi tamen ante proximam diem Dominicam ſe rediturum non ſperat. Revertentes de via veniam petunt pro exceſſibus in via commiſſis. In coquina ſerviendo, & tam ſibi quam monachis & hoſpitibus cibum parando ſeptimanas ſuas viciſſim peragunt: cibum una capiunt, quem ſibi invicem apponunt. Ad diurnas horas non veniunt ad eccleſiam, niſi quibus ad hoc vacat. Ad Completorium ſicut ad nocturnos, omnes, ſive pæne omnes, adſunt: poſtea cum ſilentio ad lectos ſuos divertunt. Ad hujus ſpiritualis vitæ obſervantiam ſanctus pater Vvilhelmus congruam in eodem loco Hirſaugiæ conſtruxit habitationem, videlicet novum monaſterium in honore beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ſanctique Aurelii confeſſoris, ad Auſtralem plagam per manus ſub obedientia ſua militantium. Quod infra annos novem conſummatum, in decimo eſt dedicatum [a]. Denique ipſum templum antequam dedicaretur, pauperibus per girum replevit à ſuperiori parte uſque ad valvas, clauſiſque januis, per ſeipſum eis miniſtravit. Ipſo tempore & deinceps uſque ad obitum ſuum plus ſolito egenis ſtipendia erogavit.

Laïci converſi primò inſtituti.

Eorum diſciplina.

Act. 4. 32.

24. Poſt prædictam dedicationem novem hebdomadibus ſupervixit, jamque inſtante natali Apoſtolorum Petri & Pauli languor eum invaſit. Nocturnis vigiliis & diurno miniſterio, licet debilis, interfuit, craſtino privatam Miſſam ad principale altare celebravit. In ſequenti nocte cum præ moleſtia corporis ſurgere non poſſet, per viſionem divinitus conſolationem accepit; dictumque eſt ei quod ſancti Petrus & Paulus in ejus juvamine promti adeſſent. Diluculo cum greſſum vix movere poſſet, dedu-

Incidit in morbum.

[a] Dedicata eſt hæc nova eccleſia per Johannem Spiræ epiſcopum, anno MXCI. die 20. Aprilis, in Octava ſcilicet Dominicæ reſurrectionis. die vero ſequenti idem pontifex conſecravit *capellam B. Mariæ retro capitolium.*

Ann. Ch. MXCI. IV. Julii. ci ſe juſſit in oratorium, & parari ad celebrandam Miſſam. Et inter manus utroque latere ſuſtentatus ſuper altare Apoſtolorum Petri & Pauli ſacrificium vivæ Hoſtiæ immolavit, ac velut profecturus ad Dominum verba ſancti Pauli, quæ jam imminente ejus reſolutione dicebat, quæque etiam ſuæ cauſæ optime congruebant, in ejus feſtivitate decantabat, quæ ita ſe habent: *Scio cui credidi, & certus ſum quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem juſtus Judex.* Ita fuit ejus ultima celebratio Miſſæ. Quarto die ad viſendos & commonendos fratres in Capitulum venit. quidquid autem hactenus eos inſtituebat, hoc cœpit ſingillatim replicare & exhortari, ut de die in diem in melius proficerent. In primis de continuo amore Dei, de fervore monaſticæ religionis, de obſervantia mutuæ dilectionis, de ſectanda hoſpitalitate & cum omni ſollicitudine impendenda, de diligenda eleemoſyna & voluntarie eroganda, multaque his ſimilia ſuadebat. poſtea queruloſa voce intulit: » Unum fuit quod valde me exacerbavit & gravavit, quod lamentando Deo & vobis promam. Cumque omnes eſſemus attoniti, dixit: Quidam fratres vobiſcum converſati ſunt ſecundum prudentiam carnis, magis quam juxta ſimplicitatem ſpiritualem, ſuiſque ſermonibus ſeu conſiliis ſæpius me perturbabant, ac ſimplicitati propoſitæ obſiſtebant: ſed Deus omnipotens viritim eos à nobis ſeparavit, & de clauſtro elongavit. His dictis, ſtatim ſubjunxit: Amodo, cariſſimi, nullum capitulum vobiſcum habiturus ſum. Idcirco, filioli, ultimam patris ſententiam audite, & memoriter retinete quæ vidiſtis & audiſtis. Finito Capitulo in ſuo humili habitaculo ſe recepit, & ſolito more omnibus eum adire volentibus conceſſit. Dehinc tertio die juſſit portari ſe in oratorium ſanctæ Mariæ, ibique conventu fratrum pro eo Miſſam celebrante, unctione olei infirmorum, & perceptione corporis & ſanguinis Domini exitum ſuum munivit, ab omnibus indulgentiam petens, & ipſe omnibus indulgentiam faciens, ac ſingulos deoſculans & amplexans paterno affectu, præſentibus ultimum valefecit; abſentibus demandans ſuam intimam caritatem: ſimul omnes obſecrans & conteſtans, ut in unitate Eccleſiæ & ſubjectione ſedis Apoſtolicæ, quomodo ſibi ab eo traditum fuerat, uſque ad mortem inviolabiliter permanerent. Ad extremum elevatis manibus coram omnibus brevi ſermone ſic concluſit: Teſtem invoco Deum, quod ſemper uſque ad nunc fideliter ac benigne erga vos egi. Quo de oratorio reportato, ſingillatim quique cum gemitibus & ſuſpiriis ad eum confluebant, ad quos dignum memoria verbum dicebat: Juſti hominis obitus non eſt mors dicenda, ſed potius mutatio, quia mutatur de mortalitate ad immortalitatem, de terrenis ad cæleſtia. Poſtera die eo in domum infirmorum deportato, & conventu fratrum illuc congregato infra meridiem, cunctis miſerabiliter flentibus ac lugentibus IV. Non. Julii beato fine perfunctus, animam felicibus meritis plenam Deo reddidit, atque de Ægypto hujus mundi ereptus terram viventium perenniter habitaturus adiit. Convenientibus ergo duobus Epiſcopis, & quinque Abbatibus [a], clericis etiam non paucis cum multitudine utriuſque ſexus, poſt exſequias per quinque dies celebratas, in medio eccleſiæ Apoſtolorum debita veneratione [b] ſepultus eſt.

2.Tim.1.12.

Fratres hortatur.

Auctoris ætas.

Eccleſiæ ſacramentis munitus.

Pie obiit.

25. Non longe autem poſt obitum, quaſi poſt noctem triſtitiæ quæ cunctos oppreſſerat, illuxit nobis dies conſolationis, de adventu domni GEBEHARDI tunc Prioris, ſed poſtmodum defuncti Patris in regendo monaſterio ſucceſſoris, apportantis reliquias ſancti Petri Apoſtoli, ſcilicet de ejus capillis, à reverendiſſimo HUGONE abbate Cluniacenſi tranſmiſſis, pro quibus eum pater Vvilhelmus ante obitum ſuum direxerat, hos ſuper omne au-

Reliquiæ S. Petri apud Hirſaug.

[a] Ii fuere, ex Trithemio Johannes Spirenſis, & Gebhardus Conſtantienſis epiſcopi; Abbates Theogerus S. Georgii in Silva-nigra, Notkerus Zvviſaltenſis & tres alii quorum nomina excidere.

[b] Scribit idem Trithemius B. abbatis exſequias per continuos quinque dies celebratas fuiſſe.

rum

Digitized by Google

rum & lapidem pretioſum multum Hirſaugienſes intimo affectu amplecti debent & venerari, pro eo quod vere de capillis principis Apoſtolorum Petri eſſe didicimus. Nam antiquo tempore, antequam corpora Apoſtolorum Petri & Pauli ab invicem ſint ſeparata, in locis tutiſſimis ubi nunc ſimul ſunt condita ponerentur, erat cuſtos ratione eccleſiæ vir religioſus, nomine ODDO [a], qui renuncians ſæculo Cluniacenſe cœnobium in quo poſtea factus eſt Abbas petiit, & inter alias reliquias ſanctorum, nonnullos ſancti Petri capillos ſecum attulit. Ex quibus hos ſumtos eſſe, quos nobis tranſmiſit, certiſſima adſtipulatione teſtatus eſt cum grandævis ſenioribus prædictus Abbas Cluniacenſis, ardentiſſimus amator noſtræ Congregationis, pro eo quod ab eo monaſterii conſtruendi & regulariter vivendi ordinem ſuſcepimus. Hoc ideo neceſſarium duximus hîc annotare, ne quis ſuper eiſdem capillis poſſit aliquo dubitationis ſcrupulo permoveri, quin verum ſit, quod à tantis & talibus conſtat teſtibus confirmari. Prædictas vero reliquias qui attulerunt, antequam Hirſaugiam pervenirent, cuidam religioſo Presbytero in vicina villa commoranti, provido uſi conſilio commendaverunt ſervandas, uſque ad feſtum, quod dicitur ſancti Petri ad Vincula. Ipſa utique die, collectis Abbatibus & aliis religioſis viris, memoratæ reliquiæ in monaſterio Hirſaugienſi ſuſceptæ ſunt cum maximo monachorum plebiſque tripudio, ac primo ſuper ſepulcrum beati patris Vvilhelmi depoſitæ; ipſi, cui ſpecialiter tranſmiſſæ fuerant, hoc modo pio filiorum affectu quaſi præſentabantur. Denique inter jucunda divinæ laudis præconia, ſupplici veneratione ab omnibus qui aderant, deoſculatæ, in ſcriniolo argenteo, ubi nunc uſque reſervantur, ſunt reconditæ.

Ann. Ch. MXCI. IV. Julii.

S. Hugo Hirſaug. amiciſſimus.

26. Legitur de ſancto Gregorio [b], ſanctoque Gallo, multis poſt tranſitum eorum de hac vita claruiſſe indiciis, quod monaſteria quæ in honore Dei conſtruxerant, ſuis contra multas adverſitates defenſarent patrociniis. Nonnulla etiam hujuſmodi noſtris geſta temporibus de hoc ſancto Dei à notis & probatis perſonis comperimus, quæ ad commendationem ſanctitatis ejus ſtili officio annotare curavimus. Erat quædam Abbatiſſa in Norica provincia, piis operibus dedita, cujus conſilio prædictus vir Dei olim Hirſaugiæ prælatus fuerat, quia eum pro vitæ meritis multum dilexerat. Huic poſt diſceſſum ejus per famam innotuit, multos ſiniſtræ partis homines in hoc facinus conſpiraſſe, ut funditus deſtruerent cœnobium Hirſaugienſe. Unde ipſa continuis affecta doloribus propitiam divinitatem aſſiduis interpellabat precibus, ut ſuæ protectionis auxilio tantum nefas averteret, ac ſui fidelis famuli novellam plantationem ad incrementum perduceret. Cumque tam piis anguſtiis cor ejus angeretur, & pro imminente periculo Dominum inſtanter deprecaretur; quadam nocte quieſcenti, vir Domini in ſomnis apparuit, mæſtamque hilari vultu intuens, lætificavit dicens: Multos quidem fuiſſe, qui tantum nefas geſtiebant perpetrare, ſed ut non fiat omnino prohibitum eſſe. Tunc illa ſollicite inquirente, quis hoc fieri prohibuiſſet, reſpondit: Angelus Domini bonus. Et confeſtim viſio colloquentis diſparuit. Vere etenim, ut ait Pſalmiſta, immittit Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripit eos. Sed quamvis, eodem atteſtante, juſtus quiſque in protectione Domini commoretur, evidentius tamen & ſeverius vindictam Dei experti ſunt, qui juſſu regis Henrici, ejuſdem nominis quarti, Hirſaugienſes exterminare moliti ſunt, pro eo quod hæreſi ejus contra Romanam Eccleſiam noluerunt conſentire, nec aliquatenus ejus communione ſe contaminare: quippe qui erat ſceleratiſſimus, & omnium quos terra ſuſtinuit flagitioſiſſimus. Ipſo itaque an-

Vvilhelmus etſi defunctus, monaſterium tuetur.

Pſal. 33. 8.

[a] Ejus vita Sæculo præcedenti edita eſt.
[b] Vita S. Gregorii edita eſt Sæculo I. S. Galli, Sæculo ſequenti.

Digitized by Google

ANN. CH. MXCI. IV. JULII.

nitente quidam epiſcopus Argentinenſis, nomine VVERNERUS [a], militari manu aggreſſus eſt devaſtare Hirſaugiam; ſed eadem die qua tantum facinus commiſſurus equum loricatus aſcendit, ſubitanea morte, antequam loricam exueret, præoccupatus exſpiravit, & vivens in infernum deſcendit. Vivens, inquam, ut ſcriptum eſt, in infernum deſcendit, qui ſciens & prudens ut inique ageret, laboravit; qui innocentes Dei famulos perdere affectavit: quod ipſis etiam militibus, qui inviti ad auxilium ejus cogebantur, adeo viſum eſt abominabile, ut ei diſſuaderent, & ad tale facinus auxiliari recuſarent. Hoc autem longe ante obitum viri Dei contigit: ſed deinceps tale aliquid contra locum ſanctum & ejus habitatores præſumendi omnibus uſquequaque metum incuſſit.

a Ejus perſecutor miſere perit.

Num. 16.

27. Operæ pretium eſt hic ſubſequenter ſubjungere aliud quiddam huic non multum diſſimile, quod etiam valet ad terrendos & reprimendos invaſores Hirſaugienſis ſubſtantiæ. Vir quidam, nomine VVintheir, de villa Allmendingen nuncupata, renuncians ſæculo, ſanctæ converſationis habitum ſumpſit ſub abbate VVilhelmo, ac de propriis rebus quoddam prædium in prædicta villa ſitum, ad uſum fratrum Hirſaugienſium legitima donatione delegavit. Poſtquam autem uterque, ſcilicet abbas VVilhelmus, & vir prædictus ex hac vita migravit, juvenis quidam prædictum prædium auſu temerario, quaſi hereditario jure ad ſe tranſmiſſum uſurpavit. Cumque una die duas carradas vini, & alia hujuſmodi violenter de eadem poſſeſſione abduceret, in ipſo itinere pes unus boum qui rapinam trahebant, confractus eſt. Ipſe etiam juvenis de equo cui inſedit, quaſi lethargum patiens præceps corruit, atque amens factus, etiam uſum loquendi perdidit, in alienis manibus ſublatus: ſed proceſſu temporis paullatim recuperatis viribus mentis & corporis ad ſe reverſus, cœpit ſecum conſiderare tale flagellum, quale numquam antea expertus eſt, ſe non ſine juſto judicio Dei toleraſſe, habitaque ſecum deliberatione ad monaſterium Hirſaugienſe ſe deferri fecit, ibique mutat ſimul cum mente ſæculari habitum, Deo ſe fideliter mancipavit, & poſt paucos annos in ſancta converſatione feliciter vitam præſentem finivit. Ecce nos hæc audientes, & tam terribile, tamque tremendum Dei judicium ſuper his duobus conſiderantes, quorum alter repente præcipitatus eſt in mortem, alter vero miſericorditer reſervatus eſt ad vitam meliorem, competenter cum Pſalmographo poſſumus admirari & dicere: Venite & videte opera Domini, quam terribilis in conſiliis ſuper filios hominum. Ex eadem etiam conſideratione cogimur cum Apoſtolo proclamare: O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ illius! Quis enim cognovit ſenſum Domini? aut quare cui vult miſeretur? & quale alium obdurat, ut non ſalvetur? Quo circa quia ſecundum Salomonis eloquium: Nemo ſcit utrum odio, an amore dignus ſit, ſed omnia in futurum reſervantur; incerta timendo veneremur, & venerando timeamus occulta Dei judicia; dumque ſumus in hoc corpore, ſecundum Pſalmiſtam, ſerviamus Domino in timore, & exultemus ei cum tremore.

Pſal. 65. 5.

Rom. 11. 33.

Eccle. 9. 1.

Pſal. 2. 11.

28. Quantam, ut diximus, curam ſui monaſterii gerat ſanctus pater VVilhelmus jam regnans cum Deo, per aliam etiam viſionem ſatis manifeſte oſtenſum eſt. Quam, ſicut referente quodam ſeniore, innocente & ſimplici viro, cui eadem cælitus facta eſt viſio, didicimus, ſcribendo poſteris tranſmittere neceſſarium duximus, quia per eam admonentur Hirſaugienſes tam futuri quam præſentes, ut ſtatuta ſæpe dicti Patris diligenter obſer-

Viſiones non ſpernendæ.

[a] Bruſchius in Catalogo Epiſcoporum Argentinenſium ait de hujus epiſcopi morte, longum commentum afferri in Chronico Hirſaugienſi. At gravis eſt momenti hujus vitæ ſcriptoris auctoritas, qui certe rebus geſtis præſens adfuit,

Digitized by Google

vent, maxime in diſpenſatione pauperum & hoſpitum, in obſervatione claustralis diſciplinæ. Statutum erat ab ipſo communi ſeniorum conſilio, ut aliqui ex laïcis fratribus qui ad converſionem veniunt, in domo pauperum ſub laïcali habitu ſervirent, & tamen non de eleemoſyna, ſed de communi fratrum victu & veſtitu ſuſtentarentur. Hanc conſuetudinem ſucceſſor ejus ita immutavit, ut prædicti fratres de eleemoſyna quam adminiſtrabant, corporis neceſſaria ex toto conſequerentur. Ex qua occaſione contigit res multum dolenda, ut peregrinis & aliis pauperibus ſolita miſericordia ſubtraheretur, in tantum, ut egeni per gelidas noctes hyemis excluſi, præ fame & frigore miſerabili clamore in platea perſtreperent, ita ut ſæpius quieſcentes noctu fratres inquietarent. Super qua moleſtia Abbas frequenter à fratribus commonitus, cum emendare negligeret hæc & alia multa hujuſmodi, nocte quadam in qua Dominica Aſſcenſio celebrabatur, unus ſenior de eodem monaſterio, vita & moribus probatus, per nocturnam viſionem vidit ſe ſublevari, & quaſi ſupra montem incomparabiliter ſublimem conſtitui, ubi omnia plena erant immenſæ lucis ſplendore, mira inſoliti odoris fragrantia, & beatorum ibi manentium concentu dulciſſimo. quibus ipſe nimium delectatus, ac jugiter intereſſe deſiderans, inter cetera quæ ibi vidit, etiam abbatem Vvilhelmum ſibi olim familiariſſimum recognovit, niveo aſſpectu & habitu fulgentem, cum quo etiam duos viros pontificali habitu decoratos, ſed ſibi incognitos. Quæſivit ab eo qui eſſent. Et audivit unum eſſe ſanctum UDALRICUM [a] Auguſtenſem pontificem; alterum vero CONRADUM Conſtantienſem, æque virum ſanctum & olim Epiſcopum. Cumque & de aliis ibi viſis inquirenti abbas Vvilhelmus reſpondens ſatisfaceret; ad ultimum hæc ei Hirſaugienſibus notificanda injunxit: Ex parte, inquiens, ſummæ Majeſtatis Dei, præcipio tibi, ut dicas « Abbati & Priori, ceteriſque fratribus Hirſaugiæ, quatenus ſecundum « quod à nobis acceperunt, egenis & hoſpitibus cum omni caritatis affectu « ſerviant. Mores & vitam ſuam ſecundum Regulam ſancti Benedicti; ante « omnia iram & indignationem, odium & detractionem, quibus aſſidue Deum « offendunt, cum omni malitia abjicientes, ſinceram & continuam dilectionem « invicem cuſtodiant. Quod niſi obſervent, divinam procul dubio ultionem ſe experturos ſciant. His dictis, relicto eo cui hæc dixit, ipſe cum aliis qui aderant, altiora quædam cæli ſecreta penetravit. Ille vero ſenior, cui hæc revelata ſunt, cum per ipſum non auderet, per alium quemdam ſeniorem Abbati cuncta intimavit. Qui priſtinam quidem Abbatis Vilhelmi conſtitutionem de eleemoſyna obſervari juſſit, cetera tamen quibus monaſterium perturbaverat, incorrecta dimiſit. Quapropter ſecundum prædictam comminationem beati patris Vvilhelmi, fere nil proſperum ei accidit. Nam parvo poſt tempore monaſterii regimine exutus, & pontificali infula apud Spiram indutus, odia omnium adverſum ſe ineptis moribus concitavit, ſed mors naturæ interveniens, eum de medio amputavit [b].

Ann. Ch. MXCI. IV. Julii.

29. Non eſt autem negligenter prætereundum, ſed diligenter conſiderandum, quanta ſanctiſſimus pater Vvilhelmus veneratione dignus ſit in terris, qui tantorum Præſulum conſortio, ſecundum prædictam viſionem fruitur in cælis, quorum ſcilicet glorioſam memoriam annua devotione celebriter recolit ſanctæ Eccleſiæ plebs fidelis. Si quis verò ob incredulitatem ſuam dubitans dicat, hujuſmodi viſionem non eſſe obſervandam, ſed inter vana ſomnia reputandam, hic talis indubitanter ſciat, nuſquam in Hagiographis ſcriptum eſſe, ſed nec aliquando auditum fuiſſe, quod nullus

a S. Udalrici vitam habes Sæculo præcedenti. S. Conradus obiit, teſte Bruſchio, anno 976.

b Hæc fuſius refert Trithemius ad annum 1105. quo Gebhardus in Spirenſem epiſcopum adſtante magno procerum conventu à Ruthardo Moguntino epiſcopo ordinatus eſt. unum ei tantum annum & aliquot menſes regiminis idem Trithemius tribuit, alii plures. Poſt obitum in monaſterium Hirſaugiæ relatus, ſepultus eſt ante majus altare principalis eccleſiæ.

Ann. Ch. MXCI. IV. Julii. umquam homo dæmonum ſuggeſtione, vel palam, vel occulte præmonitus ſit, ut declinaret à malo, & faceret bonum, ſicut hîc factum eſt per beniġniſſimum patrem Vvilhelmum. Conſtat quoque præclaros & præcipuos Eccleſiæ doctores, beatos Gregorium & Auguſtinum, nonnulla etiam ſæcularium viſa perſonarum ſuis inſeruiſſe opuſculis ob ædificationem fidelium. quibus tamen non aliud adhibent teſtimonium, niſi quod nominatim quoſdam teſtati ſunt ea vidiſſe per ſomnium. Denique ut hæc omnia, quæ de ſancto viro digeſſimus, puriſſimæ veritatis ſigillo concludamus, unum adhuc teſtimonium proferemus, quo eum probamus in opus miniſterii, quo in domo Domini tam fidelis ſervus & prudens laboravit, divina auctoritate aſſumtum, & vere ſecundum propoſitum vocari ſanctum, cui diligenti Deum omnia cooperata ſunt in bonum.

30. Pater ſanctus cum gravi infirmitate vexaretur, ea ſcilicet in qua Adæ debitum ſolviſſe dignoſcitur, à multis comprovincialium majoribus perſonis viſitatur, ut & devotioni ſuæ, qua virum Dei mirabiliter ſemper coluerunt, bono fine perſeverantiæ ſatisfacerent, & tam ſanctæ animæ egredienti animas ſuas commendarent. Igitur inter primos præcipuus & devotiſſimus amator beati viri viſitator affuit Vvormatienſis [a] epiſcopus, qui tam ſimplici animæ ſemper familiariſſimus erat, & cui dilectus Domini ſæpius ſua ſecreta, nimia Epiſcopi familiaritate cogente, pandebat. Huic itaque tam excellenti atque probatæ in Eccleſia perſonæ, inter alia familiaritatis colloquia aperiebat, & ſub divini nominis atteſtatione confirmabat. » Cum adhuc, inquit, eſſem Ratiſbonæ in monaſterio ſancti Emmerammi, » quadam nocte apparuit mihi vir plenæ ætatis, mirificæ ultra humanum » modum pulcritudinis, hilari vultu me compellans, & uvas ſpecioſiſſimas » manu præferens, quas etiam mihi obtulit dicens: Accipe dilecte mi. Cu» jus muneris novitate, & tanti viri affabilitate perculſus, diu fateor mecum » admirans permanſi ſtupidus. Tum ille: Scholam inſtituere curavi, cui te » præficere ante omnia ſæcula prædeſtinavi, quam ſi ſecundum placitum » meum rexeris, bona mercede in æternum remuneraberis. Nil, amice, dubi» tes, idem cooperator, qui & remunerator. Ad hæc verba evigilans, multa » mecum tractavi, eademque ſæpius retractavi. Cumque multis meditatio» nibus diſtenderetur animus meus, tandem ad portum tutiſſimum magnæ » miſericordiæ Dei confugi, & Domino Deo meo omnia mea, quam intime » poteram, commiſi. Et ecce ipſo die fratres noſtri de hoc monaſterio ad» ſunt, litteras cum multimodis precibus afferunt, & vi quadam validiſſima » de quiete monaſtica me abripientes, parvitatem meam ſibi præeſſe com» pellunt, ac cum obteſtatione divini nominis ne abnuerem poſtulata co» gunt. Suſcepi fateor invitus jugum Domini, devictus prece tam unanimi. » In quo officio ſi quid Deo placitum feci, ipſi ſine quo nil validum, nil ſan» ctum; ipſi, inquam, à quo bona cuncta procedunt ſit pro his & univerſis » miſerationibus & beneficiis ſuis laus, honor, & omnimoda gratiarum actio » per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

[a] Hunc Stengelius putat Epponem fuiſſe, qui Dithmaro anno 1085. defuncto, ſucceſſit. At Bruſchius Dithmari obitum ad 1109. refert poſt duos regiminis annos; ſicque antiſtes Vvormatienſis de quo hic agitur, Adelbertus Dithmari præceſſor fuiſſe dicendus eſt.

EPITAPHIUM SANCTI VVILHELMI abbatis monaſterii Hirſaugienſis, quod ejus ſepulcro appenſum eſt.

Hac in ſcriptura, Vvilhelme pater, tua vita,
Cunctis ut ſpeculum, prælucet vita bonorum,
Ut quivis doctus, proprios hinc corrigat actus,
Quid ſit vitandum diſcernens, quidve gerendum.
More quidem ſpeculi radiat pia vita beati

Patris Vvilhelmi, virtutum lumine clari.
Exultet talis genitrix Bajoaria prolis,
Suevia ſe tantum lætetur habere Patronum.
Norica quem prolem, tulit hunc Hirſaugia Patrem,
Felix per talem paſtorem ſpiritualem,
Patrem multorum per doctrinam genitorum.
Moribus egregius fuit, & virtutibus almus,
Perfectam plebem Domino ſacravit & ædem;
Vobis, Aureli, Petre, Paule, patres venerandi,
Cellam Gregori tibi fundans, atque Georgi,
Pluraque ſanctorum loca diſponens aliorum,
Struxit & inſtruxit, quia recto tramite duxit,
Collapſam dudum vitam reparans monachorum.
Quadruvii priſcos tranſcendit in arte magiſtros,
Cantibus errorem varium correxit ad artem.
Terrarum metas ſcrutans, & temporis horas,
Ac numeros Abaci vidit tam mente ſagaci,
Artibus his illi queat ut vix quis ſimilari.
Quod verbis docuit, operum virtute probavit.
Pauperibus, viduis, claudis, cæcis, peregrinis,
Infirmis, ſanis, quocumque dolore gravatis
Proſpera providit, contraria quæque removit.
Simplex & rectus, ſimul omnibus omnia factus.
Chriſte tibi vivus, mundo vere crucifixus,
Poſtquam per plures pro te ſudavit agones,
Anno milleno complevit & nonageno a,
Quarto Nonas Julii, hic petens deſoſſa ſepulcri,
Sic defunctus tecum jam felix vivit in ævum
Pater is venerandus, & vir cuncta laude precandus.
Inclyte Vvilhelme, pater virtutibus redimite,
Alma fac nunc prece, liberemur ut à triſti nece
Corporis & animæ, hic Deo famulantes devote,
Obambulando tumbam, tibi Patri colendo paratam,
Bona illic dentur, unde noſtræ mentes purgentur,
Ubi es nobiſcum dulci ſomno exſpectans Chriſtum
Supreme venturum, & juſtis bona vitæ daturum.
Vvilhelmi abbatis ah! nós vita jungat beatis
Soli me poſt tui autem, dans videre claritati,
Chorum cum turma, qui cælica ſunt ſuper aſtra,
More Deum laudantes, & dulci ſono jubilantes,
Per paradiſi prata volvendo carmina lata,
Regi Regum Domino qui throno illic ſedet in alto,
Valeat vox laudis, in ævum ſic ſemper manſuris. Amen.

a Annum unum omiſit, quod metro difficilius congruiſſet, quamvis in ceteris verſibus nulla dein menſura ſervetur.

Hymnus in honorem B. Vilhelmi.

Audi Deus hymnizantium
Preces tuorum ſupplicum,
Sancti Confeſſoris tui
Sollemnia colentium.

Benignis miris actibus
Hic fulſit & virtutibus,
Lucerna lucens omnibus
Domo Dei manentibus.

Fundans in Chriſto plurima
monachorum cœnobia,
Muros erexit cælitus,
Vivis utens lapidibus.

Hic fuit vivens hoſtia
Per cuncta vitæ ſpatia,
Mactavit in ſe vitia
Crucis ferendo ſtigmata.

Hujus, ô Chriſte, gloria,
Jam factus es victoria,
Ipſius per ſuffragia
Da nobis vitæ gaudia.

Laudamus te Patrem Deum,
Unicum ſimul Filium,
Spiritumque paraclitum,
Nunc & per omne ſæculum. Amen.

Digitized by Google

ANN. CH. MXCI. VI. SEPT.

HIST. TRANSL. S. AUGUSTINI
EPISCOPI, ANGLORUM APOSTOLI,
Aliorumque ſanctorum, qui in ipſius monaſterio Cantuarienſi quieſcebant.

Auctore GOCELINO ejuſdem loci monacho æquali.

Ex cod. mſ. eruta.

Hiſtoriæ hujus auctor.

1. G*OTSELINUS ſeu, ut codex mſ. habet, Gocelinus, monachus è Bertiniano in Cantuarienſe monaſterium tranſlatus, totum ſeſe ſcribendis ſanctorum hiſtoriis ita dedit, ut præcipuus poſt Bedam venerabilem rerum à ſanctis viris in Anglia geſtarum ſcriptor à pleriſque auctoribus cenſeatur. Jam ex eo beati Auguſtini Anglorum apoſtoli Vitam Sæculo* I. *Benedictino edidimus ad annum* DCVII. *reſervata ad hoc uſque tempus ejuſdem ſancti, aliorumque in monaſterio ſuburbii Cantuarienſis quieſcentium Tranſlationis hiſtoria, quod multum conferat ad illuſtrandas res Ordinis noſtri hoc præſenti ſæculo undecimo in Anglia geſtas. Plura de eodem auctore hîc congerere ſuperfluum eſſet, cum jam ſatis ſuperque notus eſſe debeat ex iis, quæ loco Sæculi* I. *laudato de eo protulimus. ubi etiam de ſanctis in eadem Tranſlationis hiſtoria memoratis plura diximus, quæ hic repetere non juvat.*

Aliæ S. Auguſtini tranſlationes.

2. *Supereſt itaque, ut pauca ſolummodo dicamus de aliis ſancti Auguſtini Tranſlationibus, quæ poſtea variis occaſionibus factæ fuerunt, ut ex Wuillelmo Thorno diſcimus, qui monaſterii Auguſtinenſis, in quo degebat, Chronicon ſcripſit, ad annum uſque* MCCCXCVII. *productum. Hic auctor ait Wuidonem abbatem anno* MXCI. *ſtatim peracta ſollemni, quam Gocelinus deſcribit, ſanctarum reliquiarum tranſlatione, pleraque beati Auguſtini oſſa in eccleſiæ muro abdidiſſe, ne forte irruentibus Danis, ſive Normannis aut aliis Barbaris, quod tunc in Anglia ſæpius contingebat, oſſa beati Pontificis violarentur. Nec inutilis fuit Abbatis cautela. Nam anno, ut idem auctor atteſtatur,* MCLXVIII. *die decollationis ſancti Johannis-Baptiſtæ, combuſta ferme integra Auguſtinenſi eccleſia, beati Pontificis feretrum ita deformatum fuit, atque exinde ita neglectum, ut paullo poſt plane ignotum fuerit; quo in loco ſancti Antiſtitis reliquiæ haberentur. Id tandem ægre tulerunt Auguſtinenſes monachi, quare anno* MCCXXI. *inſtigante Johanne ejuſdem loci priore, cum aliis monaſterii ſenioribus, jejuniis, vigiliis, orationibus, aliiſque piis exercitiis vacare decreverunt, quouſque tanti theſauri notitiam à Deo acciperent. Annuit eorum votis Deus, ac Prior, aliquot fratrum conſilio, qui hoc ſibi à Deo revelatum fuiſſe fatebantur, juſſit murum effringi juxta altare ſancti Auguſtini, ibique detectus fuit ſaxeus loculus, qui, indicante inſcriptione, beati Auguſtini corpus continebat.*

3. *Aberat tunc Hugo loci abbas, ad Ludovicum Francorum regem legatus: quo reverſo, convocatis ad ſollemnitatem multis abbatibus, aliiſque Angliæ proceribus, beati viri reliquiæ in locis congruentibus recondita ſunt, excepto capite, quod in vaſe auro argentoque ac variis & pretioſiſſimis lapillis ornato concluſum fuit, ut populorum venerationi ſtatis diebus exponeretur. Ceterum vicennio poſtea, anno ſcilicet* MCCXL. *reſtaurato monaſterii ſacrario, Corpus ſancti Auguſtini in ejus medio collocatum eſt, habens ex utraque parte aliorum ejuſdem loci patronorum corpora in gyrum diſpoſita: annis ſequentibus duo altaria addita ſunt, unum ſcilicet ex utraque parte, quæ omnia egregia repræſentat, tabula æri inciſa, quam tomo* I. *monaſtici Anglicani habes, eamque Papebrochius tomo* 6. *Maii Bollandiani ad diem* 26. *ejuſdem menſis inſeri curavit, ne pereat tam illuſtris Anglicanæ pietatis monumenti memoria, quam Henrici octavi apoſtaſia ſanctuarii everſione alias aboleviſſet. Beati viri mentum hanc cladem evaſit, quod religioſe aſſervatur in monaſterio ſancti Salvatoris ordinis Ciſtercienſis apud Antuerpiam, celebrem Belgii urbem. Librum de hac re ſingularem reverendus dominus Franciſcus Dierick ejuſdem loci abbas edidit, qui anno* MDCXXIV. *typis mandatus eſt.*

Sanctuarii diſſipatio.

4. *Porro licet ad calcem vitæ ſancti Auguſtini Sæculo* I. *polliciti fuerimus, nos huc integram Tranſlationis ejus hiſtoriam prolaturos, cum tamen eam poſtmodum cum V. C. Daniele Pape-*

Digitized by Google

brothio communicaverimus, qui illam ad diem XXVI. *Maii Bollandiani edidit, viſum eſt ſatis hic ea ſolummodo exhibere, quæ magis conferre poterunt ad illuſtrandam hujus Sæculi hiſtoriam Benedictinam, relictis miraculis, aliiſque minoris momenti actis, quæ apud ipſos Bollandianos, qui plura cupit, inveniet.*

ANN. CHI MXCI. VI. SEPTI

INCIPIT PROLOGUS DOMNI GOCELINI ad venerabilem Cantuarienſem archiepiſcopum ANSELMUM, de tranſlatione ſancti AUGUSTINI Anglorum apoſtoli & ſociorum ejus.

Dux ANSELME, Patrum Pater, & vigor eccleſiarum,
Quem celebrat titulis Romanus & Anglicus orbis,
Ne ſpernas imi pronum munus Gocelini.

I. IN arce ſapientiæ ad menſam cæleſtis philoſophiæ, eccleſiaſtice Princeps, principaliter præſidenti ferculum tibi aureum afferre gliſcit cor meum, non mei ſtudii, ſed AUGUSTINI ſummi opibus pretioſum, ejus virtutibus refertum, ejus chariſmatibus conditum, ejus ſanctorumque ſociorum ipſius auro & gemmis confectum. Codicellus eſt recentis Tranſlationis, ſignorumque ipſius, ſuorumque conſortum, quæ diverſis locis per hoc fere ab ipſa tranſlatione ſeptennium, teſtibus fidelium præſentium aſpectibus clare patrata noſcuntur. Beata tui pontificii tempora, in quibus tanta diuturnitate clauſa parturiente Sanctorum terra, reluxit nobis cum ſuis gemmis hæc angelica margarita! &c.

Auctoris ætas.

INCIPIT LIBER PRIMUS TRANSLATIONIS S. AUGUSTINI Anglorum apoſtoli & ſociorum ejus.

CAPUT I. Tranſlationis hujus feſtum aliis SS. commune.

POſt antiqua evangelici protoparentis Anglorum AUGUSTINI ſollemnia cælo triumphata, quæ nuper egimus laude feſtiva, nova nobis oritur gloria, nova lætitia, ſollemnitas nova. Ipſa eſt ſua ſanctorumque collegarum ſuorum Tranſlatio nova, quæ poſt centum * fere luſtra in nova ejus facta jam lucet eccleſia, &c.

* *Obiit an.* 707.

II. Nova eccleſia amplior exſtruitur.

Sublimatum auguſtius novæ Auguſtini eccleſiæ preſbyterium totum illud cum amplis porticibus amplectitur ſpatium, quod ſanctæ Dei-Genitricis ab Oriente contiguum poſſederat oratorium, ſuo cæleſtiumque virtutum jugi ſollemnio ac ſignis illuſtriſſimum. Hinc reliqua navis veteris monaſterii cedere juſſa ædificio ſurgenti, jamque rea minarum excidii, ne obruat diruitur. Ante tamen cuncta ſanctorum turba omnibus ſacrariis diffuſa à jactura eruitur, & novis tectis reponitur, ſicut illi à mundi ruina cum Loth à Domino liberantur. Sic apoſtolica Auguſtini aula ad deſtinatam metam tendebat, ſed ſuæ dormitionis porticus obſtabat. Quid faciat ergo auctor ædificii devotus abbas SCOLLANDUS; dum nec illa ſancta penetralia tanto ævo intacta movere præſumit, nec opus cœptum, niſi ablatis obſtaculis, procedere poſſit; maxime cum prædeceſſor ſuus præſcriptam Dei-Genitricis baſilicam fractam morte luerit. ſed ipſo inter hæc ſuperno arbitrio de medio terrenarum curarum ſublato, ſucceſſit abbas VVIDO [a], cujus anno quarto * facta eſt quæ adſcribitur tranſlatio. Cui Rex conſultus favens juſſerat, ut cum Pontificum & Abbatum populorumque af-

* *i. anno* 1091.

[a] Scollandus, ut dicitur infra cap. ultimo libri 2. obiit uno die ante Guillelmum regem, ideſt die 8 Septembris anno 1087. Guillelmus enim Conquæſtor Rotomagi defunctus eſt 9. Septembris ejuſdem anni ex Orderico-Vitali, & aliis auctoribus: hinc emendandus Guillelmus Thorn, qui Scollandi obitum die III. Nonas Septembris conſignavit. Scollando ſucceſſit Vvido ex monaſterii gremio aſſumtus.

Digitized by Google

ANN. CH. MXCI. VI. SEPT.

fluentia decentiſſime ageret hæc ſollemnia; volebat & ipſe intereſſe, ſed tunc ibat [a] in expeditionem Scottiæ. Sed monaſteriarcha, ubi turrim præfatis porticibus ſupereminentem auguſto faſtigio extulerat, dum reliquam templi navim protendere flagrat, illud beatorum cubiculum moræ impatiens, qua ſancti eruerentur, forti ariete ſubvertit, totque ſuperni regni principes longiturna pace ſoporatos, feſtinata modo virtute negligentiam excuſante obruit. Antea tamen condignorum ſanctorum ADRIANI confeſſoris & MILDRETHÆ Chriſti virginis nardiflua pignora mira ſuavitate vernantia ſollemniter exportari, & imminentem caſum evadere fecit.

III. Illæſæ inter ruinas SS. Reliquiæ.

At vero ipſis primoribus, videlicet AUGUSTINO, LAURENTIO, MELLITO, JUSTO, HONORIO, DEUS-DEDIT in prædicta obrutione relictis, divina protectione quaſi manum ſubmittente, ſaxa & ligna pepercere, quibus durior humana obſtinatio non pepercit. Nam ubi tantæ moles lapidum, trabium tectorumque plumbatorum, quæ ſacroſancta corpora obruerant, ſunt ablatæ, omnes illæ illorum ſepulcrales ædificulæ cum eſſent fractiles & lateritiæ, ſed & ſculpturæ & imagines angelicæ cum Dominica majeſtate * ſuper tumbam magnifici Auguſtini mirifice formatæ, cunctis miracula Dei acclamantibus illæſæ apparuere.

* i. SS. Trinitatis ſeu Chriſti.

IV.

Reſtabat interim paries auſtralis, qua parte almus Auguſtinus, ſacerque Deuſdedit quieſcebant; qui tandem multo ariete ſolutus, dum certo nutu Sanctos oppreſſurus crederetur, protinus inæſtimabili Dei virtute, quaſi in ſaltum excutitur, & ad auſtrum contra impellentes totus integra ſoliditate proſternitur; quantumque vaſtus & cacuminatus erat, tantum ſpatii jacens occupabat. Vix evaſiſſent ſecuri impugnatores, niſi his ſuperna clementia ſanctorum meritis pepercisſet. Tum vero ad tam evidens ſignum clamor laudiſonus attollitur omnium. Nam qui ſuperius dilectos obrutos ſervaverat, hic ne obrueretur, vetabat. Sic plerumque ipſe ſanctorum mirificator alios in mediis ignibus protegebat, ab aliis etiam ignes fugabat; iſtos per profundum maris ſicco veſtigio tranſtulit, alios ſuper undas currere fecit.

V. Sub dio relictæ.

Jacuere tunc per novem hebdomadas illæ cæleſtes exuviæ ſub divo ac ſi vulgaria funera, expoſitæ, & ad omnem impetum aëris ac ſordium patuere. Adeo, proh dolor! terreſtris diſſimulabat indignitas, quibus angelos concives frequentaſſe credimus excubias. Certabat tamen Fratrum devotio pro ſuo modulo defenſacula ſpeciali principi ſuo parare Auguſtino.

VI. * i. parvis aſſeribus. Negligens corripitur.

Compoſuere tugurium aſſiculis *, & unus aut duo pro artitudine viciſſim agitabant vigilias cum luminibus & canticis divinis; ubi unum forte ſomno prægravatum vox audita increpuit: Et hic, inquit, non dormitioni ſed orationi locus congruit. qua correptione frater ille vigilantior eſt redditus in prece.

VII. Ornamenta mire ſervantur.

Deinde candela oblata, candelabro negligenter affixa, ſuper tumulum ſancti linteis & palliis ſollemniter ornatum decidit, ibique trium pedum tractum ſignante favilla (aberant enim cuſtodes) exarſit. Tandem ſuperventum eſt, candela ablata, favilla excuſſa, lintea & pallia prorſus intacta fulſere; quo miraculo omnes Deo gratias exultanter reddidere.

VIII. Gundulfus Ep. Roffenſis Tranſlationem facit.

Jam dies propoſitus gratiſſime illuxerat ſacræ tranſlationis. Adeſt venerabilis Pontifex eccleſiæ Roffenſis GUNDULFUS, qui tunc Archipræſulis defuncti [b] auctorali vice pollebat. Progreditur cum Abbate & Patribus ac Officialibus hymnidicis ad illud ſanctum ſanctorum, ad illud Domini ſacrarium ac propitiatorium. Jubet primum ſummi Auguſtini aperiri;

[a] Is erat Guillelmus Rufus, qui ex Normannia hoc anno, menſe Auguſto reverſus, in Malcholmum regem Scottorum Northumbriam infeſtantem movit.

[b] Sedes Cantuarienſis ab anno 1089. quo defunctus eſt Lanfrancus, vacua fuit uſque ad S. Anſelmi ordinationem anno 1093. factam. Gundulfus apud Beccum in Normannia monachus fuerat ſub Herluino abbate. Ejus Vita edita eſt to. 2. Angliæ ſacræ p. 273.

nemo

Digitized by Google

nemo approximare præſumſit, timor omnes abſterruit. Videres artifices tamquam reos ſub judicibus & quæſtoribus ac fulmine trepidantes. Viderant pridem egregium juvenem monaſterii artificem celeri morte multatum, qui juſſu Abbatis primus hanc ſacram porticum impulit; nec ille tam officioſus excuſari potuit, quia præceptori obedivit, quin pœnam præſumtricis gratiæ luerit; ſed fidentiſſimus Epiſcopus jam triduana abſtinentia prælibata à fratribus, armatus fide, prece ac devotione, ultro ferramentum invadit, ictum in tumbæ frontem dedit, ſuoque exemplo & hortatu reliquos in opus animavit. ANN. CH. MXCI. VI. SEPT.

Primo præſtantiſſimus artificum magiſter, templique ſpectabilis dictator Blitherus, expetita Pontificis benedictione, trepide, lacrymoſe & proſtratim accedit, altareque capitis ſummi Auguſtini ad pavimentum exhaurit. Ibi complanatum areæ Parii marmoris candens ſaxum quadratum offendit. quo paullulum evecto, erumpens vapor nardifluus quæſitorem ſuum in ora reverberavit, & ſe adeſſe qui quærebatur, ſua ſuavitate pulſanti reſpondit. Intellexit vir prudens ultro oblatum, quem alto foſſatu & laborioſo quæſitu formidaverat vix inveniendum; ſtupenſque & tremens lapidem repoſuit, atque hoc mirificum thimiamaterium occluſit, perpendens ſapienter non ſui eſſe officii ulterius progredi. Cedit ilico, teſtatus ſummiſſe quæſitum pignus adeſſe; nec tacebat interea jugis pſalmodia. Protinus juſſu Abbatis fratrum manibus removetur prædictus lapis. Tum vero ingens ſpiritus ſuaviſſimorum aromatum velut à pectore & ore dormientis Auguſtini exſiliit, longeque ventilatus, omnes tam mira quam inexperta prius dulcedine replevit. quoque magis hæc balſamatica apotheca reſerabatur, eo profuſius odor cæleſtis jaculabatur. Continuo locus ob gloriam Patris & impetum populi cortinis ambitur, intuſque à fidelibus domeſticis deſiderantiſſimus theſaurus perſcrutatur. IX. Odor ſuavis è ſepulcro S. Auguſtini.

Jam patente oſtio clara luminaria ingeruntur, & ecce Angliæ chriſtianitatis inſtitutor primicerius, tot ſæculis abſconditus, tam deſideratus, tam magno quam inſperato gaudio oſtenſus, poſt annos fere quingentos conſpicitur. Sane tot tempeſtatibus bellorum, tanto diluvio paganorum, exterminio populorum, ſubverſione urbium & eccleſiarum, mira Dei protectione Auguſtinianum veſtibulum, ut arca Noë, ſemper manebat intactum. unde & ubi, & ſicut primitus ipſe cum beatis collegis ſuis à die dormitionis eſt conditus, eodem loco & eodem modo immotiſſimus eſt inventus. Patebat forma & quantitas corporis, pietas & qualitas antiquæ obſecutionis, primæque tumulationis. Cernitur cum caſula, alba, ſtola, baculo, ſandaliis ceteriſque pontificalibus inſtrumentis, ut putaretur adhuc carneæ integritatis, niſi tactus probaſſet conditionem mortalitatis; quæ tamen eſt ad augmentum gloriæ immortalis. Omnium ergo votis ſpeluncam illam inæſtimabilis pretii theſaurariam fratres idonei cum ſummo ingrediuntur tremore ac reverentia, cum prece & laude Davidica. Colligunt in ſcrinia linteata, & palliata illa aurea, ac gemmea pignora, compagine & harmonia corporali rite compoſita. Aſſerit etiam aliquis illorum veridica conſtantia ſe inter illum pulverem pigmentarium ſolidas adhuc carnes quingentarii depoſiti manu contigiſſe, & ſuppliciter foviſſe: unde hic merito æſtimatur hæc ſacra gleba in cuſtodia ſupernæ gratiæ, longiturna duraſſe incorruptione. X. Aperitur tumulus.

Interea indicta à Præſule ſumma & omni nitore lætitiæ colenda feſtivitate, totum monaſterium adornatur tamquam Paſchali dignitate. Extemplo tantæ novitatis fragrantiam procul odoratur turba remota, confluit urbs tota, inundat Cantia, undique concurrunt populorum examina. Gratulantur immenſum AUGUSTINUM ſuum jam quaſi de morte reductum, &c. Exportatur itaque cum omni ornatu & proceſſu ac jubilo celebritatis eccleſiaſticæ, cum vocum ac cymbalorum modulatione, cum ſu- XI. Fit magna ſolemnitas. S. Auguſtini corpus transfertur.

ANN. CH. MXCI. VI. SEPT. pernorum & infimorum ſocia congratulatione, atque cum hac altiſona gloria, ante authenticum altare ſummorum Apoſtolorum, velut depoſitum cæleſte componitur, donec parato decenter thoro collocetur. Tanta vero gratiarum Chriſti chariſmata refundebantur in populum de tanti patris dulcedine, ut velut incenſum paſſim ſtillarent lacrymis lætitiæ, quibus ille dies paternæ præſentiæ eo tenus inæſtimatus potuiſſet clareſcere.

XII. Ægri ſanantur. Nec vacat interea à ſalute ille locus prioris quietis, ille lectulus prolixæ dormitionis; calet magni incolæ accubitu, ſudat opifera balſama, & odore ſuo curat morbida: ægri, languidi, debiles, contracti veniunt veſpere, & incolumes redeunt mane, &c.

XIII. Inimici reconciliati. Magna erant tunc de Auguſtini præſidio miracula corporalium ſanitatum, ſed majora ſunt cordium ſanatorum. Vidimus hic irremediabiles inimicos conveniſſe, *qui ad Sancti præſentiam reconciliati ſunt, &c.* In tam nova tamque præclara feſtivitate Epiſcopus Miſſas candido choro conjubilante celebrat, & poſt Evangelium de tanto tanti patroni tripudio populo ſermonem diſpenſat, tantæ lucis myſterium cum ſpe beatæ reſurrectionis, viſionis, & cohabitationis ejus perpetuæ fideliter intimat. Poſtremo peccatorum abſolutionem, pœnitentibus remiſſionem, omni populo confluo ejuſdem primi Præſulis & inſtitutoris ſui vice atque auctoritate dat benedictionem, perennemque in Chriſto confirmat pacem.

XIV. Superna quoque agmina his ſollemniis congratulari ſunt viſa. Contigit hæc celebrabilis tranſlatio in ſabbato, cui ſanctæ Dei Genitricis Nativitas ſuccedebat die tertio. In ipſo ſabbato & ſubſequente nocte dominica, pervigil ſuorum cuſtos Auguſtinus cum pernoctantibus pſalmicanis ante apoſtolicum altare præſtolabatur apparatum requietionis ſuæ. *Congaudent Angeli.* Eſt autem Cantienſis civis Preſbyter notiſſimus, probatæ fidei ac veriloquii, qui tunc forte hoſpitatus Vvintoniæ *, in ipſa nocte Dominica circa lucem parabat domum redire. Ecce autem inter ſomnolentiam vel ecſtaſim, ut ille jure jurando adſtipulatur, vidit eminus cælum apertum ſuper Auguſtinianum templum, ſcalamque flammeo fulgore radiantem ab ipſa ſuperna janua uſque in caput ejuſdem eccleſiæ, qua ſanctus Domini accubabat, quaſi columnam libratam, Angelorumque chorum candidiſſimo ac ſplendidiſſimo habitu per illam deſcendentem uſque in ipſam Apoſtolicam aulam: totum vero monaſterium quaſi ingens globus flammivomum tantus fulgoris radius cum ipſa ſcalæ extremitate involvebat, ut repercuſſo intuitu, quid intrinſecus, vel circa ea loca ageretur perpendere nequiret, &c.

* *Winceſter.*

XV. Deinde poſt illa ſabbati feſta recentia, affulgente Dominica, alia Auguſtino feſtivitatis ſecundatur gloria, cum univerſa chorea iterum candidata & purpurata, cum præcipiti populorum fluvio & altiſono laudum jubilo adornato ſollemniſſime thalamo collocatur, ubi nunc à fronte & facie eccleſiæ pervigil ſpeculator, & cuſtos domus, urbiſque, & totius Angliæ ſuæ auroſa ædicula excubans, rite ab omnibus veneratur, atque ut omnium interventor adoratur. Quis vero tantam vidit oblationem in auro, argento, ceris, & candelis, aliiſque reſellis fidelium? *Populorum oblationes.* Miraculo erat omnibus tam inſueta copia, non capiebant hæc altaria, non ſufficiebant colligentium certamina, noctes & dies non quieſcebat offerentium turba, &c.

XVI. Volebant tunc & beatos ejus conſortes transferre, quatinus una ejuſdem diei celebritas unius adſtringeret mentis collegas. Verum & ipſo die & ſequenti, quæ erat, ut prædictum eſt, Nativitatis Matris Altiſſimi verbigenæ, in uno Auguſtino componendo manus dedere: nec ſuffecerant prorſus, intercurrente jugi plebium glomeratione, opus explere. Tertio demum die, id eſt, tertia feria, vix ædiculam & opertorium accubantis Ducis confecere. *Transferuntur & alii ſancti.* Quarta tandem die, quæ eſt quarta feria, quaſi expeditis lacertis ad beatiſſimos contubernales & ſucceſſores ſuos, LAURENTIUM

ac MELLITUM [a], ad ipſum Principem devehendos acceſſere. Laurentius cum ipſo Duce Auguſtino primus venit, cum quo & diaboli aciem primus rupit, primuſque ab ipſo adhuc vivente ordinatus Archipontifex, ut quondam ſanctus Clemens ſummo Petro ſuperſtiti ſucceſſit; Mellitum vero electiſſimum præcellentiſſimus Gregorius Auguſtino poſt miſit auxiliarium, in procinctu Chriſti ſtrenue ſuccenturiatum. De beato Laurentio dulce eſſet memoratu quomodo mortuum ſuſcitaverit, ſuper undas maris pedibus cucurrerit, igne de cælo evocato virtute Heliæ impios conflagraverit: quomodo fontem aridis locis productum in perpetuum rivum effuderit, qua pœna arceatur omnis feminarum acceſſus ab eccleſia, quæ ejus apoſtolatui exſtructa & conſecrata eſt in Scottia; ut nuper regina Scottiæ inclyta MARGARETA [b], cum oblationibus aditum tentare auſa, ſubito ſit percuſſa atque repulſa, ſed Clericorum prece reſtituta. Verum hæc loci artitudine excluſus prætermitto, alibi Deo adſpirante retexenda. Mellitiſſimi vero Melliti, Archipræſulis à primitivo Auguſtino tertii, probatiſſima ſanctitas in hiſtoria fideliſſimi Bedæ, conflagrantem urbem Doroberniæ ſemet ignibus oppoſito liberat, flammas retrorſum tempeſtate & turbine violentius propulſat, à cujus facie recidunt ventique rogique, pereuntque citius cum ſuo terrore. Hujus etiam primi Pontificis & illuminatoris Lundoniæ condignis meritis adſcriptum legitur, quomodo inclytam eccleſiam Vveſtmonaſterii * nocte Dominicæ diei, qua dedicaturus erat in honore Principis Apoſtolorum, ipſe claviger arduum opus prævenerit, & per piſcatorem tranſvectus Tamenſem * fluvium, omne officium & ſollemnia dedicationis eccleſiaſtico ordine exegerit: quod claris indiciis intueri fuit, atque in ſignum facti xenium Pontifici inſignem piſcem miſerit.

ANN. CH. MXCI. VI. SEPT.

a

b

* *Weſtminſter.*

* *Tamiſe.*

XVII. Quo ordine diſpoſita SS. corpora.

Pium eſt etiam poſteros audire, quod jam non eſt videre, qua hìc ſancti prius requieverint poſitione. Primus Auguſtinus ſuæ porticus auſtrale latus poſſidebat, & ſacris veſtigiis orientalem maceriam pulſabat; ab ejus læva primus ſucceſſor & lateralis Laurentius, ut præmonſtratum eſt, ſimili ſpatio protendebatur, tantummodo remotus quantum loci altare beatiſſimi auctoris ſui Gregorii, hinc inde utrumque adſciſcens, occupabat. Cetera pars aquilonaris latitudinis à ſiniſtra almi Laurentii Adrianum ſanctum exceperat; virgo autem Chriſti Mildretha, unica patrum gemma, à boreali pariete auſtrali Auguſtino concordi reſpondebat regione, quos ſupra tranſlatos extulimus. Ejus vertici ut beati Auguſtini altare adſtabat; at capiti ſacro Laurentii Mellitus ut proximus ſucceſſor in producta eccleſiæ area imminebat; Mellitus juſtifluum Juſtum ſecundum ſuam ſucceſſionem ſibi accommodat ad caput: à Juſti vero dextera beatus Honorius ſucceſſor Juſti, à dextra Honorii ſanctus & à Deo datus Deuſdedit ſucceſſionis ſuæ ordine ſubjungebatur. Is nempe à capite ſummi Auguſtini ejuſdem auſtralis parietis thorum commeruit, quos tantum medium oſtium, quo intrabatur diſcrevit. Sic tamen erant omnia illa Angelorum Dei mauſolea diſtincta, ut tranſitus haberetur inter ſingula.

XVIII. Ignoti ſancti tumulus.

Igitur efferendo beati Laurentii corpore, dum pavimentum, quod coram Gregoriano altare inter ipſum & præclarum Auguſtinum patebat, prius evellendum cenſeretur, quatinus à latere fracta tumba facilior exitus ſancto pararetur, mirum dictu! ferramenta & ingenia omnium ridebat durities laterum. Sane hæc tam ſolida ſtructura prodebat theſaurum noſtra latentem ſæcula. Sed quoniam labor omnia vincit, immo fides, quæ in Deo perſiſtit, ſude ferri robuſtiſſima ab anteriori margine ſuffodiunt & impellunt. Tandem rebellis fortitudo crebris ictibus ſubjicitur; nec tamen mu-

a Eorum vitam dedimus Sæculo II. Benedictino. Laurentius colitur 2. Februarii, Mellitus 24. Aprilis.

b Malcolmi uxor, quæ adeo pietate enituit, ut inter ſanctas locum meruerit. Obiit anno 1097. die 10. Junii.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXCI. VI. Sept.

nitiſſimus laterculorum textus ſolvitur. Verum, mirabile viſu! quaſi ligneum tabulatum conclavatum ad ſpatium amplæ januæ integer ſuſtollitur. Dumque ſic excruſtato pavimento evulſa crates erigitur, ſepulcralis cryptula, quæ coram ipſo, vel ſub ipſo altari latebat, evulſo pariter lapillo violatur. Ita modico foramine facto, protinus ingens vapor inexpertæ ſuavitatis ebulliens, non ſolum adſtantes ut vehemens flatus in faciem percuſſit, ſed & totum clauſtrum monaſterii ac Fratres in eo reſidentes nova aromatum virtute perflavit. Ad tam inſperatum miraculum dicebant adſtantes: Quis iſte eſt? dicebant abſentes: Quid eſt hoc? Ita hic omnibus ignotus perſona & nomine, omnibus & præſentibus & abſentibus innotuit meritorum chariſmate. Adeo enim erat omni noſtro ævo jam abolitus, ut nihil minus quiſquam animadverteret, quam quod ſub illa pavimenti planitie aliquid præter humum latitaret. Gratias Deo omnium bonorum largitori! pro noto patrono Laurentio, quem quærebamus, ignotum conſortem invenimus; creſcitque duplicatum gaudium noſtrum, dum utrumque habemus: verum hic uno dolore indignitas noſtra tabeſcit, quod dum ſcimus quid ſit quod habemus, quis ſit neſcimus, niſi quod illum de intimis patris Auguſtini pignoribus fuiſſe, qui tali loco conſepeliri meruerit autumamus. Nomen vero, quia antiquum perdidimus, novum & familiare ſibi fideliter impoſuimus, ut uſque in diem revelationis vocetur nobis ſanctus DEO-NOTUS. Sub eodem itaque Gregoriano altari, ſacroſancta gleba ſepulti ad ipſum Orientalem parietem contiguum, ſicuti Auguſtini & Laurentii porrigebatur, qui tamquam filius geminorum patrum æque medius, velut utriuſque alis fovebatur. Reſerata ergo illa aromatum apotheca magis ac magis annitentes populos reficiebat divina fragrantia. Unde raptum pulviſculum quidam navibus applicuit, & paradiſi amœnitatem æſtimavit; quoque magis ſtupeas, cum ſtatim pulverem repoſuerit, manus ejus diutius inde fragravit. Quia itaque die illa propter impetum populi non poterant, ipſius Deo-noti ſacratiſſimam glebam plumbea theca ſuſceptam mane, id eſt quinta feria, in novam eccleſiam tranſtulere, & poſt novum altare novæ porticus memoratiſſimi papæ Gregorii decenter repoſuere. Habemus unum ex ſenioribus monaſterii adeo notæ probitatis, ut ejus aſſertioni non credere injuria ſit. Teſtatur hic ſibi poſtera nocte per ſoporem quaſi hujus ſancti faciem & formam præclare conſpectam, ſtaturæ proceritate & monachili ſchemate condignam, ſeque ita allocutam: Gratias amicabiles habeo & mercedem perpetuam imprecor, aïebat, veſtræ fraternæ devotioni, pro diligentia & labore, quem pridie exhibuiſtis meo transferendo ac componendo corpori. At equidem non ſum ille quem me eſſe cenſebatis. Conferebant enim fratres inter ſe, hunc eſſe Rufinianum illum, quem beatus papa Gregorius quondam cum beatis Mellito ac Juſto deſtinaverat in adjutorium Evangelii ſacratiſſimo Auguſtino, aut aliquem ex illius ſacro contubernio. Neſcitis, inquit, quis ſim, nec adhuc ſcietis; ſcietis autem poſtea ad nutum ſupernæ diſpoſitionis.

Appellatur Deo-notus.

XIX. Tranferuntur SS. Laurentius & Mellitus.

Iſto igitur præveniente vel, ut jocundius dicam, ſupplantante priorum Laurentii ac Melliti tranſlationem, ad ipſos cum noſtro ſtilo redeatur. Enucleantur tumbæ illorum à latere, nec minus quam ſupra diximus, irruenti turbæ cynnamoma & balſama ſua effudere. Jamque paratus Laurentius dignum conſortem Mellitum præſtolatur. Compoſitis utriſque in adornatis digne loculis, prior effertur, alter ſubſequitur: procedente candida concione glorioſus in ſanctis ſuis Dominus altiſone glorificatur. Jam Laurentius oſtium novæ eccleſiæ intraverat, Mellitus exterius imminebat, ibi pium ac celebrandum Dei miraculum ad intellectum bonum populos animavit. Aderat quidam miles, cujus oculum dextrum carbunculus, quod malum Franci per antiphraſim Bonum-malannum vocant, adeo poſſederat,

Digitized by Google

ut non modo de viſu, ſed & de vita periclitaretur. Ipſe orbis, ipſa ſupercilia, naſuſque ſpatium ſuum à tumore exceſſerant, tota facies largius extuberabat. Inſtabat, impingebat, anhelabat, ut ad unum remedium ſuum Auguſtinum pertingeret; ſed turba, ſicut in Evangelio cæco, clamanti obſtabat, & confertiſſima acie reprimendo acceſſum vetabat: ſed vicit, ut aſſolet, perſeverantia, vicit ut potuit, & ſalutem violentia rapuit. Itaque impellens & irrumpens denſatos cuneos elatum brachium protendit, ac deſuper nitens extremam partem vectis, quo beati Melliti feretrum portabatur, ſummis digitis contigit; ipſumque tactum quaſi collyrium, quaſi emplaſtrum, quaſi optimum unguentum morbido oculo infricuit, ſimulque, O ſancte Auguſtine ſubveni, proclamavit. O Dei potentiam! ô ſanctorum gratiam! ô hominis confidentiam! cum illius mali tyrannis aliqua læſione irritata magis minetur exitium, ſtatim ad ſacrum tactum ut incantatus anguis crepuit, ſanies peſtifera defluxit, viſus & vultus detumuit, omnemque dolorem ſubita ſalus & lux tenebras profligavit, &c.

Ann. Chr. MXCI. VI. Sept.

Miles æger ſanatur.

XX. Interea depoſitis ſanctis ante altare præſidis Auguſtini, agitur de ipſis Miſſa celeberrima, ut decebat ſanctos ſacerdotes Domini, in qua habito ſermone ad populum, illorum præclara exponuntur merita. Unde fide illuminata anus quædam, quæ intererat, diu carens luce mundana, dum fideliter clementiſſimos patres interpellat, reſeratis extemplo luminibus, clare diem captat, &c. Poſt Miſſas adjunguntur Auguſtino digni conſacerdotes, prior Laurentius à dextris, ſecundus Mellitus à ſiniſtris.

Cæca illuminatur.

XXI. His ita in quinta feria compoſitis, ſextam feriam nanciſcuntur reliquis ſanctis Juſto, Honorio ac Deuſdedit [a] afferendis. Sed nimirum divina diſpenſatio ſabbatum his intendit, quæ dies tranſlationis Auguſtini jam erat octava, quatinus iſtorum ſanctorum amplius innovaretur gratia, & omnibus per ſuos dies tranſlatis conſecraretur feſtiva, omneſque conjungeret ac ſollemnizaret pariter hæc una dies ut caritas una. Ipſa ergo ſexta feria itum eſt ad prænominatos ſanctos, quaſi facillime ac celerrime adducendos; acceditur ad ſacratiſſimum DEUSDEDIT, qui, ut prænotatum eſt, auſtralem parietem poſt Auguſtinum poſſedit. Incredibile ſed verum dicemus. Totum illum diem, totam ſequentem noctem in frangendo vel reſerando ipſius mauſoleo attritis viribus conſumſerunt, mane tandem ſabbati anhelo ſudore cryptulam ejus perruperunt. Deinde cryptæ beati JUSTI uſque ad horam primam attentius inſudarunt, & vix eam tandem reſerarunt. Poſtremo ſancti HONORII, qui horum medius accubabat, pertuſa in latere crypta ſancto egreſſum dabat. Hic ergo interroga vitam almiflui Deuſdedit, mira odoramentorum ſuavium gratia de ejus erumpens tumba enarrabit. Sciſcitare quis ſit Juſtus; exponet tibi cæleſtium aromatum domus: Honorii quoque virtutes & merita uberrima loquitur apothecæ ſuæ fragrantia. Omnium ergo horum Patriarcharum unica paterni affectus viſcera, & pectora una proclamat divinarum nardorum prærogativa. Tranſlata ſunt itaque hæc tria coram ſumma Trinitate radiantia candelabra in hac die Auguſtini octava. quod ad hoc, ut credimus, ſuperna diſtulit ac retardavit benevolentia, quatinus, uti prætulimus, amplius conſecretur & ſollemnizetur in tot Hierarchis hæc eadem dies octava, totaque ſeptimana feſtive exacta, octava reddatur prima: jamque myſterium reſurrectionis in his ſanctis operetur, quæ poſt ſeptena volumina ſæculi, octava interminabilis naſcetur. Nec ab his ſeparamus beatæ memoriæ archipræſulem & conſortem ſuum NOTHELMUM, intra altare ſancti Gregorii inter eos ante reconditum, & nunc ſecundo cum eis tranſlatum, quem auctorem & indicem hiſtoriæ Anglorum ſcriptor Beda præconatur [b]. Ducebat hos duces

Transferuntur ceteri, [a]

Deuſdedit,

Juſtus.

Honorius.

Nothelmus. [b]

[a] Juſtus colitur die 10. Novemb. Honorius 30. Septemb. Deuſdedit 15. Julii.

[b] In prologo Hiſtoriæ. Nothelmus nuſquam in Martyrologiis ut ſanctus celebratur, dicitur à Godvvino die 17. Octobris anno 741. obiiſſe.

Digitized by Google

ANN. CH. MXCI. XV. SEPT. ſuos ut priores ſollemniſſima proceſſio & canora laudatio; ipſiſque coram altare præſidis Auguſtini, donec ſuis ſedibus inthronizarentur, Miſſa feſtiva celebratur.

XXII. XXIII. *Miracula varia.* Hac etiam die irradiata claris miraculis favere ſuperna benignitas dignata eſt ſanctis ſuis, &c.

XXIV. *Nova Reliquiarum diſpoſitio.* Nunc autem hi ſenatores noſtri & Patres conſcripti pariter ut primitus compoſiti requieſcunt, ſicut unus ſpiritus, una fides, una caritas, una religio & gratia erat in eis. Major-domus Auguſtinus frontem & principalem eccleſiæ porticum poſſidet cum primo ſucceſſore laureato Laurentio, ſibi proximo à læva, & mellifluo Mellito, ſucceſſore ſecundo, appoſito à dextra. Ipſe principale caput ſuaviter reclinat aſſito altari ſanctæ Trinitatis. Poſt Laurentium juſtiſſimus Juſtus & Dei dato aſſumtus Deuſdedit ſubjuncti à ſiniſtris honorificentiſſimo Honorio, & theorito THEODORO reſpondent à dextris. Hi ſunt ſeptem oculi Domini, per quos nos propicius reſpicit. Hi ſeptem ſtellæ in dextera ejus, & ſeptem candelabra aurea coram ſe lucentia, quibus ſeptiformi gratia Spiritus ſui ſeptempliciter Eccleſiam ſuam illuminat. Horum exterioris alæ, borealis MILDREDA & auſtralis Adrianus proprias tenent porticus, & altaria ad capita ut Auguſtinus. Mildreda altari prænitet ſanctorum Innocentum, quos omnes virginali fovet gremio, & cum eis cytharizat & cantat canticum novum Sponſo ſuo & Agno, illum quocumque ierit pariter ſequendo. Adrianus Protomartyris Stephani, nec non Laurentii ac Vincentii martyrum tenens altarium, martyriali vita martyrum teſtatur conſortium. Item è regione boreali ſuum quique in meridiem ſalutant ſucceſſorem Laurentius Mellitum, Juſtus Honorium, Deuſdedit Theodorum, Mildreda cum temporali thalamo patrem Adrianum, omneſque præſidem efferunt Auguſtinum.

XXV. *Juſti elogium.* Sed quia horum tres altiſſimæ Trinitatis Confeſſores, Juſtus, Honorius ac Deuſdedit hanc hodiernam Auguſtini octavam, ſua propria tranſlatione vindicant primam; illorum diſſimulare dignitatem, æſtimamus injuriam. Sane quia Beda venerabilis in multiplici hiſtoria ſua minus horum declaravit miracula, non ideo à fide noſtra obliterari debent tantorum merita; an non ſufficere tarditati duritiæ noſtræ potuit, quod Auguſtinum cum ipſis ſuis ſociis apoſtolicam vitam & virtutes cum innumerabilibus ſignis imitari, atque pro ipſa quam prædicabant fide mori paratos deſcripſit? Parvæne ſanctitatis teſtimonium æſtimandum eſt, inter alia præconia, quod ſacratiſſimus papa Bonifacius, à præcipuo Gregorio quartus [a], beatum Juſtum apoſtolicis litteris collaudat, ejuſque meritis ac cælorum præmiis gentium converſionem adſcribat. quod ipſa Epiſtola partim annotata gratius clarebit. Dilectiſſimo fratri JUSTO, BONIFACIUS.

Epiſtola Bonifacii papæ S. Juſto ſcripta. „ Quam devote, „ quamque etiam vigilanter pro Chriſti Evangelio elaboraverit veſtra fra„ternitas, non ſolum Epiſtolæ directæ à vobis tenor, immo inducta de ſu„per operi veſtro perfectio indicavit, &c. *integra habetur apud Bedam lib.* 2. *Hiſt. cap.* 8.

XXVI. *Honorii.* Honorium nihilominus ſanctiſſimum Juſti ſucceſſorem *, ab Auguſtino primario quintum, beati papæ Honorii ſucceſſoris præſcripti Bonifacii apoſtolicæ litteræ ut fortiſſimum Chriſti Agoniſtam victorioſa corona triumphant. Pulcre vero & grata divinæ gratiæ conſonantia, uno tempore eadem ſanctitate atque eodem nomine iſte iſti occurrit, ut Romanus orbis ſuum habeat Honorium, orbiſque Anglicus pariter ſuum. Pulcre, inquam, ille huic univoca prærogativa hoc unanime dilectionis mittit exenium. Dile-

* *anno* 634.

[a] Legendum *quintus*, nam hic fuit Bonifacius hoc nomine quintus, qui & quintus quoque fuit Pontifex poſt B. Gregorium, & infra iſti Bonifacio ſucceſſiſſe dicitur Honorius, numero ſequenti. At quidem hic Bonifacius quartus eſſe non potuit, qui tertius poſt Gregorium fuit, & obiit anno 614. Juſtus vero anno 625. ex Roffenſi ad Cantuarienſem ſedem tranſlatus eſt, quo anno menſe Octobri exſtinctus eſt Bonifacius quintus. Juſto qui defunctus eſt anno 634. ſucceſſit Honorius.

ctiſſimo fratri Honorio, Honorius. Inter plurima quæ Redemtoris noſtri miſericordia ſuis famulis dignatur bonorum munera prærogare, illud etiam clementer collata ſuæ pietatis munificentia tribuit, quotiens per fraternos affectus unanimem dilectionem quadam contemplatione alternis adſpectibus repræſentat, &c. *integram exhibet Beda lib.* 2. *cap.* 18. Nec illud parvæ gloriæ [ejus] præconium eſt, quod per ſanctum Felicem [a] à ſe ordinatum Orientalium Anglorum Præſulem, illam quoque ad Chriſtum converterit gentem. De cujus nuperrima revelatione parum quid ſed magnum fidei monumentum hic inſerimus. Derogabat quidam æmulus huic ſancto; præferens illi quemdam ſæcularis opulentiæ Epiſcopum, qui Eccleſiam Dei multis opibus & ornatibus exſtruxerit, cum iſtum tale aliquid utilitatis in vita ſua feciſſe nullum veſtigium ſit. Quod ubi ejus loci alumnus Prior nuntiatum ægre ferret, nocte ſubſecuta cuidam ſeniori ætate & moribus venerabili quidam honorificentiſſimus in viſu adſtitit, ita præclare, ut recolat adhuc cujus formæ illum aſſimilare potuerit, attonitoque de tam ſpectabili & magnifica perſona ſic ait: Quare ille talis heſterno ſanctum domini Honorium abuſiva lacerare voluit detractione, in Pontificis laudati prælatione? Cur his relatis, Prior ex ſancto Evangelio non reſpondit, quia omnibus auroſis & copioſis largitionibus divitum plus duæ minutæ valuerunt pauperculæ apud Judicem juſtum?

«Ann. Ch. MXCI. VI. Sept. «Ad eum «Honorii papæ epiſtola.

[a] Felix epiſc. Anglorum Orientalium.

Beatum quoque Deuſdedit [b] ſanctitate adjungimus conſimili, qui beati Auguſtini apoſtolatui ſextus ſubjungi, & eidem tam proxime meruit conſepeliri. Hi ſunt ergo omnes viri miſericordiæ, quorum juſtitiæ oblivionem non acceperunt: quia enim præfatus Hiſtoriographus [Beda] ſingulorum geſta deſcribere nimium æſtimavit, in fine omnium merita ſic concluſit: De his omnibus recte & veraciter dici poteſt, quia *corpora eorum in pace ſepulta ſunt, & nomina eorum vivunt in generationes & generationes*. De ceteris vero, id eſt, Regibus, Præſulibus, Abbatibus, aliiſque ſanctis tranſlatis nunc eſt ſubſedendum; de quibus jam alibi dictum eſt, vel ſuo tempore dicendum, cum parato templo thorum perceperint deſtinatum. XXVII.

[b] Deuſdedit, &c. à Beda laudati.

Poſt hoc ergo Sabbatum, cum in ſubſequente Dominica tapetia, quæ fracta & exhauſta ſanctorum corporibus monumenta tegebant, pluvia & lutum ſordidaret, cuſtos illorum venerabilis hærebat animo utrum auferre tentaret, an in ipſorum obſequio, qui meliora reddere poſſent corrumpi ſineret; rurſumque recogitabat quod illorum gloria ornamentorum eccleſiæ detrimenta non ambiret. Tandem accedens trepide cum incenſu pſalmodiæ ad beati Melliti ſimiliter perruptam & evacuatam cryptulam, pallium ab apertura paullulum ſeduxit; & ecce expertus pridie vigor cæleſtium odoramentorum vernantiſſime hunc repercuſſit. Ille perculſus prodigio: Quid eſt, inquit, Domine Deus, quid eſt hoc? Unde ſpirat gratia? An quatriduo vacua tumba adhuc ſudat etiam abſentia balſama? Talis ſecum ſenior ille ſtupido corde volutans, repoſuit tegmina nardifluo foramini, ardens cujus eſſet hæc gratia certius experiri. Ilico obtruſus odor velut excluſus lucis radius evanuit. Rurſus ille detexit, rurſus facta via effuſus odor redolevit, &c. XXVIII.

Odor ſuavis ex S. Melliti tumba.

Secunda dehinc feria, patente ſpatio, ſtructura navis eccleſiæ procedit; fundatur columna ſpatioſa in aquilonari ſerie, ipſo loco unde opulentiſſimus theſaurus Auguſtini corporis aſſumtus eſt. Cujus tumbæ vel cryptulæ ſacratos laterculos alvo capaci pro ſacris pignoribus illa complectitur. Subſtrati vero pavimenti, cui beatiſſima gleba incubuit, lateres puniceos, nitidos, plano tabulatu contextos, & crocea nardo fumantes certatim excruſtantur; & in altari novæ porticus beati Gregorii ſupra memorato recon- XXIX.

Item ex S. Auguſtini tumba.

[a] De hoc Bollandiani die 8. Martii.

[b] B. Honorio ſucceſſit anno 653. Cantuarienſi eccleſiæ præfuit uſque ad annum 664.

Digitized by Google

ANN. CH. MXCI. VI. SEPT.

duntur. Sub his lateribus inventa eſt terra mundiſſima ſemipedis ſpiſſitudine fundamento, quod de pariete veteri Auguſtinianæ porticus præminebat ſuperjecta; hæc quoque terra penetrante lateres Auguſtini odore, mirifica fragrabat ſuavitate. Quam ad prædicti fundamenti ſilices exhauſtam per ſacrata buſta Laurentii, Melliti ac Juſti, quæ eccleſiaſticæ ſtructuræ perſecutionem evaſerant, diſtribuendam ac ſervandam cenſuerunt. Ne vero poſteri noſtri, hi qui fuerint filii dilectionis tanti patris, ſe neſcire doleant hactenus deſcriptum ejus antiqui monumenti locum; notet qui voluerit hanc columnam, quam paullo ante deſignavimus, ejus continere lateritiam tumbam, numeretque & ſciat ab illa, quæ turri orientali arcuatur, tertiam. Quid enim piis heredibus non videbitur dulce de tanto progenitore dinoſcere? Quid vero non ſit triſte ejus gratiæ ignorare? Verum de illis balſamaticis lateribus præſcriptus ſenior fideliſſimus, qui ſe hujus gratiæ innoteſci repellit, unum clanculo ſubduxit, ne dicam, furtim ſurripuit. Laudabilis hæc culpa, quam fides adornat, caritas juſtificat: quia ille languentium remedio pio ſacrilegio hoc proſpiciebat. Nam divino inſtinctu hæc ſacra eum reſervaſſe conſequentia miraculorum probat.

XXX. XXXI. XXXII. Miracula.

Orientalium Saxonum provincia illuſtrem virum Francigenam novit incolam, cujus uxor diutino languore jam deſperabat ſalutem & vitam: revelatum illi tandem in ſomnis eſt, quatinus propere ad ſanctum Auguſtinum Cantuariæ mitteret, & laterem, qui ipſius ſalutifero corpori ſubjacuerat, aqua ablui expetat; quæ inde bibens de Auguſtini virtute confidat, quia indubitatæ ſoſpitatis remedium percipiat. *Quod factum eſt. Capp. 2. ſeqq. alia quoque miracula narrantur.*

XXXIII. Pulvis & lateres ex tumulo S. Auguſtini pro reliquiis.

Reliquias de pretioſo Auguſtini corpore plurimi imploravere: ſed nemo (tanta tamque pia eſt paterni theſauri ſervandi avaritia) vel unum capillum inde potuit obtinere. Verum de præſcripto latere data beneficia adhuc loqui nos cogunt miracula, cujus ſervator ſupra memoratus dum hoſpitatus cœnobio Rameſenſi [a] ſermocinaretur de virtutibus ipſius præſtantiſſimi patroni, narrabat etiam ipſos turiferos lateres, quibus incubuerat ſepultus, ſanitatum chariſmate redundare. Rogatus ergo à fratribus inde reliquias ſub conditione celebrandæ perpetuo Tranſlationis ſuæ, adduxit ſecum fratrem ex illo contubernio idoneum, præmittenſque eum cum ſigno ad condignum ſeniorem, dictum Elfvvinum, hujus fidei amiciſſimum apud ſanctum Auguſtinum, ipſe opperiebatur ejus reditum ad Bertingam, provide ſcilicet diſſimulans, ne quis de ipſo ſacro arcano præſentiſceret aliquid abducendum. Ille particulam pulveris, quem de ſepulcrali crypta ſancti Auguſtini exhauſerat, & duo laterum fragmina, quibus ſanctus indormierat, præfato fratri remittit in buſtula, qui Bertingenſi [b] & Rameſenſi eccleſiæ æque divideret utriuſque gratiæ xenia. Suſceptor itaque horum ſacrorum, ut fur metuens deprehendi, aut ut theſaurifer deprædari, ocius de ſancto Auguſtino ad Chriſti [c] eccleſiam ſe rapuit, ibique conſueta benignitate fratrum ſuſceptus, nocte illa cum ipſis requievit. Mantica ejus ſervatrix ſacri myſterii foris cum famulis remanſit: famuli autem inſoleſcentes, & tantæ virtutis præſentiam vel reverentiam ignorantes, ea nocte tanto terrore & horripilatione exagitantur, quantum numquam in vita perpeſſi ſunt, ut jam interituros, aut in amentiam tranſituros crederent, cum cur, aut unde hæc formido eſſet, aut quid portenderet prorſus neſcirent. Ipſum quoque fratrem vox divina increpuit per ſoporem: Quare, inquit,

[a] De Ramoſienſi cœnobio plura habentur in Vita S. Oſvvaldi, qui ejus monaſterii auctor fuit, Sæc. præced. ad an. 992. pag. 727.

[b] Legendum forte Berkingenſe, cujus nominis parthenon exſtitit haud procul Lundonio in comitatu Eſſekienſi. certe infra reliquiarum delator pernoctaſſe dicitur in Roffenſi eccleſia. quæ urbs inter Cantuariam & Berkingam medio prorſus itinere ſita eſt.

[c] Id eſt de monaſterio ſuburbano S. Auguſtini ad eccleſiam cathedralem Chriſto Salvatori ſacram. Utraque eccleſia monachorum Benedictinorum fuit ad Henrici VIII. tempora.

Digitized by Google

inquit, frater, creditum tibi pignus tam negligenter expoſuiſti? Sequenti nihilominus nocte ipſo in Roffenſi * eccleſia hoſpitato, rurſus mantica ſacrorum theſauraria cum famulis relicta, iterum brutos animos divinarum rerum indociles anterior pavor reverberavit, & plurimum noctis ut vecordes occupavit. Tertia die in Bertingam ad Auguſtinianum monachum Auguſtiniana pignora exhibuit, quæ ille lætiſſime excipiens, nocte imminente ſecum ſervavit. ANN. CH. MXCI. VI. SEPT. * *Rocheſter.*

Ipſa nocte hic ſacrorum ærarius magnis viſionum agitur myſteriis, &c. Ut ergo diluculum hauſit, illas pulvereas ſed mirificas reliquias eccleſiæ intulit, ipſique Deo amabili Animæ abbatiſſæ, quam ob gratioſam ſinceritatem CARAM-GRATIAM patres appellavere, rem omnem viſionis & prodigiorum expoſuit ordine. Illa dum ejus miratur relationem, amplius admirando propriam ſic ingreditur eodem fere tempore declaratam exponere viſionem, &c. XXXIV. Monachi viſio. Et abbatiſſæ.

Ornatis itaque Sacerdotibus & Clericis, nec non ſororia proceſſione feſtive induta, excipitur ſua medietas ſacrati lateris, & pigmentati pulveris à devotiſſima eccleſia cum laude dulcimoda, altera medietate alteri eccleſiæ, quam præmonſtravimus, reſervata. Colligitur hoc pretium pompoſe decorato ſcrinio, circumfertur clauſtro à ſacerdotibus in benedictionem cum jubilo, comitatur paternis laudibus virginalis concio. Agitur in beata Auguſtini memoria Miſſa ſolemniſſima, modulante angelica carmina, & ſuperante ærea organa virginum melodia. Tanto adeo decertant triumpho, acſi Auguſtinum tenuiſſent corpore ſolido; Miſſam perſonat Auguſtinenſis monachus, ſervator & diſtributor ſuorum ſacrorum fidiſſimus. Hîc ergo, ſacra præfatione finita cum angelico hymno ſummæ Trinitati ſacrato, grande apparuit prodigium, noſtroque ſæculo tam obſtupeſcendum quam inſuetum. XXXV.

Soror ævo maturior, quæ adminiſtrabat altari, dum adſtat pſalmis & orationibus intenta, adſpicit palam præſignatum ſacerdotem, ſicut dominicis ſacramentis conficiendis aſſiſtebat, &c. Eadem ergo ſollemnitate proceſſionis, modulorumque & ornatuum, atque miſſarum, ſuſcepta eſt altera medietas ſæpefati lateris & pulveris quæ obvenit Rameſenſi monaſterio: & ita celebrari in perpetuum tranſlationem digniſſimi patris Auguſtini promiſſum & confirmatum eſt ſicut in Bertinga. XXXVI. Apparet ipſe Auguſtinus.

Hanc itaque ſemper recolendam ſanctorum tranſlationem feſtivam, annus Incarnati Salvatoris milleſimus nonageſimus-primus, octavo Idus Septembris noſtro ævo gratiſſime conſecravit, quo Juniorem VVillelmum Regem Anglia, & VVidonem Abbatem hujus feſti latorem Auguſtinia habuit, cui Roffenſis præſul Gundulfus memorabilis pro Archiepiſcopo amabiliter obſecundavit. Ipſo quoque Abbate volente, placuit præſtantiſſimo archipræſuli Anſelmo ceteriſque pontificibus, haberi in perpetuum hanc octavam præcipuam ac celeberrimam pro prima, quatinus tam Auguſtino duci quam ceteris collegis ſuis, Romanæ ſcilicet Eccleſiæ alumnis & Legatis, atque Angliarum Principibus, ipſorumque ſucceſſoribus in commune omnibus conſecretur; in qua omnium facta Tranſlatio, ut jam ſupra memoratum eſt, comprobatur. *Sequuntur miracula ad finem hujus libri, quæ omiſimus.* XXXVII. Anno 1091. Tranſlationis feſtum.

LIBER SECUNDUS.

PRimitivus noſter AUGUSTINUS, cum poſterius tranſlatus ſit cum ſuis lateralibus, prima narrationis ſerie anticipatur: ceteri ejus amici ante ipſum tranſlati poſt ipſum recenſentur. Ordo præpoſterus, ſed neceſſario commutatus. Quare? Quia & cui potiſſimum hæc ſollemnitas præſcribitur primatus debetur, & eſurientibus paternas dapes citius medetur, ne PROLOGUS.

Digitized by Google

ANN. CH. MXCI. VI. SEPT.

longo ſuſpendio diuturnæ ambagis, antequam ad triclinium perveniatur, æger exſpectator exanimetur. Nunc ergo quia grata occaſio renovati templi hunc nobis in aſſumto Auguſtino ceteriſque primatibus peperit triumphum, congruum videtur à ſuperioribus patribus id ipſum parturientibus textum ſecundare, &, intercurrentibus miraculis, gratiam tam ipſorum quam noſtrorum dierum celebrare. Sic ambitus cauſarum [penſabit] moras colligendorum de pratis Elyſiis florum, [&] diverſas tranſlationes præcedentium ſanctorum ad Auguſtini jam tranſlati referemus ſacrarium.

I. Primo igitur Auguſtinenſis abbas ALMERUS [a], quaſi quodam voto & præſagio futuræ Tranſlationis, arcus & columnas ſuper ſanctorum corpora Romana elegantia ſollemniter ædificatos abſtulit, quantumque audebat, viam exſurgendi illis paravit: de ipſis vero columnis & arcubus monaſterii ſui clauſtrum exornavit. Hinc de Abbate in Pontificem mire renitens aſſumtus eſt Scirebourne, ELFSTANO condigno, qui beatiſſimam Mildredam ad ſuum Auguſtinum tranſtulit, ſuccedente. Verum ipſe judicio Dei miſericordiæ, verberantis quos diligit, cæcitate percuſſus, epiſcopatum tam voluntarie deſerens, quam invite ſuſceperat, ad paternum Auguſtini ſinum rediit, & in cella infirmorum degens, otium ſuum in pſalmodiis & orationibus exercuit. Nec prætermittenda eſt hic admirabilis ſuper eo viſio. Jacebat ejus miniſter vir honorabilis in eccleſia ſancti Mauritii, adhærente ipſi cellulæ infirmorum: vidit quadam nocte ut accubabat, plene vigilans, duas perſonas venerabiles Epiſcopum de eadem cella, in qua quieſcebat, hinc inde in ipſam Thebæorum Martyrum baſilicam adducentes, ibique illum ſibi medium familiariter aſſidentes, multamque cum eo ſermocinationem, quam ille contemplator palam audire, &c.

[a] Almerus abbas S. Auguſtini.

Item Elfſtanus,

II. Præſtantiſſimus autem abbas Ælſtanus Romam proficiſcens, à præcellentiſſimo imperatore HENRICO ob gratiam famoſiſſimi patris Auguſtini magnifice ſuſcipitur [b], ubi cum de tanto hierarcha ſermones ſollemnizarent, exclamat Imperator; O ſi vel minimum articulum, vel aliquem capillum, vel tandem extremum pulviſculum de tanto theſauro nanciſci mererer, quantis rerum pretiis id emtum vellem! quod inæſtimabilis ſplendoris bravium! quantum Anglia adeptum gaudet, tantum Roma ademtum fleret, niſi fides utrobique eum adeſſe, & ubique prodeſſe de regno ſuperno crederet. Hæc dicens piiſſimus Princeps inſiſtebat magnopere venerando Abbati, quatinus illud tam precioſum decus Romani Imperii, ac generis humani jam transferret, ſibique aliquid tam ſacrorum pignorum conferret: quod ſi obtineret, quicquid vellet in terris, vinetis, auro & argento ſublimiter impetraret; inſuper ipſe tanti theſauri ſcrinium auro puriſſimo pretioſiſſimiſque gemmis auguſtaliter ambiret. Sed Abbas, quamvis eum acceſſum ad paternum aſpectum, quem noſtra dies meruit, cunctis opibus terræ præponderaret, tamen pro cunctis opibus rerum, nec ſuo, nec Imperatoris deſiderio obſequi auderet. Regreſſus domum, dum poſt monaſterii ſui provectum ſtrenuiſſime actum quadriennio ante obitum langueret, egregium ſui gregis arietem VULFRICUM [c], ſæculari & eccleſiaſtica ac litterali eruditione præclarum, Abbatem ſibi ad apoſtolicum ſancti Petri altare, antiqua videlicet Romani privilegii ac libertatis conſuetudine, Apoſtolica auctoritate primitus firmata, ordinari fecit.

[b] Henricus Imp. deſiderat reliquias S. Auguſtini.

[c] Vulfricus abbas.

III. At Vulfricus, qui in dilatatione Reipublicæ commiſſæ omnes anteceſſores ſtudebat æquiparare, in eccleſiæ tandem ſuæ reſtauratione omnes certabat evincere. Verum impræſumtum ceteris conatum verebatur in-

[a] Seu Elmerus; Vulfrico ſucceſſit anno 1006. & anno 1022. factus eſt epiſcopus Schireburnenſis. De quo Vvilhelmus Thorn ait, quod licet pie ſanctus credatur, ipſius tamen feſtivitas abſque auctoritate Apoſtolicæ ſedis celebrari nequit.

[b] Id Romæ ſeu in Italia contigiſſe videtur, ubi erat S. Henricus hoc ipſo anno, quo Ælſtanus factus abbas Romam petiit.

[c] Vulfricus, hujus nominis ſecundus, Ælſtano ſucceſſiſſe dicitur anno 1047.

Digitized by Google

ANN. CHR. MXCI. VI. SEPT.

conſulte præſumere, & illud tam antiquum, tam primarium, tam innumerabilium ſanctorum domicilium ſine auctoritate publica temerare. Interea illud ſplendidiſſimum ac ſanctiſſimum jubar noſtri ſæculi papa LEO [a] Simoniacam hæreſim in Galliis debellabat, nummulariorum menſas & cathedras vendentium columbas evertebat, omnemque negotiationem avaritiæ de templo Domini ejiciebat. Mittitur ad illum Anglicarum Eccleſiarum Principis Auguſtini vicarius ipſe Vulfricus, pro eccleſiaſticis magiſtratibus & gente ſua reſponſurus, à Rege ſcilicet EDUVARDO deſtinatus, ut erat in tranſmarina regna & ſumma negotia mitti tam aſſuetus quam idoneus; comites illi adduntur ſpectabiles, DUDECO Sumerſate epiſcopus, & Rameſenſis Abbas ÆLFUVINUS. Tunc magnus Sacerdos * Domini Remenſem eccleſiam ſancti Remigii dedicabat, & fidum Chriſti diſpenſatorem miraculis oſtendebat. Diſcuſſis ordinibus ſacris, quis per oſtium intraverit, quis aliunde aſcenderit, Anglos innocentiores Chriſti Conſul invenit; Anglos, & maxime Auguſtinenſem Legatum, pro tanti nominis dignitate, ampliori benignitate excepit. Nam antea venerabilis memoriæ pontifex Seriberiæ HEREMANNUS [b], cui laterales adhærebamus, Romæ in ampliſſimo Pontificum Senatu [c] lucide diſputaverat coram ipſo beatiſſimo Leone, de Anglorum inexcuſata omnigenis, vel peregrinis, vel civibus hoſpitalitate; de ipſa Anglia eccleſiis ubique repleta, quæ quotidie novis locis adderentur novæ; de innumera ornamentorum & ſignorum per oratoria diſtributione, regumque & divitum in hereditatem Chriſti ampliſſima largitate. Gaudebat ſummus amicus Domini Leo, adeo ut elatis manibus gratias ageret Deo. Addidit etiam præfatus Epiſcopus nobilitatem Anglicæ hierarchiæ exponere, quod ſcilicet Cantuarienſis Præſul apoſtolica auctoritate, Romæ aſſidere debeat ſanctæ Ruffinæ pontifici [d]; Auguſtinenſis vero abbas abbati caſtri Caſini. Quæſitum eſt in decretis & inventum, ibique Papæ atque omnium aſſenſu corroboratum. Hujuſmodi favoribus idem beatiſſimus Papa Anglos familiarius habuit; Vulfrico vero ob ſancti Auguſtini gratiam, atque ſuam concinnitatem deditior exſtitit: omnia rememorantem de ipſo ſancto ſuiſque condignis collegis amantiſſime audivit; ſuggerenti monaſterii ſui reſtaurationem gratiſſime annuit, ac benedixit. Sic Nathan David regis deſiderio in ædificando templo favit: ſed cum eſſet uterque propheta, uterque hic à Dei conſilio ut homo erravit, nec quiſquam quicquam poterit, niſi cui & quando Deus decreverit. Hoc deſiderioſus Abbas non perpendens, & ad ſibi inconceſſum opus fruſtra nitens, facta legatione, templum ſuum à fronte diruit, beatiſſimam virginem Mildredam ante principale altare Apoſtolorum conditam in porticum patris Auguſtini tranſtulit, & juxta Aquilonarem parietem contra ſanctum Auguſtinum collocavit. Partem quoque ab Occidente oratorii ſanctæ Dei-Genitricis cum porticibus, quibus circumcingebatur, dejecit, & inter utramque eccleſiam, fratrum cimiterio quod adjacebat purgato, totum ſpatium ad fabricam corripit, parietes erigit, columnas & arcus componit. Lætabatur novo opere Cantia, quamquam monaſticæ habitationi incongruum feciſſet artificum imperitia.

Adeſt Concilio Remenſi.

* Leo IX.

Epiſcopi & Abbat. Cantuariæ privilegium.

IV. Vulfricus ob dirutam S. M. eccleſiam punitus.

At offenſa eſt Regina poli de injuria templi ſui: hoc ſuum ſacrarium; hoc, juxta Anglicum elogium, ſuum veſtiarium; hoc multorum ſanctorum ſinus erat & gremium. Hic, ut in conſequentibus patebit, audiebatur con-

a Leo nonus qui anno 1049. Simoniacos eſt inſecutus in Concilio Remenſi, cui Vulfricus abbas cum Dudecone ex Anglia adfuit. Ejus Concilii acta & Remigiani archimonaſterii baſilicæ, in qua habitum eſt, dedicationis hiſtoriam habes parte 1. hujus Sæculi.

b Tunc Hermannus Vviltonienſis erat epiſcopus, ſed cum ſedem ſuam anno 1078. Sariſberiam tranſtulerit, noſter auctor ex nova ſede eum denominat.

c In concilio, ut videtur, Romano anno 1049. paullo antequam Leo in Gallias ad dedicandam baſilicam Remigianam veniret.

d Is erat unus è ſeptem epiſcopis Cardinalibus, cujus ſedes Portuenſi epiſcopatui unita eſt.

Digitized by Google

ANN. CH. MXCI. VI. SEPT.

centus Angelorum, hic organa virginum, hic aſſiduabatur virtus miraculorum. Hæc rerum Domina per viſum apparere dignata cuidam anui: Vade, inquit, & dic Vulfrico abbati, quia morte punietur ob deſtructionem oratorii mei. Hoc ſemel, hoc denuò, hoc tertio mulier admonita, tandem per ſororem Abbatis bene religioſam, quia illum verebatur, mandat ſibi cælica mandata. Ille reformidans ad tantæ Dominæ majeſtatem, ſed renuens credere quaſi aniles fabulas ad nuntii vilitatem, tenuit propoſiti intentionem, & ſidereæ querelæ neglexit ſatisfactionem. Ruit enim plerumque humanus impetus irrevocabiliter, juxta illud Naſonis:

Difficiles aditus impetus omnis habet.

Incidit itaque reus in ſententiam divinam, percuſſus eſt lethali ſagittâ ægritudinis circa Cœnam Domini: quotidie tamen, & in ipſa Cœna, & in Paraſceve, & ſabbato ſancto, & die Paſchæ, ſecunda quoque ac tertia feria, majores Miſſas in congregatione ſeipſo & ipſa infirmitate fortior complevit; ſubſequenti vero nocte, repentino tranſitu, priuſquam fratres accurrere poſſent, deceſſit [a], & feſtos dies ſuos eis in lamenta convertit: opus autem ſuum, innumeris ſumtibus & laboribus fruſtratis, ad deſtructionem aliis reliquit. Nemo tamen judicet tantum virum poſt ultionem Dei miſericordia deſtitutum, nec bonæ voluntatis ſuæ fructu exinanitum. Prophetæ inobedientiam quæſtor leo punivit, ſed de exſtincti cadavere, quaſi jam purgati, jam juſtificati, non comedere, nec ipſum ejus aſellum lædere præſumſit.

V. *Egelſinus abbas privilegio donatur.*

Poſt hunc domnus EGELSINUS monaſteriarcha attollitur, & in palatio Regis conſecratur, qui Romam profectus ab ALEXANDRO papa mitra & ſandaliis ſacerdotalibus donatur, hiſque uti pontificali vice jubetur. Hunc, inquit, apicem habere perpetuo rectorem decernimus Auguſtinenſem, ob ipſius ſcilicet & Romanorum alumni & Anglorum apoſtoli Auguſtini dignitatem. Hanc itaque prærogativam ille domum revexit, & interim in Auguſtini potentatu habuit: ſed ubi Abbatiam mutavit, Auguſtinenſi ſucceſſori ſua jura alibi impræſumta reliquit.

VI. *Scotlandus abbas.*

Interea VVILLELMUS Dux Normannorum, Deo diſpenſante eruditionem plebis ſuæ, in Regem tranſiit [b] Anglorum, à quo domnum SCOTLANDUM, virum probum & prodige eruditum, Auguſtiniana domus Patrem ſuſcepit accommodum. Hic, ut ceteri anteceſſores, ordinatus in ſuo monaſterio, cum in eccleſiæ ſuæ longius protendendæ ædificium, largum extenderet animum, graviter offendebat eum adſtans opus impedioſe productum, offendebat & anguſtum decretæ machinæ ſpatium: terrebat vero Dei Genitricis in Abbatem ſuperiorem de prærupta eccleſia ſua judicium; terrebat de veteri monaſterio longa carie conſumto ruinæ periculum. In his angoribus rapitur legatione regia Romam ad Alexandrum papam. Ibi poſt regia reſponſa, conſilium accipit ab ipſo Papa & benedictionem de transferendis ſanctis, de deſtruenda & reformanda baſilica ſua pro ſuis votis, ac nutu ſupernæ largitatis. Dehinc reverendus Apoſtolicus de eadem antemurali eccleſia quam proxime muris civitatis immineret; præcellentiſſimus Auguſtinus & decentiſſimi conſortes ſui qua parte eccleſiæ, quo ordine, ſimul an diſtinctis porticibus requieſcerent, cum diligentiſſime indagaret, & præclarus abbas ad omnia optata ſatisfaceret: Hæc, inquit, eſt arx civitatis præeminentiſſima, ac decentiſſima totius regni Regia, ubi ille

[a] Hinc patet falſos fuiſſe eos, qui Vulfrici mortem anno 1049. conſignant. Hoc quippe anno menſe Octobri Remis interfuit Concilio in eccleſia Remigiana habito.

[b] Anno 1066. Willelmus Angliam occupavit, Egelſino abbati Auguſtinenſi, qui Regis indignationem incurrerat, non comparenti Scotlandus Normannus ſuffectus eſt.

Digitized by Google

dux ſuæ propagationis eccleſiarum, princeps comitum beatorum, hoc eſt, princeps principum, & in ſuo apoſtolatu ſanctus ſanctorum Auguſtinus, ſuum thorum, ſuumque ad cælos porrectum poſuit triumphum. Quam præclara domus tot & tantorum cæli ſiderum! quam veneranda aula univerſæ genti Anglorum! quam beata patria ſanctorum radiis illuſtrata patronorum! ANN. CHR. MXCI. VI. SEPT.

Tum Abbas fidelis ad tantum tanti viri teſtimonium obſtupeſcens & gratias agens, domum properat, inchoatam molem novi operis ſubvertit. Verum reſidua pars virginalis oratorii ſummæ MARIÆ ejus impetum morabatur; noſtræ quoque orationis curſum hic modo remoratur. Occurrunt hujus ſacrarii ſuperna præconia, & in ejus gremio adjacentium ſanctorum miracula. Hic ipſa præcelſa parens Altiſſimi ſæpius viſa, & cum dulcimodo virginum choro ineffabili ſuavitate cæleſtis harmoniæ noſcitur audita. Huic candidiſſimo contubernio Angelum Domini exercituum, & poſt Auguſtinum ſuoſque conſortes nitidiſſimum decus Anglorum, familiarius ac frequentius interfuiſſe beatiſſimum conſtat DUNSTANUM [a]: & ut cervum ſitientem ad fontes aquarum, ita illum ſupernæ modulationis dulcedine captum inexplebiliter aſſiduaſſe hunc ſanctorum paradiſum. Ne etiam noſtris temporibus hujus fidei deſit experimentum, ipſe Dominici gregis cuſtos Scollandus, quadam nocte ante nocturnas vigilias expergefactus à ſomno, uti accubabat in vicina ipſi eccleſiæ cella, chorus mire dulciſonus alternatim auditur pſallentium, tamquam virorum & puerorum gratiſſimam conſonantiam diapaſon reddentium, dum modo junctis modulis concinerent, modo diſtinctis organis parvuli viris reſponderent. Hærebat in inſueta melodia, tamen nondum animadvertens cæleſtia carmina, cogitabat fratres jam expletis matutinalibus ſacris proceſſionem, ut tunc dies & noctes ſolebant, in ipſa agitaſſe eccleſia. Rogat excitatos ſocios an ſigna matutinalia audierint, omnes negant. Rogat an ſibi auditos cantus audiant, omnes ſe plane audire & monachi & laïci aſſeverant. Mittit eo fideliſſimum fratrem, Sinvoldum nomine, rei certitudinem explorare: venit, & oſtia clauſa invenit, nec quemquam ibi cernit, nec ullum jam ſonum audit. Regreſſus omnes lectos fratrum circuit, omneſque dormientes reperit. Quod ubi patri retulit, ille inclinis lectulo modice obdormivit, & ecce vocale ſignum matutinorum intonuit. Tum vero obſtupeſcens, intellexit incunctanter cum omnibus audientibus vere in illo loco olympica conveniſſe agmina, ſæpiuſque ante narrata miracula veriſſima ſibi claruiſſe experientia, & vere ſupernos cives hæc incolere habitacula. Nam hunc locum Deo & omni ſæculo amabilis Patris noſtrique poſt ſummum Auguſtinum optimi inſtitutoris ADRIANI [b], irradiabat præcipue ſigni potentiſſima gleba, ſimul & ſancti ALBINI [c] diſcipuli & ſucceſſoris ſui, necnon beati JOHANNIS, ſuperiori tempore Abbatis, veneranda corpora. Ad hoc plures ſancti Epiſcopi & Abbates numeroſi, quatuor quoque Reges, cum regalibus conjugibus & liberis ac longa nepotum genealogia aulam Dominicam illuſtrabant & nobilitabant dormitione ſua.

VII. Ægre deſtruit oratorium beatæ Mariæ.

In quo ſepulti ſancti abbates.

Et Reges.

Horum autem regum primus noſcitur EDBALDUS, tertii Anglorum Regum, ſed primi Chriſticolæ Ædelberti filius. qui ab errore idolatriæ velut ab Acheronte emergens, per beatum archipræſulem Laurentium Apoſtolo Petro pro deſperata ove paſtorem verberante ad Chriſti ſinum confugit, paternæque pietatis æmulator hanc eccleſiam præcelſæ Dei Genitrici condidit & dedicavit; in qua hactenus requievit, hereditans quod VIII. Edbaldus.

[a] Ejus Vita data eſt Sæculo ſuperiori ad annum 988.

[b] Miſſus fuit à Vitaliano papa in Angliam, ſimul cum Theodoro archiepiſcopo. De his Sæc. 2. ad annum 690. ex Beda, &c. Colitur 9. Januarii.

[c] Is ex Anglis primus Auguſtiniano monaſterio præfuit ſæculo 8. labente. Bedæ hiſtoriæ ſcribendæ auctor fuit. nuſquam inter ſanctos colitur, ſicut nec Johannes abbas infra memoratus, qui ſecundus ejuſdem monaſterii abbas fuit. Obiiſſe dicitur an. 618.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXCI. VI. Sept.

fecit, & poſſidens quod dedit, cum juſtis ſcilicet, quos in nomine Juſti ſuſcepit. Hanc abbate & ordine monaſtico ut Auguſtiniano cœnobio incorporaretur religioſe informavit, ornamentis & opibus regiis, terris & rerum neceſſariis abundantiſſime ditavit, interque regalem villam *Northburna* appellatam adjecit; præterea chriſtianæ fidei propagandæ beatis Patribus adjutorem & cooperatorem devotum ſe exhibuit.

IX. *Lotharius.* Secundus erat LOTHARIUS, Rege Edbaldo avo, & Rege ERCONBERTO patre, ac Deo dilectæ virginis MILDRETHÆ avunculo editus. Cujus mater ſanctiſſima regina SEXBURGA, in inſula Scapeïa monaſterium Dei Genitrici prima fundavit & ſanctimonialium choro inſtituit, ibique, mutato in ſacrum velum regni diademate, ancillis Chriſti ſe conjunxit, ipſo filio ſuo favente, terraſque & divitias inibi ſuffecturas regaliter adjiciente. Quæ poſtea pretioſæ virgini, germanæ ſuæ ETHELDRETHÆ [a], in Eligenſis monaſterii ſucceſſit regimen. Lotharius, dum poſt fratrem ſuum EGBRIHTUM, Raculfenſis cœnobii fundatorem, duodecim annis regnaſſet, bello Auſtralium Saxonum à nepote ſuo EDRICO, fratris ſui EGBERTI filio, oppugnatus, ibique vulneratus, dum medetur emoritur. Edrico autem poſt annum & dimidium regni adepti ſublato, Reges externi [b] & incerti dominati ſunt tempore aliquanto: quorum unus, nomine Mulus, conſepultus erat ſuperioribus ordine tertius.

X. *Withredus.* Quartus erat legitimus rex VVITHTREDUS, alter ſuperioris Egbrihti regis filius, qui virtute & religione potens paternum regnum ab exteris tyrannis eripuit. Ipſe, jubente ſibi beato Martino per viſum, in ejus honore ad Doveram conſtituit primus monaſterium, ac Dei famulis regalibus donis perpetuo reddidit copioſum; Auguſtinenſi vero Mariæ & beatiſſimo incolæ ejus Adriano inter cetera munera Principe digna regiam manſionem, quæ Liſtleburna appellatur, perpetualiter largitus eſt; ſicque in ea domo requiem hereditavit quam opibus auxit.

XI. Igitur tot ſanctis cum ſublimibus perſonis, ante ipſius eccleſiæ dejectionem transferendis, præluſtris Abbas, magna ſupremi Regis Genitrice ſuis devotorumque Fratrum jejuniis, orationibus ac lacrymis placata, primo ad everſionem altaris & tumbæ patris Adriani exportandi venerabiliter accedit. *Transfertur S. Adrianus.* Inſtrumentum operis areæ complanatur, & Sancti ſepulcralis lapis attentiſſime expurgatur; theſaurus aſſumendus, quaſi ad manum elatus, in noctem differtur, ne quo forte inexperta ſpes lædatur. Nocte cum luminibus ſuæ lucis gaudium abducere paratis animis redeunt, ſepulcralem lapidem auferunt, proſperato ſancti corpore quaſi parietem à fundamento ſurgentem inveniunt. Extemplo confuſa pectora nox mæroris occupat, geliduſque per ima cucurrit oſſa tremor, putantibus omnibus ſe tanti patris præſentia fraudatos. Sed juſſu Abbatis illa obſtructione lapidum everſa, altius fodientibus, à læva cryptula offertur. qua pertuſa, cæleſti odore nuncio prorumpente, ſanctus Albinus oſtenditur; à dextris vero ingens candidi marmoris ſarcofagum reſpiciunt, moxque animi & gaudia de inventione optatiſſimi Adriani redeunt. Quod circumfodientes dum operculi amovendi caſſo laborare nituntur, ad pedes inductum ſarcofago lapidem contemplantur. Hoc exemto, ſubito teſtis & præco quæſiti deſiderii exſiliit, paradiſum Domini ſpirans fragrantia. Sed ad gratiorem lætitiam iterum tentantur triſtitia, dum à quodam fratre timide inſpiciente proclamatur tumba vacua. Aſt aliorum cura perſpicacius intuita, reſpondetur potius vere plena vera ſancti corporis gleba, quæ ita videbatur formoſa, ut putaretur adhuc, ſicut primitus erat impoſitus, carne jacere in-

a Ethildritæ Vita à Thoma Elienſi monacho ſcripta habetur Sæc. 2. Bened. ad an. 679. pag. 738. ubi plura de Sexburga & Mildretha hîc memoratis, ſicut & de Elienſi monaſterio.

b Cedvvala Vveſtſaxiæ rex, & Vvolf ejus frater, à nonnullis Mulus dictus.

Digitized by Google

tegra. Tandem ipſe Dux gregis inſpexit, vidit, atque ilico magna exſultatione, *Gloria tibi Chriſte*, proclamavit. Vere, inquit, hæc eſt beati Adriani pretioſiſſima corporis margarita, in ſplendoribus ſanctorum vere reſuſcitanda. Ad hæc unus fratrum, David nomine, Britto genere, in ſanctum corpus temerarie extendit digitum, experiri curioſus an illud adhuc eſſet ſolidum. Expertus eſt autem ejus virtutem, cujus tentare auſus eſt conditionem. Compungitur digitus velut acu confixus, aut ardenti ferro aut virulento hydro percuſſus; nec ſolum digitus, ſed tota cum intolerabili cruciatu extuberat manus. Cumque præ anguſtia clamantem Abbas interrogaret cauſam, oſtendit tumidam præſumtricis manus pœnam. Reſpondet Pater, jure id factum in tam temerarium. At ille reliquum noctis cum inſomni ejulatu trahebat. Hinc Princeps monaſterii incertus æſtuat duplici mole curarum; cum nec tutum foret ſanctum corpus tangere, nec cum tanto lapidis pondere videretur efferri poſſe. Abſterruerat enim præſumtor & illos quibus ſancti tactus foret ſalubris. Ponit itaque ut ad tantum theſaurum uſque in diem cuſtodes, intus fratres orantes, foris milites vigiles. Jubet ilico totum monaſterium auleis candeſcere, palliis, purpura & auro omnique ornatu paſchaliter ſplendeſcere. Aderat tunc Cantuariæ Bajocenſis pontifex ODO, frater Regis, & ſub Rege abſente Præceptor Angliæ. Ipſe lucis crepuſculo ab Abbate adſciſcitur, audit & videt virtutem ſancti; conſultus hortatur Abbatem ne eum emitteret ab antiquo dormitionis ſuæ thoro, ſed cum eo, quo primum à ſanctis obſequutoribus poſitus eſt, efferret ſarcophago. Obſequitur conſilio auditor prudens, rebuſque paratis, cum candidata ac purpurata ſollemniter fratrum caterva, & populo certatim irrumpente, ad illa ſancti ſanctorum ornatiſſime procedit. Totus itaque deſiderabilis Adrianus cum ſaxoſa mole ſua ſpecioſe adornata, robuſtiſſimis trabibus excipitur, cum dulcimodis laudum organis aſtra ferientibus effertur, in porticum deſiderantiſſimi patris Auguſtini gratiſſimus collega deponitur; & inter beatiſſimos ipſius conſortes, ac juxta primum ejus ſucceſſorem Laurentium, archipræſulem ſanctiſſimum condigna ſanctitate reconditur. Fit ingens turbis tam Francigenis * quam Angligenis exſultatio, fit irruendi & conſiderandi ſumma intentio, currunt lacrymæ præ gaudio. Addit ſanctus tripudium miraculo clementiæ, qui terruerat miraculo pœnæ. Expleta celeberrime & candidiſſime de ipſius gloria Miſſa, ſupradictus tentator cum turgida manu miſerabilis accurrit; candelam, cujus menſura ejus tumbam circumplexus eſt, cum lugubri pœnitudine, cum interventu fratrum adſtantium obtulit, &, ô piiſſimi Patris virtutem! ilico omnis dolor evanuit, manus detumuit, ſalus & lætitia poſt angores gratior redit. Tum ille geminam expertus potentiam, ſeveram & ſerenam, addidit de tam ſalutiferis pignoribus aliquid expoſcere, jurans ſuper ipſa ſancta, ſi vel minimum inde impetraret, quod ſuo loco in Brittannia monaſterio ſancti Salvatoris Redonis ᵃ deferre poſſet, ſe effecturum, ut annuatim ejus feſtivitas in cappis celebraretur, uti monaſteriali uſu dicitur. Cumque benignitas Abbatis annueret, ſumtumque parvulum articulum ſibi porrigi juberet; porrectum tanto tremore refugit, ut ad ſuſcipiendum nulla ratione perſuaderi poſſet. Videres hominem ardentem in ſe faculam expaviſſe, acriuſque repercutiendam dexteram, ſi auderet contingere. Percunctante itaque datore, cur tam pavide renueret, quod tam avide exoraſſet: Totius, inquit, mundi promiſſio jam mihi hoc non infliget. Ita petitore abſterrito, ſacrum munus ſuo reponitur loculo, integrum ſcilicet electo loco ſervare ſe dignante Sancto.

ANN. CH. MXCI. VI. SEPT.

Fratris temeritas punitur.

* i. Normannis.

XII. Clauſa igitur odoriferi corporis apotheca, ſupervenit de ſuburbio puella

ᵃ Monaſterium Rotonenſe in minori Britannia S. Salvatori dicatum, vulgo *Rhedon*, hodieque celebre ſub S. Mauri Congregatione.

Digitized by Google

ANN. CH. MXCI. VI. SEPT. Puella à colica liberatur.

jam multis annis inteſtinorum cruciatu immedicabili attrita, & poſt orationem ſciſcitatur fratres de ſui morbi medela. At illi abluta Fratris manu, quæ Sancti contigerat articulum, propinant morbidæ potum. O fidem ad omnia potentem! ô Chriſti Confeſſorem ad omnia credentibus in Chriſto præſtabilem! tactus ſancti corporis ſicut præſumtuoſo obfuit, ita officioſo ut & aliis prodeſſe contulit. De hujus itaque tactus ablutione guſtata plenam ſoſpitatem actutum hauſit ægrota.

XIII. Transferuntur alia corpora.

Sic ergo præſtantiſſimo Adriano tranſlato & mirificato, jam poſt prædicta Miſſarum ſollemnia, dum inter eaſdem Miſſas reliqui omnes, qui erant transferendi elevarentur à ſpeluncis ſuis, & pararentur ad exportandum, diſpenſator Dominicæ familiæ regreditur cum candidiſſima proceſſione, transferenſque Præſulum, Abbatum, reliquorumque Sanctorum pignora cum vocum & cymbalorum alta reſultatione, in Occidentali turri monaſterii omnia compoſuit ante ſanctæ Dei-Genitricis altare, donec, nova eccleſia reædificata, novo reconderentur honore. Nec defuere quatuor Reges ſupra memorati huic tranſlationi, cum conjugibus & ſua progenie evecti.

XIV. Altare B. Mariæ diruitur.

Ibi reliquiæ ignotæ.

Deinde principale altare virginalis eccleſiæ diruitur, ibi quoque opus protelatur, noſter etiam ſermo ſubſequens prolongatur. Affulſerunt ibi ſacro-ſancta ſanctorum pignora, eburneo candore & rubore interfuſa, omnique ſuavitate redolentia, à ſanctiſſimo Archipræſule Mellito ibi quondam, quando hoc altare cum eccleſia conſecrabat, decentiſſime repoſita. Nomina eorum & indicia cartulis inſcripta, atque in modum Crucis cavato lapidi indita ac diſtincta, apparuit ibi aliquando flammis abſumta. Dolemus & horum & tot aliorum Sanctorum notitiam terris abolitam, cum hoc damnum noſtram redarguit inertiam, cum nec illos digne laudare quos novimus, nec ipſa tot tam multorum geſta relegere aſſurgimus, &c.

XV. Et parvuli corpus.

Igitur aſſumtis ſupradictis reliquiis, ante ipſum altare exſtirpatum offenduntur aliæ opes, aliæ margaritæ. Germinat ibi ſacra ſpelunca unius parvuli nivea & lactea membra, ita minuta ut vix poſſent teneri, ita dura ut difficillime poſſent frangi. Mirantibus cunctis inſuetam & tenuitatem & ſoliditatem atque candorem, quidam adſtantium jam maturi ævi prorupit in hanc relationem: Cum puer eſſem, ego & coætanei mei pueri ſacros cantus in hac eccleſia diſcebamus. Interea cum quadam nocte expletis matutinis concineremus ex more, contigit unum ex nobis ævo & animo promotiorem, quaſi ſpaſmantem ſubito concidere, & velut exanimem ſine ſenſu & voce jacere. Tandem reſpirans ac ſuſpirans, percunctantibus nobis trepide quid pateretur: An vos, inquit, viſum mihi miraculum non vidiſtis? Negantibus omnibus. Vidi, ait, in ingreſſu chori parvulum adſtantem, inſtar nivis candentem, tenſis in cælum palmulis orantem, poſt orationem flexa in meridiem via ad altare properantem, ſicque inter ſanctum Adrianum ac principale altare evaneſcentem. Hæc dum ille contemplator tremens & pallens expoſuiſſet, ita omnes & magiſter & diſcipuli exterriti ſumus, ut pariter ab eccleſia, magiſtro prævio & hortatore, præcipites fugeremus, &c. Sed te, ô puer, quem præſcripſimus, & forte indiſciplinatis pueris indignatum penſamus; te, inquam, licet nomine ignoremus, meritis Bethleemitis Innocentibus fide adſcribimus.

XVI. Crypta B. M. exſtruitur.

Sic itaque prædicta eccleſia ſuis pignoribus evacuata, ad ſolum evertitur & complanatur, moxque in ipſa fronte arietata novæ facies aulæ erigitur, totumque illum veteris ſpatii uterum, cum ampliori capacitate complectitur. In ipſo priori atque electiſſimo loco ſuo cryptam novam altiſſima Virgo nanciſcitur, & Auguſtini thalamus, & principum Apoſtolorum domus deſuper cacuminatur. Summæ autem Mariæ ſuus thorus receptabilis ſequentibus ſignis declaratur.

Nec

Digitized by Google

Necdum erat crypta regia perfecta, & Reginæ noſtræ arriſit gratia. ANN. CH.
Erat alma dies Palmarum, in qua Filii Dei & ſui mundus celebrabat trium- MXCI.
phum. Fecit Eccleſia feſtiva floridam & palmatam proceſſionem, ſuſci- VI. SEPT. XVII.
piens ſuum cum antiquis Hieroſolymitis Regem, apud homines aſello ſe- *ad* XXII.
dentem, & ſuper Cherubim cælo regnantem. Interea anus quædam ocu- Ibi miracula.
lorum cæcitate & diutina ægritudine tribulata, ſola remanſerat in crypta
cum Salvatoris Genitrice ac mundi ſalvatrice Maria. Miſerata eſt mater Cæca illuminata.
miſericordiæ miſeræ calamitatem, & ante peractam proceſſionem cæcæ
reddidit oculorum lumen, & languidæ reliqui corporis plenam ſoſpitatem,
&c. *Sequuntur complura miracula, quæ videſis apud Bollandianos.*

Alii item fratri, ævo & moribus venerabili, nomine Gregorio, quadam XXIII.
nocte ante nocturnos hymnos adhuc ſopito, clare auditur ab eadem crypta XXIV.
mira ſupernæ harmoniæ modulatio, adeo ut præ illo dulci ſono experge-
retur à ſomno. Quieſcebat æger tunc, ut hodie tenus, in infirmorum cella
fronti & ipſi cryptæ monaſterii contigua. Reſidet auditor lectulo & auſ-
cultat, cantabatur officium, quod ibi quotidie in gratiam Virginis devotio
fratrum aſſiduat: *Salve ſancta parens, enixa puerpera Regem*, & cetera uſque
in finem, *in ſæcula ſæculorum.* Putabat ille matutinis expletis conventum
Fratrum aſſuetam Miſſam celebrare, niſi quod ſtupidum reddebat inaudi-
ta prius ſuavitas cantilenæ. Feſtinavit intereſſe Miſſæ, venit ad oſtium
cryptæ, invenit obſtructum clave & vecte, ſtratus fratrum explorat, cun-
ctos ſopor altus habebat, & jam inexperta melodia tacebat. Unde necdum
mota, & poſtea ſonata ſigna matutinorum certum ſibi dedere teſtimonium,
quod mortalibus dormientibus cæleſtem audierit concentum. Summa ita-
que devotione eſt animadvertendum, quod [ad] noſtros cantus, reſultet
chorus cæleſtium, & Reginam cæli hoc dignatam dare indicium, ſe more
noſtri obſequii ſalutari & laudari dignari cantibus ſuperorum, &c.

Cum igitur ſuper cryptam reædificata & parata baſilica fratres in choro XXV.
ſuo ad divinas laudes recepiſſet, reliquum corpus veternoſæ eccleſiæ jam XXVI.
ruituræ ſupra memoratus abbas Scollandus, ne quem obrueret, parans di-
ruere, Sanctorum corpora, quibus tota erat plena, curat prius eruere. De Sancti è veteri eccleſia tranſlati.
plurimis electiſſimi primo transferuntur quinque Cantuariæ Archipræſules,
velut quinque Dominicæ aulæ Prætores, præcluentiſſimus ſcilicet ac ſan-
ctiſſimus THEODORUS, ſuique ſancti ſucceſſores BRITUVALDUS, TA-
TUVINUS, NOTHELMUS, LAMBERTUS [a]. Longum eſt de ſingulis dice-
re, cum in ſingulorum elevatione merita ſingulorum ſuperna prodiderit
fragrantia ac virtutum evidentia. Primo autem & ultimo ſua monet gratia
paullulum ſuppeditare. Lambertus, ex Auguſtinenſi Abbate in Cantua- Lamberti Epiſc. Cantuariæ virtutes & miracula.
rienſem Archipræſulem aſſumtus, multas perſecutiones propter juſtitiam
eſt paſſus. Inter alia cœperat Rex Merciorum OFFA Dorobernenſem ar-
chiepiſcopatum in ſui regni primatum ad Lichfeldenſem eccleſiam trans-
ferre, ut ibi de cetero foret caput eccleſiarum Angliæ, contra perpetuam
ſcilicet auctoritatem primitivæ inſtitutionis beati papæ Gregorii. Reſtitit
armiger Chriſti Lambertus in virtute Heliæ, & inter crebras Regum mi-
nas ac repulſas, atque itiones frequentes ad Apoſtolicam Romæ reclamatio-
nem, tandem palmam juſti primatus ad propriam revexit ſedem. Cui inter
has aliaſque præclaræ ſanctitatis virtutes tanta fuit virtutum theſauraria
humilitas, ut ſe juberet in capitolio fratrum apud primicerium Auguſti-
num poſt obitum tumulari, indignum ſe judicans in ſanctorum eccleſia, &
inter tot ſacratiſſimos præceſſores ſuos Pontifices admitti. Ita cum poſt
finem in capitolio [b], velut abjectiori loco, ſepultum ſæpe effuſa deſuper

[a] Aliis *Jambertus*, ex abbate Auguſtinenſi factus archiepiſcopus an. 763. Theodori Vitam dedimus ad an. 690. De aliis egimus Sæculo ſequenti ad an. 732. pag. 528.

[b] Papebrochius ſubſtituit pro hac voce, *capitulo*; ſed Capitolium paſſim medii auctores vocabant.

ANN. CH. MXCI. VI. SEPT.

ætthereæ lucis columna cæleſti honore Sanctorum probavit dignum. Cumque illum tandem propter hæc & alia miracula reſerato buſto in eccleſia recondendum curarent efferre, totum undique clauſtrum mirifice redolebat nardifluo thymiamate. Ibi etiam ab Abbate illius temporis à dextro latere altaris ipſo venerabiliter repoſito, ſolita ſigna comitabantur favore ſupremo; quæ nunc præterimus tædioſis parcendo. Unam tantum ipſius ſubnectimus revelatiunculam; qua probemus ejus perpetuam ſuper ſuæ dormitionis domicilium vigilantiam, &c.

XXVII. S. Theodorus.

Prænominatiſſimi autem THODORI remoto in tranſlatione tumbæ operculo, ſua omnibus affatim ſatisfecit thurificatio; ita ut in clauſtrum Fratrum etiam hæc erumperet oblectatio. Jacebat, uti à primordio erat depoſitus, integra forma, Metropolitani ſacerdotii pallio, & monachili tantum obductus cuculla. Tanta erat gratia, ut arbitraretur adhuc ſolida vigere carne, & appoſitis manibus fratres eum niterentur velut integrum aſſumere. Verum antea immotus pulvis integritatis prætendebat imaginem, tactus autem probavit reſolutionis fidem, reſolutio vero gratiam ſanctitatis addidit venerabiliorem. Nam ille pretioſiſſimus cinis gloriæ beatæ reſurrectionis deſtinatus, ita ex tactu potentiori vernabat fragrantia, ut ex tritura ſolent prorſus redolere aromata. Excipit itaque theca plumbea illa ſacroſancta pignora attentiſſime pro gemmis optimis collecta: induitur præcipuis ornatibus, imponitur feretro à duobus quam leviter fratribus; verum non ea levitate effertur. Intonatur reſponſale præconium, procedit ſollemne collegium, invadunt electi quatuor fratres exponendum lucis ferculum, hæret humi gleba quaſi radicata. Duplicatur auxilium, nituntur totis viribus cum precibus & octonis humeris vix aſſumitur, graviſſime evehitur, & cum ſummo labore vix ad gradus preſbyterii pervenitur. Ibi tandem omnium ferentium vel ſuccurrentium conatus & robur concidit, onus præponderans omnes fixit: quoque plures ſucceſſerant, eo inaniori niſu anhelantes velut exanimes reddidit. Jamque obruendi erant ſua ſarcina, cum tandem ad preces & lacrymas converſi, pectus tundere, indignitatem ſuam accuſare, veniam poſcere, emendationem vitæ ſpondere cœpere; tantum ſanctus pateretur efferri ſe. *His ille* placatus *votis*, continuo fit levis, & ad principale altare locumque paratum geſtatur à paucis, qui paullo ante non poterat à cunctis. Mirantur gaudenter Dei templum & Spiritus-ſancti habitaculum tam grave vacuis, tam ſuave devotis effectum. Reconditur itaque in dextro latere altaris in tumba parata, in qua à duobus tantum fratribus deponitur cum plumbea theca. Reliqui quoque quatuor ſupra nominati ſancti ſui ſucceſſores & coëpiſcopi dum transferuntur, cujus eſſent meriti ex odoris virtute produntur: in quibus Dominum ſuavitatis perpetuam manſionem feciſſe, ſuique amoris incenſum cremaſſe mota ipſorum ſarcophagorum thymiamateria prædicavere.

XXVIII. Æthelbertus rex. [a] Letardus. [b] Berta.

Tranſlatus eſt etiam ſanctus ac Deo amabilis Rex ÆTHELBERTUS [a], Apoſtolici templi ut primus conditor, ita perpetuus heres & poſſeſſor, tertius quidem regum Anglorum, ſed primus aſſcenſor regni cælorum. Beatiſſimi quoque pontificis LETARDI [b], cujus ſacro-ſancta oſſa majora abbas Vulfricus jam olim aureo ſcrinio aſſumſerat, reliquum autem corporis in ſarcophago remanſerat. Sed & venerabilis Reginæ BERTÆ agitur tranſlatio pia, cum qua, & pro qua in fide Chriſti ſervanda, non timuit ipſe Dei athleta in hac vaſtiſſima gentilitatis peregrinari ac manere barbarie. Jacebant in porticu beatiſſimi præſulis Martini, Rex in dextro la-

[a] Is Auguſtinum, ut omnes norunt, in Angliam advenientem ſuſcepit, à quo & ad fidem adductus eſt. Vide ipſius Auguſtini Vitam cap. 16. &c. Sæc. 1. pag. 511,

[b] De eo plura inferius. Fuerat Silvanectenſis in Belgica II. epiſcopus, quem Berta Chariberti regis Francorum filia, cum in Angliam venit Æthelberto nuptura, ſecum adduxit. Ejus feſtivitas infra dicitur menſe Maïo celebris.

Digitized by Google

tere altaris ad parietem auſtralem. Pontifex è contra in ſiniſtro ad aquilonem, Regina poſt Regem. Illi habebant altaria ſua ad tumbæ ſuæ verticem. De beato Letardo dicentur impoſterum non poſthabenda miracula. De Ethelberto nunc textum exigunt evidentiſſima per Angliam merita; ſcilicet quod Anglia credit Chriſto ſuum eſt. Quicquid proto-doctor Auguſtinus ſuique commanipulares evangelici in vinea & meſſe Domini profecere, ſalva præventrice Chriſti gratia, huic debetur primo, &c. Conſtruxit per Auguſtinum Domini Salvatoris eccleſiam & archiepiſcopatum in regia metropoli ſua, ubi ipſe Auguſtinus & omnes ſucceſſores ſui principaliter præſiderent; conſtruxit & monaſterium principale extra urbis muros, à fronte orientali, in honore Principum Apoſtolorum Petri & Pauli, ubi & Rex & Pontifex cum omnibus ſucceſſoribus ſuis perpetualiter requieſcerent. Orientalium autem Saxonum beatiſſimus Mellitus primus doctor & primus epiſcopus emicuit, quem huic genti auctor Auguſtinus dedit ac conſecravit, qui ſibi poſt in ſuum apoſtolatum tertius ſucceſſit. Hic quoque Ethelbertus Dei amicus in ipſius provinciæ metropoli Lundonia eccleſiam apoſtoli Pauli, quæ uſitate *Paules-Berig* appellatur, condidit, & ad hanc Epiſcopium regaliter fecit ac provexit. Similiter Roffenſis præſulatus, cum præſulari baſilica beati Andreæ apoſtoli, ab ipſo principe primitus fundatus & ſufficienter ditatus. Juſtiſſimum ſuoque nomine digniſſimum ſuſcepit Juſtum, quem inde Dorobernenſis metropolis ab Auguſtino aſſumſit quartum. Eligenſis quoque monaſterii ipſe fundator in antiquis chartis legitur; quamquam etiam beata virgo Etheldreda poſt longam deſolationem ſuam, hinc primatum mereatur. Hæc & alia inclyta vel pontificia vel monaſteria, quantum liberaliſſimus Rex & ſuperni regni cultor amantiſſimus, cum ceteris minoribus oratoriis ſublimaverit, non indiget exponi, quod re ipſa magis hodietenus eluceſcit. Illud vero apoſtolicum domicilium, quo cum ſuo apoſtolo Auguſtino cunctaque ſucceſſione, ut prænotatum eſt, ex decreto beati papæ Gregorii requiem hereditaret, tanto ſcilicet præſtantius nobilitare curavit, quanto ſpecialius hoc ſibi cum tot ſanctis & excelſis divinitus prærogatum fore perpendit; foris hoc regiis amplificavit poſſeſſionibus, intus decoravit regiis ornatibus, regia libertate cum apoſtolica auctoritate perpetuis ſtabilivit ſanctionibus. Sunt chartæ, ſunt privilegia ipſius ac tot Primorum teſtimonio ſignata. Primum abbatem huic ſacro contubernio à ſanctis inſtitutoribus ſuis electum præfecit PETRUM [a], quem in ſacra legationis obedientia martyrialiter mari ſubmerſum, & ejectum æthereæ lucis radius ſingulis noctibus deſuper affuſus oſtendit civem ſupernum, donec digniori loco habeat ſepulcrum. Requieſcit celebriter Bononiæ [b] in eccleſia Canonicorum, ubi nuper factum prodigium videtur memorandum his adeo, qui ignotis ſanctis derogant, in exemplum. Loci æditituus ipſius ſanctum corpus de eccleſia ejecit in cimiterium, indignatus in eccleſia honorari quem ipſe neſciſſet; cum etiam neſciret quantus eſſet quem inhonoraſſet: qui cum cenſeret priores ſuos, qui ſanctum ſic honoraverant, erraſſe, ſuo potius captus eſt errore. Sequenti enim nocte cum lecto recubans arrogaret ſe magnifice feciſſe, qui eccleſiam purgaſſet à tam ignobili funere, ſupervenit ei repente Abbas in cuculla & cambutta viſus manifeſte. Quem increpans aſpectu terrifico ac minaci: Adeone, inquit, placet tibi quod me de eccleſia projeciſti? Interrogante æditituo exterrito quis eſſet. Abbas, ait, ſum, nomine Petrus, qui adſto Deo ſanctus inter ſanctos in cæleſtibus: unde nunc ſcies quem elaboraveris ante deſtituere quam cognoſcere. Inſequitur minas effera multa,

Ethelberti Regis laudes.

Eccleſias fundat.

Monaſt. S. Auguſtini.

Petrus abbas.

Ejus ſanctitas probatur.

[a] De hoc Bollandus die 6. Januarii.

[b] Ea in urbe alteram olim ſedem habebat epiſcopus Morinorum. Hodie Teruannenſi epiſcopatu in tres diœceſes diviſo, Epiſcopum proprium habet Bolonia, qui ſuffraganeus eſt archiepiſcopi Remenſis.

Digitized by Google

ANN. CH. MXCI. VI. SEPT. percutit ac percutit ipſa quam manu geſtabat paſtorali virga, ferit caput, tundit latera, conquaſſat omnia membra; tandem, illo ſemimortuo & immobili relicto, divinus ultor abſceſſit. Cumque matutinæ uſque in ortum ſolis morarentur ſonitore damnato, nec eſſet qui pulſantibus & clamantibus aperiret; tandem infractis oſtiis, ad contritum prorupere, auditaque ab eo querelosa cauſa, ſuſceptum linteo exportavere, poſtera die mortuum in cimiterio ſepeliere de fratre gementes; Sanctum vero de ipſo cimiterio honorifice receptum in eccleſia recondidere, tanto prodigio proditum gaudentes. Hujus fidei teſtis eſt heſternus abbas Scollandus, qui tunc aderat, cum hæc recenter facta celebrarentur. Hæc in beati regis Ethelberti memoraverim reverentiam, ne quis ejus præjudicet merita, quamquam ignorentur miracula; ſed de ipſo ac ſuæ habitationis cœnobio cetera ſollemnizet ſermo. In proxima metropoli regnavit, hîc requieſcit: ſic & Evangelicus ejus genitor Auguſtinus ibi ſedem, hîc habet requiem: Ibi eſt ſuus thronus, hîc thalamus; utrique ergo eccleſiæ ſub Chriſto principatur: illam regit, hanc incolit, &c. Huc etiam ſuus poſt plurima luſtra cohæres ſacratiſſimus Dunſtanus, ut cervus ad fontes aquarum crebris noctibus veniebat, & aſſuetas ſibi viſiones, & hymnos ſupernorum civium frequentabat. Qui hoc etiam fertur expertiſſime dixiſſe, quod ubicumque vel in eccleſia, vel in cimiterio pedem vertiſſes, ſuper aliquem ſanctorum calcares, adeo locus plenus eſſet ſanctorum. Nec vero magno caret ſacramento, quod divinus Auguſtinus cum ſuis extra portam locum elegit, ab exitu mundano velut in exitu Iſraël de Ægypto, ut videlicet exiret cum Domino extra portam paſſo. Verum *Ethelbertus* migravit ad Dominum, mutato regno in cæleſtibus, die viceſimo-quarto menſis Februarii, anno imperii ſui quinquageſimo-ſexto, adventus beati Auguſtini ad ſe, ac ſuſceptæ Chriſtianitatis viceſimo-primo, Dominicæ autem Incarnationis ſexcenteſimo-decimo-ſexto. Qui, ut Bedæ verba ponamus, inter cetera bona, quæ genti ſuæ conſulendo conferebat, etiam decreta illi judiciorum, juxta exempla Romanorum, cum conſilio ſapientum conſtituit; quæ conſcripta Anglorum ſermone hactenus habentur, & obſervantur ab ea. In quibus primitus poſuit, qualiter id emendare deberet, qui aliquid rerum vel Eccleſiæ vel Epiſcopi, vel reliquorum Ordinum furtim auferret; volens ſcilicet tuitionem eis, quos & quorum doctrinam ſuſceperat, præſtare. Proſequitur idem venerabilis hiſtoriographus altam genealogiam Regis, ad quem Lectorem mittimus. Ejus autem ſanctitatis teſtis eſt antiquitas, veterumque ſanctorum favens auctoritas. Quod ſcilicet antiquitus à primordio inter Sanctos ipſius celebrata ſit ſollemnitas. Quod nec amore, nec errore, nec temeritate ab aliquo inter tot ſapientes & religioſos, ut credimus, præſumeretur; niſi ille vitæ puritate & cæleſtibus indiciis dignus probaretur; cum filii ſui aliique ſucceſſores, boni ac magnarum virtutum Reges, tantum inter fideles defunctos memorentur: nec illum fidelis Beda primum Anglorum Regum conſcendiſſe regnum cælorum ſcripſiſſet, niſi meritum didiciſſet. Nam & multos poſt eum celeberrimæ ſanctitatis Reges Anglia protulit & veneratur, &c.

(Margin: Monaſterii ejus laus. — Regis mors. — Inter ſanctos cultus.)

XXIX. Letardi ſanctitas. Nunc beati Letardi exhibeantur induciæ. Dignus Deo antiſtes Letardus, præcurſor & janitor venturi Auguſtini apparuit: prævenit hunc ut lucifer ſolem; paravit ei viam, ingreſſum, & locum, ut ille pararet Domino. Prodigus ingentis animæ non timuit ferinam gentilium barbariem, ſæculi principibus terribilem. Ipſe Dei famulæ reginæ Bertæ, dum Æthelberto adhuc gentili Chriſtiana à paterno regno Francorum mitteretur, dux, comes, doctor, ſervator, ac totius pietatis inſtigator, &c. Quis digne æſtimet, quanta miracula poſt tot merita exhibuerit in vita, cujus tanta crebreſcunt noſtris temporibus poſt tot ſui obitus ſæcula; de quibus injuria eſt non memorare aliqua.

Digitized by Google

Sub abbate ſuperius memorato Vulfrico puellam à nativitate cæcam, ut ipſe teſtis erat idoneus, ad ipſius ſancti tumulum à parentibus deductam, Dei lucifer ignota prius luce donavit, & natalibus tenebris obvolutæ mundum cum ſole attribuit. ANN. CH. MXCI. VI. SEPT. XXX. Cæcam illuminat.

In quadam Quadrageſima mulier natum ſuum inolitis in terga calcaneis contractum ad ejus tumulum depoſuit, & hortatu Nunnæ [a] religioſæ, quæ illum locum ſervabat, relicto miſero abſceſſit. Interea ad veſperas hymnus Dei-Genitricis, *Magnificat anima mea Dominum* decantatur, & puer à naturalibus vinculis reſolutus in clamore verſatur. Solutis inverſis calcaneis, extenduntur incurvæ tibiæ, fluxus de concreta carne ubertim cruentat pavimentum, puer extenſis lacertis ſancti tumbam apprehendere contendit; mox in pedes erectus conſtitit, populus ad clamorem pueri irrumpere certavit; ſed Nunna oſtium obdidit, donec fratres advenirent, & hymnum laudis pro miraculo decantarent, puer domum redit pedibus propriis qui advenerat alienis. XXXI. Contractum erigit.

Egregium artificem novimus abbatem Abbendoniæ [b] picturæ, ſculpturæ & aurificii probatiſſimum, SPERAVER nomine. Is anulum reginæ EDGITHÆ pretioſiſſimum perdiderat, quo ubique fruſtra quæſito, etiam ſpem omnem inveniendi perdiderat. Tandem ad ſanctum Letardum, nam hic tunc apud ſanctum Auguſtinum invitatus ab abbate Elſtano operabatur, confugit, precibus & lacrymis quas anguſtia potentis depoſiti extorſerat, ejus clementiam expoſcit. Res mira! ilico ſibi anulus, ubi orabat, reluxit, ubi ille numquam ſe poſuiſſe, vel amiſiſſe jurare innoxie poterat. Continuo rapit eum tanta admiratione & lætitia, quanta perdiderat deſperatione & moleſtia; nec ſolus gaudebat, ſed & omnes fratres tanti relatione miraculi feſtive lætificabat. Nec ſolum tanti beneficii memor exſtitit, ſed ut diutius hæc memoria perſeveraret elaboravit. Ejus quippe & venerabilis reginæ Bertæ, quæ ſuæ peregrinationis eſt corona, imagines enormi magnitudine ac decore effigiavit, ac ſuper ipſius tumulum ſollemniter erexit. XXXII. Ejus ope anulus amiſſus invenitur.

Sequuntur alia miracula quæ omiſimus ad cap. XL.

Igitur omnibus de veteri eccleſia ſublatis, & in paratiorem tranſlationem reconditis, ſæpe memoratus abbas Scollandus ipſam eccleſiam jam excidium minantem, jam ruere parantem diruit, & nova ibi ædificia uſque ad ipſam porticum ac tranſlationem præcluentiſſimi Auguſtini ejuſque conſortum attollit: verum hunc ulterius progredi ſuperno nutu mors obvia vetuit. Prævenit autem faciem Domini pia eleemoſynarum ceterorumque bonorum actuum exſecutione, & famoſiſſimo archipræſule Lanfranco omnem ordinem obſequii perſolvente, multis hunc lugentibus placido fine quievit. Præceſſit uno die obitum regis Vuillelmi, qui condignum filium reliquit heredem nominis & regni ſui: cujus in eccleſia & ſanctis provehendis ſollicitum deſiderium, quod gratuitæ Dei largitati ac ſi jam peractum ad remunerandum ſufficit, ſucceſſor ejus explevit uti primus libellus diſſeruit. XLI. Scollandus abbas obiit.

[a] Eo nomine, etiam Anglorum leges ſanctimonialem feminam deſignabant.

[b] Vetuſtiſſimum monaſterium comitatus Berxeriæ ad Tameſis & Occæ confluentes.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXCII. Martii VIII.

DE S. VEREMUNDO ABBATE Hirachenſi in Navarra.

Veremundi geſta vix nota.

I. *Celebris eſt apud Hiſpanos beati Veremundi memoria, ſed ejus geſta vix nota ſunt ex antiquis monumentis. Nihil fere Tepeſius aut Tamayus de iis habent præter fragmentum quoddam è veteri breviario deſumtum, ex quo diſcimus Veremundum graſſante fame in Navarra, viſceribus miſericordiæ indutum, tria circiter hominum millia, ingenti miraculo ſuſtentaſſe abſque pane aut aliquo obſonio, ſed virtute divinitus eis infuſa, quam oblato ad Deum ſacrificio ſanctus abbas impetraverat. Hoc miraculum narrat quoque Menardus in obſervationibus ad Martyrologium Benedictinum, aliique recentiores rerum monaſticarum, ſive Hiſpanicarum ſcriptores. At Bollandiani plura ex Hiſpania acceperunt, quæ R. P. Joſephus Saenz Aguirius, Ordinis Benedictini in Hiſpania lumen, tunc ſacræ Theologiæ doctor ac profeſſor, ac tandem S. R. E. Cardinalis, defunctus anno* MDCXCIX. *menſe Auguſto, ex antiquis monaſterii Hirachenſis Miſſali, Breviario, aliiſque inſtrumentis collegerat: ex quibus pauca delibare viſum eſt, quæ ſi fuſius deſcripta quis videre voluerit, adeat Bollandianos ad diem* VIII. *Martii.*

Ejus ortus.

» 2. *Veremundum ineunte ſæculo* XI. *in Navarræ regno natum nemo eſt qui ambigat. At Arellanum opidum ad Surræ montis radices poſitum, ac Villatuerta, aliud ejuſdem pagi opidum, ejus ſibi natales vindicare conantur. Haud procul ab utroque illo loco diſtat monaſterium Hirachenſe, in tota Hiſpania celeberrimum, quo ſeceſſit Veremundus, ibique donatus cucullo, jam miraculis clarus Munio ſuo avunculo, ejuſdem loci abbati, defuncto ſubſtitutus eſt. Fama ſanctitatis ejus illecti Navarræ reges, potiſſimum Sancius-Garcia & Sancius-Ramirez, multa prædia monaſterio contulerunt, ipſumque ampliſſimis privilegiis communierunt. Illud eſt præ ceteris memorandum, ſcilicet ut ſi controverſia aliqua de rebus ad monaſterium ſpectantibus oriretur, vel unius monachi teſtimonio, abſque juramento aut aliis adhibitis teſtibus, definiretur. Tanta erat tunc de hujus loci monachorum ſanctitate opinio. Cum Hiſpanorum ritus à nonnullis improbarentur, reſque ad Romanum Pontificem delata fuiſſet, legati ex Hiſpania Romam Pontifices tres fuere, è quibus Munio Calaguritanus epiſcopus, & Veremundi noſtri cognatus, Miſſale monaſterii Hirachenſis ſecum detulit, quo viſo pontifex laudavit monachorum hujus loci in celebrandis divinis piam ſollicitudinem.*

Fit monachus, tum abbas.

Imago B. Mariæ.

» 3. *Ingens erat Veremundi in beatiſſimam Virginem devotio, cujus imago inter vepres abdita, ſtellis è cælo frequenter cadere in eum locum viſis, ejus tempore inventa eſt haud procul à monaſterio, atque ea imago exinde apud Hiſpanos celebris evaſit: immo Sancius-Ramirez Navarræ rex inde occaſionem accepiſſe dicitur urbem exſtruendi, quæ in hujus miraculi memoriam* Stella *nuncupata eſt. Cum pauperes tempore famis paſcere panibus non poſſet, Miſſa, ut jam ſupra ex veteri breviario retulimus, celebrata, eos virtute divina abſque ullo corporali cibo ſuſtentari obtinuit. His aliiſque miraculis Veremundus celebratus abiit ad ſuperos, quadrageſimo circiter regiminis ſui anno, æra* MCXXX. *quæ vulgaris æræ anno* MXCII. *reſpondet.*

Cultus & memoria.

» 4. *Tanta fuerat Veremundi ſanctitatis & miraculorum fama, ut brevi poſt mortem cultu publico honoratus fuerit. Corpus ejus ſub majori altari depoſitum, ibidem quievit uſque ad annum* MDLXXXIII. *quo, cum Antonius de Comontes Hirachenſis abbas gravi morbo afflictus, voto beato abbati facto ſtatim convaluiſſet, pretioſam thecam fieri curavit, in quam Veremundi reliquiæ illatæ ſunt, ac in dextra*

Digitized by Google

Ann. Chr. MXCII. Martii VIII.

majoris altaris parte locata. Nonnulla item alia miracula referuntur ejuſdem ſancti interceſſione patrata, ſed quæ ſingillatim enarrare non vacat. Habentur apud Bollandianos die VIII. Martii, quo feſtivitas ejus in Hiſpania celebratur. Referunt iidem Miſſam ex vetuſtiſſimo codice membraneo deſcriptam in honorem ſancti Veremundi, ex qua patet jamdudum apud Hiſpanos illius cultum receptum fuiſſe. Feſtum ejus ſub ritu ſemiduplici præſcribitur celebrandum die VIII. Martii in Breviario, quo Valiſoletanæ congregationis monachi Benedictini hodie utuntur. Ejuſdem ſancti memoriam hac ipſa die recolunt Tamayus in Martyrologio Hiſpanico & Hugo Menardus in Benedictino, Bucelinus in Menologio. Eumdem laudat Arnaldus Oihenartus in Notitia utriuſque Vvaſconiæ. Plura habet Antonius Yepeſius in Chronicis Benedictinis, ubi de Hirachenſi monaſterio & variis cœnobiis ipſi ſubjectis fuſius agit.

VITA B. REMIGII EPISCOPI LINCOLNIENSIS IN ANGLIA.

Ann. Chr. MXCII. Maii VI.

Auctore GIRALDO Cambrenſi.

1. REMIGIUM Dorceſtriæ ſeu Lincolniæ epiſcopum inter ſanctos plerique recentiores referunt, quamvis ille, ut quidem mihi videtur, nullo umquam publico cultu donatus fuerit. tametſi eum hoc titulo à nonnullis paullo antiquioribus laudatum fuiſſe fatendum eſt. Ex his Johannes Bromton in Chronico ſemel & iterum ſanctum Remigium abſolute appellat, & Giraldus vitæ ejus auctor, ſanctum aut beatum virum non ſolum in ejus vita, ſed etiam in aliis opuſculis nuncupare ſolet. Eumdem vero inter venerabiles & reverendos pontifices, qui labente ſæculo XI. in Anglia floruerunt, laudat Ordericus Vitalis libro X. Hiſtoriæ eccleſiaſticæ. quem feliciter acta vita obiiſſe memorat Vvillelmus Malmeſburienſis monachus. Plerique eum ipſum, quod ingentem in parvo & deformi corpore animum tulerit, veluti aliquod prodigium celebrarunt. quod eo, inquit Vvillelmus libro 4. de geſtis Pontific. Angl. jucundius erat, quia ipſe pro exiguitate corporis pæne portentum hominis videbatur, luctabatur excellere & foris eminere animus, eratque

Remigius ſanctus à nonnullis dictus.

Gratior exiguo veniens à corpore virtus.

2. Fateri tamen oportet eum male apud pleroſque, & quidem vetuſtiores Angliæ ſcriptores audiiſſe, ob initam favore Guillelmi regis, quem eo pacto in ſubjuganda Anglia pecuniis & copiis adjuviſſe dicunt, epiſcopalem ſedem. Aiunt enim Remigium ob hanc cauſam ab Alexandro papa depoſitum fuiſſe, quem tamen idem pontifex poſtea reſtituit, interventu Lanfranci Archiepiſcopi, rejecto in iſtum hujus rei periculo. Inſimulatus etiam Remigius apud Regem proditionis fuit, ſed illud crimen à ſe avertit judicio ferri igniti pro more illorum temporum. Nam famulus ejus, inquit Johannes Bromton in chronico ad annum MLXXXVIII. judicio ferri igniti dominum purgans, regio amori reſtituit, & maculam pontificis deterſit.

Male apud quoſdam audit.

3. Celebris eſt Remigius ob tranſlatam ſedem ſuam è Dorceſtria urbe exigua ad Lincolniam populoſiſſimam civitatem. qua in re multum deſudavit. Cum enim hæc civitas in Lindeſeia provincia conſiſteret, quæ ex antiqua temporum ſerie ad metropolitanum Eboracenſem ſpectabat, hanc ſedem ſibi ſubjici debere Eboracenſis Antiſtes contendebat, contra nitente Remigio, quod Dorceſtria, antiqua Epiſcoporum ſedes, Metropoli Cantuarienſi ſemper ſubjecta fuiſſet. Cauſa tandem poſt multas concertationes finita eſt ſecundum Cantuarienſem eccleſiam. Idem antiſtes, ut auctor eſt ſæpe laudatus Vvillelmus, cœnobium monachorum apud ſanctam Mariam de Stou ex novo fecit; alterum apud Bardenei, ex veteri favore ſuo innovavit. Monaſterium de Stovv, latine appellari ſancta Mariæ-locum obſervat ex Hovedeno Marshamus tomo 1. Monaſtici Anglicani pag. 262. ubi vetera aliquot ejuſdem monaſterii inſtrumenta exhibet; inter alia exſtat noſtri Remigii charta, data anno MXCI. qua multa eidem loco confert. De Bard-

Sedem Lincolniæ figit.

Monaſteria condit.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXCII. Maii VI.

neienſi vero idem auctor agit pag. 142. Utrumque monaſterium in diœceſi Lincolnienſi ſitum erat.

Ejus mortis tempus.

4. *Remigii mortem die* VI. *Maii, quo celebrabatur feſtum Aſſcenſionis Dominicæ, ex vitæ auctore contigiſſe diſcimus, & quidem anno* MXCII. *ut diſerte habet Rogerius de Hoveden in priori parte Annalium. Et re ipſa Aſſcenſio Dominica in diem* VI. *Maii hoc anno incidebat. Ejus tamen memoriam variis diebus conſignarunt recentiores, Vuilſinus ſcilicet, Ferrarius, Bucelinus, & alii, qui eum, ut jam ſupra diximus, cum* beati *ſive* ſancti *titulo celebrarunt. Sed iis præferendus omnino eſt vitæ auctor, cui veteres Anglicani ſcriptores adſtipulantur.*

Vitæ auctor.

5. *Hanc porro vitam, quam ſub Legendæ ſancti Remigii titulo Geraldus Cambrenſis ſcripſit, V.C. Henrico Vuarthoni debemus, qui eam ex codice mſ. Cantabrigienſi erutam reſectis nonnullis miraculis publici juris fecit tomo 2. Angliæ ſacræ. Capitulorum tamen omiſſorum ſummaria ſuis locis referimus, quæ Vuartho initio operis præfixerat. at quæ de Remigii ſucceſſoribus aliiſque viris illuſtribus ibidem habentur, nequidem indicare viſum eſt operæ pretium, cum ad noſtrum inſtitutum non pertineant. De Geraldo vero Cambrenſi ejus Vitæ auctore plura dicere non vacat, cum ex Angliæ ſcriptoribus notiſſimus ſit. Natus eſt paullo ante ſæculi duodecimi initium, ſæculo ſequenti ineunte exſtinctus. de quo ſi plura cupis, adi ipſum Vuarthonem, Voſſium, Larium & alios auctores vulgatos, qui de eo & ejus operibus diſſerunt.*

REVERENDO Patri & Domino STEPHANO [a], Dei gratia Cantuarienſi archiepiſcopo, totius Angliæ Primati, & ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinali, G. de Barri dictus, archidiaconus ſancti David, [b] cum ſalutatione devota & ſalute perpetua libellum ſuum. Volumen hoc bipertitum, duorum quippe virorum illuſtrium vitas, exemplo præclaras, & memoratu digniſſimas principaliter & præcipue complectens, veſtræ celſitudini deſtinare curavi; quamquam tantæ Majeſtati, triplicique per Dei gratiam in una perſona dignitati munus indignum, digno tamen cui digna donentur præſentatum. In quo quidem luculentiſſimas unius eccleſiæ lampades duas, nubilos hos dies & finalia mundi tempora caliginoſa lumine ſuæ claritatis irradiantes, cum ceteris quibuſdam non incompetenter aut inutiliter adjectis, non abſque admiratione pariter & exſultatione, necnon & laudabili zelo caritatis ac ſanctitatis æmulatione conſiderare poteritis. Reperietis hic etenim, inter Lincolnienſis eccleſiæ lilia duo niveo nitore fulgentia, quorum tamen annis aliquot præceſſit & præfloruit unum, nec emarcuit; alterum autem haud diſſimiliter perpeti candore conſpicuum, ſuo in tempore ſubſecutum: roſam in medio Cantuarienſem, quaſi pictura decenti purpureo colore, qui marceſcere nequit, rubricatam dignis quoque laudum præconiis, brevi quidem eloquio ſed dilucido venuſtatam. Invenietis & hic Epiſcoporum Angliæ præcipua noſtris diebus laude dignorum copulam tergeminam; ubi & reperire poteritis, ſi tamen lectioni interdum vacare volueritis aut valueritis, quæ animo veſtro quamquam admiſſo & quaſi currenti ac ferventi calcar adjungant, imitabilia nonnulla & laudabilia. Nam ſicut in Legenda quadam eccleſiaſtica de
„ Sanctis legi ſolet: Qui ſanctorum merita religioſa caritate miratur, quique
„ juſtorum glorias frequenti laude colloquitur, eorum mores ſanctos atque
„ virtutes imitetur; quoniam quem delectat alicujus ſancti meritum, delecta-
„ bile eſt eidem procul dubio & imitabile par circa cultum Dei obſequium.
„ Nec enim difficile eſt nobis, quod ab ipſis geritur imitari, cum ſine præ-
„ cedenti exemplo ab antiquis talia geſta conſpicimus, ut non ipſi aliorum
„ æmuli redderentur, ſed æmulandæ virtutis ſeipſos nobis præberent exem-
„ plum: quatinus dum nos ex ipſis, & ex nobis alii proficiunt, ſic Chriſtus
„ in ſuis ſemper magnificetur, & ex Angelica ruina completo maturius Ele-
„ ctorum numero reſtauretur. Præſertim autem hoc illis perfacile eſt & perſ-
picuum, quos viam virtutis ac vitæ feliciter ingreſſos, & victorioſum pro Chriſti Eccleſia contra ſæculares nequitias jam conſtat certamen aggreſſos,

a Is Cantuariæ antiſtes conſecratus eſt Viterbii ab Innocentio III. anno 1207. obiit anno 1228.

b Urbs Menevenſis, quæ ob ſancti Davidis celebritatem, ab eo deinde nomen accepit.

ad

ad cujus appetitum etiam mentem bene inſtitutam, & tam naturæ quam induſtriæ donis ac dotibus informatam, plurimum invitare debent non ſolum præmia patriæ, verum & laus & gloria grandis hinc procul dubio proventura; dum tamen non hæc affectentur, vitæ ſcilicet iſtius ac viæ. Gloria namque virtutes ac virtuoſos tamquam umbra ſequitur vel invitos, & appetitores ſui deſerens laus ſæcularis & popularis applauſus diligit, & appetit contemtores; mirumque in modum res dum deſideratur, amittitur; eademque dum vitatur, acquiritur. Vere itaque laus umbræ ſimilis, quam non fugiendo fugabis: ſi fugis inſequitur, fugit aſpernata ſequentem. Pretium igitur eſt mihi laboris & præmium, ſi libellum vobis exaratum ſaltem ſemel oculo vel aure percurratis, & poſtmodum eumdem venerabili Lincolnienſi epiſcopo HUGONI II. filioque veſtro primogenito & hactenus unigenito, ad tempus interdum precario concedatis: quatinus lectione refocillatus plurimum & delectatus, præter egregiam REMIGII vitam, imitatione digniſſimam, HUGONEM I. Hugo ſubſequens ſequatur; & virtutem ac vitæ ſanctitatem, quas in ipſo fuiſſe perpenderit, totis in ſe deſideriis amplectatur; quatinus ejuſdem ſicut nominis & dignitatis, ſic & ominis ac felicitatis valeat ſucceſſor haberi. Idem conſideret ibidem deceſſores ſuos cum titulis & deſcriptionibus ſuis fere cunctos, præter ultimum ſolum per ordinem omnes; in quibus, tamquam in ſpeculo quodam perlucido, quæ ſibi imitanda fuerint, evidenter attendere poterit, & quæ vitanda. Non igitur aliam ab ipſo vel alio laboris hujus vel expeto vel exſpecto remunerationem; niſi quod duplicato beneficio, unico tamen ad curiam labore complendo, ſed multiplici quidem & non unica mercede retribuendo, beatum Remigium, nobilem Lincolnienſem antiſtitem primum, ſimul cum Hugone I. opere quidem & opera laudatiſſimis, Romæ canonizari ſatagat, Lincolniamque transferri; quatinus qui magni meritis & gratia, ſuis ambo temporibus, & propemodum in eadem eccleſia præſidendo pares exſtiterant, magno ſimul in terris dignoque parique donentur honore. Magnam quippe beato Remigio, præter merita ipſius maxima, & caritatis opera quibus affluebat pæne incomparabilia, ſicut præſens ejuſdem legenda declarat, gratiam & gloriam adjicere debet, quod ſedem ſuam cathedralem à loco nimis incongruo & obſcuro ad urbem præclaram & locum competentem, ſcilicet Lincolniam, transferre curavit; necnon & hoc quoque, quod Lindeſeiam totam ab Humbro marino uſque Vvithemam fluvium, qui Lincolniam permeat & penetrat per tanta terrarum ſpatia, contra adverſarium tantum, tamque potentem, metropolitanum ſcilicet Eboracenſem, innata quippe prudentia præditus, & gratia quoque deſuper & divinitus adjutus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur & proſperantur in bonum, tam provinciæ Cantuarienſi, quam & diœceſi Lincolnienſi ſtabiliter atque potenter adjecit. Honorem igitur ab eccleſia recipiat & in eccleſia, quam tanto tamque decenti beare decrevit honore; quatinus & eadem tamquam gemina columna in altum erecta gaudeat & exſultet fideliter ac firmiter eſſe ſubnixa, duplicique theſauro ſimul ac ſemel feliciter effoſſo, & in aures publicas atque in commune deducto, Lincolnia lætetur & ditetur; tertiumque theſaurum pretioſiſſimum, ſuo ſimiliter in tempore ſublimandum, brevique dierum ſpatio, propitiante Domino, ſperet & exſpectet exaltandum, purpuream ſcilicet puniceamque Cantuariæ [a] gemmam incomparabilem, non quidem ſub modio ponendam, aut in occulto diutius dimittendam, ſed ut pulcrius eluceſcat, exponendam potius & extollendam. Cujus ſplendore non Anglia ſolum & Britannia tota, verum & orbis fidelium climata cuncta, quaſi ſole quodam, nubibus & nebulis expulſis, recenter emerſo & ſerenius irra-

ANN. CHR. MXCII. MAII VI.

[a] S. Thomam Cantuarienſem archiepiſcopum & martyrem intelligit.

ANN. CH. MXCII. MAII VI.

diato, ſignis quoque repullulantibus, & virtutibus crebris renovatis, undique gaudiis illuſtrata clareſcent, & lætabundis vocibus ac votis in laudum præconia communiter & confidenter exſurgent, &c.

PROLOGUS. Vitas virorum virtute præditas legere libenter, & mente tenere laudabilis eſt operæ diligenti; eorumque præcipue juvat acta recolere, qui nubilos hos dies, & caliginoſas finalis temporis hujus & mundi veſperæ tenebras nobiſcum converſando lumine ſuæ claritatis irradiant &c. Inter hos autem electos, & electorum electiſſimos, non longe ante hæc noſtra exſtabat tempora mundus à mundi contagio, qui & noſtro nunc cauſam calamo dedit, ſanctæ memoriæ vir Remigius Lincolnienſis antiſtes primus, qui Anglicani ſuis diebus lux & gemma ſacerdotii, totam incomparabili ſplendore inſulam lumine ſuæ ſanctiſſimæ converſationis illuſtravit. In quatuor itaque particulas libellus iſte diſtinguitur. Prima viri ſancti vitam ſingulariter & geſta complectitur, ſecunda virtutes ipſius & ſigna proſequitur, tertia ſucceſſorum ejuſdem ſex proprias ſeriatim exprimit actiones, quarta præelectorum Angliæ noſtri temporis antiſtitum tergeminorum mores & modos comprehendit.

CAPUT I. Remigius ex monacho epiſcopus.

REMIGIUS ergo tempore Anglorum regis VVILLELMI primi, agnomine Baſtardi, regno ſibi armatis viribus & animoſitate ſubacto, circa initialia quoque regni ejuſdem tempora, ad ſedem Dorkeceſtrenſem à clero loci illius canonice in epiſcopatum eſt electus, & à viro venerabili ac ſancto archipræſule Cantuarienſi LANFRANCO ſollemniter apud Doroberniam conſecratus. Erat quippe vir prudens & providus, & copioſe litteratus, de Normannia oriundus, & Fiſcamnenſis monaſterii monachus profeſſus: & quoniam Principibus placuiſſe viris non ultima laus eſt, Regis notitiam, quamplurimam familiaritatem atque favorem habens, puta qui cum ipſo in regnum venerat, & decem militibus, quos in ejus auxilium & obſequium Abbas ejus miſerat, quaſi decurio nobilis in neceſſariorum miniſtratione præfectus. Illud autem officium, quamquam invite ſuſceptum, quoniam à monaſtica quiete longe alienum, ſed per obedientiam tamen à ſuis ſibi primoribus injunctum, cum tanta induſtria atque modeſtia geſſerat, ut tamquam omnibus omnia factus, nec ſæcularem militiam in tanto tumultu ac populari ſtrepitu, auſteritate nimia vel ſingularitate religionis oſtenderet, nec ordinis aut habitus dignitatem ullius nævo maculæ per mundi contagia denigraverit. Religionem igitur, humilitatem, manſuetudinem & pietatem, ac præcipue caritatem quaſi præcipuam & primam, radicatas olim in ſe virtutes in ſublimitate non deſerens, ſed magis exemplo docens, quia non mutant mores, ut dici ſolent, ſed potius monſtrant & revelant honores; tantam in cunctorum oculis gratiam obtinuit, ut ſolus inter Anglorum antiſtites præcipuus & verus orphanorum & pupillorum defenſor, necnon & afflictorum ſuſtentator eſſe videretur; adeo ut ore & opere, moribus egregiis & vita laudabili, canonicam illam paſtoralis viri deſcriptionem, quod raris accidere ſolet, plene adimpleſſe videretur.

Ejus vitæ inſtitutio.

II. Enitet in eo caritas.

Inter cetera vere virtutum ejuſdem inſignia, adeo caritatis titulos præferebat, ut in Chriſti pauperes ſe totum exhauriendo tam proprias, ſi quæ fuerant, quam eccleſiæ ſuæ facultates eiſdem, non pro poſſe ſolum, ſed quaſi Martinus alter, ultra poſſe plerumque largiretur; illud Pauli ad Galatas * ſe legiſſe diſſimulans: *Nolo ut aliis ſit refrigerium, vobis autem tribulatio.* Sciebat enim & eumdem ad Galatas eoſdem ſcripſiſſe: *Si fieri poſſet, oculos veſtros eruiſſetis, & dediſſetis mihi.* Et Johannes in epiſtola canonica prima: *Qui habuerit ſubſtantiam mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?* Præmiſerat autem: *In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille pro nobis animam ſuam depoſuit, & nos debemus pro fratribus animas noſtras ponere.* Sed ſi animas,

* I. Corinthios. 2. Cor. 8. 13. Gal. 4. 15. 1. Johan. 3. 17.

Digitized by Google

quanto magis pecunias? Item & illud Ambroſii: Neceſſitates aliorum quantum poſſumus juvemus, & plus interdum quam poſſumus. Licet tamen paullo poſt ſubjunxerit: Miſericordiæ vero modus ſervetur, ut non ſibi quiſque totum eripiat: ſed quæ habet cum paupere partiatur. Sed & idem alibi: Non minus eſt criminis habenti tollere, quam cum poſſis & abundes, indigentibus denegare. Et alibi: Tantorum te ſcias invadere bona, quantis poſſis præſtare ſi velis. Item Beda: Fruſtra manus ſuas ad Deum orando expandit, qui eas ad pauperes pro poſſe non expandit. Item Hieronymus: Pars ſacrilegii eſt rem pauperum pauperibus non dare. Item in Eccleſiaſtico: *Ante mortem benefac amico, & ſecundum vires tuas exporrigens da pauperi.* Et paullo poſt: *Conclude eleemoſynam in ſinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. Eleemoſyna viri quaſi ſacculus cum ipſo, & gratiam hominis quaſi pupillam conſervabit.* Item Tobias ad filium: *Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynas, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere; ita enim fiet ut nec à te avertatur facies Domini. Quomodo poteris, ita eſto miſericors: ſi multum tibi fuerit, abundanter tribue; ſi exiguum fuerit, & exiguum libenter impertiri ſtude.* Item Salomon in parabolis: *Domino fœneratur, qui pauperi miſeretur.* Et in eiſdem: *Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis,* & *ipſe clamabit & non audietur.* Item Albinus: Tria ſunt genera eleemoſynarum, una corporalis, egenti dare quidquid poteris; altera ſpiritualis, dimittere à quo læſus fueris; tertia delinquentem corrigere, & errantes ad viam veritatis reducere. In quibus omnibus incomparabiliter Remigius emicuit.

ANN. CHR. MXCII. MAII VI.

Eccli. 14. 13. *Ibid. 17. 18.* *Tob. 4. 7.* *Prov. 19. 17.* *Ibid. 20. 13.*

III. Pia ejus opera.

His igitur & ſimilibus vir Deo plenus, ad caritatis opera non mediocriter allectus, longe tamen plus ad hæc internæ pietatis & dilectionis ardore compulſus, quolibet æſtivo tempore à Kalendis Maii uſque ad Kalendas Auguſti præter opera miſericordiæ, quæ in cunctos fere quos videbat egenos miſericorditer exercebat, mille ex more pauperibus alimenta præbebat, ac præterea cæcos, claudos, languidos, & variis incommodis debiles & imbecilles, qui ad victum quærendum ſe movere non poterant, centum ſexaginta veſtibus annuatim & cibariis ſuſtentabat. Item quolibet die cum ad prandium ſedebat, menſæ ſuæ tredecim ex conſuetudine pauperes adhibebat, omnique feria ſeptima mandatum cum ſumma humilitate ac devotione celebrabat. Ad hæc etenim primus hic juxta urbem Lincolniæ leproſis habitaculum lapideum conſtruxit, & ad uſum vitæ neceſſaria quæque ſuppeditavit, adeo ut certum eis & perpetuum tredecim marcarum reditum aſſignaret. quos & crebra viſitatione confortando, & tam animæ cibum quam corporis largiendo, ad patientiam & longanimitatem verbo prædicationis inſtruebat, docens carnis martyrium tale patienter & pure ſufferentibus, Deoque jugiter & devote ſupplicantibus, ipſumque ex toto corde diligentibus, & gratias ei in cunctis agentibus, ad ſalutis animarum remedia divina miſeratione collatum.

IV. Sedem epiſcop. Lincolniam transfert.

His itaque Remigius & moribus ornatus, & operum meritis imitabile bonis omnibus exemplar datus, de ſedis ſuæ Lincolniam uſque, locum longe cathedrali eccleſiæ competentiorem, tranſlatione, quod olim mente conceperat, non abſque labore grandi & opera erga Regem & Archiepiſcopum, excambium Eboracenſi pro Lindeſeïa donantes, prudenter effectui Deo cooperante mancipavit. Et ſic Lindeſeïam terramque totam, Vvidhemam ſcilicet Lincolniæ fluvium & Humbriam [interjacentem] diœceſi ſuæ provinciæque Cantuarienſi viriliter adjecit. Utque firmior quod geſtum fuerat ſtabilitate conſtaret, cathedralem eccleſiam ſuam in ſummo apud Lincolniam montis vertice trans Vvidhemam in honore beatæ Virginis fundari, egregieque in brevi conſummari procuravit; ſicut longe ante miraculis quibuſdam, ſignis & prodigiis, multiſque ſanctorum, tam virorum quam mulierum, viſionibus, præter ſpem futurum eſſe divinitus fuerat de-

ANN. CH. MXCII. MAII VI. claratum. Conſtituta vero eccleſia & ſtabiliter collocata, juxta ritum Rotomagenſis eccleſiæ, quam ſibi in ſingulis quaſi exemplar elegerat & præfecerat, Canonicos viginti & unum ſtatim adhibuit, datis præbendis, & aſſignatis cunctorum etiam altarium totius eccleſiæ oblationibus, canonicis eiſdem perpetua largitione conceſſis.

V. *Suorum mores reformat.* His itaque completis, cum gregem commiſſum gravibus olim involutum criminibus invenit. prolem enim propriam quam genuerat, nepotes etiam & neptes alienigenis in ſervitutem deteſtanda avaritia venalem ex conſuetudine proſtituebant; perjurium, adulterium, inceſtum pro modico; vagum vero concubitum & illegitimum pro nihilo reputabant; cœpit prædicationi & inſtructioni tamquam ſtrenuus paſtor, & impiger vitiorum eliminator inſiſtere, totamque diœceſim de fine ad finem fortiter attingens, ſuaviterque diſponens, tam circumeundo quam penetrando non ceſſavit; donec præſcriptas enormitates, & alias quaſcumque reperiebat, pro poſſe funditus eradicaſſet, & exſtirpatis vitiis, more boni paſtoris & non mercenarii undique virtutes pontificaliter inſeruiſſet. Quibus egregie peractis, vir magnanimus & Deo plenus, nil credens actum, cum quid ſupereſſet agendum, manum eccleſiæ ſuæ conſummationis, & ſacræ munus dedicationis adhibere tota mentis intentione propoſuit. *Paratis omnibus ad eccleſiæ dedicationem.* Convocatis autem ad hoc tam Epiſcopis quam Abbatibus infinitis, ſumtuum quoque in tantorum & tot virorum adventu, ad exhibitionis honorem ſufficientia, longa & larga proviſione congeſta, vir ſanctus, quod tantopere deſideraverat, morte præventus effectui non mancipavit. Quarto namque die ante dedicationis diem, quia ſemper extrema gaudii luctus occupat, in mærorem verſa lætitia, rebus humanis exemptus eſt. *Obit.* Erant autem Dominicæ dies Aſſcenſionis & dies ſancti Johannis ante portam Latinam concurrentes, cum vir ſanctus tamquam una cum Domino cælos aſſcendit, & exſultantibus angelis empyrei palatii portas æternales feliciter intravit: unde & à quodam dictum eſt;

Feſta Johannis erant portam ſimul ante Latinam,
Et Domini aſſcenſus, cum pater hic obiit.

Occulta ſunt ergo judicia Dei, cum fere in omnibus ad votum ante ſucceſſerit, hoc illi deſiderium ſuum, tam laudabile, tam honeſtum, non eſt conſummare conceſſum. Ergo nec velle volentis, nec currere currentis; ſed totum eſt Dei miſerentis. Exſequiis autem, ut tantum virum decuit, ſollemniter & rite peractis, ſepultus eſt à fratribus in eadem eccleſia, in proſpectu altaris ſanctæ Crucis, pridie Nonas Maii.

VI. *De miraculis, & primo de contracto ad tumbam viri ſancti curato.*

VII. *De muliere talos in tergo fixos habente, ibidem curata.*

VIII. *De adoleſcente, qui per annos quatuordecim contractus exſtiterat, in integrum data ſanitate reſtituto.*

IX. *De Judæa muta & ſurda, ſana ibidem effecta.*

X. *Ejus translatio.* Proceſſu vero temporis cathedralem beatæ Virginis eccleſiam caſuali contigit igne conſumi, & ipſo incendio cum fortius ingrueret, tecti materia in aream corruente, petra corpori ſuperpoſita per medium confracta, partes in geminas eſt ſeparata. Cujus eventus occaſione, à canonicis ejuſdem loci inito conſilio, quatinus ad locum ſecretiorem, communique à tranſitu remotiorem corpus transferretur, ſapienter eſt decretum. *Corpus incorruptum.* Jejuniis igitur, orationibus, & confeſſione communiter purgati & mundati, effoſſum corpus & diſcoopertum, cum jam annis XXXII. in terra jacuiſſet, adeo integrum, ut ibi poſitum fuerat, eſt inventum, nulla etiam in veſte ipſius vel in modico læſione reperta. Quidam autem, nomine Ricardus, ſimiliter natione Normannus, videns & admirans corporis integritatem, barbæque,

Digitized by Google

quæ prolixa aliquantulum tamquam excreviſſet exſtiterat, temeraria præſumptione tentare volens, an pili firmis carni radicibus inhærerent, vellere manu fortiter cœpit; ſed nec unum avellere potuit. Qui continuo domum remeans, tam plectibilis præſumptionis audaciam, divina ſtatim ultione ſecuta, gravi morbo correptus, per annum integrum lectum tenuit, & languorem. Tranſlatum eſt ergo reverentia magna, ſicut tantum decuit theſaurum, corpus uſque ad altare ſanctæ Crucis, ibique ab aquilonari latere debiti honoris exhibitione reconditum. Anulus autem ab ipſius digito extractus, & aquis intinctus, potum febricitantibus, variiſque languoribus ægrotantibus ſalubrem dedit. ANN. CH. MXCII. MAII VI.

De puella quadam, Alveva dicta, à nervorum contractione curata. XI.
De alia muliere ſimiliter à ſimili morbo curata. XII.
De ſurdo ſicique morbo graviter afflicto, hic curato. XIII.
De muliere à beato Thoma Cantuarienſi huc tranſmiſſa, quæ viſum ſuſcepit. XIV.
De muliere à dolore capitis decennali curata. XV.
De puero claudo & contracto ibidem erecto. XVI.
De muliere hydropica ſimul & paralytica ad tumbam curata. XVII.
De frenetico & dæmoniaco ſanitatem ibidem aſſecuto. XVIII.
De monacho, & presbytero à febris vexatione curatis. XIX.
De puella contracta poplitibus extenſis ad tumbam erecta, & viro quodam eodem ibi die viſum recuperante. XX.

VITA S. BERENGARII CONFESSORIS

ANN. CH. MXCIII. MAII XXVI.

IN MONASTERIO SANCTI PAPULI IN SEPTIMANIA.

Auctore ANSELMO Beccenſi monacho.

Ex mſ. cod. eccleſiæ S. Papuli.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *HUJUS Vitæ auctor Hugoni Menardo in obſervationibus ad Martyrologium Benedictinum videtur eſſe ſanctus Anſelmus, ex monacho & abbate Beccenſi Cantuarienſis archiepiſcopus, vel ſuo nomine celebris. Quominus tamen id credamus vetat ipſa inſcriptio epiſtolæ nuncupatoriæ, in qua auctor* Flavius Anſelmus monachus Beccenſis dicitur. *Nuſquam enim beatum Anſelmum Flavii nomen prætuliſſe legimus. deinde cum ille anno* MXCII. *ad ſedem Cantuarienſem, ipſo Eadmero teſtante, evectus fuerit, vitam ſancti Berengarii anno* MXCII. *aut certe ſequenti anno defuncti, ſcribere non potuit monachus Beccenſis. maxime cum ex ipſiuſmet vitæ contextu pateat eam non ſtatim poſt beati illius viri obitum fuiſſe deſcriptam. Ibi enim legitur beati Berengarii tumulum extra eccleſiam poſitum ob miraculorum frequentiam muris circumdatum fuiſſe, ac ſic intra eccleſiam incluſum, ne quis forte ſub pietatis ſpecie ſacras ejus exuvias furaretur. Verum hæc momenta aliis fortaſſe non tanta videbuntur, quæ omnino perſuadeant id opus Anſelmo Cantuarienſi prorſus eſſe abjudicandum; cum ille etiam poſt adeptam archiepiſcopalem ſedem epiſtolas paſſim ſcripſerit abſque ulla dignitatis ſuæ facta mentione. Quin & cum ſeſe etiam tunc Anſelmus* fratrem *nuncupare conſueverit, erunt fortaſſe qui dicent* Flavii *nomen pro* fratris *in epiſtolam nuncupatoriam vitio ſcriptorum irrepſiſſe, qui litteram F. quæ ſola in autographo poſita fratrem deſignabat, in Flavium incaute deflexerint. Hac in utramque partem proponimus, penes lectorem ſit cui voluerit adhærere.* Vitæ auctor.

2. *Hanc vitam laudat Andreas Sauſſayus in Martyrologio Gallicano, quam locum habuiſſe ait inter alias vitas, quæ à Bernardo Guidone Lodovenſi epiſcopo ſæculo* XIV. *ineunte collecta*

Digitized by Google

ANN. CH. MXCIII. MAII XXVI.

Monaſt. S. Papuli.

fuerant. Et quidem eam exinde deſcriptam & ad alios codices mſſ. collatam ediderunt Bollandiani die 26. Maii. nos vero eam prout in mſ. codice ſancti Papuli habetur, hic proferimus. Eſt porro ſancti Papuli monaſterium vetuſtiſſimum in Septimania, quod primum opido, tum urbi & ſedi epiſcopali nomen & locum dedit. Recenſetur inter alia Imperii monaſteria, quæ ſub Ludovico Pio dona aut militiam debebant. Anno MCCCXVII. *erectum eſt in ſedem epiſcopalem à Johanne* XXII. *Bernardo de Turre ex abbate in primum ejuſdem loci epiſcopum creato, & monachis in nova cathedrali ſub Regula Benedictina perſeverantibus, quod uſque ad noſtram ætatem ſervatum eſt. at illi paucis ab hinc annis profeſſionis ſuæ obliti, excuſſo Regulæ jugo, ſæculares canonici eſſe maluerunt.*

Mortis tempus.

3. *Nulla eſſet circa annum quo Berengarius è vita exceſſit controverſia, ſi ſibi conſtarent chronologici characteres ab auctore Vitæ relati: ſed cùm ille anno* MXCII. *die 26. Maii, quo Aſcenſio Dominica celebrabatur, eum ad ſuperos abiiſſe ſcribat, in alterutrum irrepſiſſe errorem fatendum eſt. Si quidem anno* MXCII. *Aſcenſio Dominica in diem ſextam Maii incidebat. Quare aut rejiciendus eſt beati viri obitus in annum ſequentem, quo re ipſa Aſcenſionis Dominicæ feſtum die 26. Maii celebratum fuit, aut certe dicendum eſt illum die* VI. *non vero* XXVI. *Maii è vita exceſſiſſe. Priorem viam inierunt Bollandiani. quibus favet Eccleſiæ ſancti Papuli*

Cultus.

conſuetudo. ibi enim Berengarii feſtivitas die 26. Maii ſollemniter celebratur, in cujus pervigilio ſollemnis ſupplicatio cum ingenti populorum concurſu fieri ſolet. Servatur ibidem ſacrum beati viri corpus, cujus memoria recolitur in Martyrologiis Benedictino & Gallicano ipſa die 26. Maii, qua etiam die Bucelinus Vitæ compendium ex Menardi obſervationibus deſumptum exhibet in Menologio Benedictino.

* *f.* frater.

1. REVERENDISSIMO domino & patri RAYMUNDO ſancti Papuli Abbati Flavius * ANSELMUS Beccenſis monachus, de hac convalle miſeriarum conſcendere ad populum accinctum noſtrum. Cum ad monaſterium veſtrum forte veniſſem, & à vobis officioſiſſime acceptus fuiſſem, hoc onus mihi imponere voluiſtis, ut viri venerabilis, ac Deo digni BERENGARII vitam, nec non & miracula ſcriberem: quatinus & præſentes & poſteri cognoſcerent, qualis quantuſque vir fuerit dum vixit, & poſt tranſitum qua miraculorum gloria effulſit. Suſcepi igitur onus impoſitum à vobis, & juxta quod accepi à quampluribus viris venerabilibus, qui quod dixerunt oculis inſpexerunt, memoriæ litterarum contradere curaverunt *.

* *Men.* curavi.

Berengarii patria & parentes.

2. Igitur vir venerabilis Berengarius Toloſano territorio exſtitit oriundus, nobiliſſimis quidem ſecundum ſæculi dignitatem parentibus, ſed hanc ſuam carnis nobilitatem dum vixit bonis extulit operibus, & quampluri-mis miraculorum inſigniis. Pater ejus Bernardus, mater vero Hilloardis dicebatur; ambo genere clari, hunc clariorem genuerunt. Qui cum eſſet infantulus, jam cœpit eſſe ſanctis moribus: nec ad nonam uſque in vineam magni Patriſfamilias ut plerique tardavit intrare; ſed à prima hora diei, ab ipſa videlicet infantia, ut bonus agricola, introïvit in opus Dei. Fuit ſiquidem manſuetus & mitis, ut hereditate poſſideret terram: non quidem terram hanc, quam carneis oculis videmus, quam propter Deum & ipſe contemſit; ſed illam de qua dixit Propheta: *Portio mea in terra viventium.* Fuit corde placido, ſuavis eloquio, ita ut vix quemquam vocaret, niſi aut filium Dei, aut filiam Dei. Sicut ovis erat inter homines innocens, nullum aut verbo aut opere lædens: adeo ſimplex, & humilis, ut ſæculi hominibus haberetur vilis. Habent enim hoc ſæculares, ut callidos & aſtutos vocent prudentes, juſtorum vero derideant ſimplicitatem; juxta quod legitur in Job: *Deridetur juſti ſimplicitas.* Verum audiamus quid ibi ſequitur: *Lampas contemta apud cogitationes hominum, parata ad tempus ſtatutum.* Lampades ſiquidem ſunt ſancti quique & ſimplices, virtutibus clari, moribus & bonis operibus reſplendentes. Verum iſti tales, dum mala pro malis reddere nolunt; dum quidquid malorum eis ingeritur patienter ferunt; dum ſæculi voluptates & vanam gloriam deſpiciunt, dum mala pro Deo appetunt, à ſæcularibus contemnuntur, & viles & ſtulti habentur. Sed numquid ſic ſemper erit? numquid ſemper contemnentur? videamus

Pſ. 141. 6.

Virtutes.

Job 12. 4.

Ibid. 5.

Digitized by Google

quid ibi ſcriptum eſt: Para te ad tempus ſtatutum. Eſt ſiquidem tempus à Deo ſtatutum & præordinatum, ut lampas quæ erat contemta luceat, & non contemnatur; honoretur non ſolum in futuro, ſed & in præſenti ſæculo; non tantum coram Deo, ſed in ipſis etiam cogitationibus ſuperborum, quibus erat prius opprobrium. Quod & in hoc ſanctiſſimo viro videmus impletum, qui magnis nunc coruſcat radiis miraculorum; cum, ſicut diximus, quamdiu manſit in corpore ſimplex, mitis, & humilis fuit corde. Sed inter omnes virtutes ejus, quibus Deo dilectus erat & hominibus, illa præeminebat, quæ omnium virtutum eſt regina, ſancta dico Virginitas, per quam ſancti-Spiritus dignum effectus habitaculum, florebat, & redolebat in domo Domini ut lilium. O vere beatum, qui ſeipſum caſtravit propter regnum cælorum; non quidem ferro, ſed caſtum ac virgineum ſeipſum Deo cuſtodiendo! Quapropter inter choros virginum ſequitur Agnum quocumque ierit, Jeſum-Chriſtum virginem, virginum ſponſum ac Virginis filium. Verum ſicut malorum eſt conſuetudo, ut pravis operibus addant pejora, uſquequo in profundum deſcendant: ſic bonis quælibet bona non ſufficiunt, ſed de die in diem proficere contendunt, de virtute videlicet in virtutem quouſque veniant ad ſummam beatitudinem. Verum hic ſanctus vir, cum eſſet humilis & manſuetus, innocens & caſtus, & omni virtutum genere decoratus, pro minimo ſibi hæc omnia deputabat, ſi non compleſſet illud quod Dominus ait in Evangelio: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Sed & illud, quod cuidam diviti idem dixit: *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſauros in cælo, & veni, ſequere me.* Relictis igitur omnibus quæ habebat, vel quæ habere poterat in ſæculo; ſancti Papuli cœnobium petiit, comam depoſuit, habitum [recepit,] ac ſub regimine reverendiſſimi Patris, qui ei cœnobio præerat, Dei ſe ex toto ſervitio tradidit.

ANN. CH. MXCIII. MAII XXVI.

Virginitas.

Matth. 16. 24.

Ibid. 19. 21.

Fit monachus.

3. Jam vero monachus effectus, qualiter vixerit quid attinet dicere? cum adhuc laïcus, corde monachus eſſet & opere: illud tamen dixerim, quod illæ virtutes quæ in ſancta ejus anima, ab ipſa pueritia fecerant receptaculum, aſſumto religionis habitu, ab eo magnum habuerunt incrementum. nam ſolito humilior & mitior erat; ſed & corpus ſuum durius, & contemtibilius habebat. Numquam fere pronus jacuit in grabato; ſed eo dimiſſo, jacebat in nudam terram, capiti ſuo imponens, ſi quem inveniſſet, lapidem, ad inſtar Patriarchæ Jacob, qui in itinere cum obdormiſſet, lapidem ſuppoſuit capiti ſuo, viditque Angelos in ſomnis aſcendentes & deſcendentes. Sic & iſte vir ſanctus Berengarius, ſciens ſe non in patria eſſe, quæ eſt paradiſus, ſed in itinere, in peregrinatione, ſicut ſanctus Job lapidem capiti ſupponebat; & veſtitus ſic corpuſculum ſuum refocillabat, non ſtudens deliciis & mollitiei in hac vita, ſed labori ad quem procedit humana natura. Sed etſi quomodo ex præcepto Patris ſpiritualis alicubi pergere habebat, numquam equum aſcendere volebat, ſed in aſino inſidens ſic ibat: quam rem parentes ejus verecundabantur, ille vero magis inde gloriabatur. Abbati ſuo & fratribus ſuis ſic in omnibus obediens erat ſicut ipſi Deo, utpote qui ad hoc ipſum venerat. Et primo quidem per obedientiam magiſter puerorum fuit; deinde eleemoſynarius, poſtremo operis monaſterii cuſtos fuit: ubi cum populum admoneret, ut ſe ab illicitis abſtineret, & bonis operibus inſiſteret; tam libenter ab omnibus audiebatur ac ſi eis Angelus loqueretur: nec immerito, quod enim docebat verbo, monſtrabat exemplo; nec aliud docebat, ut plerique, & aliud faciebat, ſed idem illi erat facere & docere.

Varia exercet officia in monaſterio.

4. Dum ergo idem vir Dei Berengarius utilitatis monaſterii cauſa foras proceſſiſſet, ad domum cujuſdam militis hoſpitandi gratia forte divertit, & miles quidem tunc aberat, conjux vero ejus Dei ſervum gratanter ſuſ-

Sterili prolem obtinet.

Digitized by Google

ANN. CH. MXCIII. MAII XXVI.

cepit ac ei officioſiſſime deſerviit. Quæ mulier, cum jamdiu ſterilis eſſet, nec ullum filium haberet ob hoc à viro ſuo minus diligebatur, inſuper & contemtui habebatur; verum nimis anxia Dei hominem alloquitur, ſterilitatem, & quæ eam ſequitur vilitatem ei demonſtrat, & ſui ut miſereretur precibus nimiis rogat. Credebat enim, ſi vir Domini pietatem Dei pro ea ſupplicaret, quod ipſe Deus ipſi prolem donare dignaretur. Quam ſanctus blande conſolatam, ut in Domino ſpem haberet, admonuit, ſeque pro ea ſupplicaturus promiſit. Nocte igitur ſequenti, ut dicitur, pervigil in oratione fuit, ac ejus viſceribus compatiens mulieri, preces pro ea fundens, Dei clementiam exorat, ut qui Annæ Samuëlem, Elizabeth Johannem ſterilibus donavit, ſic & huic ſterili prolem dignaretur largiri per gratiam ſuæ pietatis. Audiebat mulier in ſilentio quod ſanctus orabat, pro ea Domino preces fundebat; & quaſi præ manibus jam haberet quod deſiderabat, in ſpe ſic gaudebat. Quid multa, ſanctus diſceſſit: & poſt aliquantulum temporis cum ibi reverſus fuiſſet, mulierem gravidam reperit gaudentem, & gratias Deo & ſancto agentem, qui dederat ſancto, per cujus preces acceperat. Factumque eſt, pariendi tempore completo, naſcitur infans præoptatus, & ei nomen Berengarius imponitur: non immerito illum præferens nomini proprio, per cujus orationes proceſſit ex matris utero.

5. Quadam vero die cum ad ripam fluminis cum quodam ſuo famulo adeſſet, conſpiciunt in flumine piſcem magnum. Tunc vir ſanctus gaudendo, & quaſi optativo modo dixiſſe fertur, Deus, quam bonus eſſet piſcis iſte ad edendum. Ad hanc ejus vocem, piſcis ex aqua in terram proſilivit ad pedes ſancti; cumque ſuus, qui cum eo erat, famulus voluiſſet eum capere, ſanctus pietate ac ſimplicitate ſolita eum prohibuit, ut in aquam rediret conceſſit. Quod factum mirabile tamdiu latuit, quamdiu ſanctus in hac vita ſuperſtes fuit. Nam hominum gloriam declinare cupiens, ſocio ſuo terribiliter indixit, ne cuiquam hoc manifeſtaret, quamdiu ipſe in corpore maneret. Factumque eſt poſt ejus ſanctum tranſitum, cum ad ejus ſepulturam creberrima fierent miracula, tunc & hoc ejus factum, ſocio ſuo referente, compertum eſt. Sed jam ſtylum vertamus ad narrandum ejus ſanctum ex hoc mundo tranſitum, & miracula glorioſa quæ nunc uſque fiunt aſſidue.

Incidit in morbum.

6. Completis ergo in ſancta converſatione omnibus diebus vitæ ſuæ, inſtabat tempus remunerationis æternæ. Finis ſiquidem hujus vitæ, juſtis eſt initium alterius beatæ & perennis vitæ. Hinc Pſalmiſta ait: *Cum dederit dilectis ſuis ſomnum*, ecce hereditas Domini morabor. Electorum etenim animæ per mortem tranſeunt ad requiem. Die ergo illa, quæ Cœna-Domini dicitur, cum in quodam caſtello, quod Lauticum [a] vocatur, pro neceſſitatibus ſui monaſterii eſſet, corporis moleſtia comprehenditur, & ad monaſterium cito revertitur, ut in conſpectu fratrum ſanctum redderet ſpiritum. Detinetur itaque uſque ad Aſcenſionem Dominicam illa corporis ſui infirmitate, & decoquitur, & mundatur ſicut aurum in fornace, ut mundus & purus exeat ex hoc ſæculo, abſque ulla criminis contagione. Cumque jam prope eſſet, ut ſpiritus reverteretur ad eum qui dedit illum; poſt confeſſionem & abſolutionem, ſi quæ forte commiſerat peccata, poſt ſuſceptam corporis & ſanguinis Chriſti pro viatico communionem; & erectis ſurſum oculis hoc dixiſſe fertur: Domine, quam magnis oculis me aſpicis! poſt quæ verba ſancta illa anima carne ſoluta eſt. Tranſiit autem ex hoc mundo vir beatiſſimus Berengarius, ipſa nocte Dominicæ Aſcenſionis,

Pſ. 126. 2.

Obit.

[a] Hunc locum Menardus putat eſſe Lautrecum oppidum agri Albigenſis, quod ab urbe ſancti Papuli 12. circiter leucis diſtat; at fortaſſe eſt vicus dictus Lauracum, qui octo leucis prædictæ urbi proximior eſt, media via ad urbem Mirapicum.

ſeptimo

ſeptimo Calendas Junii, anno ab Incarnatione Domini milleſimo nonageſimo-ſecundo, Pontificium Romanæ urbis agente Papa Urbano, Franciæ vero imperante Philippo. Sepultum eſt vero ſanctum illius corpus prope introïtum eccleſiæ quam decentiſſime, ut ſanctum decebat ſepelire. Sed quia furto auferri corpus ejus timebatur, tumulus ejus muro eſt circumdatus, & infra eccleſiam redactus. Ibi frequens fit concurſus populorum, ob multitudinem eorum, quæ ibi fiunt, miraculorum. De quibus pauca dicemus: cetera oculis creberrime inſpicienda, cui voluerit dimittimus. ANN. CH. MXCIII. MAII XXVI. Miracula ad tumulum.

7. Diaconus quidam, nomine Pontius, cum febribus multo tempore affligeretur, incidit ei cogitatio, ut ad hoc ſanctum corpus veniret, ſi forte aliquod remedium inde reperiret. Venit ergo, & voto conſtrinxit, quod ſi eum ſanctus ſanum faceret, candelam ei offerret. Qui cum ibi obdormiſſet, & à ſomno ſurrexiſſet; ſancti meritis ſanus & incolumis ad propria remeavit. Domum reverſus, quod ſancto voverat facere diſtulit: iterum à febribus arripitur: iterum ad ſanctum coactus revertitur; confitetur Abbati & aliis malum quod fecerat; dicitur ei, ut quod voverat implere non differat. Qui accipiens candelam tota nocte ad ſancti tumulum ſtetit in oratione. Mira res! ſub divo erat, ſancti enim tumulus nondum erat, ut poſt, muro circumdatus, & ventus vehemens erat; nec tamen candela quam manu tenebat ardentem, umquam à vento exſtingui poterat. Quid plura? meritis ſancti factus incolumis lætus diſceſſit. Diaconus à febri bis liberatur.

8. Mulier quædam, nomine Bruna, mente perdita, miſerrima erat, & miſerabiliter vivebat. Homines namque & obvios quoſque lapidibus appetebat, & in magnis frigoribus nuda, frigus ipſa non ſentiens, ſic ibat. Plerumque cum ſe ad dormiendum collocare vellet &..... ſibilabat ut ſerpens, grunniebat ut porcus, latrabat ut canis, & cetera ſimilia his miſerrima faciebat, utpote quæ ſenſum perdiderat. Ducta igitur ad ſancti Berengarii ſepulcrum à fratre ſuo, cum per paucos dies & noctes ibi ſtetiſſet, ſanitati ex integro reddita eſt. Inſana ſenſum recuperat.

9. Mulier quædam altera, ex Albienſi territorio orta, cum duobus annis viſum perdidiſſet, & ad ſancti Berengarii tumulum veniens ibi in orationibus pernoctaſſet, viſum recepit; & ſic gaudens & clare videns ad propria remeavit. Gaubertus quidam, Narbonenſis civitatis accola, cum & ipſe ſimiliter plurimo tempore cæcus eſſet, ad ſancti hujus venerandum corpus cauſa luminis venire diſponebat, & candelam quam deferret jam emerat. Et ſicut de leproſis illis Evangelicis legitur, qui cum irent ad ſacerdotem ut ſe oſtenderent, priuſquam venirent mundati ſunt; ſic & huic contigit. videns namque Deus fidem viri, priuſquam ſancti tumulum vidiſſet, lumen recepit. Ille vero, juxta quod Samaritanus ille fecit, ad reddendas nihilominus gratias venit; & quæ ſibi contigerant per merita ſancti ad honorem Dei palam enarravit. cui deinceps mos fuit, ut unoquoque anno ſemel expeteret limina ſui benefactoris. Cæcus & cæca viſum. *Luc. 17. 14.*

10. Duo item homines, dum in diverſis partibus eſſent capti, vinculis ferreis adſtricti; & ſanctum Berengarium ut eos liberaret, humiliter & obnixe exorarent, apparuit eis ſanctus Dei, dicens: Ite ad locum ſepulturæ meæ, quia liberati eſtis. Et ſtatim confracta ſunt vincula eorum, quæ ſecum accipientes, venerunt, ut eis juſſum erat, ad ſanctam ſepulturam, Deo & ſancto gratias agentes. Catenæ vero eorum pendent ante ſancti ſepulturam in teſtimonium rei geſtæ, uſque in præſentem diem. Captivi duo liberantur.

11. Quidam cæcus audita ſancti Berengarii fama, de longinquo ad eum approperavit, ut lumen recipere mereretur; veniens enim ad ſepulturam ſancti aliquantos dies ibi fecit. Et cum hoc quod optabat, non tam cito ut deſiderabat, eveniret, cœpit mente in infidelitatem ire, & cum ira percutere baculo quo ſuſtentabatur ſancti tumulum, & dicere: Tu ſanctus Item cæcus recipit viſum.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXCIII. Maii XXVI. numquam fuiſti, vel eris; nec miracula umquam feciſti? Falſus eſt rumor, non eſt vera fama quæ ſparſa eſt de te: ſine cauſa ut ſtultus huc adveni, jam hinc diſcedam. Hæc & his ſimilia blaſphemando increpitans, recedebat iratus. Cumque non longe proceſſiſſet, ventus vehementiſſimus verberavit vultum & oculos ejus, & cœpit omnia clare videre. Qui bene intelligens cujus hoc opus eſſet, reverſus quantocius ad tumulum ſancti, egit pœnitentiam, quod male de illo ſenſiſſet, & locutus fuiſſet: & gratias egit, quod bona pro malis reddidiſſet.

12. Adductus eſt quidam homo ſuper aſinum confractus, & membrorum officio valde deſtitutus ad ſanctum Dei Berengarium, qui cum eſſet ante corpus reverendiſſimum, protinus erectus ſtetit in pedibus; & currens ad monachos monaſterii ipſius, qui tunc forte cujuſdam defuncti exſequias celebrabant, in ſtuporem & admirationem convertit corda eorum, dum cernerent currere, quem prius viderant non poſſe ire; exſequiiſque pauliſper omiſſis, campanæ omnes ſonuerunt, & laudem Dei, & *Te Deum laudamus* alte & pie cantaverunt.

13. Quadam nocte Dominica cum populus copioſus adeſſet, & fratres more ſolito ſacratiſſimæ noctis illius vigilias celebrarent, quinque vicibus ſunt interruptæ, cantando quinquies *Te Deum laudamus*, ſonando campanas quinque vicibus. Habent enim fratres hanc conſuetudinem juſtam & piam, ut quotieſcumque aliquod miraculum ibi operatur Deus per ſervum ſuum Berengarium, toties omnes campanas ſonent, & *Te Deum laudamus* cantent. Et illa quidem Dominicæ Reſurrectionis nocte, tam crebro in diverſis facta ſunt miracula, ut cum fratres unum *Te Deum* dimitterent, mox aliud inciperent; &, ut diximus, in illis matutinis laudibus contigit quinque vicibus.

14. Multa quidem & alia miracula facta ſunt per hunc ſervum Dei Berengarium, & dum hic viveret in ſæculo, & poſtquam migravit ad cælos. Verum nos ſtudentes brevitati, morem gerentes lectori, multa de illo narranda omittimus, ne lectori faſtidio ſimus. Quamobrem de multis hæc pauca ſufficiunt: Deus autem & Dominus Jeſus-Chriſtus, meritis ſancti ſui Berengarii, & ſcriptorem, & lectorem ſanctæ hujus paginæ, ſed & omnes in honorem iſtius ſancti congregatos, repleat omni gaudio, & pace in credendo, hic & in futuro ſæculo: cujus regnum & imperium ſine fine permanet in ſæcula ſæculorum. Amen.

Digitized by Google

Circa Ann. Ch. MXCIII. Julii XIV.

VITA S. UDALRICI MONACHI CLUNIACENSIS, PRIORIS MONASTERII DE CELLA IN SILVA-NIGRA.

Auctore Anonymo ejuſdem loci monacho & ſubpare.

Ex duobus codd. mſſ.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. TAM celebris fuit ſub ſancti Hugonis regimine monaſterii Cluniacenſis fama, ut nulla fuerit Europæ provincia, nulla quantumlibet diſſita regio, quam non peragraverit. quare tunc temporis Cluniacum convolabant ex variis orbis chriſtiani partibus homines omnis conditionis & ætatis, qui ſpretis mundi illecebris, uni Deo ſervire cupientes, ſub Hugonis diſciplina monaſticam vitam ducere geſtiebant. Ex his fuit Vdalricus, de quo hic agendum, qui ex Bavariæ finibus illuc adveniens, poſtmodum ejuſdem inſtituti propagator illuſtris in Germaniam exſtitit. Hujus Vitam deſcripſerat quidam è ſuis diſcipulis; ſed ea neſcio quo caſu amiſſa, jacturam illam egregie reſarcivit alius auctor priori ſubpar, & monaſterii Cellenſis, in quo ipſe Vdalricus è vivis exceſſit, monachus. qui quidem auctor etſi numquam beatum Vdalricum coram viderit & audierit, fidem tamen integram meretur, utpote qui ea litteris mandavit, quæ didicerat ab iis qui ſocii ſanctæ converſationis ejus fuerant in monaſterio, & miraculorum teſtes, immo & ſæpe ab illis ipſis, qui à variis languoribus beati viri interceſſione exemti fuerant. quod ex multis Vitæ locis facile intelliget pius lector. Vitam autem illam ſcriptam eſſe, illo temporis intervallo, quod à beati Hugonis morte ad ejus canonizationem, id eſt ab anno MCIX. ad MCXX. profluxit, exinde colligimus, quod auctor paſſim laudans ſanctum Hugonem, eum numquam ſanctum aut beatum appellet, ſed felicis memoriæ patrem Hugonem, ut num. 10. aut Reverendum patrem, venerabilem abbatem, ut numm. 12. 18. & alibi paſſim. quod quidem à Cluniacenſis inſtituti monacho poſt beati Hugonis Canonizationem commiſſum non fuiſſet. Porro duo hujus vitæ exemplaria præ manibus habuimus, unum ab annis circiter CL. exaratum in ipſo monaſterio Cellenſi, ut quidem nobis videtur; alterum vero ad nos tranſmiſit anno MDCLXXX. veneranda memoria domnus Georgius Geiſſerus, amicus noſter, abbas ſancti Georgii Vvillingæ, qui nihil umquam omiſit dum viveret, ut ad illuſtranda ſanctorum Ordinis noſtri Acta ſuppetias ferret. Udalrici vitæ auctor.

2. Vdalricus non vita ſolum, ſed & ſcriptis quoque ſuis Cluniacenſem Ordinem illuſtravit, cujus rei argumento eſt, opus egregium de Conſuetudinibus Cluniacenſis monaſterii ab ipſo compoſitum, in quo ejus, ut loquitur Vitæ ſcriptor, ſtudium, ingenium quoque & ſapientiam manifeſte quiſque cognoſcere poteſt. Hoc eſt quod in tres libros diſtinctum typis vulgavit Acherius noſter in Spicilegii tomo 4. in quibus Vdalricus fuſe exponit totam Ordinis Cluniacenſis diſciplinam, ut ipſemet declarat in epiſtola operi præfixa. Pars prima eſt, inquit, de opere divino, & quod maxime fit in eccleſia per annum univerſum. Secunda de eruditione novitiorum. Tertia de obedientiis, quibus & ultima obedientia eſt ſubjuncta, qua quiſque fratrum ab hoc ſæculo migraturus vocatur ad Chriſtum. Locus hic eſſet opportunus, ea ex his libris delibandi, quæ artam Cluniacenſis monaſterii diſciplinam, & religionem commendabant. ſed cum id jam tam in Sæculo ſuperiori in Elogio ſancti Odonis, tum in iſto, ubi de ſancto Odilone egimus, à nobis præſtitum ſit, viſum eſt ſatis monere plura cupientem, ut ad ea loca recurrat, ne jam dicta repetere inutiliter videamur. Occaſionem iſtis libris conſcribendis præbuit ſumma Vvilhelmi Hirſaugiæ abbatis pietas, ut in obſervationibus ad ejus vitam diximus, & ipſemet Vvilhelmus teſtatur in Prologo ad conſuetudines ſuas Hirſaugienſes, qui editus eſt tomo IV. Analectorum pag. 485. Ipſe enim piiſſimus abbas, cum totus gregi ſuo recte inſtituendo incumberet, aliorum etiam monaſteriorum inſtituta diligenter rimabatur, ut ſi quid in iis inveniret quod diſcipulis ſuis prodeſſe poſſet, in monaſterium ſuum ſtatim admitteret. Unde cum Vdalricus in Germaniam à beato Hugone miſſus, ad eum divertiſſet, ab eo exegit, ut ipſi Cluniacenſis monaſterii pias conſuetudines

Udalrici libri de conſuetudinibus Cluniacenſibus.

Digitized by Google

Circa Ann. Ch. mxciii. Julii xiv.

fuſius exponeret, quod ille primo duobus libris facere aggreſſus eſt, quibus poſtea tertium adjecit in reditu, ut ex ipſiuſmet Udalrici epiſtola nuncupatoria, & præfatione libri tertii diſcimus. Unde qui Udalrico duos tantum libros tribuunt, ad tertium prioribus additum non ſatis attendiſſe videntur. Ceterum hi libri diverſi ſunt tum ab iis quos de eodem argumento, & eodem tempore conſcripſit Bernardus monachus item Cluniacenſis, cujus præfationem ſancto Hugoni nuncupatam edidit noſter Acherius in præfatione tomi 4. Spicilegii; tum à conſuetudinibus monaſterii Hirſaugienſis, quas Vvilhelmus ipſe collegit: viſum eſt autem ea de re lectorem monere, ne cui hæc diverſa opuſcula, ob argumenti ſimilitudinem & temporum viciniam, confundere contingat.

Monaſteria condit.

3. *Ceterum Udalricus, ut ex Vita auctore diſcimus, variis monaſteriis à beato Hugone præfectus eſt, ex quibus duo à fundamentis ipſe conſtruxerat. unum ſcilicet in Monte-Rotgeri, ſeu, ut habet alius codex, Lotgeri, quo, poſt devoratas multorum calumnias, & ſuperatos virtute & prudentia ſua æmulos, conſummato, Cluniacum rediit; alterum vero in Briſgoia, in villa Gruningen, opera Heſſonis cujuſdam viri religioſi & divitis excitatum, ubi cum vir ſanctus frequentiori ſæcularium hominum concurſu impediretur, alio commigrare conſtituit, ac re ipſa monaſterium ſuum tranſtulit in locum, qui jam antea Cella vocabatur, in Silva-nigra ſitum. Hanc ſedis mutationem anno* mlxxxvii. *factam fuiſſe diſcimus ex Chartario Cluniacenſi, ubi in charta num. 716. ſignata, legimus* Ulricum priorem de Grunningen *acquiſiſſe à Burcardo epiſcopo Baſilienſi*, data recompenſatione, locum, qui Cella dicitur, in Silva-nigra, in comitatu Herimanni comitis, in pago Briſgovviæ, ubi ſolent nives per declivia montium in vallem ubi ſitus eſt dilabi. Data anno mlxxxvii. Indictione x. Nonis Junii. *Teſtes fuere* Bertholdus dux, comes Herimannus *& alii. Præterea in Bibliotheca Cluniacenſi edita eſt col. 526. charta Henrici IV. imperatoris, data anno* mlxxii. *qua confirmat donationem eccleſiæ de Rimeſigun ab Heſſone viro bono & religioſo factam* monaſterio Cluniacenſi, cum variis prædiis eidem eccleſiæ conceſſis, ut monachi de Cluniaco *à beato Hugone* ad præfatam eccleſiam tranſmiſſi & collocati, de rebus ibi pertinentibus vivant. *Certe, niſi fallor, monaſterium, quod ibi pro monachis Cluniacenſibus in Briſgoiam tranſmiſſis dotatum dicitur, aliud non eſt ab eo loco, quem Udalricus cum ſuis ſociis, priuſquam Grunningenſe monaſterium construeretur, inhabitavit. Et quidem Heſſo, ut narrat vitæ auctor num. 27. habitationem monachis Cluniacenſibus in Briſgoiam adventantibus paraverat: ſed cum* monaſtico propoſito minus idonea videretur, aliorſum vertit mentis intentionem, *& locum qui* Grunninga *dicitur comparavit. in quo, ut mox dicebamus, cum Udalricus aliquamdiu ſubſtitiſſet, poſtea in Silvam-nigram commigravit, ibique monaſterio Cellenſi exædificato, reliquum vitæ peregit.*

Mortis tempus.

4. *Arnoldus Vvion in annotationibus ad Martyrologium Benedictinum ſcribit beatum Udalricum anno* mc. *floruiſſe: at Bucelinus aliique Germaniæ ſcriptores ejus obitum paullo poſt annum* mxcii. *contigiſſe dicunt, quorum ſententiæ ſubſcribimus. Id enim ex ejus Vita, & antiquis chartis, quas modo laudavimus, colligi poſſe videtur. Etenim anno* mlxxxvii. *Udalricus dimiſſa Grruninga, ubi aliquot annis cum ſuis ſociis conſederat, Cellam adiit, & ibi monaſterio pro ſe ſuiſque monachis exſtructo, aliud pro mulieribus excitavit, ac demum poſt duos cæcitatis annos abiit in cælum. quæ ſane omnia intra ſex annorum ſpatium vix complere potuit. quare mortem ejus ad annum circiter* mxciii. *potius revocandam eſſe cenſemus. Eum vero ſenem obiiſſe colligimus tum ex eo quod iter agens præ ſenio à frigore pæne enecatus fuerit, & biennio ante mortem oculorum lumine fuerit privatus, quod rarius viris ætate valentibus contingere ſolet; tum etiam ex ipſa vita, ubi ætate jam provectus in Cluniacenſe monaſterium ſeceſſiſſe dicitur. Enimvero poſt aliquot annos in aula Imperatoria tranſactos, ubi* vita & admonitione *Imperatrici* recte vivendi formam tribuiſſe *memoratur. quod ſane nonniſi de viro ætate & moribus maturo dici poteſt. Poſt adeptam & poſtea dimiſſam Friſingenſis eccleſiæ præpoſituram, quam egregie adminiſtraſſe dicitur, Jeroſolymitanum iter ſuſcepit; ac poſt reditum, cum fruſtra monaſterium in proprio fundo ædificare tentaſſet, & Apoſtolorum limina inviſiſſet, tandem Cluniacum acceſſit, monaſticam vitam ſub beati Hugonis diſciplina amplexurus.*

Dies. Cultus, &c.

5. *Porro etſi ex vita auctore certum videatur Udalricum die* xiv. *Julii obiiſſe, Cluniacenſes tamen ejus feſtivitatem celebrant die* x. *ejuſdem menſis. qua die ejus memoria occurrit in Martyrologiis Benedictinis Arnoldi Vvionis, Hugonis Menardi, & Benedicti Dorganii, ſicut & apud Ferrarium in Catalogo eorum ſanctorum, qui in Martyrologio Romano deſiderantur. Ejus vitæ compendium habet Chronicon Cluniacenſe. Plura ſuppeditat Bucelinus in Menologio Benedictino, ubi monet cœnobium, quod à beato Udalrico conſtructum fuit, haud procul diſtare à percelebri monaſterio Trudpertino in Briſgoia apud* Priſiacam. *Subjungit ſe inviſiſſe hunc ſacrum locum, ibique celebrem haberi beati Udalrici memoriam, quamvis ejus ſacrum corpus, neſcio quo pacto alio tranſlatum fuerit. Titulum tamen vitæ præfixum, ſicut in codice mſ. legitur, retinuimus, qui ſic habet.*

Digitized by Google

CIRCA ANN. CH. MXCIII. JULII XIV.

VITA S. UDALRICI CONFESSORIS ORDINIS Cluniacenſis, in Nigra-ſilva Conſtantienſis diœceſis corporaliter quieſcentis.

1. QUI ſanctorum geſta nudo & imperito ſermone ſcribere præſumſerit, non ſolum diſerti lectoris mentem impolluta locutione offendit, ſed & gloriam Electorum Dei apud humanam opinionem quodammodo imminuit. Quanto enim excellentiori verborum ornatu ſanctorum merita per ſcriptorum facundiam pronuntiantur; tanto ſiquidem avidius audientium audita creduntur, credita venerantur, venerata ad piæ imitationis uſum ab auditoribus ſuis aſſumuntur. Unde ego peccator, qui ſanctiſſimi patris noſtri UDALRICI glorioſam vitam, ſancti Spiritus gratia ſuffragante, poſterorum memoriæ ſtili officio ſignatam inſtitui commendare, fateor, multum timeo, ne pulcram materiam minus delectabilem reddat incomtus ſermo. Sicut enim homini naturali pulcritudinis elegantia præfulgenti multum decoris ſui adimitur, ſi ſordidis incultiſque veſtibus induatur; ſic nimirum ſplendida ſanctorum vita magna obumbratur caligine, ſi prolata fuerit incompoſita verborum ruſticitate, quo profecto minus ædificationis in ſe geſtat, cum dignitatem illius ſtili humilitas attenuat. Cum ingenii quoque mei parvitatem cum tantæ rei magnitudine confero, tam excellentiſſimi viri actibus deſcribendis me omnino imparem eſſe video. Talis nempe tantæque ſanctitatis ille beatiſſimus fuiſſe cognoſcitur, ut etiam ſi facundiſſimus ille rhetor Cicero modo viveret, ſi vitam, mores, actuſque illius noviſſet, in eis pro rei veritate explicandis cum tanta eloquentia ſua vix ſufficere poſſet. Quid ergo agemus? penitus de illo ſilebimus? Nihilne ad normam noſtræ inſtitutionis de imitabili ejus converſatione dicemus? Certe licet congrua verborum dignitate almi confeſſoris Chriſti vitam non valeamus exprimere, ad noſtram tamen inſtructionem aliqua ex illa pro poſſe noſtro attentabimus diſſerere. Taciturnitatis utique, nimiæque deſidiæ à noſtris ſucceſſoribus non immerito argui poterimus, ſi multorum ædificationi profutura ſilentii torpore memoriæ ſubtrahi ſiverimus. PROLOGUS.

2. Itaque, ſi non ut volo, loquar tamen de ſanctiſſimo viro prout poſſum & ſentio. Nam ad hoc opus aſſumendum non aliqua propria proſilio temeritate, ſed venerabilium virorum ſancta & auctorabili ad hoc provocor petitione, quorum ſiquidem id quod maxime intendit poſtulatio, ut litteris inſerta humilem lectorem tanti Patris ædificet converſatio. Quapropter moneo curioſos hujus operis inſpectores, ne dulces ſimplicium animorum dapes, licet vili deſcriptionis teſta ſibi appoſitas, à palato cordis ſui faſtidiendo velint rejicere, utpote nullo ſapore conditas. Liquet enim quod & de parva menſa delectabilia ſumuntur cibaria, & de ruſticano vaſculo nectarei poculi plerumque hauritur dulcedo. Sed & hoc inferimus, quod prudens lector nequaquam verborum folia, in deſcriptis ſanctorum Patrum geſtis perquirere ſoleat; verum multo magis fructum ſalutiferæ eruditionis attendat. Ad profectum igitur omnium monachorum, immo cunctorum fidelium, hujus fideliſſimi monachi vitam à primæva ætate, pro meo deſcribens modulo, miracula quoque, quæ per eum ſuperna poteſtas operata eſt, partim intimabo. Cum certe tot ſanitates in hac vita manens, & poſt mortem cum Chriſto vivens, petentium neceſſitati exhibuiſſe probatur; ut magnum volumen complerem, ſi omnes conſcriberentur. Ante nos quidem vitam beati Patris quidam ex diſcipulis ipſius pro ſuo ingenio ſcriptam edidit, ſed multas & præclaras virtutes, quas apud nos vivens egiſſe cognoſci- Alius ſcriptor B. Udalrici diſcipulus.

Digitized by Google

Circa Ann. Ch. mxciii. Julii xiv. tur, ſibi fortaſſe non notas præteriit, quæ poſtea à ſtudioſis fratribus ſcriptæ, ſparſimque paginis inſertæ, proprio loco nequaquam ſunt innexæ. Sed & noſtro tempore quamplurima ſignorum præconia ad tumulum ipſius cognovimus patrata fore, quæ nondum ſcribentis ſtudio recondita ſunt in ſinum memoriæ. At ego, ut juſſus ſum, per antiquioris libri campum paſſim gradiens, pulcrioreſque actus quaſi quoſdam flores caute decerpens, minus neceſſaria ſuccidere, omiſſa ſupplere, brevitatique, quam lucidius potero, conabor inſiſtere.

Incipit vita. Udalrici patria & parentes. 3. Venerabilis vir Udalricus ex illuſtri proſapia Bavariorum Ratiſponæ civitatis procreatus, velut lucifer inter cetera poli ſidera, ſic inter totius cognationis ſuæ relucebat nobile ſtemma. Pater ſiquidem illius, Bernoldus nomine, Ratiſponenſium civium non infimus fuit in genere. Nam & Henrico [a] tertio Romanorum imperatori auguſto valde carus & acceptus fuerat, inter cujus regni præpotentes divitiis, fama, & gloria potenter eminebat. Hic itaque filium ſuum egregiæ indolis flore adornatum, peritis doctoribus commendavit litterarum ſtudiis imbuendum, & quia Spiritus-ſanctus ubi vult non ceſſat ſpirare, bonæ ſpei puer, ejus gratia inſpirante, mellifluos ſcripturarum flores, velut apis prudentiſſima, in ſui pectoris alveum ſtudioſe memoriterque cœpit congregare. Jam vero licet ætate parvus eſſet, ſtudebat tamen ut infantiles annos mentis ſenectute tranſſcenderet, coævulorum ſuorum vanitates & ludorum ineptias prudenter declinans, legendi, vel dictandi ſtudio animum ſuum ſæpius occupabat, ſicut ſubſequentis teſtimonii veritas patenter demonſtrat. Quadam enim die Deo dicatus puer, ſodalibus ſuis ludo operam dantibus, ſolus in conclavi ſedebat, & arte dictandi ingenium ſuum intente exercebat. Quo ſuperveniens ſenior quidam, ſapiens ac religioſus, viſo eo in limine ſubſtitit, & adſtantibus ſibi præſago ſpiritu dixit: Divinæ pietatis providentiam magna quædam ſuæ voluntatis opera in hoc puero completuram eſſe cognoſcite, quem in puerili ævo tam maturis exercitiis non dedignatur implicare. Ex hoc actum eſt, ut tanto illo ad diſcendum fieret promtior, quanto ob ardorem ſui ſtudii cunctis jam cœperat eſſe carior. Erat quippe ingenio diſertus, erat morum qualitate decenter compoſitus, erat & lingua à vanis otioſiſque verbis honeſte temperatus. Pietas in pueritia. Nullam, ut talis ætas ſolet, carnalem amplectebatur laſciviam, perpetuam Virginis Filio mentis & corporis ſui vovens ac conſervans caſtimoniam. Divinæ Legis præcepta, docente eum intrinſecus Spiritu-ſancto, intentiſſime legebat, legendo intelligebat, intelligendo conſervabat, conſervando ſumma mentis alacritate, quantum in ipſo fuerat, operibus adimplere ſatagebat. In templo Domini crebro aderat, ac laudes ſupernæ Majeſtati pro modulo ſuo devote celebrans, in conſpectu Domini ſabaoth, velut alter Samuël, ſimplici mente miniſtrabat. Operabatur hæc in illo ineffabilis Chriſti bonitas, qui & linguas infantium facit diſertas, & cujus gratiæ nulla eſt expers ætas. Tali morum habitudine Chriſti tyrunculus florem perdulcis ſuæ pueritiæ nobiliter adornabat, & jam in teneris annis fructum futuræ probitatis evidenter præſignabat. Quis ergo cæleſtis magiſterii gratiam in eo non veneraretur? quis, inquam, tam docilem & tam bonæ mentis puerum ulnis cariſſimi amoris non amplecteretur? Creſcebat itaque Udalricus amborum parentum lætitia, decus, & ornamentum, generiſque ſui inſigne quoddam margaritum.

In Imperatoris aula verſatur. 4. Puerilibus igitur annis ſimpliciter & innocenter tranſcurſis, poſteaquam divino fonte philoſophiæ ſatis abunde potatus videbatur, in terreno terreni Imperatoris palatio ille ſummi Regis miles manere jubetur. Ipſe

a Henricus Niger, qui anno mxlvi. exeunte, die Natalis Domini Romæ coronatus eſt cum Agnete uxore ſua.

Digitized by Google

CIRCA ANN. CH. MXCIII. JULII XIV.

vero licet ſecundum regiæ voluntatis arbitrium palatinis hominibus eſſet aſſociatus, nequaquam tamen vel illic, ab illo cordis ſui inhabitatore, videlicet Spiritu-ſancto, eſt derelictus; qui ſuæ diſciplinæ vernaculum, tametſi cum habitantibus Cedar commorantem, ab omni pollutionis fece, qua id genus hominum contaminari conſuevit, miſericorditer cuſtodivit: quia in ipſo æternaliter habitare decrevit. Actus quippe ſui alumni, & aſpirando præveniens, & adjuvando ſubſequens, greſſus illius in viam ſalutis direxit; eumque infra recti itineris tramitem ambulare perdocuit. Nam, quod revera ſpiritali gubernatione ab illicitis actibus cuſtodiretur, per bonos mores, quos in palatio poſitus oſtendit, facile perpenditur. Avaritiæ etenim peſtis, & honoris ambitio, quæ aulicorum mentes ſuæ peſtilentiæ tabe graviter ſolet corrumpere, illius animo propriæ perditionis virus nequaquam valuit infundere. Non illum congregandarum divitiarum ſollicitavit cura, quas perplures in magna poſſident penuria. Quid mirum, ſi terrenarum rerum facultates non laboravit conquirere, qui per illarum largitatem nullius dignitatis apicem conabatur aſſcendere? Mundi namque gloriam virtutis pede calcavit: ſed & auram favoris humani ſpernens, ejus delectamentis inflari omnimodo refugit. Nulli umquam ſe prætulit, nullum deſpexit, nullius proſperitati invidit: propter quod bonis omnibus non immerito complacuit.

5. Regia quoque ſublimitas ſuas venerabili viro non negabat amicitias, & quoniam eum honeſtius ceteris conſpexit vivere, ſua dilectione digniorem judicavit fore. Honorabat in eo religioſi habitus compoſitionem, & innocentis vitæ laudabilem puritatem. Quid vero de glorioſæ Reginæ dicam devotione, quæ famulum Chriſti ſpeciali dilexit affectione. Illius etenim delectabilium morum conventa ſuavitate, ſuis eum obſequiis voluit adhærere: felicem ſe credens fieri, ſi talis perſonæ aſpectu, auditu & ſervitio mereretur perfrui. Nec dubium eſt nobiliſſimam imperii conſortem, videlicet AGNEM [a], multum ex aſſidua illius familiaritate profeciſſe, in cujus vita & admonitione recte vivendi formam poterat invenire. Nam vir Deo carus, officio Reginæ inſtans devotus, ſolitam animi ſui ſervabat conſtantiam, curialis incontinentiæ omnino fugiens & exſecrans laſciviam. Studebat magis religioſæ gravitati, quam vanæ curioſitati; plus volens humiliari, quam aliquo ſuperbiæ vento inflari. Curabat & amplius mentem ſuam ſanctarum virtutum ornamentis decorare, quam corporis ſui marceſſibilem florem immoderato pretioſarum veſtium luxu foris dealbare. Cum vero, ut ſolebat, in regio comitatu iter agebat, pſalmis & orationi frequenter vacabat, quoties opportunitas loci ſe ullatenus obtulit. Die noctuque eccleſiæ limina infatigabiliter frequentavit; nec corporis laſſitudini voluit aliquando parcere, dummodo cæleſti ſuo Imperatori debitæ ſervitutis penſum vigilando, pſallendo, & orando non tardaret reddere. Multa præterea in palatio conſiſtens puræ innocentiæ & ſanctæ ſimplicitatis demonſtravit exempla, quibus cunctos tam ad ſuæ venerationis amorem, quam ad melioris vitæ provocavit inſtituta.

Imperatricis ſervitio adhæret.

6. Poſt hæc autem patruus præcellentiſſimi viri, NILO [b] nomine, qui pontificatum Friſingenſis rexit eccleſiæ, hunc beatum ad ſuæ diœceſeos urbem invitavit, ac in diaconatus gradum ſollemniter eum promovens, fidelem Chriſto miniſtrum conſtituit. Quo in loco poſitus, quæ ſapientiæ ſuæ,

Fit Diaconus.

[a] Agnes Willelmi Comitis Pictavienſis & Ducis Aquitaniæ ſoror. Quantum profecerit ex Udalrici monitis hæc pia princeps, ex ejus geſtis ſatis patuit.

[b] Nullus ejus nominis Friſingenſis occurrit antiſtes apud Hundium, in catalogo Epiſcoporum hujus urbis, tomo 1. Metrop. Saliſburgenſis. Niſi Nilo idem ſit ac Nicerus ſeu Nitgerus, qui hanc ſedem ab anno 1039. ad 1052. tenuit. Hic Ratiſpona ortus dicitur, qui fratres Bernulfum ac Machtunum habuit, Imperatoris juſſu ob rebellionem cruci affixos. quod ægre ferens Nitgerus Ravennam eſt relegatus. An id Udalrici noſtri parentibus competat, judicent alii. An Nilo Nitgeri abſentis eccleſiam rexerit? Alter cod. mſ. habet *Nitgerus Nilo*.

Circa Ann. Ch. MXCIII. Julii xiv.

quæve piæ miſerationis oſtenderit indicia, ſubſequens aperiet pagina. Quædam femina Ratiſponenſium partibus oriunda, deteſtabili quodam crimine, licet falſo, eſt accuſata. quæ dum ſe de impoſiti facinoris noxa deberet expurgare, peccatis ſuis impedientibus, invenitur tamquam rea in judicii probatione. Tantam igitur confuſionem non ferens, patrios fines clam deſeruit, & Friſingarum partes fugæ ſuæ latibula delegit. Sed nec ibi diu latere poterat; quam fama vulgante ſuus, Ratiſponenſium ſcilicet, Præſul illic abſcondi cognoverat. Suſcepit itaque Friſingarum Pontifex coëpiſcopi ſui litteras; pro infamata & adhuc negante muliere examinanda ſibi directas, qui quomodo de incognitis ſibi cauſis præſumtuoſum erat diffinitam proferre ſententiam, culpam vel innocentiam illius judicio ſtatuit eſſe manifeſtandam. Rurſus ergo miſerabilis femina examinationi ſubjicitur, ſubjecta labitur, lapſa pallet, trepidat & anguſtiatur. Verum quia propria conſcientia eam excuſabat, iterum negationibus perſeveranti animo inſtat. Quid enim faceret, quidve conſilii caperet penitus ignorabat. Cujus diſcuſſioni cum noſter Udalricus intereſſet, videretque infelicem illam fluctuantem gravi metu anxietatis, tenerrime compatiebatur ejus miſeriis, motuſque eſt ſuper illam, ut Salvator quondam ſuper mulierem pro ſtupri reatu lapidandam, vel ut Daniel ſuper Suſannam. Quapropter evocans eam ſeorſum à ceteris, hortatur ut Domino puram confeſſionem faciat de peccatis ſuis, ne qua apud eam culpa indiſcuſſa lateat, quæ ad comprobandam innocentiam ipſius obſiſtat. Cui confitenti quædam commiſſa, quæ nondum alicui detexerat, miniſter Chriſti, licet minime adhuc functus preſbyterii officio, remedium pœnitentiæ indixit; & ſic ad judicium remiſit. Illa vero ſecura intrepidaque accedens, libere ſe expiavit; ac ſic conſilio & auxilio viri Dei, patriam, domum, maritumque læta reviſit. In hoc facto beati illius conſiliarii pietas collaudatur, meritum extollitur, fama magis ac magis augetur.

Mulierem falſo accuſatam liberat. — *Johan. 8.* — *Dan. 13.*

7. Perpendens itaque Antiſtes ſapientia & ſpiritus diſcretione ſuum pollere nepotem; curam illi commiſit præpoſituræ, ut qui ſe ipſum ſapienter & honeſte videbatur regere, aliis jam digne poſſet & ſciret præeſſe. Sed ille beatus, cujus honor fuerat Chriſtus; hujuſcemodi prælationis regimine ſuſcepto, tantum in ſe eſt humiliatus, quantum ſuper alios exaltatus. Scriptum namque ſcivit: *Quanto major es, humilia te in omnibus.* Et, ut certius demonſtraret non proprium honorem, ſed commiſſi ſibi gregis utilitatem ſollicite ſe per omnia quærere, canonicam diſciplinam, prout melius potuit, firmare, ſapienterque cœpit diſponere. Fratribus ſuis neceſſaria vitæ providebat, & ſicut corporis fragilitati carnalem; ita ſpiritalem cibum languori animarum eorum, bene vivendo, & recte docendo adminiſtrabat. Quodam etiam tempore, cum acerrimæ famis incumbente periculo, multarum habitatores regionum graviſſime premerentur, Auguſto Longobardiam, indeque Italiam, hoc comite proficiſcente, fratres ipſius, communibus rebus pro relevanda penuria diſtractis, non modice tribulabantur. Quo cognito, vix poſt multas preces, impetrata ab Imperatore licentia, feſtinanter redit; & prædiis ſuis in pignore poſitis, non ſolum ſui gregis, ſed & aliorum neceſſitates promto animo relevavit. O virum benigniſſimum, ô patrem familias liberaliſſimum! qui idcirco terrenas divitias membris Chriſti ſine cunctatione hilariter erogabat, quia æternorum copias theſaurorum ſitienter affectabat.

Fit Præpoſitus. — *Eccli. 3. 20.* — *Ejus caritas tempore famis.*

8. Tandem aliquando propulſa famis inclementia, famulus Dei, qui quotidie bonorum operum greſſibus cæleſtis Jeruſalem curiam feſtinabat intrare, collecta non modica pecunia, terreſtrem Jeruſalem Dominicæ paſſionis triumpho inſignitam diſponebat adire. Anxietates ac labores, quos in eadem via pertulit, videlicet in aſperitatibus itinerum, in periculis hominum,

Iter Jeroſolymitanum ſuſcipit.

Digitized by Google

num, in procellis fluminum compendioſe prætereo, ne prolixitas narrationis lectori fiat faſtidio. Verum hoc minime tacere debeo, quod omni die priuſquam equi dorſum ſederit, Davidici carminis dulcedinem ex ordine recitaverit. Confecto igitur itinere, ubi ſanctæ Civitatis portam attigit, tamquam ſibi, velut alteri Moyſi, Dominum dicentem audiret: Solve calceamentum tuum, locus in quo ſtas ſanctus eſt, Dominicæ dormitionis ſepulcrum humiliter diſcalciatus adiit. Quæ ibi lacrymarum flumina, quas preces, quæ ſuſpiria dilectiſſima Deo anima ex intimo profuderit corde, cujus facundia valeret edicere? Num ſe à fletus continere poſſet effuſione, cum loca Chriſti veſtigiis conſecrata, ſignis ac virtutibus illuſtrata, paſſione glorificata oculis conſpiceret, pedibus calcaret, mente delectabiliter conſideraret. Ibi quippe ſinceriſſimo lacrymarum fonte maculas ſuæ mentis ſatagebat abluere; de præteritis ac præſentibus delictis veniam, de futuris poſcens cautelam. Ibi, inquam, orationum ſuarum aromatibus vulnera Salvatoris noſtri flebiliter inunxit, non diſſimili devotione ſanctarum Mulierum, quarum fides, comparatis unguentis, corpus Domini Jeſu in ſepulcro requiſivit. Inde verus noſter Iſraëlita, corpore quidem non animo, deſerens civitatem glorioſam, Bethleem petiit, Chriſti Nativitate dedicatam. Illic ad præſepe Domini theſauris ditiſſimi ſui pectoris apertis, tria Magorum myſtica munera, etſi non re obtulit tamen typice; Dei Filium Regem regum, verum ſacerdotem, ex aſſumtà carne confitens mortalem, ſummo Patri coæternum, per ineffabilem Deitatis majeſtatem.

Circa Ann. Chr. MXCIII. Julii XIV. *Exod. 3.* *Loca ſacra viſitat.*

9. Deinde ad Jordanis pergens fluenta, in quibus Salvator mundi delictorum noſtrorum lavit crimina, exutus veſtem purum deſcendit in amnem. Cumque pro ſui deſiderio ablutus, litoris teneret ſoliditatem, vix jam veſtitus, videt eminus profanam quamdam gentilium turmam ad ſe ſuoſque volantem, armis, vultu & clamore truculenter minitantem. Quibus ſuper ſe ruentibus ſervus Chriſti, licet palmam martyrii deſideraret in mente, fugæ tamen ſe cum ſociis credidit, carnis fragilitate impellente. Unus autem ex hoſtibus violentius imminens fugientibus, Udalricum noſtrum magni molem lapidis in dorſum projecit, & in cujuſdam foveæ profunditatem, quæ forte inibi fuerat, ſimul cum equo præcipitem dedit. Quid tum Dei Athleta faceret? Solus remanſerat, nullus ei ex ſuis comitibus aderat. quippe quos hoſtilis furor longius abegerat. Verum ille totam ſpem ſuam divinæ protectioni committens, illis jamjam appropinquantibus, timorem paſſionis, quam ſibi imminere non dubitavit, abjecit, & ad toleranda mortis ſupplicia viriliter ſe accinxit. In tali diſcrimine poſito, tu fortiſſime Deus, mature ſubveniſti famulo tuo: tu qui Judæos ad te capiendum venientes unius vocis terrore retro cadere feciſti, iſtos nunc potentia tuæ fortitudinis ab amici tui perditione prohibuiſti. Subito enim perterriti rediere, & tuo imperio ab ejus perſecutione ceſſavere. Servaſti Domine militem tuum, adhuc altioris vitæ gradum aſſcenſurum; ſervaſti eum legem mandatorum tuorum adhuc perfectius completurum; ſervaſti, inquam, illum ad multorum ſalutem, qui poſtea doctrina ejus, exemplo ejus, moribus ejus ad tuam fuerant convertendi ſervitutem. Gentilibus igitur redeuntibus, conviatores reverendi viri celerius repedantes, de fovea eum extraxerunt, cœptumque iter perrexerunt. Verum quia caſtus amor ſanctorum Deo ſatiari neſcit, beatus iſte religioſæ mentis deſiderio nondum ſatisfactum exiſtimans, aſſcenſionis Chriſti montem adiit, ibique in convalle plorationis aſſcendens, venturo Judici ſe totum commendavit.

Gentilium furorem evadit.

10. Peragratis itaque quamplurimis locis, quæ corporalis Redemtoris noſtri præſentia conſecraverat, ad ſuæ habitationis ſolum remeat. quo perveniens patruum ſuum Friſingenſem Pontificem defunctum reperit, & non ſolum epiſcopali curæ, verum etiam ſuæ Præpoſituræ alium præeſſe cogno-

Reverſus patruum ſuum mortuum reperit.

Digitized by Google

CIRCA ANN. CH. MXCIII. JULII XIV.

vit. De morte Epiſcopi, & ſi ſecundum ſpiritum contriſtari nollet, ſecundum carnem tamen ſe imperare non potuit quin doleret. De munere autem dignitatis, quo abſens eſt privatus; ideo non eſt conturbatus, quia quod habitu non magnopere dilexit; id ſibi ablatum fuiſſe æquanimiter tulit. In magno ſiquidem mentis vertice ſtabat, qui, ut præfati ſumus, ſui juris prædia in illorum fratrum neceſſitatibus diſpenſando, ſibimet inopiam cognoſcitur induxiſſe; nec ſubtractam ſibi Præpoſituræ utilitatem, vel ob id maxime niſus eſt repetere. Quam ejus patientiam ſuperna pietas reſpiciens, ſolita benignitatis ſuæ gratia ſuum fidelem conſolari citius voluit, quem in adverſitate juſtum invenit. Nam quidam beati viri conſanguineus in Ratiſponenſi eccleſia officio Præpoſituræ functus, benigne eum in ſua ſuſcepit, & quoad uſque prædia ſua redimeret, ſecum detinuit.

Secedit Ratiſponam.

11. Interea animo ejus inſedit conſilium, in ſua poſſeſſione conſtruere monaſterium, ubi monachorum cœtu adunato, divinæ laudis quotidie reſonaret celebratio. Sed cum tam pium deſiderium ſtatu temporis, necnon Epiſcoporum irreligioſitate qui tunc eccleſiæ præerant impediente, ad effectum non ita apte ut vellet poſſet perducere; ſeipſum cum ſuis decrevit Domino vovere & reddere. Conſiderans ſi quidem inter fluctuantes ſæculi procellas vix quemquam vitæ ſuæ curſum ad tutæ ſtationis ſinum poſſe dirigere; quodque inter varios ejus ſtrepitus, quantumlibet quietæ, mentis ſæpius concuteretur ſtatus, à Domino pennas columbæ optavit accipere, cupiens advolando in ſolitudine requieſcere. Quapropter res ſuas pauperibus Chriſti cœpit erogare, volens Evangelicum præceptum complere, quo dicitur: Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, ſequere me. In eiſdem vero Ratiſponenſium partibus quædam feminæ Deo conſecratæ ſub monaſteriali cohabitabant diſciplina, quas grandis rerum oppreſſerat inopia. Nam, ut fertur, utriuſque panis, candidi videlicet & nigri, dimidiam menſuram paupertate cogente ſingulæ accipiebant. Quarum miſerans penuriam tam largi diſpenſatoris benignitas, tantum illis contulit arabilis terræ, ut albi panis plenam libram ſumerent, ac inſuper pro ipſius largitoris ſalute ſeptem pauperes exinde, ſicut ipſe conſtituerat, annuatim nutrirent. Facultatibus itaque ſuis partim egenis, partim cognatis ſuis large diſtributis, partim etiam ſuo deſiderio commodius perficiendo reſervatis; ubi mundialium rerum impedimenta à ſe projecit, de hujus mundi naufragio liber evaſit. Sed quia totus Dei ac proximi dilectione intus fuerat accenſus, alios ſecum de fluctibus ſæculi eripere affectabat, quoniam ſolus ad Deum venire nolebat. Quapropter ejuſdem civitatis Scholaſticum, nomine GERALDUM, adiit, ſuam ei voluntatem pandit, & ut mundi incerta ſecum pariter relinqueret, monuit, ſuaſit, & obtinuit. Venerabiles ergo viri, ſancti Spiritus gratia cooperante, in una eademque voluntate coadunati, cœnobitarum quidem vitæ ſociari quam maxime eligebant; ſed quo in loco ſuave jugum Chriſti, & onus ejus leve ſuis humeris ſecurius imponere poſſent, anxie inter ſe conferebant. Salubri tandem conſilio invento, in Cluniacenſi cœnobio, cujus religionem longe lateque prædicari audierant, ſanctæ converſationis ſchema ſuſcipere decernebant.

De conſtruendo monaſterio cogitat.

Geraldo ſcholaſtico aſſociatur.

12. De hujus igitur mundi labyrintho per ſacræ Scripturæ ducatum egreſſuri, primitus adeunt limina ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli; quibus quoniam Redemtoris noſtri clementia ligandi atque ſolvendi tradidit poteſtatem, ipſorum meritis & interceſſione peccatorum ſuorum à Domino ſibi condonari flagitabant abſolutionem. Ipſis etiam votum ſuum intentiſſime commendabant, deprecantes ut arduum regularis vitæ tramitem, per quem ad cæleſtem patriam deſiderabant pervenire, eorum patrocinio, beato fine mererentur conſummare. Votiva vero oratione comple-

Simul Romam pergunt.

Digitized by Google

ta, de Apoſtolica ſede redeunt, & ad deſideratum Cluniacenſis eccleſiæ locum è veſtigio veniunt; ubi voluntatis ſuæ ſecretum ejuſdem monaſterii reverendiſſimo Abbati, videlicet domno HUGONI, aperientes, devotiſſime ab eo ſuſcipiuntur; & firmata, ut moris eſt, ſtabilitate ſua, corpori congregationis tamquam pulcherrima membra inſeruntur. O quam delectabile erat oves Chriſti exutas vellere priſtinæ converſationis aſpicere, ultimas quidem in ordine, ſed non paucis ſuperiores in ordinata morum qualitate! O quam imitabile virtutis exemplum, viros omni peritia imbutos, humilem Chriſti philoſophiam humiliter diſcere, alienæ voluntati ſe obedientiſſime ſubdere, ſeipſos ſibi per omnia fideliter abnegare! Vere enim quæ retro fuerant obliviſcentes, & in anteriora toto niſu mentis ſeſe extendentes, velut bonæ arbores in altum creſcebant, dulceſque virtutum fructus proferebant. Verum nos de prudentiſſimo viro Geraldo tractare minime propoſuimus, ſed vitam beati Udalrici enarrandam ſuſcepimus. Ut tamen de illo aliquid ſuccincte loquamur; ſapientia, conſilio, ac morum gravitate inſigniter præpollens, non poſt multos annos Major-Prior conſtituitur, ac poſtmodum, jubente Apoſtolicæ ſedis Præſule Gregorio VII. Oſtienſis eccleſiæ pontificatu ſublimatur. Cujus ſedis curam cum ſumma rexit ſollicitudine, creditæque ſibi negotiationis talentum Domino ſuo cum duplicata reportans uſura, meruit audire: *Euge ſerve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui* [a]. His ita de illo ſummatim explicitis, qualis patroni noſtri converſatio fuerit, adjuvante Domino, pro poſſe noſtro dicamus.

Circa Ann. Ch. MXCIII. Julii XIV. Cluniaci recipiuntur.

Geraldus Epiſcopus Oſtienſis.

Matth. 25.

13. Igitur dilectus & electus Dei famulus Udalricus, divinæ pietatis gratia præventus, carne mortificabatur ut ſpiritu vivificaretur. Chriſto quoque conreſurgebat, quæ ſurſum ſunt tota mentis aviditate perquirens, ea quæ in mundo ſunt funditus deſpiciens. Incedebat demiſſo vultu inter monachorum cœtus, velut agnus mitiſſimus; ut & habitu demonſtraret, quia huic ſæculo fuerat mortuus. Erat jam vere nomine & opere monachus, erat in obediendo promtiſſimus, & in Dei ſervitio ſtudioſiſſimus. Mores ejus & vita præbuere omnibus virtutis exempla. Habitabat enim in illo Chriſtus velut in templo ſuo, dignumque fuerat ut ſanctæ opinionis fragrantia redoleret ex eo. Nullum illi in bonis actibus cerneres eſſe ſuperiorem, vix quiſquam ejus adæquare poſſet laborem. Orationibus crebro inſtabat, vigiliarum excubias ſollicite obſervabat, corpus ſuum diſtrictis jejuniis macerabat. Propheticæ quoque admonitionis documenta vigilanter obſervans, omnes vias ſuas diligentiſſime cuſtodiebat, linguamque ſuam à loquacitate refrænabat. Otioſa verba omnino devitabat proferre, ſed nec ab aliis curabat audire. Aures ſuas ab audiendis detractionibus firmiſſime ſæpiebat, quas ſanæ doctrinæ & ſermonibus ædificationum libentiſſime aperiebat. Nam quia continuæ contemplationis penna ad alta volabat, columba etiam fuerat ad feneſtras ſuas, quando reſplendebat in eo prudens & diſcreta ſimplicitas. Sed ecce dum ſupernæ pietatis munera in ſanctum virum abunde collata verbis exprimere cupimus, ea pro rei veritate digne explicare nequaquam valemus. Nam quæ lingua congrue diſſerere poterit, quam manſuetus, quam pius & quietus fuerit, quamque compoſitus in omni ſua actione exſtiterit? Cujus, inquam, facundia eloqui valeret, qualiter in ſancti Ordinis obſervatione arſerit, quam ſtudioſum, quam benevolum in omnibus ſe exhibuerit? Tanta ſiquidem ſollicitudine, tantoque fervore per ſanctorum Patrum veſtigia decertabat ambulare, ut

Pia exercitia in monaſterio.

[a] Ejus obitum Bertholdus Hermanni continuator anno MLXXVII. conſignat his verbis: *Geraldus venerabilis Oſtienſis epiſcopus, jamdudum ſæculo vivus, mundo crucifixus, de hujus vitæ ergaſtulo liberatus eſt IX. Idus Decembris*, ideſt Nonis, ſeu die V. qua memoratur in Menologio Bucelini. De eo plura habent Lambertus Schafnaburgenſis, Gregorius ipſe VII. paſſim in epiſtolis, &c. Inter recentiores vero Ughellus, Yepeſius, Baronius, &c.

Digitized by Google

Circa Ann. Ch. mxciii. Julii xiv.

veraciter ejus vitam antiquorum monachorum, ſive Patrum ſtudiis poſſet adæquare. Per hæc & hujuſcemodi admirabilis vitæ merita, velut cæleſte ſidus radiabat inter monachorum collegia. Et licet his, aliiſque divinæ pietatis chariſmatibus ſuper omnes eſſet ditatus, nihil tamen ſuis meritis pro his attribuebat, ſed omnium bonorum largitorem in ſe glorificabat, dicens cum Apoſtolo: Gratia Dei ſum id quod ſum. Renitebat quippe in illo eximium decus humilitatis, quæ eſt ſumma virtus vitæ monachilis; hæc ei ſemper inſeparabilis comes adhærebat, cunctaque illius ſtudia, quaſi quodam ſalis ſapore, dulciſſime condiebat. Nihil in eo fucatum cerneres, nihil religioni contrarium, ut in pleriſque fieri ſolet; obumbrante ſanctitatis forma, ſub ipſo tectum ſimplici oculo deprehendere poſſes. Quicquid enim foris relucebat in opere, ex intima cordis humilitate proceſſit. Nam quod revera apud ſe parvus fuerit, ex hoc quam maxime poſſumus intelligere, quia inferiores etiam ſibi non dedignatus eſt anteferre.

Fit Sacerdos & confeſſarius.

14. Talibus magnificum exercitiis ſanctus Abbas ad ſacerdotale promoveri fecit officium, ſibique conſtituit capellanum & conſiliarium. Et quia ſciebat eum virtute ac ſapientia totum eſſe compoſitum, ſuo etiam gregi apud illum confeſſionis præparavit aditum. Unde accedebant ad eum tam ſenes quam juvenes, diverſis paſſionibus laborantes, tanto ſincerius quanto ſecurius conſcientias ſuas illi aperientes. Ipſe vero cum ſumma caritate omnes ſuſcipiebat, & more ſapientiſſimi medici, congruis quoſque pœnitentiæ remediis curabat. Diligebat autem omnes, & diligebatur ab omnibus. Sed maxime circa novos Chriſti milites ejus animi fervebat affectus. Hos nimirum, tamquam rudes & majoris conſolationis indigos, frequenter ad ſe accerſitos mira benignitate docuit, monuit, & inſtruxit; illoſque adeo in paternæ caritatis ſinu fovit, ut ex hoc pater & dux novitiorum ſpecialiter appellari meruerit.

Miſericordia in lapſos.

15. Quantæ compaſſionis & miſericordiæ circa lapſos ſanctus homo fuerit, ex ſubjecto exemplo liquidius patebit. Frater quidam fuerat in eadem congregatione, qui ſuadente veternoſo inimico jugum diſciplinæ per fugam conabatur abjicere: qui peccato peccatum addidit, & aureum vas, in quo corporis & ſanguinis Chriſti ſacroſancta myſteria conſecrari ſolebant, ſecum portandum furtim abſtulit. Facta eſt ergo inquiſitio de calice, quo non invento, fuſis primum ad Dominum orationibus, ut, ipſo revelante, tanti pretii vas non amitteretur; clauſtrales etiam aditus diligenter cuſtodiri jubentur, ne auctor furti fugæ præſidio laberetur. Sed miſer ille, quem propriæ conſcientiæ reatus graviter torquebat, videns ſe evadere non poſſe ſicut deſideraverat, ingenti metu concutitur, variiſque intra ſe cogitationum fluctibus confunditur. Confugiens itaque ad miſericordiſſimum virum Udalricum, velut ad tutiſſimi portus ſolatium, culpam ſuam cum gemitu pandit, pœnitentiæ medelam ſuſcipit, ipſique juſſus calicem dedit: quem acceptum vir miſericordiæ ſub terra foſſum abſcondit & in craſtino, petita humiliter in Capitulo venia de amiſſa re, revelatum ſibi fore innotuit. Revera enim, ejus pietate promerente Dei noſtri clementia, & damnum eccleſiæ reſtitui, & fratris crimen occulta pœnitentia purgandum voluit celari. Aſſumtis itaque quibuſdam fratribus ad locum perrexit, ac primo per induſtriam circumquaque fodiens, tandem exerta foſſa, ſacratum vas eductum eccleſiaſtico theſauro reddi fecit. Sic homo Dei pie callidus, dum humanæ naturæ fragilitatem facile labi poſſe conſiderat, proximi lapſum clementi compaſſione diſſimulat.

16. Hoc autem lectorem noſtrum volumus cognoſcere, nulla nos huic operi inſerere velle, niſi quæ veritatis radice ſubnixa, ejus ſanctitatis præconio ſpecialiter ſint attribuenda. Cum enim præclaris geſtis ejus perſonæ ſingulariter adſcribendis abundemus, cur ſanctum virum velut alienis

Digitized by Google

faleramentis exornare attentemus? Namque, ut verum fateamur, non eget noſter Udalricus, ut vel falſis, vel extrinſecus aſſumtis, laudum favoribus extollatur, qui ſuis adeo præcellere cognoſcitur, ut pro ſui numero & excellentia, vix vel à diſerta ſcriptoris comprehendi poſſint eloquentia. Verum priuſquam ad deſcribenda miraculorum ejus inſignia procedamus, animi ejus conſtantiam, tentationumque certamina, ad ſalubre imitationis exemplum proferamus. Quia enim nullius virtutis manifeſtatio fit ſine tentatione, magna profecto legenti erit utilitas, beati viri pugnas & victorias cognoviſſe. Nam & fortia Chriſti membra tentantur, ne in ſuis tentationibus deſperent infirmiora.

Circa Ann. Ch. MXCIII. Julii XIV.

Auctoris fides.

17. Hoc itaque eximium Chriſti membrum, licet corpus ſuum vigiliis edomaret & jejuniis, acriter tamen ſtimulari cœpit ex libidinum incentivis; in tenui & exhauſto corpore contrariæ delectationis voluptas pullulabat, quia, ut Apoſtolus ait, Caro adverſus ſpiritum concupiſcebat. Quis miretur, ſi antiquo hoſti hujuſcemodi impugnationis vento hanc pulcherrimam cedrum impingere Dei judicio conceditur, cum & Paulus altiſſimorum montium vertex, ab angelo ſatanæ colaphizatus legatur, ne magnitudine revelationum extolleretur. Vide etiam Antonium, vide Hilarionem, & Hilarionis laudatorem Hieronymum, monaſtici Ordinis Patres ac prævios, carnis ſuæ ſtimulo fuiſſe vexatos. Qui cum tentationibus non ceſſere, ſed viriliter eas favente Deo ſuperavere, idcirco in exemplum infirmioribus proponuntur, ut non deſperent nec cedant cum tentantur. Poterat hic homo Dei ſublimitate cæleſtis gratiæ in ſe collatæ vel ad modicum elevari, ſi ſeſe tam infirma paſſione non ſentiret humiliari. Tali igitur moleſtia laborans, cum artiſſima corporis afflictione & abſtinentia ardorem carnis mitigare non poſſet; iratus ſibi, quod tam infima tentatione diutius fatigari deberet, genitalibus locis candente ferro perforatis, & fune immiſſo, vulnus vulnere ſanavit, & voluptatem in dolorem traxit. An hic perfectum non vides monachum, vere beati patris Benedicti ſequacem & diſcipulum? Ille impugnante inimico conceptum carnis ſtimulum, inter veprium ſpinarumque aculeos reptans, refrenavit; iſte immane vulnus corpori infligens, noxium calorem extinxit. Quid doloris, quid miſeriæ hoc vulnere intumeſcente pertulerit, lingua carnis pavet dicere. Nullum tamen hoc ſcire volens, animo forti ſe contra ſe erexit, ſolito more laborans, Abbatiſque ſui obſequio inceſſanter inſtans.

Tentationes ſuperatæ.

Gal. 5. 17.

2. Cor. 12. 7.

18. In hoc congreſſu cernens invidus tentator ſuam aſtutiam ſuperatam fore, ad alia calliditatis ſuæ argumenta converſus, in amicum caritatis fraterna odia non ceſſavit excitare. Nam quidam fratres Abbatis obſequio inhærentes, ſimplicitatem, & innocentis vitæ puritatem, quam in ſe non habebant, in beato viro invidioſe carpebant; cum magis, ſi ſaperent, bono virtutum ejus odore ad morum ſuorum condimentum delectabiliter uti deberent: nec mirum in monachos quoque invidiam cadere poſſe, cum nec aſtra in conſpectu Dei munda ſunt. Præcipue tamen exarſit, & alios contra eum inflammavit monachus quidam, Hunaldus nomine, velut ex ſubſequenti narratione liquido poſſumus advertere. Venerabilis pater Hugo iter agens, cum ad quamdam baſilicam veniſſet, & hunc, quem propter ſanctitatem ac morum gravitatem in comitatu ſuo frequenter habebat, Miſſarum ſollemnia celebrare juſſiſſet, extraneum quemdam Abbatem ſuſcepit, qui collocutionis gratia ad eum divertit; cumque mutuæ confabulationi diutius inhærerent, & horarum ſpatia defluerent, reverendus Pater præfatum Hunaldum ad ſuum ſacerdotem miſit, quatenus celebrationem myſterii differre deberet, quoad uſque peracto colloquio ipſe adeſſe potuiſſet. Qui veniens ad hominem ſanctum, amari cordis aſperitatem, qua intus contra eum tumuit, foris oſtendit; illi durum ac

Fratrum invidiam ſuſtinet.

CIRCA ANN. CH. MXCIII. JULII XIV.

turbulentum ſignum, quod diſcerni non poterat, cum nimia indignatione .. ciens. Vir autem Dei, ut erat ſimplicis naturæ, quia ſignum non intellexit, indutus veſte ſacerdotali Miſſam exorſus eſt celebrare, exiſtimans videlicet quod Abbas aliis occupatus negotiis non poſſet intereſſe. Quo viſo reverſus nuntius, eum coram extraneis quaſi paternæ juſſionis contemtorem accuſat, verba multiplicat, cauſam nimis exaggerat, patremque ſpiritalem, ſi poſſit, ad gravem indignationem commovere laborat. Sed prudens magiſter diſcipuli innocentiam ſecum conſiderans, animo lenis, vultu tamquam iratus apparuit; & qualiter, & ignotos qui aderant in illo ædificaret, & ſuis patientiæ ejus exemplum proponeret, ſollerter intra ſe tractare cœpit. Veniens itaque ad ſubjectum ſuum, jam divinis obſequiis inſtantem, ab altari eum repulit, caſulam ei abſtraxit; & ſic Miſſam, quam uſque ad conſecrandam oblationem perduxerat, finire coëgit. At ille, quoniam ſignum monachi in tentationibus apparet, qualis ſemper fuerit in tranquillitate palam oſtendit imminente tentatione. Nam reliquis indumentis cum tanta manſuetudinis lenitate ſeipſum ſpoliavit, ut nec vultum quidem, pro illata ſibi contumelia mutaverit. Aſcenſis igitur equis cœptum iter accelerant. Tunc prudens Pater, ut demonſtraret quod tam ſevera diſcipuli correptio non iraſcentis furor, ſed amantis eſſet probatio, rurſus eum myſteria juſſit celebrare. quod & ille cum omni mentis explevit devotione. O magnæ humilitatis indicium! ô invictæ patientiæ ſalutare documentum! Talis tantaque tolerantia diſcipuli, gloria eſt magiſtri, aliorum ædificatio, delatoris confuſio, & ipſius meritorum non parva augmentatio.

Mira ejus patientia.

19. Addatur & aliud patientiæ ejus exemplum, quod audienti virtutis præbeat incitamentum. Solebat vir Deo carus dulces ac ſalubres litterarum ſuarum admonitiones notis ſuis tam Abbatibus quam monachis privatim dirigere; religioſos & honeſtos confortans, deviantes vero ad viam veritatis revocans. quam piam & caritativam ſancti viri præſumtionem prædicti ejus æmuli moleſte nimis tulere, dolentes illi amplius quam ipſis aut concedi aut licere. Quibus crebra clamationum importunitate aures ſpiritalis Patris aliorumque ſeniorum ob id pulſantibus monachis, de his gravioris culpæ diſtrictioni addicitur, & pro lege talis correptionis in conſpectu conventus præſentatur. Nec ibi, Domine, famulum tuum deſeruiſti, cui per ſancti Spiritus gratiam tantam æquanimitatis conſtantiam ſubminiſtraſti, ut cunctis exemplo fuerit & admirationi. Sed & Abbas diſcretiſſimus, qui magis aliorum improbitate, quam propria voluntate ad hæc fuerat perductus, facile culpam ignovit, quam non elationi ſed caritati deputavit.

20. Cumque his aliiſque tribulationum aculeis, ſuperno Opifice ordinante, diligenter examinatus, fideliſque fuiſſet inventus, cæleſtis Agricola, qui ſuos palmites ut fructum plus afferant, paterno verbere purgat, hunc electum ſuum palmitem, jam virentem, jamque fructificantem artificioſius purgare diſponebat. Miſſus etenim ad locum, qui dicitur Marcigniacus [a], ut ibi præeſſet ſacris Chriſti Virginibus, quas felicis memoriæ pater Hugo in eodem cœnobio ſub jugum Domini coadunaverat, per longas vigilias noctium, per ſcribendi laborem continuum, graviſſimum capitis dolorem incurrebat. Ipſe autem non hoc divinitus pro ſua examinatione, ſed caſu exiſtimans ſibi accidiſſe, aliquoties caput lavit abſinthio, ut à tali liberaretur incommodo. Contigit itaque, ut aïunt, feſtucam abſinthii ejus oculo infigi, quæ exinde quia nullo conſilio erui potuit, oculus ſancti viri per ſex menſium ſpatia guttatim effluxit. Sed monachus Dei tam exemplo

Virginibus Marciniaci præficitur. [a]

[a] Nobile monaſterium virginum à beato Hugone conſtructum in diœceſi Æduenſi, de quo plura in ejuſdem ſancti viri vita, Sæculo ſequenti.

Digitized by Google

fortium virorum, quam etiam divinarum conſolationibus ſcripturarum roboratus, ut Job vel Tobias, virtutem patientiæ eſt aſſequutus. Et quia ſcriptum ſcivit: Beatus homo qui corripitur à Domino; non eſt contriſtatus pro exterioris luminis detrimento: quia quanto carnalis viſus obſcurior, tanto mentis acies ad contemplandum ſuperni luminis claritatem fuerat perſpicacior. Infirmitate igitur compellente, Cluniacum revertitur, & miſericordiam petens à commiſſo Sanctimonialium regimine abſolvitur. Cui clementiſſimus pater Hugo quam benignus extiterit, qua caritate eum foverit, quam pie, quam prudenter ejus infirmitatem conſolatus fuerit, cujus ſermo explicare poterit? Præcipuo etenim illius congregationis membro infirmante, merito compatiebatur ipſe pater, qui quaſi caput omnium cognoſcebatur eſſe.

Circa Ann. Chr. MXCIII. Julii XIV.

Job 5. 17.

21. Eodem tempore præpotens quidam, nomine LUITOLDUS, de caſtello, quod dicitur *Rumelingen* *, lata quidem prædiorum aliarumque divitiarum locupleratus poſſeſſione, ſed dulci filiorum carens ſucceſſione, ex conſenſu ſuæ conjugis ad Cluniacenſe cœnobium perrexit, & prædiis ſuis ad altare beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli liberaliter traditis, Filium Virginis pro æterna hereditate adipiſcenda ſuum heredem conſtituit. Quo petente monachos ſecum dirigi, beatus Udalricus, incolumitate jam recepta, & vir venerabilis, nomine CUNO, à Patre monaſterii cum eo mittuntur, quatenus per eorum induſtriam congrua monachis habitacula conſtruerentur. Poſtquam perventum eſt, conſiderato locorum ſitu, elegerunt Montem-Rotgeri, in quo ædificia cœnobitarum manſioni idonea perſpexerunt aptius poſſe fieri. Sed quoniam hiemalis inclementia ædificationem impediebat, reverendi ſeniores ſæcularium hominum cohabitationem declinantes, in ſpeluncam quamdam, à prædicto monte duobus miliaribus diſtantem, ſeſe contraxere; ibique inſtantis Quadrageſimæ dies, pane & aqua ſolummodo contenti, cum ſpirituali gaudio deduxere. Ibi ergo dum vellent ſecretius latitare, ut divinæ contemplationi attius poſſent inhærere, in abdita ſolitudine turbam patiuntur, dum à multis frequentantur. Nam primo quidem paucis, magis novos homines videndi admiratione, quam ſuæ ſalutis cauſa ad ſe venientibus, beatus Udalricus prædicavit verbum vitæ; & exinde innumerabiles hominum turbæ ad eos certatim confluxere. Sed prudentiſſimus vir ſibi ſolerter proſpexit, Miſſarum ſollemnia, Pſalmos, & hymnos ex monaſtica traditione conſtitutos, necnon pſalterium ex ordine decantans. Poſt hæc tamquam ſibi animæ ſuæ Sponſum dicentem audiret: Surge, ſonet vox tua in auribus meis; de dulciſſimo quietis ſuæ thalamo foras proceſſit, & erroneo populo adhuc rudi, adhuc animali, & ſolo nomine Chriſtum confitenti viam ſalutis oſtendit. Sic acuto prædicationis ſuæ vomere agreſtium hominum corda ſcindens, ac peccatorum ſpinas audita eorum confeſſione eruens, remedia pœnitentiæ illis indixit: ſicque per ejus eruditionem plebi eatenus in umbra mortis habitanti lumen veritatis oriri cœpit.

* al. cod. Limlingen.

Mittitur cum Cunone ad caſtrum Rumelingen.

Ubi ædificant monaſterium.

22. Cumque ex diverſis partibus, utriuſque ſexus & ætatis copioſa multitudo, tam pro corporum quam & animarum ſalute recuperanda, catervatim ad eos concurreret. Venit inter reliquos mulier quædam miſerabilis, à parte cinguli uſque ad ima pedum inflata morbo hydropis, & commaculata lepræ contagiis, quæ infirmitatis ſuæ miſeriam ſervo Dei aperiens, conſilium ſimul & auxilium illius flebiliter expetiit, ita inquiens: O ſerve Dei venerande, ô infirmantium fidelis medice, infelici mihi, quia potes, celeriter ſuccurre. Omnia quæ habere potui in Medicos erogavi, amiſi rerum ſubſtantiam, nec adhuc evaſi infirmitatis moleſtiam. Tu ergo calamitatis meæ miſertus, fer opem quam exſpecto, quia deſiderii mei votum per tuæ ſanctitatis meritum impleri poſſe non diffido. Hæc & his ſimilia,

Mulier hydropica & leproſa ſanatur.

Digitized by Google

Circa Ann. Ch. MXCIII. Julii XIV.

quæ doloris acerbitas ſuggeſſit; illa cum gemitu proclamante, vir Dei miſericordia motus, lacrymis ora rigantibus, aquam benedixit; infirma ægrotantis membra humiliter lavit, ac Domini clementiam pro illa ſuppliciter deprecans, à ſe in pace dimiſit. Hanc per ejus orationem integerrimam poſt paucos dies recepiſſe ſanitatem narravit prædictus venerabilis vir Cuno, veridicus videlicet teſtis, qui eam vidit poſt adeptionem optatæ incolumitatis.

Liberatur dæmoniacus.

23. Hujus igitur miraculi fama longe lateque ſe per populares aures diffundente, tanto amplius cœpit homo Dei frequentari, quo prædicationis ejus verba ſignorum ſplendore videbantur illuſtrari: cum interea quidam immundo ſpiritu poſſeſſus adduceretur; ut pro ejus ereptione ad januam divinæ miſericordiæ pulſaret Jeſu-Chriſti famulus, exoratur. Victus itaque tam ſupplicantium prece, quam miſeri hominis vexatione, Salvatori noſtro, vivificatricem paſſionis ſuæ hoſtiam pro illo immolaturus ad altare acceſſit; perceptaque ſacro-ſancta Communione, arreptitium, ut & ipſe ſalutare ſacrificium ſumeret, adduci præcepit. Sed ſæviſſimus inimicus dolens ſe ſuæ habitationis ſubſellium ſub celeritate relictum fore, tam variis, tamque horrendis vocibus non ceſſabat intonare, ut multarum beſtiarum greges coadunatos crederes; tantaque fortitudine ne adduceretur reniti cœpit, ut illum tam viri Dei præſentiam, quam ſacram hoſtiam exhorrere patenter intelligeres. Jamque ductorum manu deficiente, præfatus Cuno accedens laſſis auxilium tulit, rebellem ante altare ſtatuit, & ore illius vi aperto, dandi Euchariſtiam locum dedit. Qua data, totis collectis viribus, quaſi leo ferox concepto furore, ruptiſque vinculis proſilit de cavea, ita de manibus ſe tenentium erupit infelix homo cum terribili inſania. qui niſi à prænominato monacho perniciter poſt eum currente retineretur, de ipſo prærupti montis præcipitio impulſu dæmonis elidendus corruiſſet, utpote qui totus in præceps ferebatur. In eodem loco dum coactus ſubſiſteret, ſuperna gratia largiente, & beati Udalrici oratione ſuffragante, inimicus fugatur, & ſui ſenſus compos effectus homo ſibi redditur. Hujus miraculi prædictus Cuno exſtitit relator, vir ſanæ theoricus, juſtitiæ & veritatis amator. Nam ſanctus Domini cetera quidem vitæ ſuæ inſtituta, quæ huc uſque pro noſtro poſſe digeſſimus, quibuſdam familiaribus ſuis rogantibus, immo compellentibus, ſimpliciter eſt locutus. Miracula vero quæ per eum Dominus operatus eſt, non ipſius relatione, ſed probabili diſcipulorum ejus comperta ſunt aſſertione: dum enim laudes hominum fugit, ſuorum geſtorum prædicator eſſe noluit.

Presbyterum æmulum patitur.

24. Ut ergo ad id unde paullulum digreſſi ſumus manum reducamus, ubi jam triſti algoris aſperitate diſcedente, læta vernalis temporis amœnitas blande cœpit arridere, venerandi Patres ad propoſitum opus redierunt, & officinas monaſticæ quieti competentes, pro loco ac rerum facultate, conſtruere curarunt. Quorum operi perficiendo, dum promto animo circumpoſitarum plebium devotio auxilium præberet, eoſque cum magno venerationis amore coleret; duo preſbyteri in vicinitate poſiti, ſui quæſtus jacturam metuentes fieri, contra famulos Dei graviſſimis invidiæ facibus ſunt accenſi. Quorum unus dum in cujuſdam diei ſollemnitate ad populum ſibi commiſſum ſermonem faceret, quaſi in ænigmate loquens, ait inter alia;
» herbam quamdam peſtiferam in illis regionibus germinare, quæ ſuæ perdi-
» tionis veneno omnem illam terram infunderet, ſi contigiſſet eam fructum
» proferre. Cuncta plebs quæ aderat, his auditis pavore & admiratione vehementi concutitur, & ſi tam periculoſi germinis herba oſtendi vel eradicari poſſet, ſollicite ſciſcitatur. Rurſus perverſus prædicator, virulenta ſuæ malitiæ ſeminaria cordibus illorum infundens: Monachi, inquit, iſti à Clu-
» niacenſi cœnobio in has partes venientes, ſimulatione, avaritia & invidia pleni,

Digitized by Google

Circa Ann. Chr. MXCIII. Julii XIV.

pleni, veſtræ ſaluti omnino ſunt contrarii, qui ſi inter vos coaluerint, ſuæque prædicationis nociva ſemina in cordibus veſtris creſcere fecerint; quidquid boni operis mea ſollicitudo in vobis plantavit, citius perdetis, nec ullarum virtutum fructus proferre poteritis. Fuſis ergo ad Deum precibus, ut eos divina bonitas à vobis alienare dignetur, ſupplicate attentius, ne eorum ſubdola doctrina & ficta ſanctitas veſtrum ſenſum decipiat, &, quod abſit, veſtræ ſalutis ſtatum pervertat. Hæc & his ſimilia cum dixiſſet, quibuſdam minus peritis abominabiles preces pro illorum alienatione fundentibus, prudentioribus vero rem tacite ſecum conſiderantibus, præcurrens fama ſervos Dei edocuit, quæ & quanta malignus preſbyter adverſus eos rabido ore protulerit. Contigit exinde, ut idem ſacerdos iter per prædictum montem ageret, & diei circulo terminante, ſuperveniens caligo noctis reditum ad ſua prohiberet; unde nimis anxius quid agere poſſet, quia cæcitas noctis tenebroſæ, viæque diſpendium reverſionem ejus impediunt, animo inter ſpem & metum poſito, ad monachos Dei, quibus invidioſe detraxerat, coactus divertit. Beatus vero Udalricus cum æmuli ſui adventum cognoviſſet, ne malum pro malo redderet, obviam ei proceſſit, hilari vultu eum ſuſcepit, ſuſceptum, ut monaſticæ Religionis conſuetudo depoſcit, primum ad orationem duxit. Cui poſt impenſa orationis ſuffragia, ut filius pacis pacem obtulit in amplexu & oſculo caritatis, dulci illum demulcens alloquio, omnique humanitatis refovens obſequio. In craſtinum vero caritative dimiſſus, divina compunctus inſpiratione pertractare ſecum preſbyter cœpit, quam benigne, quamque officioſe ab his ſuſceptus fuerat, quos ipſe graviſſimis verborum jaculis impugnare non timuerat. Pro tanto igitur reatu pœnitentiam intra ſe agens, odium dilectione; detractiones laude, inimicitias pace commutavit. Ad propria etenim reverſus, cum in proximo Dominicæ diei feſto Miſſarum ſollemnia in conventu plebis celebraret, monachos Chriſti, quos publica voce prius diffamaverat, magnis laudum præconiis extollebat, ſeſe in eorum detractione reum proteſtans, culpæque ſuæ vinculum populi oratione relaxari ſibi à Domino humiliter deprecans. Deinceps itaque firma ac ſincera dilectione, benigniſſimo ſuo ſuſceptori, ipſiuſque fratribus connexus, patientiæ caritatiſque eorum conſtantiam ſuis omnibus commendavit; ipſeque cum parochianis ſuis ad Cellæ opus conſummandum promto animo illis auxilium præbere ſtuduit. Sic hominis Dei pietas, ſic patientia ejus & humilitas meruit remunerari, qui inimicum propter Dominum diligens, melius illum amando, quam adverſando ſuperavit, cui etiam cum oportunitas ſe obtulit benefacere non diſtulit.

Quem caritate miteſcit.

Reg. S. B. cap. 53.

Cluniacum reverſus Paterniaco præficitur.

25. Conſtructo igitur cœnobio, cunctiſque rite diſpoſitis, ſanctus Pater, relinquens cum fratribus qui jam illic coadunati fuerant ſæpe nominatum Cunonem, Cluniacum revertitur; ibique in grata mentis ſuæ ſolitudine aliquamdiu quieſcens ſecum commorabatur. Sed quia fluvius iſte magnus, qui jam plurimorum arentia corda irrigaverat, virtutumque fructus proferre fecerat, intra ripam ſui alvei diu non fuerat includendus, ad alia rurſus terrarum ſpatia infundenda eſt emiſſus. Nam Paterniacenſium [a] monachorum curam jubente ſuo Abbate ſuſcepit, quos ſuæ eruditionis fonte perfuſos, perfectæque vitæ exemplo informatos in bonis operibus florere fecit. Et quia non ſolum illos, ſed & cunctos homines, quantum in ipſo erat, ſalvos fieri cupiebat, Burchardum [b] Lauſannenſem præſulem, in cujus diœceſi præfatus locus eſt ſitus, Salvatori ſuo laborabat lucrifacere, quem omnem viam carnis ingreſſum, nec ad Jeſu-Chriſti, ſed ad ſua lucra cogno-

a Situm eſt in diœceſi Lauſannenſi, ubi ex decreto Capituli generalis anno 1326. debebant eſſe triginta monachi.

b Is Henrico Imperatori contra Gregorium VII. adhærens, ab eo Pontifice anathemate perculſus eſt anno 1076. ut ait Baronius, aliis anno 1075.

CIRCA ANN. CH. MXCIII. JULII XIV.

vit prona mente intendere. Cujus opera dulci ac ſalubri litterarum ſuarum admonitione ſæpius conveniens, adhortabatur eum, ut religioſæ vitæ inſtituto demonſtraret quid ſaluti, quid officio, quidve dignitati ſuæ congrueret: cujus correctioni tanto inſtantius imminebat, quanto in perſonarum acceptione minimè judicabat. Sed Epiſcopus ſuæ ſaluti inimicus, quia Spiritus-ſancti unctio cor ejus non docuit, admonitiones pii patris non attendit, auditum à veritate avertendo, & ſpatioſas mundi vias ambulando. Suſceptum interea in eodem cœnobio Clericum quemdam Pontifici notum beatus Udalricus convenit, eumque ſi ſuus Antiſtes reſipiſcere vellet ſciſcitatus, multa ſuper illius averſione eſt conqueſtus. Clericus vero pie ſimpliciterque loquentem patienter quidem, ſed non ſimpliciter audivit, reverſuſque ad Epiſcopum dulcia viri Dei verba pervertens, ac aſpera quæque de ſuis commentis adjiciens, graviter illum accuſavit. Dumque homini per pravam adulationem ſtuduit placere, Deum in ſuo famulo non veritus eſt offendere. Nam ad majorem ſuæ iniquitatis cumulum, animum Pontificis ad tam immane commovit furorem, ut milites ſuos præmiorum pollicitatione ad ſervi Dei accenderet perſecutionem. qui pecuniæ cupiditatem innocentiæ præferentes, diu innocentiæ juſtitiæque amatori inſidias moliuntur, domnum Cunonem, cujus jam ſæpe meminimus, Cluniacum pergentem comprehenderunt: hunc Epiſcopi ſui reprehenſorem exiſtimantes, in quo ob ſatiandam crudelem Domini ſui voluntatem nimiam impietatis ſuæ ſævitiam exercuere, rebuſque omnibus denudatum reliquere. Ille vero, ut vir timens Deum, flagellantis Domini judicium patienter ſuſtinuit, ipſiuſque provinciæ defenſorem expetens, quis ſit, quid pertulerit, quove pergere velit innotuit. Cujus adjutorio recepit ſua, ſuiſque perſecutoribus pro ſceleris ſui erratu veniam poſtulantibus, prompta affuit indulgentia. Videns itaque memorabilis pater Antiſtitem ad tam apertas tamque crudeles inimicitias erupiſſe, ceſſit, locumque dedit iræ; ne injuriæ quæ ſibi acceſſuræ erant ad gloriam meritorum, perſecutori ſuo fierent ad perpetuæ confuſionis opprobrium. Reverſus etenim ad Cluniacenſis cœnobii arcem, diverſis munitam virtutibus, protegente Deo inſidiatorum ſuorum evaſit manus.

26. Quid illi eo tempore ad ſuæ ſanctitatis indicium, & Abbatis ſui tutelam divinitus ſit conceſſum, breviter puto intimandum. Illis etenim diebus beatus Hugo pro monaſterii ſui utilitate, communi fratrum decreto, exteras nationes decreverat expetere. quod ne fieret, beatus iſte ſancto Spiritu edoctus, beato Magiſtro humiliter ſuaſit; nec illum, licet aliorum votis contrarium eſſet, ad conſentiendum ſibi difficilem habuit. Ea nocte cum dormitum eſſet, vidit in ſomnis ſanctus Abbas rejectis veſtibus totum ſe denudari, & hoc ſuperveniente nuditatem ipſius honeſte cooperiri. Mane itaque facto, conſiliarium ſuum accerſiri juſſit, illique viſionem ex ordine narravit, gaudens ſe per ejus prudentiæ conſilium periculum evaſiſſe, quod ſe incurſurum non dubitabat, ſi aliorum ſuaſionibus voluiſſet acquieſcere.

27. Qualiter vero beatum virum ad Alamannorum, Briſgaugiæ * videlicet partes, ad multorum ſalutem, per divinam providentiam contigerit perveniſſe, cum omni gaudio & exſultatione mentis libet commemorare. Degebat in Briſacenſi provincia miles quidam glorioſus, HESSO nomine, genere nobilis, ſed nobilior fide, moribus animique devotione. Hic, divina gratia inſpirante, veræ religionis amator effectus, prædia ſua ſanctæ Cluniacenſi eccleſiæ delegavit, atque in ipſis divinæ ſervitutis ſcholam ad congregandos inibi theoricæ vitæ ſectatores conſtrui poſtulavit. Suſceptis itaque in ſua poſſeſſione monachis, cum habitatio monaſtico propoſito mi-

Monaſterio in Briſgoïa præficitur.

* Briſgoïa Germaniæ provincia, cujus caput olim Briſacum; hodie vero Friburgum urbs provinciæ primaria cenſetur.

Digitized by Google

nus idonea videretur, alioſum vertit religioſam intentionem mentis. Locus igitur quidam in eadem regione ſitus, qui etymologiam ſui nominis ex adjacentium camporum ſilvarumque virenti amœnitate oſtendens, GRUNINGEN dicitur, legitimo concambio facto cum duce BERTHOLDO, cujus ditioni ſubjacebat, ſtudio & induſtria clariſſimi viri Heſſonis monachorum juris efficitur. qui quomodo regulari cuſtodiæ aliquantulum aptior videbatur, conſtructis manſionibus, monachi illuc ſunt tranſlati; nec ibi, ut poſtea clarebit, ſtabiliter manſuri. Sed fit plerumque ut ſacrorum locorum ſtabilitas & religio, quæ in ſui primordio paulliſper retardari videtur, procedente tempore, per Dei gratiam, & prudentium virorum induſtriam, in ſuo ſtatu ſtabilius perfectiuſque ſolidetur. Quod manifeſtius probabimus, cum ſequentium rerum effectus deſcripſerimus. Nam tandem poſt aliquot annorum curricula, venerabilis pater Udalricus in omni norma cœnobialis vitæ ad unguem edoctus, à ſancto Hugone ad præfatum locum dirigitur, quatenus per ejus ſtudium atque laborem vinea cæleſtis Agricolæ inibi plantaretur. Qui commiſſi gregis curam ſollicite cœpit agere, monitis & exemplis oves Chriſti inſtruens, qualiter ſe ab inviſibilis lupi rabie poſſent deffendere. CIRCA ANN. CH. MXCIII. JULII XIV.

28. Non poſt multos itaque dies feliciſſimi adventus ejus, bono virtutum illius odore jam ſe per regionem diffundente, offertur ei inter filiorum ſuorum manus matrona quædam nobilis, vexata furore ſæviſſimi dæmonis, qua ſub ipſis vinculorum nexibus, quibus ob immanitatem furoris ſtringebatur, in conſpectu viri Dei pavendo fremitu variiſque conatibus perſtrepente, ut patenter intelligeres inimicum ejus præſentiam expaveſcere; frater quidam, Varinherus nomine, de meritis ſancti Patris pie præſumens, ſuas preces adſtantium votis ſimpliciter adjunxit, ita inquiens: « O Pater ſancte, qui omnibus in afflictione poſitis auxilium orationis tuæ « clementi compaſſione impendis, cur ſuper graviſſima hujus miſerrimæ mu« lieris vexatione ſolita pietate non moveris? Huic vel benedictionis tuæ « munus largire, quatenus ab infeſtantis inimici liberari valeat invaſione. Quibus auditis vir humillimus vehementer obſtupuit, fratremque quaſi ſimpliciter locutum, quod talia de ipſo præſumeret, gravi indignatione coarguit, dicens; ſe hominem peccatorem, nullius meriti dignum eſſe, per quem divina miſeratio ſoſpitatem illi dignaretur conferre. Salutem tamen illi à vero medico Jeſu-Chriſto, ſed non in ſua præſentia adipiſcendam, imprecatus abſceſſit: ac ſecreto ingreſſus eccleſiam, corde contrito, ſpiritu humiliato, lacrymis uberrimis Domino pro illa ſupplicavit. Nec diu diſtulit ſuperna clementia vota ſupplicantis amici, quem ob ſuæ humilitatis cuſtodiam, declinare vidit laudem favoris humani. Comitibus etenim miſerandæ mulieris cum mærore eam reducentibus, ipſa ſubito de manibus eorum in terram corruit, ac quaſi per unius horæ ſpatium, uſu loquendi ſubſtracto, moribunda jacuit. Ibi itaque ſuperbo hoſte, per humilitatem ſervi Dei adhuc precibus incumbentis, de vaſe quod poſſederat ejecto, matrona ſurrexit incolumis, ac reverſa cum ſuis gratias egit Deo, ejuſque fideli famulo, per cujus meritum receperat gaudia optatæ ſanitatis. Hoc miraculum prædicto fratre Vvarinhero referente cognovimus, qui adhuc ſuperſtes vivit in domo Dei, ſanctæ ſimplicitatis & innocentiæ monachus.

Dæmoniacam liberat.

Auctoris ætas.

29. Cum ergo in præfato loco ſervus Dei aliquo tempore manſiſſet, anxiari cœpit, quod ovium ſuarum caulas nequaquam in tuta manſione, ſed quaſi in mediis luporum faucibus, vidit conſtitutas. Idem etenim locus, licet ſui amœnitate ſpectantium oculis grate arrideret, licet ubertate fructuum labori cultoris reſpondeat, patet tamen undique acceſſibus viarum, circumfunditur frequentia ſæcularium hominum, artatur penuria multa-

Circa Ann. Ch. MXCIII. Julii XIV.

rum rerum monaſticæ quieti neceſſariarum. Quæ omnia vir altioris ingenii ſollicite perpendens plurimum obſiſtere ſpirituali profeſſioni, filios adoptionis, quos à carnalium hominum vita & moribus alienos voluit exſiſtere, etiam loco ab illorum viſu & auditu ſatagebat ſegregare. Cujus rei cura, diverſos anfractus eremi Briſacenſi pago adjacentis perluſtrans, invenit tandem locum ex antiquorum traditione, Cellâ nuncupatum, à ſæcularium turbine longe remotum, nemoroſa arborum denſitate conſertum, irriguum aquarum fluentis, florigeris amœnum pratis, & per omnia opportunum cautelæ vitæ monachilis. Hunc igitur omni deſiderio amplexatur, Burchardum [a] Baſilienſem antiſtitem, ad cujus jus ſpectabat, cum nobilibus viris convenit, & ſub multorum teſtimonio probabili recompenſatione facta, fratribus ſuis eorumque ſucceſſoribus perpetuo jure habitandum acquiſivit. Transferens igitur athleta Chriſti vineam de Ægypto, & velut alter Moyſes ducatum præbens Dei populo, introduxit eum in eamdem ſolitudinem, ut per duros & aſperos labores patienter exercitatus, intraret tandem terram lacte & melle manantem.

Monachos ad Cellam transfert.

30. Conſtructurus autem monaſterium cum Religioſis fratribus, prælato ſanctæ Crucis ſignaculo, locum futuræ fabricæ perluſtrat, ac precum vota ſuppliciter perſolvens, ipſum aqua ſanctificationis conſecrat. Ipſe quoque ad fundamentum ponendum primus ſarculo terram aperit; deinde exemplum magiſtri diſcipulorum devotio ſubſecutâ terram certatim egerit. Hæc idcirco commemoravimus, ut præſentes & ſubſequentes ſemper habeant in memoria, à quanta ſanctitate & religione præfati loci ſurrexerint primordia. Cum tandem ſub magna rerum penuria ejuſdem eccleſiæ ædificium eſſet conſummatum, in honore ſummorum Apoſtolorum Petri & Pauli conſtat eſſe dedicatum.

Primus hanc eremum incolit.

31. Hujus igitur ſanctiſſimi Patris ſtudio atque meritis poſt Deum præcipue eſt adſcribendum, quod primum in ea eremo militiæ cæleſtis Regis quoddam gymnaſium noſcitur eſſe conſtructum; vel quod inibi Deo ſerviens fidelium populus merito & numero eſt adauctus. Accenſa etenim hac ſplendidiſſima lucerna, & bonorum operum exercitiis ſuper candelabrum eminenter poſita; multi in tenebrarum caligine conſtituti gaudebant ſe illius claritate illuſtrari. Nonnulli etenim de magno & ſpatioſo hoc mari cupientes emergere, ejus ſanctitatis conſilium non dubitabant expetere. Sed vir beatus, licet ad fratrum ſuorum ſuſtentationem terrenarum rerum valde indigeret ſupplemento, nullum tamen ſibi attraxit ſermone compoſito. Nam magnis quoque viris divitiarum gloria fultis, gratia converſionis eum adeuntibus, propoſuit loci paupertatem, diſtrictionem Regulæ, propoſiti laborem; ſuadens ut alia expeterent monaſteria, ubi non conſtringerentur tam grandi rerum inopia. Qui Deum non ficte ſed veraciter quæſierunt, ſpondentes ſe dura quæque & aſpera propter ſpem vitæ æternæ patienter ſubituros, ſub tali magiſtro jugum Chriſti ſuſceperunt. Hi non ſolum rebus quas reliquerant loci indigentiam plurimum ſupplevere, verum etiam ſeipſos relinquentes, per religioſæ vitæ converſationem nominis ſui profeſſionem ornavere. Venerandi etenim Patris monitis inſtructi, moribus ædificati, meritis adjuti; de peccatoribus juſti, de carnalibus ſpirituales, de terrenis cæleſtes ſunt effecti.

Divitiarum contemtus.

Sanctimonialium monaſterium ædificat.

32. Cum itaque totius Religionis amator lucrandis animabus propenſius invigilaret, ſollicitus fuit, ut etiam muliebrem ſexum faucibus antiqui hoſtis ſubriperet. Unde in villa, quæ *Boleſvviler* dicitur, diſtans à monaſterio fere miliario uno, non ſolum eas collegit, quæ maritales delicias poſtponerent; verum etiam quæ virginali decore candentes, cæleſtis Regis ſponſæ vocarentur, & eſſent. Hæ ſub utraque conditione ſæculo renuntiantes,

[a] Is anno 11[illegible]. ſancto Hugoni monaſterium ſancti Albani in Baſileenſi ſuburbio conceſſit.

Digitized by Google

cum nitore caſtitatis, accenſiſque lampadibus in adventum Sponſi ſui ſeſe ſatagebant præparare, quatenus cum eo cæleſtis aulæ thalamum mererentur intrare. Ad quas, quia ſecundum narrationis ſeriem pervenimus, miraculum quoddam quod apud illas vir Dei, dum in eadem villa conſiſterent, perpetravit, ſilere non debemus. Quadam etenim vice ſpiritualis Pater eaſdem filias ſuas, quas Chriſto genuerat, more ſuo exhortationis gratia viſitabat: cui una ex ancillis Dei, Vinnecha * nomine, filiam ſuam virginem ſacram, quam ſecum de mundi naufragio ad monaſticæ quietis portum adduxerat, benedicendam offerebat. Nam invaſerat faciem illius cancer, morbus letalis; jamque miſerando modo nares corroſerat uſque ad confinium labii ſuperioris, ſuper cujus plagam cum ea vice, ſecundoque adveniens, medicinalem Omnipotentis miſericordiam ſuppliciter invocaſſet; ut in tertio adventu ſuo malum morbi latius creviſſe conſpexit, ſolita pietate commotus, erumpentibus lacrymis, puellæ inquit: Quid eſt, filia, quod antiqui hoſtis invidiam adeo tibi prævalere video, ut orationibus ſervorum Dei non valeas liberari de hujus paſſionis incommodo: nam in virtute Jeſu-Chriſti confidebam te jam incolumitati eſſe reſtitutam. Hæc dicens, locum vulneris ex omni parte ſanctis manibus ambiendo, appoſito ſimul orationis antidoto contrectat, ac ſic eam dimittens, in nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis imperat, ne amplius ex illa infirmitate ullam moleſtiam ſuſtineat. Quod viri Dei præceptum celer effectus ſubſequitur. Nam eadem hora puella cum naris purgatione vermem ad inſtar parviſſimæ teſtitudinis projecit, cunctiſque qui aderant gaudentibus, ſanata Dei magnalia ac beati viri merita non tacuit. Hoc geſtum ejuſdem venerabilis feminæ, matris videlicet ſanatæ virginis, aliorumque teſtimonio ad nos conſtat eſſe perlatum; quorum fides & devotio virtutis præbet incitamentum.

Circa Ann. Ch. MXCIII. Julii XIV.

Unam à cancro liberat.

* al. Wancha.

33. Operæ pretium eſſe exiſtimo, præconiis ſignorum illius paulliſper intermiſſis, laudabilem vitæ ejus converſationem texere, ut poſito fundamento, miraculorum ædificationem aptius poſtmodum videamur exigere. In primordio quidem converſionis ejus pauca de morum illius qualitate perſtrinximus; hic verò qualiter ſuſcepto hujus loci regimine vixerit, qualiter docuerit, ob multorum utilitatem pro noſtris viribus breviter evolvendum putamus. Nam in hujus noſtræ fragilis, jamque ad occaſum vergentis, ætatis tempore, deficiente jam ſancto, ut ita dicam, mirabilius eſt ſancte & innocenter vivere, quam exteriora miracula quæ cum electis & reprobis communia ſunt perpetrare. Erat igitur beatus iſte fide firmus, ſpe certus, gemina caritate refertus, mundus corde, pius voluntate, diſcretus in ſimplicitate. Erat etiam in conſilio circumſpectus, in ſermone diſertus, in omni actione ſua compoſitus; conſtans in adverſis, humilis in proſperis, nec nimis in ſeveritate rigidus, nec in hilaritate remiſſus: ſed honeſta gravitate temperatus, juſtitiam dilexit, iniquitatem odio habuit, ſuperníque Arbitri voluntatem in omnibus ſectari ſtuduit. Miſericordiæ pietatiſque viſceribus plenus, mira manſuetudine & invicta patientia præditus; egregiis quoque ſtudiis floruit, velut ſequentis ſeries narrationis declarabit. Nam circa ſalutem fratrum ſuæ providentiæ commiſſorum valde fuerat ſollicitus, omnimodis ad hoc invigilans, ut ſub ipſius magiſterio nullus vel religionis vel animarum utilitatis ſubreperet defectus. Unde ipſe primus ordinem regularis diſciplinæ in eodem cœnobio ſervandum ſtatuit, qui ipſo auctore ac doctore in augmentum Religionis excreſcens, hodie quoque, Dei gratia, meritiſque ipſius opitulantibus, ſalvus conſiſtit. Nam cum adhuc pauci numero eſſent fratres, qui ſub ipſius regimine Domino ſerviebant, tam exemplo ejus & admonitione, quam propria voluntate perfectioriſque vitæ deſiderio, traditiones Cluniacenſium Patrum, Ordiniſque diſtrictionem obſervare ſatagebant: in tali namque tantoque

Virtutes ipſius.

Digitized by Google

magiſtro ſeſe quaſi in lucidiſſimo ſpeculo conſiderantes, formamque cui imprimerentur ante oculos habentes, de virtute in virtutem ſtudebant proficere, ut tandem Deum deorum in Sion mererentur videre. Ipſe quoque, ſecundum Apoſtolicæ inſtitutionis regulam, prout cuique competebat, in omni patientia & doctrina arguebat & obſecrabat, non piger in ſollicitudine, ne remiſſio ullum in propoſiti fervore negligentiæ torporem poſſet generare.

Conſuetudines Cluniacenſes ſcribit.

34. Ipſe primum, petente VUILLELMO Hirſaugenſis cœnobii reverendiſſimo abbate, Alamanniæ monaſteriis conſuetudines Cluniacenſis eccleſiæ invexit. quas plerique monaſticæ Religionis amatores, tanto ſtudio tantaque veneratione obſervant & amplectuntur ac ſi opes regias ſe habere gratulentur. De quibus duos libellos luculento ſermone compoſuit, quorum conſcriptio tam per Alemanniæ, quam & aliarum regionum monaſteria longe lateque pervolavit. quos ſi forte leges, quaſdam divinæ ſervitutis aliorumque officiorum, necnon obedientiæ, humilitatis, fraternæque caritatis leges conſcriptas in eis reperire, ſtudium, ingenium quoque, ſapientiamque viri inibi manifeſte poteris cognoſcere. Erat enim homo iſte doctus paterfamilias in regno cælorum, proferens de theſauro ſuo nova & vetera, unde multos ad ſcientiam erudivit; ideoque ſicut ſtella in perpetuas æternitates fulgebit. Quoties ad circumpoſitorum Abbatum, ſive monachorum cœnobia viſitationis gratia veniebat, non ut hominem, ſed ut re vera magni conſilii Angelum, cunctorum devotio cum omni eum reverentia & alacritate ſuſcipiebat. Cujus dilectio illorum cordibus adeo inſedit, ut eum Ordinis ſui Patrem ac doctorem appellarent, hodieque nomen & ſanctitatis ejus merita in benedictione commemorent.

Ejus auſteritas.

35. Qua vero auſteritate athleta Chriſti corpus ſuum caſtigarit, ne cum aliis prædicans ipſe reprobus efficeretur, fragilitas noſtra vix referre valet. Primo anno quo divina diſpoſitione populum Dei regendum ſuſcepit, quadrageſimales ipſius anni dies in panis & potus, qui ex aquæ hordei ſive avenæ permixtione confectus, vulgo cerviſia dicitur, perparco ſumtu exegit; ſicque ſuam devotionem, familiæque Chriſti ſalutem, cui ſpeculator poſitus fuerat, ſummo rerum Speculatori commendavit. Alioque tempore, cum naturalis neceſſitas popoſciſſet, tam tenuiter ab eo cibus ſumebatur, ut potius cogi quam velle videretur. Plerumque ad principalem menſam ſedens, circumvallante ſe fratrum corona, prægustatis pauliſper eſcis, refrænans edendi appetitum, ſpiritualibus epulis animam ſuam delectabiliter paſcebat; pſalmis orationibuſque vacans, cælo totus intendebat. Nonnumquam etiam præ nimia laſſitudine ſomno ſupervenienté correptus, communi refectione completa, ab aliquo fratrum facto ſigno, ſurgere eſt admonitus. Quid dicam? Quod numquam lautiores epulas, niſi ſumma infirmitate cogente quæſivit. Quid? Quod nec ſaporem quidem, vel in ſimplici cibo attendit. Quod apponebatur ei, non in concupiſcentia, ſed ad neceſſitatem corporis ſimpliciter & cum gratiarum actione ſumebat; nec dulcia avidius, nec minus ſapida guſtans deſpectius.

Vigiliæ.

36. Vigiliæ ejus vigiliæ longæ & laborioſæ, & quæ pæne ipſam naturam debitis obſequiis viderentur defraudare. Nam cum feſſos artus repauſandi gratia lectulo collocaſſet, ubi parum ſomni prægustavit, excuſſis membris de ſomno, eccleſiam intravit, crebriſque ſuſpiriis pſallendo & orando ſeipſum holocauſtum medullatum Domino in ara cordis mactavit. Nonnumquam etiam in ſtratu ſuo jacens vel reſidens, animam ſuam in conſpectu Domini effudit, & ſecundum Pſalmographi ſententiam, laborans in gemitu ſuo, lavanſque per ſingulas noctes lectum ſuum, lacrymis ſuis ſtratum ſuum rigavit. Cumque vero ad magnam illam cæleſtis Agni menſam acceſſiſſet, ut ſacro-ſancta paſſionis ipſius myſteria celebraret,

Digitized by Google

mox totus lacrymarum undis fluebat, totus in Deum fontem vivum ſitiebat. Tantam ſiquidem compunctionis gratiam habebat, ut aliquoties cum nec vocem ederet, nec labia moveret, quaſi divino examini aſſiſtens copioſa fletuum effuſione totam faciem rigaret. Anima quippe ejus, omniaque ejus interiora nomen ſanctum Domini benedicebant. Quem cum quidam diſcipulorum ejus pane lacrymarum die ac nocte paſci perpenderet, admiratus ſuper jugi illius afflictione, cur ſe tam inconſolabili luctu attereret præſumſit inquirere. Cui ſervus Dei humiliter reſpondens: Primo, inquit, delictorum meorum maculas abluere cupio. Secundo exilii mei ærumnas & labores defleo. Tertio, nos qui monachi cenſemur, multos numero, paucos eſſe merito lacrymando perdoleo. O beatum virum! O beatas lacrymas! quas & rationabilis cauſa produxit, & humilitatis commendatio in audientiam ſuperni Arbitri admiſit. Vere, inquam, felicem, qui cum beatis in hoc ſæculo languentibus, divinæ conſolationis exſpectavit repromiſſionem.

37. Silentii quoque tam diligens cuſtos fuerat, ut à mane uſque ad ſignum primæ horæ precibus & contemplationi ſæpiſſime incumberet, & ſic demum oris clauſtra ad doctrinæ ædificationiſque verba reſeraret. Sed & omni tempore, aut utiliter tacere, aut fructuoſe loqui ſtudebat; ſicque cum Pſalmiſta orabat: *Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis.* Nam ut fratribus quoque ſuis certas ſilendi vel loquendi metas poneret, myſtico ſacroque jejunii tempore, tertiæ horæ laudem horologio conſtituit ſignificandam, ut determinatam taciturnitatis ſeu neceſſariæ locutionis regulam obſervantes, ſacris diebus debitam impenderent reverentiam. Jam vero, ut brevi locutionis cingulo ſpecialia ejus comprehendam ſtudia, orationi lectio, lectioni ſalutaris doctrinæ admonitio, admonitioni ſcribendi vel dictandi crebra ſucceſſit exercitatio. Si quid autem pro monaſterii vel fratrum utilitate tractandum erat, id cum moderata gravitate fiebat. Sæpius tamen altius ingemiſcebat ſeſe ex ſuſcepti officii cura temporalibus vitæ negotiis vel ad modicum implicari: cum Maria potius pedes Domini inceſſanter cupiens exoſculari, quam cum Martha exterioris miniſterii ſollicitudine occupari. Utriuſque tamen vitæ typum rebus expreſſit, quia ſpiritualem quietem dulciter amplectens, activæ etiam vitæ adminiſtrationem non deſeruit. Operibus enim miſericordiæ cum omni ſtudio & hilaritate inſiſtens, omnes ſupervenientes hoſpites, ut Chriſtum ſuſcipere, illiſque humanitatis officia ſumma cum devotione curabat impendere: quos non ſolum carnalibus beneficiis fovit, verum etiam dulciſſimo exhortationis ſermone, veluti ſaluberrimis quibuſdam ferculis, animas æque refecit. Illius quoque membris, qui propter nos egenus factus eſt cum dives eſſet, Chriſti videlicet pauperibus, hic pauper Chriſti maxima cura, ſanctaque intentione, ut revera ipſorum capiti ſervivit, quos etiam patronos ſuos, ſuoſque dominos appellavit. Hos ipſe jejunus pavit, horum in ſinum eleemoſynam abſcondit, his pedes lavit, capillis extersit, ſancto ore oſculari non deſpexit; quorum ut nuditatem contegeret, ſe plerumque non erubuit denudare, ne carnem proximi ſui videretur deſpicere. Aliquoties in itinere conſtitutus, ſi pauperem nudum obviam habuit, à via ſecretius divertens, lumbare indumentum quo inferiora corporis tegebantur latenter eductum, nudo tradidit induendum; reputans ſecum laneum veſtimentum, quo utebatur propter ſuam aſperitatem, pauperi minus eſſe acceptum.

Silentium.

Pſ. 140. 3.

38. Venit aliquando ad eum quædam paupercula veſte religionis induta, cupiens tam largitate ipſius perfrui, quam verbo conſolationis recreari. Hæc ut in pedibus ſancti hominis ſoccos piloſos contra algoris violentiam valde commodos conſpexit, dari ſibi eos ſupplici voce rogavit. Nec mora,

Caritas in pauperes.

Digitized by Google

Circa Ann. Ch. mxciii Julii xiv.

ſanctus Pater exutos ſoccos petenti libens tribuit, quia Chriſtum in paupere & attendit & honoravit. Parva quidem hæc & relatu indigna viderentur, ſi muneris quantitas, potius quam caritas & affectus dantis, à ſuperno cordis inſpectore penſaretur. Nec illud prætereundum eſt; quod fidelium oblationes ad aliorum neceſſitates ſæpius tranſmiſit ſublevandas, amplius in hoc diligens proximum quam ſeipſum, cujus indigentiæ magis quam ſuæ voluit eſſe conſultum: his bonorum operum exercitiis præcurrentibus, dilectus Deo & hominibus eſt effectus. Honorabant illum Principes, diligebant eum multi nobiles ac divites, & ut patrem colebant illum pauperes. Quanti prægravati mole peccatorum ejus prudentiæ quæſierunt conſilium, & ſanctæ interceſſionis auxilium. Quanti ſalutari illius compuncti exhortatione, correctioris vitæ inſtituta aſſumentes, de tenebris ad lucem, de vitiis ad virtutes tranſiere. Erat enim vir iſte omnibus conformis, omnibus affabilis, nullius perſonam deſpiciens; ſecundum Apoſtolum, omnibus omnia ſeipſum faciens. Hæc de imitabili illius converſatione ſuccincte tranſcurriſſe ſufficiat. Nunc ad deſcribenda miraculorum ejus inſignia ſermo recurrat.

39. In vico, qui *Amparingen* dicitur, plebeïus quidam carnium utens edulio, infixo gutturi ſuo oſſe prægrandi, intolerabili addictus eſt ſupplicio. Cumque dolor adeo vehemens eſſet, ut ſibi hujus vitæ ſpiraculum intercipi putaret; remedium quod medicinali arte conſequi non potuit, per beati Udalrici orationes ſibi à Domino conferri poſſe non dubitans, ejus conſilium ſimul & auxilium expetiit. Cui cum calamitatis ſuæ miſeriam lamentabiliter aperuiſſet, vir miſericordiæ afflictioni ejus ex intimis viſceribus compaſſus, dulcibus eum verbis conſolans, monet ut habeat patientiam, & flagellum corripientis Domini peccatis ſuis attribuat. Deinde locum doloris conſignat ſanctorum Reliquiis, potatque eum aqua ſanctificationis. Conſilium quoque dedit infirmo Romanæ urbis mœnia, ſummorum Apoſtolorum glorioſiſſimo triumpho inſignita, cum primum opportunitas accidiſſet, adire; ipſorumque patrocinia pro corporis & animæ incolumitate devote expetere. Cujus conſilio voluntarie acquieſcens, redit ad propria, injunctum ſibi negotium exſequi cupiens promta obedientia. Ea nocte cum ſeſe miſerabilis homo ſopori dediſſet, prorumpente ſanguine, ſæviſſimus ille gutturis aculeus quadam vi evellitur; quia dolor ibi locum diu habere non potuit, ſuper quem homo Dei ſanctorum pignora, adjuncto pariter ſuæ orationis medicamento, tetendit. Ereptus igitur de faucibus mortis, inopinata ſua ſanitate amicos & affines ſuos lætificat; remeanſque ad beatum Udalricum ſuæ ſalutis patronum, gratiarum actiones pro adepta ſoſpitate referre non ceſſat. Vir autem Domini, ob ſuæ humilitatis cuſtodiam non ſuis meritis, ſed ſanctorum Apoſtolorum poteſtati ſanitatem ipſius docens adſcribendam fore, ad quorum limina eum deſtinabat dirigere, monet illum ſollicite, ne injuncti itineris laborem negligat aſſumere.

Os ex hominis gutture pellit.

40. Beatus pater egreſſus eſt aliquando pro monaſterii utilitate, quodam fratre viro nobili, cui nomen erat Egeno *, qui ejus ductu mundum vicerat, quique hæc quæ ſubſcribenda ſunt retulit, ſecum pariter comitante. Erat tunc frigoris aſperitas nimia, ſolitoque gravius inhorruerat hyemalis inclementia. Sanctus autem Domini pſalmis & canticis ſpiritualibus, quoties erat in itinere, ſemper intendebat, nec umquam gravitatem ſilentii niſi magna urgente neceſſitate ſolvebat. Dum ergo pſalmis & orationi more ſuo vacaret, intuſque in amore Dei totus flagraret, frigore foris contra ſe invaleſcente, in corpore adeo obriguit, quod vix vel vocem edere, vel labia movere potuit. Quod videntes qui in comitatu ejus aderant, ilico mente conſternati, qui ne id fieret prævidere inertes fuerant & incauti, feſtinato curſu quamdam villam intrabant, ejuſque neceſſitati copioſum ignem

* al. cod. Egino.

nem præparabant. quos præeuntes, ſenior uno cliente ſecum comitante ſubſequitur, ac domum intrans, ab obſequentibus ſibi juxta foci incendia collocatur. Cumque tacitus ſedens pſalmos ſecum ruminaret, & ſeniles artus ad igneum calorem refoveret; flamma ſurſum evolans ligni faſciculos ſupra ignem ad ſiccandum poſitos raptim invaſit, altiuſque conſurgens tecti altitudinem apprehendit. Hinc familiæ clamor attollitur, à vicinis ad extinguendum ignem undique concurritur, domus ſubſtantia certatim ejicitur, jamque acrius ſæviente flamma, venerabilis pater domum exire rogatus, ne ab ignis violentia læderetur; immobilis perſtitit, expanſiſque ad cælum manibus, hujuſmodi precem ad Dominum fudit. Domine, inquit, Jeſu, Domine Jeſu adjuva nos. Quo dicto, ſignum ſanctæ crucis flammis oppoſuit, manus intra veſtem reduxit, ipſamque ſupra focum cui adſtabat expandit. Dum ergo orat, dum ſanctos Dei ſuppliciter invocat, non ſolum ignis quem veſte cooperuerat in carbones redigitur, verum etiam flamma totam domum jam devaſtans, ac ſi valida imbrium abundantia perfuſa ſubito extinguitur. Ipſe ab incendio nec corpore nec veſtimento læſus liberatur. Quis, Deus æterne, omnipotentatus tui magnalia dignis laudum præconiis valet extollere? Ecce iterum antiqua magnitudinis tuæ miracula non dedignaris renovare: ſicut quondam tres Hebræos juvenes, Chaldæis incendiis pro tui nominis confeſſione deputatos, illæſos eripuiſti; ita nunc famulum tuum, velut in æſtuanti fornace ſtantem, teque invocantem, in mediis flammis ita intactum conſervaſti, ut nec fimbria veſtimenti ejus ulli pateret læſioni. Sicut tunc medium fornacis quaſi roris flantem *, Angelo in eam deſcendente feciſti; ita nunc per merita fidelis tui, voracem flammam omne illud ædificium deſtruentem cæleſti virtute compreſſiſti. His ita geſtis, ſanctus Pater populares, qui ad extinguendum ignem convenerant, dulci ſanctaque prædicatione recreat, monens, ut omnem ſpem ſuam in ſummo rerum Ordinatore conſtituentes, ſic vivere ſtuderent, quatenus ab æternis gehennæ incendiis, Deo propitio, liberari valerent. Qui omnes læti & alacres, Deumque in mirabilibus quæ viderant glorificantes, ad propria ſunt reverſi.

Circa Ann. Ch. MXCIII. Julii XIV.

Incendium extinguit.

**ſ. ſpantem.*

41. Inter hæc tacendum non eſt, quantam Deus tentationem famulo ſuo, ipſiuſque diſcipulis immiſerit, & quam mira clementia eum cum ſuis de imminenti anguſtia liberaverit. Enimvero cum quidam in Briſgaugiæ finibus ſtuprum cum noverca ſua illicite commiſiſſet, & ſcelere diffammato, oculos civium ſuorum præ contumelia ferre non potuiſſet; adiit venerabilem Conſtantienſis eccleſiæ pontificem GEBEHALDUM [a], ab illo pro commiſſo crimine pœnitentiæ accepturus remedium. Qui miſit eum ad cognitam ſibi beati Patris ſanctitatem, petens ut in numero fratrum, qui vulgo Barbati dicuntur, ſuſciperetur: quatenus ſub ejus regimine per duros obedientiæ labores, delicti ſui veniam adipiſci mereretur. Suſcepta legatione Pontificis vir Dei, rem ad fratres detulit. Sed quia locus in proximo erat, ubi idem vir tam nefandam rem commiſerat, voluntati ejus minus annuendum putabant: verentes ne aut culpam ex loci propinquitate iteraret, aut opprobria hominum ſuſtinere non poſſet. Quapropter miſerabilis ille, incertus quo ſe vertere poſſet, invento tandem conſilio, ſuis ignorantibus, Hirſaugenſe cœnobium expetiit, ſæculo renuntiavit, correctioris vitæ diſciplinam aſſumſit. Hinc igitur callidus omnium bonorum adverſarius, materiam ſæviendi in Dei famulum ejuſque diſcipulos ſe inveniſſe gaviſus, qui proprios conatus in eoſdem diu fruſtra exercuerat, novos hoſtes in eorum perſecutionem excitabat. Ipſius etenim, ut putatur inſtinctu, miraque Dei permiſſione, hujuſcemodi fama totam ſubito pervolat regionem, cunctis

Patitur adverſa.

[a] Gebehardus hujus nominis tertius, ex monacho Hirſaugienſi factus eſt epiſcopus anno 1082. hancque ſedem ad annum uſque 1116. difficillimis temporibus tenuit.

Digitized by Google

Circa Ann. Ch. MXCIII. Julii xiv.

dicentibus, hominem illum ſuis oculis ſubtractum, ad illius loci monachos converſionis gratia perveniſſe, & arundine ori ejus impoſita, ſubterraneo ſpecu, quaſi pro pœnitentia obrutum fuiſſe, arundine vero caſu remota, inventum poſt triduum mortis ſubiſſe ſupplicia. Hinc furor totius populi contra eos accenditur, hinc ſervi Dei ſpectaculum & opprobrium cunctis habentur. Erat tunc tempus meſſis triticeæ, quando hæc infortunia viro Dei ſociiſque ipſius obviavere. Adduntur ſuſpicionibus ſuſpiciones, blaſphemiis blaſphemiæ, maledictiones maledictionibus. Nam ea tempeſtate ex occultis terræ finibus *, imbrifera nubes circa cœnobium aſſcendens, paullatimque ſeſe per totam regionem ſpargens, pluviarum inundationes comprovincialibus ingerebat; unde nec meti, nec fœnum colligi poterat. Cum vero filii tenebrarum filios lucis multo acrius maledictis & blaſphemiis inſectantes, aïebant: Ecce quanta mala, quantas calamitates à peſtiferis illis patimur. Ecce enim, ecce nubium denſitas & imbrium tempeſtas de exſecrabili illo conſurgit loco, ubi defuncti cadaveris obruta jacet corruptio. Iſtos non monachos, ſed ſimulatores homicidas & perverſores, cur ſinimus inter nos vivere, quorum nefas nec cæleſtis indignatio ſuſtinet inultum eſſe. Iſtos de noſtris finibus ſtudeamus expellere, ut nos cum noſtris ſalvi poſſimus conſiſtere. Inter hos turbines ſpiritualis Pater, ſuper quem præcipue totum pondus tribulationis incumbebat, oves ſuas, quas à luporum dentibus lacerari vidit, fortiſſima patientiæ arma aſſumere monebat, dicens: Omnes in Chriſto-Jeſu pie volentes vivere oportere perſecutionem ab iniquis ſuſtinere. Singulos quoque nunc publice, nunc privatim monebat obnixius inſiſtere orationi; quatenus per ſummi Patris conſolationem, ab imminentibus anxietatum fluctibus citius mererentur liberari. Hinc ergo preces multiplicant, pſalmos cum gemitu cordis decantant, pauperes reficiunt, Dominumque, quaſi in navi dormientem, ut imperet ventis, & tranquillitatem faciat excitare contendunt. Cum vero inter hæc nullatenus ſedari poſſet tumultuantis populi fremitus, nec ulli monachorum liber è cella concederetur egreſſus, beatus Pater legatum ſuum miſit ad Ducem Bertolfum, ſtatuens, ut ſi ipſius judicio placeret, monachum ſuum per exſtructi ignis rogum ad comprobandam ipſorum innocentiam tranſire juberet. Conſtituitur itaque dies, & examinis ſententia adhuc ſuſpenſa, ille, pro quo tota tempeſtatis procella fervebat, Dei nutu ex inſperato ſupervenit, & viva adventus ſui præſentia monachos de impoſiti criminis obprobrio exemit. Sic omnipotens Deus, qui eſt adjutor in opportunitatibus, in tribulatione, famulos ſuos quos utiliter ad tempus probavit, probatos miſericorditer liberavit, & apud omnes apud quos diffamati fuerant magnifice glorificavit.

*f. finibus.

Probatio per ignem.

42. Adhuc aliqua de miraculis beati viri paginis ſunt inſerenda, quæ ſanctitatis ejus præclara quædam ſunt indicia. Quodam tempore contigit beatum Udalricum ad villam, quæ *Vualtchiretha* * dicitur, devenire, uno monachorum ſecum pariter comitante. Ubi dum ob ſanctæ opinionis reverentiam, à quorumdam devotione in hoſpitium honorifice fuiſſet ſuſceptus, monachus ejus valida infirmitate ſubito eſt prægravatus. Mane itaque diſceſſurus, cum infirmus ejus comitatui nulla virtute poſſet adjungi, ſequeſtratus ab aliis, cum gemitu & lacrymis Dominum pro fratris incolumitate precabatur; ac venerandam virginem Margaretam, cujus in eadem villa memoria eſt, inter alias ſic affatur: Num, inquit, tibi placet Margareta, quod monachus meus, quem ad tuæ ditionis locum incolumem adduxi, tanta debeat infirmitate detineri. Redde eum, redde ſoſpitati, quem ſanum in tuo loco ſuſcepiſti. His dictis ad infirmum fratrem feſtinanter regreditur, ſcienſque omnia poſſibilia credenti: Surge, ait, in nomine Domini, ut quemadmodum ſimul huc venimus, ita pariter hinc diſcedamus. Nec mora,

* al. cod. *Svualdhiers.*

Infirmum ſanat.

ad vocem jubentis, monachus, ac ſi divinitus imperatus, nulla debilitatis veſtigia in ſe oſtendens, ſanus ſurrexit, iter ſenis comitatur, Deus in his glorificatur. CIRCA ANN. CH. MXCIII. JULII XIV.

43. Cum paſſim fama ſancti Patris percrebuiſſet, Baſilea * quoque civitas populoſa, à miraculorum ejus gloria nequaquam exſtitit aliena. quam vice quadam ingreſſus, à prædivite quodam, cui nomen erat Anno, devotiſſime eſt ſuſceptus. Cui poſtea quam idem paterfamilias hoſpitalitatis jura cum omni caritatis officio impenderat, filium ſuum egregiæ indolis flore adornatum, benedicendum ſanandumque illi offerebat. Qui cum jam id ætatis eſſet, ut naturali pedum officio, firmis greſſibus uti deberet, ſine inceſſu tamen remanſerat, omnemque ſpem ambulandi parentibus ſuis abſtulerat. Quod cum Pater ipſius ſervo Dei mæſto ſermone retuliſſet, nihil diffidens de meritorum ejus dignitate, dulce pignus gremio reverendi ſenis imponens, una cum matre infantis affatur eum ſupplici voce: Rogamus pietatem tuam, Pater venerande, quatenus pro hoc infante divinam miſericordiam digneris exorare, ut omnipotens Deus, qui nobis eum concedere dignatus eſt, ipſe ei naturale gradiendi munus largiendo, corda noſtra lætificet. Quorum precibus vir Dei commotus, ut erat miſericordiæ viſceribus plenus, ad infantem adhuc in gremio ſuo ſedentem mitiſſimos dirigens obtutus: Almæ, inquit, Mariæ virginis Filius clementer annuere dignetur, ut in tuo profectu parentum tuorum animus lætificetur. His dictis, parvulum in terram ſtatuit, ſtatimque ille longiuſcule deambulans, poſt paucos dies firmis veſtigiis innitendo, quo voluntas tulit incedens, nullius egebat adminiculo. Is nunc robuſtæ vir ætatis, perpetrati in ſe miraculi cauſa teſtiſque exſiſtit, in quo homine pulcra manus Omnipotentis pulcræ excellentiſque ſtaturæ plaſma confinxit.

* *Baſle.*

Infanti greſſum impetrat.

44. Hæc de beati viri vita, (ſive geſtis multis, quæ ſcribi poſſent, brevitatis ſtudio omiſſis) fidelium memoriæ tradidimus. Hinc qualiter ad æterni Regis palatium, velut miles emeritus immarceſcibilis gloriæ diademate coronandus, intraverit commemoremus. Cum ergo Dominus Electum ſuum, poſt decurſa hujus vitæ ſtadia, bravio æternæ beatitudinis remunerare decerneret, ad labores & tentationes ejus labores addidit & tentationes, ut & gloriam meritorum ejus copioſius augeret, patientiæque ejus exemplum poſteris proponeret. Nam ademit illi uſum alterius luminis, quo ſolo utebatur per ſpatium longi temporis. Ipſe vero viriliter agens, ac Dominum patienter ſuſtinens, cum Apoſtolo dicebat: *Spectaculum facti ſumus mundo, & Angelis, & hominibus.* Tunc ergo orationi, pſalmorumque decantationi, necnon auditioni ſacrarum lectionum, tanto ſtudioſius ac liberius adhærebat, quanto nullius alterius adminiſtrationis cura occupari poterat, talibus ſtudiis facile conſolans damna ablati luminis.

Cæcus. *I. Cor. 4. 9.*

45. Taceri hic non debet quam dilectionem, quamque compaſſionem beatus abbas Hugo beato diſcipulo exhibuerit, ubi illum tali flagello à Domino viſitatum cognovit. Quem enim ſibi eadem ſanctitatis conſcientia, eodem ſpiritus amore indiſſolubiliter conjunctum vidit, num illum non diligere, num illi non compati debuit? Proſequente etenim fratrum ſuorum pio voto, miſit venerabilem virum Cunonem ad eum revocandum: quatenus & miſericordiam & caritatem, quam apud eum ſancte vivendo promeruerat, illi impenderet, ſuamque eccleſiam tanti meriti viro, ac defuncti corporis pretio adornaret. Sed quia Dei noſtri clementia pie diſponens omnia, idem cœnobium tali patrocinio privare noluit, vir ſanctus locum quem regendum ſuſceperat, quem vivens diligebat, quem & miraculorum gloria poſt mortem illuſtraturus erat, deſerere humiliter recuſavit. Reverſo ad ſe nuntio, cum cognoviſſet venerabilis Abbas votum ſuum circa ſanctum virum impleri non poſſe, indulgens illi ſi quid in eum, ut

Cluniacum redire non vult.

Circa Ann. Ch. MXCIII. Julii xiv. eſt humana fragilitas, deliquiſſet, veniam coram præfato Cunone proſtratus humiliter accepit, pro ſe apud beatum Udalricum accipiendam, ſi vel ipſe eum quoquo modo offendiſſet. quod & ita factum eſt.

Incidit in morbum. 46. Beatus itaque Udalricus in loci regimine ſuccedi ſibi poſtulans, cum per bina annorum curricula & amplius, flagello cæcitatis probatus fuiſſet, tactus eſt infirmitate valida, qua & hujus vitæ concluſit extrema. Cui ad cantandas regulares horas vir vitæ venerabilis Vvido eſt deputatus, qui adhuc in carne degens ejuſdem Patris veſtigia ſanctis operibus ſequitur, utile vas in domo Domini poſitus, conſummatæque religionis monachus. Hunc aliquando vir Dei rogaverat, ut cum ad extrema veniens in agone laboraret, lectionem Apoſtolicam: *Sancti per fidem vicerunt regna*, in exceſſu ejus legi faceret. (Heb. 11. 33.) Laborante itaque in agone ſancto Patre, vir prudentiæ totiuſque religionis dote adornatus Eberhardus, qui tunc ſuper ejuſdem Congregationis cuſtodias ſollicite vigilabat, ad eum acceſſit, & an ſe cognoſceret, vel audiret interrogans, tale ab eo reſponſum accepit: Audior, audiris. Quæ verba Spiritus-ſancti inſtinctu prolata, & amborum ſanctitati teſtimonium reddentia, ſapientium virorum notavit intelligentia; dumque ſe pro carnis ſolutione, pro æternorum gaudiorum perceptione, ut ſemper optaverat, in proximo audiri à Domino lætabatur, & illius opera ſummo Judici accepta eſſe in ſpiritu contemplabatur. Præfatus ergo venerabilis monachus Vvido, ſancto Patri per tres dies in infirmitate poſito cuſtos aſſiſtens diligentiſſimus, quarto die poſt Primæ horæ celebrationem ad eum more ſuo intravit, illumque extremum ſpiritum trahentem reperit. Recitatur itaque ſuper eum præfata Apoſtoli lectio, inter cujus verba, ſanctus Dei, qui fide regnum mundi vicerat, qui dum vixit juſtitiam eſt operatus, fratribus cum lacrymis & oratione adſtantibus, cælo ſpiritum reddens, æternæ beatitudinis repromiſſionem eſt adeptus. Obit. Migravit autem venerabilis pater II. Idus Julii, plenus ſenectute, plenus ſanctitate, relinquens filiis ſuis dolorem de morte, exemplum de converſatione, ſpem de interventione.

47. Celebrantes itaque ejus exſequias, peractis his quæ rite pro defunctorum requie agi conſueverant, ſanctiſſimi corporis glebam in clauſtri ſæptis tumulavere, incongruum ducentes tanti patris membra inter aliorum fratrum cadavera collocare. Infra triceſimum vero obitus ſui diem domno Cunoni, cujus ante meminimus, probatæ converſationis monacho, vir Dei apparuit, ipſoque requirente an quietis gaudio frueretur, reſpondit: Summæ & inæſtimabilis vitæ gaudia optime poſſedi, donante Dei clementia. Quidquid vero de hac viſione judicetur, indutum illum à Chriſto æternæ claritatis ſtola tam præteritæ vitæ converſatio, quam miracula, quæ ad tumulum ejus creberrime fiunt, diffidere nequaquam patiuntur. Tuam ergo pietatem obnixe petimus, Pater beatiſſime, quatenus tuis ſuffragantibus meritis, poſt terras cælum, poſt exſilii noſtri labores & ærumnas, ſupernæ patriæ quietem mereamur poſſidere.

Ad aquam beati Udalrici benedicendam.

Pſalm. Deus miſereatur noſtri. *Pſalm.* Domine ne in furore tuo arguas me. 1.
℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.

Oremus.

Deus, cujus potentia beatus Udalricus confeſſor tuus aquam benedixit, infirma ægrotantis membra humiliter lavit, & incolumen abire permiſit; bene † dicere, mu † nire, & ſancti † ficare dignare hanc creaturam aquæ, ut omnes ex ea loti, vel humiliter ſumentes, expulſo omni morbo contagioſo, infuſoque tuæ benedictionis miniſterio, mereantur in corpore & anima plenam accipere ſanitatem. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, &c. Bene † dictio Dei Patris † & Filii † & Spiritus-ſancti † deſcendat ſuper hanc creaturam aquæ. Amen.

Digitized by Google

HIST. TRANSL. S. FLORENTINI
MARTYRIS IN MONASTERIUM LATINIACENSE.

Ex cod. mſ. cl. viri Andreæ Ducheſne.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *ARNULFUS monaſterii Latiniacenſis in agro Pariſienſi abbas, ſæculo* XI. *exeunte corpus ſancti* FLORENTINI *martyris, quod in veteri caſtro incultum jacebat, monaſterio ſuo acquiſivit. In Elogio ſancti Aureliani Lugdunenſis antiſtitis, parte ſecunda Sæculi* IV. *certis, uti nobis videtur, argumentis probatum eſt, ſanctum Florentinum ejuſque ſocios Pſeuduni in Æduorum finibus martyrio affectos fuiſſe. qui locus Gallice* Semont *vocatur, & recte quidem, Dunum enim apud Gallos veteres montem deſignabat. At Pſeuduno ignoto ipſi loco recentiores Sedunum *, urbem clariſſimam ſubſtituere; inde opinio invaluit ſanctos illos Martyres Seduni, quæ civitas eſt epiſcopalis in Valeſia, obiiſſe, atque ibi fuiſſe ſepultos.* * *Sion.*

2. *Major difficultas eſſe videtur ad conciliandam Hiſtoriam hujus Tranſlationis cum ea, quam in præfato Sæculo* IV. *retulimus ad annum* DCCCXCV. *in qua legimus corpora ſanctorum Florentini & Hilarii ex eodem loco Pſeuduno, à beato Aureliano tranſlata fuiſſe in monaſterium Athanacenſe * prope Lugdunum, præter aliquam ejus partem datam monachis Bonæ-vallis in agro Carnotenſi, cujus occaſione monaſterium Bonæ-vallis ſancti Florentini appellatum deinceps fuit. Certe non aliter hæc narrationum diverſitas conciliari poſſe videtur, quam ſi dicatur ex tribus ſanctis, qui Pſeuduni ſepulti fuerant, Florentino ſcilicet cum ejus ſociis Hilario & Aphrondiſio, duos à beato Aureliano in monaſterium Athanacenſe deportatos fuiſſe; tertii vero reliquias, quæ in loco ſepulturæ, præter caput, relicta fuerant, Latiniacenſibus fuiſſe conceſſas. Ceterum ſacrum hoc pignus, quod annorum fere quingentorum ſpatio in eccleſia Latiniacenſi religioſe aſſervatum fuerat, in favillas redegerunt ſæculo proxime elapſo Calviniani hæretici, qui Odonis Caſtellionei abbatis ſæcularis, & ſummi hæreticorum fautoris fulti auctoritate, omnes monaſterii facultates, & eccleſiæ ornamenta diripuere. Duas tamen Florentini feſtivitates celebrare pergunt noſtri ſodales Latiniacenſes monachi, unam ſcilicet die* XXVII. *Septembris, quæ Natalis eſſe putatur ſancti Martyris; alteram vero ſub ejus Exceptionis ſeu Tranſlationis nomine, die* VII. *Maii, qua creditur ejus ſacrum corpus in monaſterium adveniſſe.* * *Aiſnay.*

1. PATRIBUS antiquis fuit olim conſuetudo quædam valde venerabilis, & digna memoria, vitas ſcilicet & miracula in Chriſto pie viventium, & pœnas martyrum ſtilo tradere, & ſic per venturas ætates cognitioni ſibi ſuccedentium delegare. Quod utique provida ſollicitudine faciebant, videlicet ut fortes in fide armarentur, imbecilles vero ad quælibet adverſa toleranda animarentur. Fuit illis nihilominus æmulatio quædam laude digna, quia frequenter cum humili devotione viſitabant illas eccleſias, in quibus ſanctorum corpora tumulata quieſcebant, illas maxime quæ religioſo cœtu Deo inibi famulantium coruſcabant, earum vero miſerrimo caſui condolebant, quas inordinate converſantium infamia notabiles eſſe cognoverant, ac ſi eas barbarico impetu hoſtium cunei depopulaſſent, à quibus ſicut & ab eis quas bellicus furor ſeu ira ſupernæ indignationis exterminaverat, ſanctorum corpora, vel qualicumque ingenio poterant auferebant, & ad loca divinis laudibus celebratiora deferebant: ut & eis debitæ reverentiæ dignior famulatus redderetur, & famulantibus digna merces eorum meritis à Deo recompenſaretur.

2. Hac itaque æmulatione permotus quidam abbas Latiniacenſis, nomine ARNULFUS, ſancti THEOBALDI frater germanus, à Burgundia ad ſuam eccleſiam, ſcilicet Latiniacum, ſacrum ſancti FLORENTINI martyris tali ordine venerabile tranſtulit corpus. Quadam die cum eſſet cum quibuſdam religioſis monachis in eccleſia ſanctæ Columbæ juxta Senonen-

Digitized by Google

ANN. CH. MXCIV. MAII VII. ſium civitatem conſtructa, & de ſtatu & veneratione ſanctæ Eccleſiæ non ſine gaudio, & de abjectione illius non ſine triſtitia ſermocinaretur, ait inter alia quæ invicem conferebantur: Magna ineſt popularibus turbis levitas animorum, quia ſemper nova præponunt veteribus, & antiquorum Patrum veſtigia minime ſequentes, in ſuis gaudent adinventionibus, illorum ſanctorum eccleſias & ſepulturas adire contemnunt, quos religioſi patres noſtri omni devotione venerati ſunt, quorum perfectioni & juſtitiæ nulla umquam infidelium reſiſtere valuit perfidia; & novis nova ædificant, & magnis muneribus & terrarum reditibus exaltant, quorum perfectam juſtitiam aliquantulum nobis obſcurat ignorantia. Sunt plerique, qui temporalis lucri gratia, in quibuſdam locis miracula fieri mentiuntur, & illuc populorum turbæ confluunt de certitudine nihil explorantes, ſed alii aliorum clamori beſtialiter inhiantes. Quid acturum eſt hujuſmodi genus hominum, cum Antichriſtus venerit, ejuſque prodigia & inaudita ſigna viderit? Tot enim ſigna & prodigia facturus eſt ipſe & ſequaces ſui, ſicut Dominus in Evangelio dicit, quod inducantur in errorem, ſi fieri poteſt, etiam Electi; etſi tunc ita agitantur cedri libani ſpiritu diffidentiæ, quid arbuſta ſilvarum facient, humileſque myricæ? Qui nunc levi flatu volantis famæ commovetur, impulſu miraculorum, & ſignorum frequentia tunc penitus ſeducetur. Jam vero ad audita miracula & numquam viſa currunt, & quæ omni veneratione digna ſunt templa deſerentes, illuc munera & ſuas oblationes deferunt.

3. Cum hæc & cetera hujuſmodi loqueretur, ſubjunxit quidam monachus & ait: Vere ita eſt ut dicitis. Talis eſt enim conſuetudo beſtialium hominum, qui nullam ſequuntur rationem, qui æmulationem boni ſibi habere videntur, ſed non ſecundum ſcientiam: ſæpe recenſita fiunt illis in faſtidium, ſemper nova in deſiderium, ventura quæ promittuntur in incertum. Hinc eſt igitur quia antiqua antiquorum templa ab eis deſeruntur, & nova novorum devotione conſtruuntur. Scio enim eſſe in quodam caſtello Burgundiæ, nomine Bleſmodo, tria martyrum corpora adhuc in terræ pulvere jacentia, ab omni ſervitio fidelium prorſus aliena. Sunt autem in quadam eccleſia cujuſdam tyranni, nomine Haymonis, in quam ſæpe intromittit ille raptor pecudes & animalia, quæ ipſe prædatur; & de eccleſia ſtabulum, immo quod pejus eſt, ſpeluncam facit latronum: fitque ſæpe enimvero, quod illæ pecudes & animalia cubant ſuper ſancta corpora & volutantur, &, quod auditu horrendum eſt, ſtercorantur: quorum unus nomen habet FLORENTINUS, qui inter eos qui laverunt ſtolas ſuas in ſanguine Agni, vere eſt florentiſſimus. Hic enim inter cetera cruciamina, quæ in geſtis ipſius paſſionis referuntur, cum pro conſtantia confeſſionis Chriſti privaretur lingua carnis, fiſtula ſine plectro linguæ meruit eſſe Spiritus-ſancti. nam cum ei lingua inter guttur & mentum ab ipſius faucibus abſciſſa fuiſſet, apertius ſonuit per apertum vulnus vox divina, quam prius ſonuerit per os officio labiorum famulante lingua. Quod divina diſpoſitione factum eſſe credimus, ut cunctis fidelibus clareſceret eſſe verum, quod ait in evangelio ſuo Dominus: *Cum ſteteritis ante reges & præſides, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* (Matth 10. 19.) Ipſe itaque Spiritus-ſanctus aperte tunc monſtravit in illo pretioſo martyre lingua abſente, quia non ipſa prius loquebatur ſed ipſe. Alius ſanctorum martyrum merito vocatur HILARIUS, quia hilaris in confeſſione Domini hujus pœnæ meruit eſſe ſocius & miraculi. Alter vero APHRONDISIUS, qui tanta novitate miraculi compunctus in Dominum credidit, & credens, martyrium una cum illis ſuſcepit. Unde perpendi poteſt quam inanis & prorſus nulla eſt eorum fides & devotio, qui de tantorum virorum eccleſia faciunt pecuale ſtabulum, & de ſacrario ſterquilinium. Si quis igitur fidelium quolibet modo corpora eorum inde tolleret, & in locum digniorem & ad gentem Deo ſervientem transferret, quis ſanæ rationis injuſtum illud eſſe diceret? Ad hæc abbas Arnulfus, vir altioris ingenii & conſilii ſanioris, ita reſpondit: Sacrilegium numquam ſine rapina, rapina autem ſine ſacrilegio poteſt exerceri. Sacrilegium quatuor modis fieri perhibetur; rapina autem eſt quidquid injuſte adipiſcitur, vel concupiſcentia ſuperbæ elationis ambitur. Sacrilegium eſt cum ſacrum de ſacro aufertur, ſicut vi vel furto reliquiæ rapiuntur. Iterum ſacrilegium eſt cum de non ſacro ſacrum rapitur, ſicut reliquiæ de platea; & cum non ſacrum de ſacro, ſicut aurum de eccleſia. Iterum ſacrilegium eſt, cum quilibet Deo profeſſus totam ſollicitudinem rebus tranſitoriis impendit, & mandata quæ Dei ſunt adimplere contemnit. Hinc eſt quod Apoſtolus Judæis dixit: *Qui abominaris Idola, ſacrilegium facis.* (Rom. 2. 22.) Ergo timendum eſt capere aliquid vel furari aliquid de eccleſia: quia cum aliquid de ea rapitur, rapina quidem eſt; ſed ſi bona ſit intentione, egregia; cum furatur, furtum quidem eſt, ſed à pleriſque laudabile. Sed quia diſtrictus Judex punit in ſuo examine etiam verba otioſa, talia cunctis ad Deum credentibus ſunt cavenda. Unde ſi libet, & dignum eſſe ducitis, ſanctorum Martyrum honorem ſollicite perquirentes taliter pertractemus, ut nec adverſus hominem, nec erga Deum & ſanctos Martyres incurramus offenſam. Adeamus tyrannum illum per aliquos fideles viros nobis & ei cognitos, & inquiramus an nobiſcum quodlibet pactum ineat, ſicque

Digitized by Google

Martyrum corpora concedat; qui ſi ſuggeſtioni noſtræ adquieverit, venerandos Martyres digna cum reverentia ſuſcipiamus, utque decet, digno in loco reponamus. Et ſi ita nobis deſiderii noſtri facultatem præſtiterit Deus, nec ullius ſacrilegii macula, nec inhoneſtæ cupiditatis notabimur infamia. Sermo iſte placuit omnibus, & ſic debere fieri approbantes, de viro ſciſcitantur qui huic operi eſſet idoneus. Sed à conſilio & effectu boni deſiderii numquam longe eſt, cui Deus auxiliatur & præſto eſt.

Ann. Ch. MXCIV. Maii VII.

4. Aderat ibi quidam Pultarienſis [a] abbas, Guido nomine, vir honorabilis & egregiæ famæ. Hic pro quibuſdam eccleſiæ ſuæ negotiis ibi advenerat, & huic conſilio intererat, quem ſic alloquitur abbas Arnulfus dicens: Abba Guido, vir honeſtæ vitæ & ingenii magni, noſtri compar & Ordinis & officii, ſi hæc ita fieri poſſe intelligis, præbe conſilium, & dato conſilio præbe adjutorium. tu enim ei de quo loquimur bene notus es, & linea conſanguinitatis conjunctus, & noſti præ omnibus nobis, quid his quæ conferimus ſit utilius: tu noſti locum, noſti & hominem; & ideo ſupplicamus, ut hujus operis habeas ſollicitudinem. Perge igitur in nomine caritatis & obedientiæ ad hominem illum, & quære nobis ſaltem, ſi nequis amplius, beatum martyrem Florentinum. Ad hæc ille reſpondit: Verum eſt quia novi caſtellum, novi eccleſiam in qua jacent ſanctorum corpora, & ex parte novi militem & voluntatem ejus & opera. Caſtellum quippe in quadam montis præcelſi planitie conſtitutum eſt, & licet ſatis munitum ſit poſitione loci & natura, antiquo tamen muro & nullo impulſu hoſtili ruituro circumdatur, ab antiquis vero Seudunum * vocatum, à modernis ſiquidem Bleſmoth vocitatur. Eccleſia autem contra quaſlibet aëris injurias nullo eſt tegmine præmunita, pars tamen in qua eſt altare & in qua Martyres eſſe ſuſpicantur, utcumque eſt cooperta; miles ille terrenis ſemper inhiat, de cæleſtibus nihil cogitat, ſed in ſuis operibus ſemper demonſtrat, quia judicium futuri examinis non formidat; aliena namque ſemper rapit quæ poteſt, concupiſcit quæ non poteſt, & ſemper in egeſtate eſt. Tentetur itaque ſi libet, quo probaveris modo, fietque fortaſſis, ut noſtro adquieſcat voto: ſed mihi grave eſt & periculoſum in hoc vobis obedire, quia iram comprovincialium per hoc timeo incurrere. multum enim diligunt illum pretioſum Martyrem, quamvis non ut deceret venerentur, & quia eorum comprovincialis ſum, timeo ne mihi iraſcantur: tamen ſalubrius mihi eſſe intelligo amicitiam illorum offendere, quam vobis non obedire. Pergam itaque ea quæ injungitis incœpturus, confiſus de Dei adjutorio in veſtris ſupplicationibus: hujus incœpti nobis præbeat effectum, qui hujus deſiderii vobis aſpiravit affectum.

a Guido Pultarienſis abbas huic Tranſlationi favet.

** l. Pſeudunum.*

5. His dictis, & peractis negotiis pro quibus venerat, ad eccleſiam ſuam Pulteriacam rediit, & opportunitatem temporis conſiderans, prædictum militem expetivit. Quid multa? Poſt multas verborum circumlocutiones, tandem pacto ut oportuit firmato, abbas Guido quod voluit obtinuit, & diem & locum pactionis firmandæ, quo abbas Arnulfus intereſſe valeret conſtituit: ſed antequam conſtituti diei tempus adveniret, miles conſtituti termini vitæ ſuæ diem complevit extremum, & huic conventioni finem minime imponens, conventioni ipſe finivit. ſicque per triennium ſiluit illa res, ac ſi de ea nullus locutus fuiſſet, nulli patuit; ſed omnes latuit, exceptis illis à quibus inventa fuit. Sed eo diſponente in cujus voluntate cuncta ſunt poſita, cujus nutu reguntur univerſa, contigit poſt triennium, ut ſupradicti Abbates convenirent Senonis in jam dicta eccleſia ſanctæ Columbæ virginis, & de re eadem, quæ jam ſepulta eſſe videbatur, inter eos ſermo cœpit oriri. Abbas Arnulfus qui lapſum militis ignorabat, abbatem Guidonem cauſari cœpit de negligentia & inculpare de incuria: ſed Guido Abbas eventum rei, & miſeri caſus impedimentum ei per ordinem intimavit, & ſe diligenter tractaſſe commiſſa manifeſtavit; retulit ſe ad deſideratum finem jam diu pervenire potuiſſe, ſi contigiſſet illum uſque ad illud tempus vixiſſe: ſed ex quo ille obiit, quod factum fuerat ad nihilum rediit, qui filium illius vivere aſſeruit ſui honoris heredem, & in omni cupiditate per omnia conſimilem: cui ſi conſilium patris & voluntas detegeretur, citius à filio quam à patre perficeretur. Laudavit abbas Arnulfus, ut filio voluntas patris nota fieret, & preces multas congeminans, & ſacramento mutui amoris conteſtans, hortatur ut ad finem tenderet quam citius poſſet. Poſt hæc non multa mora fuit, quod Abbas Guido ad ſua rediit, filiumque defuncti adiit, & conventionem quam inter ſe & patrem ſuum & matrem adhuc viventem habuerant denudavit. Quid morer multis? Filius non ſanctior patre, ſed infirmior, tam libenter annuit, quod qualitate conventionis allectus, numquam ſe ad ejus rei effectum pervenire credidit. apud Trecas dies conſtituitur, in quo ipſi & abbas Arnulfus, & ſui convenirent, & de ipſa conventione ſtabile pactum utrimque datis obſidibus confirmarent. Tandem tempore tranſacto, dies advenit in quo, ut dictum eſt, Trecas convenerunt, & ibi inter ſe prælocutæ conventionis fecerunt firmita-

a Pultariæ vulgo *Potieres*, vetus eſt cœnobium Ordinis noſtri ſancto Petro ſacrum, in Lingonenſi diœceſi. Guidonis nomen apud Sancta-marthanos in Catalogo abbatum Pultarienſium, qui valde mutilus eſt, minime reperitur. ipſius nomen reponendum eſſe videtur inter Humbertum, ad quem Gregorius VII. ſcripſit, & Hilgaudum, qui anno 1104. adfuit Concilio Trecenſi.

Ann. Ch. MXCIV. Maii VII.

tem. Qua peracta, & prout eis viſum fuit firmiter diſpoſita, miles cum ſuis ad caſtellum ſuum remeavit, & Arnulfus abbas abbatem Vvidonem & monachum unum, nomine Radulfum, cum eo delegavit, qui una uſque ad Pulteriacum pervenerunt, & ibi Guido abbas & monachus milite diſcedente remanſerunt. Die vero conſtituta abbas & monachus & duo laïci cum eis ad locum, quem ſibi elegerant, non longe à caſtello perrexerunt, & ſicut in conventione poſitum fuerat, ſalvum conductum militis uſque ad ſolis occaſum ſuſtinuerunt. Adveſperaſcente autem die, & nocte jam per aërem ubique diffuſa, quidam villicus ad eos venit, cujus conductu caſtello vicinius acceſſerunt, & in quodam parvo tugurio ab omni humana habitatione deſtituto declinantes, equos ſuos & unum de ſociis reliquerunt, & ſic expediti per ardua cujuſdam excelſi montis non ambulantes, ſed reptantes aſcenderunt. Erat enim mons ille tam arduus & immeabilis, quia nulli pervius erat, niſi avibus & reptantibus beſtiis. cujus arduæ ſublimitatis faſtigium ſi videre potuiſſent, nullius umquam conductu aſſcendere præſumſiſſent. Tandem cum magna difficultate ad ſumma montis pervenientes, gratam planitiem invenerunt, in qua quieſcentes, paullulum laſſata membra & anhelantem ſpiritum recreaverunt, qui moras neceſſariæ quietis prævenientes ſurrexerunt, & uſque ad mœnia ipſius caſtelli perrexerunt. Tunc villicum illum ad Dominum ſuum miſerunt, mandantes ei ut ad ſe veniret, & hoc quod facturi erant numquam amplius prolongaret: qui mandavit illis, ut caſtellum ingrederentur ſine ulla cunctatione, ſed ipſi ingredi noluerunt, timentes de aliqua proditione. Iterum mandaverunt ut veniret, quia numquam caſtellum ingrederentur, niſi ipſe eis comes & dux ingreſſionis efficeretur. Tandem neceſſitate compulſus venit, & uſque in ipſam baſilicam ſanctorum Martyrum introduxit: quam introgreſſi nihil luminis in ea repererunt, unde hæſitantes quid agerent, de lumine conqueri cœperunt. Nullus eorum audebat domum alicujus aggredi, quia ipſam etiam, in qua erant, eccleſiam non niſi cum timore maximo præſumſerunt ingredi. Interea cum tetræ noctis caligine urgerentur, & de lumine diffiderent, advenit mater ipſius militis, candelam ferens in manibus claro accenſam lumine, ſanctis Martyribus luminis obſequium præbitura. Quam cum monachi viderunt, fidem femineam fragilem eſſe ſcientes magis timuerunt, & præ timore muliebris infidelitatis, advenientis luminis gaudium amiſerunt. nec ſine cauſa. Mulier enim illa ut intravit eccleſiam, & filium ſuum invenit, & quemdam ſuum ſatellitem, nomine Milonem, & monachos, ut conſcia hujuſce expilationis clamavit ad filium dicens: Quid agis miſerande fili? ubi eſt illa pulchra conventio, qua locus noſter deſoletur, evertatur patria, theſaurus incomparabilis abducatur. Non conſentio, non laudo, non approbo, non eſt bonum quod agis conſilium: quia & initi turpiter fœderis arguemur, & de ablatione ſancti Martyris maximum ſuper nos veniet improperium. Vix ſupplicante filio potuit illa procax & clamoſa mulier quieſcere, dicente illo ut omitteret ea, quæ nullum pondus viderentur habere. Tandem relicta, quam attulerat, candela diſceſſit, & filius ejus oſtia eccleſiæ diligenter obſeravit.

Locus ſepulcri invenitur.

6. Obſeratis igitur oſtiis ſupranominatum militem appellat, & ut ei ſepulturam Martyris indicet, debitæ ſibi fidei ſacramento conjurat. Nullus ſiquidem illius locum noverat, niſi ille ſolus, & nulli alii dicere poterat, niſi eidem ſoli, & ſic conjuratus. Monſtravit itaque ei locum, ſatis pro conditione loci honeſtum, ſed nimis difficilem ad hoc, quod quærebant inveſtigandum. Erat enim caput ſepulcri ſubtus altari reconditum, finis vero intra parietem maceriæ inſertus, pars ſcilicet ultima pedum. Et erat ab altari uſque ad parietem arcuato ſinu conſtructa magna lapidum cæmentata congeries, quæ laminam ſepulcri opprimebat, & ne ullo furtivæ calliditatis ingenio corpus Martyris inde transferretur, cuſtodiebat. Quod cum viderent monachi, ad hoc ſubmovendum viribus ſuis diffidentes, obſtupuerunt, & magnitudinis molem admirantes dixerunt: Non eſt noſtræ poſſibilitatis tam laborioſum opus ad finem poſſe perducere, ut ſaltem uſque ad auroram dimidium magnitudinis hujus poſſemus amovere; nox enim iſta parva eſt, & jam ex magna parte tranſiit, congeries iſta ponderoſa, & nos imbecilles & pauci: unde melius eſt omnino relinquere, quam incipere & non perficere. Quod ſi ita dimittimus, quid hic convenimus? Sed ſi incipimus & non perficimus, vitæ periculum incurrimus; & ſi non incipimus & perficimus, ab his qui miſerunt nos, inertes & contemtibiles judicabimur. Dum hæc ſermocinarentur & ſecum quærerent, Radulfus monachus cœpit curioſe inquirere huc illucque circumeundo, utrum poſſet aliqua ligna ad ſublevandum onus idonea invenire. Sed Dei voluntas ei concito affuit, qui quod quærebat ſubito invenit. Invenit ligna huic neceſſitati idonea, quæ ſupremo lapidi altaris tam ipſe quam ſui ſuppoſuerunt, & per ea ad terram labenti moderatione depoſuerunt; ſub cujus medio inventa eſt columna lapidea concava, habens in ſe plurima phylacteria auro & argento inſignita, plurimorum ſanctorum reliquias continentia, quam ſimiliter ad terram depoſuerunt, & ſub ea tecturam ſepulcri invenerunt. Erat autem tectura ipſa lapis continuus ſupradictæ congeriei lapidum ſuppoſitus. Mox Radulfus monachus ſecurim in manu accipiens, quam ſecum tulerat, congeriem ipſam

ſuffodere

Digitized by Google

ſuffodere cœpit, & quo aduſque ruinam cunctis videntibus minaretur, ſuffodit. Deinde cæmentum cum quo tectura ſepulcro juncta fuerat abraſit, & foramen quale potuit inter utrumque ſubcavavit. Tunc ſagaci induſtria lignum foramini ipſi inſeruit, quod terræ viriliter imprimens, lamina confracta, utrumque ab altero ſequeſtravit. ANN. CH. MXCIV. MAII VII.

7. Aperto itaque ſepulcro, aſſumta candela Radulfus monachus introſpexit, & cum ſe inclinaret, immaniſſimus eum pavor arripuit. Tunc ad abbatem Guidonem ſe convertens, quem digniorem ſe eſſe ſentiebat, ut ſe inclinaret in monumentum, & Martyrem ſanctum inde abſtraheret ammonuit. Sed abbas Guido nullo hortatu, nulla ſupplicatione id perſuaderi potuit. Hinc Radulfus tremens, anxius, & alta ab imo pectore trahens ſuſpiria, dixit, quia ante omnino recederet, quam ulterius ſe in monumentum inclinaret; & Abbas hæc eadem dixit, & ipſe etiam tremens à monumento longe receſſit. Cumque videret Radulfus, quia flecti non poterat, rurſus amplius ingemiſcens, ait ad eum: Quia igitur te erga me miſerabilem nulla movet pietas, ſaltem me patere tibi eſſe confeſſum, quem niſi divina & longanimis, quæ cunctos tolerat, Dei patientia præſtolatur, in proximo videbis morte miſerabili confectum. Ex quo etenim ſepulcrum aperui & introſpexi, tantus me pavor invaſit, quia mihi vix in pectore ſupremus ſpirat anhelitus: unde vehementer timeo, ne mihi iraſcatur divina diſtrictio, & merita tanti Martyris ſint impedimento. Audivi namque quia hoc ipſum quidam præſumſerunt, & beſtiales effecti ſenſum penitus amiſerunt. Quid plura? poſt humilem confeſſionem Radulfus iterum rediit ad ſepulcrum, & flexis in terram genibus, & toto proſtrato corpore intus ſe inclinavit, & curioſo intuitu oculorum omnia ſepta ſepulcri inveſtigavit. Qui cum ſe erigeret, dixit Abbati Vvidoni quia nihil in eo viderat, niſi quoddam pallium involutum, & hoc in ipſo capite ſepulcri. Cui abbas dixit: Pallium modo integrum tibi eſſe videtur, ſed ex quo illud attigeris, in plura ſemicinctia dividetur: unde diligenter ea quæ in eo ſunt tracta, & ſi pitatium, id eſt brevem, inveneris, illum mihi nemine vidente donabis. Tunc Radulfus iterum atque iterum ſe inclinans, minutatim pallium cum oſſibus Martyris abſtraxit, & Abbati tradidit, qui ea in quodam mantili quod præparaverat ſuſcepit, & in prima ſuſceptione brevem invenit; quem ſtatim nullo vidente rapuit, & in ſuo ſinu occultavit. Sepulcrum aperitur.

8. Tandem vacuato ſepulcro ab oſſibus Martyris, Radulfus ſe erexit, & in pedes ſtetit. Milites autem qui aderant, ut viderunt oſſa ſancti Martyris obſtupuerunt; & de conventione quam cum monachis fecerant, pœnitentes graviter indoluerunt. Lacrymantes igitur, & capillos trahentes, & profunda ab intimo corde ſuſpiria erumpentes, dixerunt monachis, quia nullo modo umquam paterentur, quod ſanctus Martyr, & totius patriæ defenſor alias transferretur. Quibus monachi reſpondentes dixerunt, quia non erat iſtud catholicum quod dicebant, & ſecundum conventionis promiſſa fidem ſuam violare volebant. Illi è contra objicientes dixerunt: Date nobis quod promiſiſtis, & accipite quod quæſiſtis: ſciebant quia monachi non attulerant ſecum quod promiſſum erat, quia in conventione poſitum non fuerat, & ideo dicebant: Date nobis quod promiſiſtis, & accipite quod quæſiſtis. Quibus Guido abbas reſpondit: Nos promiſſa veraciter complebimus, quia obſides quos elegiſtis vobis dedimus, ſed utrum vos compleveritis promiſſa unde ſcimus? Quid enim? ſi hæc oſſa quæ cernimus non ejus ſunt martyris quem quærimus? Eſſe poteſt ſint ut alterius, hocque modo fruſtrandi venimus. Ad hæc milites obſtupeſcentes, ſubmiſſis in terram vultibus paullulum conticuerunt, quia quid ad hæc reſponderent non habuerunt; quos cum hæſitantes Abbas videret, ſubjunxit dicens: Secedite in partem aliquam, & conſilium accipite, & quid nobis facturi eſtis renunciate. Seceſſerunt illi, ſeceſſerunt & monachi. Tunc Guido abbas oſtendit Radulfo brevem, quem in ſinu ſuo occultaverat, cujus inſcriptio hæc erat: HIC REQUIESCIT FLORENTINUS MARTYR EXIMIUS, QUI PASSUS EST QUINTO CALENDAS OCTOBRIS. Erat autem ſcriptum in papavere. Poſt hæc milites à conſilio redierunt, & invicem convenientes conſilium ſuum denudaverunt. Dixit itaque Milo, qui prior natu erat, & locum ſepulturæ Martyris oſtenderat: De brevi quem quæritis neſcio, ſed ſupra quælibet oſſa ſanctorum jurare paratus ſum, quia hæc oſſa quæ cernimus, veraciter & abſque ulla ambiguitate oſſa ſancti martyris Florentini ſunt: vos autem hæc oſſa nullo alio pacto hinc transferetis, niſi ſuper pacto quod vobiſcum firmavimus, ſecuros nos reddideritis. Dixerunt itaque monachi eos promiſſis nullo modo fruſtrandos, ſed quod deceret procul dubio recepturos. Suſcepit itaque Radulfus in tunica palliata oſſa ſancti Martyris: ſed ſolum caput [a] deerat, quod in ſepulcro minime invenit. Cumque monachi diſcedere vellent, milites illos detinuerunt, quoad uſque altare fuit redintegratum, quod erat deſtructum. Reparato itaque altari, conductu militum diſceſſerunt monachi: ſed Radulfus monachus, qui reliquias deferebat, niſi manu tentus exire non potuit, ſic obtuſa erat in eo acies oculorum, quia numquam de eccleſia Militibus reſiſtentibus.

[a] Caput ſancti Florentini in parœciali eccleſia vici *Blemur*, prope quem SS. Martyres necati ſunt, hactenus aſſervari dicitur, quod Latiniacenſibus favet, qui ſancti Florentini corpus abſque capite invenerunt.

Ann. Ch. MXCIV. Maii VII.

exiret, niſi manu tractus fuiſſet. Tandem tranſito caſtello, divina miſeratione eſt redditum ei lumen oculorum; & feſtinantes, ad equos ſuos quos in parvo tugurio reliquerant pervenerunt. Quibus aſſcenſis, concito gradu uſque ad Pulteriacum venerunt, & adhuc dormientibus loci illius monachis, nimio labore vexati paullulum & ipſi quieverunt.

9. Erat autem in illa Congregatione Prior quidam, nomine Burcardus, vir ſcilicet ætate provectus & vita religioſus, cui per viſionem revelatum, abbatem Vvidonem adveniſſe, & ſanctum martyrem Florentinum adduxiſſe: qui expergefactus quibuſdam fratribus iſta narravit, & etiam uſque ad ipſum Abbatem & Radulfum monachum religio ipſa cucurrit. Erat ſimiliter in illa eccleſia famulus quidam, vocatus Valdericus, abbati Vvidoni multum fidelis & domeſticus, qui ad abbatem Vvidonem accurrit, & familiariter & vultu hilari dixit: Multa de vobis relatione digna hac in nocte videre viſus ſum, quæ utinam vera fuiſſent. Vidi per nocturnum ſoporem de caſtello Bleſmoth cum corpore ſancti Florentini vos ad iſtum locum advenire, & nos omnes qui hîc commanemus, cum ingenti lætitia & magna proceſſione obviam vobis procedere; eratque inter nos magnum gaudium, quia magnum receperamus patronum. Cum hæc & multa alia Abbas audiret, magis timuit, & ne ſecretum ſuum in cunctis palam veniret, ſeceſſit à loco illo quantocius potuit. Igitur aſſcenſis equis Trecas * pervenerunt, & ibi paullulum ſibi indulgentes, ut cibum ſumerent, in quodam hoſpitio diverterunt. Poſuit autem Radulfus monachus involutum Martyris corpus ſuper arcam unam, & ipſe una cum ceteris cibum accipiens, contigit ut illuc adveniret anus quædam, domina ſcilicet domus, & convivantes adſpiciens ſuper ſanctum Martyrem cubitos ſuos poſuit: ſed ſubito divina indignatione perterrita, quaſi extra ſe poſita, vehementer intremuit. Senſit enim quaſi ardorem vaporantis incendii, quod eam funditus concremari debuiſſet, niſi tam ſubito velut mente mutata procul aufugiſſet. Quæ concito Radulfo monacho à prandio ſurgenti occurrit, dicens: Domine mi, dic mihi pro pietate divina, quid eſt hoc quod involutum eſt in iſta tunica? ego enim temeraria & imprudens cubitum ſuper eam poſui, & ita intra memetipſam concremor ſicut cremium in frixorio. Monachus autem nihil inde ei dicere voluit, ſed equum velociter aſſcendens, iter quod cœperat arripuit. Adveſperaſcente itaque die apud caſtellum, quod Pontum nominatur, pervenerunt, & manſionem ibi fecerunt; in craſtinum ſummo diluculo cœptum iter reincipiunt, & ad quemdam vicum Latiniacenſis cœnobii, nomine Chiſſiacum *, pervenerunt; ubi condignas ſancto Martyri excubias tribus continuis diebus celebraverunt, & Epiſcopo Meldenſi & Clericis Pariſienſibus, & univerſo per circuitum populo, ut ſancto Martyri occurrerent mandaverunt. qui certatim properantes, & apud Latiniacum confluentes, in multis millibus convenerunt, & cum ingenti gaudio & clamore divinæ laudis, necnon & lacrymis ex ingenti lætitia profuſis, obviam glorioſo Martyri concurrerunt: quem cum triumpho nobili ad eccleſiam beati Petri Apoſtolorum principis fundatam adduxerunt, & ſuper altare Dominicum locaverunt, ubi ejus ſæpiſſime reſplendent merita, dum advenientes ægri recuperata ſanitate ſentiunt ipſius beneficia, ad laudem & honorem conſolatoris ſui, qui eum docuit illata ſibi ſuperare tormenta, qui vivit & gloriatur Deus omnipotens per infinita ſæculorum ſæcula. Amen. Acta ſunt hæc anno ab Incarnatione Domini milleſimo nonageſimo-quarto, regnante Philippo Rege, anno imperii ſui triceſimo-tertio, præſidente quoque in urbe Pariſiorum Gaufrido [a] Epiſcopo, Arnulfo Abbate regente eccleſiam Latiniacenſis cœnobii, anno ſiquidem introitus ejus vigeſimo-octavo.

* Troyes.

* Cheſſi.

a Hunc annum ſupremum fuiſſe Gaufrido colligitur ex charta Guillelmi ejus ſucceſſoris, relata apud Sammarthanos, data anno 1097. tertio epiſcopatus ſui anno. Unde emendandus eſt Albericus, qui in Chronico Guillelmi electionem ad annum 1092. refert.

CIRCA ANN. CH. MXCIV. APR. VIII.

VITA S. GALTERII CONFESSORIS
PRIMI ABBATIS SANCTI MARTINI
PROPE PONTISARAM IN GALLIA.

Auctore monacho anonymo, ejuſdem ſancti diſcipulo.

Ex variis codd. mſſ. cum Aprili Bollandiano collatis.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *BEATI* GALTERII *nomen varie in variis codicibus ſcriptum reperitur, alii quippe eum* Galterium *ſeu* Walterium, *alii* Galterum, *prioris vitæ auctor conſtanter* Gauterium, *appellant. Duplicem ejus vitam nobis exhibet Godefridus Henſchenius die octava Aprilis Bollandiani; prioris auctorem fuiſſe beato Galterio æqualem, immo & ejus diſcipulum, ex ipſa vita patet. Idem ipſe ſcripſit miracula, quæ poſt beati viri obitum patrata fuerunt, quorum pleriſque præſentem ſe fuiſſe teſtatur: utriuſque autem libri eumdem eſſe auctorem diſerte exprimitur num. ultimo Vitæ, & in Prologo libri miraculorum; quamvis infitiari non poſſimus aliquot miracula prioribus poſtmodum adjuncta fuiſſe, ut ex ultimo patet, quod ceteris finito libro aſſutum fuiſſe nemo diffiteri poteſt, ubi num. 26. Theobaldus Galterii ſucceſſor beatæ memoriæ vir appellatur. Quiſnam vero fuerit poſterioris & brevioris vitæ auctor, divinare non licuit. Eam certe, ut in officio divino legeretur, ex priori vita, nonnullis aliunde adjectis, excerptam & concinnatam fuiſſe veriſimile eſt. quod factum fuiſſe cenſemus, cum primum beatus Galterius inter cælites fuit adſcriptus: unde non ſolum in monaſterio Pontiſarenſi, ſed etiam in Bertolcurtenſi, quod pariter beato Galterio ſuam originem debet, in matutinorum officio ex veteri conſuetudine legi ſolet. Iſtius excerpta proferre ſatis erit.* Vitæ ſcriptor.

2. *Situm eſt monaſterium, cui beatus Galterius primus abbas præfectus eſt, ad confluentes Bionæ fluvioli in Iſaram, prope urbem Pontiſaram * Veliocaſſini * Francici caput, in diœceſis Rotomagenſis finibus. Illud ſancto Germano Pariſiorum antiſtiti conſecratum primo fuerat: ſed cum paullo poſt eccleſia in honorem ſancti Martini beato Galterio tradita fuiſſet, tranſlato illuc monaſterio, aliquamdiu quidem ſancti Germani titulum retinuit, ſed ei poſtmodum adjunctum eſt beati Martini nomen, quod tandem uſu prævalente, ſolum retentum eſt: quamvis utriuſque ſancti feſtum æquali ſollemnitate celebrent monachi Benedictini, qui ibi ſub noſtra ſancti Mauri congregatione perſeverant. Porro hoc monaſterium ſuam originem debet urbis Pontiſarenſis proceribus, qui collatis eleemoſynis ipſum conſtruxere, ut teſtatur Philippus primus Francorum rex, in charta pro eodem monaſterio data, anno* MLXIX. Elucidare autem volentes eccleſiam ſancti Germani per deprecationem procerum caſtri Pontiſaræ, VVARNERII ſcilicet & AMAURICI, ceterorumque illuſtrium virorum, quorum beneficiis & eleemoſynis in tantum ſurrexerat, ut parietibus circumdaretur, & a paucis monachis Deo ſervientibus inhabitaretur. Quorum ſupplicationibus humillime condeſcendens, pro anima patris mei, parentumque meorum memoria, eccleſiæ ſupradictæ libertatem hanc tribui, ut quidquid ſemel dono vel emtione receperit, abſque inquietudine poſſideat. Et ut hoc firmum permaneat, ſigilli mei impreſſione ſignavi, meiſque fidelibus infra ſcriptis ad corroborandum attribui.

* Pontoyſe. * Le Vexin. Monaſterii Pontiſar. initia.

3. *Hic erat monaſterii Pontiſarenſis ſtatus, cum ad ejus regimen Galterius aſſumtus eſt anno circiter* MLXX. *haud multo poſt non facultatibus ſolum, ſed & monachorum numero ita crevit, ut exinde coloniæ in cellas, ſeu ut vocant, prioratus deductæ ſint. certe ex charta Eblonis de Roceiaco diſcimus monachos olim exſtitiſſe apud Moriſſortum * in diœceſi Meldenſi, ubi hodieque prioratus monaſterii Pontiſarenſis viſitur. Eblo nempe dat* de nemore ſuo monachis habitantibus apud Moriſſortum, quantum ad conſtitutionem eccleſiæ ſuæ & officinarum ſuarum neceſſarium eſſet. *Celebrior eſt parthenon Bertolcurtii, ſeu potius Bertoldi-curtis, qui à beato Galterio conditus eſt, ut in ejus altera vita dicitur. Hodieque ſubſiſtit ſub ſtrictiori regulæ Benedictinæ diſciplina, Abbatis-villa Picardiæ urbe tribus circiter leucis diſſitus, cujus abbatiſſarum* Incrementa. * Maurriſac.

Circa Ann. Ch. mxciv. Apr. viii.

catalogum habet P. Ignatius Joſeph de Jeſu-Maria Carmelita excalceatus, in Hiſtoria Abbatiſvillæ cap. 66.

4. Si characteres chronologici, qui in utraque beati Galterii Vita aſſignantur, ſibi ipſi contrarii non eſſent, nullus eſſet circa diem & annum, quibus exceſſit è vita ambigendi locus. At cum nullo pacto inter ſe conciliari poſſint, rem faciunt obſcuriorem, prabentque anſam ſuſpicandi eos à recentiori quopiam additos, aut ſaltem depravatos fuiſſe. Unum tamen ex utriuſque Vita conſenſu certum videtur, hunc ſcilicet beatum virum die Paraſceves obiiſſe; hinc cum ejus feſtivitas in Necrologio Pontiſarenſi, veteribuſque breviariis die viii. *Aprilis conſignetur, nonnulli inferunt ejus mortem ad annum* mxcix. *aut certe* mcx. *quibus Paraſceve in diem* viii. *Aprilis incidit, revocari debere. Hanc poſtremam ſententiam ſecuti ſunt Sammarthani in Gallia Chriſtiana, eiſque favet Indictio tertia, quam auctor Vitæ aſſignat; at refragatur quod idem auctor ait, Galterum ad Urbani II. & Philippi regis tempora pertigiſſe. Anno quippe* mcx. *jam ab annis undecim Urbanus, & à biennio Philippus exceſſerant è vita. quare alii malunt ejus obitum anno* mxcix. *conſignare, quod huic anno, excepta Indictione, cetera temporum nota congruant. Porro occaſione unius codicis quem vidimus, in quo Galterius die* vii. *Aprilis obiiſſe dicitur, alii fortaſſe haud temere ejus mortem ad annum* mxciv. *revocari poſſe cenſerent, quo Paſcha die* ix. *Aprilis celebratum fuit. Nec multum refragantur alii codices, non enim mirum eſt Galterum, qui nocte media inter feriam ſextam & ſequentem obiit, à nonnullis dici feria ſexta, ab aliis feria ſequenti è vita exceſſiſſe, cum utrumque verum ſit. Quæ vero eorum ſententia ſit aliis præferenda, videant alii; nos vero poſtremam hic ſequimur, quod à vita textu paullo minus quam alia recedere videatur.*

Corporis elevatio. *5. Crebreſcentibus ad beati Galterii tumulum miraculis, de ſollemni ejus corporis elevatione, qui tunc erat vulgatus canonizandi ritus, actum eſt. Hæc anno* mliii. *ſub Guillelmo monaſterii Pontiſarenſis tunc abbate, ab Hugone Rothomagenſi archiepiſcopo, aſſiſtentibus ſibi duobus epiſcopis peracta eſt, cum conſenſu Remenſis archiepiſcopi, aliorumque multorum abſentium epiſcoporum. Ejus rei litteras authenticas ex ejuſdem monaſterii tabulario eruimus, quas proferre juvat.*

Anno 1153. Inſtrumentum ea de re. Anno incarnati Verbi milleſimo centeſimo quinquageſimo-tertio, v. Nonas Maïas, Eugenio univerſali Papa Romano, Francorum Rege Ludovico, Pontiſaram veni ego Hugo Rotomagenſis dictus Archiepiſcopus. convenerunt pariter Theobaldus Pariſiacenſis & Theobaldus Silvanectenſis venerandi Pontifices, præſidente monaſterio ſancti Martini abbate Guillelmo, aſſiſtentibuſque multis religioſis & authenticis perſonis, Clero & populo multipliciter aggregato; miſſa ſuper hoc legatione & aſſenſu magnifici Remorum Archiepiſcopi Samsonis, & aliquorum Galliæ Pontificum. Tunc apertum eſt monumentum abbatis Vualterii præfati monaſterii Pontiſarenſis ſancti Martini, invitantibus, immo cogentibus miraculis, non vanitate ſed veritate coruſcantibus in præſentiarum, & multis retro actis temporibus. Quia vero ſancta & celebris ac perneceſſaria ſanctorum Patrum devotio pœnitentium miſereri maxime conſuevit, pro ineffabili gratia Redemtoris noſtri, qui peccata dimittit, & pro manifeſtatione fideliſſimi ſervi ſui Vualterii, cujus reliquias præſens eccleſia reverenter aſpexit, & miraculorum ejus gloria lætificari meruit; Chriſti fidelibus ipſius patris Vualterii beneficia implorantibus, pœnitentialis oneris indulgentiam ſtatuimus tribuendam. De pœnitentiis ergo criminalium quæ ſeptennio concluduntur, pie confitentibus & vere pœnitentibus annus integer, & reliquorum annorum pars tertia relaxatur. His vero qui annorum quatuordecim pœnitentiam ſuſceperunt, duo anni integri, & reſidui temporis pars tertia condonatur. Viginti autem annorum tres annos remittimus, & reſidui temporis partem tertiam indulgemus. De pœnitentiis vero quadraginta annorum & amplius, totam medietatem remittimus, & reliquorum annorum partem tertiam condonamus. De parvulis vero qui baptizati, vel ſine baptiſmo, infra ſeptem annos mortui ſunt per negligentiam parentum, pœnitentiam parentibus ipſorum remittimus, excepta ſexta feria in hebdomada, in qua etiam ſi ad eccleſiam pœnitens acceſſerit, qualem caritatem ei preſbyter ſuus dederit, talem habeat. Si vero infirmus fuerit, aut mulier prægnans vel debilis, quæ jejunare non poſſit, dicat ſepties Pater noſter, & faciat bonum quod potuerit. Partem vero tertiam, de pœnitentiis minorum peccatorum remittimus. Sed & oblita peccata omnino condonantur. Hæc autem præſcripta indulgentia à die craſtina Inventionis ſanctæ Crucis in annum integrum, & ſingulis hujus præſentis anni diebus cunctis ad memoriam Sancti venientibus, ſub gratiæ divinæ confidentia, à nobis conceſſa eſt. Aſtipulatione autem reverendorum patrum Epiſcoporum & ceterorum, qui beati Vualterii præſenti tranſlationi adſtiterunt, ſtatuimus, ut præfata Sancti feſtiva memoria ſequenti die proxima Inventionis ſanctæ Crucis annuatim celebretur. Ita etiam & miſericordi ipſorum Patrum conſideratione decrevimus, ut quia abundante iniquitate, his noviſſimis temporibus, pauci dignos pœnitentiæ fructus faciunt, uberioris indulgentiæ gratia peccantibus ſubveniatur. Quapropter omnibus illis, qui ipſa die Inventionis ſanctæ Crucis, qua die beatum

Indulgentiæ conceſſæ.

corpus levatum eſt, & die craſtina, in qua recolitur annua celebritas Sancti, ad ipſum Sanctum gratia remiſſionis advenerint, ipſo quocumque advenient anno, de qualibet provincia vel epiſcopatu, Sancti clementiam adierint, ſupra ſcriptam indulgentiam plenarie concedimus. Ad hoc me quidem indignum & peccatis gravibus, & culpis veteribus onuſtum vere confiteor, unde multa & magna miſericordia Dei totus indigeo. Suffragantibus itaque meritis & precibus pii patris Vualterii abbatis, Domini noſtri gratiam, & Matris miſericordiæ clementiam, & omnium Sanctorum miſerationem aſſiduam ſuppliciter exoro, & Eccleſiæ catholicæ communioni tranſitum meum finemque commendo. *Circa Ann. Ch. MXCIV. Apr. VIII.*

6. Harum litterarum exemplar, quod ſimul cum beati Galterii corpore in ſcrinio depoſitum fuerat, integrum repertum eſt anno MDCLVIII. *cum ſacræ ejuſdem Sancti reliquiæ in novam thecam, agente Galterio Monte-acutio ejus monaſterii commendatario abbate, tranſlatæ ſunt. Sed jam antea à Guillelmo de* Flavacour *archiepiſcopo Rothomagenſi viſæ & confirmatæ fuerant, ut ex ſequenti charta patet.* Confirmatio.

GUILLELMUS Dei gratia Rothomagenſis archiepiſcopus, omnibus hæc viſuris ad quos præſentes litteræ pervenerint, ſalutem in Domino. Litteras venerabilis patris felicis recordationis HUGONIS Rotomagenſis archiepiſcopi, non abolitas, non cancellatas, nec in aliqua ſui parte vitiatas, ſub ſigillo prædicti reverendi patris ſigillatas vidimus, & eas legi fecimus de verbo ad verbum, formam quæ ſequitur continentes. Anno incarnati Verbi, &c. Datum Pontiſ. anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo-quarto, menſe Octobri.

7. Præter Hugonem Menardum, qui beati Galterii vitam refert in obſervationibus ad Martyrologium Benedictinum die trigeſima Maii, ejus quoque memoriam celebrant Arnoldus Vvion, Dempſterus, & Ferrarius in catalogo generali Sanctorum, ad tertiam ejuſdem menſis diem, ſed iſti noſtrum Galterium cum altero Galterio, Scotiæ regis filio, qui ſæculo ſequenti floruit, confundunt. Ejus vero feſtivitatem duplicem celebrant noſtri Pontiſarenſes; primam depoſitionis die octava menſis Aprilis, alteram vero Tranſlationis, ut in Hugonis relatis litteris præcipitur, die IV. *Maii. quod quidem feſtum cum ob bellorum tumultus aliquamdiu intermiſſum fuiſſet, anno* MDCLVIII. *ad Pontiſarenſium poſtulationem reſtitutum eſt auctoritate Franciſci Harlæi, Rotomagenſis archiepiſcopi, qui ſtatuit ut deinceps hac die in toto Vilcaſſino Francico omnes ab operibus ſervilibus ceſſarent.* Memoria in faſtis.

1. CUM veterum dicta & facta gentilium tenaci memoria ſcriptis ſuis diligenti ſollicitudine mandaſſe atque præclara facundia, & facetiſſima verborum ſuavitate extuliſſe figmenta ſua, antiquiſſimos poëtas, utique ethnicos videamus; dignum videtur militum cæleſtis Regis certamina atque victorias, quibus mundi hujus pompam cum principe ſuo ſubegerunt, ad poſterorum utilitatem notitiæ tradere. Etenim ſecretum Regis abſcondere bonum eſt, opera autem Dei revelare, atque confiteri honorificum; ſed operæ pretium eſt, quanta bona ex iſtis narrationibus oriantur attendere. Laus Dei eſt, cum ſanctorum ipſius, in quibus cooperator exſtitit, geſta recitantur: Mirabilis namque, ut ait Pſalmiſta, Deus eſt in ſanctis ſuis, Sanctus prædicatur in omnibus operibus ſuis; per hæc animi multorum ad bonum agendum excitantur, inimici Chriſtiani nominis peſſumdantur, diabolus cum ſua præſumtione confunditur. Verum ad hæc enarranda me meritis imparem, ſenſu inæqualem, ſermone incultum conſidero; illius autem pietatem depoſco, ut me ad hæc aliquantiſper idoneum reddat, qui quando voluit, aquam ſitienti populo de petra produxit, animal brutum humana verba formare fecit, & linguas infantium diſertas reddidit. Quicumque vero ad hoc te inclinaveris, ut tantillam ingenioli mei editionem legere velis, non cito movearis, non ſubito prorumpas in vituperationem, me indoctum, meque judicans inertem; non hic attendas dictorum facecitatem, aut verborum ruſticitatem, ſed rei quam narraturus ſum veritatem; non quæras quid reprehendas, ſed unde proficias. PROLOGUS. *Tob. 12. 7.* Laus SS. ad Deum referenda. *Pſ. 67. 36.*

2. Gratias referamus, fratres cariſſimi, divinæ excellentiæ, quæ poſt Apoſtolos & Apoſtolicos viros, Eccleſiam ſuam pretioſo ſanguine ſuo redemtam tueri non deſiſtit, indeſinenter tribuens ei exempla unde proficiat; lucernam qua ea quæ appetenda ſunt appetat, & quæ fugienda ſunt fugiat. Inter Chriſtianiſſimos ſanctæ Eccleſiæ defenſores & propugnato- INCIPIT VITA.

Digitized by Google

Circa Ann. Ch. MXCIV. Apr. VIII.

res, luminare magnum vir Dei GAUTERIUS noſtris temporibus emicuit, qui quanti fuerit meriti ſequens pagina declarabit. Floruit autem vir iſte temporibus LEONIS Papæ, ALEXANDRI, GREGORII, qui Hildebrannus * vocatus eſt, uſque ad tempora URBANI Papæ, nomine Odonis; in diebus HENRICI ſenioris, & HENRICI junioris Auguſtorum; regnantibus ſuo tempore ROBERTO Francorum rege, HENRICO, atque PHILIPPO Francorum regibus. Hic à primævo juventutis flore paternum ſolum, parentes, propinquoſque relinquens ſtudiis litterarum operam dedit, luſtrans proximas regiones & longinquas; quidquid uſpiam reperiebat, quod plenitudini ſcientiæ adjicere potuiſſet, haud ſegniter armario ſui cordis recondebat. At poſtquam liberalibus artibus, id eſt Grammatica, & Rhetorica, & Dialectica, ſatis ſufficienterque eſt imbutus, cœpit habere diſcipulos multos; & famoſiſſimas regens ſcolas, theſauros ſcientiæ, quos multo labore & ſudore quæſivit, aliis aperire, & eructare cœpit.

* alii codd. Hildebrandus. — Galterii ætas. — Studiis vacat.

De ſtatu vitæ deliberat. 3. Deinde divinus ardor animum ejus tetigit, quatinus, omnibus quæ ſunt hujus mundi derelictis, ſoli Deo liber ab omnibus vacaret, & in portu tranquillæ ſtationis anchoram bonæ actionis figeret, quo navis ſuæ jacturam non timeret. Prius namque, ut vir magni conſilii, adhuc in ſæculari habitu poſitus, ſemetipſum multis probavit argumentis, carnem ſuam crebris extenuans jejuniis, aſperrimo à ſcapulis uſque ad renes indutus cilicio. Talibus exercitiis Chriſti miles ſeipſum idcirco aſſueſcebat, ne repente onus tantum appeteret, atque inſuetus oneris pavore perterritus refugeret. Jeſu bone, quam ſuavis tua vocatio! quam ſuavis ac jocunda tui ſpiritus illuſtratio! quos enim ſubito vocas, illos & juſtificas; quos vero juſtificas, illos & glorificas. Igitur vir Dei cæleſti edoctus magiſterio, Reſbacenſe [a] cœnobium expetiit, atque renuncians omnibus quæ poſſidere videbatur, incœpit eſſe diſcipulus veritatis, & mutato habitu ſæculari, exuit veterem hominem cum actionibus ſuis, induitque novum hominem, qui creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis, ibique quamdiu commoratus eſt aliis meruit eſſe exemplum veræ religionis; & qui inter alios erat inferior ordine, primus eſſe ſtuduit operatione.

Seipſum probat. — Fit monachus Reſbaci.

Ejus miſericordia erga incarceratum. 4. Contigit interea hominem, culpis ſuis exigentibus, à Præpoſito monaſterii incarcerari & vehementer ab eo affligi, & fame & ſiti areſcere. Cujus dolori vir Dei compaſſus, ex imo cordis ſuſpirans, non timuit Abbatis ſui aut ceterorum fratrum quam paſſurus erat aſperrimam increpationem, aut verberum duram recompenſationem, nocturnoque ſilentio, omnibus dormientibus, carceris clauſtra reſeravit, hominemque pane, quem ſibi ſubtraxerat refecit; inſuper de carcere eum extrahens, humeris ſuis illum impoſuit, atque omnia ejus vincula ſolvens, demum liberum ire permiſit: tantum ab eo fidei pollicitatione exigens, ne amodo Eccleſiæ noceret, neve alicui malum pro malo quod paſſus fuerat redderet. Facto mane requiritur homo & non invenitur, & quod vir Dei hujus rei conſcius fuerit detegitur, ab abbate & ceteris fratribus vehementer increpatur, acrioribus verberibus affligitur; ſed hoc ipſe cum omni patientia & alacritate animi amplectitur.

Monaſterii Pontiſaræ initia. 5. Eodem tempore cœperunt quidam fratres, inſtinctu & providentia Dei, juxta Pontiſaræ caſtrum quoddam conſtruere monaſterium, in quo ſervire Deo poſtpoſitis omnibus decreverunt. ſed nolentes eſſe ex eorum
Reg. cap. 1. ordine, quos beatus Benedictus Sarabaïtas vocat, qui in nulla regula approbati, ſub nullius magiſterio degentes, bini aut terni non Dominicis, ſed ſuis ovilibus includuntur, quibus pro lege eſt deſideriorum voluptas: cum quidquid putaverint, vel elegerint, hoc putant ſanctum; quod vero noluerint, hoc arbitrantur non licere. Hoc dici & eſſe caventes, quia

[a] Situm eſt ad rivulum cognominem in diœceſi Meldenſi, de quo fuſe ad vitam S. Agili Sæc. 2. pag. 315.

Digitized by Google

eum prius noverant virum Dei, Abbatem ſibi præeſſe petierunt, & licet diu multumque reluctantem, per voluntatem Dei pro voto ſuo acceperunt, ordinari ſibi atque conſecrari fecerunt. Ordinatus Abbas duplici ſtuduit doctrina ſuis præeſſe ac prodeſſe diſcipulis, omnia ſcilicet bona & ſancta factis amplius quam dictis oſtendere, ut intelligibilibus & honeſtioribus animis verbis ſuis divina præcepta oſtenderet, duris corde & ſimplicioribus exemplum bene vivendi in factis ſuis proponeret: caſtigans corpus ſuum, ſecundum Apoſtolum, & in ſervitutem redigens, ne forte cum aliis prædicaret, ipſe reprobus efficeretur. Erat autem vir Dei omnibus prædicandis & decentibus moribus adornatus, manſuetis & humilibus mitis & amabilis, ſuperbis & inobedientibus ipſo aſpectu terribilis, inter pauperes, & mediocres, & divites ſe bene regere ſciens; ita ut divites & mediocres illum quaſi ſuperiorem ſe venerarentur, pauperes vero æqualem ſibi pauperem arbitrarentur. Habilitas formæ ejus haud contemtibilis, imo multum laudabilis; ſtatura enim erat procerus, vultu decorus, ſpecie angelicus, non incompoſitus in actu, ſemper vilis in habitu, non facilis in riſu, non triſtitia gravis, non lætus in proſperis, non triſtis in adverſis, clarus eloquio, ſuavis alloquio, aliis largus, ſibi parcus. Quis vero digne poſſit repetere, quanta exhortationis, quanta prædicationis divinitus gratia ab ejus procedebat ore, dum omnis litteratura ad ejus prædicationem redderetur ſtupenda? dum generaliter omnibus compunctio cordis naſceretur devotiſſima? Erat namque viro Dei vivax ſermo, lingua ad loquendum docta, ut ſimplicioribus verba ejus eſſent intelligibilia, doctioribus admiranda.

Circa Ann. Ch. MXCIV. Apr. VIII. — Cujus abbas eligitur Galterius. — *Reg. S. B. c. 2.* — *1. Cor. 9. 27.* — Ejus virtutes.

6. Licet in omnibus eſſet habilis, licet ad omnia videretur utilis: tamen ſciens, & frequenter recogitans ſe grave pondus ſuſcepiſſe, & quia ars artium eſt regimen animarum, timenſque futuram de creditis ſibi ovibus diſcuſſionem, culpæque paſtoris incumbere quidquid negligentiæ ille ſummus Paſtor in illis potuerit deprehendere, quaſi ſub faſce laborans, tantum pondus rationabiliter quæſivit deponere. Ad quod cum impediretur multorum probabilium virorum diſſuaſione, tentavit latenter effugere. Audita igitur fama religionis ſanctæque converſationis Cluniacenſium Fratrum, quod ſcilicet fratres iſti præ omnibus, quos in ſinu ſuo tota continet Gallia, mundum & concupiſcentiam ejus contemtui haberent, quod honore ſe invicem prævenirent, & quod infirmitates ſuas ſive morum, ſive corporum patientiſſime tolerarent, quodque cum omni humilitatis ſubjectione ſibi invicem obedientes eſſent, nulluſque quod ſibi utile videretur, ſed quod magis alii ſentirent, ſequeretur; quod viſcera caritatis haberent, quod Abbatem ſuum ſincero amore diligerent, quod amori Dei nihil præponerent; hunc locum Dei famulus, credens ſe latere poſſe, elegit expetendum. Veniens ergo ad locum, ab Abbate & ceteris fratribus cum omni devotione ſuſcipitur, ſuſceptus apud eos humiliter converſatur, cognoſcenſque de eis quod auditu didicerat, lætatur, gratias agit, gaudetque ſe evaſiſſe periculum quod metuebat; credenſque ſe tutum inveniſſe latibulum, abbatem ſe fuiſſe non indicabat. Hæc utique divina providentia agebantur, ut in eis mortificationis caperet exemplum, quod nobis diſcipulis ſuis per bonæ actionis oſtenderet documentum. Interea fratres jam dicti cœnobii Pontiſarenſis moleſte ferentes ejus abſentiam, Rotomagenſem tunc temporis bonæ memoriæ JOHANNEM [a] Archiepiſcopum adierunt, rogantes ut litteras ejus auctoritatis ſigillo ſignatas acciperent, quatenus ſervum Dei ad locum ſuum reducerent. Quid plura? ſuſceptis ab Archiepiſcopo litteris, & ex ejus nomine Abbati Cluniacenſi præſentatis, auctore Deo, ad locum ſuum reducitur, & cum gaudio omnium votoque

De regimine monaſterii dimittendo cogitat. — Cluniacum fugit. — Sed cogitur ad monaſterium reverti.

[a] Johannes è ſede Abrincenſi ad provinciæ metropolim evectus anno 1068, eam annis undecim rexit.

Circa Ann. Ch. MXCIV. Apr. VIII.

ſuſcipitur. Latuit autem poſtea vir Dei in quadam crypta non longe à monaſterio, cui, Deo diſponente, datus fuerat Abbas, in qua corpus ſuum abſtinentia, & vigiliis, & acrioribus diſciplinæ, quibus exteriorem hominem ſuum mactabat, verberibus dedicavit.

In inſula Turonica degit.

7. Poſtea vero habuit quamdam ſuæ occultationis inſignem latebram in inſula, quæ eſt in proſpectu Turonicæ civitatis, in qua habetur eccleſia [a] ſanctorum Coſmæ & Damiani nomine dedicata, & honore ſanctificata. In hac diu converſatus quanta aſperitate corpus ſuum domaverit, quibus jejuniis, quibuſque vigiliis dies nocteſque continuando duraverit, quibus eleemoſynis profuſus exſtiterit, dicere lingua non ſufficit. Tibi enim, Jeſu-Chriſte, ſoli ſunt ipſius nota opera, quem nullum latet ſecretum, nullius occultatur conſcientia. Te ſolum quæſivit ſecreti ſui facere participem, quem ſolum credidit fideliſſimum remuneratorem. Cœpit deinde vir Dei ab incolis civitatis illius frequentari, & à nobilioribus tam Clericis quam laïcis venerari, qui tantam in eo ſapientiam, humilitatem, & morum probitatem cognoſcentes, ab eo monita ſalutis audiebant, & eum toto affectu diligebant. Propterea invito ei, & multum reluctanti crebra munera tranſmittebant, quæ ſaltem ab eo in neceſſitatibus pauperum expenderentur: quæ omnia larga manu diſtribuens, ſua etiam omnia quæcumque habere videbatur, Domino obtulit, adeo ut quadam die venienti ad ſe pauperi, & eleemoſynam poſtulanti non habens omnino quid daret, libros ſuos ei dederit, quatenus mutuam ſuper eis pecuniam acciperet, quos vir Dei poſtea redemturus eſſet. Alia etiam vice eidem pauperi veſtimenta ſua, id eſt tunicam & cucullam dedit, quæ perendie Majoris-monaſterii * monachi ei miſerant, pretioſa quidem & recentia. ſicque vir Dei revera Chriſtum in paupere veſtivit, & largitore algente inopem calefecit.

** Marmoûtiers.*

Iterum redire cogitur.

8. Interea quærebatur à diſcipulis, & non inveniebatur; ſed à quodam peregrino, Guarino nomine, qui peregrinando loca ſanctorum circuibat, tandem, Deo volente, reperitur, inventus monaſterio nuntiatur, preces fratrum ad eum diriguntur, monaſterii ejuſdem deſtructio, (quod fere ejus abſentia deſtructum fuerat), & deordinatio ſuggeritur, precibuſque tam multis adquieſcens, ad domum ſuam, cui ſpecialiter datus fuerat Paſtor, reducitur. Poſtea autem Romanæ urbis Papam expetiit Heldebrandum nomine, cujus ſaltem conſilio & auctoritate tantum onus poſſit declinare, in cujus præſentia vir Dei cum lacrymis & intimis cordis ſuſpiriis veniam deprecatus eſt, ſe indignum crebro clamitans, tanti oneris & honoris minime eſſe idoneum. Aliquantis itaque diebus Romæ moratus, domno Apoſtolico notus ac familiaris efficitur, frequenterque ad colloquendum adſciſcitur. videns namque in viro Dei admirandam ſcientiæ plenitudinem, prædicandam humilitatem, eum apoſtolica benedictione ad priſtinum gradum revocare [ſtuduit], blandis eum increpans ſermonibus: Non eſſe dignum, inquiens, hominem tam idoneum, ſibi & aliis proficere valentem, ſuis utilitatibus eſſe intentum; debere ad monaſterium ſuum redire, & oves Dominicas, quas paſcendas ſuſceperat cum Dei adjutorio regere. Sed videns animum ejus inflexibilem in ſua ſententia perdurare, cum ſumma obedientia & apoſtolica auctoritate curam ei paſtoralem injunxit; inſuper anathemate eum perculit, ſi amodo ſine ejus licentia monaſterium ſuum quod regendum ſuſceperat, relinqueret. Deinde vir Dei apoſtolica auctoritate & benedictione roboratus, ad locum ſuum rediit, & deinceps evadendi aditum non quæſivit. Quomodo autem reliquo vitæ ſuæ tempore

Papam adit.

Quo jubente monaſterium repetiit.

[a] Locus celebris, ubi Herveus S. Martini Theſaurarius cum aliquot ſociis aliquamdiu degit; & Berengarius poſt iteratas errorum ſuorum abjurationes aliquamdiu pœnitentiam egit, ubi etiam obiiſſe & ſepultus fuiſſe dicitur.

vixerit,

Digitized by Google

vixerit; vel quemadmodum ex hoc ſæculo migraverit, quibuſve miraculis poſt beatum finem claruerit, in quantum noſſe potuimus, ſequens ſermo declarabit. Circa Ann. Ch. mxciv. Apr. viii.

9. Fuit vir Dei juſtitiæ, rectique tenax, ita ut nulli peccanti, nulli ſuam injuſtitiam deffendere volenti parceret, immo Regibus, vel quibuſlibet poteſtatibus prave agentibus rationis libera voce contrairet. Sciebat namque, ſed & animo frequenter revolvebat, quid per Prophetam Dominus peccata hominum diſſimulantibus improperat, dicens: *Non aſcendiſtis ex adverſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſraël, ut ſtaretis in prælio in die Domini.* Ex adverſo quippe non aſcendunt, qui quibuſlibet Poteſtatibus prave agentibus, rationis libera voce non contradicunt: & in die Domini pro domo Iſraël in prœlio non ſtant, ac murum non opponunt, qui fideles innocentes contra perverſorum injuſtitiam ex juſtitiæ auctoritate non deffendunt. Vix enim pro culpa quemquam aperta voce reprehendunt; ſed, quod eſt gravius, ſi aliquando aliquid in hoc ſæculo præpotens perſona deliquerit, ejus multotiens delicta laudantur, dum non reprehenduntur, ne ſi reprehendantur, forſitan adverſentur. Unde dum quadam die Philippi Francorum regis colloquium expeteret, ille ſciens magnam viri Dei animi conſtantiam & fortitudinem, qua peccata errantium non demulceret ſed feriret; erubeſcebat coram Optimatibus ſuis aſpera ejus invectione notari, ideoque ſecretum petiit. quo adepto, taliter vir Dei exorſus eſt ad eum loqui. Cum certum teneamus, & abſque ulla ambiguitate credamus, bonorum ſeu malorum quæ hîc agimus, quemque manere ſive gloriam ſive pœnam, miror te virum ad omnia quæcumque intenderis eruditiſſimum, non reſpicere mala quæ indifferenter agis. Te enim poſuit Dominus rectorem & ducem populo ſuo, unde dicit Apoſtolus: *Non eſt poteſtas niſi à Deo, quæ autem ſunt à Deo, ordinata ſunt. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* Si igitur, ſecundum Apoſtolum, à Deo poteſtatem accepiſti, & dici & eſſe Rex meruiſti; debes populum Dei regere, non diſſipare; quæ tibi à Deo præcepta ſunt facere, ab his quæ Deus prohibuit abſtinere. Per te & à te Spiritus-ſancti dona, quæ ſunt gratuita, venduntur, à te munera quæ Deus reprobat accipiuntur. Et ſi Spiritus-ſancti dona, quæ ſunt gratuita, tibi non licet dare, quanto magis vendere? Non recolis, non animo retractas, quid eſt quod Salvator noſter templum ingreſſus cathedras vendentium columbas evertit, & nummulariorum effudit æs, dicens: *Auferte iſta hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis?* Quid eſt, inquit, cathedras vendentium columbas evertere, niſi poteſtatem vendentium dona ſancti-Spiritus deſtruere? Omnia eccleſiaſtica officia, omnia ad Eccleſiam Dei pertinentia ſancti-Spiritus dona ſunt. Dic mihi ſi noſti, unde claves regni cælorum accepiſti? das enim & vendis poteſtatem ligandi atque ſolvendi. quid autem habes? quid ſuſcepiſti? A ſanctis Patribus in Concilio Toletano & in aliis æque ſanctis ſynodis interdictum eſt nulla Eccleſiaſtica officia pecuniis obtineri; altaria etiam vel decimas pro pecunia dare ſimoniacam hæreſim nullus fidelium ignorat eſſe. Omnes Laïci qui aliquid in Eccleſia tenent, necnon Clerici, qui ab illis retinent, vel ſub illis ſerviunt, illi quoque qui hoc poſſe fieri confirmare ſatagunt, legis divinæ contemtores fiunt: & ideo niſi reſipiſcant ſine fine peribunt; & jam in hoc ſæculo dum vivunt, à recte credentibus ut tranſgreſſores, vel apoſtatæ refutandi ſunt. Vide ergo quæ mala ex iſtis emtionibus & venditionibus oriantur. Dum enim tu ipſe honores eccleſiaſticos quibuſdam vendis, ipſi rurſus ſacros Ordines & manus impoſitionem vendunt aliis; horum omnium malorum, ſi bene perſpexeris, caput eſſe videris. Ita eccleſiæ deſpoliantur, dum ipſi peſſimi emtores ſimoniacique pervaſores non timent auri & argenti quantitatem, quantam in

Marginalia: Juſtitiæ amor. — Ezech. 13. 5. — Regem monet. — Rom. 13. 1. — Johan. 2. 16.

Circa Ann. Ch MXCIV. Apr. VIII. Eccleſia Dei reperiunt, conflare, pretioſa ornamenta vendere, ut dumtaxat eccleſiaſtica officia poſſint obtinere. His & aliis hujuſcemodi verbis, vir Dei Regem increpavit, quæ ideo ſcribere volui, ut oſtenderem invictam in viro Dei animi fortitudinem, per quam melius voluit morti ſuccumbere, quam veritatem celare. Multos proinde habuit inimicos, multos ſuſtinuit conviciatores & perſecutores; ſed hæc omnia forti animo, & inexpugnabili ſuperabat patientia, memoriter recolens quid ipſa Veritas diſcipulis dicat: *Si de hoc mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat diligeret; quia vero de mundo non eſtis, propterea odit vos mundus.* Et illud: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Itemque illud: *Omnes qui pie volunt vivere in Chriſto perſecutionem patiuntur.*

Johan. 15. 19. *Matth. 5. 10.* *2. Tim. 3. 12.*

Concilium Pariſienſe. 10. His & hujuſmodi armis inſtructus, cum Pariſius congregato Concilio [a] omnes fere tam epiſcopi quam Abbates & Clerici cenſerent domni Apoſtolici ſanctæ memoriæ Hildebranni juſſioni non eſſe parendum, dicentes, falſoque aſſeverantes importabilia ejus eſſe præcepta, ideoque irrationabilia; coram omni multitudine dixit: Conſtat vos indecentem & ab omnibus refutandam definire velle ſententiam: Juſte enim, ut ait beatus Gregorius, an injuſte obliget paſtor, paſtoris tamen ſententia gregi timenda eſt, ne is qui ſubeſt, & cum injuſte forſitan ligatur ipſam obligationis ſuæ pœnam ex alia culpa mereatur: nec debet quiſquam paſtoris ſui judicium temere reprehendere, ne & ſi injuſte forſitan ligatus eſt, ex ipſa tumidæ reprehenſionis ſuperbia, culpa quæ non erat fiat. His dictis vehementer ira ſuccenſi qui aderant adverſus Dei famulum, mancipia Regis ſuo ſceleri conjungentes, exclamanteſque, omnes in una conſpiratione conſurgunt, ipſum de Concilio rapiunt, trahunt, impingunt, colaphizant conſpuunt, multiſque contumeliis affectum ad domum Regis perducunt. Sed vir Dei viriliter hæc pro amore Dei ſuſtinens immobilis perſtitit, mortemque minantibus hilari voce reſpondit: Malo mortem pro veritate ſuſtinere, quam falſitati turpiter cedere. O quantis votis, quibus precibus, tuam, Domine Deus, magnificentiam exoravit, quatinus ſanctorum Martyrum tuorum ſociaretur numero, quibus jam ſociatus erat merito! Bonum erat ei Domine hujus lutei vaſis deponere ſarcinam, ut perpetuam poſſet adipiſci coronam. verumtamen, Domine, adhuc famulum tuum Eccleſiæ tuæ profuturum reſervare diſponebas, ideoque coronam tantis votis exoptatam differebas. Quorumdam igitur optimatum, qui eum prius noverant & dilexerant, virtute, vir Dei, de loco in quo cuſtodiebatur, eripitur, & eccleſiæ ſuæ cum honore redditur. Longum eſt enarrare per ſingula, quæ & quanta pro veritate ſuſtinuerit pericula, quæ verberum conviciorumque venenata toleraverit jacula. Ceterum quæ vidimus & audivimus glorioſa ejuſdem beati viri retexamus magnalia.

Greg. M. — In carcerem truditur. — Liberatur.

11. Erat viro Dei contigua monaſterio, cui, Deo volente, præerat, cellula [b], in qua ei erat conſuetudo orare, multiſque jejuniis, & vigiliis & nimiis verberum cruciatibus ſuum corpus attenuare. In hac ſolus, ſolo Deo teſte, orationi inſiſtebat, & divinæ contemplationi operam dabat. Quis vero digne queat orationum inſtantiam, ac genuflectionum ejus numeroſitatem, quibus divinam Majeſtatem venerabatur, verbis explicare? cum præſertim, ut dictum eſt, ſolus ſolo Deo teſte in eadem cellula oraret, vigilaret, jejunaret, & ceteris ſanctæ virtutis exercitiis inſtaret. Sed nequaquam, ut ipſa Veritas teſtatur, abſcondi valet civitas ſupra montem poſita, neque ponitur lucerna ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat

Ejus pia exercitia. — *Matth. 5.*

[a] Nulla occurrit alia hujus concilii mentio, niſi in charta Philippi regis data anno MXCII. qua monaſterii S. Cornelii Compendienſis bona confirmavit. Apud Labb. tomo 10. Concil. generalium, ex tomo 2. Spicilegii Acheriani.

[b] Hæc uſque ad noſtram ætatem ſubſtitit, ſed modo deſtructa eſt.

Digitized by Google

omnibus qui in domo Dei ſunt. Quanto magis ſancti viri opera ſua latere quærunt, tanto magis ad exemplum ſanctæ converſationis ſequentibus palam fiunt. Cautus erat vir Dei, & circumſpectus ad ſanctorum operum exercitia. inaniter enim perdere metuebat quod cum magno corporis labore, & ſui contritione ſpiritus acquirebat. Sciebat quippe quod laus impiorum brevis eſt, & gloria hypocritæ ad inſtar puncti. Sunt enim plerique vaniſſimi ſimulatores, qui vento ſuperbiæ inflati, dum corpus ſuum quadam abſtinentia macerant, videri ab hominibus jejunantes volunt, indeque humanos favores expetunt; magnos ſe apparere in conſpectu hominum concupiſcunt, & turpes ante oculos ſuperni Inſpectoris eſſe non erubeſcunt; prædicationi inſerviunt, non ut populus de eorum prædicatione in melius proficiat, ſed ut ſapientia eorum ipſis quibus prædicant innoteſcat; multa & magna munera egenis largiuntur, non ob hoc ut inde regnum Dei promereantur, ſed ut tranſitoriam laudem, quæ in affectu eorum dulcis eſt, aſſequantur. qui nimirum, ſecundum Veritatis atteſtationem, ſimiles ſunt ſepulcris à foris quidem dealbatis, intus autem plenis oſſibus mortuorum; quibus cordi eſt in angulis platearum orare, ſalutationibus vacare, primas in cœnis cathedras amare, ab hominibus Rabbi vocari velle. Sed quæ rogo iſta dementia eſt, incaſſum corpus affligere, multa ſemina jacere, & nullum fructum recipere velle; æterna præmia perdere, & tranſitoria diligere? Quæ omnia vir Dei, divini amoris igne ſuccenſus, quaſi venenum diaboli refugiebat, & jugiter illum Davidicum verſum ori ſuo familiarem dicebat: *Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.*

Circa Ann. Ch. MXCIV. Apr. VIII. — *Matth. 23. 27.* — *Pſalm. 113.*

12. Habemus ejus magnanimæ humilitatis inſigne documentum, quoniam cum eſſet beato viro pecunia in neceſſitatibus pauperum expendenda, non eam per ſe, neque per domeſticos ſuos erogare volebat: ſed taliter hoc facere diſponebat, quatenus nulla naſceretur ſuſpicio, qua hæc ipſius agnoſceretur eſſe largitio. Quodam itaque tempore habens nummorum quantitatem, quoſdam ſibi valde familiares, Marcellum videlicet preſbyterum & Raimundum diaconum, ad ſe ex Pontiſarenſi caſtro venire fecit, eiſque dixit: Quidam amicus meus mihi pecuniam nummorum pauperibus erogandam tradidit; ſed quia ad agenda talia inſuetus ſum, rogo dilectionem veſtram, ut taliter eam diſpartiamini, ne quiſquam quoad vixero à me vobis arbitretur commiſſam. Qui feſtinato juſſa compleverunt, hujuſque beneficii beatum virum fuiſſe auctorem uſque ad obitum ejus celaverunt. Quis illum umquam liberalem, quis circa pauperes crederet miſericordem? Cum enim in conſpectu hominum pauper aliquid ab eo peteret, vehementer ei quaſi cum indignatione & ira obloquebatur; ut eum non miſericordem, ſed durum arbitrari poſſet, atque crudelem: cum vero nemo adeſſet, qui ſecreti ſui arbiter eſſe poſſet, pauper revocabatur, reficiebatur, & in eo revera Chriſtus adorabatur qui & ſuſcipiebatur. Conſuetudo præterea fuit ei, ut quoties pauperum peregrinorumque pedes abluere voluiſſet, non hoc agebat, niſi aut cum monachi eſſent divina officia celebraturi in oratorio, aut dum reficerent in refectorio, aut requieſcerent in dormitorio. Ita vir Dei circa pauperes erat munificus, ut multoties ipſa etiam pedum calciamenta, & cetera ſibi neceſſaria indumenta iis præberet, ut nec cultellum, nec aſſem valens retineret, quod non in neceſſitatibus pauperum totum expenderet.

Humilitas in eleemoſynis tribuendis.

13. Erat ei in ſupra ſcripta cellula lectulus, non magna plumarum mollitie ſuffultus, ſed tantum mattæ ſuperimpoſitum cilicium, ut non facile noſcere poſſet qua caput, qua etiam parte pedes ad horam requietionis ponerentur. Et noſtris temporibus alter Germanus exhibebatur, cujus, ut in ejuſdem geſtis legitur, caput ab humeris per cervicis confinium nulla ſublevavit adjectio. Nemo noſtrum vidit eum jacere exſpoliatum, dum

Auſteritas.

CIRCA ANN. CH. MXCIV. APR. VIII.

nec funiculus quo cingebatur deponeretur, raro etiam calciamenta de pedibus extraherentur. Aſperrimo jugiter caro ejus atterebatur cilicio, cui tamen pretioſæ inhærebant manicæ ex ſtaminio factæ, ut dum manicæ viderentur, cilicium interius non deprehenderetur. O laudabile per omnia factum, quo Salvatoris juſſa complentur, & ceteris ad exemplum humilitatis conſervandæ tutela datur! Fecerat etiam ſibi vir beatus flagellum ex duriſſimis corrigiis, quarum ſummitates nodis exaſperabantur firmiſſimis, quo unoquoque ferme die caro ejus crudeliter cædebatur, cujus cæſionis ſonitus à ſecretariis eccleſiæ, & à ceteris in eccleſia exſiſtentibus audiebatur, quamvis ne audiretur in ſecretiorem thalamum removeretur. Veſtimentum viliſſimum quo utebatur numquam mutavit, niſi aut cum vetuſtate nimia ſolveretur, aut forte egenis tribueretur. Vidimus eum hora refectionis fratrum, more hebdomadarii lectoris in refectorio legere, coquinæ officio deſervire, aliis miniſtrare, clibanum coquendis panibus præparare. Unde quadam die jejunii fatigatus afflictione dum clibanum calefaceret, ante os clibani pæne exanimatus cecidit, & manibus diſcipulorum inde ablatus eſt. Aliis in labore manuum occupatis oblitus ſuæ auctoritatis ſimiliter occupabatur; & qui erat prior ordine prælationis, gaudebat ſe aliis parificari in exercitatione operis.

Paupertas.

Humilitas.

Abſtinentia.

14. Si quando in refectorio cum aliis, cogentibus fratribus, reficiebatur, (quod tamen ipſum non leviter faciebat, niſi aut promiſſa ei ab eiſdem fratribus Miſſarum ſupplicatione, aut pauperum refectione, quaſi pro abſtinentiæ ſuæ recompenſatione) quemdam ex condiſcipulis noſtris aliquantiſper ſecreti ſui conſcium latenter præmittebat, ut ignorantibus ceteris, vinum de juſta ſua auferret, aquamque infunderet. Erat cernere hominem tanta circumſpectione ſemetipſum tueri, ut putantibus nobis eum copioſo vino repleri, aquam biberet: ſicque ſtudioſe piſces, qui forte afferebantur, manu ſua ablatis ariſtis per paropſidem divideret, ut intuentium oculos falleret, arbitrantium eum revera piſces comedere, cum quidem nec eorum ſaltem ſaporem prægustaret. Providerat autem ſibi vir Dei fratrem Deum timentem, qui ad horam ſuæ refectionis in ſæpe dicta cellula per competentem feneſtram, panem, & fabas nulla pinguedine vel ſapore conditas, ei deferebat, iſtiſque alimentis ſuam artiſſime humanitatem ſuſtentabat. Ceterum, quod eſt dictu audituque mirabile, quot panes ei miniſter deferebat, tot ſæpe ab eo recipiebat: unde luce clarius conſtat, eum tantum per Dei virtutem fabis eſſe ſuſtentatum. Sabbato etiam ei aqua ad bibendum deferebatur, quam ipſe ſibi ſæpenumero hauriebat, & deferebat, quæ uſque ad aliud ſabbatum non mutabatur. Quis vero audiendo credere poterit, niſi videndo didicerit, quanta ad ſtandum in choro fuerit beato viro perſeverantia, cum vix illum quiſquam pſalmodiæ tempore in eccleſia ſedere conſpexerit; labore interdum jejuniique afflictione defatigatus ſeniles artus baculo ſuſtentabat, & ſic ſtans, quouſque pſalmodiæ cantus in eccleſia finiretur [a], perſeverabat. Finito matutinorum curſu, dum ceteri fratres laboris relevandi gratia paulliſper quieti indulgerent, vir Dei pervigil manebat, & orationi, ſanctæque meditationi operam dans pernoctabat. Unde ob nimiam vigiliarum continuationem ſomni depreſſus gravedine, fronte in terra colliſa, ſuper genua & cubitos à ſecretario eccleſiæ inventus eſt obdormiſſe.

15. Cumque omnium virtutum ubertim vir Dei floribus adeo decoraretur, maxime tamen humilitatis in eo enituit inſigne documentum. Omnibus enim imitandus, omnibus admirandus hic Pater noſter, dum per omnia humilitatis itinera currere geſtiret, omnibus nobis in unum poſitis, (omnes namque ad hoc adeſſe præceperat) dixit: Placeat cœtui veſtro, fratres

Petit à fratribus flagellari.

[a] In altera Vita, *ſedere in eccleſia velut accedia crimen deteſtans.*

cariſſimi, petitionique juſtæ nullus ex vobis refragetur, ut quia ego utpote indiſcretus, omnibuſque facinoribus irretitus, irrationabiliter, dictante ſcilicet ira, nullaque ſervata juſtitia, vobis multoties verborum, verberumque correctiones adhibui, liceat mihi peccantis lege, id eſt nudis pedibus, totoque corpore circa renes tantum præcincto, manibus meis virgas diſciplinatorias ferenti, in capitulum venire, & coram Deo, & vobis fratribus meis veniam de offenſionibus meis petere, & à vobis omnibus virgarum correctionem, dignam videlicet factis meis recompenſationem, recipere: ut ita ſempiternas, quæ pro iiſdem mihi debentur inferri, pœnas merear evadere. Nullus prælationi meæ hoc in facto à vobis ſervetur honor, ſed magis in me vitia feriantur: quibus non honor eſt exhibendus, ſed rubor confuſionis eſt adhibendus. Priores ordine & converſione in me prius viciſſim verbera exerceant, priores ſcilicet incipiant, & juniores finiant. Cujus correctionis modus in Prioris, loco meo præſidentis, arbitrio conſiſtat; ſciantque omnes, quia qui durius me flagellaverit, hic amodo mihi carior erit; qui vero mollius me tetigerit, & quaſi iniquitati meæ clemens eſſe decreverit, hic minime ſecundum Deum me diligit, quia non defert honorem mihi, ſed vitiis. Quod audientes, omnes his beati viri unanimiter contradicere cœpimus verbis, dicentes, inauditum eſſe ut Prælatus aliquis talia à diſcipulis ſuis quæſierit, vel diſcipuli magiſtris ſuis in talibus paruerint: non debere eum hæc facere, cum præſertim ſatis fuerit * jejuniorum vigiliarumque attenuatione, ſenioque excruciatus, & forſitan præ infirmitate ſua inter flagella eſſet moriturus. Sed quia vir Dei miro ingenio eloquioque callebat, quamquam invitis diu multumque reluctantibus nobis perſuaſit. Quid plura? in Capitulum venitur, famulus Dei modo quo ſupradictum eſt exſpoliatur, coram majeſtate Dei in noſtra præſentia humiliter ſolo tenus proſternitur. ſtupor omnium noſtrorum corda ad ejus introitum circumdedit. Videntes namque hominem omni honore dignum tanta vilitate contemtum, omne à nobis effugerat conſilium, undique erat dolor, undique luctus, undique ſuſpiria, undique gemitus. Poſtquam à nobis diu ploratum eſt, ſenis nos durius increpantis, nos molles, effeminatoſque vocantis adquievimus voluntati. Itaque à prioribus incæptum eſt. Eramus circiter triginta fratres, qui omnes nobis viciſſim ſuccedentes virum Dei virgis cædere cœpimus. Videres hominem, jejuniorum vigiliarumque nimietate ſimul & ſenectute debilitatum, inter flagella conſtantem, unumquemque proprio nomine vocitantem, & ad cædem ſuam inſtigantem, fortique voce clamantem: Manus veſtras non agnoſco, verbera veſtra molliter me palpantia non ſentio. Decurſa autem à majoribus ad minorem, qui adhuc puer ſub regulari diſciplina in ſcholis erat, diu optata virgarum cæſione, rurſus famulus Dei induitur, omnibus gratias agit, ipſoque die gratulabundus nobis conviva efficitur. Perpendendum eſt, quanta vir beatus hoc in facto præconiorum gloria ab omnibus ſit attollendus. Videndum quæ virtus, quis ex iſta virtute ſequitur triumphus. Dicat quiſque quid ſenſerit. Præfero beati viri humilitatem illuminationi cæcorum, curationi leproſorum, omniumque ſanationi morborum. Unde quibuſdam de miraculorum potentia ſuperbientibus, & dicentibus: Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, dæmonia ejecimus, virtuteſque multas fecimus? in fine Dominus dicturus eſt: Amen dico vobis neſcio vos. Qui enim ſine humilitate virtutes congregat, quaſi in ventum pulverem portat. Magna eſt profecto virtus humilitatis, quæ quantum inclinatur ad ima, tantum proficit ad ſumma: ſine hac nemo poteſt Deo placere, per hanc quiſque valet ad virtutum culmina conſcendere; hanc vir beatus ſemper in corde ſuo tenuit, per hanc non ſolum Magiſtris, verum etiam ſubjectis ſuis ſubjici voluit.

Circa Ann. Ch. MXCIV. Apr. VIII.

* al. ſatisfecerit,

Virgis cæditur.

Matth. 7. 22.

Matth. 25. 12.

Humilitatis encomium.

Digitized by Google

Circa Ann. Chr. MXCIV. Apr. VIII. Ultimam Quadrageſimam ut peragit.

16. In illa autem Quadrageſima, quæ beato viro fuit poſtrema, ſemetipſum acrioribus jejuniorum, vigiliarum, ſanctorumque operum exercuit emolumentis, ita ut in comparatione eorum priores ejus cruciatus leviores eſſe putarentur. Fuit namque ei conſuetudo, ut omni tempore ex quo cœnobialem ſuſcepit actitare militiam, ſemper priori vitæ aliquid adderet, & ab incœpto fervore per tepiditatem non refrigeſceret, & benefaciens non laſſeſceret; ſed divino igne inflammatus de virtute in virtutem proficeret, & quanto corpus ſenectute longaque inedia areſceret, tanto animus victor annorum ad appetenda majora inardeſceret, ut cum Apoſtolo veraciter dicere potuiſſet: Quando enim infirmor, tunc fortior ſum & potens. Unde toto ſpatio jam dictæ Quadrageſimæ compertum eſt nobis libram panis, quæ quotidie ex præcepto beati Benedicti monacho apponitur, beatum virum non comediſſe, ſed tantum fabis, & aqua in lacrymis & menſura uſum fuiſſe. Dominica autem illa, in qua Salvator & Redemtor noſter, appropinquante hora paſſionis ſuæ, in aſino Jeruſalem venire, & à pueris Hebræorum cum floribus & palmis ſibi obviari, & ab eiſdem Rex appellari, ac laudari voluit, tanta nos verborum ſuorum ſuavitate refecit, ut tamquam valedicens nobis eatenus tam dulciter, tamque amicabiliter non ſit locutus. Ipſa quoque die, cogentibus nobis, ultimum nobiſcum convivium celebravit. Sequenti die cantante eo Miſſam, vi febrium graviter urgeri cœpit, viribuſque corporeis deſtitui. Vocato denique quodam fratre, qui ejus juſſione membranas ad conficiendum ei Breviarium inciderat, præſago imminentis ſui corporis reſolutionis ſpiritu dixit: Opus mente conceptum dimitte, non enim liber iſte quem ſcribere diſponebas mihi erit profuturus, immo magis ſequentium voluntati relinquatur, qui aliis poſt obitum meum utilitatibus membranas inciſas deputabunt.

2. Cor. 12. *Reg. c. 39.* A febre corripitur.

17. Cœpit deinde vir Dei majoribus ſtimulis coartari, & de die in diem ad exitum propinquare. Convocatiſque nobis, quos paterno affectu dilexerat, & quos à mundialibus illecebris abſtractos in timore Dei educaverat, more eccleſiaſtico oleo ſancto petivit inungi. Fit ad eum proceſſio, ut voluerat inungitur, reum ſe de peccatis ſuis coram Deo & ſanctis ejus in præſentia noſtra confitetur, abſolvit omnes, & ab omnibus abſolvitur. Deinde oſculatis omnibus nobis, & cum multis intimi cordis fletibus, ſuſpiriiſque glorioſa paſſionis Dominicæ memoria venerata, ſacramentorum noſtræ redemtionis particeps efficitur. Interea cœpimus omnes de beati viri imminenti tranſitu irremediabiliter contriſtari, timentes ne ejus abſentia ordo monaſterii noſtri diſſiparetur, neve ſublato paſtore, grex Dominicus lupinis morſibus patens diſpergeretur; aut ne, unde major dubietas excreverat, Rege muneribus corrupto, aliquis per ſimoniacam hæreſim ad ſuſcipiendum loci noſtri regimen ingrederetur. Rurſus, convocatis omnibus nobis, hoc modo aſſiſtentes alloquitur: Nolite, inquit, filii mei contriſtari, nolite de mea nimium corporali reſolutione mæſtificari, confidite in Domino, omnem ſollicitudinem veſtram projicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis. Confirmetur in vobis caritas Dei, ut ſitis concordes, fraternitatiſque ſpiritalis amatores. Etenim ſi ſecundum Deum vos invicem dilexeritis, ſciatis procul dubio, quia in omnibus vobis Dominus cooperator erit. Prope eſt ſecundum veridicam Pſalmiſtæ vocem, Dominus omnibus invocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet. Nolite in alterutrum detrahere; omnes enim detractores, & murmuratores Deo ſunt odibiles. Nolite à ſancto propoſito deviare, ſi enim, diſcedente me, à ſancto propoſito deviaveritis, & ſchiſmata inter vos habueritis, & exordinationibus * levium perſonarum conſenſeritis, manifeſtum eſt non Dei amore, ſed magiſtri veſtri timore huc uſque vos in religione manſiſſe. Si vero, ſicut uſque ad hanc diem in

Oleo ſacro perungitur. Confitetur peccata. Euchariſtiam percipit. Fratres adhortatur. *Pſ. 144. 19.* * *al. cod.* & ordinationibus.

humilitate, in concordia, in caritate manſeritis, providebit Dominus fideliſſimum domui ſuæ diſpenſatorem, qui vos melius quam ego, ſpiritualiter & corporaliter in omnibus ſecundum Deum confovebit. His & ejuſmodi exhortationibus in conſolationem nos venire geſtiens, ſtolam ſancto collo ſuo imponi fecit, dexteraque ſua baculum paſtoralem tenens, nos omnes abſolvit, & voce qua potuit Domino tutori & auctori omnium commendavit. *Circa Ann. Ch. MXCIV. Apr. VIII.*

18. Adveniente autem quinta feria, in qua Dominus cum diſcipulis cœnavit, & ad humilitatis formam eorum pedes abluens, eis Corporis & Sanguinis ſui ſacramentum tradidit, & à diſcipulo traditus eſt, aſſiſtentibus ſibi fratribus ait: Non diutius hic morabor, cras enim Deo volente ex hac ſum luce migraturus. quod & factum eſt. In die enim Paraſceve, percepto vivifico Corpore & Sanguine Domini noſtri Jeſu-Chriſti, omnibuſque eccleſiaſticis rite ordinatis, cum jam ſero factum eſſet, cœpit in ultimo ſpiritu laborare, brevique intervallo, incumbente ſcilicet nocte, relicta corporali gleba, ſpiritus ejus Angelico ductu ad beatæ requiei ſinum tranſmigravit. Cum vero ad abluendum corpus ejus nudatum fuiſſet, vidimus carnem ejus niveo candore micantem, nullaque in univerſa corporis parte ſaltem tenui macula fuſcatam, jam quamdam futuræ reſurrectionis ſpeciem prætendere; ut non jam humanum ſed Angelicum quod videbatur, eſſe crederetur. Non enim, ſicut in exanimi corpore videri ſolet, pelle protenſa, oſſa ejus carne deficiente nudata ſunt, ſed cum quadam ſpecie mediocriter repleta, ut non facile crederes umquam beatum virum carnem ſuam cilicio texiſſe, aliquave abſtinentia maceraſſe; ſed ſemper in deliciis vixiſſe. Sepultus eſt in oratorio beatiſſimi Martini, quod ab eodem ædificari jam ex magna parte incœptum fuerat, in loco quo ſepeliri ſe juſſerat. In quo loco per glorioſa beati viri merita plurima oſtenduntur miracula, veluti ſequentis libri teſtatur paginula [a]. Tranſiit autem ſanctæ recordationis Pater noſter beatiſſimus Gauterius ſexto * Idus Aprilis, anno ab Incarnatione Domini milleſimo nonageſimo-quinto, Indictione tertia, regnante Domino noſtro Jeſu-Chriſto, qui cum Patre & Spiritu-ſancto vivit & gloriatur Deus, per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Moritur die Paraſceves.

Sepulcrum ejus miraculis illuſtratur.

** al. cod. ſeptimo.*

INCIPIT LIBER MIRACULORUM.

1. MUlti diverſis pro cauſis animum ſuum ad ſcribendum res geſtas appulerunt, alii ut eorum ingenia ipſo uſu ſcribendi quaſi confricata clariora redderentur, alii ut per hoc apud aures hominum famoſiores efficerentur, indeque honores & lucra maxima conſequerentur; alii ne res geſtæ per longinquitatem temporum deletæ de memoria hominum tollerentur. At mihi beati Gauterii vitam omnibus bonis appetendam, tranſitumque ejus de hoc ſæculo ſcripſiſſe, miraculaque illius, quibus poſt beatum finem famulum ſuum Dominus clarificare dignatus eſt, denuo ſcribere velle, ſumma cauſa obedientia eſt; quæ virtus, ſcilicet obedientia, humilitati conjuncta omnium virtutum jure major eſt effecta, dum non ſolum ea quæ norunt homines, actitare ſatagit, verum etiam ea quæ non norunt attentare cogit. Hæc mihi balbutienti, necdumque ad plenum verba integra formare valenti, ea quæ non poſſum facere præcepit. Unde rogo omnes qui hoc opuſculum lecturi ſunt, quatenus dent ignorantiæ meæ veniam. Fateor enim me ultra vires meas præſumſiſſe: ſed tamen malo me beati viri opera qualicumque ſtilo parare, quam omnino exinde reticere. *Prologus.*

2. Poſt glorioſam igitur corporis ſui depoſitionem cœpit locus ſepulturæ beati viri à multis frequentari, inter quos erant multi promiſcui ſexus de- *Miracula crebra poſt obitum.*

[a] Hic deſinit apud Bollandianos.

Circa Ann. Ch. mxciv. Apr. viii.

biles & ægroti ſalutis remedia poſtulantes. Per glorioſa autem viri Dei merita conferebat Deus multa ſanitatum genera. Nam cæcis viſus, claudis greſſus, aliiſque cujuſcumque doloris & languoris integra reſtituebatur ſalus. Eodem tempore fama virtutum ejus uſquequaque diſcurrente, ex Normanniæ partibus puer quidam à parentibus ad beati viri patrocinium allatus eſt, qui ita nervorum ariditate, & juncturarum inflexibili nodoſitate à renibus per coxarum & poplitum tibiarumque confinia contractus erat, ut natibus talis inhærentibus, vitiataque natura, nullatenus membra præmortua ſua valerent adimplere officia. Cœperunt autem parentes ejus ſuperna implorare ſubſidia, ut per beati viri merita ægro cælitus ſalutifera impenderetur medicina. Affuit ſupplicantibus eis divina clementia, ſuffragantibuſque ſanctiſſimi viri meritis, ægro ſalus redditur diu deſiderata. Miratur ſe propriis vadere plantis, qui tamdiu manibus ſubvectus fuerat alienis. Sed ne cito hoc miraculum ab hominum tolleretur memoria, indubitata ſcire & videre cupientibus manſerunt argumenta: quouſque enim in hac vita ſuperfuit, veſtigia talorum viſa ſunt in ejus natibus impreſſa. Per idem tempus quidam infra pubertatis annos ita omnium membrorum ſuorum officio damnatus fuerat, ut numquam greſſum movere, verum etiam nec jacens in aliud ſe latus potuerit vertere. Qui ſuorum pia ſollicitudine parentum ante viri Dei ſepulcrum depoſitus, ſalutis remedium implorare ſimul & exſpectare cœpit: nec diutius ſua eſt expectatione fruſtratus, immo Dei miſeratione & miſericordia reſpectus, membrorum ſuorum cœpit paullatim vegetationem recuperare, & poſt modicum nullo regente novos cœpit greſſus tentare. Inde in præſentiam noſtram adductus, redditam ei divinitus comprobavimus ſoſpitatem, unde divinam laudare & magnificare cœpimus virtutem. Vocabatur autem iſte Radulfus. Quidam denique diaconus, nomine Raymundus *, de quo in ſuperiore libro dictum eſt quoniam eleemoſynæ beati viri diſpenſator fuerit, algore febrium cruciabatur validiſſimo. Hic de Dei miſericordia, & famuli ſui virtutifera confiſus potentia advenit, & præ multitudine languentium ibi ſalutem exſpectantium propius accedere non valens, à longe ſtetit, voce qua potuit clamavit: Obſecro te, ſerve Dei omnipotentis, ut quia in veritate Domino ſerviviſti, mihi, quem plurimum in hac vita degens ſincero amore dilexiſti, refrigerium quantocius à Domino impetrare digneris. Hæc cum lacrymis repetens, nec plura effatus, ſtatim evomito omni felle doloris, ſanus ad domum ſuam rediit; & gratias Deo, ſanctoque Gauterio pro conceſſa ſanitate retulit. His etiam diebus, alius eodem nomine vocitatus, eodem morbo graviter infirmabatur. Erat autem iſte negotiator in Pontiſarenſi caſtro, ſicut ille de quo ſupra ſcriptum eſt, natus & enutritus. Hic dudum beato viro familiaritatis obſequio junctus fuerat, (nam & Romam cum eodem comes individuus perrexerat, & ei humiliter cum caritate ſervierat) qui de ſemetipſo deſperans, erat enim dolor vehementiſſimus, ante viri Dei ſepulcrum jacuit, & cum lacrymis priores ejus amicitias memorans, ſimul & ſubveniri ſibi humiliter deprecans, paulliſper dormitare cœpit. Expergefactus à ſopore, virtutem ſenſit affuiſſe divinam, ob redditam ſibi ſoſpitatem: unde lætus effectus, quaſi pro munere, pretioſo tapeto tumulum viri Dei cooperuit, & denuo ab ipſa qua tenebatur infirmitate illæſus perſeveravit.

Contractus erigitur.

Item alius.

Auctoris ætas.

* Vita n. 12.

Diaconus à febre liberatur.

Item & alius.

3. Præterea non eſt ſilendum, ſed diligenti memoriæ commendandum eſt, quoniam per beati viri merita multis inſtinctu dæmonum in amentiam verſis reddita eſt male captæ ſobrietas mentis. Etenim quidam furibundus, nomine Durandus, de villa-Tineoſa *, quæ Pontiſarenſi caſtro proxima eſt, in vehiculo adducitur: qui ad temones ipſius vehiculi artiſſimis funibus undique ligatus, ſic uſque ad beati viri ſepulturam miſerabundus trahitur,

Dæmoniaci liberantur.

* Ville-Taneuſe.

hitur, ſed videres miſerum ſanguineos oculos horribiliter torquentem, dentibus frendentem, inremediabiliter clamantem, Deum & homines turpiter blaſphemantem, aliena & inaudita loquentem, neminem recognoſcentem, nihil penitus comedentem, numquam vel modicum dormientem, ſemetipſum & accedentes ad ſe dentibus laniare volentem; hic nimirum dæmonis viribus uſus omni viro fortior erat, & ideo cum undique vinculis ſtringeretur, à fortiſſimis tamen viris ex omni parte tenebatur: ſed non diutius paſſa eſt divina bonitas hominem ita miſerabiliter diaboli fraudibus ſubjacere, ſed implorantibus cunctis qui aderant parentibus & vicinis beati viri ſuffragium, homo ſenſum recepit ſobrium. Unde omnibus ad hoc miraculum ſtupentibus fecit ſe ſolvi, ſolutus comedit, ſervumque ſe beati viri deinceps fore devovit, & ſic manſuetiſſime ad domum ſuam repedavit. Proferamus in medium ſimile priori miraculum, quod Deus ad gloriam & laudem nominis ſui operari dignatus eſt per beati viri meritum. Quædam mulier de villa, quæ dicitur Settana *, nomine Stephana, culpis ſuis procul dubio exigentibus, diabolica fraude ſenſum perdiderat; cumque omnes quotquot ſe ei objiciebant morſibus belluinis diſcerpere cuperet, turpiterque crine ſoluto, muliebrem ſexum non conſiderans, per humum volutaretur; repente ad eam ab amicis concurritur, comprehenditur, catenatur, modoque, quo ſupradictus vir, ad beati viri ſepulturam perducitur. Horreſco referens, vidi eam proprii corporis crudelem laniatricem, dentibus propria membra carpere, interdum lacrymis faciem ſuperfundere, ſubitoque lacrymis adhuc ſuperfuſa facie ridere: ita ut flens circumſtantes flere faceret, ridenſque omnes nihilominus ridere cogeret. Cumque his & aliis hujuſmodi illuſionibus fatigaretur, cœperunt ejus parentes & amici viri Dei ſuffragia depoſcere, quatenus mulieri ſenſus integer redderetur, & tumultuoſæ ipſius voces tranquillarentur: & ecce recuperato ſenſu, cœpit nomen Dei quod prius abhorrebat & blaſphemabat recognoſcere, & cognoſcens ab aſſerentibus quæ egerat & quæ dixerat admirata eſt, votoque vovens ſeipſam Sancti fore ancillam, perſeverante incolumitate, ad ſuam regreſſa eſt manſionem. Item de pago Belvacenſi quidam pari modo vexatus, ducendus ad viri Dei ſepulturam ligatur; ſed repente ruptis nexibus, de manibus ſe tenentium excutiens evaſit. Cumque ab inſequentibus nullo conatu poſſet capi (erat enim ſuper quam credi poſſit non ſua, ſed maligni ſpiritus virtute agilis & fortis) caſu in burgum, Camblei * dictum, ingreſſus, ibique ab ipſis burgenſibus captus, ſubſequentibus amicis eſt redditus: & dum ſuper aſinum pedibus ſub ventre ipſius aſini catenatis componeretur, manualibus repente ruptis nexibus, compatrem ſuum, qui ei propior adſtabat, pugno graviter in faciem percuſſit, & cum gravi omnium difficultate uſque ad eccleſiam beati Martini, in qua venerabile viri Dei corpus jacet, perductus eſt. Placuit autem conductoribus ejus, ut haud longe de aſino deponeretur, & pedes ad monaſterium uſque graderetur. Sed dum deponitur, rurſus evadit, & curſum ad Iſaram tendens, ut in eam ſe præcipitaret, Deo volente, à famulis eccleſiæ anticipatur, captuſque in monaſterium, cui tamquam incendio proximare timebat, tandem introducitur; ubi cum introduceretur, cujuſdam monachi, eccleſiæ noſtræ ſacriſtæ, ventrem pede graviter eliſit. Quid plura? Parentes ejus & amici orant beati viri ſuffragium, quatenus ipſum dignaretur habere ſervum, & ab ipſo expelleret dæmonium. Cumque noctem in precibus ducerent inſomnem, & homo minime à clamore ceſſaret, repente munere divino reſpectus, cœpit paulliſper dormitare, continuoque expergefactus, adſtantes ſibi tranquilla voce convocavit, & quæ circa eum divina pietas operata eſſet manifeſtavit: confeſſuſque peccata ſua, vivifico corpori & ſanguini noſtræ redemtionis communicavit, & incolumis

Circa Ann. Ch. MXCIV. Apr. VIII.

Dæmoniacus furibundus liberatur.

* f. Stain.

Item dæmoniaca.

Item alius.

* Chambley.

Digitized by Google

Circa Ann. Ch. MXCIV. Apr. VIII.

ad propria remeavit. Multa eſſent narranda quæ circa dæmonioſos facta ſunt miracula; ſed ob faſtidium legentium devitandum, ad alia transeamus.

Aſnieres. Mutus recipit loquelam.

4. Adoleſcens quidam mutus de villa-Aſinariæ * beati viri miſericordiam imploraturus advenit; cumque cum aliis infirmis ante viri Dei tumbam pernoctaſſet, die altera, quæ Dominica habebatur, ſacriſta univerſos poſt Miſſas exire cogente, hic ſolus de loco moveri non potuit. Tunc ſacriſta ei panem & caſeum quatenus reficeretur obtulit. at ille nutibus quibus potuit ei ſatisfecit, ſe nullum prorſus accipere edulium, donec recipere mereretur eloquium. Itaque ſacriſta poſt prandium fratrum oſtium aperiente; ecce occurrit ei adoleſcens bene & diſcrete * loquens, Deum & ſanctiſſimum ejus famulum benedicens. Subſequenti deinde ſabbato, cum multo ſuorum vicinorum parentumque comitatu rediit, & vota ſua, pro dato ſibi beneficio, cum eiſdem exſolvit. In eadem villa puer cujuſdam militis, nomine Goſleni, filius gravi puſtularum morbo per totum corpus tenebatur, & quia nulla medicorum arte curari potuit, perſuaſum eſt patri ipſius, quatinus puerum ad virtutiferam beati viri ſepulturam deferre faceret: quod & factum eſt. Evolutis denique paucorum dierum curriculis, puer omni qua tenebatur morbi peſte caruit, incolumiſque duobus eccleſiæ noſtræ monachis in eamdem villam occurrit; cujus parentes eiſdem monachis læti obviam proceſſerunt, & per eoſdem munus caritatis monaſterio noſtro deſtinaverunt.

* *f.* diſerte.

Puer à puſtulis ſanatus.

Gournay.

Sutoris manus immobilis curatur.

5. In caſtro Gurnayo *, quod in Normanniæ confinio ſitum eſt, quidam manebat, qui iter faciens manum perdiderat, ut non dicam quippiam operis agere, ſed nec ad os ſuum ducere poſſet. Erat autem hic ſutor, cumque, ſicut conſueverat, manibus ſuis laborando inopiam ſublevare non valeret, & egeret; quadam die dolore ſimul & ira motus, ſumta dolabra manum debilem ſuper truncum ligneum poſuit, ut eam abſcinderet. Quod cum fieri uxor ipſius videret, compeſcuit eum dicens: Non placeat domino meo illud inconſulte, & improvida præcipitatione facere, nec injurioſum videatur conſilium meum audire. Jam fama vulgante beati viri opinionem, compertum eſt quod in loco ſepulturæ illius multa divinitus infirmis beneficia præſtantur; ideoque mihi ſalubre eſſe videtur ad ipſum locum quantocius properare, & ſancti ipſius ſuffragium efflagitare. Non ſunt magnæ viæ & laboris ſubeunda diſcrimina, non magni ſunt portandi ſumtus in viam: nihil tibi id adtentare oberit, ſed plurimum Deo juvante proderit. His dictis, adquieſcit homo uxori ſibi bene conſulenti, & ut impleretur quod dictum eſt: Salvabitur vir infidelis per mulierem fidelem, Pontiſarenſe expetiit cœnobium, in quo ſuffragantibus beati viri meritis, fugata infirmitate, priſtinum manus recepit officium, vitæ ſuæ ſolatium. Gratulabundus itaque ramoſam cœpit manum extendere, & quaſi laudando dicere: Gratias Deo & ſancto Gauterio refero, quoniam adhuc iſta manu multas pelles caprinas & bovinas conſuam, juvanteque Deo laborabo, unde domus meæ inopiam ſublevabo; & hæc dicens cœpit abire: & cum non longe eſſet, reſpiciens monaſterium cum gaudio remeavit, oblationemque ſuam ſuper ſancti tumulum poſuit. Hæc iterum & tertio ex abundantia lætitiæ ſimili ſcemate perfecit.

1. *Cor.* 7. 14.

Aunay.

Corpore inflatus ſanatur.

6. De villa Aveſnis *, quæ eſt in pago Vilcaſſino, faber quidam, nomine Robertus, advectus eſt; qui miſerabiliter ad utris inſtar, ventre ceteriſque membris inflatione maligna protenſis, mortem vicinam ſuſpectus opperiebatur. Hic continue reſupinus jacens, in dextrum ſive ſiniſtrum latus, vel modicum verti non patiebatur. Hujus, mira dicturus ſum, nervi ita inflexibiles erant, ut neque ſedere neque genua curvare poſſet; & ſi quando neceſſitate compellente de lecto levandus eſſet, more ligneæ vel lapideæ imaginis, toto corpore inflexibili permanente erigeretur. Sed

Digitized by Google

& illud non celabo, licet quibuſdam dictu turpe eſſe videatur, quoniam crebros per ſeceſſum ſonitus emittebat, ut in quocumque loco eſſet, nullo modo ſe temperare valeret. Talibus incommodis affectus, ante venerabile beati viri ſepulcrum deponitur; obnixius deprecatur, ut aut mors aut ſoſpitas ſibi daretur, ne diutius his doloribus torqueretur. Et ecce patrocinantibus beati viri meritis, cœpit æger meliorari, & paullatim ab ipſa inflatione relaxari: & non multo poſt integerrime convaleſcens, liberatori ſuo pro conceſſa ſibi ſanitate gratias retulit.

CIRCA ANN. CH. MXCIV. APR. VIII.

7. Illud etiam ſilendum non eſt, quoniam quidam civis Belvacenſis tanta morborum gravabatur anxietate, ut vix cibum ſumere, vix dormiendo requieſcere valens, de ſemetipſo omnimodis deſperaret. Hic cum virtutum beati viri audiret opinionem, de Dei pietate confidens, & ultra vires ſuas præſumens, baculoque membra languida ſuſtentans, Pontiſaram ducens cœpit iter carpere, & quod ſanus mediæ diei ſpatio potuiſſet peragere, vix æger ſeptimo die tranſacto potuit conficere. Veniens autem ante viri Dei ſepulcrum, precum devotionem fideliter obtulit, ſalutemque diu deſideratam recepit, & lætus ad propria diſceſſit: iterque quod, ut dictum eſt, infirmus vix ſeptem diebus perficere potuit, nunc ſanus uno, & ipſo non integro, die confecit.

8. Item de burgo ſancti Dionyſii [a] quædam mulier advenit, quæ ita renibus contracta erat, ut nuſquam greſſum per ſe movere poſſet, ſed baculis hinc inde ſub aſcellis poſitis ſuffulta, utcumque ſe trahebat. Cumque multo tempore huic injuriæ ſuccubuiſſet, audita miraculorum fama, quibus famulum ſuum Dominus glorificabat, ad ejus ſalutiferum venire ſepulcrum diſpoſuit. quod & fecit. Veniens autem, & devotas Domino cum lacrymis coram venerabili viri Dei ſepulcro preces offerens, corporis ſui reparationem fideliter exſpectare cœpit, nec diu ſua exſpectatione fruſtrata eſt. Optatam namque ſuo corpori vegetationem adeſſe ſentiens, conſtanter ſe erexit, erectaque firmiter abſque baculorum ſuſtentamine incedere cœpit, & gratulabunda baculos ſuos, ut ita dicam, pedes obtulit, qui multo tempore ob indicium tanti miraculi ante viri Dei tumbam pependerunt.

a Contracta erecta.

9. In Gonſana-villa *, quæ eſt in Pariſiaco territorio, puer quidam dolore capitis vehementer angebatur. Invaleſcente autem morbo, in tantum dolor ipſe deſævire cœpit, ut tribus diebus puer abſque ullo cibi amminiculo, clauſis jam quaſi vicina morte oculis, permaneret, & per ſingula momenta jam deceſſiſſe videretur. Tunc parentes filii ſui dolore permoti, utile tandem conſilium repererunt, quatinus prædictum puerum beato viro in ſervitium traderent, ſi ab infirmitate qua tenebatur ipſius meritis relaxaretur. Et ecce die tertio per aurem ipſius pueri tres vermes egreſſi ſunt, cœpitque paullatim meliorari; ſexto autem die iterum ſex vermes per eamdem aurem emerſerunt, omniſque dolor fugatus eſt. Sed non minori in eadem villa claruit vir beatus miraculo. Quidam etenim cadendo humerum fregerat, cumque præ dolore ipſius fracturæ nullam neque dormiendo, neque cibum capiendo requiem habere poſſet, humana nihil prorſus proficiente medela, divina tandem quæſivit auxilia. Cœpit namque beati viri nomen lacrymis invocare, quatenus pietate ſua dolorem ſuum mitigaret; quem ſi diutius ſuſtineret, dulcior ſibi mors quam vita foret. Et ecce dum quadam nocte levi paullatim ſopore deprimeretur, beatus Galterius adſtare ſibi videtur, humerumque ſuum manu ſua leviter tangere, ac deſuper ſignum crucis facere conſpicitur. Evigilans nullum deinceps ejuſdem fracturæ dolorem ſenſit; & quia beatus Galterius ſibi adſtiterit, remediumque contulerit, evidentibus manifeſtavit indiciis.

* *Gonſenville.*

Puer à capitis dolore ſanatur.

Humeri fractura ſanatur.

a Vulgo *S. Denys en France*, opidum celebri abbatia inſigne.

Digitized by Google

Circa Ann. Ch. MXCIV., Apr. VIII.

Gutturis tumor.

10. Cujuſdam hominis guttur intumuerat, ita ut vix quidem loqui, aut glutire quidquam niſi liquidum poſſet. Erat hic de villa, nuncupata Serannia, quæ eſt in territorio Trecaſſino. Cumque hac peſte laboraret, auditis beati viri virtutibus, promiſit ad menſuram ſtaturæ ſuæ unoquoque anno ſe ei candelam delaturum, vel miſſurum, ſi ipſius meritis ſalutem adipiſci mereretur. Adepta vero ſalute, ipſo quidem anno votum reddidit: ſed ſuccedentibus proſperis, oblitus eſt homo prioris adverſitatis, immemor etiam factus eſt ſponſionis: unde factum eſt, ut priori vexaretur incommodo. Quod videns mater ejus dixit: Merito, fili, hæc pateris, quia beneficia Dei, quæ per beatum virum tibi collata ſunt, in oblivionem tradidiſti, & votum quod voviſti non reddidiſti. Ecce enim anni duo tranſacti ſunt, ex quo candelam ad beati viri ſepulturam non detuliſti, neque miſiſti; deprecare ergo veniam, ſponde emendationem, ut tuam Deus ſuſcipiat ſatisfactionem, & tuam ſecurus exſpecta liberationem. Quo facto, in proximo omni illa peſte caruit, quantociuſque ad viri Dei ſepulturam properans, quod injuſte detinuerat ab annis prioribus cum ſatisfactione reddidit, & quæ ſibi evenerant monaſterii Fratribus cum atteſtatione narravit.

11. Quidam etiam homo præ nimio dolore capitis ſurdus effectus fuerat. Erat autem de opido, quod Marinas * vocitatum eſt, quod etiam eſt in pago Vilcaſſino. Cumque in eccleſia, in qua viri Dei corpus requieſcit, orando fideliter ipſius ſuffragium præſtolaretur, nil eorum quæ in eccleſia Fratribus divina myſteria celebrantibus cantabantur audire poterat. Quadam vero nocte dum Fratres in vigiliis occuparentur, ſurdus ille cœpit paullisper dormitare, viditque beatum Gauterium ſibi adſiſtere, & leniter blanda manu caput ſuum undique palpare. Deinde expergefactus, clare ea quæ dicebantur à fratribus audivit, quæ ſicut jam dictum eſt nullatenus audire ei facultas fuit, & quanto vixit tempore huic ſurditati minime ſubjacuit.

* *Marines.*

Surdus recipit auditum.

12. Mulier quædam, quæ erat de caſtello Marleyo [a], quod eſt in territorio Pariſienſi, utriuſque manus officia penitus amiſerat: nullatenus enim digitos, quos morbus curvaverat, erigere poterat. Hæc cum conjuge ſuo præſidia viri Dei adeptura venit, multaſque, quas ipſe dolor animi dictabat, luctuoſas voces emittens, tandem ſub lapide, quo beati viri ſepulcrum tegitur, obdormivit. Evigilans autem, ut ſuis optatum vigorem manibus adeſſe perſenſit, mox exſiliens cum magna cordis alacritate, manus per aëra movit, & curvans digitos, iterumque ſæpius eos erigens, præ gaudio clamare cœpit: Deo gratias, manus habeo, manus inquam habeo, quarum licet figuram gerebam, utilitate tamen carebam. Hæc & alia ſæpius repetens, ſe beati viri ancillam fore deinceps vovit, gaudenſque ad propria remeavit. Quid etiam cuidam ejuſdem caſtelli incolæ contigerit, manifeſtabo. Hic metendi gratia in agrum pergebat; eum non longe adhuc ab ipſo caſtello proceſſiſſet, quadam tactus paſſione, quam medici caducum morbum vocant, in terram repente cecidit. Circumſtantibus autem eum multis, ecce ſupervenit mulier, quæ dixit: Si ad menſuram ſtaturæ ſuæ candelam ad viri Dei ſepulturam deferret, numquam amplius iſto morbo laboraret. Quam vocem ipſe audiens, ſed mulierem videre non valens: O mulier, numquid quod facere mihi ſuaſiſti aliquo experimento didiciſti? Ad hæc illa: Hac utique, inquit, paſſione ſæpius laborabam, donec perſuaſum eſt mihi ad modum ſtaturæ meæ candelam ad memoratum locum deferre; quod cum feciſſem, perfecte ſanata ſum. Hæc ille audiens, cum quod ſibi à muliere perſuaſum fuerat facere ſpopondiſſet, ſtatim ſurrexit, & ex illa hora ab illa, qua tenebatur paſſione, immunis per-

Caduco morbo laborantes ſanantur.

[a] *Marly*, ubi nunc exſtat domus regia non longe à Verſaliis. Duplex eſt, Marleyum-caſtellum, *Marly-le-châtel*, & Marleyum-burgus, *Marly-le-bourg*.

Digitized by Google

ſeveravit. Hæc nobis ab eodem qui ſanatus eſt, fideli narratione comperta ſunt. Sed nec prætertire volo quomodo mulier quædam, Ermetrudis vocata, gemino ſuorum oculorum lumine privata, beati viri meritis ſit illuminata. Hæc erat de villa, quæ Marlero eſt vicina. Cumque viri Dei virtutes auribus ejus inſonuiſſent, plurimum fidens in Domino, manum puero dedit, & uſque ad venerabile ſepulcrum ejuſdem ſe trahere fecit. Completis autem tribus diebus in lacrymis, & contritione cordis, mulier viſum recepit, & exultans, viæque ducem ulterius non repetens, ad ſuam manſionem repedavit.

Circa Ann. Ch. MXCIV. Apr. VIII.

Cæca viſum obtinet.

13. Illud etiam ſcribere placuit, quod quidam vir, Ingo vocatus, quibuſdam monaſterii noſtri fratribus bene notus, obtentu viri Dei, viſum pariter & auditum eſt adeptus; & hic erat de pago Meldicenſi, de villa quæ Domnus-Martinus * dicitur. Infirmitate ſiquidem capitis pergravatus, viſum pariter & auditum, ſed non ex toto perdiderat. Lucem namque diei, ſed non adeo ut quidquam plene cognoſcere poſſet, videbat; ſonitumque alte clamantis audiebat. Dictum eſt autem ei, ſed ut verius dici poteſt, clamatum; quoniam ſi Pontiſaram pergeret beati viri ſuffragium expeciturus, viſum procul dubio auditumque foret recepturus. His verbis fidem accommodans, ſine dilatione locum beati viri virtutibus inſignem petiit, ubi ipſius interventu cæcitate fugata, auditum recipere meruit. Regrediens autem via qua venerat, cum per nemus quod adjacet Francorum-villæ * tranſitum faceret, admiratus dixit illud nemus minime vidiſſe, cum jam alia vice per eumdem callem tranſierat.

Alius viſum & auditum.

* Dommartin.

* Franconville.

14. Factum eſt autem, cum innumera multitudo ad beati viri ſepulcrum, alii vota ſua depoſituri, alii pro variis infirmitatibus ſuis deprecaturi convenirent, cœperunt multi ſancto viro detrahere, & venientes ad eum diſſuadere, dicentes: Non eſſe bonum illum vocari ſanctum, quem paullo ante viderant ceteris mortalibus ſimilem, hujus vitæ paſſionibus ſubjacere, eſurire, ſitire, comedere, bibere. Inter quos fuerunt duo, Hilduinus & Erembergis conjux & conjugata, qui præ ceteris ipſius virtutes obfuſcare nitebantur, & ipſum nec eſſe nec dici debere ſanctum aſſerere conabantur. Cumque diu in hac mentis obſtinatione perſtitiſſent, placuit divinæ diſpenſationi illos hoc corrigere modo. Nam cum quadam nocte ambo in lecto quieſcerent, viſum eſt mulieri juxta beati Gauterii ſepulcrum ſtare, & ex parviſſimis dolaturis, quales lancearum ſive ſagittarum haſtas polientes faciunt, aquam calefacere, & in eadem aqua ceram mollire. Et ecce adſtitit ei perſona habitu, viſuque venuſtiſſima, cujus ſplendore tota fulgebat baſilica, quæ eam his videbatur compellare ſermonibus: Ut quid, ô mulier, cum tuo viro, ſervo meo detrahis, & eum nec eſſe, nec ſanctum vocari debere aſſerere niteris? cujus audiens virtutes non ſolum non credis, ſed & obfuſcare conaris. Scias profecto illum & eſſe, & vocari ſanctum me velle, qui juſſis meis obtemperans hoc promeruit, quatenus & eſſe ſanctus debeat & vocari: niſi te & virum tuum ab hac ſtultitia correxeris, corporum rerumque veſtrarum damna maxima patiemini. Evigilans hæc per ordinem viro ſuo nuntiavit, & non multo poſt Pontiſaram ad venerabilem viri Dei ſepulturam pergens, dolaturas in viſione ſibi monſtratas inibi reperit: ut autem nulla in cordibus eorum ex hoc remaneret ambiguitas, filius eorum capitis infirmitate, quæ phreneſis vocatur, in amentiam verſus eſt; quem tollens mater ejus ad ſæpe memoratum locum detulit, ubi ſopito capitis dolore ſenſum recepit. Evolutis deinde paucis diebus, pretioſam albam ad eumdem locum cum viro ſuo detulit, & ea quæ circa eos geſta fuerant veridica relatione retulit.

Ejus ſanctitati detrahentes divinitus puniuntur.

15. Eſt & adhuc quod de viri Dei virtutibus dicatur. Quidam namque juvenis de Labivilla, ſic enim vicus ipſe in quo manebat dicitur, ad jam

Amenti ratio reſtituitur.

Digitized by Google

Circa Ann. Ch. MXCIV. Apr. VIII.

dictum locum adducitur, vocabatur & hic Valbertus *, qui capitis dolore multo tempore correptus, vires eundi, vel etiam quidpiam agendi perdiderat, multaque delira, veluti mente captus, verba proferebat. Factis autem inibi ſeptem ferme diebus, videt in ſomnis beatum Galterium prope adſiſtere, manumque capiti ſuperponere, ac ſigno crucis undique ſignare. Quo viſo cum evigilaſſet, omnem ſenſit aufugiſſe dolorem, votique compos effectus alacriter ſuam reviſit cognationem. Alia vice quædam mulier ex eadem villa, cum quadam die jam incumbente nocte tranſitum faceret per quemdam locum, in quo anguſta via inter duas domos habebatur, obviavit ſpiritui maligno, qui ſpeciem habere videbatur quaſi nigerrimi homuncionis. Qui inſufflans in faciem ejus, dixit: Hoc modo porrectam tuam calidam ſufflando refrigerabo. Quæ ſtatim amens effecta, quouſque ſanitati redderetur, crebras ab imo pectore extrahens ſufflationes per os emittebat. Quid plura? A parentibus & amicis ligatur, & aſino bajulata juxta viri Dei ſepulcrum deponitur. quam cum fratres monaſterii aqua exorcizata & benedicta aſpergerent, ita torquebatur, ut penitus velut exanimis eſſe videretur. Verumtamen meritis viri Dei ſenſum recepit, & quomodo hæc quæ ſupra ſcripta ſunt ſibi evenerint incommoda, omnibus audire volentibus enarravit.

* *Boll.* Galterius.

Item mulieri.

16. De Pontiſara quoque quidam juvenis adducitur, qui cum die de villa, quæ Cergiacus * appellatur, cum matre ſua Pontiſaram regrederetur, eamdem matrem ſuam verbis ſuis vehementer ad iracundiam concitavit; unde nimis exacerbata, horrenter ei maledixit. Qui protinus matrem relinquens, in amentiam verſus ire per devia cœpit. Denique parentes ejus & affines ipſum veſanire cognoſcentes, loris conſtrictum ligaverunt, & ad virtutiferam beati viri memoriam perduxerunt. Hic barbara quædam & inaudita ore referebat, & quæcumque pro reſtauratione ſenſus ejuſdem à fratribus monaſterii bona fiebant, flocci pendebat & irridebat. Verumtamen abbas ſanctæ memoriæ Thetbaldus a, fratreſque ſub eo degentes orationibus inſiſtebant, viri Dei merita ſupplicantes, quatenus integer ſenſus eidem deliro reformaretur. Quorum vota Deus exaudiens, meritis beati Galterii ſenſum ſuum integerrime recuperavit, & Deo liberatorique ſuo grates innumeras reddidit, ſeque ſervum illius quotannis unam candelam ſolventem ſpopondit. Hic vocabatur Hubertus. Quidam inſanus de Pontiſara, qui licet manus haberet ligatas, & cuidam trunco per medium corpus datus * eſſet, violenter tamen brachia ſua propriis dentibus corrodebat, per merita ſancti Galterii ſenſum integre recepit, & gratias agens ad propria remeavit.

* *Cergi.*

Et aliis duobus.

* ligatus.

17. Hæc de ſancti viri virtutibus narrare ſufficiat. Pauca quidem, quæ per eum divina bonitas operari dignata eſt miracula ſcripſimus, plurima prætermittentes. Multos enim fractis ligneis & ferreis compedibus de carcere liberavit. Teſtantur hoc ferrea vincula, ante ipſius ſepulcrum ab his qui liberabantur appenſa. Multos quotidie variis detentos infirmitatibus ante venerabile beati viri mauſoleum ſuperna pietas ſanare dignatur, quæ ideo prætermiſimus, ne legentibus faſtidium generemus. Hæc autem ſcripſimus, ut quanti ſit apud Deum meriti monſtraremus.

18. Quidam juvenis de Goſengies, qui apud Vilers morabatur, dum quadam nocte cum uxore ſua dormiret, omnium membrorum ſuorum virtutem amiſit. Hic ad ſanctum Gauterium allatus, orationibus ejus ſanus effectus eſt, & gratias agens præſente Epiſcopo Ambianenſi, ad propria repedavit.

a Theobaldus ſancti Walterii ſucceſſor, qui monaſterium Pontiſarenſe optime dicitur rexiſſe ad ann. 1114.

Digitized by Google

EXCERPTA EX ALTERA VITA.

Galterii patria.

1. IN Ambianenſium finibus territorii Vimacenſis [a], pago, qui dicitur Andain-villa *, Galterius exſtitit oriundus, &c.

* V. Ain-ville.

In abbatem Pontiſaræ eligitur.

2. His temporibus non longe à Pontiſaræ caſtro fratres quidam monachali regulæ ſe ſubjicientes, locum elegerant ad inhabitandum, ubi fundato monaſterio poſſeſſiones fidelium devotio contulit, quibus ſuſtentarentur divinis officiis mancipati; neve ſine paſtore eſſent ſicut oves errantes, deliberare de abbate cœperunt. Famam autem jam dicti viri longe lateque diffuſam ſecuti, elegerunt eum, ut ad hoc induceretur operam omnimodam exhibentes. Qui recuſans fortius & renitens, cum difficultate tandem victus eſt. Receptaque pontificali benedictione, cum à rege Philippo, monaſterii ſui advocato, ei paſtoralis baculus traderetur, manuſque regia prope recurvum eum perſtringeret; Abbas ſuper manum illam baculum per recurvum accepit, dicens: Non de ſubtus manum tuam, ſed deſuper baculum iſtum recipio. Non enim à te regimen eccleſiæ ſuſcipio, ſed à Deo. quod opus ſtrenuum Rex & qui aderant intra ſe commendantes, tantam cœperunt humilis perſonæ conſtantiam revereri.

A B. Virgine monitus.

3. His diebus ſingularis vitæ meritis, digno divina revelatione Galterio apparuit mater Domini beatiſſima Virgo, ſic dicens: Surge Galteri, præpara iter, & vade apud Bertolcourt, & ibi prope diſpone eccleſiam: elegi enim ibi locum, ad quem feminæ conveniant ad exhibendum mihi ſervitium & honorem. His dictis diſparuit, relinquens virum ſuper auditis libra diſcretionis indicium trutinantem; & quia nondum fidem adhibebat, ſuperſedit executionem mandati. Reverſa denuo beata Virgo, miniſtrum ſuum pigritiæ arguens, iteranſque mandatum, ictum manus faciei ejus impreſſit, ita quod digitorum veſtigia in facie diu poſtmodum apparuiſſe dicantur. Cogitans apud ſe, & dicens quia Bertolcourt non vidi, & locum neſcio, inſtructo itinere peregre profectus eſt, divinæ Sapientiæ ſe commendans: ſciſcitatuſque à viatoribus partes illas, inſtructus ad plenum, ultra urbem Ambianenſem quinque leucis diſtantem metam deſideratam invenit. Ibi in loco ſilveſtri juxta aquas quievit & manſit, domunculam ibi fabricans & capellam, ad quam ibi factus eſt populorum concurſus, ut ab eo vitæ æternæ pabulum reportarent. Sed & mulieribus ſui cauſam adventus, & revelationem ſecretius exponebat, ut ad exhibendum ibi obſequium beatæ Virgini devotas mulieres animaret. Verum, ſicut ait Poëta: Intolerabilius nihil eſt quam femina dives. Nam apud Bertolcourt dominabatur matrona quædam, cui perſuadente diabolo dictum eſt, occaſione viri illius eidem damnum non modicum imminere: nam & ſata illius turba affluens conculcaret, & quas ipſa ſibi conſignaverat poſſeſſiones, tamquam ſuperveniente exercitu plauſtra, & equites publicarent, ſi ibidem vir ille magni nominis diutius remaneret. Illa vero hoſtis antiqui conſilio acquieſcens, virum Dei à ſede perturbavit, & à ſuis finibus exire coëgit: offenſus autem, infecto propoſito, ad ſedem propriam remeavit. Verum deteſtabile facinus in brevi ſecuta eſt pœna: nam cum domina illa à ſuis quodam die ſollemni ire ad eccleſiam moneretur, ſurrexit à cathedra, & morte ſubita, retro cadens, fractis cervicibus exſpiravit. Porro licet ſatanas bonum propoſitum totis niſibus ſtudeat impedire, nihil tamen poteſt, niſi quantum ei divina permittitur poteſtate. nam ſanctæ mulieres & nobiles GODELENDIS, & HELEVIDIS *, ſe Domino devoventes, ad locum electum cum magnis poſſeſſionibus convenerunt, arbuſta etiam propriis manibus vellicantes, tam poſſeſſiones acquiſitas, quam ædificia dilatarunt. In brevi autem confluentibus aliis feminis Deo dicatis, fideliumque devotione illuc ampla beneficia conferente, eccleſia in honore beatæ Virginis ibi fundata, collatis ibi prædiis dicata eſt & dotata. Virgines autem ſub Regula beati Benedicti ibidem Deo, & beatæ Virgini ſervientes, poſt beati Galterii tranſitum anno tertio, præfatam Godelendim primam loci illius abbatiſſam conſecrari fecerunt. Porro cæleſtis ille diſpenſator, qui pendens in cruce vix unum latronem convertiſſet, per diſcipulos ſuam poſtmodum Eccleſiam ampliavit, ſanctum ſuum, antequam in loco iſto multum profeciſſet, deſolato gregi reddidit, nihilominus plantationi ejus incrementum dedit.

In Picardiam pergit.

* al. Helvvigis.

Ubi parthenonem condit.

4. Dominica in Ramis palmarum ad populum, qui eo die de proceſſionali more multus convenerat, cum præſente Comite Bellomontenſi [b] ſermonem faceret, acceſſit matrona quædam, nimis ambitioſo ornatu ſpectabilis, ita ut cauda verrente pulverem in oculos excitaret. Offenſus inde vir Dei, cum eam ſpiritu prophetico dæmoniacam appellaret, ornatus luxuriam reprehendens, clamavit inverecunda mulier, ſe ſequente Dominica ad conſpe-

Futurum prædicit.

[a] Vulgó *le Vimeux*, tractus Picardiæ ad ſiniſtram ripam Sommonæ.

[b] Notum opidum ad Iſaram flumen, vulgo *Beaumont*, in pago Bellovacenſi.

Circa Ann. Ch. MXCIV. Apr. VIII.

ctum illius multo glorioſius adventuram. ad quam reſpondit : Advenies utique, ſed in ſtatu multo diverſo ab eo quem modo geris. Sequenti vero die celebrans Miſſam, ægre complevit eam, gravi febrium vi correptus, vocatoque quodam qui breviario ſcribendo membranas paraverat, dixit : Deſiſte à propoſito, aliis utilitatibus fratrum relinquantur membranæ, mihi ulterius minime profuturæ. Acceſſit eo die ad eum nuntius Comitiſſæ Bellomontenſis, in villa quadam non longe à Pontiſara ægrotantis, ſignificans ei mandatum dominæ illius, deſiderantis plurimum viſitari ab eo. Qui vir Spiritu Dei plenus, reſpondit : Concedat nobis gratia Dei, ut in patria cæleſti me videat : non enim in hoc ſæculo amplius me videbit. Urgente vero morbo, convocatis fratribus, unctus eſt oleo ſacro, abſolvens fratres, ab omnibus abſolutus, quos de receſſu ejus plurimum condolentes conſolari cœpit, docuitque quo ſpiritu eligere deberent paſtorem, crebriſque perſuaſionibus animavit eos ad jugum Dei voluntarie portandum. Palam factus eſt expreſſus imitator Chriſti, qui poſtquam venit in Jeruſalem Dominica ante Paſſionem ſuam, diebus intermediis regnum Dei prædicare, & exhortari diſcipulos non ceſſavit. Deinde vir ſanctus die Paſſionis Dominicæ, percepto corpore Chriſti, obdormivit in Domino, evolandi ad ſuperos data ſpiritui libertate ; caro vero, quam cilicium & cinis ſemper obtexerant, ita reſplenduit, ut quoddam reſurrectionis decus extincta præferret. Cum vero corpus ejus fratres honorificæ traderent ſepulturæ, excitati fama de longe populi, lamento incomparabili, æque cum monachis, ejus receſſum planxerunt, damnum illud ſibi graviſſimum æſtimantes. Floruit beatiſſimus Galterius à tempore Leonis noni papæ, uſque ad tempus Urbani ſecundi, imperantibus Henrico patre, & Henrico filio, ſub Francorum regibus Henrico & Philippo, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo [a] nonageſimo-quinto, ab hac luce ſubtractus. Verum eadem die prædicta Comitiſſa dicitur obiiſſe, quaſi ſecuta virum, cujus deſiderabat alloquium & aſpectum. Sequente autem Dominica, matrona quæ pompoſo apparatu ſanctum virum ſicut audiſtis offenderat, ut adimpleretur prophetia ejus, arrepta à dæmonio, ad ſepulcrum beati Confeſſoris allata eſt, cujus meritis poſt multam inſtantiam precum, quas fideles pro ea offerebant Domino, liberata à dæmonio, reſtituta eſt ſanitati. Hoc poſtmodum inducti miraculo, qui variis languoribus tenebantur, gaviſi ſunt ſibi ſancti hujus ſuffragium valuiſſe, operante hæc ad gloriam ſancti ſui Domino noſtro Jeſu-Chriſto, cui cum Patre & Spiritu-ſancto, eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum Amen.

Margin notes: Et ſuam mortem. — Ad quam ſe præparat. — Obit. — Miracula ad ejus ſepulcrum.

[a] Apud Bollandum mendoſe milleſimo quadrageſimo-octavo. In codice autem Gemblacenſi deſunt hæ omnes chronologicæ notæ.

Ann. Ch. M..... III. Junii.

VITA V. HILDEBURGIS SANCTIMONIALIS PONTISARÆ.

Ex Chartario monaſterii Pontiſarenſis, cap. 134.

OBSERVATIO PRÆVIA.

BEATO Galterio venerabilem Hildeburgem adjungere viſum eſt, quæ ſub Theobaldo ejus ſucceſſore juxta monaſterium Pontiſarenſe habitavit : mos enim tunc erat in pleriſque Ordinis noſtri virorum monaſteriis receptus, ut nonnullæ devotæ mulieres ſanctimoniales, in manſionibus ad id deſtinatis juxta principale monaſterium morarentur. Ejuſmodi Hildeburgem fuiſſe patebit ex ſubjecta vita, quam ab Acherio noſtro Spicilegii tom. 2. jam editam Vitæ beati Galterii ſubjungere viſum eſt, quod hoc ſæculo labente in monaſterio ſancti Martini floruerit, ubi tandem ſepulta eſt. at mirari ſubit ejus ſepulcrum ita apud noſtros ſancti Martini monachos ignotum eſſe, ut ne quidem quo in loco poſitum fuerit, reſcire potuerimus. Nomen ejus in faſtis ſacris non occurrit, ei tamen Arthurus ſanctæ *ac* beatæ *titulum donat, ſed propria auctoritate, ut monet Papebrochius die 3. Junii Bollandiani.*

1. TEMPORE

Digitized by Google

ANN. CH. M.... III. JUNII.

Hildeburgis patria & parentes.

1\. TEMPORE quo rex PHILIPPUS Henrici regis filius regni Francorum regebat habenas, fuit quædam femina, HILDEBURGIS nomine, de nobili proſapia in pago Carnotenſi, caſtro Galardone exorta. Hujus pater exſtitit Herveus, caſtri Galardonis* dominus, potens divitiis & honoribus; genitrix vero illius Beatrix vocata, & ipſa parentili generoſitate eximia. Quæ cum infantiæ pueritiæque tranſiſſet annos, jam adoleſcentili ætate ſubeunte, nobilis adoleſcentula legaliter & honorifice, ut dignum erat, à parentibus in matrimonium conjuncta eſt viro generoſo, facultatibuſque locupletato, Roberto Ibrienſi. Succedenti deinde tempore congruo peperit tres filios, quorum primus Aſcelinus, cognominatus Goëllus ᵃ, ſecundus Vviltinus, utrique milites inſignes; tertius Robertus clericali ordine inſignitus. Deinde venerabilis matrona conſervans quod ait Apoſtolus, honorabile connubium omnibus, & thorus immaculatus, honorabiliter viro ſuo fidem conjugii cuſtodivit, corpus ſuum integerrime à corruptione adulterii atque ab aliena commixtione impollutum Domino, cui omnis munditia & incorruptio placet, adjuvante conſervavit.

*Gallardon. — Nubit. — Heb. 13.

Ejus vir fit monachus. — Pſalm. 72.

2\. Porro vir ejus momoratus Robertus, cum jam ſeneſcere inciperet, gratia Dei cor ſuum viſitante, apud ſemetipſum pertractans cum propheta David, quoniam adhærere Deo bonum eſt, & ponere in Domino Deo ſpem ſuam: & quia mundus tranſit, & concupiſcentia ejus, omnia hujus mundi oblectamenta, necnon fugitivos honores, omniaque vanitatum deliria, quæ humana corda à cæleſti deſiderio ſubtrahunt, atque ad infernalia tormenta trahunt, deſerere decrevit, ſanctorumque monachorum contuberniis aggregare perſeveranti animo ſemetipſum inſtituit. Deſiderii itaque ſui procraſtinationem non ferens, uxori ſuæ venerabili Hildeburgi, filiiſque ſuis, atque familiaribus amicis, votum ſuum patefacere curavit; quorum conſilio, licet propoſitum ſuum differre atque perturbare diutius conarentur, ordinata domo ſua, diſpoſitiſque rebus ſuis, Beccenſe cœnobium expetiit, ibique monachus effectus, reſiduo vitæ ſuæ tempore religioſe humiliterque converſatus vitam finivit, atque, ut credimus, ſanctorum monachorum cœtibus ſociatus, regnum Dei percepturus requiem ſempiternam introïvit.

3\. Poſt obitum vero Roberti, cum deinceps venerabilis vidua Hildeburgis in viduitate ſua ſe caſtificare, atque à conjugio abſtinere mallet, filii ejus & amici timentes ne, quia adhuc juvenis erat, à conſortio viri ſe abſtinere non valeret, ſuaſerunt ei quatenus nimirum viro nuberet: quorum conſilio diu multumque reluctans ceſſit invita, timens ne ſi eis credere detrectaret, aliquod turpe ſibi filiiſque ſuis, ac parentibus de incontinentia ſua emergeret. Cum ergo quidam Miles nobilis, divitiis honoribuſque fulgens, ei nubere geſtiret, conſtituto die venit cum multo militum comitatu, ut eam uxorem acciperet. Præparavit vero ſe venerabilis matrona, induitque ſe pretioſis veſtibus multicoloribus. Verum cum per gradum ligneum de domo egrederetur, repente gradus ligneus corruit, ipſaque ad terram corruens, graviter per totum corpus, maximeque circa coxas alliſa eſt. Quapropter evidentibus indiciis à Domino hoc flagello percuſſam ſe eſſe animadvertens, ſeque ipſam miſeram, meretricemque incuſans, nullatenus amplius alicui ſe nupturam poteſtata eſt.

A ſecundis nuptiis impeditur.

4\. Quomodo autem reliquo vitæ ſuæ tempore vixerit, qualiterque cor-

ᵃ Is eſt Aſcelinus Goellus, qui Ybreenſis caſtri præſidio conſtitutus ipſum Roberto Normanniæ Duci prodidit. quod cum à Guillelmo Britolii Comite legitimo domino redemtum fuiſſet, bellum inter ipſum Guillelmum & Goellum exarſit, donec capto Guillelmo, Goellus Ibreæ caſtrum extorſit, & Yſab.llam ejus filiam duxit uxorem, ex qua ſeptem filios ſu.cepit. De his videſis Ordericum Vitalem Hiſt. Eccleſ. lib. 8. ad an. 1090.

Digitized by Google

ANN. CH. M.... III. JUNII.

pus ſuum mortificaverit, quibuſque eleemoſynis & abſtinentiis, operibuſque ſanctis Domini miſericordiam promeruerit; aliquantiſper pro poſſe declarabimus. Monaſteria monachorum ſanctorum monialiumque perluſtrans, ſocietates participationeſque orationum & beneficiorum expetebat & accipiebat, eiſque caritatem pro viribus expendebat; unde locum morandi [a] apud ſanctum Petrum Carnotenſem, & apud ſanctam Mariam Columbenſem, & apud ſanctam Mariam Beccenſem, & apud ſanctum Taurinum Ebroïcenſem, & apud ſanctam Mariam Ibriacenſem ab habitatoribus locorum iſtorum expetivit, & pro voluntate ſua accepit. Apud Ibriacum hoſpitalem domum receptui hoſpitum, peregrinorum & pauperum ex proprietate ſua, filiique ſui Goëlli, furnumque conſtituit; quibus pro poſſe impenſas præparavit. Videns vero propter frequentes guerras, quas filii ſui finitimis ſuis faciebant, ſe ibi quiete vivere non poſſe, à filio ſuo Goëllo res, quas in confinio Gaudiaci * villæ, quæ eſt juxta Iſaram, jure hereditario poſſidebat, popoſcit ſibi dari, quatenus ſecure quieteque ibi vivere valeret; & ab ipſo benigne accepit. Quo impetrato Pontiſaram venit. Eſt autem ibi juxta Pontiſaram monaſterium in honore ſancti Martini, quod tunc temporis regebat THEOBAUDUS ſanctæ memoriæ abbas: cognoſcens quidem loci illius habitationem opportunam, frequentare cœpit, notaque Abbati & fratribus facta eſt, participationemque bonorum loci expetens pro voluntate ſua adepta eſt. Poſtmodum vero xenodochium juxta prædictum ſancti Martini monaſterium fecit, pauperculamque domum ad ſuam habitationem, in qua, quia erat monaſterio contigua, quoad vixit morata eſt. Adamavit itaque locum monaſterii Pontiſarenſis ſuper omnes domos quas viderat, & noverat, fecitque ex proprietate ſua intra clauſtra monaſterii domum infirmariam, ornavitque eccleſiam multis ornamentis, quæ uſque hodie in monaſterio conſervantur. Si quando victualia monachis deerant, ipſa pro poſſe ſuo illorum indigentiam ſupplebat.

* *Joüy.*

5. Hæc & alia in laïcali adhuc habitu poſita faciebat, & cum Religionis habitu indueretur, facere non deſiſtebat. Abbatem ex ſuo proprio veſtiebat, multiſque fratribus veſtimenta præbebat. Quantum autem ſibi parca fuerit, quam larga aliis, non facile valet ediſſeri. Domabat carnem ſuam multis cruciatibus, ne inſoleſceret, ſpiritumque ſubjugaret, ſecundum Apoſtolum: Spiritu ambulate. Et, Carnis curam ne feceritis in concupiſcentiis. Quis vero audiat & facile credat, quantis vicibus & per æſtatem, & per hyemem, ad orationem procumbens, ventrem & genua nudabat, & ſic terræ & pavimentis adhærebat. Hoc plane ideo faciebat, quatenus caro frigeſceret, nec libidinis calorem ſentiret. Tolerabat nimios algores, fame ſitique arebat, ut tuam, Chriſte, conſequeretur miſericordiam. Et quia Pſalterium in juventute ſua didicerat, pſalmos die ac nocte decantabat. His aliiſque bonis operibus religioſa ſanctimonialis inſiſtebat.

Gal. 5. 16.
Auſteritas.

6. Volens denique eccleſiam ſancti Martini reditibus ampliare, expetivit filium ſuum Goëllum, multiſque eum precibus deprecata eſt, quatenus pro ſalute animæ ſuæ, uxoriſque ſuæ, filiorum, filiarumque ſuarum, omniumque anteceſſorum ſuorum animabus, daret Domino & ſancto Martino, monachiſque Pontiſarienſibus in eleemoſyna hereditatem ſuam, quam habebat apud Gaudiacum. quod facere recuſavit. Verumtamen quoniam multis vicibus has poſtulationes repetivit, tandem hoc conceſſit, ut monachi tota vita matris ſuæ ſupradictam hereditatem haberent, atque poſt deceſſum ejus uno tantum anno. Factum eſt autem, cum uno anno poſt

[a] Hæc monaſteria hactenus perſeverant ſub noſtra S. Mauri Congregatione. De Carnotenſi & Beccenſi alias egimus. Columbenſe, vulgo *Coulombs*, in diœceſi Carnotenſi prope Novigentum regium, *Nogent le Roy*. Sancti Taurini antiquiſſimum monaſterium apud Ebroïcas epiſcopalem civitatem in Normannia Ibriacenſe, vulgo *Yvri*, in diœceſi Ebroïcenſi, fundatum eſt à Rogerio ejus loci domino, tempore Guillelmi ex Duce Normanniæ Angliæ regis.

Digitized by Google

tranſitum religioſæ ſanctimonialis, monachi tenuiſſent hanc eleemoſynam, ut poſt finem anni Goëllus eam in ſuam redigeret poteſtatem. Quadam autem nocte jacebat Goëllus in lecto ſuo, videbatque ſe eſſe in eccleſia ſancti Martini Pontiſarienſis inter altare principale & matutinale, ubi mater ejus faciebat mandatum trium pauperum lavans eorum pedes, ipſe vero tenebat bacinos cum aqua & manutergium, uti matri ſuæ ſerviret. Ipſa aſpiciens in eum, tamquam furibunda, loquebatur ad eum, dicens: Impie ſubreptor, quare ſubripuiſti mihi eleemoſynam, quam dederam ſervis Dei? & volebat eum percutere de cultello album manubrium habente, quem tenebat in manu ſua, dicens: Niſi reddideris mihi hereditatem meam, morte morieris. Evigilans narravit uxori ſuæ quæ viderat; ſtatimque miſit nuntium, qui faceret ad ſe venire bonum abbatem Theobaldum. Cui venienti retulit Goëllus quæ viderat & audierat, & hereditatem omnem quam habebat apud Gaudiacum Abbati ſupradicto monachiſque Pontiſarienſibus reddidit. Hæc omnia firmiter conceſſerunt uxor ejus Elizabeth, & filii ejus Robertus & Vvltinus, coram adhibitis teſtibus. ANN. CH. M.... III. JUNII.

7. Alia vice apparuit prædicto Goëllo mater ſua, manu tenens marſupium vacuum, & dicebat ei, ut præſtaret ſibi quatuor libras Drocaſenſis * monetæ. Quod & fecit, miſitque per capellanum ſuum Vvltinum ad eccleſiam ſancti Martini, ad faciendum anniverſarium matris ſuæ: ſimiliter fecit omnibus annis quibus ſupervixit. Dedit etiam decimam ſterlinorum ſuorum de redditibus, quos habebat in Anglia, omnibus diebus vitæ ſuæ. His modis religioſa ſanctimonialis terruit Goëllum filium ſuum, & manſuefecit, & amicum fecit eccleſiæ ſancti Martini Pontiſarienſis & monachis ibi Deo ſervientibus. * Dreux.

8. Mortua eſt autem Hildeburgis ſanctimonialis in ſenectute bona, plena dierum & bonorum operum. Obiit autem tertio Nonas Junii, & ſepulta in eccleſia beati Martini Pontiſarienſis. Ad cujus tumbam poſt mortem ejus miracula multa Domino faciente oſtenſa ſunt, regnante Domino noſtro Jeſu-Chriſto. Amen.

De hoc quod Hildeburgis de Ibriaco dedit quidquid habebat apud Gaudiacum.

Univerſis ſanctæ Eccleſiæ filiis tam præſentibus quam & futuris cognitum ſit, quoniam Hildeburgis mater Goëlli de Ibriaco *, dedit Deo & ſanctis confeſſoribus Martino atque Germano in eleemoſynam, pro mariti ſui, filiorumque ſuorum animarum remedio, quidquid hereditatis habebat in valle Gaudiaci. Hanc quidem eleemoſynam noluit tunc temporis Goëllus concedere, ſed Dei operante clementia compunctus tandem conceſſit, uxoremque ſuam Yſabel, filioſque ſuos Vvltinum atque Robertum concedere fecit ſupradictam eleemoſynam, videlicet quidquid hereditario jure poſſederat in valle Gaudiaci, eccleſiæ memoratorum Confeſſorum pro anima ſua & patris, matriſque ſuæ, & filiorum, filiarumque ſuarum & uxoris ſuæ, omniumque anteceſſorum ſuorum. Ut autem hoc donum firmum & ratum in perpetuum conſtaret, teſtes hos adhibuit, quorum nomina ſubtitulata ſunt. S. Roberti Baſtardi Rufi, filii ejuſdem Goëlli. S. Gauterii de Sparnone fratris ejuſdem Roberti, &c. Hæc proſecutus eſt Vvillelmus capellanus de Ibriaco, qui etiam huic dono interfuit. Hæc charta fuit ſcripta juſſu ejuſdem Goëlli in abbatia Ibriacenſi coram abbate ejuſdem loci, nomine Duranno, & Theobaudo abbate Pontiſarienſi. * Ivry.

Quando Yſabel uxor Goëlli eleemoſynam ſupradictam apud Anetum * caſtellum conceſſit, affuerunt eidem conceſſioni Vvillelmus capellanus, Garnerius Major, &c. Rogante denique & jubente prædicto Goëllo, excommunicati ſunt ab abbate Theobaldo & à monachis ſancti Martini Pontiſarienſis omnes, qui hanc eleemoſynam, quæ ſupra ſcripta eſt, injuſte calumniaverint, aut per violentiam auferre tentaverint. Fiat, fiat. *Hanc donationem diplomate ſuo confirmavit Ludovicus Francorum rex, quod datum eſt anno* MCXVI. *regni ejus* VIII. *& Adelaidis reginæ* I. *ex quo Papebrochius ad diem* III. *Junii concludit Theobaldi Pontiſara abbatis obitum male ad annum* MXIV. *à Sammarthanis revocari. Sed in his Ludovici regis litteris nulla Theobaldi occurrit mentio. Eo tamen fundamento Hildeburgis obitum anno* MCXV. *conſignavit Papebrochius, quod Goëlli confirmationem uno anno poſt matris ſuæ Hildeburgis obitum datam fuiſſe anno* MCXVI. *crediderit.* * Anet.

Digitized by Google

VITA S. VVULSTANI EPISCOPI WIGORNIENSIS IN ANGLIA.

Auctore WILLELMO Malmeſburienſi monacho.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ auctor.

1. HANC Vitam V. C. Henrico Vvarthoni debemus, qui eam inter alia monumenta eccleſiæ Anglicanæ ſub Angliæ ſacræ titulo edita, ex codice antiquo Cottoniana bibliotheca erutam vulgavit tomo 2. pag. 240. De hujus vitæ auctoris nomine & ætate conſtat, ſiquidem ſe ipſe Vvillelmum appellat in epiſtola nuncupatoria, quam Guarino priori totique Vvigornienſis eccleſiæ conventui inſcripſit. Guarinus quippe hanc dignitatem ante ſæculi duodecimi medium obtinuit, ut ex Priorum Vvigornienſium catalogo patet tomo 1. Angliæ ſacræ pag. 548. Deinde ipſe auctor paſſim ætatem ſuam prodit. Porro Vvillelmum hunc alium à celeberrimo Vvillelmo Malmeſburienſi monacho non eſſe certum videtur Vvarthoni, cujus ſententiæ facile ſubſcribimus. Nam, præter ſtili, nominis & ætatis convenientiam, ipſe ſe Malmeſburienſis aperte, uti jam obſervavit vir eruditus, indicat vitæ libro 3. capite 16. ubi lectorem plura cupientem ad libros de geſtis Regum Anglorum à ſe conſcriptos remittit: & jam antea, libro ſcilicet 1. capite 12. eodem ferme modo alios libros à ſe conſcriptos laudaverat. Nec opponere juvat vitæ auctorem capite 12. libri 1. ſcribendo Vulſtanum fuiſſe Eboraci conſecratum ab Aldredo archiepiſcopo, contrarium eſſe Malmeſburienſi, qui diſerte habet libro 1. de pontificibus Anglorum Vulſtanum à Cardinalibus legatis Vvigorniæ ordinatum eſſe epiſcopum. Etenim Malmeſburienſis nihil hic aliud voluiſſe dici poteſt, quam Vulſtanum conſentientibus, immo & urgentibus legatis apoſtolicis, ſedi Vvigornienſi impoſitum fuiſſe, quod vitæ omnino conſentaneum eſt. Deinde nil mirum eſt aliquas circumſtantias accuratius deſcriptas fuiſſe in Vita, quam data opera conſcripſit, quam in generali hiſtoria. Ceterum hæc Vita non ex Vvillelmi ſolum celebritate auctoritatem habet, verum etiam ex aliis teſtibus quos ipſe laudat; nempe ex toto Vvigornienſis eccleſiæ conventu, quo petente & beati viri geſtorum commentarios miniſtrante, hæc vita à Vvillelmo conſcripta fuit. Quin & idem auctor aliam vitam laudat à Colemanno beati Antiſtitis capellano Anglice ſcriptam, quam omnino ſecutus eſt, ut ipſe paſſim teſtatur.

An alia à Senato ſcripta.

2. Porro in ipſo codice Cottoniano, ex quo eruta eſt hæc ſancti Vulſtani vita, nuperus quidam homo, uti monet ſæpe laudatus V. C. Henricus Vvartho, nomen adſcripſit Senati Bravonii, quaſi hæc vita ab illo auctore conſcripta fuiſſet. At ſi umquam beati Vulſtoni vita à Senato exarata fuit, alia certe eſt ab ea, quam ex iſto codice à Vvarthone editam proferimus. Hujus enim auctor ſe ipſe Vvillelmum diſerte appellat; diſtingui etiam debet hæc vita Senati ab ea, quam à Colemanno anglice ſcriptam laudat idem Vvillelmus. Vitam tamen ſancti Vulſtani à Senato editam fuiſſe infitiari non auſim, cum eam Baleus, Polydorus, Virgilius, Lelandus, Voſſius & alii paſſim laudent. Ejus Vitæ, forte non immerito, ſuſpicatur Bollandus compendium eſſe, vitam beati Vulſtani, quam Capgravius edidit. Hæc certe nonnulla habet, quæ in ceteris vitis deſiderantur. Porro Senatus fuit Prior Vvigornienſis eccleſiæ ab anno 1189. ad 1196. ex Annalibus Vvigornienſibus tomo 1. Angliæ ſacræ editis, ubi Magiſter Senatus Theologus & prior Vvigorniæ appellatur. Plura de eo habentur in libello de ſucceſſione priorum Vvigornienſium ibidem pag. 548. Eumdem ex antiquo Vvigornienſis urbis nomine Bravonium à Baleo cognominatum fuiſſe obſervat Henricus Vvartho in præfatione ad tomum 2. Angliæ ſacræ, quem etiam nonnulli auctorem dicunt vitæ ſancti Oſvvaldi, quæ refertur apud Surium die 15. Octobris. Præter has vitas Hemmingus monachus Vvigornienſis aliam ſcripſit breviorem, quæ tomo 1. Angliæ ſacræ edita eſt. Fuſius ejuſdem ſancti viri geſta proſecuti ſunt Vvillelmus Malmeſburienſis, Florentius Vvigornienſis & alii vulgati ſcriptores rerum Anglicarum. Sed ſufficere viſum eſt unam, quam à Vvillemo ſcriptam diximus, hanc vitam proferre; & in notas referre, quæ in aliis obſervatione digna occurrent.

Vulſtanus ab aliis ejuſdem nominis diſtinguendus.

3. Vulſtanus, quem alii Vvolſtanum ſeu Ulſtanum, immo, ut obſervat Bollandus, Unothum ſeu Vvlnodum appellant, in monaſterio quidem Burgenſi educatus fuit, ſed monaſticum habitum in cœnobio Vvigornienſi ſuſcepit, ut ex Florentio & vitæ auctore certum eſt. Eum vero

Digitized by Google

nonnulli incaute cum alio ejuſdem nominis ex monacho Vvigornienſi abbate Glavornenſi confuderunt. quibus præivit Ingulfus, vir alioquin eruditus & diligens, qui ad annum MLXII. hæc de ſancto Vulſtano ſcripſit: Sanctus Vulſtanus quondam monachus Burgi, poſtea prior Vvigorniæ, deinde abbas Glavorniæ, tandem epiſcopus Vvigorniæ eſt effectus. At Vulſtanum Glavorniæ abbatem à Vulſtano Vvigornienſi epiſcopo aperte diſtinguit Florentius ad annum MLXXII. Clarius ea de re loquitur Hemmingus, cujus auctoritati hac in re nihil opponi poteſt. Is enim apud Vvigorniam, utroque Vulſtano vivente, ſcribebat; & unum ab altero in infra laudando libro de poſſeſſionibus eccleſiæ Vvigornienſis diſertis verbis diſtinguit. ſic quippe habet in eo libro, tomo I. Monaſtici Anglicani pag. 130. ubi agit de Godvvino Leofrici Comitis fratre, qui in extremis agens terram Salevvarpe eccleſiæ Vvigornienſi reſtituit. Cum ad extrema ductus à piæ memoriæ Vulſtano tunc temporis monacho & decano, poſtea epiſcopo, & à venerabili Vvilſtano, qui poſtea abbas Gloëceaſtre claruit, oleoque unctus eſt, & ſibi pœnitentia injuncta, &c. Ambos item ſimul memorat pag. 134. Tres itaque diſtinguendi ſunt hoc ſæculo in Anglia, immo in eccleſia Vvigornienſi, celebres Vulſtani. Primus eſt Vulſtanus, qui ex incerti loci abbate Eboracenſem ſimul & Vvigornienſem eccleſiam adminiſtravit ad annum MXXIII. quo obiiſſe dicitur vigeſimo-ſecundo ſui regiminis anno, die XXVIII. Maii, in cœnobio Elienſi ſepultus. Secundus eſt Vulſtanus Vvigorniæ monachus, quem, uti legitur in Chronico Gloceſtrienſi, tomo I. Monaſtici Anglicani pag. 110. Aldredus, tunc temporis Vvigornienſis antiſtes, in abbatem Glouceſtriæ conſecravit, anno Domini MLVIII. & de licentia regis Edvvardi ibidem conſtituit. de quo idem Chronographus poſtea ſic habet: Anno Domini MLXXII. poſt deceſſum Vulſtani abbatis Glouceſtrenſis eccleſiæ, quem eidem eccleſiæ præfecerat archipræſul Alredus, ſucceſſit ei eodem anno, ſcilicet IIII. Kal. Septembris reverendus pater domnus Serlo, qui paullo inferius à ſancto Vvolſtano epiſcopo Vvigorniæ, conſentiente Vvillelmo rege, in abbatem conſecratus dicitur. Tertius denique Vulſtanus, is eſt ipſe de quo hic agimus, quem omnes Hiſtoriæ Anglicanæ ſcriptores uno ore teſtantur anno MLXII. ad Vvigornienſis eccleſiæ regimen aſſumtum fuiſſe. Is chartis duabus Eduardi regis, quæ in generali epiſcoporum & procerum conventu apud Lundonium pro reſtitutione cœnobii Vveſtmonaſterienſis datæ fuerunt anno MLXVI. ſubſcripſit, ut videre eſt apud Ingulfum, Spelmannum, Labbeum, &c. Aliis item chartis ſubſcripſiſſe memoratur, nonnullas vero ipſe dedit, quas ſuis locis laudabimus.

ANN. CH. MXCV. JAN. XIX.

Vulſtani tres.

4. Idem ſanctus Antiſtes variis conciliis interfuit, quæ tunc temporis in Anglia celebrata fuerunt. in quibus non ſolum innocentiæ & ſimplicitatis Chriſtianæ ſpecimen dedit, verum etiam eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtudii, & vigoris epiſcopalis in tuendis eccleſiæ ſuæ juribus aliis epiſcopis præbuit exemplum. Hæc concilia ex ſcriptoribus Anglicanis laudarunt Spelmannus, Labbeus & alii Conciliorum collectores. In Vvintonienſi edita eſt formula profitendæ caſtitatis, ab iis qui deinceps ad ſacros ordines promoverentur, quam eo modo, quo in Vvigornienſi eccleſia tempore beati Vulſtani fieri ſolebat, retulit Spelmannus tomo 2. Conciliorum Angliæ, ubi ſic habetur. Ego frater N. promitto Deo omnibuſque ſanctis ejus caſtitatem corporis mei ſecundum Canonum decreta, & ſecundum Ordinem mihi imponendum ſervare, Domino præſule Vulſtano præſente. In hac formula memorabile eſt ordinandum, licet non fuerit monachus, fratris prænomine donatum fuiſſe. Hanc quippe pro monachis ſolummodo editam fuiſſe nemo dicet, cum fruſtra ſtatutum fuiſſe videretur, ut monachi caſtitatem in ordinatione Deo promitterent, ad quam voto & ſui inſtituti ratione jam obligati erant.

Variis intereſt conciliis.

Formula ordinandorum.

5. Synodum apud Vvigorniam ipſemet congregavit Vulſtanus anno MXCII. cum jam ſenio confectus eſſet, &, ut ſibi videbatur, morti proximus. Hanc autem ideò ſe convocaſſe declaravit, ut ſi aliquid forte ab eo non recte in eccleſiæ ſuæ regimine conſtitutum fuiſſet, eo adhuc vivente, ſuorum conſilio emendaretur. Hujus rei inſtrumentum editum eſt tomo I. Angliæ ſacræ, in quo ſic beatus Antiſtes proloquitur. Ego VULSTANUS gratia Dei Vvigornenſis epiſcopus, decrevi ſynodum congregare in monaſterio ſanctæ Mariæ, in cryptis, quas ego à fundamentis ædificavi, & per miſericordiam Dei poſtea dedicavi. Hæc ſynodus habita eſt anno Dominicæ Incarnationis MXCII. Indictione XV. Ad hanc ſynodum invitati convenerunt omnes ſapientiſſimæ perſonæ de tribus Comitatibus noſtræ diœceſeos, Vvigaceſtriæ videlicet, Glauceſtriæ, Vvarevvicciæ; eo quod ego longævus dierum imbecillitatem corporis mei ſentiens, & finem vitæ meæ inſtare intelligens, cupiebam res eccleſiaſticas noſtræ curæ commiſſas canonice tractare, & quæque emendanda forent, illorum ſapientiæ conſilio corrigere & emendare. Agitur potiſſimum in hoc inſtrumento de eccleſia ſanctæ Elenæ, quæ tempore ſancti Oſvvaldi, Clericis qui ibi habitabant profeſſionem monaſticam eligentibus, in monaſterium tranſmutata fuerat.

Synodus Vvigorniæ.

6. Quanta vero fuerit Vulſtani animi magnitudo, intelligere poſſumus ex ejus conſtantia in tuendis eccleſiæ ſuæ bonis contra Aldredum epiſcopum Eboracenſem, qui ea jamdudum invaſerat. Sed ea multo magis enituit, cum à Lanfranco archiepiſcopo Cantuarienſi impetitus irritos ejus conatus fecit. Cum enim Lanfrancus eum, quem imperitum & ad epiſcopalia munia obeunda ineptum eſſe putabat, è ſede epiſcopali dejeciſſet, repetiit ab eo baculum paſtoralem. At Vul-

Ejus animi fortitudo.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXCV. Jan. XIX.

ſtanus infracto animo obedire renuit archiepiſcopo, aſſerens ſe baculum, quem à ſancto Eduardo rege ſuſceperat, nemini umquam alteri redditurum fore. Litem diremit Deus miraculo, & Vvlſtanus in ſede epiſcopali confirmatus fuit, ut Vvillelmus Malmeſburienſis & alii paſſim auctores narrant. Id ad annum MLXXIV. *revocat Matthæus Vveſt-monaſterienſis, Polydorus libro 9. ad* MLXXVIII. *quod* XIII. *ordinationis Vvlſtani anno, in concilio Veſt-monaſterienſi contigiſſe ſcribit Matthæus Pariſius. Res eſt fuſius exponenda ex vita ejuſdem ſancti apud Capgravium, ubi ſic narratur.*

Vvlſtani conſtantia in Concilio.

Cum enim Vvilhelmus rex, litteraturæ inſufficientiam & Gallici ſermonis imperitiam prætendens, Vvolſtanum officio privare niteretur, convocato Concilio, jubet Lanfrancus archiepiſcopus venerabilem virum baculum reſignare cum annulo. Vir autem Dei, nec vultu mutatus nec animo, erexit ſe, & virgam paſtoralem manu tenens, dixit: Vere, domine Archiepiſcope, vere ſcio, quia nec hoc honore dignus ſum, nec huic aptus oneri, nec ſufficiens labori. Sciebam enim hoc, cum me Clerus eligeret, cum Epiſcopi cogerent, cum me dominus meus ad hoc officium invitaret. Ipſe auctoritate ſedis Apoſtolicæ in meos humeros hoc ònus refudit, & per hunc baculum, me epiſcopali gradu inveſtiri præcepit. Nunc tu paſtoralem virgam exigis, quam non tradidiſti: officium adimis, quod non contuliſti. Et ego quidem inſufficientiam meam non ignorans, & huic ſanctæ ſynodi ſententiæ cedens, reſignabo quidem baculum, ſed non tibi; ſed potius ei, cujus eum auctoritate ſuſcepi. His dictis, accedens ad tumulum ſancti Eduardi, & ſtans ante ſepulcrum, dixit: Tu ſcis, domine mi, quam invitus hoc opus ſuſceperim, quoties ſubterfugerim, quoties me, cum quærerer, abſentaverim. Fateor, inſipiens factus ſum: ſed tu me coëgiſti. Nam licet non deeſſet fratrum electio, plebis petitio, Epiſcoporum voluntas, gratia procerum: his tamen omnibus præponderabat tua auctoritas, tua magis urgebat voluntas. Et ecce novus rex, nova lex, novus Pontifex, nova jura condunt, novas ſententias promulgant. Te erroris arguunt, qui juſſiſti; me præſumtionis, qui conſenſi. Et tunc quidem falli potuiſti, ut homo, ſed numquid modo, conjunctus Deo? Non igitur illis, qui exigunt quod non dederunt, qui cum ſint homines, fallere poſſunt & falli; ſed tibi, qui dediſti, & jam deductus in ipſam veritatem, ignorantiæ vel erroris tenebras evaſiſti, tibi reſigno baculum: tibi curam eorum, quos mihi commendaſti, dimitto: tibi ſecure eos committo, cujus ego merita non ignoro. Hæc cum dixiſſet, elevata paullulum manu, in lapidem, quo ſanctum corpus tegebatur, baculum infixit, dicens: Accipe, domine mi Rex, & cui libuerit trade illum. Et exutus pontificalibus, inter monachos ipſe jam monachus ſimplex reſedit. Admirabantur omnes, cernentes virgam lapidi immerſam, & quaſi radicibus uteretur, non moveri. Cumque baculum tentantes nulla ratione evellere poſſent, res defertur in ſynodum: & Gundulfus Roffenſis epiſcopus à Lanfranco miſſus ad ſepulcrum accedens, cum baculum nullatenus movere valeret, Lanfrancus novitate miraculi ſtupefactus, una cum Epiſcopis & Rege ad tumulum properans, facta oratione, manum in vanum ad eruendum baculum appoſuit. Exclamat Rex, orat Pontifex, & ad ſanctum ait: Vere juſtus Dominus, & cum ſimplicibus graditur, & cum humilibus ſermo ejus. Deriſa eſt à nobis, frater, tua ſimplicitas; ſed eduxit quaſi lumen juſtitiam tuam. Erravit in te judicium noſtrum, & ſimplicitatem tuam Deo gratam omnibus propalavit. Auctoritate proinde, qua fungimur, immo divino judicio, quo convincimur, curam, qua te inconſultius exuimus, iterum tibi committimus & imponimus. Ille autem poſſibilitatem ſuam, & onus ſupra vires prætendens, aſſerit in loco ſancto miniſtrum ſanctum ſtatuendum. Victus tandem precum inſtantia, coram omnibus ad ſepulcrum acceſſit, virgam manu tetigit; & mox manum ejus ſecuta, ac ſi molli luto fuiſſet impreſſa, deſiliit. Lanfrancus ergo ad pedes ejus provolutus, fatetur delictum, veniam implorat, dicens ſimplicitatem ejus Deo acceptam & beneplacitam, qui ſapientiam hujus mundi ſtultam facit, ut fortes confundat, & gratiam infundat humilibus.

Renuit cedere epiſcopatu.

Miraculo confirmatur.

7. *Lanfrancum hac occaſione aliquid humani paſſum fuiſſe volunt plerique Anglicani ſcriptores, ex quibus nonnulli inde anſam ſumſerunt in eum acrioribus verbis invehendi, ac ſi voluiſſet Antiſtes, alias piiſſimus, Anglos omnes ex epiſcopalibus ſedibus & abbatiis regni exturbare, ut Guillelmo regi obſecundaret, qui eas ad Normannos, gentiles ſuos, transferri flagitaſſet. At, ut nequidem id ſuſpicemur, vetant Lanfranci ſanctitas, diſciplina eccleſiaſtica qui in eo vigebat amor, & explorata ejus in tuendis Eccleſiæ regulis, etiam adverſus Principes, animi fortitudo. Et quidem cum Vvlſtani ordinatio fuiſſet miraculo comprobata, eidem ſancto viro conjunctiſſimus ſemper in poſterum fuit, illumque, ut Vvillelmus Malmesburienſis teſtatur, adverſus Aldredi conatus egregie adjuvit: ad quem etiam & ad Petrum Ceſtrenſem epiſcopum ſcripſit epiſtolam, quæ in Acheriana editione* XIII. *eſt. qua eos invitat, ut conſecrationi Radulfi Orcadum inſularum epiſcopi, quam Thomas archiepiſcopus Eboracenſis celebraturus erat, adeſſe velint.*

Vvlſtani doctrina.

8. *Ceterum etſi Vvlſtanus fabulas Poëtarum, ut ait Vvillelmus, aliaſque prophanæ ſapientiæ aſtutias ignoraverit, ad ea tamen quæ ſui muneris erant exſequenda ſufficientiſſimus erat,*

Digitized by Google

nec erat ignarus eccleſiaſticæ diſciplinæ regularum; unde cum Lundonienſis epiſcopus Anſelmum Lanfranci ſucceſſorem impedire voluiſſet, quominus eccleſiam in Lundonienſi diœceſi conſecraret, Anſelmus ad Vvlſtanum ſcripſit, ut ipſum ea de re conſuleret, cujus ſapientiam laudat his verbis: Sanctitas & ſapientia veſtra, quæ in diuturna ætate per Dei gratiam in vobis multum creverunt; & certitudo dilectionis veſtræ, quam erga me indubitanter cognovi, hortantur me, ut in negotiis noſtris, cum res exigit, ad veſtræ reverentiæ recurram conſilium, &c. *Hæc epiſtola eſt* XIX. *libri* 3. *in editione Gerberonis. Anſelmo conſentit ejus comes individuus & vitæ auctor Eadmerus, qui libro* I. *Hiſtoriæ Novorum de eadem controverſia agens, hæc de Vvlſtano habet:* Supererat adhuc beatæ memoriæ Volſtanus epiſcopus unus, & ſolus de antiquis Anglorum Patribus, vir in omni religione conſpicuus, & antiquarum eccleſiæ Anglicanæ conſuetudinum ſcientia apprime eruditus. Hunc Anſelmus de negotio conſuluit, &c. *Idem auctor Vvlſtani reſponſionem ad Anſelmi epiſtolam refert, in qua metropolitanum ſuum ad Eccleſiæ jura fortiter tuenda adhortatur, his verbis.* Novit prudentia veſtra quotidianos labores, & oppreſſiones ſanctæ Eccleſiæ, malignis eam opprimentibus, & ipſis, quos oportuerat eam tueri, auctoribus exſiſtentibus. Ad hos repellendos, & contra tales ſanctam Eccleſiam defendere, ſanctitas veſtra locata eſt in ſumma arce. Ne igitur dubitet; non eam ſæcularis potentiæ timor humiliet, non favor inclinet; ſed fortiter incipiat, incœpta cum Dei adjutorio perficiat, inſurgentibus obſiſtat, opprimentes reprimat, ſanctamque matrem noſtram contra tales defendat. De his autem unde nobis dignitas veſtra ſcribere, &c. *Hæc autem epiſtola inter Anſelmianas locum habet, nempe tertia libri* IV. *ſed ibi non eſt integra, utpote quæ his tantum verbis incipiat.* De his autem unde nobis, &c. *Ceterum Johannes Pitſeus inter illuſtres Angliæ ſcriptores Vvlſtano noſtro locum præbuit ad annum* MXCV. *ubi ei adſcribit* librum unum homiliarum & alterum admonitionum ad diverſos, *quos mſſ. exſtare affirmat in Collegio ſancti Benedicti Cantabrigiæ. Hæc Pitſei verba Maihevus adoptavit.*

ANN. CH. MXCV. JAN. XIX.

9. *Vvlſtano adhortante Hemmingus Vvigorniæ monachus librum conſcripſit de poſſeſſionibus & privilegiis eccleſiæ Vvigornenſis, qui editus eſt tomo* I. *Monaſtici Anglicani cap.* 128. *Quid vero præſtiterit beatus Antiſtes, ne authentica eorum ſcripta perderentur, ille auctor exponit his verbis.* Scrinium monaſterii coram ſe reſerari fecit, diligenterque omnia antiquorum privilegia & teſtamenta de poſſeſſionibus hujus eccleſiæ perſcrutatus eſt, ne forte cuſtodum negligentia putrefacta, aut iniquorum avaritia forent diſtracta. Cumque ex parte ut putaverat reperiſſet, curavit ſtudioſe & putreſcentia reparare, & quæ inique diſtracta fuerunt ſtrenue adquirere; adquiſita vero inſimul congregare, congregataque in duobus voluminibus ſtuduit ordinare. In uno quidem ordinavit omnia primitiva teſtamenta & privilegia, in quibus manifeſtabatur quomodo, vel per quos primo terrarum poſſeſſiones huic monaſterio datæ ſint; in altero vero chirographa, quibus beatus Oſvvaldus archiepiſcopus, cum adjutorio regis Ædgari, terras injuſte à viris potentibus aliquanto tempore poſſeſſas ditioni eccleſiaſticæ attitulavit...... quibus ordinatis, præcepit cuncta eodem ordine in Bibliotheca ſanctæ eccleſiæ ſcribi; quatenus etiamſi, ut aſſolet, contingeret, quod aliqua negligentia teſtamentales ſcedulæ perderentur, eorum exemplaria ſaltem inibi conſcripta nullatenus oblivioni traderentur, &c.

10. *Idem Pontifex monaſterium Cathedrale multis poſſeſſionibus donavit, ut numerus monachorum ibi augeretur. Charta ea de re ex codice Cottoniano integra refertur in laudato tomo Monaſtici Anglicani, fol.* 135.

Ego VVLSTANUS gratia Dei Vvigornienſis eccleſiæ pontifex, monaſterium ſanctæ Dei genitricis Mariæ à piæ memoriæ, beato ſcilicet Oſvvaldo, prædeceſſore meo in ſede epiſcopali conſtructum, majori honore & dignitate amplificare cupiens, non ſolum in eccleſiæ conſtructione, & ornatione, verum etiam ex monachorum ibidem Deo famulantium illud locupletari ſtudui augmentatione. quod utrumque omnipotentis Dei miſeratio per me ſervum ſuum adimplere ex parte dignata eſt. Nam cum à me paullo plus quam duodecim inventi fuiſſent fratres, uſque ad quinquaginta à me ibi congregati ſunt, in eodem monaſterio Dei mancipati ſervitio: unde factum eſt, ut ſicut numerum fratrum, ita etiam ad eorum opus augere opportunum duximus poſſeſſiones terrarum. Conſilio igitur inito cum optimatibus meis, terram quamdam quindecim hidarum, quæ Alfeſtun ab incolis nominatur, multo tempore à quibuſdam potentibus hominibus injuſte poſſeſſam, maximo labore & pecuniæ donatione à rege Vvillielmo ſeniore adquiſivi, adquiſitam vero ad victum eorumdem fratrum in eodem monaſterio Deo ſervientium dedi; eamque ſuper altare ſanctæ Dei genitricis Mariæ, pro remedio animæ meæ, atque ejuſdem Regis, filiique ſui Vvillielmi ſimiliter regis, in teſtimonio tam optimatum ejus & meorum, quam etiam totius populi, devote obtuli, anno Dominicæ Incarnationis MLXXXVIII. Indictione XII. regni autem regis Vvillielmi junioris III. epiſcopatus vero mei XXVII. ingreſſionis noſtræ in novum monaſterium, quod conſtruxi in honore ejuſdem Dei genitricis, I. die ſancto Pentecoſtes. Adjuro igitur & obteſtor per nomen terribile omnipotentis Dei tam cunctos fratres & coepiſcopos

Digitized by Google

Ann. Ch. MXCV. Jan. XIX. meos ſucceſſores, quam etiam omnes fidei chriſtianæ cultores, ut ſicut ſua ſtatuta & decreta inconvulſa ſervari deſiderant, ſic hanc meam donationem & eleemoſynam ſubtrahere, vel minuere non audeant. Si quis autem, &c. Nomina enim teſtium, qui huic meæ donationi & interfuerunt & conſenſerunt, hæc ſunt. † Ego Vvlſtanus epiſcopus hanc meam donationem propria manu firmavi, & ſigillo corroboravi his teſtibus: Thomas prior cum omni congregatione Vvigornenſis eccleſiæ. Agelricus archidiaconus, Colemannus monachus & cancellarius Epiſcopi, Frithericus capellanus ejus, cum omnibus clericis Epiſcopi. Urſo vicecomes cum omnibus militibus vicecomitatus ejus. Ordricus dapifer cum omni curia Epiſcopi. Alvvinus ſimiliter dapifer epiſcopi. Ordricus præpoſitus ipſius villæ & plurimarum villarum Epiſcopi.

Mortis annus & dies. II. *Vulſtani obitum unanimi conſenſu anno* MXCV. *conſignant veteres ferme omnes Angliæ ſcriptores, quamvis recentiores nonnulli, qualis eſt vita à Capgravio edita ſcriptor aut abbreviator, cum Conſtantio Felicio eum ad annum* MLXVII. *revocent. quod mirum eſt ab his auctoribus ſcriptum fuiſſe, cum pleraque beati viri geſta, quæ ab ipſiſmet enarrantur, poſt hunc annum patrata fuiſſe certum ſit. Ejuſmodi ſunt quæ inter ipſum Vulſtanum, & Lanfrancum, ejuſque ſucceſſorem Anſelmum contigiſſe diximus. Vulſtani memoriam recolunt Martyrologiorum, tam Angliæ quam Ordinis Benedictini ſcriptores, die* XIX. *Januarii, quo reipſa die eum è vivis exceſſiſſe cenſet Johannes Bollandus. Florentius tamen Vvigornienſis, quem alii nonnulli ſecuti ſunt, ejus obitum die præcedenti contigiſſe ſcribit; ſed cum characteres chronologii, quos ille adhibet non ſibi ſatis conſtent, neceſſe eſt ut mendum aliquod in eos irrepſerit. In obituario vetuſto eccleſiæ Vvigornienſis Vulſtanus die* 20. *Januarii memoratur, diem tamen* XIX. *retinere viſum eſt,* Festum. *cum Matheo Pariſienſi, Maihevo & pleriſque aliis; & quidem hac ipſa die in Sareſberienſi Breviario ſancti Vulſtani officium novem lectionum præſcribitur. Ejuſdem ſancti viri feſtum olim in Anglia celebre fuiſſe probari poteſt ex Conſtitutionibus Richardi Poore Sarum epiſcopi, circa annum* MCCXVII. *editis, quæ à Spelmanno pag.* 158. *referuntur. Inter alias hæc occurrit.* Item decrevimus ſollemniter eſſe celebrandum & pronuntiandum diem depoſitionis ſancti Vvlſtani. *Idem à Silveſtro Vvigornienſi epiſcopo ſtatutum fuiſſe auctor eſt Matthæus Vveſt-* Translatio. *monaſterienſis ad annum* MCCXVIII. *quo anno ſacrum ejus corpus ſollemniter tranſlatum fuiſſe narrat; atque hac occaſione, uti ſcribit idem auctor, beati Vulſtani coſta Guillelmo abbati ſancti Albani conceſſa fuit, quam ille in ſuo monaſterio ſollemniter ſuſcipi curavit: inde duplex feſtum ſancti Vulſtani celebratum fuit, unum depoſitionis, alterum vero Tranſlationis. quod ultimum apud Maihevum, Menardum, Dorganium alioſque auctores, die* VII. *Junii memoratur. Eumdem porrò* beatiſſimum *virum* Romæ IX. Calendas Maii anno MCCIII. cum magna ſollemnitate canonizatum *fuiſſe ſcribit Anonymus monachus in Annalibus eccleſiæ Vvigornienſis, tomo* I. *Angliæ ſacræ editis.*

DOMINO venerabili GUARINO priori, & omni reverendiſſimo Vvigornienſi conventui VVILLELMUS amorem filii, clientelam famuli. Dudum à vobis juſſus in ſancti patris noſtri VULSTANI vita manum ponere, aliquamdiu ſubterfugi officium. Subterfugii cauſæ plurimæ; ſed ea vel prima, vel maxima, quod cum ſim imparis meriti conſcius, ulteriora viribus arrogo, ſi ſanctum laudo: non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Huc acceſſit, & præceptum veſtrum non mediocriter labefactavit metus, ne obedientiam meam quorumdam pulſaret livor, ſi opus invaderem, ut hactenus intentatum, ita meliori relinquendum. His cauſis exterritus, linguam obſtinato frœnaſſem ſilentio, niſi ſpes de pietate beati Antiſtitis concepta mederetur formidini, accurreret ſolatio. Conſuevit enim beatus Vvlſtanus nudis etiam ſe verbis amantes tum offenſarum remiſſa donare, tum protectionis ſuæ umbone defendere. Multò magis igitur perpetuam de ſe meditanti ſcripturam & venia favebit, & emolumento ſermonis non deerit. Dignabitur etiam Dominus Jeſus-Chriſtus de hoc opere amoliri omnem invidiam, quod ſuſceptum eſt non ſcientiæ ſupercilio, ſed ſinceræ devotionis obſequio. Quapropter ejus ope fretus, faciam quod imperaſtis. Non ulterius munus meum obnubet periculoſa cunctatio, ſed moram præteriti temporis exſecutionis celeritate compenſabo. Et vos quidem, dum vitalis adhuc auræ compotes probe cognoſcetis me nihil dicere, quod non ſit ſolida veritate ſubnixum, quod non ſit probabilium virorum teſtimonio compertum: adeo antiquorum mentibus inſederunt viſa, adeo juniores amplectuntur audita; poſteris vero quando geſto-

rum

Digitized by Google

rum memoria frigebit, poterit ſubeſſe dubitatio, niſi teſtem idoneum produxero. Quo circa quia nonniſi exacta fide deberent recitari geſta Sanctorum, dabo vadem non improbabilem dictorum meorum. Is erit COLEMANNUS [a] monachus veſter, vir nec ſcientia imperitus, nec ſermone patrio infacetus. Scripſit enim anglice, ne geſtorum avolaret memoria, Vitam ejuſdem Patris; ſi adtendas ad ſenſum, lepore gravi; ſi ad litteram, ſimplicitate rudi. Dignus, cui fides non derogetur in aliquo; quippe qui noverit intime mores magiſtri, ut diſcipulus; & religionem, ut quindecim annis capellanus. Hujus ego, ut voluiſtis, inſiſtens ſcriptis, nihil turbavi de rerum ordine, nihil corrupi de geſtorum veritate. Sane verbis, quæ vel dicta ſunt, vel in tempore dici potuerunt, enarrandis ſuperſedi, conſulens in omnibus veritati, ne videretur periclitari. Otioſi enim eſt hominis & ſuæ indulgentis facundiæ, cum geſta ſufficiant, verba nundinari: niſi forte ſint aliqua, quæ propter eximium ſui ſplendorem brevem exigant mentionem. Quæ cum ita ſint, hanc quæſo mihi redhibete gratiam, ut ab hoc opuſculo & æmulos dignemini ſummovere, & obſequium meum piiſſimi Vvlſtani ſenſibus, quo præſentiores eſtis, inſinuare, domini venerabiles & merito amabiles patres.

a Geſtorum notitia unde habita.

PROLOGUS.

MUlta &, ut noſtra fert opinio, innumera ſunt in Scripturis ſanctis, quibus divina dignatio mentes mortalium ad bonæ vitæ cultum informat, tum præcepta, tum exempla. Illis qualiter vivendum ſit inſtruimur; iſtis innuitur quam ſint, Deo juvante, factu facilia quæ jubentur. Natura porro hunc quibuſdam ingeneravit animum, ut quamvis utraque ſciant neceſſaria, magis tamen exemplorum quam exhortationum eos prolectet auditus. Et veterum quidem geſtis pro antiquitatis aſſurgunt reverentia; ſed alacriori capiuntur dulcedine, ſi alicujus ſancti, qui nuperrime fuit, vita producatur in medium, in qua ſicut è ſpeculo conſpicentur, ut ita dictum ſit, vivum religionis ſimulacrum. Accedit enim jocundæ relationi novitas, ne aliquis deſperet à ſe per Dei gratiam fieri poſſe, quod audit ab alio de proximo factum fuiſſe. Unde non contemnenda, ſicut opinor, cura ſucceſſit animo beati Vvlſtani epiſcopi Vvigornienſis vitam nequaquam poſteris invidere, ſed eam ſtilo qualicumque æternæ mandare memoriæ. Fuit enim vir ut noſtris temporibus affinis, ita priorum Patrum virtuti non abſimilis. quapropter benigno lectori grande paciſcor commodum, ut quamquam eum non minus quam priſcos pro miraculorum gloria ſuſcipiat familiariter, tamen pro recenti ætate mores ejus æmulo exercitii pede ſequi contendat. Nec vero hæc dico, quod multis hanc beatitudinem arrogem, ut ſicut ipſe fuit imitator Chriſti, ſic poſſint eum imitari. Pauci quin potius, pauci quos æquus amabit Jeſus, poterunt quaſi longo ad eum reſpicientes intervallo, virtutum ipſius veſtigiis inſiſtere, potius quam ipſas ſibi perfectius inſculpere. adeo quod ſalva majorum reverentia dixerim, nullo incontinentia vitiorum inferior fuit: adeo virtutum ſtudium cœptum à tenero felici ad ſenectam continuavit propoſito. Quocirca par fuerat, ut ſcriptor geſtorum ejus eſſet limatus lingua, & probatus ſcientia: quatenus ſublimia facta non humili proferrentur eloquio, & laudata laudator ſequeretur exemplo. Mihi vero nec oratoria facultas ſuppetit, nec de integritate vitæ animus applaudit. Sola me palpat & urget obedientia;

SS. geſta deſcribere quam ſit utile.

a Factus dicitur prior Vveſtbiriæ infra lib. 3. cap. 10. Colemannus monachus & cancellarius ſubſcripſit chartæ S. Vvlſtani, quam ſupra protulimus. Obiit, ut quidem teſtatur Florentius, anno 1113. die 4. Nonas Octobris. Conſentiunt Annales Vvigornienſes tomo 1. Angliæ ſacræ, ubi S. Vvlſtani capellanus fuiſſe dicitur. Plura, ut habetur infra, didicerat ex Hemmingo, de quo in obſervationibus præviis.

ANN. CH. MCV. JAN. XIX.

ne munus quod fraterna neceſſitudo imponit, ſponſum præſertim & animæ fructuoſum obſtinate recuſem. Adſit mihi Spiritus-ſancti clementia, ut eodem inſpirante noſter dirigatur ſtilus, quo auctore bene operatus eſt Vvlſtanus. Et quidem qui rhetoricis nituntur inſtitutis, ita ſermonem ſuum inſtituunt, ut poſt * auditorem ſuum benevolum, mox attentum, poſtremo docilem reddant. Ego quoque cum res expoſtulat non omitto. hic porro eo modo rhetoricari extra propoſitum eſt. Eſt enim ex abundanti argumenta quærere, ubi & ad credendum fides excitat, & ad legendum materia invitat. Qua de cauſa pio Patri lectores non defuturos arbitror, dum polus rotabit ſidera, dum ulla in mundo erit littera: hanc ipſo ſibi apud homines per Dei miſericordiam vivens locavit, & poſt fata tenet gratiam. Sed hactenus procemium traxiſſe ſuffecerit; nunc cæleſti freti auxilio, opus deſtinatum tali ordiemur initio.

* *l.* primo.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I. Vvlſtani patria & parentes.

PAgus eſt in regione Merciorum non incelebris, Vvarvvicenſis [a] dictus, is habet villam Icentunæ vocatam; cujus jam inde à proavis incolæ parentes venerabilis Vvlſtani fuere. Pater ÆTHELSTANUS, mater VULFGEVA nominati, nec tenues cenſu, nec natalibus abjecti. Conjugali affectu magis quam pruritu conjuncti meruere filium, in præclarum Angliæ decus evaſurum. puero VULSTANUS vocabulum datum, ex anteriore materni & poſteriore paterni nominis parte compoſitum. Primis elementis litterarum apud Eveſham [b] initiatus, perfectiori mox apud Burch ſcientia teneras informavit medullas. Gratum dictu, quantum jam tunc futurarum virtutum indolem crebris parturiebat indiciis, vix dum primum pueritiæ limen egreſſus, ita quod maturum, quod ſanctum prædicabilis pueri ſpirabat & loquebatur modeſtia. Jejuniis, quantum id ætatis homo pateretur, operam non negare, humiles in excelſum orationes porrigere, pueriles garritus, illecebrarum fontem primum in ſe, tum in aliis aſpernari: maturæ vitæ veſtigiis inſtare, adeo ut coævos & etiam majores natu ſupplicibus conveniret precibus, quatenus ſibi bene vivendi ſimulacrum ipſi bene vivendo effigiarent: ſi quid perperam faceret arguerent, ipſe libens correctioni manus daret. Devotio provexit uſum, ut nihil videret imitandum, quod non formaret in exemplum. Monſtrabat nimirum his factis ſe ſapientem & eſſe & fore, juxta quod divina Sapientia Salomonis innexuit litteris: Corripe, inquit, ſapientem & amabit te. Nec minus illud in ſe naturaliter rapiebat, quod olim Philoſophia ex aditis effudit ſuis. Semper aliquem bonum virum ante oculos mentis proponendum, cujus reſpectu mores componantur. Non enim à juſtitia facile deviat, qui ſemper vel Deum vel hominem cogitat, cujus timore peccata compeſcat. Habebat tunc magiſtrum, ERVENIUM nomine, in ſcribendo & quidlibet coloribus effingendo peritum; is libros ſcriptos, ſacramentarium & pſalterium, quorum principales litteras auro effigiaverit, puero Vvlſtano delegandos curavit. Ille pretioſorum apicum captus miraculo, dum pulcritudinem oculis intentis rimatur, & ſcientiam litterarum internis haurit medullis. Verum doctor ad ſæculi ſpectans commodum, ſpe majoris præmii, ſacramentarium regi tunc temporis CNUTONI, pſalterium Emmæ reginæ contribuit. Perculit puerilem animum facti diſpendium, & ex imo pectore alta traxit ſuſpiria. Mæror invitavit ſomnum, & ecce conſopito aſſiſtens vir vultus angelici triſtitiam propulſat, librorum reformationem promittit.

Adhuc infantis virtutes.

Prov. 19. 25.

[a] Godvvinus in Catalogo epiſcoporum Vvigorniæ Vvlſtanum natum eſſe dicit Hicheritonæ in Vvarvicenſi Comitatu.

[b] Eveshamenſis monaſterii & Burgenſis ſeu Petroburgenſis hiſtoriæ habentur in monaſtico Anglicano tomo 1.

Digitized by Google

Nec minus pollicito, ſed multo poſt evenit ſicut progrediens ſermo dicere perget. ANN. CHR. MXCV. JAN. XIX.

Itaque vernans ætas pueritia excluſa adoleſcentiam induxerat, & erat Vvlſtanus quantum ætate auctior, tanto ſcientia provectior. Denique numquam, ut ea fert ætas, aliqua labe caſtimoniam perdidit; ſed integri pudoris palmam in cælum intulit: aderat ei in cunctis divinæ gratiæ liberalitas, ne vacillaret arbitrii libertas. Senſerat ipſe olim infuſum ſibi cælitus caſtitatis munus, nec quin diceret ingrato ſilentio indulſit; ſed cæleſte nectar quod hauſerat, ſine livore aliis propinavit. Quod quatinus actum ſit dicam, ut poſteris liqueat quanta Dei gratia juvenem & prævenerit & ſubſecuta ſit. Reverſo Delvith ad parentes, puella è vicino nata ad naufragium pudoris & illecebram voluptatis erat moleſta. Denique manum prenſitare, oculo annuere, & cetera quæ ſunt morituræ virginitatis indicia laſcivis etiam geſtibus impudicitiæ facere ſolebat. ſed cum is caſtitatis inſtinctu impudicæ deſideria fruſtraretur, hoc modo pæne illum venata eſt. Convenerat in campum frequens cœtus adoleſcentum, cuinam lætius ludo vacans non definio. Curſitabatur, ut fieri ſolet in talibus, virentis graminis æquore; plauſui & favori adhortantium reſpondebat ſtridulus aër. Emicat inter alios Vvlſtanus, communique cunctorum judicio, illius ludi triumphum reportat. Agreſtium multitudo in laudes acclamat, eaſdemque, ut ejus famularetur auribus, repetit & geminat. Delectaretur alius his næniis, & flatu adulantium concitatus bullatas in corde formaret ampullas: at ille nec corporis nutu, nec animi motu laudantibus adquievit. Quocirca ut de hoc diabolus victus alio modo triumpharet, puellæ prædictæ quæ prope adſtaret infudit animo, ut accurreret. Illa non ſegnis geſtibus impudicis, motibus inverecundis plauſibilem pſaltriam agit, ut amaſii ſui ſerviret oculis. nec minus ille, qui verbis & tactui non ceſſerat, infractiori geſtu totus reſolutus in amorem anhelabat. Verumtamen reducto continuo ad bonum animo, & lacrymas fudit, & fugam in dumoſa & vepribus hirſuta loca intendit. Jacebat ergo longiuſcule, aliis nihilo minus jocum continuantibus. ibi multa volventi, & plurimis ſe ipſum accuſanti ſopor irrepſit, fuitque tunc prodigium conſpicari. Nubes enim ſerena, & blando fulgore oculis intuentium alludens, ſuperne deſcendit, & aliquamdiu jacentem obnubens, ſtupori ſpectantibus fuit: diſcuſſit protinus ſplendor nubis nebulam vanitatis, & ludibundos animos adoleſcentium gravitatis afflavit aura. Præcipitatis ergo curſibus illuc contendunt, ſollicitiſque ſermonibus Vvlſtanum adorſi, quid illud ſigni fuerit requirunt. Nihil ille negandum ratus eſt, ut flamma cæleſtis amoris, quæ in illum reluxerat, ſcintillaret in ſocios, rem omnem ordine aperit. Nuper ſe ſtimulis carnis aculeatum immenſum excanduiſſe, nunc ſuperno rore irrigatum & ventre & totis vitalibus algere. ſperare ſe ulterius incentivo carnis cariturum, & juvante Dei clementia, nulla inquietandum moleſtia. Dictum propheticum comitata eſt veritas rerum. Numquam enim deinceps animum vel oculum ejus ſollicitavit ullius formæ miraculum, numquam turbulenta eluvies dormientis interpellavit quietem. Hoc ſe Colemannus ab HEMMINGO ſubpriore didiciſſe aſſeverat, qui ab ipſo ſancto poſtmodum Epiſcopo ea ſe audiſſe memoraret. Solebat enim reverendiſſimus Pater, pro ætate & capacitate audientium, moderari ſermonem, & nonnumquam ſua inferre facta, ut non diffiderent ſe illa poſſe facere, quæ illum audiſſent per Dei gratiam implere valuiſſe.

Adoleſcentis.

Ejus caſtitas fruſtra tentatur.

Interea uterque adoleſcentis parens ſæcularis vitæ pertæſus, alios pannos, alios mores & devoto ardebat animo, & frequenti volvebat ſuſurro: quippe jam eis ætas progreſſior & fortuna deſpectior imminebat. Nec multa morari quin deſiderio facerent ſatis. Pater apud Vvigorniam mona- II.

Mortuis parentibus.

ANN. CH. MXCV. JAN. XIX.

chi habitum, mater in eadem urbe ſanctimonialis ſuſcepit velum. Ita devotione ſimplici & ſtudio efficaci propoſitum exſecuti, diebus ſuis expletis naturæ ceſſere. Remanſit interim Vvlſtanus in ſæculo, ſpecie non mente, non animo ſed corpore. Verumtamen ut altioris gradus exemplo in ſe virtutum ſpeciem delinearet, paullatimque mundana dediſceret, BRIHTEGI [a] Vvigornienſis epiſcopi ſe curæ dedit. Suſcepit eum libens Antiſtes, & affinium ſuffragio & ſua benignitate in juvene Dei gratiam favorabiliter exoſculatus. Nec ille favori ſuo deerat, ſed eum probitate morum etiam ab improbiſſimi & aſperi propoſiti hominibus extorquebat: quippe à quo mens inſolentior, vox præruptior, inceſſus fractior exſulabat; fugitans proterviæ, immunis petulantiæ, quodque illi ætati maximo eſt ornamento, ſervantiſſimus cuſtos verecundiæ. Cumulabat pectoris gratiam ſpecioſitas corporis; quam licet inter virtutes non numerem, non tamen omnino excludo: quia ſicut ars opificis in commodiore materia elucet, ita virtus in pulcritudine formæ ſplendidius eminet. His artibus ita ſibi amorem pontificis conciliaverat, ut ultro eum ad preſbyteratum promoveret, quamvis ille vix ægreque ad conſenſum adduci potuerit. Memorabile in juvene, quod eo gradu ſe indignum putavit; nec minus, quod acceptum dignis moribus illuſtravit. Nec ergo ad accipiendum aſpiravit per arrogantiam, nec ſemel ſuſceptum decoloravit per inertiam; adeo inedia & omni parſimonia corpus attenuare, & animi vires dilatare curabat; adeo mente ſobrius, ſermone ſerius, reverendus aſpectu, jocundus affectu, laïcum veſtibus, monachum moribus agebat. Si vero in quopiam vidiſſet reatum, ita ſermonem temperabat, ut rigor acerbæ correptionis tranſiret in materiam laudis. Non enim aſperum videri poterat, quod licet durius ſonaret, intus caritatem redoleret.

Adhæret epiſcopo Vvigorniæ.

[F]it preſbyter.

III. Obtulit ei pluſquam ſemel Antiſtes eccleſiam ſuburbanam, cujus opulenti reditus ad quotidianam ſtipem ſatis ſuperque ſufficerent: ille offerentem, ſuſpenſo in poſterum conſilio, ſæpe fruſtratus, tandem vehementius inſtanti quid animi geſtaret aperuit; fluctuantem ſæculi ſtatum menti ſuæ vileſcere, monachum ſe fieri velle, totam vitam ſuam, non per partes Deo libare cupere. Hoc accepto reſponſo venerabilis Epiſcopus magno exſilivit gaudio, juvenilemque calorem monitionum ſuarum in majus animavit claſſico. Ita votis amborum concordibus, dum quod unus cuperet, alter urgeret, Vvlſtanus apud Vvigorniam induit monachum, Brithego indulgente favorem & habitum. Hic ſi quiſpiam rhetorum more ſpatiari cupiens, auditoribus proponat quanta bona fauſtus dies ille Vvigorniæ attulerit, qui primo Vvlſtanum monachum vidit, profecto voto excidet, propoſitum implere non valens. quo circa quod lingua nequit exprimere, conetur vel animus ruminare. Illud non tacendum, quod numquam noſtro ævo fuit monachus, aut à vitiis remotior, aut virtutibus perfectior. Quocirca ſinceritate vitæ ipſius explorata, fratres illius eccleſiæ non multo poſt puerorum faciunt cuſtodem, mox cantorem, poſtremo ſecretarium; quatenus haberet liberiorem copiam orandi, & uberiorem de virtute in virtutem creſcendi materiam. quam ille occaſionem dignanter amplexus, dies jejuniis, & vigiliis totas continuabat noctes. Numerabat in deliciis quod nos inertes homines magno ducimus ſupplicio. diebus omnibus ad unumquemque verſum ſeptem Pſalmorum genua flectere, idem nocte in pſalmo CXVIII. facere. In occidentali porticu eccleſiæ, ubi erat altare omnium ſanctorum cum trophæo vexilli Dominici, obſerato aditu Chriſtum vocare, & lacrymis pulſare cælum, æthera onerare planctibus, plu-

Tum monachus Vvigorniæ.

Varia exercet officia.

[a] Is, cujus nomen auctores Angli varie ſcribunt, ex abbate Perſcorenſi factus dicitur epiſcopus anno 1033. Obiit anno 1038. menſe Decembri. de eo plura in notis ad Chronicum Vvigornienſe tomo I. Angliæ ſacræ pag. 473.

ſnam & ullum omnino lectum non habere, ſopori non indulgere, ſed ſurripere; ſuper gradus ante altare capite poſito ſe humo exponere, vel etiam codice aliquo vertici ſummiſſo, ſuper lignum tenuem invitare ſoporem. Ante unumquodque octodecim altarium, quæ in veteri eccleſia erant, ſepties in die proſterni; hæc dura non putare, ſed quod alii putarent imitari; cumque præ omnibus eſſet in virtutibus ſublimis, erat tamen ſingulis humilitate acclivis; ut aliqua vilia quæ alius facere faſtidivit, ille incunctanter expleret. ANN. CH. MXCV. JAN. XIX.

IV. Cum diabolo luctat.

Mos beato viro increverat noctibus eccleſias in vicino poſitas pſalmorum excubiis frequentare, & in ſingulis orationum vota apud Deum deponere. Ibat ergo per medium cœmiterium nec titubanti greſſu, nec ulla mentem hebetatus formidine. Hoc effectum, ut ad eccleſiam Apoſtolorum Principis quadam nocte veniret. Hæc quondam ſedes epiſcopalis fuerat, ſed eam ſanctus OSVVALDUS [a] clericis irreligioſis vacuaverat, certo & rationabili commercio poteſtatem Apoſtoli ad Matrem Domini mutuatus. Stabat ergo ante altare jam in preces effuſus, jam totus in Deum geſtiens: *Reliquum caput omiſit editor Anglus, in quo, inquit, ſequitur narratio luctæ cum diabolo, qui aſſumta ruſtici ſpecie impetum in Vvlſtanum orantem fecit. Vide Vvillelmi librum* 4. *de geſtis Pontific. Anglor. & Capgravium in Legenda nova fol.* 332.

V.

Adoleſcebat temporis proceſſu in Vvlſtano germen omne virtutum, præcipueque obedientia & ad prælatos ſubjectio. quamlibet enim durum, quamlibet videretur aſperum, ſtatim producebat velle, quamvis non ſuppeteret poſſe. Deinde & ex divinæ gratiæ fonte ſcaturivit in eum amor hominum, ut omni deliniendum putarent obſequio, quem acceptum habebat cæleſtis dignatio; Antiſtes maxime, qui ſic in Vvlſtanum afficiebatur animo, ut quovis honore dignum putaret. Nam & ſtrenue peracti officii induſtria ſpem altioris dignitatis ſalubriter exſequendi, ſi conferretur, infuderat. Hac occaſione Præpoſitus [b] ut tunc, prior ut nunc dicitur, monachorum conſtitutus, ſtatim materiam, qua virtus emineret arripuit, multis incommodis intus foriſque propulſatis. Nam res exteriores anteceſſorum incuria peſſumdatas ingenii vivacitate in ſolidum reſtituit, & interiores fræno regulari coërcuit. Quod ut efficacius faceret, vitæ ſuæ ſubjectis religioſa porrigebat exempla; erubeſcens ſcilicet prædicare, quod faſtidiret facere. Ipſam porro doctrinam non ſuo confingebat ingenio, nec cothurnato & plauſibili præferebat eloquio: quin potius majorum noſtrorum ſcriptis invigilans, hauriebat ſitibundo pectore fluenta doctrinæ, quæ poſtea mellito eructaret gurgite. licet enim mihi de beati Gregorii vita dictum mutuari, quod à Colemanno in patriam linguam, ut pleraque alia verſum ego transfudi denuo in latinum. Itaque cum in omnibus divinæ Scripturæ libris, tum in his diligentes prætendebat excubias, qui ſibi caſtimoniam commendarent, ejus integritatem in ſe alacriter exſequi, corruptionem in aliis acriter inſequi, ut uno liquebit exemplo.

[b] Præpoſitus ceteris prælucet.

VI.

Erat in eadem urbe matrona, & domeſticis opibus locuples pluſquam ſufficeret victui, & quæ formæ lineamentis curioſo intuentium lenocinaretur aſpectui: *Dein narratur quomodo Vvlſtanus mulierem ſe ad ſtuprum invitantem, impacta ei alapa rejecerit. Vide Capgravium fol.* 332.

VII. Ejus in omnes pietas.

Nec ſolum in monachos, ſed etiam in vulgus miſericordiæ ſuæ reſpergebat ſemina. Crebro enim ſummo mane diurnis expeditus officiis conſpicuum ſe præbebat ante fores eccleſiæ, ut facilior eſſet aditus volentibus ſe convenire. Ibi igitur ſedulus & pius explorator diem plerumque ad ſex-

[a] Hujus ſancti Vitam habes ſæculo ſuperiori, ad annum CMXCII.

[b] Agelvvino Vvigorniæ priori defuncto ſucceſſit poſt annum 1046. ex Florentio. Vide ſucceſſionem Priorum Vvigorniæ, tomo I. Angliæ ſacræ pag. 547.

Digitized by Google

ANN. CH. MXCV. JAN. XIX.

tam, plerumque ducebat ad veſperam: dummodo vel vim paſſis quanta poſſet ope ſuccurreret, vel pauperiorum filios baptizaret. Jam enim venalitas ex infernalibus umbris emerſerat, ut nec illud gratis presbyteri præberent infantibus ſacramentum, ſi non infarcirent parentes marſupium. Horum igitur Vvlſtanus miſeratus inopiam, illorum animo miſeratus & facto pertundens avaritiam, in baptizandis pauperibus ultroneæ dignationis impendebat officium. Currebatur ad eum ex urbibus & agris, ab *illis* præcipue quorum non intererat dare nummum, ut ſoboli ſuæ mercarentur lavacrum. Transfuſa eſt à tenuiori fortuna in divites conſuetudo, ut nemo fere illius regionis jure baptizatum aliquem ex ſuis putaret, quem Vvlſtanus non baptizaſſet. Conciliabat hanc ſuſpicionem non falſa de viri ſanctitate opinio, & de religione non temeraria præſumtio. Ferebatur ergo per Angliam ejus famæ præconium, adeo ut potentiſſimi tunc optimates Anglorum ejus amicitiam & avidiſſime optarent, & conſtantiſſime tenerent. Hanc ſibi ſecuritatem in ſecundis, evaſionem in ſiniſtris, tutelam in cunctis pollicebantur. Quorum HAROLDUS [a] & majorem potentiam conſcientia opum ſpirans, & jam tunc regnum magnanimitate morum affectans, unice diligebat virum; ita ut in itinere poſitus triginta milliaria de recto calle non dubitaret divertere, ut ejus colloquio curarum ſuarum moles poſſet avocare. Ita voluntati ejus & clientelæ deditus, ut Vvlſtanum tantum puderet jubere, quantum Haroldum non pigeret facere. Nec minorem Comiti ſanctus refundebat gratiam, ejus confeſſiones benigne accipiens, & orationum apud Deum fidus interpres. Ejuſdem dilectionis terebat orbitam ALDREDUS [b], poſt Brithegum Vvigornienſis epiſcopus, vir multum in ſæcularibus aſtutus, nec parum religioſus. Is domino Priori pro reverentia ſanctitatis granditer obſequi, humiliter parere, prorſus in omnibus ut parenti gratiſſimo deferre.

VIII. Prædicationi inſiſtit.

Nec illud ſubtraho lecturis, quod non minori quam cetera quæ dicta ſunt, dignum eſt illuſtri titulo. Animadvertens enim penuria prædicationis populum à bonis moribus diffluere, omni Dominica & majoribus ſollemnitatibus in eccleſia infundebat ei monita ſalutis. Putares ex Evangelicis & propheticis adytis verba intonare, quæ ille ex alto ſtationis plebi pronuntiabat; adeo ut tonitrua fulminabant in improbos, adeo ut imbres irrigabant Electos. Faciebat hoc ſumma modeſtia, & quantum ad ſe ſub humilitatis latebra. Verumtamen ita latere volentem invenit & carpſit invidia, quamvis carpentem cæleſtis vindicta non prætererit, ſicut ex conſequenti clarebit. Erat in eadem eccleſia transmarinæ nationis monachus, Vvinrichus nomine, ſi ad litteram jam ſpectes, eruditiſſimus; ſi ad copiam facundiæ, dicendi validus; ſi ad calliditatem ſæculi, prudentiſſimus; ſi ad morum elegentiam, pulcre compoſitus; proindeque hominibus acceptus & carus: idem alias & ira perfervidus, & ad ſuccenſendum quod diſpliceret torquente livore accomodus. Hic de prædicatione ſancti multa cavillari ſolitus, quædam ad hanc ſententiam exſequebatur. contra regulas eſſe, quod officium antiſtitis præriperet. Solius pontificis eſſe populo prædicare, qui ſolus tradita ſibi & indulta poteſtate peccata poſſet abſolvere; monacho ſilentium & clauſtrum competere, non pompatico geſtu & ſermone populi auribus inſultare. videri ergo magis alicujus ambitum dignitatis, quam exſecutionem pietatis. Hæc ille non jam tantum à tergo, ſed etiam quadam die amariore bile ſuccenſus, in os objectavit

Eum arguens à Deo punitur.

[a] Is poſt Eduardi III. qui Confeſſor appellatus eſt, obitum regno Angliæ potitus eſt, decem menſibus. quod anno 1066. ſimul cum vita amiſit in prœlio Haſtingenſi, in quo Guillelmus Normanniæ dux victor factus regnum obtinuit.

[b] Aldredus ſeu Ealredus, ex monacho Vvintonienſi abbas Taveſtoxenſis, Livingo epiſcopo Vvigornienſi ſucceſſit anno 1046. decennio poſtea epiſcopatu etiam Herefordienſi donatus eſt, quem dimiſit anno 1060. factus archiepiſcopus Eboracenſis, retento ad fere biennium Vvigornienſi, quem tandem dimittere compulſus eſt.

Digitized by Google

ANN. CH. MXCV. JAN. XIX.

Vvlſtano. Contra ille ſcuto patientiæ armatus paucis occurrit. Nihil eſſe magis Deo gratum, quam populum peſſum euntem in viam veritatis revocare; ideoque non ſe omiſſurum, ſin aliud quod gratius eſſet Chriſto addiſcere poſſet, incunctanter facturum. Ita tunc diſceſſum & dormitum. At vero ut Deus oſtenderet, quantum beati viri factum penderet, horrifica calumniatorem viſione concuſſit. Cum enim ad quietem compoſuiſſet membra in lecto, ad tribunal judicis ignoti raptus eſt animo. Ab eo itaque gravi ſeveritate increpatus, cur ſervum ſuum pridie de bono prædicationis objurgaſſet, dum ſe parum expurgat, juſſit in pavimentum ſterni, & cædi. Ita ſuccedentibus ſibi lictoribus acriter fuſtigatus, nihil aliud inter tormenta niſi, Miſerere Domine; Domine miſerere, clamitabat. Tandem laxatus interrogatur, num præconem ſuum ulterius prohiberet, quominus homines ad curiam ſuam evocaret. Ille cui nihil illius temporis neceſſitas non extorqueret, per quidquid ſanctum eſt dejeravit, ſe non modo ultra non prohibiturum, ſed etiam ultro ad prædicationem & eum & alios impulſurum: tantum ſibi miſeratio judicis vitam prorogaret in poſterum, ut illius evaderet angoris articulum. Ita fide data ne temeraret promiſſa, dimiſſus eſt. Mox ergo ut potuit, potuit autem ſtatim ut illuxit, Prioris pedibus advolvitur, genua exoſculatur, commiſſum fatetur, offenſam deprecatur. Interrogatus repentinæ mutationis cauſam, ordinem viſionis juratus expoſuit. Vadabantur veritatem narrationis lacrymæ ſinceris precibus expromtæ; livores in ſcapulis protuberantes teſtabantur nihil eum vanum vidiſſe, nihil molle ſenſiſſe. Nec difficulter veniam à Sancto impetravit; ad cujus benedictionem ſanitas rediit, dolor omnis evanuit. Fidem ergo de præſentibus exemplis mereatur, & omni ambiguo liberetur antiquitas, quæ nobis ſimile factum in beato Hieronymo repræſentat. Parum enim diſcrepat illum fuiſſe cæſum propter libros gentilium, & iſtum propter prohibitæ prædicationis officium. Idem eſt pæne propter gentilium nugas divinam Scripturam negligere, & eamdem prædicari nolle. Illud fuit tempus quo ſuper eccleſiæ tectum machinabatur fabricam, in qua dependerent campanæ. Eam vero fabricam, quo proprio nomine quam proxime appellem, in promptu non habeo. Ad illam ergo erigendam moliebatur gradus ſcalarum, quibus operantes inſiſterent. *Ex his quidam præceps ruit præſente Vvlſtano, qui facto crucis ſigno hominem periculo exemit. Rem paucis narrat Capgravius in Legenda nova fol.* 332.

IX. Aldredus legatus in Germaniam.

Interea rex EDVVARDUS Aldredum epiſcopum Coloniam ad ſeniorem imperatorem HENRICUM direxit [a], quædam negotia, quorum cognitionem cauſa non flagitat, compoſiturum. qui cum in imperatoriæ auguſtæ dignationis oculis inveniſſet gratiam, aliquot ibi dierum continuatione laborum ſuorum accepit pauſam. Ei ſeu pro ſui reverentia, ſeu quia tanti regis legatus eſſet, multi multa, quidam ſacramentarium & pſalterium, de quibus ſupra dixi, dedit in exenium. Ambos enim codices, ut ſuæ memoriæ apud illas gentes locaret gratiam, CNUTO [b] quondam miſerat Coloniam. Aldredus ergo prophetiæ quondam Vvlſtano dictæ ignarus, patriam cum renavigaſſet, libros pro merito vitæ illi ſoli arbitratus competere, reſtituit. Suſcepit ille cæleſte depoſitum, magnifice gratulatus, & gratias agens Deo, quod religioſo non fraudaretur deſiderio.

Libros Vvlſtano reſtituit.

X. Aldredus Romam tendit.

Eadem tempeſtate cum KYNEGISUS [c] Eboracenſis archiepiſcopus diem clauſiſſet, Aldredus Vvigornienſis epiſcopus ſucceſſioni acclamatur. Id Edvvardo regi ſimplicis quippe animæ bene viſum. Ille Romam pro more

a Id anno 1054. contigit, qua in legatione Aldredus anno integro Coloniæ moratus eſt.

b Cnuto ſeu Kanutus Danorum rex anno 1017. occiſo Eadmundo & pulſo ejus fratre Eduardo, Angliæ regnum occupavit, cui anno 1036. ſucceſſit Haroldus ejus ex concubina filius, iſti vero anno 1040. Cnuto ſeu Kanutus II. prioris legitimus filius.

c Alias Kynſinus appellatur. Obiit die 11. Calend. Januar. anno 1060.

Digitized by Google

ANN. CH. MXCV. JAN. XIX.

profectus, NICOLAUM tunc temporis papam votis ſuis primo abhorrentem invenit. Nam nec ille Vvigornienſi præſulatui renuntiare; nec Papa, niſi cederet, Eboracenſi eum pallio inſignire volebat. Adeo illum amor Vvigorniæ devinxerat, ut majoris honoris nomen ejus pretio ſupponeret. Diu igitur multumque conflictu habito, Aldredus reflexo pede Sutrium venit; Toſtino comite, qui cum eo venerat, magnas efflante minas, quod nummi, quos Anglia quotannis Romano papæ penſitat, hac occaſione ulterius non inferrentur. Verumtamen prædonibus irruentibus, uſque ad dolorem & miſerationem videntium nudati, Romam redire contendunt. quæ res rigorem Apoſtolicæ ſedis hactenus inflexit, ut Aldredus pallium Eboracenſe mereretur, Vvigornienſis eccleſiæ diſceſſionem pactus; meliori dumtaxat perſona, quæ in ejus diœceſi poſſet inveniri, ab eo in illam ſubroganda. Hujus igitur conditionis arbitros, & quædam alia eccleſiaſtica negotia in Anglia expedituros, Cardinales adductos Archiepiſcopus Regi exhibuit. Excepit eos Deo devotiſſimus Princeps more illo ſuo paucis imitabili, quo ſoleret in omnibus eccleſiæ Romanæ convenire moribus. Ita ſumma reverentia, honore ſummo apud ſe aliquamdiu habitos iterum ductoris tutelæ delegavit. Familiarius enim ei conviverent, cujus mores longo comitatu addidiciſſent, & commercia linguæ non ignorarent, denuo ad Paſcha in curiam reducendi. Aldredus apoſtolici præcepti tenorem ſecutus, omnemque pæne Angliam cum eis pervagatus, imminente Quadrageſima in Vvigorniam pedem reflexit: inde in prædia ſui juris profectus, ſtabilem eis manſionem apud Vvlſtanum priorem indixit. Illi conſilium non aſpernati, libenter in otium conceſſerunt, poſt viæ labores pauſæ acquieſcentes. Aderat eis humanitas hoſpitis nihil prætermittentis, quominus Anglorum dapſilem liberalitatem & liberalem dapſilitatem experirentur. Ipſe interea, & ſolitæ orationis inſtantiam & ciborum inediam non oblitus, propoſitum pertinaciter urgebat, totis noctibus pſalmicinans, protelans excubias, genua crebro flectens, ſomno penitus illudens; tribus in hebdomada diebus omnis cibi abſtemius, noctem perinde ac lucem continuabat jejunio: ipſis etiam diebus, ne ullo ſaltem laberetur verbo, perpetuo linguam cohibebat ſilentio; tribus reliquis porros cauleſve coctos vel elixos, panis cibaria adjiciens, victum tranſigebat. Dominicis porro propter feſti reverentiam, piſce vinoque frugalitatis parſimoniam ſolvebat, magis ut contineret naturam, quam deliniret gulam. Singulis præterea diebus tres pauperes affectuoſe colens, quibus Dominici ſequax mandati, & victum quotidianum & pedum exhibebat lavacrum.

Legatos in Angliam adducit.

Vvlſtanus ut Quadrageſimam ſervat.

XI.

In epiſcopum petitur.

Hæc Cardinalibus fuerunt incitamento, ut ejus mirarentur vitam, lauda[illegible] doctrinam, quam reverentiorem faciebat, dum anticiparet exemplo, quod prædicaret verbo. Denique ad curiam reverſi, dum Vvigornienſis epiſcopi ventilaretur electio, nomen ejus tulerunt in medium; eum antiſtitio dignum, qui ſacerdotio plus venerationis adjiceret, quam ipſe per illud dignitatis acciperet; cujus reſponderet natura induſtriæ, in quo conquadraret vita ſapientiæ. His laudibus ſuſcitaverunt majorem viri animum Edvvardi regis, in cujus pectore nihil umquam nundinator eccleſiarum, nihil umquam deprehendit avarus, quod ſuis conduceret artibus. Adſtipulabantur votis Cardinalium Archiepiſcopi Cantuarienſis & Eboracenſis: ille favore, iſte teſtimonio [a], ambo judicio. Accedebant etiam laudibus Comites HARALDUS & ELGARUS, par inſigne fortitudinis, non ita religionis. Ingens momentum cauſæ facti; adeo ut certatim concitatis equitibus pro Vulſtano mitteretur. Nuntii brevi multa milliaria progreſſi, ſtimulis induſtriæ celeritatem maturavere negotii. Sanctus ergo ad

[a] Teſtatur Vvillelmus in Hiſtoria Pont. Angliæ Aldredum Eboracenſem Vvlſtani electioni faviſſe, quod eum *inefficacem* crederet, qui *ſimplicitate & ſanctimonia* ejus *rapinas* diſſimularet.

curiam

curiam exhibitus, jubetur ſuſcipere donum epiſcopatus. Contra ille niti, & ſe honori tanto imparem cunctis reclamantibus clamitare. Fruſtra Cardinales cum Archiepiſcopis triviſſent operam, niſi refugienti prætendiſſent Papæ obedientiam: qua ille objecta confuſus ceſſit, & aſſenſus eſt electioni mærens, invitus, impulſus [a]. Præclare meritoque obſtinatio unius viri ceſſit hîc voluntati Dei & populi. Illud ſane non omiſerim fuiſſe tunc apud Eveſham abbatem, AILVVIUM [b] nomine, & maximæ quantum ad ſæculum prudentiæ, quantum ad religionem non minimæ. Quocirca ſæpedictus Aldredus pro pacto quod fecerat Apoſtolico, nonnullo tempore fluctuaverat animo, utrum ad epiſcopatum eligeret Ethelvvii perſpicacem induſtriam in ſæculo, an Vvlſtani ſimplicem religionem in Deo. Erant enim illi viri Vvigornienſis diœceſis diverſo reſpectu præſtantiſſimi. Verumtamen multum hinc indeque libratis cauſis, quamvis Ethelvvius ſollicite anniteretur partibus, ſuccubuerunt divinæ providentiæ humanarum præſtigiarum cautelæ.

ANN. CHR. MXCV. JAN. XIX

XII. Rex ergo Edvvardus Vvlſtanum Vvigornienſi epiſcopatu ex ſolido inveſtivit; licet illum Aldredus potentia qua vigebat, multis & pæne omnibus, ut poſt clarebit, prædiis vellicaverit. Id Sanctus, licet ægre, ut poſtea oſtendit, ferret, tamen dolorem ſilentio ſuppreſſit, cedendum tempori arbitratus. Non multo autem poſt conſecratus eſt Eboraci ab eodem Archiepiſcopo, quod Cantuarienſi Stigando Romanus papa interdixiſſet officio. Cauſam interdictionis non eſt hujus temporis allegare; ſcire volentem alias noſtræ docebunt litteræ [c]. Nec vero ſine divino nutu credi fas eſt prognoſticon ei hoc fuiſſe: *Ecce vere Iſraëlita in quo dolus non eſt.* Nihil enim verius experietur, qui ejus converſationem viderit, audierit, legerit. Ipſe porro impoſitionem epiſcopatus adeo ingrate tulit, ut diceret, ſicut qui præſentes fuere teſtantur, maluiſſe ſe decapitari, quam illud onus pati. Adeo ad quæque devia terrarum profecto præparaſſet fugam, niſi quidam amici ſuſpectam adhibuiſſent diligentiam. Enimvero animabant disjectum mærore animum, hi blanditiis, illi monitis. Blanditiis, genibus ejus & pedibus reverenter affuſi, & nonnumquam etiam oſculabundi: monitis, ne cæleſte munus gratuito infuſum impatientia decoloraret, ſed tolerantia inſigniret; obedientiam virtutum omnium eſſe ſignaculum, cui qui refragrandum putaret, nec digne haberetur clauſtralis monachus, nec popularis epiſcopus: Quocirca non ſolum moleſte ferret, verum & Deo gratias ageret, qui eum ſublimaſſet in gradum, per quem inferioribus vellet eſſe conſultum. Hæc illi. Nec vero dubitandum eſt ingenti ſanctum pectus ſudaſſe conflictu, dum in eo æquas partes facerent, & huc illucque raptarent hinc amor, inde timor. Iſte, ne ſub inſueto labaret onere: ille, ne tot probabilium virorum imperioſæ auctoritati, & populorum religioſæ devotioni videretur reſultare. Enimvero quanto ſibi videbatur indignior, tanto erat acclamatio pertinacior, dum fidem provide adminiſtrandi muneris faceret idem, quod ad adminiſtrandum meticuloſus accederet. Stulti enim eſt ad illud ſe inconſiderate ingerere, quod ignoret quanti ſit laboris expedire.

Conſecratur.

XIII. Ordinatus ergo, ut dicere cœperam, & ſub prætextu honoris Eboraci ab Aldredo relictus, non pauco tempore Vvigorniam abſentia ſua contriſtavit. Ejus interim eccleſiæ redditus uſibus ſuis applicabat Archiepiſcopus. Poſtmodum reverſo vix ſeptem villas contulit, ceteras omnes perti-

Villas eccleſiæ ſuæ recuperat.

[a] Id feciſſe à Florentio dicitur inductus à Vvlſio incluſo, qui incluſus laudatur ab Ingulfo, Capgravianæ Vitæ auctore, & continuatore Petri Bleſenſis, in nova collectione ſcriptorum Angliæ, ubi Regulam S. Benedicti profeſſus eſſe dicitur. Obiit in monaſterio Eveshamii an. 1109.

[b] Infra dicitur Ethelvvius, & in Hiſtoria Eveshamenſi tomo I. Monaſtici Anglic. pag. 151. Ethelvvinus. Mannio ſucceſſit anno 1058. exeunte, aut ſequentis initio, ad annum 1077. quo 14. Cal. Martii è vita exceſſit. At in eodem Monaſt. Anglic. pag. 132. multa de eo habentur ex libro Hemmingi de poſſeſſionibus eccleſiæ Vvigornienſis, ubi *Agelvvius* & *Ægelvvius* appellatur.

[c] Eas narrat ipſe Vvillelmus libro I. de Pontificibus Anglor. folio 116. & Florentius Vvigornienſis.

Digitized by Google

ANN. CH. MXCV. JAN. XIX. nacitet uſurpans. At Vvlſtanus, qui nihil apud eum viribus agendum noſſet, ita paullatim precibus arrogantis animi cupiditatem contudit, ut cuncta præter duodecim villas juri eccleſiæ reformaret. Eas quo tempore & quali labore Pater noſter retraxerit, ſequens ſtilus edocebit.

XIV. Ejus exercitia in epiſcopatu. Sed ut ad id quod exorſus fueram regrediar. Vvlſtanus in epiſcopum ſublimatus ſtatim ad officia pietatis animum intendit. nec mora in medio. Altera enim ordinationis die beato Bedæ dedicavit eccleſiam; pulcre illi primæ dedicationis præbens principium, qui fuiſſet litteraturæ princeps de gente Anglorum. Eo enim die tam profluа prædicatione populum irroravit, ut non dubitaretur Vvlſtanum per Spiritum-ſanctum eadem niti facundia, quæ quondam linguam moviſſet in Beda. Nec ſolum tunc, ſed & omni vita, ita fama prædicationis plebem mulcebat, ut catervatim eo videres agmina confluere; quo auditum eſſet eum eccleſiam dedicare. Ipſe etiam ultro rapiebat materiam, & ut ſemper Chriſtum ſonaret, ſemper Chriſtum auditoribus proponeret; poſtremo Chriſtum etiam, ut ita dicam, repugnantem ſuæ parti attraheret. Ita enim obſtinate inſiſtebat jejuniis & vigiliis, ita violentas orationes injiciebat cælo, ut non immerito de ipſo ejuſque ſequacibus Dominus dixerit: Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. *Matth.* II. 12. tanto æquilibrio vitam informans, ut utramque profeſſionem teneret, & neutram amitteret. Sic epiſcopus, ut religione non abjuraret monachum; ſic monachus, ut auctoritate repræſentaret epiſcopum. Remotiſſimus ab hominum moribus, quos noſtra producunt ſæcula: ſi conſuleretur, conſilioſiſſimus; ſi rogaretur, faciliimus. Cum aliquid eſſet impetrandum, abſolute deliberans, celeriter pronuntians: cum judicandum, ad juſtitiam propenſior. Nec divitem palpans pro pecunia, nec pauperem pulſans pro penuria: nulli adulationi deditus, nec ſibi adulantibus gratus. Timore principum numquam à juſtitia decedens, numquam amori eorum honore aliquo niſi debito aſſurgens. Laudatus de bono, indulgebat Dei gratiæ non ſuæ arrogantiæ: vituperatus, ignoſcebat vituperantium errori, conſcientiæ ſuæ gratulatus. quamquam id raro admodum fuerit: quia cum ipſe omnem hominem amore caritatis foveret ut ſobolem; viciſſim omnes eum diligebant ut parentem. Cordis alacritate & hilaritate faciei ſuperna prælibans gaudia, jam cæleſtis lætitiæ fontem ſpe præſumebat, quem nunc re indeficienter haurit & potat. Qui quamvis ſemper animo intimis hæreret, non tamen eum ſegnem aut hebetem in extimis Domini experti ſunt. Plures in omni diœceſi baſilicæ per eum inchoatæ animoſe, & egregie perfectæ; præſertimque epiſcopalis ſedis eccleſia, cui à fundamentis cœptæ ſupremam impoſuit manum: ubi & numerus monachorum ampliatus, & ad normam inſtitutionis regularis compoſitus. Sed hæc & poſtmodum facta, & quotidie oculis appoſita, compendioſam relationem deſiderant: quocirca, ut in campo liberioris materiæ noſtra decurrat oratio, reliquarum rerum ordinem expedito proſequamur otio.

XV. Præter alia quibus præſulatum ornabat, etiam hoc habebat. Diœceſim ſedulo peragrare, infantibus quod reliquum eſſet ſacramentorum ſupplere, fidem populorum in bonum acuere: oratorium quodcumque ſe vianti obtuliſſet, nulla vel præcipiti neceſſitate urgente, præteribat inſalutatum; quinimmo ingreſſus Deo, & Sancto cujus eſſet templum, preces cum lacrymis ſemper, ut quidam ait, in ſtatione paratis thurificabat. Hoc more quadam die dum ad comitatum evocatus per Eveſham iter haberet, & ſocii obſtreperent quominus ad eccleſiam diverteret, audire ſuperſedit. Itaque ingreſſus, ante ſancti Egvvini ſe proſtravit exuvias, plurimus ibi pro ſua ſuorumque ſalute precator. Facta oratione, monachos omnes ſalutatione ſua & oſculo dignatur, ſalubri etiam prædicatione demulſit. Erat ex eodem conventu monachus, cui jamdudum diuturna febris internas paſta medul-

las, mori * ut putabatur affinem lecto appoſuerat. nomen ei Egelricus. *Hic Vulſtanum exorans, orationum ipſius beneficio liberatus eſt morbo.* ANN. CH. MXCV. JAN. XIX. *f. morti. XVI.

Quinto [a] anno collati Vulſtano epiſcopatus rex Edvvardus fato functus ingens ſeminarium diſcordiæ reliquit Angliæ: hinc HAROLDO, inde VVILLELMO comite Normanniæ legitimo eam jure clamantibus. Et tunc quidem Haroldus vel favore impetrata, vel vi extorta corona, regnum paullo minus totum obtinuit. ſoli Northamhumbri magnum & gentile tumentes interim parere diſtulere; aquilonalem cervicoſitatem auſtrali, ut dictitabant, mollitiei ſubjugare non dignati. Animabat eos ad tyrannidem, & inſolentia ſua ingentes eorum alebat ſpiritus TOSTINUS, ejuſdem regis frater, nec fortitudine degener, ſi ardens ingenium tranquillis ſtudiis applicare maluiſſet. qui poſtmodum in eadem provincia cum HARALDO rege Noreganorum, quem in ſuffragium adſciverat, cæſus, pœnas inconſultæ animoſitatis pependit. Sed hæc poſterius. Tunc vero Haroldus eo profecturus, ut contumaciam eorum lenioribus curaret remediis, quandoquidem ferro frangere conſilium non erat, ſanctum virum ſecum adduxit. Sic enim fama ſanctitatis ejus etiam ad abditiſſimas penetraverat gentes, ut nullam non arrogantiam molliturus crederetur. Nec vero citra opinionem rei fuit eventus. Namque illi populi ferro indomabiles, ſemper quiddam magnum à proavis ſpirantes, pro reverentia in jura Haroldi facile conceſſerunt; & profecto perſeveraſſent, niſi eos Toſtinus, ut dixi, averteret. Sane licet eſſet Pontifex bonus, manſuetus & lenis, non tamen ad improbos indulgebat blanditiis, ſed vitia eorum arguens minacibus infrendebat verbis: ſin id parum procederet, aperto eis præconabatur vaticinio, quanto multandi eſſent ſupplicio. Nec facile umquam vel prudentem hominem conjectura, vel vatem prophetia fefellit. Multa & illo itinere, & alias crebro præſcita & prænuntiata ſunt. Denique Haroldo palam teſtificatus eſt, quanto detrimento & ſibi & Angliæ foret, niſi nequitias morum correctum ire cogitaret. Vivebatur enim tunc pæne ubique in Anglia perditis moribus, & pro pacis affluentia deliciarum fervebat luxus. Ille vitioſos & præſertim eos, qui crinem paſcerent inſectari, quorum ſi qui ſibi verticem ſupponerent, ipſe ſuis manibus comam laſcivientem ſecaret. Habebat ad hoc parvum cultellum, quo vel excrementa unguium, vel ſordes librorum purgare conſueverat: hoc cæſariei libabat primitias, injungens per obedientiam, ut capillorum ceterorum ſeries ad eamdem complanaretur concordiam. Si qui repugnandum putarent, eis palam exprobrare mollitiem, palam mala minari; futurum, ut qui erubeſcerent eſſe quod nati fuerant, qui æmularentur capillorum fluxu feminas, non pluſquam feminæ valerent ad defenſandam patriam contra gentes tranſmarinas. quod in adventu Normannorum eodem anno claruiſſe quis eat in inficias? quorum quoniam attigimus tempora, hic primo libello ſtatuatur meta: ita enim concinnius fieri poſſe puto, ſi quid ſanctiſſimus vir Anglorum tempore, quid Normannorum fecerit enucleate digeſſero: Colemannus enim in epiſcopatus ejus electione deciſionem primam fecit. Illud autem conſcientiæ veſtræ, domini fratres, non celaverim, me nomina teſtium pæne omnium ſuppreſſiſſe, ne vocabulorum barbaries delicati lectoris ſauciaret aures; nec minus alta verba, declamatiunculas quaſdam, quas ille ab aliorum ſanctorum geſtis aſſumtas prona devotione inſeruit. Sicut enim ſuperius dixi, quiſquis rem per ſe ſatis eminentem verbis exaltare molitur, ludit operam; quin immo dum vult laudare, infamat potius & attenuat. quia videatur non poſſe niti argumento proprio, ſi fulciatur patrocinio alieno.

Rebus in Anglia turbatis.

In perditos mores invehitur.

[a] Anni illi ſic accipiendi ſunt ut pars anni 1062. quo Vulſtanus epiſcopatum iniit, pro uno anno computetur. Nam poſt paſcha electus anno 1062. conſecratus eſt menſe Septembri, & Eduardus obiit anno 1066. Nonis Januarii.

Digitized by Google

ANN. CH. MXCV. JAN. XIX.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I. Vvlſtanus Vvillelmo regi acceptus.

INterea Vvillelmus Normanniæ Comes Angliam veniens, congreſſuſque prœlio cum Haroldo, cæde ipſius & Anglorum ſtrage regnum ditioni ſuæ aſſeruit; ubi, ſicut præfatus ſum, claruit prophetiæ veritas, quod tanta fuit miſerorum provincialium imbecillitas, ut poſt primam pugnam numquam communi umbone ad libertatem tentarint aſſurgere, quaſi cum Haroldo robur omne deciderit patriæ. Rex porro Vvillelmus nullo umquam ſanctum virum affecit incommodo: quin immo multo eum honore veritus, patrem & venerabatur amore, & dignabatur nomine. Vvlſtanus ergo benignitatem temporum nactus, multas Vvigornienſis eccleſiæ poſſeſſiones, quas vel olim Danorum impudentia, vel nuper Aldredi archiepiſcopi potentia eliminaverat, uſibus debitis reformavit. Sic ei Regis favebat dignatio, ſic ſanctitas rerum dominos ad ſe diligendum invitat, ſic religio aliis timendos ad ſui reverentiam inclinat. Aldredo ſane ſucceſſit in Eboraco THOMAS Bajocenſis canonicus, litterarum ſcientia inſignis, ſæculari prudentia non ignobilis, morum compoſitione multis præferendus, muſica certe tunc temporis facile omnium primus. Contra hunc vir Domini Vvlſtanus quæſtionem inſtituit de villis eccleſiæ ſuæ, quas, ut prædictum eſt, ab Aldredo pervaſas, nec umquam redditas, ille quaſi legitimo ſibi defenſitabat jure. Thomas è diverſo non ſolum prædia non reddenda putabat, verum etiam, ſeu quod novus Anglus eſſet, ſeu aliquorum ſuſurrio perſuaſus, Vvigornienſem eccleſiam ſui juris eſſe clamabat; dominatum illius legitima ſucceſſione ſibi competere, anteceſſorum ſuorum fuiſſe. Eam cauſam [a] magno egit impetu primo Angliæ, mox etiam Lanfranco Cantuarienſi archiepiſcopo præſente, apud ALEXANDRUM papam Romæ. Non tulit id Lanfrancus, qui privilegium eccleſiæ ſuæ periclitari ſciret, ſi taceret; ſed ea reſpondit, quæ magis juſtitia quam dolor imperavit. Tum Papa, qui Lanfrancum, utpote magiſtrum ſuum quondam, gravaretur offendere, ſed nec Thomam vellet premere, arbitrii à ſe removens invidiam, cauſæ cognitionem in concilium Angliæ trajecit. Magno ergo conflictu, & procerum Angliæ conventu, res acta. Aſſiſtebat Thomæ ODO, immane quantum opulentus, & qui divitiis certaret cum Rege, quem contingebat ſanguine, frater enim ejus erat uterinus, comes Cantiæ, Bajocarum epiſcopus; hunc comitabatur univerſitas magnatum, pars pretio redemta, pars adulationis depravata. Solus Lanfrancus partes tutabatur juſtitiæ, nam & Rex in favorem fratris vergebat pronus; quamquam nonnihil in ejus animo ponderaret Lanfrancus. Quid plura? conſiſtunt partes, ventilatur cauſa. Egreditur Thomas cum ſuis, quid opponeret, quid oppoſitis reſponderet, compoſiturus. Vvlſtanus interim indulgebat ſopori, dulci quiete membra confotus. Alter reverſus, multo ſenſuum acumine, multo verborum flumine dixit. Ille à ſociis expergefactus pſalmos ore, preces corde ingeminat: tandem juſſus exire, ut ſtrictiori conſilio reſponſum poliret, cum paucis ſecum egreſſis horam Nonam incœpit & percantavit. „ Illis porro referentibus, ut alia magis quam pſalmos curaret, & id propter „ quod venerat expediret, reſpondit: Stulti, neſcitis quod Dominus dixit: „ *Dum ſteteritis ante reges & præſides, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini; „ dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.* Ipſe idem creator Dominus „ Jeſus-Chriſtus, qui hoc dixit, poteſt mihi hodie ſermonem conferre, quo cauſæ meæ rectitudinem defendam, & illorum fortitudinem deſtruam. Præclarum plane dictum hominis! Habebat tunc in manibus vitas beatorum pontificum Dunſtani & Oſvvaldi, qui ambo quondam diverſis tem-

Eccleſiæ ſuæ bona repetit.

Angliæ procerum conventus.

Marc. 13. 9.

[a] De hac re Florentius, ſed fuſius exponitur apud Vvillelmum Malmeſbur. libro 1. de Pontif. Anglorum cap. de Cantuarienſibus.

Digitized by Google

poribus Vvigorniæ præſiderant, quorum ut imitabatur vitam, ſic tuebatur ſententiam. Et mira prorſus oculorum fidei perſpicacia! illos ſe coram profitebatur cernere, quos cauſæ non dubitabat, aſſiſtere. Ita ingreſſus, cauſam non difficulter obtinuit. Siquidem interroganti Regi quid in ſuo inveniſſet conſilio. cum reſpondiſſet: Conſilium meum in vobis eſt. Continuo ille (cor quippe Regis in manu Dei) edictum annitente Lanfranco propoſuit, Epiſcopum Vvigornienſem Cantuarienſi archiepiſcopo ſubjectum eſſe debere, nihil in illum juris Eboracenſi competere. quinetiam duodecim villas, quas Aldredus uſque ad diem mortis ſuis aſſignaverat commodis, indulſit Vvigornienſi eccleſiæ; regia ſane liberalitate, Archiepiſcopo data prædiorum compenſatione. Cumulavit miraculum, quod in eodem Concilio apud Pedridan habito, epiſcopatus ei Ceſtrenſis à Lanfranco archiepiſcopo viſitatio commiſſa eſt. Ea enim provincia, quæ tres habet pagos, Ceſtrenſem, Crobernenſem, Tefordenſem, erat adhuc propter longinquitatem Normannis inacceſſa, & propter barbariem impacata. Ea res diu fuit ſermonis materia hominibus, affluentiam in eo Dei gratiæ mirantibus. Duos enim epiſcopatus decedens Concilio reportabat, qui unum quaſi amiſſurus venerat. Hujus narrationis Colemannus teſtem citat VVALCHELINUM Vvintonienſem epiſcopum, in virtutibus tunc temporis Lanfranco, ſed longo intervallo, proximum. Eum ſiquidem pluſquam ſemel narrantem audivi, quomodo vir ſanctus pæne ſolus tot optimatibus, & ipſis magno elimatis acumine, obnitentibus victor abierit. ANN. CH. MXCV. JAN. XIX. «Thomas «Eboraci «Archiep. «cauſa cecidit.

II. Miracula. Sed hæc hactenus. Nunc ad enarranda quædam, quæ per Vulſtanum Chriſtus oſtendit miracula, velificante Spiritu-ſancto in altum laxemus carbaſa. Propheticæ ſanctitatis ejus multa fuere indicia, quorum vel duo perſtrinxiſſe ſuffecerit. Aldvvynus quidam habitu monachus, litterarum expers, cum congregationem religionis apud Malvernum adoriri conatus eſſet, poſt aliquot annos immenſitate laboris deterritus, cœpto deſiſtere cogitabat. Sed quia præter conſcientiam Patris diœceſi ejus diſcedere temerarium eſſet, eo adito difficultatem rei & tenuitatem pecuniæ ſanctitati ejus apploravit; velle ſe Jeroſolymam iter moliri, ut ſi alios nequiret, ſaltem ſeipſum Dei ſervitio manciparet. Non, ait Pontifex, crede mihi (hoc enim ſollemni juramento utebatur) quia ſi ſcires quantam religionem Deus in illo loco futuram prævidit, multum gauderes. Perſtitit ille hoc niſus oraculo; & veritatem vaticinii, ſicut hodieque videtur, exſecutus eſt ſudore proprio. Prædicit Malverni monaſt. futurum ſtatum.

III. Non eſt diſſimile quod ſequitur. Occaſionem, ut dixi, viſitandi Ceſtrenſem epiſcopatum nactus, crebroque per Scrobeſberiam tranſiens, in oratorio ſancti Petri, tunc illius urbis minimo, frequentes orationum protelabat excubias. Mirantibus urbicis, & cauſam ſedulo percunctantibus, cur poſthabita, quam ſanctam Mariam nominabant, eccleſia, illud oratorium ſuis nobilitaret precibus, reſpondiſſe conſtat Epiſcopum: Crede mihi, hoc oratorium, quod modo vilipenditis, erit in poſterum locus glorioſiſſimus totius Scrobeſbiriæ, & gaudium omnis provinciæ, eumque & diligetis vivi, & ibi jacebitis mortui. Hæc ille dixit tunc; ſed rem non infra promiſſum impletam eſſe nunc eſt celebratius, quam ut neceſſe ſit ad hoc inculcandum noſtrum ſpatiari ſtilum.

Miraculum de muliere Eveshamenſi, quam Vulſtanus à dementia liberavit. Vide Capgrav. fol. 332. IV. Dæmoniacos liberat.

Miraculum de dæmone ex ruſtico Glóceſtrenſi ejecto. V. Capgrav. ibidem. V.

Miraculum de ſervo ſuo dæmoniaco ad ſuam mentem reducto. VI.

Miraculum de paupere Cantiano, cui morbum regium Kemeſeyæ ſanavit. V. Capgrav. ibid. ubi dicitur leproſus. VII. Leproſum curat.

Miraculum de diſcrimine incendii Vvicumbæ evaſo. VIII.

ANN. CH. MXCV. JAN. XIX.

IX. *Quomodo eccleſiam Vvicumbæ ab opidano, Spurt Lunſer dicto, ædificatam, concedente id Remigio Lincolnienſe epiſcopo, dedicarit; & viri pediſſequam ab iniquo morbo liberaverit.*

X. *De cæco Vvigornienſi luce donato.*

XI. *Quomodo* GUNNILDI *ſanctimoniali Vviltonienſi, regis Haroldi filiæ, oculos morbidos ſanaverit.* Capgrav. fol. 332.

XII. Rex Vvillelmus conſuetudinem induxerat, quam ſucceſſores aliquamdiu tritam poſtmodum conſeneſcere permiſere. Ea erat, ut ter in anno cuncti optimates ad curiam convenirent, de neceſſariis regni tractaturi, ſimulque viſuri Regis inſigne, quomodo iret gemmato faſtigiatus diademate; loca & tempora curiæ dicere non eſt præſentis materiæ. Hujus igitur moris neceſſitate vir ſanctus adſtrictus, Vvintoniam ante paſcha ire maturabat. Jacebat in ſemita homo natalibus Francus, quem interna viſcerum exagitabant tormenta &c. *Succedit narratio ſanitatis à Vvlſtano data.*

XIII. *Miraculum de Segilde matrona ab arthritide liberata per Vvlſtani litteras.*

XIV. *Sollicitudo paſtoralis.* Semper tota vita curam corporis illis poſthabuit rebus, quibus conciperet terrenorum faſtidium, quibus hauriret appetitum cæleſtium. Quandocumque diœceſes circumiret, numquam ſine Miſſa, ſine ſermone populum dimitteret; id crebro & diligenter faceret. Numquam victui die indulſit, quoadusque quanticumque numeri pueros undecumque advectos conſignaſſet. Hoc à primo ſolis ortu ad lucem occiduam actitabat, non ſolum diebus hibernis, ſed & ſolibus æſtivis. Sæpe illum duo millia ut parum, ſæpe tria & quod excurrit, uno die confirmaſſe, non perfunctoriis teſtibus approbatur. Hoc non modo in juventute, cum & virilis ætas & ipſa benefaciendi voluptas ad laborem vocaret; verum etiam cum jam gemmea canities nive caput aſpergeret, & ipſe tenui valetudine vix corporis viribus animum ſequeretur. Stupori erat omnibus, quod octo plerumque clericis, qui chriſmatorium ferrent, invicem fatigationi ſuccumbentibus, ipſe indefeſſus perſiſteret. Fallebat nimirum tantos labores amor Dei. *Sequitur narratio de calumniatore Vvlſtani à dæmone correpto, & Vvlſtani prece ſanato.*

XV. *Quomodo Gloceſtriam accitus à Serlone abbate ad dedicandam eccleſiam, plures inimicitias diſſolverit, edito in renuentes terribili divinæ ultionis exemplo.* Rem narrat Vvillelmus libro 4. de geſtis pontificum Angliæ fol. 160.

XVI. *Quomodo pacem prædicandi munus Vvlſtanus Colemanno delegarit*, magni pendens in eo munditiam vitæ, præſtantiam perſonæ, profuſam facundiam, litterarum peritiam; *& de contemtore ſermonum Colemanni cælitus punito.*

XVII. *De arbore quæ à Vvlſtano maledicta exaruit.* Vide Capgrav. fol. 333.

XVIII. *De contumelia Vvlſtano illata, & ultione divinitus ſecuta.*

XIX. *De ope nautis periclitantibus à Vvlſtano lata.* V. Capgrav. fol. 333.

XX. *Peſſimam conſuetudinem exſtirpat.* Vicus eſt maritimus, Brichſtou dictus, à quo recto curſu in Hiberniam tranſmittitur, ideoque illius terræ barbariei accommodus: hujus indigenæ cum ceteris ex Anglia cauſa mercimonii ſæpe in Hiberniam annavigant. Ab his Vvlſtanus morem vetuſtiſſimum ſuſtulit, qui ſic animis eorum occalluerat, ut nec Dei amor, nec regis Vvillelmi, hactenus eum abolere potuiſſent. Homines enim ex omni Anglia coëmtos majoris ſpe quæſtus in Hiberniam diſtrahebant; ancillaſque prius ludibrio lecti habitas, jamque prægnantes venum proponebant. Videres & gemeres concatenatos funibus miſerorum ordines, & utriuſque ſexus adoleſcentes, qui liberali forma, ætate integra barbaris miſerationi eſſent, quotidie proſtitui, quotidie venditari. Facinus execrandum, dedecus miſerabile, nec belluini affectus memores homines, neceſſitudines ſuas, ipſum poſtremo ſanguinem ſuum ſervituti addicere. Hunc tam inveteratum morem, & à proavis in nepotes transfuſum Vvlſtanus, ut dixi, paullatim delevit. Sciens enim cervicoſitatem eorum non facile flecti, ſæpe circa eos duobus menſibus, ſæpe tri-

Digitized by Google

bus manſitabat; omni Dominica eo veniens, & divinæ prædicationis ſemina ſpargens. quæ adeo per intervalla temporum apud eos convaluere, ut non ſolum renuntiarent vitio, ſed ad idem faciendum ceteris per Angliam eſſent exemplo. Denique unum ex ſuo numero, qui pertinacius obviaret præceptis Epiſcopi, vico ejectum, mox luminibus orbavere. In qua re devotionem laudo, ſed factum improbo; quamvis ſemel vitiatis agreſtium animis nulla queat obſiſtere vis rationis. ANN. CH. MXCV. JAN. XIX.

XXI. Legatione Vuillelmi regis & Thomæ archiepiſcopi ſemel ad Eboracum ante Paſcha proficiſcens, ut ibi chriſma benediceret, Snotingaham venit; *ibi ſanctitas ejus uxori Vicecomitis dubitanti miraculo comprobata eſt.*

XXII. Sevvius quidam, non mediocrium divitiarum homo, in ſua villa Readeclivæ fecerat eccleſiam; eam à Sancto dedicari religioſis votis inæſtuans, ab Archiepiſcopo, cujus erat diœceſis, petierat licentiam & impetraverat. *Ibi Vulſtanus pacem cum paupere quodam ineundam opulento presbytero incaſſum ſuadens, interitum homini denuntiavit funeſtum, qui & brevi ſecutus eſt.*

LIBER TERTIUS.

CAPUT I. *Vulſtani naturæ dotes.*

Hactenus & dixi & dixiſſe juvat miracula, pauca ſane, ſed quæ ſufficiant ad documentum ſanctitatis Vulſtani; nunc interiorem ejus vitam & mores dicere aggrediar. primoque de corporis qualitate dicendum. Statura fuit temperata, maximis cedens, minimos ſupergrediens, omnium membrorum æqualitate compoſitus. Congruebat habitudini corporis ſerenitas mentis, ut quemvis ad reverentiam ſui alliceret. Valetudinis proſperrimæ, quam & ipſe modeſtia cibi, & nulla indulgentia ſomni adjuvabat. Indumenta ejus, lectiſternia, calceamenta moderata, nec arrogantis pretii, nec abjectæ vilitatis: vitabatur in utroque faſtus; quia & in ſordibus luctuoſis poteſt eſſe jactantia. pronius tamen ad id quod eſſet humile vergebat; ut totum deeſſet pompæ, & nihil deſideraretur gratiæ. Ita ſemper omnis oſtentationis refugus, in cunctis divitiis agninis tantum amiciebatur pellibus. Unde quadam vice à GAUFRIDO Conſtantienſi epiſcopo benigne reprehenſus, facetiſſimis hominem reſperſit ſalibus. Cum enim interrogaſſet cur agninas pelles haberet, qui ſabelinas, vel caſtorinas, vel vulpinas habere poſſet & deberet, eleganter reſpondit, Eum, & homines prudentiæ ſæcularis gnaros, verſutorum animalium pellibus uti debere; ſe nullius tergiverſationis conſcium pelliculis agninis contentum eſſe. Cumque ille inſtaret, referretque, ut ſaltem cattos indueret: Crede mihi, reſpondit Vulſtanus, ſæpius cantatur Agnus Dei quam cattus Dei. Hæc verba Gaufridi riſus excepit admodum delectati, quod ipſe poſſet illudi, nec alter poſſet inflecti.

II. Excepto ſi quando cum monachis reficeretur, ſemper in regia, conſidentibus militibus, palam convivabatur. Indecens enim & illiberale teſtabatur eſſe, ſi clam obſonaretur, domeſticis interim muſſitantibus. quamquam numquam poſt religionis habitum, nec ante aliquot annos, unctioribus cibis corpus curaverit; ſed ſemper ſagimini, ſemper carnibus præterquam piſcium valefecerit. quem morem quâ ſibi occaſione indixerit, non ab re fuerit ſi altius repetam. Brihtegus, ut præmiſſum eſt, epiſcopus eum à primis ordinibus in preſbyteratum promoverat, promotoque eccleſiam villæ, quæ Havekeſberia dicitur, delegaverat. Erat tum ille primæ lanuginis ephebus, nec tamen ut inveſtis ævi homo ſæculi luxibus conſumebat operam. Inter hæc nondum ab eſculentis dapibus abhorrens, juſſit quadam die aucam coqui; ales vero veru infixus torrebatur ſedulo delicato pueri familiaris artificio: diſtillabat ignea vi expreſſus arvinæ liquor. fuerat enim de altilibus aucis lectiſſima. Pars miniſtrorum pruna ſuggerere, pars condimentum

ANN. CH. MXCV. JAN. XIX molere, omnes in nidorem prurire, voluptatemque verbis diſſimulare non poſſe. His captus preſbyter, ipſe quoque in delectationem animum reſolverat, ſpe aucam prælibans; jamque pæne menſa poſita, importuna ſed neceſſaria cauſa exſtitit; quæ ipſum & præpoſitum cibi extorres domo extruſit. ita inanis diſcedens, momentaneæ voluptatis culpam arguebat animo. miſeram carnem ad tanta inſtigari; delectationem effluere, peccatum manere, carnem non **** *Deeſſe videtur in codice folium integrum. Rem narrat Vuillelmus libro 4. de geſtis Pontificum Anglorum fol.* 159. *his verbis.* Superflui potus expers eſui carnium indulgebat; quas tamen ſtatim ut potuit, occaſionem rapiens ſprevit. Cauſa fuerat quia die certa ad quoddam placitum exire deberet; neceſſitas rei omni excuſationi repudium indixerat. Viſum eſt tamen, ut ante miſſam cantatam inediæ conſuleret. Acceleratur à clientibus, ne inpranſus abiret dominus, apponitur auca igni. Adſiſtit altari Preſbyter, & devotione qua ſolet agit: cum inter ſecreta miſſæ, quia erat eccleſia domui vicina, nidor aduſtæ carnis nares ejus opplevit, odor mentem advocavit, ut & voluptatis illecebra caperetur. Continuoque reducto animo & culpam agnoſcens, luctabatur valide, ut cogitationem alias averteret. Sed cum id fruſtra eſſet, iratus ſibi juramentum ad Sacramenta, quæ tangebat, fecit, nullo ſe amplius pacto id genus cibi comeſturum. Cantata ergo Miſſa, cibo vacuus ad negotium diſceſſit, quod jam tardior hora urgeret cauſatus. Occaſio illa effecit, ut arduum penitus ſecutus exemplum, omni perpetuum carne & etiam unctiori cibo temperaret: non tamen comedentes rigido ſuſpendens ſupercilio, nullo ſe affirmabat eorum ciborum teneri deſiderio; ſi qua tamen eſſet caro delectabilis, opinari ſe quod alaudæ majorem veſcentibus darent voluptatem.

III. ***** ris vigilantiorem deprehendiſſet. quorum unus Edricus nomine, quem & ego novi, quadam nocte cantanti conſedit. Sed cum ille nihil ſoliti penſi prætermittere vellet, pertæſus morarum monachus, manu etiam Epiſcopo, ut deſineret ſignificare præſumſit. quo ſomnolentiam ejus nutu arguente, reſedit invitus, perſtitit oſcitabundus. Mox cum ſe cubitum collocaſſet, magna vi per viſum concuſſus, flagris quinetiam cæſus, inconſultæ temeritatis pœnas dedit. Poſtremo data fide, quod numquam ulterius bonum hominem à bono deterreret, vel impediret opere, tam horrificæ viſionis periculo ſolutus eſt.

IV. *a* Sollicitudo in perſolvendo divino officio. Matutinas ſemper in eccleſia cantitabat *a*, quantocumque ſpatio diſpararetur ab hoſpitio, illuc ibatur, ningeret, plueret, quæcumque porro incommoditas aëris eſſet. Si luto via ſorderet, nihil minus: ſi craſſitudo tenebrarum cælum ſubtexeret, nihilo ſegnius cunctabatur ille omnem difficultatem itineris; dummodo veniret ad eccleſiam, ut non falſo poſſet dicere Deo: *Domine dilexi decorem domus tuæ.* (*Pſal.* 25. 8.) Hac conſuetudine, cum quadam vice ante Natale Domini curiam proficiſcens, apud Merlave villam hoſpitium accepiſſet, dixit ſuis mane ſe ad eccleſiam iturum. Ea longe aberat, ſimul & lutoſa via quemlibet etiam die ambulantem deterreret. Præterea ninguidus imber vel nix pluvialis, utroque enim modo ſæviebat aër, impedimento eſſent. Hæc clericis obtendentibus ille perſtitit in ſententia, nec dejici potuit: velle ſe ad eccleſiam ire, uno ſaltem, vel etiam nullo comite; tantum monſtraretur ſibi via, ne incerto erraret tramite. Ita votis Epiſcopi contra ſe fluentibus ceſſit clericorum improbitas, iracundiamque ſilentio frænavit. quorum Frevvinus, mente præruptior, manu domini apprehenſa geminavit culpam, ducendo eum qua palus undoſior, qua via præruptior eſſet. (Ejus mira patientia.) Ille luto ad genua immerſus, uno etiam calceo privatus, interim diſſimulavit injuriam. Eo enim clericalis procedebat intentio, ut & tunc Epiſcopum cœpti pigeret, & poſtmodum conſiliis ſuis accederet. Jam vero multo die, artubus gelante rigore præmortuis, ad diverſorium regreſſus, tum vero & ſuum incommodum, & clerici delictum aperuit. præ-

a Legem etiam ſuis ſtatuerat, ut omnes tam miſſæ quam omnibus horis intereſſent. ſi laïcum de ſuis quoquam mitteret, injungebat ei preces in die ſepties dicendas; aſſerens, ut ſicut clerici ſeptem horas, ſic & laïci ſeptem preces Deo perſolvere deberent. Alias leges quas ſuis domeſticis indixerat videſis in Vita per Capgravium edita.

cepit

cepit etiam ut quæreretur calceus; & nullo convitio in contumacem invectus, ſed atrocitatem facti vultus hilaritate attenuans, erat enim Pontifex magnæ tolerantiæ, qua ita mentem armaverat, ut nulla eum illuſio turbaret, nullum incommodum in peccatum concuteret. Nam plerumque quidam eum vel aperte obuncabant verbis, vel occulte vellicabant ludibriis: ſed ipſe adverſus hæc, & extrinſecus à ſæculo venientia, ſic ſtabat intrepidus, ut ſequeretur animo, non tamen caderet verbo: nec tamen ei hanc laudem arrogare volo, quam affirmare non valeo, ut nec animo moveretur. Affectiones enim animi nulla umquam religio delere potuit vel poterit; quas etſi valet ad horam compeſcere, non valet in æternum auferre.

ANN. CH. MXCV. JAN. XIX.

V. Exercitia ejus in itineribus.

Miſſas quotidie ad minus duas audire, ad utramque oblationem ſuam non negligere, ipſe tertiam cantare. Si quo equitandum eſſet, aſſcenſo animali, continuo pſalterium incipere, nec pauſam niſi ad finem facere: adjungebantur letaniæ cum collectis pluribus, & vigiliæ cum veſperis pro animabus; tum, ſi via protelaretur, ad ſufficientiam horarum repetebatur pſalterium. Adequitabant clerici & monachi, vel ſeriem verſuum excepturi, vel amminiculaturi memoriæ, ſi quando videretur titubare. hoc ideo ut dediſcerent inanes fabulas, quæ potiſſimum ſe viantibus ingerunt. Cubicularius præſto habebat marſupium, quod eſſet omnium egentium ærarium. nemo enim umquam ingemuit repulſam, qui à Vulſtano mendicavit eleemoſynam. Jam vero via permenſa cum ventum eſſet ad hoſpitium, non ante, ut ſupra dixi, quietis intraret cameram, quam cum precibus ſalutaſſet eccleſiam. ipſas porro domos totius diverſorii jubebat luſtrari à presbytero cum aqua benedicta & crucis vexillo. ſic fugarentur adverſa, ſic introducerentur ſecunda.

VI. Domi.

Semper orabat aut prædicabat verbo, ſi vacaret; ſin minus, mente affixus cælo inhiabat Deo. Jaceret, ſtaret, ambularet, ſederet; ſemper in ore pſalmus, ſemper in corde Chriſtus. Quid, quod etiam dormiens corpore, vigilabat oratione? Si quando nimio precum labore defatigatus quieti membra compoſuiſſet, cedebat quidem naturæ, ut dormiret; ſed per ſe, vel pulſante alio, experrectus pſalmum inchoabat, *Conſerva me Domine*, (*Pſal.* 15.) vel, *Diligam te Domine*, (*Pſal.* 17.) vel cetera ejuſmodi quæ orationem ſonarent. Æſtivis diebus poſt prandium plerumque indulgebat lecto; ſed, quod mirum quis dixerit, non poterat in ſomnum reſolvi, niſi aliquo coram legente inductus: ſi lector munus exerceret ſuum, videbatur dormitare; altero ceſſante, confeſtim abrumpebat ſoporem. Legebantur enim ante ipſum ſanctorum vitæ & ſcripturæ ædificatoriæ. Vere pronunties vitam hominis fuiſſe quaſi quoddam cæleſte ſpeculum, ex quo totius ſanctimoniæ reſultaret ſimulacrum: fuiſſe quaſi divinæ voluptatis ſpeculum, quod conduceret religioni, quod reſponderet ſaluti, quod poſtremo conquadraret decori.

VII. Benignitas in excipiendis confeſſionibus.

Homines ad confeſſionem peccatorum venientes jocunde ſuſcipiebat, benigne refovebat; confitentes gratiſſima humanitate audiens, non arroganti geſtu faſtidiens; lacrymabiliter condeſcendens illorum delictis, non reſiliens ſicut inauditis. quæ res effecerat, ut ex tota venientes Anglia, ea quæ nulli alii crederent, illi confiteri non erubeſcerent. Non pudebat ergo illi dumtaxat dicere, quod pigebat feciſſe. Ipſe quoque parem in confitentes refundebat gratiam, ſedulo ne deſperarent; ammonendo qualiter peccata caverent, qualiter commiſſa diluerent inſtruendo. Nec illud minori, neſcio an majori, prædicatione dignius, quod eos ſemper familiariores in poſterum haberet, quorum peccata & pœnitentias noſſet.

VIII. Erga pauperes amor.

Egentium curam maxima componens diligentia, ante ſe illos ſedilibus gregatim diſponebat, affluenter quæque neceſſaria impertiens. Filii divitum curiæ ſuæ mancipati officio dapes epulanti pro more inferebant, eis

Digitized by Google

Ann. Ch. MXCV. Jan. XIX.

ſalutaria ſedulo infundebat monita, arrogantiam non habere, humilitatem induere; inprimis munditiam carnis non lædere, ne impulſu ætatis lubrico fœdarent corpus in voluptatum volutabro; eoſdemque cogebat genibus flexis pauperibus menſam & cibos apponere, & pro diſciplina miniſtrantium aquam manibus infundere. Si quis eorum conſcientiam alti ſanguinis ſpirans vel vultu ſuperbiam proderet, contumacem arguebat. alia eſſe in quibus mallet offendi, quam pauperem vel nutu contriſtari. Dominicum mandatum obſervandum, ut ſerviatur egenis, *&c.* His & talibus pius doctor quamlibet rudium animorum decoquebat inſolentiam, ut matureſcerent egenis exhibere reverentiam. Sane pueros elegantis formæ dignanter ſacrarum manuum tactu & oſculis demulcens, amplectebatur in eis divinæ compoſitionis gratiam; materiamque boni ex decore lineamentorum eliciebat, dictitans ſubinde: Quam pulcher eſt Creator, qui tam pulcras creaturas facit.

IX. Solitudini & orationi vacat.

In ſingulis villis ſuis ſingulas habebat ædiculas, in quibus ſe objectis repagulis à mane poſt Miſſam includebat; ibique ſolitudinem nactus, liberos in contemtum mundi & ſpeculationem Dei librabat mentis obtutus. Nec erat qui meditantem interpellaret, niſi cum clericus pulſatione oſtii tempus prandii vel horarum nuntiaret: eratque hoc clauſtrum inter cameram & privatam domum, domeſticis tantum conſciis, ne videretur eſſe oſtentator religionis. Hac ſe cohibebat inter homines ſollicitudine ſemper quidem, ſed maxime tempore Quadrageſimæ, ut hoc modo furaretur corpuſculo, quod toto fugitabat animo. Erat enim, ut venerabilis prior Vvigornienſis Nicolaus mihi dixit, non ſolum orator multiplex, ſed etiam diligens. Denique cum ad verſum pſalmi veniret, quo affectum in Deum
Pſal. 85. 1. ſuſcitare poſſet, utpote: *Inclina Domine aurem tuam & exaudi me, quoniam inops & pauper ſum ego.* hunc, inquam, & alios ejuſmodi bis terque repetens, erectis in cælum oculis ingeminabat. Diligentiam quinetiam orandi, ſicut idem Prior auctor eſt, non ſolum in ſe, ſed & in ſuis diligenter obſervabat. Tranſgreſſiones autem ſuorum & tolerabat oportune, & arguebat pro tempore. Denique ſi quem monachorum videret matutinæ ſynaxi deeſſe, quamvis tunc diſſimularet, ceteris poſt officium ſomno cedentibus, neglectorem leniter ſuſcitans debitum implere cogebat, ipſe vice miniſtri cantanti reſpondens. Quid hoc mirabilius homine, *&c.* De Nicolao, ſane reverendiſſimo plura libet dicere *, ſi prius, quæ de moribus Vvlſtani habeo in manibus, potuero explicare.

* *V. infra cap.* 17.

X. Diœceſim ſuam luſtrat.

Diœceſin ſuam, ut ſupra tetigi, ſollicite peragrabat, nihil quod ſui intererat officii prætermittens. Id ut commodius fieret, ſemel in anno metam ponebat, valetudini ſuæ, occurrentiumque fatigationi proſpiciens. Per totum enim epiſcopatum, præcedente archidiaconorum ammonitione, tantum vulgus ejus ſe infundebat occurſui, ut nequiret numerari: quorum dum infirmitatibus ſervire cogeretur, erat quidem res ponderis & gravedinis, ſed emicabat animus ſublevator oneris & victor laboris. Per totam parochiam in ſui juris prædiis eccleſias ſtruebat; in alienis, ut ſtruerentur inſtabat. Apud Vveſtbiri ex antiquo eccleſia fuerat, ſed tunc ſemiruta & ſemitecta remedium deſiderabat; eam ille reparavit in ſolidum, faſtigiavit in ſummum, parietes cæmento, tectum plumbo reficiens; delegatiſque villarum & decimarum redditibus, libriſque officialibus, ſollemni dono Vvigornienſi eccleſiæ dedit [a], ibique monachis poſitis Colemannum toties dictum præfecit. Verumtamen cum eſſet in divinis domibus apparandis, ut ita dixi, ſollers & diligens, in ſæcularibus eſſe propemodum videbatur hebes & negligens. nuſquam enim in villis ſuis aulas, nuſquam triclinia

[a] Donationis chartam habes in Monaſtico Anglic. tomo 1. pag. 126. quæ data eſt anno 1093. die Nativitatis B. Mariæ. Plura ibidem habentur de eodem monaſterio.

Digitized by Google

fecit : nimirum qui non ſolum in iſtis forenſibus , ſed etiam in eccleſiis operoſa gravaretur architectura. Magis enim deputabat talia humanæ pompæ & jactantiæ , quam divinæ voluntati & gratiæ. quod Nicolaus dicebat eo die potuiſſe videri, quo vetuſtam eccleſiam Vvigorniæ fecit detegi [a]. Stabat ipſe in cœmiterio tacitus & ſubinde congemiſcens. Scaturiebat quippe in animo ejus cogitatio, quæ ingentem imbrem lacrymarum ferens, tandem erupit : Nos, inquit, miſeri ſanctorum deſtruimus opera, pompatice nos putantes facere meliora. Quanto præſtantior nobis ſanctus Oſvvaldus, qui hanc fecit eccleſiam ? quot ſancti viri religioſi in ea Deo ſervierunt ? Et licet adſtantes referrent non debere illum triſtari, ſed potius lætari ; quem Deus ad hanc ſervaſſet gratiam, ut ſic videret magnificari eccleſiam, in lacrymarum propoſito tenax fuit. Nec deſunt qui dicant prædixiſſe illum novæ eccleſiæ incendium, quo ſubſequentibus conflagrata eſt annis [b]. Sed non placuit pro vero præſumere, quod diſcrepat. Tunc autem & novam eccleſiam perfecit, nec facile invenias ornamentum, quo eam non decoraverit. Ita erat in ſingulis mirabilis, & in omnibus ſingularis. Quocirca ut magnificentiæ nihil deeſſet, ſeptuaginta duas marcas argenti ſcrinio innexuit, in quo beatiſſimi Oſvvaldi prædeceſſoris ſui exuvias, ſimulque multorum Sanctorum locavit. Ea res multorum populi, & epiſcopi ROBERTI *, & Abbatum frequentia VIII. Idus Octobris facta. quo die tranſlatio prædicti ſancti, ejuſdemque octava reliquiarum omnium loci memoria fieri annuatim juſſa. Hoc ideo excogitatum, quia depoſitio Sancti, quæ in Quadrageſima eſt, non ita commode fieri poteſt. Sciat porro lector id quondam ſcrinium à beato Oſvvaldo factum, ſed à Vvlſtano ampliatum.

ANN. CH. MXCV. JAN. XIX. Modeſtus in ædificiis etiam ſacris.

* De eo infr.

XI. In animarum fidelium auxilium maxima tenebatur miſeratione, ut etiam temeritatem per cœmiteria equitantium perpetuo compeſceret edicto. Multa ibi Sanctorum jacere corpora, quorum animabus, quæ apud Deum ſunt, debeatur reverentia. Verumtamen parum hac profecit induſtria, quia nihilo minus hodie ſanctorum calcatur reverentia. Quandocumque & ubicumque, ut ſuperius dixi, alicujus audiret obitum, ſtatim *Paternoſter* præſentibus indicto, ipſe tres pſalmos, *Laudate Dominum omnes gentes. De profundis. Laudate Dominum in ſanctis*, cum precibus dicebat. Ita oratione pro anima depoſita, fiebat de defuncto, ſi tempus ſineret, ſermo brevis & perfunctorius, vel longus & neceſſarius. Miſſam pro mortuis nullo non die cantari faciebat, præter Dominicas & majora ſollemnia. Remittebat enim feſtivitati, quod pietati debebat, ut tanto magis augeret veniam, quanto minus urgeret cauſam. Erat ergo dulcedinis, quod ceteris diebus orabat ; ampliſſimæ ſpei, quod in Dominicis ceſſabat : neutro eum autem Dominus fraudaret ; quoniam arridebat Domini clementia, ubi plaudebat ſervi confidentia.

Pietas erga defunctos.

Pſalm. 116. 129. 150.

XII. Labem impudicitiæ oderat, integritati favebat in omnibus, & maxime ſacrati ordinis hominibus. quorum ſi quempiam caſtitati comperiiſſet deditum, familiarium eum partium facere, & ut filium diligere. Uxoratos preſbyteros omnes uno convenit edicto, aut libidini, aut eccleſiis renuntiandum pronuntians. Si caſtimoniam amarent, manerent cum gratia ; ſi voluptati ſervirent, exirent cum injuria. Fueruntque nonnulli, qui eccleſiis quam mulierculis carere mallent. quorum aliquos vagabundos fames abſumſit ; aliquos res familiaris aliunde quæſita, in extremum tutata non deſtituit : pauci quos ſanior regebat ratio, abdicatis illicitis, præclaro in eccleſiis ſuis conſenuere otio. Quare Antiſtes cavens in poſterum, nullum ulterius promovit ad preſbyterum, qui non de caſtitate ſervanda daret ſacramentum.

Preſbyterorum cælibatum tuetur.

a Vetuſta Vvigornienſis eccleſia diruta, cœpit ædificari nova anno 1084. quo in Annalibus eccleſiæ Vvigornienſis tomo I. Angliæ ſacræ ſic habetur : *Inceptio operis Vvigorn. monaſterii per S. Vvlſtanum.*

b Immane illud incendium anno 1113 contigit 13. Cal. Julii ex Annalibus Vvigornienſibus, de quo plura Florentius habet.

Digitized by Google

ANN. CH. MXCV. JAN. XIX. XIII. Humilitas. Humilitatis ejus ubique, maxime inter monachos multa fuere indicia. Quando erat Vvigorniæ Miſſam majorem quotidie fere dicebat, officio ultroneo ſæpius quam ab illo cujus ſeptimana eſſet rogatus. Fertur enim ſolitum dicere, quod tamen fide Nicolai dixerim, monachum ſe loci eſſe, ſeptimanam ut ceteros eccleſiæ debere; ideoque quod ſuo explere nequiret ordine, ſuppleret pro adventus tempore. Collationi ſemper intereſſe, deinde in eccleſia confeſſione facta, & benedictione data, redire ad ſua. Summo diluculo ceteris quieſcentibus, in eccleſiam ſe matutinus agebat, ubi ſi aliquis fratrum, ut fit plerumque, Miſſam dicere volens, non haberet adjutoris ſolatium, ipſe incunctanter miniſtri ſubibat officium. Ipſe in pueris & ceteris, quos perperam veſtitos vidiſſet, dignanter acclinis pendulos componebat ſinus, rugaſque diſſidentes redigebat in ſeriem.

XIV. *f. dejecta. *Matth.* 20. 26. Aſſerentibus quibuſdam, quod tam dilecta * humilitas citra epiſcopalem dignitatem eſſet, reſpondebat: *Qui major eſt veſtrum erit miniſter veſter.* Ego ſum epiſcopus veſter & magiſter: ideoque debeo eſſe veſtrum omnium miniſter ſecundum Domini præceptum. Nec enim umquam ad voluntatis ſuæ ſupinabatur arbitrium, in omnibus Dei præceptis obſecundans. moribus gratiſſimus, nulla acerbitate cohabitantes offendens, nulla ingratitudine obſequentes confundens. Sæpe ſuis uſibus aptata retrahens, dummodo ſuorum commoditatibus conſuleret, faceret, diceret omnia quæ ad officium ſpectarent ſuum. Hoc non ſolum exhibebat Vvigorniæ, ſed ubicumque in diœceſi ſua peteretur venire ad cœnobia. Nec enim petentes dura fronte ſuſpendere, vel morarum ambagibus adventum ſuum excuſare ſolebat. Quandocumque ei confirmandi pueri nuntiarentur, ut ante dixi, ſtatim petitionibus nuntiantium aſſurgebat. Si vigilaret, rejectis quæ habebat in manibus; ſi dormiret, continuo ſomno excuſſus. Erant tunc temporis altaria lignea jam inde à priſcis diebus in Anglia; ea ille per diœceſin demolitus, ex lapidibus compaginavit alia: unde fiebat, ut nonnumquam uno die duo in aliqua villa, ſecundoque & tertio alias profectus, totidem dedicaret altaria. Ita impigre quocumque vocabatur aderat, ut non eum migrare ſed volare crederes. quo tempore miraculum, quod ea fecit occaſione, non patiar obduci ſilentio.

XV. *Miraculum de hydromeli Vulſtani meritis multiplicato in convivio poſt dedicationem eccleſiæ ab Egelrico archidiacono conſtructæ.*

XVI. Res ammonere videtur, ut quia de potu ſermo ſe intulit, dicam quid monſtri cuidam accidit, qui contra vetitum ejus potavit. Habebat ipſe in curia ſua milites multos, non quo voluptati eſſet, aut ejus blandiretur animo frequens ſervientium multitudo. Nec enim in corde parturiebat jactantiam, ſi haberet multorum obſequelam: ſed rex Vvillelmus ita fieri præceperat, quod ſereretur rumor in vulgus Danos adventare, & jam jamque affore. Nec à vero deviabat opinio; veniſſentque procul dubio, niſi aliæ res interceſſiſſent. Cauſam minarum & obicem impedimentorum in *Vvill.lib.3. fol. 59. 60.* Geſtis regum Anglorum * expoſui, quæ ibi ſi quis volet amicus lector inveniet. Quocirca, ut cœperam dicere, Rex timore percitus, coacto concilio, quid opus eſſet facto in medium conſuluit. Omnium fuit ſententia Lanfranco auctore, curias magnatum militibus muniendas, ut ſi forte res exigeret, communi umbone rempublicam & privatas fortunas omnes contra barbaros tuerentur. Ideo Epiſcopus plures retentans affluentibus mulcebat ſtipendiis, & delicatis ſaturabat obſoniis. *Sequitur narratio quomodo Nicolaus, poſt habito Vulſtani mandato, potans, noctu à dæmone ſit laceſſitus.*

XVII. Nicolai prioris laus. Sane ut occaſione magiſtri etiam venerabilis diſcipuli memoria eat in paginas noſtras. Nicolaus clariſſimæ progeniei quantum ad Anglos fuit; parentes ejus ſanctum virum magna coluerunt reverentia, multis commodis amicitiam ejus pignorati. Puerum baptizavit ipſe, litteriſque nobiliter

Digitized by Google

instructum, continuo ut ætas tulit, ſemper ad latus habuit: mox ut plena informationis perfectio in eum conflueret, Cantiam miſit, ſub diſciplina Lanfranci aliquamdiu militaturum: idemque poſtea tempore Thiulfi epiſcopi factus Prior [a], multa in brevi experimenta induſtriæ dedit; idque, quod magis conducibile arbitror, hic litteras habitatoribus loci vel doctrina infudit, vel exemplo inculcavit, ut ſummis eccleſiis Angliæ etſi cedant numero, non vincantur ſtudio. Porro Nicolaus Vvlſtani dicta & facta referre voluptati habebat, in hoc fortaſſe culpandus, quod vitam ejus ſtilo non commiſit. nullus enim eam memoriæ mandare poſſet veracius, quam nemo ipſo noſſet præſentius. Denique verba ejus, etiam quæ fortuitu effunderet, numquam fere pondere caruiſſe dicebat, ut iſtud: Demulcebat paterna benignitate caput ipſius, cui jam refugis à fronte capillis damnoſa cæſaries erat. Tunc ephebus alludebat Epiſcopo: Pulcre, inquit, ſervas capillos meos, qui omnes effugiunt. Non, reſpondit ille, crede mihi, quamdiu vixero calvus eris. Nec minus dicto fuit. Sed ipſa pæne ſeptimana, qua ſpiritus Vvlſtani reliquit terras, quidquid reliquum erat capillorum in fronte Nicolai effluxit in auras. ANN. CH. MXCV. JAN. XIX.

Omni die in Quadrageſima, ut ante dictum lector recolit, pauperibus poſt ablutionem pedum & manuum ſtipem impendebat cibariam; idque libentius noctibus quam diebus, vitans videlicet judicia hominum, quæ in utramvis partem amore labuntur aut odio: ubi ſi inter alios aſſediſſet aliquis, quem morbus occupaſſet regius, illius vero pedes preſſare tenacius, oſculari dulcius, oculos porro in ipſis figere ulceribus. Jam vero in Cœna Domini totam diem perinde ac noctem, ſuccedentibus invicem ſibi pietatis officiis, exigebat; & licet ſemper eſſet in Dei cultum ſuſpenſus, in illo tamen die maxime curabat, ne quid ſæculare ſuis irreperet actibus. Poſt matutinas cum monachis in majori cantatas eccleſia in cubiculum regreſſus, aquam calidam cum manutergiis inveniebat paratam ab officialibus, quorum id erat munus: ibi multis pauperibus, ut dixi, dilutis, omnium etiam veſtimentorum indulgebat compendium, manu ſua ipſe caritatem miniſtrans. Tum ad momentaneam quietem membris compoſitis, miniſtri totam aulam implebant pauperibus, quantum denſatis agminibus, quantum confertis ordinibus ſedere poterat. His omnibus cum Pater calceos & victum manu præbuiſſet ſua, ſi ei diceretur: Domine, modo requieſce, bene feciſti. reſpondebat: Parum feci, ſed voluntatem habeo præceptum Domini mei faciendi. Inde ſecedebat in eccleſiam, totaque die uſque ad Nonam mundanorum refugus cælum anhelabat. Sequebatur pœnitentium reconciliatio, miſſæ celebritas, chriſmatis benedictio. quæ omnia quamvis Colemannus magno verborum circuitu egerit, mihi prætermittere conſilium fuit; propterea quod non epiſcopale officium deſignare, ſed vitam ejus deſcribere ſuſceperim. Quid enim ad rem ea dicere, quæ & alii faciunt, nec aliter quam in libris continetur facere poſſunt? Illud ſane prætereundum non opinor, aſpectum ejus ita fuiſſe pœnitentibus gratioſum, ut cum eum conſpicarentur oculo, Dei angelum imaginarentur animo. Eo die cum reconciliatis comedere, poſt cœnam monachis omnibus pedes abluere, pocula cum oſculis miniſtrare ſolitum accepimus. Sic à media nocte uſque ad profundum alterius noctis crepuſculum mundo ſe ſubtrahere conſuetum. XVIII. Ut Cœnam Domini tranſigit.

Anno ante obitum ſuum proximo, tanta in Cœna Domini officium iſtud curavit efficacia, ut ſuperiorum annorum nihil fuiſſe putaretur diligentia. Præſagiebat profecto illud ſe facturum ultimo, cunctoſque miniſtros ſollicitudinis percellebat miraculo. Indixerat ſingulis præpoſitis, ut ex ſingulis villis præberent unius hominis veſtimenta omnia, decem hominum cal- XIX. Ultimo vitæ anno.

[a] Thomæ ſucceſſit anno 1113. ad an. 1124. quo obiit die 24. Junii.

Digitized by Google

ANN. CH. MXCV. JAN. XIX. cos, centum hominum victum: eadem etiam cubiculariis nundinanda præceperat; ut quod minus haberent prædia, ſuppleret curia. Ter ea die impleta eſt aula egenis, ſic conſtipatis, ut vix ægreque quiſquam progredi poſſet; adeo cunctos aditus occluſerant agmina longa ſerie & confuſa hærentia. Fremebat domus magno tumultu, abluebantque monachi & clerici pedes conſidentium. Ipſe ſedebat in medio, epiſcopali nixus ſubſellio; labor immenſus vires exhauſerat, ut vel pſaltes eſſet, qui ablutor eſſe non poſſet. Erat interea mens miſericors, quæ vellet ſatisfieri cunctis, ne ullus abiret inanis. Et quidem ſemel & ſecundo diſceſſerunt omnes, veſtibus ornati, nummis & calceis læti, omnes ventribus ſuffarcinati. Jam vero cum tertio locaretur pauperum ordo, ſuggeſſit in aurem monachus Epiſcopo pecuniam & veſtes defeciſſe, in anguſto etiam victum eſſe, dapiferumque & cubicularios conventos expenſas negare. Quid ergo lavari pedes attineret, quando quod lotis daretur non eſſet? Immo, inquit Epiſcopus, fiat præceptum Domini. non deerit largitas ejus, ut alicunde paſcantur ſervi. Miniſtri mei pro me facere nolunt, volent cum me non habebunt. Vix hæc locutus fuerat, & ecce tres ingreſſi ſunt nuntii, alter alterius calcem pæne præ feſtinatione terentes; primus pecuniam allatam, ſecundus equum adductum, tertius boves donatos Epiſcopo nuntiavit. Ille levatis in cælum oculis & manibus, exſultavit miraculo, non tam ſui cauſa quam pauperum emolumento. Monachi flere præ gaudio, & tali aggratulari domino: ab omnibus benedici Deus, qui non fraudaret vota in ſe ſperantium, nec pateretur vel ad horam contriſtari Vvlſtanum. Ita equus in pretium redactus, boves in nummos conflati, cum pecunia nuper allata, egenorum profecere compendiis.

XX. E. Paſcha. Præmonuerat miniſtros velle ſe ad illud Paſcha convivari accuratis epulis cum bonis hominibus. Id illi falſo interpretati, opulentorum pleroſque convocaverant, jamque Paſchæ dies illuxerat, cum ille in aulam pauperibus, quantos capere poſſet, introductis, præcepit inter eos ſediſi locato epulas ſibi apponi. Excepit illud dapifer ingenti indignatione animi. multo enim infrendens murmure lacerabat lenitatem viri, dicens competentius eſſe, ut Epiſcopus convivaretur cum paucis divitibus, quam cum multis pauperibus. Ad hoc ille reſpondit; illos divites eſſe, qui noſſent & poſſent voluntatem Dei facere: illis debere ſerviri, qui non haberent unde redderent; redditurum Deum compenſationis gratia, quod non haberent egeni relatione vicaria: lætius ſe videre iſtum conſeſſum, quam ſi, ut ſæpe, conſediſſet Regi Anglorum. Multo enim, ut dixi, eum ſuſpiciebat Rex honore [a], multo proceres, ut qui ſæpe ipſum adſcirent convivio, & aſſurgerent ejus conſilio: ipſi crebro qui perſequerentur juſtitiam, ingenita quibuſdam natura, ut id colant in aliis, ad quod ipſi aſpirare non valeant. Quid dico de optimatibus Angliæ? Reges Hiberniæ magnis eum venerabantur favoribus. Rex Scotiæ MALCOLMUS [b] cum venerabili conjuge MARGARITA, ipſius ſe dedebat orationibus. Penetravit regionum intima, regnorum extrema, ſanctitatis ejus fama. Papa Romanus, Barenſis archiepiſcopus, Jeroſolymitanus patriarcha, epiſtolis, quæ adhuc ſuperſunt, ejus ambierunt apud Deum ſuffragia. Nulla poſtremo pæne fuit mundi gloria, quæ nolentem renitentemque non ſequeretur. Eratque certamen inter virum & gloriam; dum quo eam acrius fugeret ille, eo inſtantius eum illa urgeret. Sed de talibus huc uſque circumvagari licuerit, dum tranſitum ejus, lacrymabilem quidem terris, ſed exſultabilem cælis

Reges & Principes Vvlſtanum colunt. (margin, beside "Regi Anglorum"; *Papa, &c.* beside "Papa Romanus")

[a] Ejus in regni rebelles quos mire vicit, expeditiones fuſius narrant Florentius, Hovedenus & alii.

[b] Hujus nominis tertius, pietate celebris, cujus uxor Margarita, ſanctitate illuſtris, filia fuit Edvvardi Angliæ principis, tres eorum filii, Edgardus, Alexander & David regnum Scotiæ ſucceſſive tenuerunt ad medium ſæculi ſequentis.

adoriri formidat oratio. Nunc enim præ mediocritate ſcientiæ dicturus, te rogo Domine Chriſte, &c. ANN. CH. MXCV. JAN. XIX.

Proxima poſt iſta, quæ nuperrime dixi, Pentecoſte, gravi per omnes artus tactus moleſtia lecto accubuit; juſſit continuo equis concitatis, familiaris ſui ROBERTI epiſcopi Herefordenſis adventum rogari. Robertus quod nuntiabatur audito, confeſtim affuit; & Vvlſtanus humanorum exceſſuum confeſſione facta, etiam diſciplinam accepit, (ita vocant monachi virgarum flagra, quæ tergo nudato cædentis infligit acrimonia.) Quantus hic vir, qui ævo invalidus, morbo infractus, conſcientia etiam ſerenus, non abſtinuerit flagellis corporis, ut diſcuteret ſi quid reliquum erat animæ ſordis? Ab eo tempore uſque in Circumciſionem Domini videbatur aliquando levius habere, aliquando recidebat in lectum. ita pigra ſed aſſidua febre agebatur in exitum. Labes corporis augebat vires animæ, ut ſi quid in eo erat immaturum æternæ gloriæ, fervor infirmitatis poſſet decoquere. Poſt Circumciſionem ſupradictus Epiſcopus, & venerabiles ſuæ diœceſis Abbates, SERLO Gloëceſtriæ, GERALDUS Theokeſberiæ [a], decumbentem viſitarunt. Hos ipſe, primum pro more ſuo ſe ipſo accuſato, jure abſolvit ſuo, extremum eis vale faciens. Ebulliebat in dies vis valetudinis, maturabatque Chriſtus tranſitum, qui vocabat ad cælum. Interea non feriabatur ille à Dei ſervitio, ſed veterum non oblitus ſtudiorum, orabat plerumque verbo, ſemper animo. magiſque ſedens quam jacens, aures pſalmis, oculos altari applicabat; ſedili ſic compoſito, ut libere cerneret quidquid in capella fieret. Ante octo dies deceſſus ſui à THOMA [b] priore loci ſacræ inunctionis ſuſcepit officium, quotidiano poſt hæc Euchariſtiæ viatico tutatus exitum. Supremum efflavit XIV. Calendas Februarii, paullo poſt mediam noctem ſabbati. annus erat Incarnationis Dominicæ MLXXXVII [c]. regni Vvillelmi junioris X. poſt annos ſuſcepti epiſcopatus XXXIV. menſes IV. dies XIII. anno ætatis circiter LXXXVII. Hic porro mirari quis poterit, quod longævitatis ſuæ futuræ non ignarus ipſe vivens fuerit, quod cum ſæpe alias, tum ſemel in Capitulo dulciſſime pronuntiavit. Circumſedentibus enim fratribus, & multa, ut fit, mutuo ſermone ſerentibus; cum repente obſtipo capite ſopori ceſſiſſet, ſingultantibus omnium lacrymis, quaſi feſtino eos obitu deſtituturus conclamatus eſt. nec multo poſt diſcuſſo ſomno, cum cauſam ploratus addidiciſſet, reſpondit his fere verbis: Crede mihi, quantum ſenile corpus durare poterit, non moriar; nec niſi longo ſenio diſſolvetur hæc compago: poſtquam autem exceſſero, tunc vobis præſentior ero, nec aliquis ex eis quos timetis, vobis poterit nocere, ſi Deo velitis fideliter ſervire. XXI. Extremus morbus. Obitus.

Laverunt ergo corpus, quod jam ſpe perpetuæ reſurrectionis præfulgidum, ſtupori & venerationi viſentibus fuit ita perſpicuo nitore gemmeum, ita miranda puritate lacteum erat. Denique naſus, qui viventi citra modum protuberabat, ita pulcre defuncto ſubſedit & incanduit, ut mirum viſentibus eſſet. Illud porro quod dicam, nonnullo præſentibus fuit miraculo, anulus quem ad conſecrationem pontificatus acceperat, nonnumquam ante hanc horam ſponte exciderat: *Tunc vero ne extrahi quidem potuit, adeoque cum corpore ſepultus eſt, quod ipſe olim prædixerat. de iſto miraculo vide Florentium ad annum* MXCV. *& Capgravium fol.* 335. XXII.

Effertur interea corpus, proceditur ad eccleſiam, quam ipſe de vetuſta fecerat novam; locatur ante altare cum feretro, circumſedente clero. Ibi XXIII.

[a] De his monaſteriis videſis monaſticum Anglicanum tomo I.

[b] Obiit anno 1113. die 4. Octobris.

[c] Quæ hic proferuntur chronologicæ notæ non ſibi cohærent. Meliores non ſunt quæ in Vita Capgravia na habentur, *anno* 1067. *epiſcopatus* 34. *ætatis* 87. *die* 14. *Calendas Februarii.* De eo Vvillelmus lib. 3. Reg. Angl. *Nullus umquam eo juſtior, nullus noſtro ſæculo par illi miraculorum potentia & prophetali gratia.*

Digitized by Google

ANN. CH. MXCV. JAN. XIX. nocte illa cum ſequenti die ac nocte, orationum inferiæ, lacrymarum exſequiæ Deo thurificantur. Erat tunc Robertus antefatus Herefordenſis epiſcopus in curia Regis, homo ſæculi quidem fretus prudentia, ſed nulla ſolutus illecebra. Huic eadem hora, qua Sanctus rebus exceſſit, viſus eſt adſtare multum mutatus ab illo Vvlſtano, quem proximis vidiſſet annis; ita ſtellanti luce perſpicuus, viridanti vultu roſeus erat, epiſcopalibuſque veſtimentis amictus, & baculum tenens in manibus, his compellare videbatur jacentem: Veni nunc, dilecte frater Roberte, Vvigorniam, volo ut juſta mihi perſolvens, humo corpus, Deo animam commendes. Talia contra Robertus putabatur referre: Domine & dilecte amice, præcipis mihi ut te ſepeliam, cum jam quinque annis non te viderim hujus vigoris. Dimitte, aïebat Vvlſtanus, ſic eſt voluntas Dei, quam oportet impleri. Velociter nunc perge, nec verba mea negligenter accipe. Tum Epiſcopus tam manifeſtæ viſionis motus oraculo, ſtatim ſolutus eſt ſomno, Regis auribus viſum intimavit. cujus permiſſu accepto, concitato equitatu rapiebat arva morantia, Vvigorniamque ire pergebat. Levabat immenſum laborem vis ſanctæ amicitiæ, qua jam inde ab epiſcopatus initio devinctus fuerat viro; favitque benignis votis Divinitas, ut ante ad locum veniret, quam tempus humandi eſſet. Hoc modo prima nocte ſpiritus Vvlſtani amicum Pontificem ſed longe poſitum in exſequiarum ſuſcitavit officium [a]: ſequenti vero nocte, quaſi de peregrinatione domum reverſus, multa miranda exhibuit præſentibus. Quidam monachorum longi laboris pertæſi, quo quiſque poterat in angulos conceſſerant, ut liberiori otio ſine arbitris ſoporem adorirentur. Eis omnibus continuo aderat, ſtertentes pulſans, ſemiſopitos ſuſcitans; confeſtim ſurgerent, ſomnolentiæ renuntiarent, inciperent pſalterium à capite, finirentque cum commendatione animæ. Fecerunt illi quod juſſerat, nacti ex neceſſitate virtutem; ut dum quod eſſet libitum facere nequirent, ei quod licitum eſſet quoquomodo adquieſcerent. Eorum erat unus, qui facinus immane animo quidem volutarat, ſed necdum in opus produxerat; ei Sanctus fremebundus apparuit, cogitationem ſceleris improperans, immanitatem exaggerans, exſecutionem comminatus; ſatis ſuperque fuiſſe quod cogitaſſet, ideoque ab expletione temperaret; ſi ſibi vellet eſſe conſultum, cohiberet factum. brevi enim pœnas daturum, eodemque anno moriturum, ſi non abſiſteret illo peccato. Exterritus monachus minarum fulmine, ſimul & tormento conſcientiæ, fidem dedit eo abjurato de quo arguebatur, ſe ulterius mancipatum iri Regulæ.

Apparet Roberto epiſcopo.

a Tum aliis.

XXIV. *Sepultura.* Dies dominica, quæ fuit ſepulturæ, aderat, jamque præfatus Epiſcopus advenerat, indicium viſionis vera fide vix præ feſtinatione anhelans. Ipſe miſſis ex more celebratis beatum funus ſepultura curavit. Tum vero quaſi nihil ante fletum eſſet, itum eſt in planctum, porrectum in gemitum. Exclamabat turba in plangorem, quem repercuſſum teſtudinum convexa multiplicant. Nec erat ſimplex fletus aut ſimulatus, ſed exprimebantur veris ſingultibus lacrymæ; religionis ruinam, patriæ miſeriam in uno teſtantes homine. Difficulterque diſcerneres, qui juſtiores ſui fletus cauſas allegarent, clerus an populus; dum hic pro tutela paſtorem, ille pro diſciplina doctorem clamaret: ſenes an pueri; dum hi maturitatem, hi dulcedinem deſiderarent: divites an pauperes; dum iſti opum abſtinentiam, illi expenſarum munificentiam prædicarent. Immiſerunt tandem amantiſſimi patris oſſa ſepulcro, ſed memoria numquam in eorum ſepulta eſt animo. Non enim conventum vel civitatem facile invenies, ubi defuncti Epiſcopi reverentia, non dicam majori, ſed nec pari colatur cura. Hoc omni hebdomada ſi dies vacat, hoc cum ſe ad ejus obitum anni volubilitas ver-

a Ei etiam prædixiſſe dicitur illum brevi moriturum, quod menſe Junio contigit, ut habent Florentius, Vvillelmus, &c.

ſat,

ſat, monachi pſalteria & Miſſas, cives largiſſimis expenſis eleemoſynas frequentant. Ipſe quoque ultroneus accurrit votis precantium; nec eſt ullus cum fide petens, qui non mereatur ſuffragium. ANN. CHR. MXCV. JAN. XIX.

Miraculum de libro epiſtolari eccleſiæ Vvigornienſis, quem furto ſublatum Vvlſtanus reddi fecit. XXV.

Conſimile miraculum. XXVI.

Miraculum de Incluſo quodam, qui induſium Vvlſtani indutus, à diaboli tentationibus liberatus eſt. XXVII.

Qualiter Vvlſtanus poſt mortem eidem Incluſo apparuit, & beneficia contulit. XXVIII.

Inſtabant fideliter monachi, miſſitabantur per Angliam epiſtolæ doloris interpretes, amoris indices. Rogabantur, ut ſi Deus cuipiam aliquid de ipſius ſalute innoteſceret; ipſe bono nuntio anhelantium vota expleret. Fuit hoc tempore apud Brumetonam bonæ vitæ preſbyter, DUNSTANUS nomine, cujus ſanctitatis ſuavem fragrantiam jam inde à pueritia audiſſe me memini. Huic conſimili virtutum ſtudio advigilabat ejuſdem villæ Recluſa, nulli virorum ſanctitate inferior femina. Neſcires quem præferres, ita æmulis certabantur bonis: preſbyter inſtruendi doctrina, mulier parendi diſciplina; inſignis religionis homines, quos Deus theoricis ſpeculationibus dignaretur nondum hac vita carentes. Iſti Vvigornienſibus mandaverunt, nihil de ſalute Vvlſtani dubitari debere; vidiſſe ſe illum inter ſanctos choros, nihilo minus quam ceteros habentem gloriæ, & aliquanto pluſquam aliquos inferioris gradus habentem gratiæ. quorum qui non credit dictis, in religionem committit, quam, ut dixi, tanta coluerunt inſtantia, ut noſtro nil præſertim ſæculo ſupra. Denique quidquid dicebant ita excipiebatur, quaſi ex cæleſtibus inſonuiſſet templis, quaſi ex divinis profunderetur aditis. XXIX.

Explicuiſſe [a] mihi videor juſſa veſtra, patres & domini, ut Vitam ſanctiſſimi viri qualicumque ſtilo exſculperem. obedientiam ergo exhibui, etſi votum veſtrum non explevi. Veſtri erit judicii, an utrumque. Excuſat voluntas impotentiam; quia etſi nequivi quod debui, feci quod potui. Paciſcar ergo quæſo æternam vobiſcum de parvo labore gratiam; quia ſtudio veſtro & voluntati ſex ſeptimanis paullo minus lucubravi. Par ergo erit, ut poſt hujus animæ corporiſque diſcidium, totidem diebus pro me Deo immoletis hoſtias, quot noctium ego Vvlſtano conſecravi excubias. Valete. Epilogus. a

a Omiſit auctor miraculum de ſervato Vvlſtani ſepulcro in eccleſiæ Vvigornienſis incendio, quod ipſe Vvillelmus habet in Hiſtoria Pont. Angliæ. Alia item habentur apud Capgravium.

VITA S. GERALDI SILVÆ-MAJORIS PRIMI ABBATIS ET FUNDATORIS.

Auctore monacho Anonymo ſubæquali.

Ex codd. mſſ. & Aprili Bollandiano.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Geraldi nomen.

1. HUJUS *beati Abbatis nomen recentiores varie ſcribunt; alii quippe eum Geraldum aut Giraldum, nonnulli Girardum, plerique Gerardum vulgo appellant: at in vetuſtioribus vitæ exemplaribus* GERALDUS *conſtanter dicitur. Conſentiunt Baldricus abbas tunc Burgulienſis in variis epitaphiis, quæ ab eo ſtatim poſt beati Geraldi mortem conſcripta ſunt, ac Stephanus Tornacenſis epiſcopus, qui ſermonem, hymnos, aliaque in ejus feſtivitate canenda edidit ſæculo proxime ſequenti. Immo in vetuſtis monaſterii Silva-majoris inſtrumentis, quæ ſane plurima ſuperſunt, & ex his nonnulla beati abbatis manu, aut eo dictante exarata, uno aut altero excepto in quo Geraudus dicitur, ubique Geraldus ſcriptus invenitur: ipſe vero ſe Geraldum aut Giraudum conſtanter nuncupat.*

Vitæ auctores.

2. *Ejus Vitam duplicem habemus, utramque in monaſterio Silva-majoris paullo poſt ipſius obitum ſcriptam. Auctoris, qui priorem edidit, nomen ignotum eſt; alterius ſcriptor in codice Corbeïenſi, unde eam Henſchenius ſe habuiſſe ſcribit, Chriſtianus appellatur. Uterque monachus fuit, & quidem Silva-majoris, uti ex earum contextu apparet. unde mirari ſubit priorem Vitam ab alterius editore nuſquam fuiſſe laudatam, tametſi nihil fere habeat, exceptis paucis miraculis ad beati viri ſepulcrum patratis, præter ea quæ in priori vita, & quidem fuſius enarrantur. Idem poſterioris Vitæ auctor num.* 27. *miraculum refert, quod, inquit, à Petro abbate hujus loci ſeptimo* ſcripto traditum *fuerat, quod quidem miraculum, cum in priori Vita num.* 30. *habeatur; nonnemo ſuſpicari poſſet, Petrum ab iſto laudatum, primæ Vitæ auctorem fuiſſe, hunc ſcilicet ipſum, qui à beato Geraldo in monachum receptus, ejus poſtea capellanus, ac tandem ætate jam grandævus ſeptimus fuit Silva-majoris abbas. At quominus id admittamus, duo potiſſimum obſtant. primum quod prioris illius vitæ auctor Petrum ipſum paſſim laudat.* Petrus, *inquit num.* 28. multa de ejus *ſancti Geraldi* mirabilibus referens, tale perhibebat miraculum patratum fuiſſe; *& num. ſequenti:* Aliud quoque miraculi genus præfatus abbas Petrus narrabat. *Deinde idem auctor num.* 32. *teſtatur ea miracula quæ enarravit, ſe ab aliis* qui ea certiſſime viderant & audierant, *accepiſſe. quod Petro minime convenit, ſiquidem ea ipſe coram poſitus viderat, & propriis auribus audierat. An vero poſterior ille auctor verbis illis, quibus miraculum à Petro abbate ſcriptum laudat, deſignare voluerit Vitam priorem, quam à Petro abbate ſcriptam exiſtimaſſet, non licet divinare. Certe prioris illius vitæ auctor, quiſquis tandem fuerit, nuſquam ullum Petri ſcriptum de beati Geraldi miraculis memoravit, nec, ſi aliquando aliquod exſtiterit, ad poſterorum memoriam pervenit. Ceterum præter duos illos auctores, beati Geraldi Vitam ſcripſit Johannes à Guiſia, beati Vincentii Laudunenſis ſæculo decimoquarto exeunte abbas; ſed hæc vita nihil aliud eſt quam prioris Vitæ compendium. Ex his priorem vitam damus ad codices tres exactam, ſecundam habes apud Bollandianos. De Baldrico & aliis auctoribus, qui beatum Geraldum data occaſione celebrarunt, inferius nonnihil dicemus. At mirari ſubit ambos ejus Vitæ ſcriptores, qui in Silva-majori vixerunt, nihil fere de beati abbatis in illo monaſterio præclare geſtis dixiſſe. quare viſum eſt paullo fuſius de iis agere, maxime de ejus inſtituti in varias provincias propagatione, quæ ipſo adhuc ſuperſtite, ut patet ex variis inſtrumentis, facta eſt. Sed prius agendum paucis eſt de ejus ad ſancti Medardi abbatiam electione, quod nonnulli eam in dubium revocare non vereantur.*

Abbas electus fuit S. Medardi.

3. *Teſtis eſt Liſiardus, ſeu potius Hariulfus in Vita ſancti Arnulfi epiſcopi Sueſſionenſis, quam ſupra ad annum* MLXXXVII. *edidimus, beatum Geraldum in abbatem ſancti Medardi Sueſſionenſis, poſt ipſius Arnulfi abdicationem electum fuiſſe. Id tamen infitiantur recentiores*

Digitized by Google

ANN. CH. MXCV. APRILIS V.

nonnulli, quod ejus electionis nulla in duabus beati Geraldi vitis mentio occurrat, immo nec in ullis Silvæ-majoris monumentis, ubi tamen non pauca ſuperſunt, in quibus ipſe Geraldus teſtatur, ſe dimiſſo ſancti Vincentii monaſterii Laudunenſis regimine, poſt varias peregrinationes, quæ in utraque vita ſingillatim recenſentur, in Aquitaniam perveniſſe. Hugo Menardus, qui in obſervationibus ad Martyrologium Benedictinum ad diem quintam Aprilis hunc vitæ ſancti Arnulfi locum laudat, innuit hunc locum de ſancto Geraldo ad Sueſſionenſem abbatiam electo ab amanuenſibus additum fuiſſe, quod nihil, inquit, in Vita ſancti Geraldi ſimile reperiatur. At conjecturæ huic contradicit veterum codicum auctoritas, ad quos vitam beati Arnulfi contulimus, in quibus omnibus beati Geraldi, qui poſtea Silvæ-majoris in Aquitania monaſterii auctor fuit, ad ſancti Medardi regimen electio iiſdem verbis, atque eodem modo deſcribitur. Porro Liſiardus qui hanc vitam recognovit, & Hariulfus, primus ejus auctor, beatis Arnulfo & Geraldo æquales fuere, & utrique, uti conjicere eſt, non ignoti. Liſiardus quippe, beati Arnulfi diſcipulus & ab eo in ſubdiaconum ordinatus apud Sueſſiones erat hoc ipſo tempore, quo Geraldus in abbatem ſancti Medardi electus fuiſſe dicitur. Hariulfus vero apud Centulam, ubi vitam monaſticam profeſſus eſt, morabatur, Geraldo apud Corbeiam monaſterii negotia tunc temporis procurante. Non itaque de hac electione dubitare licet. at facile crediderim Geraldum hujus abbatiæ poſſeſſionem numquam iniiſſe; prohibente ſcilicet Pontio monaſterii invaſore, qui Bertæ reginæ potentia fretus, beatum virum exturbavit. Nec plura innuere videtur auctor vitæ ſancti Arnulfi. Unde mirum non eſt, ſi vitæ beati Geraldi ſcriptores, immo & ipſe Geraldus, electionis hujus nuſquam meminerint, quam nempe commemorare nihil interesat. Nam Geraldus ad monaſterii regimen numquam admiſſus, nihil ibi memoratu dignum agere potuit, quod à Vitæ ſcriptoribus enarraretur; cum vero ea tantummodo ipſe Geraldus in inſtrumentis Silvæ-majoris ſcripſerit, quæ poſt abdicatam Laudunenſem abbatiam ei contigerant, nihil de illa ad monaſterium ſancti Medardi electione dicere debuit, quæ veriſimilius facta videtur ante hanc abdicationem, cum monachorum ſuorum infidelitatis pertæſus de loci mutatione cogitaret. Utriuſque enim Vitæ auctor, eum dimiſſo Laudunenſis monaſterii regimine ſtatim abiiſſe commemorant; addit ſecundæ vitæ auctor, id à Geraldo factum fuiſſe, ut ad eremum ſe conferret. ſed de ejus apud Silvam-majorem geſtis modo agendum eſt.

Geſta in Aquitania.

4. *Præter ea quæ de beati Geraldi in Aquitaniam adventu, & Silvæ-Majoris monaſterii initiis habet auctor Vitæ, multa diſcimus ex veteribus ejuſdem loci inſtrumentis, quæ ipſius ſancti viri curis exarata ſunt. In eorum uno exponitur, quo pacto pius Abbas loci fundum acquiſierit liberalitate Ogerii aliorumque virorum nobilium, qui ſponte ipſum locum in tanti viri favorem Deo conſecrandum obtulerunt. Unicus Drogo Malliacenſis abbas negotium aliquod faceſſit, qui locum in quo monaſterium ſtruebatur, ſibi volebat vindicare, quod unus è ſuis monachis illum, concedente Ermentrude matrona, aliquamdiu inhabitaſſet. At ille cauſa cecidit. qua vero ratione Geraldus illum tandem plene obtinuerit, ex ipſiuſmet narratione, quæ in Chartario Silvenſi habetur, accipiendum eſt.*

Silvæ majoris fundum obtinet.

Cum, *inquit*, ego Geraldus, licet indigne, abbas appellatus, primum in Silvam-majorem veniſſem cum commilitonibus meis, & in loco, qui antiquitus appellatus eſt Altus-villaris, nobis remanere placuiſſet, quæſivimus poſſeſſores loci ipſius, ut ipſorum conceſſione ibi habitare poſſemus. Erat quidam vir, nomine Autgerius de Rions, cujus erat ipſius allodii medietas. nam alterius medietatis multi participes erant; ſed ad ipſum Autgerium juſtitia & decima totius allodii pertinebant. Hic itaque Autgerius divina inſpiratione præventus, quidquid in ipſo allodio habebat nobis donavit. Similiter Olivarius de Turre & fratres ejus Guilhelmus Guilfrandi, & Arnaldus, Oſtendus quoque & Bonæfuſus de ſancto Severino, & alii plurimi, qui partem clamabant in ipſo allodio, quidquid ibi habebant libere nobis donaverunt. Inter quos quædam matrona fuit, nomine Ermengardis de Giſtris, quæ etiam partem ſuam nobis dedit. Sed hæc matrona in hac ſua parte habitationem dederat cuidam monacho Malliacenſis cœnobii, ſolitariam vitam ducere volenti, ea tamen, ut ferebatur, conditione, quamdiu ibi voluiſſet habitare. qui cum ibi habitare cœpiſſet, ac oratorium de terra feciſſet, locus ipſe ad manendum illi diſplicuit, habitationemque in alio territorio mutavit, ac ipſam capellam quam fecerat, deſertari permiſit. Hic cum audiſſet quod nobis totum allodium donatum eſſet, nec ſua particula excepta fuiſſet, abiit ad ſuum abbatem, nomine Drogonem, reique geſtæ illi indicavit ordinem. Qui abbas ad concilium venit, quod eo tempore in Burdegalenſi urbe fuit, ac de nobis quod eccleſiæ ſuæ poſſeſſionem invaſiſſemus ibi querimoniam fecit. At nos magis volentes omnia relinquere, quam quidquam cum lite retinere, quippe qui noſtra dimiſeramus; pro acquirenda pace rogavimus domnum AMATUM Romanum Legatum, ac domnum Guillelmum magnæ memoriæ Aquitaniæ ducem Comitemque Pictavenſem, cujus conſilio & auxilio in prædicto loco remanſeramus, quatinus illi ab ipſo Abbate impetrarent, ut ipſam particulam nobis cum pace dimitteret; unde videlicet nihil proficui haberet; nec magis ibi ferarum, quam hominum ac Deo ſervientium habitationem diligeret. Sed ille ab his & ab aliis pluribus Epiſ-

ANN. CH. MXCV. APRILIS V.

copis & bonis viris poſtulatus reſpondit, ſe hoc facere non poſſe ſine fratrum ſui monaſterii conceſſione. Tunc domnus Amatus cum eo ad Malliacenſe cœnobium perrexit, ſecumque unum de noſtris monachis, nomine Litherium, duxit. cumque fratres ipſius loci in capitolio congregati eſſent ante domnum Drogonem ſuum abbatem, indicavit domnus Amatus coram omnibus noſtram petitionem. qui primum quidem valde contradixerunt. Sed tandem convicti ratione, quod non eſſet caritati ſimile ut id contradicerent, ad Dei ſervitium, unde nullum haberent ſubſidium, aſſenſum præbuerunt. Itaque domnus Drogo abbas cum conſenſu monachorum quidquid in ipſo nobis donato allodio clamabat, dimiſit; nobiſque liberum conceſſit, præſente domno Amato cardinali Romano cum capellanis ſuis Litgerio & Artaldo, & monacho noſtro Litherio cum famulo ſuo Erluino.

Et privilegium ab Epiſc. Burdigal.

5. *Adepta itaque plena & libera Silvenſis territorii poſſeſſione Geraldus, Burdegalenſem archiepiſcopum, in cujus erat diœceſi, adiit, ut ab eo monaſterii ſui libertatem obtineret. Facilem tam ſancti viri precibus aſſenſum præbuit pius Antiſtes, eique ampliſſimum privilegium conceſſit; quod ne in poſterum violaretur, in Concilio Burdegalenſi ab aliis pontificibus & abbatibus confirmari curavit. Id ipſum narrat beatus Abbas in notitia ea de re facta, quam in Chartario monaſterii ad poſterorum memoriam deſcribi curavit, ſub hac forma.*

Omnia orta occidunt, & aucta ſeneſcunt, nec multum hominis tempus protenditur, ejuſque memoria breviſſima probatur; ſed oblivio ne prorſus præterita abſorbeat, neceſſe eſt ut rerum geſtarum notitiam littera retineat, quatenus quid ſit mutabile futuros non lateat. Igitur hoc præſens non ignoret Eccleſia, ſed nec poſteritas hinc hæreat ambigua, quod noſtra geſtum eſt præſentia. Ego itaque Geraldus Deo largiente abbas, quamvis indignus, diu optaveram eripi de mundanis fluctibus, quibus contundebar acrius quam fragilis ferre poſſet animus. Ceterum ſubjecti mihi minus obediebant, nec eorum ferrea molliri pectora quiverant, quos quidem ſæcularia plus nimio negotia induruerant. Denique monſtrante divina clementia portum ſalutis, placuit animo antra petere ſolitudinis, ubi nulla eſſet ſæcularis habitatio hominis. Itaque commendata Epiſcopo cura commiſſi gregis, egreſſus ſum de monaſterio * comitantibus paucis, ignorans omnino quo curſus foret itineris. Sed tandem Domino ducente, quippe qui numquam abeſt ſperantibus in ſe, pervenimus ad domnum Vvillelmum Pictavenſem comitem, virum adprime nobilem, totius quoque Aquitaniæ ducem, qui lucum attribuit nobis congruum, Silva-major nuncupatum. quod allodium ita nobis ab illo abſolutum redditur, ut à nullo ibi quidquam juris requiratur, ſicut etiam alia chartula teſtatur. Cum ergo ibi vellem incipere monaſterium, perrexi ad domnum Goſcelinum Burdegalenſem archiepiſcopum, in cujus epiſcopatu prædictum erat allodium, ejus quidem rogaturus beneficium. qui, interveniente præfato Duce, jam incœptum monaſterium ita omni donavit libertate, ut nec ipſe, nec alius poſt eum, non archiepiſcopus, non archidiaconus, non archipreſbyter, non cujuſlibet ordinis perſona aliquod in eo jus vel dominationem poſſit habere; quatinus ibi degentes monachi abſque ulla inquietudine libere poſſent Deo ſervire. Sed & hoc ſtabilitum eſt ab ipſo, eodem precante Vvillelmo, ut ſi quandoque, diſponente Chriſto, villa creverit, nihilo minus in ea Archiepiſcopus, vel quilibet miniſter ejus, quidquam habeat juris nec in clericis nec in laïcis; ſed omnia referantur ad Abbatis diſpoſitionem vel congregationis. Hoc etiam ſibi nobiſque providit, ut nihilo minus eccleſiarum conſecrationem, ſacroſque Ordines, vel chriſma ab Archiepiſcopo accipiamus, cum neceſſe fuerit. Sed hæc conſtitutio iterum ab eodem firmata eſt in proximo Concilio, præſentibus Romanis legatis Hugone atque Amato, multoque aliorum Epiſcoporum collegio. Hoc quoque definitum eſt, ut ſi quis hoc decretum violare tentaverit, ſe ſciat excommunicatum, donec ſatisfecerit, tam ab Archiepiſcopo, quam ab omnibus qui fuerunt in Concilio. Necnon & hoc, conſulente domno Amato conſtituimus, ut hoc cœnobium ſolummodo Romanæ foret eccleſiæ ſubjectum, obque ſui tutelam domno Apoſtolico ſingulos annos ſolveret munus quinque ſolidorum. At ego jam deſcendens in defectum ætatis decrepitæ, jamjam curam monachorum cupiebam dimittere, atque minus utilis meliori cedere. Verum domnus Amatus à noſtris rogatus fratribus, licet totis reſiſterem niſibus, tamen mihi ex parte domni Apoſtolici teſtatus obedientiam, eorum commendavit providentiam. Acta eſt vero ſupradicta confirmatio Burdigalenſi civitate in Concilio, anno ab Incarnatione Domini MLXXX. Indictione III. Epacta XXVI. II. Nonas Octobris. VIII. anno VII. Gregorii papæ, Philippo in Francia regnante. S. VILLELMI Aquitanienſis ducis. Confirma † hoc Deus. Ego AMATUS Apoſtolicæ ſedis legatus confirmo †. Ego HUGO ſedis Apoſtolicæ legatus confirmo †. Ego GOCELINUS Burdegalenſis archiepiſcopus præſente Concilio concedo & confirmo †. S. RODULFI Turonenſis archiepiſcopi. S. VILLELMI Auxienſis archiepiſcopi. S. BOSONIS Santonenſis epiſcopi. S. ADEMARI Engoliſmenſis epiſcopi. S. VILLELMI Petragoricenſis epiſcopi. S. RAYMUNDI Vaſatenſis epiſcopi. S. HUGONIS Bigorrenſis epiſcopi. S. DONALDI Agennenſis epiſcopi. S. PETRI Adurenſis epiſcopi. S. ODONIS abbatis ſancti Johannis *. S. DROGONIS Malliacenſis abbatis. S.

* S. Vincentii Laudun.

* Angeriacenſis.

RAYNALDI ſancti Cypriani * abbatis. S. BERTRANDI ſancti Juliani * abbatis. S. HILDEBERTI Nantulliacenſis abbatis. S. FULCHRADII ſancti Salvatoris * abbatis. S. ACHELINI, GOCELINI Burdegalenſis eccleſiæ archidiaconi. ANN. CH. MXCV. APRILIS V.

* Pictav. * l. Juniani Nobiliaci. * Blaviæ.

6. *Hoc ipſo anno* MLXXX. *multi regionis vicinæ viri nobiles Pontificum in Silvam-majorem ſtudium æmulati, & Guillelmi Aquitaniæ ducis exemplo incitati, omnimodam eccleſiæ Silvenſi, quam Geraldus excitabat, libertatem unanimi conſenſu donaverunt*, ut, *inquiunt*, terrenis imperiis abſoluta ſoli Deo ſerviat ſecura. *Id ipſum teſtantur in veteri inſtrumento, quod ex chartario Silvenſi Stephanotius noſter deſcripſit. ibi quippe adducto Vuillelmi ſeu Vuidonis Pictavienſium comitis & totius Aquitaniæ ducis exemplo*, qui conſentientibus & volentibus cunctis ſuæ militiæ nobilibus *idem præſtiterat, laudato etiam concilii Burdegalenſis decreto, quo à ſedis Apoſtolicæ legatis, aliiſque epiſcopis ſancitum fuerat, ne quis ſub anathematis interminatione monaſterii Silvæ-majoris libertatem violaret, hanc ſe libertatis conceſſionem acceptare & laudare declarant. immo ne in poſterum aliqua circa hujus immunitatis uſum difficultas ſuboriatur, quibus potiſſimum capitibus illa concludatur, declarant. Sic inſtrumentum rem exponit.* Neceſſe eſt ut breviter dicamus, quæ ſit illa libertas, quodve ſalvamentum quod ipſi eccleſiæ à præfatis viris eſt traditum: ut ſcilicet nemo præter abbatem & monachos in toto allodio ad eamdem eccleſiam pertinente, quicquam juris vel dominationis ſive advocationis in ulla prorſus re habeat, &c. *Ex iis viris nobilibus illuſtriores recenſentur, Petrus vicecomes de Gavaretto, qui hanc libertatem* cum omni ſui exercitus collegio *confirmavit. Guillelmus Amanei**, *qui idem præſtitit*, laudantibus, *inquit*, omnibus noſtræ regionis nobilibus. *cum eo ſubſcripſere Bernardus frater ejus, Bernardus de Rionz & Vidianus ejus frater, Arnaldus, Raymundus de Bordis, Boſo de Montremblant & Bernardus de Scutiano *. Præter hos omnes Bernardus de Boivilla vicecomes, Arnaldus de Blancaforto, aliique multi nobiles milites, qui ibi aderant, ſeſe futuros eccleſiæ Silvæ-majoris defenſores, &c. adverſus quoſlibet ſpoponderunt. Eamdem Silvenſis monaſterii libertatem cum jurejurando ſuper ſacra Evangelia præſtito ſollemniter confirmarunt die ſancto Paſcha iidem, aut certe eorum poſteri, cum aliis totius regionis viris nobilibus, ſub Gaufrido abbate ſexto. Has omnes poſſeſſiones & immunitates confirmarunt ſequentibus temporibus Aquitaniæ duces & alii proceres. Acceſſit etiam ſedis Apoſtolicæ auctoritas, ut ex Bullis Alexandri, Lucii, Cæleſtini & aliorum Romanorum pontificum patet; ſed hæc fuſius perſequi ad præſens inſtitutum nihil attinet, qui beati Geraldi geſta illuſtrare ſuſcepimus, non hiſtoriam monaſterii Silvæ-majoris exhibere.*

Nobiles ſalvitatem dant. * D'amanjeu. * d'Eſcouſſans.

7. *Geraldi itaque ac diſcipulorum ejus ſanctitatis fama brevi Aquitaniam pervagata, in diſſitas quoque & externas provincias pervolavit; multique ad novum monaſterium convolarunt, ut ibi ſub tanti patris diſciplina, abjectis ſæculi pompis, Chriſto militarent. Alii vero, quibus id non licebat, ſua ſaltem Deo conſecraverunt, prædiorum & facultatum facta monaſterio donatione. Sed cum tantam diſcipulorum multitudinem capere non potuiſſet unius monaſterii anguſtia, (& quidem fraudanda non erant tanto virtutis exemplo aliæ provinciæ) in vicinis primum regionibus excitata fuere monaſteria pro Silvenſibus monachis, tum etiam in diſſitis, quæ beatus Gerardus, tranſmiſſis illuc diſcipulorum ſuorum coloniis, in accurata regula Benedictina obſervatione florere fecit. atque hæc prima fuere Congregationis Silvenſis initia, quæ poſtmodum celebris fuit non in Aquitania ſolum aut in Vaſconia, ſed etiam in tota Gallia, in Belgio, in Anglia, in Navarra & aliis Hiſpaniarum provinciis, in quas fere omnes regiones, vivente adhuc Geraldo, propagata fuit. Quæ loca ſæculo ſequenti Silvæ-majori ſubdita erant ſingillatim recenſet Cæleſtinus papa in bulla ad Petrum abbatem anno* MCXCVII. *data. ſed de iis ſolummodo agere viſum eſt, quorum initia ipſe Geraldus in monaſterii ſui chartario deſcribi curavit.* Geraldus alia monaſt. conſtruit.

8. *Paullo poſt Silvæ-majoris monaſterii conſtructionem Geraldus ipſe fundamenta jecit cœnobioli* de Trajecto *ad Garumnæ ripam ſiti, loci fundum ſuppeditante Raymundo-Vuillelmi, ut ex fundationis charta patet, qua is ipſe Raymundus dat* domno Geraldo primo Silvæ-majoris abbati partem allodii de Trajecto ſuper ripam Garumnæ, ubi poſſit fieri monaſterium cum ſuis officinis, hortiſque & pomariis, ac diſcurſu à flumine uſque ad proximam paludem molendini. *Hanc chartam idem vir nobilis* cum omnibus filiis ſuis ſuper altare Dei Genitricis & ſanctorum Apoſtolorum Simonis & Judæ, *id eſt ipſius eccleſiæ Silvæ-majoris, poſuit ad majorem donationis firmitatem: Vuillelmus vero Aquitanorum Dux eamdem huic novæ coloniæ* ſalvitatem *dedit, quam ipſe & alii proceres Silvæ-majori conceſſerant.* Trajecti.

9. *Haud diu poſtea Petrus vicecomes Gavardenſis in prædio ſuo* Gavaret *dicto, monaſterium exſtruxit in honorem ſancti Sepulcri, quod compluribus terris & reditibus dotatum ſubjectum eſſe voluit* domno Giraldo *ejuſque ſucceſſoribus Silvæ-majoris abbatibus; itaut, inquit ille in fundationis charta*, ſemper abbas Silvæ-majoris ſit abbas ſancti Sepulcri, & qualis religio & vita ibi tenetur, talem faciat & hic teneri; & qualem poteſtatem habet in illius eccleſiæ monachis, rebus & poſſeſſionibus, talem habeat & in iſtius: quatenus ſemper locus Silvæ-majoris & ſancti Sepulcri in Dei ſervitio & bona religione unum ſint; pariterque paupertatem & abundantiam patiantur; ſalva auctoritate archiepiſcopi Auxienſis & epiſcopi Adu- Gabaretū.

Digitized by Google

* Caumont.

renſis. *Chartæ ſubſcripſerunt Vuillelmus archiepiſcopus Auxienſis, Petrus Adurenſis epiſcopus, Arnaldus-Rotgerius donatoris frater, Stephanus de Calmonte *, Raymundus, Guillelmus de Mezerolis, Petrus de Vico, Amanevus de Tillieto, Odo de Pardiliaco, &c. Eamdem donationem ſollemniter confirmavit Petrus fundatoris filius, cujus rei notitia habetur in Chartario Silvenſi, quam hîc exhibere nemini fore ingratum ſperamus.* Petrus Gavarrenſis vicecomes, Petri Vicecomitis filius, ſumma cum devotione monaſterium, quod Silva-major dicitur, veniens, beneficia loci & orationes ab abbate G. & ceteris fratribus ſuppliciter poſtulavit. Huic vero tam laudabili petitioni tam Abbas quam congregatio fratrum libentiſſime præbentes aſſenſum, Capitulum introduxerunt, atque ibi cum libro, ut moris eſt, beneficii inveſtituram præbuerunt. Ipſe autem nihil cunctatus, loco & hora eadem dedit & conceſſit ipſis quidquid pater ſuus antea dederat, id eſt monaſterium Gavarreti cum omnibus appendiciis ſuis tam acquiſitis quam acquirendis. *Ex aliis item chartis patet Gavarretenſes vicecomites in monaſterium ſancti Sepulcri admodum liberales fuiſſe. Quin & paullo poſt beati Geraldi obitum, ſub Gaufridi abbatis regimine, Agnes vice-comitiſſa parthenonem juxta virorum monaſterium condidit, ubi monialis facta eſt. Porro etſi in pleriſque ejuſmodi chartis nullus exprimatur annus, primam tamen hujus loci fundationem ante annum* MXCII. *factam fuiſſe ex hoc patet, quod Petrus epiſcopus Adurenſis qui ei ſubſcripſit, & nonnulla eidem monaſterio contuliſſe dicitur in altera charta, hoc ipſo anno* MXCII. *ad ſuperos abiiſſe dicatur in veteri Necrologio monaſterii ſancti Severi in capite Vaſconiæ, in quo legitur:* Idibus Junii depoſitio domni Petri Adurenſis epiſcopi bonæ memoriæ, anno MXCII. *Ceterum Virginum Gavaretenſe monaſterium ſæculo* XIV. *monaſterio virorum, cui vicinum erat, unitum fuiſſe creditur, iſtud vero à Calvinianis direptum exinde monachos non aluit. Supereſt tamen hodieque eccleſia ſatis ampla & culta cum priore, qui aliquot ſacerdotes ad divina officia utcumque explenda ibi ſuſtentat. Gabaretum porro opidum eſt in Vvaſconia hodierna, olim Adurenſis diœceſis, poſtea vero, reclamantibus licet Adurenſibus, Auxitana attributum.*

* Royans.

10. *Ad eumdem annum* MXCII. *revocari debent initia monaſterii beati Nicolai in inſula de Rugiana * in finibus Santonum, cui exſtruendo locum aptum, & multas poſſeſſiones ad ejus dotationem monachis Silva-majoris ſuppeditavit Elias de Didonia cum uxore ſua Avicia & filiis Galtero, Giſardo & Elia. Laudatum annum præfert charta donationis, quæ in ipſo Rugiano caſtello data eſt anno* MXCII. *Indict.* XV. *præſentes inter alios aderant* Stephanus abbas & eremita de Cordano inſula, *& Herlegius prior Silvæ-majoris cum aliis multis, quos recenſere ſingillatim nihil intereſt.*

Neronis-villæ.

11. *Iiſdem temporibus Dimo vir nobilis cum uxore ſua & liberis conceſſit monaſterio Silvæ-majoris eccleſiam ſancti Petri de Neronis-villa, in diœceſi Senonenſi ſitam, ubi monachi aliquot inſtituti fuerunt. Hanc fundationem tempore beati Geraldi factam fuiſſe colligimus ex conſenſu Richerii Senonenſis archiepiſcopi, qui anno* MXCVI. *vita functus eſt. Hujus autem loci facultates augendi occaſionem præbuit inſigne miraculum, quod in veteri notitia Chartarii Silvenſis, abſque ulla temporis nota his verbis refertur.* Fuit quidam miles, nomine Fulco Faicus, qui habuit quemdam filium clericum, nomine Garmundum. Hic cum in adoleſcentia ſua ſæcularis vitæ actibus ſuperflue intentus, omnium c**nis voluptatum ſe jugo ſuppoſuiſſet, &, quod eſt gravius, in ſimoniacam hæreſim delapſus contra Dei voluntatem illicita multa perpetraſſet; tandem gravi dolore membrorum percuſſus, mortem eſſe vicinam æſtimans, eccleſiæ ſanctæ Mariæ majoris Silvæ & eccleſiæ ſancti Petri Neronis villæ ſe ipſum donavit, & à quodam monacho loci illius habitum religionis accipiens, priſtinæ ſanitati ilico redditus eſt. *Recenſentur poſtea variæ donationes, quas Fulco Garmundi pater, Hauvinus ejus frater, aliique viri nobiles, viſo hoc miraculo, eccleſiæ Neronis-villæ, quæ ibidem* divina manu conſecrata *dicitur, fecerunt.*

* Semoy.

12. *Haud minus celebris erat apud Aurelianos Geraldi ejuſque diſcipulorum fama, quæ multorum converſioni occaſionem præbuiſſe dicitur, & erectioni monaſterii Sedis-veri *, haud longe ab hac urbe ſiti. quod à Tecelino viro nobili his temporibus excitatum eſt, data Silvenſibus monachis ſancti Bartholomei eccleſia, cum multis poſſeſſionibus ad ſuſtentandos monachos è Silva-majori excitos, qui ibi deinceps uſque ad noſtram ferme ætatem perſeverarunt. Hic locus modo in prioratum, ut vocant, ſimplicem redactus etiamnunc Silvæ-majori ſubjectus eſt, ſed vix ſuperſunt exigua antiqui monaſterii rudera. Varias eidem loco ab Alberto Tecelini filio, aliiſque viris nobilibus deinceps donationes factas exhibet chartarium Silvenſe.* Domos, viridarium, curtem, &c. *apud Aurelianos vivente adhuc ſancto Geraldo habuerunt Silvenſes monachi, ut diſcimus ex veteri notitia ab ipſo Geraldo facta, in qua teſtatur Theodericum ſe huc tranſmiſiſſe, ut aliquot monaſterii ſui poſſeſſiones à calumniatoribus vindicaret. ſic quippe habet:*

In Chriſti nomine, ego Giraudus humilis abbas ſanctæ Mariæ monaſterii Silvæ-majoris, notum fieri volo fidelibus ſanctæ Dei Eccleſiæ, tam præſentibus quam futuris, quod quidam frater, nomine Theodericus, filius Anſelmi, deſpecta quam exercebat mundi militia, ſalvationem animæ ſuæ quærens ad nos confugit, & devote ſuſceptus eſt. Contulit etiam cum

perſona ſui, quam Deo & ſanctæ Mariæ & ſancto Benedicto per manus noſtras obtulit, de rebus ſuis & parentum ſuorum, præter id quod ſecum attulit, Aurelianis civitate domos cum viridario & curte & terram adjacentem, quam tenebat. In ipſo etiam proſpectu civitatis vinearum arpennos ſeptem..... Non multo vero temporis labente curriculo, mater illius & frater cuidam parti harum rerum injurioſam injecerunt calumniam; unde ego abbas & fratres mei miſimus ipſum confratrem noſtrum Theodericum, ut quod monaſterio beatæ Mariæ contulerat, plene adquietaret. Factum eſt ita gratia Dei, &c. *Furnum in eadem civitate ſitum, & alias poſſeſſiones in vicinis vicis ſitas eidem monaſterio contulit Gelduinus Philippi regis familiaris, ut ex altera notitia diſcimus ſic rem exponente.* Quidam de familia domini Philippi Francorum regis, Gelduinus nomine, ipſo Rege conſentiente & conſulente, omnem mundi gloriam reliquit, ac ſe ſuaque eccleſiæ Silvæ-majoris tradidit, habitumque ſanctæ converſationis à domno Giraldo, primo ejuſdem loci abbate ſuſcepit. Hic ergo, &c. *ubi recenſentur res ab ipſo Gelduino collata.* ANN. CHR. MXCV. APRILIS VI.

13. *Anno* MLXXXIII. *Philippus Francorum rex regni ſui anno* XXIII. *dedit* eccleſiæ ſanctæ Mariæ matris Domini, quæ dicitur Silva-major, *capellam ſancti Leodegarii in ſilva Leſgia**, *cum ſuis appendiciis. Regia charta ſubſcribunt majores regni officiales, eam vero relegit Giſlebertus regis clericus ad vicem Goſfridi cancellarii & Pariſiorum epiſcopi. In altera charta Philippus hoc ſe feciſſe teſtatur, cum multa de ſancta monachorum Silvæ-Dei converſatione audiſſet à duobus monachis, quos ipſe domnus Giraudus primus loci abbas miſerat. ſed notæ chronologicæ, quæ in poſterioris hujus chartæ apographo noſtro habentur, mendoſæ ſunt. Monachos vero Silvæ-majoris jam tunc, vel ſaltem paullo poſt ibi inſtitutos fuiſſe conſtat. Et quidem in Bulla Cæleſtini III. ſæculo ſequenti data, inter alios recenſentur* prioratus ſancti Leodegarii & ſancti Pauli de nemore & Bellævallis in diœceſi Sueſſionenſi. S. Leodegarii. * l'Eſgue.

14. *Verum his omnibus celebrior fuit ſancti Dionyſii prope Montes in Hannonia fundatio, quam abbatiam ſancto Geraldo, ejuſque ſucceſſoribus ſubjectam voluit eſſe Richildis Flandrenſium comitiſſa, loci conditrix. Huc proferre juvat fundationis tabulas ex chartario Silvenſi.* Abbatia S. Dionyſii.

Ego RICHILDIS comitiſſa, mater Balduini comitis filii magni Balduini, qui tenuit principatum utriuſque ſcilicet Flandrenſis & Hainocenſis * pagi, cernens totum mundum ruere ad occaſum, atque cunctos mortales magis ſubditos peccatorum tenebris quam veritatis luci, cœpi tractare de ſalute meæ meique filii animæ, quomodo poſſemus ſanctæ matris Eccleſiæ caſum relevando oculis Judicis placere ſuperni. Talia mihi ſæpe cogitanti ac ingemiſcenti occurrit intentio, relevato quodam locello ſancto Dionyſio dedicato, ſtatuere ibi fratres juxta Regulam beati Benedicti militantes. Tempore vero quo, hæc meo verſabantur animo, erat incœptum monaſterium in loco Silva-major nuncupato, ubi Deus ſuos ſervos mira augebat diſpoſitione, quippe cui famulabantur tota intentione. Huic igitur eccleſiæ placuit præfatum locum ſubjicere, ut ex tam nobili congregatione ſemper abbatem ſuſcipiat, qui eccleſiam ſancti Dionyſii recte diſponat. De noſtra equidem circumjacenti poſſeſſione tantum loco contuli, ut abbas honeſte poſſet haberi. Domnus itaque GERALDUS, Silvæmajoris abbas primus, de ſuis monachis illuc miſit, primumque abbatem conſtituit. Cenſus autem XII. denariorum auri ibi ſtatuitur, ut ſingulis annis initio Quadrageſimæ ſanctæ Mariæ, in cujus honore Silvæ majoris monaſterium dedicatum eſt, perſolvatur; hunc vero locum & cetera pertinentia ad ipſum ita omnium abſolvimus poteſtate, ut nemini in eo quidquam juris vel dominationis, ſive advocationis liceat habere, niſi abbati & fratribus eccleſiæ. Sed & domnus GERALDUS Cameracenſis epiſcopus, quod in eccleſia ſive altari habebat epiſcopale jus Deo propter religionis chriſtianæ culturam donavit, ut ibi degentes monachi omni prorſus inquietudine ſint liberi. Quod ſi quando, quod abſit, abbas ſancti Dionyſii contra Regulam egerit, ad abbatem Silvæ-majoris ipſe veniat, qui male acta corrigat; ſimiliter & monachus qui abbati rebellis fuerit. Ut autem hæc auctorizabiliora habeantur, nobilium virorum teſtimonio roborantur, quorum nomina ſubnotantur. S. GERALDI Cameracenſis epiſcopi. S. Anſelmi de Ribodimonte. S. Balduini de Tornaco. S. Giſleberti præpoſiti de Nivella, aliorumque multorum, qui huic aſſertioni interfuerunt. Acta ſunt itaque hæc anno ab Incarnatione Domini MLXXXII. Indictione V. Epacta XVIII. concurrente V. Imperante Henrico Romanorum rege. S. BALDUINI comitis. S. RICHILDIS matris ejus. *Supereſt hodieque monaſterium ſancti Dionyſii in Brocaria** *celebre prope Montes Hannoniæ urbem.* * Hainaut. * Broquerey.

15. *Paullo poſt beati Geraldi obitum Hugo comes Regiteſtenſis* * *Noveienſe monaſterium condidit, in quo inſtituti ſunt monachi Silvenſes, quod hactenus ſub prioratus, multis abbatiis præferendi, titulo ſubſiſtit Silvæ-majori ſubjectum. ſitum eſt haud procul à Regiteſte Remenſis diœceſis opido, hodie à RR. patribus Congregationis ſancti Vitoni inhabitatum. In vicinas quoque diœceſes, ideſt per totam Belgicam II. ſeu provinciam Remenſem, propagata fuit Silvæ-majoris congregatio, ubi haud minus quam in Aquitania celebre erat Geraldi alumni ſui nomen; immo & tranſmiſſo mari, apud Anglos celebrata fuit accurata regularis diſciplinæ obſervantia Silvenſium monachorum, qui labente hoc undecimo ſæculo in ea regione jam florebant; ſed multo majores in Hiſpania progreſſus fecere.* * Retel. Monaſt. Noveienſe, &c.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXCV. Aprilis V. Celebratur in Hiſpania.

16. *Regnabat tunc apud Aragones Sancius Ranimiri filius, qui cum adjecta regno ſuo Navarra, eccleſias non paucas in his regionibus condidiſſet & dotaſſet, occaſionem eum adeundi multis clericis & monachis præbuit. Inter iſtos vero fuere aliquot è Geraldi diſcipulis, quos pius Rex benigne ſuſceptos in eccleſia apud vicum Roſtam inſtituit, ut ibi monaſtica vitæ exercitiis operam darent; eoſque cum ibi nimia paupertate premerentur, variis poſſeſſionibus poſtea donavit. Hæc omnia diſcimus ex veteri notitia, quæ ea de re habetur in ſæpe laudato Chartario Silvenſi, ubi Sancius ipſe ſic rem enarrat.* Hactenus, *inquit*, in Hiſpania raro fuit Chriſtiana religio ſervata: ſed poſtquam lex Romana à ſanctis Patribus conſtituta noſtris temporibus introducitur, ac nubiloſus error veniente luce propellitur, advenientibus è partibus diverſis clericis & monachis Eccleſia Chriſti dilatatur. Itaque quidam monachi ad me venerunt, qui ſe miſſos à domno Geraldo Silvæ-majoris abbate dixerunt. Erat autem iſte Abbas ejuſque diſcipuli diffamati late per Hiſpaniam, qui de patria progreſſi in Silva-majori dignam Deo exercebant militiam. His igitur monachis prius eccleſiam in villa, nomine Roſta, donavi, quam illis omnium dominatione liberavi: ſed ex ea minus neceſſario capiebant, quo tamen contenti ſatis artam ducebant vitam. Sed cum poſtea ad eos gratia viſendi veniſſem, eorumque nimiam cognoviſſem paupertatem, aliam non longe dedi eis eccleſiam ſancto Jacobo dedicatam, illorumque ſuffragio vel precibus ſperans meam apud Deum adjuvari animam. *Tum recenſet varias donationes à ſe & ab Hugone quodam eremita monachis illis factas, quæ omnia Rex ipſe cum filio ſuo Petro conceſſiſſe & confirmaſſe dicitur. Idem princeps æra* MCXXII. *Meſchitas* * *de Eſſoya, procul dubio à Mauris ereptas, cum decimis & aliis reditibus monachis Silvenſibus tradidit. Cui donationi præter Petrum ejus filium, ſubſcripſit quoque Felicia regina ejus uxor & Petri mater. multo plura donavit æra* MCXXXI. *menſe Octobri, id eſt paullo antequam è vivis excederet, occiſus quippe eſt in Auca urbis obſidione anno ſequenti, id eſt anno* MXCIV. *die* 4. *Junii. Ejuſdem porro Regis conſilio Petrus Pampilonenſis antiſtes, (qui ex monacho ſancti Pontii Tomeriarum in Galliis ad hanc ſedem, ut Tamaius in catalogo epiſcoporum Pampilonenſium die* 7. *Aprilis relato monet, evectus fuerat,) Argileenſem eccleſiam cum ſuis pertinentiis & aliis reditibus ſancto Geraldo donavit æra* MCXXV.

* V. moſquées.

Geraldi ſtatutum pro Sancio rege.

17. *Geraldus autem tot beneficiorum à pio rege acceptorum non immemor ſtatuit, ut unus ſemper pauper loco illius Regis vel ejus ſucceſſorum in monaſterio Silvenſi nutriretur. Decretum ea de re factum huc proferre libet.*

Teſtamentum monaſterii beatæ Mariæ de Silva-majore ad regem Sancium Aragonenſem. Ex auctoritate Dei Patris omnipotentis, ex petitione regis Sancii confirmo, & ſucceſſoribus noſtris tenendum præcipio, quatenus pro rege Sancio, & pro unoquoque de ſucceſſione ipſius, pauper unus in conventu iſto accipiatur, ut monachus fiat omnino ſine pecunia, loco Regis veſtiatur, manducet & bibat & oret. ſimiliter pro ſucceſſoribus. Si moritur unus de pauperibus qui facti ſunt monachi pro Regibus, alter loco ejus ſubrogetur. Omnis capitulus reſponderunt, Amen, fiat fiat. *Acceptis Rex his litteris Geraldo gratias egit, ut ex ejus reſcripto habemus, quod pariter è Chartario Silvenſi huc proferimus.*

Regis reſcriptum.

Reſcriptum Sancii regis ad beatum Geraldum. Quia pro me & ſucceſſoribus meis in Capitulo veſtro talia confirmaſtis, Deus vobis retribuat, & nos, ſi vita comes fuerit, non erimus ingrati. Ad præſens ex auctoritate Dei & noſtra confirmamus & poſteris noſtris confirmandum proponimus, quatenus omnia dona quæ dedi vobis, vel quæ daturus ſum ego vel poſteri noſtri, ita libera ſint ubicumque, quod neque eccleſiaſtica perſona, neque ſæcularis audeat inquietare, ſicut noſtra propria palatia: ſi quis inquietaverit, ſeu inquietantibus conſenſerit, iram Dei cum detrimento ſui corporis incurrat; cuſtodientibus vita & pax. Hoc concedo, hoc confirmo, hoc poſteris meis memoriale cum ſalute relinquo. Hoc ſignum divinæ recognitionis, & hos teſtes in quibus manet teſtimonium.

Statutum pro duce Aquitaniæ.

18. *Haud minus ſollicitus fuit pius Abbas pro Vuillelmo Aquitanorum duce. Ejus ſtatutum huc referre juvat, quod pro eo tam vivo quam defuncto fieri curavit, in perenne ob tot beneficia ab eo accepta grati animi monumentum. quod quidem inſtitutum, ne forte poſt longa temporum intervalla in deſuetudinem abiret, convocatis in Capitulum fratribus, iiſque ultro conſentientibus, publico inſtrumento inſeri voluit, quod in Archivis Silvenſibus ſub hac forma habetur.*

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Notum fieri volumus cunctis ſanctæ Eccleſiæ fidelibus, tam poſteris quam præſentibus, quod domnus Villelmus venerabilis Aquitaniæ dux, quidquid habebat in territorio, quod Silva-major appellatur, ſanctæ Mariæ tradidit, atque omni libertate donavit. Ego itaque Geraldus, providentia Dei abbas primus, cum omni fratrum collegio decrevimus, decretumque in congregatione ſtatuimus, ut pro hoc aliiſque beneficiis quæ plurima erga nos operatur, in noſtra ſemper orationis memoria habeatur; quatenus à Chriſto remunerationem mereatur. Hoc quoque conſtituimus, ut pro eo ſingulis hebdomadis ſpecialis Miſſa canatur, atque quanta ſingulis fratribus, tanta ei quotidie decernatur præbenda pro eo pauperibus eroganda. Quod ita definitum eſt, ut

ſicut

Digitized by Google

ſicut hoc in vita ipſius agitur non minori ſtudio poſt mortem, quamdiu ſteterit eccleſia, agatur. Neceſſarium ergo duximus, ut hoc memoriæ chartiſque mandetur, ne futurorum negligentia privetur. Scriptæ ſunt itaque duæ ſimiles chartulæ, ut præfatus Dux habeat unam, altera vero ſit apud eccleſiam. Quod ſi forte quiſquam huic decreto contraire præſumpſerit, anathematis periculo reus erit, donec ſatisfactione obedierit. Ad confirmandum ergo hujus rei teſtimonium ſubſcripſimus nomina eorum, qui huic decreto interfuerunt. S. Roberti de Burgundia. S. Willelmi Elyæ Burdegalenſis. S. Petri vice-comitis de Caſtellione. S. Amanevvi de Marcha. S. Rodulfi de ſancto Eligio. ANN. CHR. MXCV. APRILIS V.

19. *Particulatim præſcripſit pius Abbas quid pro quovis defuncto, ſive ex monaſterii ſui monachis, ſive ex aliis fœdere ſpirituali ipſi conjunctis, præſtandum eſſet. quæ omnia in libro ad hoc deſtinato deſcribi curavit. In Necrologio autem non ſolum iſtorum, ſed etiam aliorum benefactorum nomina inſeri voluit, ut aliqua ſaltem eorum memoria quotannis, die eorum obitus in fratrum congregatione fieret. quid vero pro ſua congregationis monachis dicendum aut faciendum inſtituerit, diſcimus ex notitia, quam ipſemet beatus Abbas ea de re edidit.* Pro aliis defunctis.

Cognoſcant, *inquit*, omnes tam præſentes quam ſubſecuturi, quod ego Geraldus abbas ſanctæ Mariæ Silvæ-majoris quamvis indignus, utilitati vivorum & mortuorum conſulens, communis totius congregationis conſilio ſtabilivi, & ut in æternum permaneat litteris mandari præcepi. Si quis noſtræ congregationis deceſſerit ſæculo, nobiſcumque ſepultus fuerit, uſque ad annum panis & vinum pauperibus pro eo tribuetur, & uſque ad triginta dies ab omnibus miſſa & vigiliæ mortuorum communiter celebrabuntur; ita autem ut priores ſeptem miſſæ & vigiliæ ſollemniter pulſatis ſignis omnibus perſolvantur: ſacerdotum vero unuſquiſque pro eo ſeptem miſſas perorabit; qui ſacerdos non eſt, tria pſalteria; qui ad pſalterium nondum pervenit, uſque ad triginta dies ſeptem pſalmos quotidie cantabit; qui autem neſcit, ſepties quotidie Miſerere; qui vero nec Miſerere, ſepties quotidie Pater noſter, &c. *Recenſentur poſtea ſocietates Silvenſium monachorum cum aliis eccleſiarum ſeu monaſteriorum conventibus, quas fuſius hic perſequi non vacat. Eam quam ipſe Geraldus cum Odone abbate ſancti Johannis Angeriacenſis in capitulo Silvæ-majoris iniit, refert Papebrochius in obſervationibus præviis ad ipſam beati Geraldi vitam num.* 18. *quam ibi cuique videre licet, ſicut & nomina plerarumque eccleſiarum quæ cum Silva-majori precum ſocietatem habebant. In his tamen aliquot menda amanuenſium errore irrepſerunt; ſic* S. Mauritii... Uſerceuſi, Genevenſi *ſcriptum eſt, pro* S. Maurini, *quæ abbatia eſt in diœceſi Aginnenſi;* Uſercenſi, *id eſt* Uzerche *apud Lemovices, &* Generenſi, *vulgo* S. Pé de Generez *in diœceſi Tarbeienſi.*

20. *Geraldi obitum ad annum* MXCV. *revocari debere, nemo, ut quidem videtur, infitiari poteſt. Id quippe diſertis verbis habent ſecundæ Vitæ auctor, Hugo Flaviniacenſis abbas in Chronico Virdunenſi ſcriptor ſynchronus accuratiſſimus, & auctor Chronici Malleacenſis ſeu ſancti Maxentii. Non minus certus videtur eſſe dies ejus mortis, cum in utraque Vita ipſis Nonis Aprilis vir ſanctus ad ſuperos evolaſſe dicatur. nec diſſentit Hugo Flaviniacenſis, qui habet anno* MXCV. *feria quarta die* II. *Nonas Aprilis à noctis medio uſque ad auroram ſtellas è cælo cadere viſas fuiſſe; tum ſubjungit:* Eadem nocte Giraldus abbas Silvæ-majoris migravit ad Dominum. *Id tamen die ſequenti contigiſſe ſcribit auctor Chronici Malleacenſis, qui ſancti Geraldi mortem & ſtellarum è cælo caſum* VIII. Idus Aprilis *conſignat. At ei non ſolum Hugonis, ſed & utriuſque Vitæ ſancti Geraldi ſcriptoris præferenda eſt auctoritas. Et quidem hac ipſa die memoratur in vetuſto Necrologio monaſterii ſancti Petri Carnotenſis. In Necrologio Corbeienſi, quod non multo poſt ipſius Geraldi obitum exaratum eſt, hæc leguntur:* Nonis Aprilis obiit Geraldus Stephani Silvæ-majoris abbas & monachus noſtræ congregationis. *Eadem die feſtivitas ejus in vetuſto Silvæ-majoris Kalendario præſcribitur. Hinc merito Geraldi nomen Hugo Menardus in Martyrologio Benedictino die* v. *Aprilis conſignavit, ubi* magnæ patientiæ & humilitatis vir *appellatur; qui vero ejus memoriam ad alios dies revocarunt, hunc beatum virum cum aliis ſanctis cognominibus confudiſſe videntur. quod potiſſimum contigiſſe non dubitamus die* XIII. *Octobris, quod hac ipſa die ſancti Geraldi Auriliacenſis apud Arvernos, proindeque in Aquitania, Comitis celeberrimi in vetuſtis monumentis memoria fiat. Hinc Molanus hac ipſa die in ſanctorum Belgii Natalibus, laudato Rubeævallis Martyrologio, ubi ſancti Geraldi confeſſoris memoria habetur, Geraldi noſtri laudes ex veteri Poëta, & ex Liſiardo proſequitur. Ferrarius vero in Catalogo generali ſanctorum eadem die Geraldum noſtrum, cum Geraldo Auriliacenſi, atque alium ejuſdem nominis abbatem Lemovicenſem laudat; at Bucelinus licet noſtrum Geraldum jam die* v. *Aprilis conſignaſſet, ejus tamen memoriam iterum repetit* XIII. *Octobris. Sed hæc perſequi fuſius nihil juvat. Fatendum eſt tamen præcipuam beati Geraldi feſtivitatem antiquitus celebratam fuiſſe die* XXI. *Junii, quod ea die ſacrum ejus corpus è terra levatum fuerit. Id conſtat ex litteris Ottonis Aquitaniæ ducis, quas infra exhibebimus. Duplex ejus feſtum commemorat Silvenſe Kalendarium: ſcilicet ejus obitus, ut modo dicebamus, die 5. Aprilis; & Revelationis, die 21. Junii.* S. Geraldi obitus annus & dies.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXCV. Aprilis V. Sanctus agnoſcitur.

21. *Porro adeo celebris fuerat beati Geraldi, etiam adhuc viventis, ſanctitas, ut ſtatim poſt mortem nemo dubitaverit eum* ſanctum *appellare, ac reliquias ejus ac tumulum venerari, etiam prinſquam à ſummo pontifice inter ſanctos authentice relatus fuiſſet. Id non ſolum ex utroque ejus Vitæ auctore conſtat, ſed etiam ex Baldrico tunc abbate Burgulienſi, poſtea archiepiſcopo Dolenſis eccleſiæ, qui accepto beati abbatis, qui ejus amicus fuerat, mortis nuntio, ſtatim, pro illorum temporum more, verſus conſcripſit in varias eccleſias tranſmittendos, in quibus Geraldum* ſanctiſſimum *appellat; aitque eum precibus, ut alii defuncti, non indigere: quin & eumdem, ut ſibi aliiſque viventibus ſubvenire non dedignetur, exorat. Aliquot ex iſtis verſibus huc proferre nemini fore ingratum cenſemus. Ceteros qui legere volet, adeat ſi lubet Cheſnium tomo 4. Hiſtoriæ Francicæ ſcriptorum.*

Cum pro defunctis ſoleant orare fideles,
  Proque ſibi caris perpetuent lacrymas;
Pro patre Geraldo nihil eſt utriuſque neceſſe,
  Qui cæli civis incola vixit humi.
Silvæ-majoris jacet hic ſanctiſſimus abbas,
  Abbatum ſplendor, & monachile decus.
Gallia congaude Geraldo, quem genuiſti,
  Ac cineres ſanctos hic venerare ſuos.
Ora pro nobis, Geralde, pater reverende:
  Non opus eſt pro te nos aliud petere.

Tranſlatio.

22. *Procedente tempore cum miracula ad beati Geraldi tumulum frequenter fierent, viſum eſt operæ pretium, ſacrum ejus corpus, ne qui, ut innuere videtur ſecundæ vitæ auctor, ipſum furarentur, alio transferre,* ubi ſecretius & tutius haberetur. *Id tempore Petri ſeptimi abbatis, qui olim beati viri diſcipulus & capellanus fuerat, factum fuiſſe narrat uterque Vitæ auctor, convocatis ad hanc ſollemnitatem Epiſcopis, abbatibus & aliis viris nobilibus. Non tamen in ſanctorum numerum publico decreto relatus eſt Geraldus ante ſæculi* XII. *finem. Tunc quippe duo monachi Silvæ-majoris Romam adeuntes, Pontifici, qui tunc Cæleſtinus III. erat, litteras obtulerunt, ab Archiepiſcopo Burdegalenſi aliiſque provinciæ epiſcopis, abbatibus & viris nobilibus ſcriptas, quibus Geraldi ſanctitas aſſereretur, quam incorrupti mores dum viveret, & infinita propemodum miracula ab eo tum vivente tum defuncto patrata inconcuſſe approbabant. His examinatis ac ponderatis, ac nonnullorum epiſcoporum Gallicanorum, aliorumque, qui forte tunc Romæ aderant, teſtimonio comprobatis, ſancivit Pontifex Geraldi nomen in ſanctorum Catalogo eſſe adſcribendum, ejuſque feſtivitatem deinceps in provincia Burdegalenſi fieri celebrem voluit, dato diplomate, quod hic exhibemus, quod hujus canonizationis geſta clarius exponat.*

Canonizatio.

Cælestinus epiſcopus ſervus ſervorum Dei univerſis Chriſti fidelibus per provinciam Burdegalenſem conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Sicut phialæ aureæ odoramentorum, plenæ orationibus ſanctorum in conſpectu Altiſſimi, ad expiandam criminum noſtrorum corruptelam odorem ſuavitatis emittunt; ita ſaluti noſtræ plurimum credimus expedire, ſi eorum in terris celebrem habeamus memoriam, ipſorum merita ſollemnibus recolendo præconiis, quorum in cælo ſperamus interceſſionibus aſſiduis adjuvari. Sane cum dilecti filii G. & P. monachi Silvæ-majoris ad ſedem Apoſtolicam acceſſiſſent, & de ſancta converſatione, vita & meritis beati Geraldi, ipſius monaſterii fundatoris, tam per litteras venerabilium fratrum noſtrorum Burdegalenſis archiepiſcopi & ſuffraganeorum ejus, quam aliorum, Abbatum videlicet & nobilium, Nos plenarie inſtruxiſſent, & plurima certe indicia eorum nobis & Fratribus obtuliſſent; & per venerabiles fratres noſtros Rotomagenſem archiepiſcopum, Catalaunenſem epiſcopum, & quoſdam alios, (qui miracula quæ Dominus per illius ſancti viri merita operatur plenius cognoverunt) certiores fuiſſemus effecti; auditis etiam virtutis ejus & miraculorum inſigniis: & quod inter carnales ſpiritualem, inter homines etiam angelicam converſationem habuiſſet, ipſum, qui corporaliter diſſolutus cum Chriſto eſſe meruit, (ne debito ipſius honori & gloriæ quodammodo videremur detrahere, ſi ſanctificatum à Domino permitteremus ulterius devotionis humanæ veneratione carere) de Fratrum noſtrorum conſilio canonizavimus, & decrevimus ipſum in Sanctorum catalogo numerandum. Cum ergo lucerna ejus ſic arſerit in hoc mundo, quod per Dei gratiam jam non ſub modio, ſed ſuper candelabrum meruerit collocari, ut in ſe ardens per opera carita[illegible] lucea[illegible]s per exemplum: univerſitatem veſtram rogamus, monemus, & auctoritat[illegible]cipiendo mandamus, quatenus ad venerationem ipſius devote ac ſalubrit[illegible] feſtivitate ſollemni, conſtituta die, annis ſingulis excolatis; ut idem ora[illegible]pulſatus, pro nobis apud Dominum intercedat. Datum Laterani v. Kalendas Maii, pontificatus noſtri anno VII. *Id eſt anno vulgaris æræ* MCXCVII. *cum Cæleſtinus anno* MCXCI. *menſe Aprili in Clementis III. defuncti*

locum ſubſtitutus fuerit. Idem Pontifex paullo poſt, id eſt VI. *Idus Maii ejuſdem anni, Indictione* XV. *Petro abbati (qui totum hoc canonizationis ſancti Geraldi negotium præcipue curaverat) ejuſque fratribus ampliſſimum diploma conceſſit, quo omnia privilegia & bona, quæ ibidem recenſentur, monaſterio Silvenſi aſſeruntur & confirmantur.* ANN. CH. MXCV. APRILIS V.

23. *Scripſit idem Pontifex Ottoni Aquitaniæ Duci, ut eum faceret certiorem de beati Geraldi canonizatione, invitaretque eum ad celebrandam tanti viri feſtivitatem. Has Cæleſtini litteras videre non licuit, ſed præ manibus habemus duas ipſius Ottonis ea de re epiſtolas, in quarum prima Archiepiſcopos, alioſque Aquitaniæ* prælatos *monet, ut feſtivitatem ſancti Geraldi in ſuis ſynodis promulgent; in altera vero ſuis ipſius officialibus mandat, ut univerſis ad feſtivitatem ſancti Geraldi, & ad nundinas quas ea occaſione omnino liberas conceſſerat, convenientibus ſecuritatem omnem procurent. Hactenus hæ litteræ ſervantur in Archivo Silvenſi, ubi ſic habentur.* Publicatur.

OTHO Dux Aquitaniæ, Comes Pictaviæ, venerabilibus viris archiepiſcopis & epiſcopis, aliiſque eccleſiarum prælatis in ducatu Aquitaniæ conſtitutis, ſalutem. Sciatis quod dominus Papa ſignificavit mihi per litteras ſuas ſanctum GERALDUM primum abbatem & fundatorem monaſterii Silvæ-majoris, multis & magnis atteſtantibus ſignis ejus & miraculis, in cælo jamdudum gloria & honore coronatum, nuper de conſilio & ex decreto Romanæ eccleſiæ ob meritorum ejus atque virtutum inſignia, quæ fecit per illum Dominus, ab eadem eccleſia Romana canonizatum, & in Catalogo ſanctorum annumeratum, præſentibus quamplurimis archiepiſcopis & epiſcopis, aliiſque eccleſiarum prælatis, ipſiuſque feſtum cum devoto laudis obſequio Romæ ſollemniter celebratum, mandans mihi, quatenus feſtos ejus, ut ipſius meritis debeam & interceſſionibus adjuvari, devote celebrem, eumdemque Dei Sanctum ſincera colam & venerer devotione, atque alios exemplo & hortatu meo ad hoc ipſum inducam. Mandatum ergo Apoſtolicum devote in hac parte ſuſcipiens, & reverenter amplectens, rogo vos, quatenus in ſynodis veſtris & in eccleſiis & conventibus hoc ipſum fidelibus vobis commiſſis ob reverentiam ejuſdem Sancti denuntietis faciendum, & diligenter obſervandum, ut pro nobis omnibus intercedat ad Dominum. Omnibus autem, quicumque ad viſitandum ſanctum corpus ejus & ad dies feſtos ipſius, ſive ad feriam & ad nundinas venerint, quas concedo eidem monaſterio penitus liberas, & ibi conſtituo celebrandas ſingulis annis in die revelationis * ejus, quarto die ante nativitatem ſancti Johannis-Baptiſtæ, univerſis præſto plenam ſecuritatem eundo & redeundo, mandans univerſis ſeneſcalcis, præpoſitis & ballivis meis, ut feriam cum requiſiti fuerint à fratribus ejuſdem monaſterii faciant mandari & præconari; & libertates & ſecuritates conſtitutas obſervent inviolabiliter, & faciant ab aliis ſimiliter obſervari. Ottonis litteræ ad Epiſcopos, &c. * *f.* relevationis.

24. *Similes litteras idem Otto ad ſuos Officiales ea de re ſcripſit.*

OTHO Dux Aquitaniæ, Comes Pictaviæ omnibus ſeneſcalcis, præpoſitis & ballivis ſuis in ducatu Aquitaniæ conſtitutis ſalutem. Sciatis, &c. *ut in prioribus litteris.* Rogo vos quatenus eumdem Sanctum pro ſalute veſtra exemplo mei, debito honore veneremini, ut pro nobis omnibus intercedat ad Dominum. Vobis etiam & univerſis ſeneſcalcis, præpoſitis & ballivis meis firmiter præcipio, quatinus cum requiſiti fueritis à fratribus ejuſdem monaſterii, feſtum ipſius Sancti & feriam in die revelationis ejus quarta die ante feſtum ſancti Johannis-Baptiſtæ faciatis in locis à me vobis commiſſis mandari & præconari. Omnibus autem quicumque &c. Mandamus vobis ut libertates & ſecuritates conſtitutas inviolabiliter obſervetis, & faciatis ab aliis firmiter obſervari. Teſte me ipſo, apud Vaſatum, nono die Martii. Item ad ſuos officiales.

25. *In his litteris innuere videtur Otto, feſtivitates ſaltem duas,* feſtos *quippe appellat, in beati Geraldi honorem jam tunc celebrari ſolitas fuiſſe; ſed à quo inſtitutæ fuerint, non memoravit. Certe à vero aberravit P. Papebrochius, qui exiſtimavit Cæleſtinum pontificem, in ea bulla quam ſupra retulimus, archiepiſcopo Rotomagenſi & epiſcopo Catalaunenſi in mandatis dediſſe, ut feſtum beati Geraldi conſtituerent. Nihil enim ea de re habet Cæleſtinus in bulla laudata; nec inſtitutæ ab eis die* XIII. *Octobris feſtivitatis, ut ille arbitratus eſt, ullum ſupereſt in antiquis, aut recentibus Silvæ-majoris Breviariis, Martyrologiis aut Necrologiis veſtigium. Multo veriſimilius eſt illas beati Abbatis feſtivitates ab archiepiſcopo Burdegalenſi, aut ſane ab omnibus Aquitaniæ præſulibus promulgatas fuiſſe in aliqua ſynodo provinciali; tametſi, ut quod ea de re ſentio ingenue dicam, crediderim potius ambas beati Geraldi feſtivitates, depoſitionis ſcilicet ejus, & relevationis ſeu tranſlationis, ante ſancti Geraldi canonizationem celebratas fuiſſe, maximo ſaltem populorum concurſu. Cum enim ex utraque ejus vita certum ſit, populos ad ejus tumulum, etiam ex diſſitis regionibus frequenter conveniſſe, haud dubium quin id potius fieret in anniverſario ejus depoſitionis, aut certe tranſlationis (quæ quidem tranſlatio celeberrima fuerat) quam aliis diebus. licet enim beati viri feſtivitates nondum publico officio in ejus honorem edito celebrarentur, his tamen laudatis diebus, uti conjicere eſt, memoria ejus ſollemnis fiebat, qualis hodieque in pleriſque Ordinis noſtri monaſteriis ex antiquo Patrum noſtrorum* Feſta.

Digitized by Google

ANN. CH. MXCV. APRILIS V.

inſtituto fieri ſolet, in quibus primorum abbatum & fundatorum anniverſaria ſollemniſſime ſingulis annis ſtatis diebus celebrantur. Hæ itaque ſollemnitates, quæ primum, ut quidem nobis videtur, ad ſimplicem beati Geraldi memoriam obſervabantur, eo canonizato, in veras feſtivitates tranſmutatæ ſunt; atque tunc primum officium publicum in ejus honorem celebrari incœpit.

Officium à Stephano Tornac. editum.

26. Et quidem de lectionibus, antiphonis & aliis divini officii precibus, id certum eſt ex epiſtolis Stephani Tornacenſis epiſcopi, viri pietate & doctrina tunc celebris, qui ad hæc in ſancti Geraldi honorem componenda ab abbate & monachis Silvæ-majoris ſollicitatus, eorum precibus aſſenſum præbuit. Id ipſe teſtatur Stephanus epiſtola 277. ad abbatem & capitulum Silvæ-majoris ſcripta. In ſequenti vero, quæ male Archidiacono Burdigalenſi inſcribitur; nam ſcripta eſt ab ipſo Archidiacono ad Stephanum, ut ab eo nomine abbatis & monachorum Silvæ-majoris, immo totius diœceſis Burdegalenſis, poſtularet, ut ſecundum gratiam quæ data erat ipſi, in antiphonis ſuper pſalmos, & in reſponſoriis ſuper lectiones, & in proſa & collecta officiaretur. Quod cum exſecutus fuiſſet Stephanus, idem Abbas & totus monaſterii conventus, tranſmiſſo ad Stephanum baculo cypreſſino in xenium, gratias ei quam maximas retulerunt, eique fraternitatem monaſterii in generali Capitulo conceſſerunt, id eſt conſortem eum fecerunt omnium bonorum operum, tam in vita quam in morte, quæ à Silvenſibus monachis fierent. ita ut poſt ejus mortem eadem preces pro eo ſolverentur, quæ pro fratribus ejuſdem monaſterii ſolebant fieri. Hæc fuſius in epiſtola eorumdem inter alias Stephani num. CCLXXIX. Officium vero ab ipſo Stephano compoſitum, id eſt lectiones, hymni, collecta & unum Reſponſorium in ceterorum ſpecimen editum eſt Pariſiis anno MDCLXXIX. ad calcem ejuſdem Stephani epiſtolarum, quas notis & obſervationibus illuſtravit R. P. Claudius du Molinet, canonicus regularis congregationis Gallicanæ.

Silvenſium monachorum regularis obſervantia.

27. Ceterum Archidiaconus Burdigalenſis in epiſtola, quam modo laudabamus, non ſolum Geraldi ſanctitatem pluribus extollit, verum etiam monachos Silvenſes laudat, quod ceteros ejus ævi viros religioſos regularis diſciplinæ obſervantia & ordinis vigore antecederent. Ejus verba proferre juvat in beati abbatis ejuſque filiorum honorem. Beatus Geraldus de partibus, inquit, Gallicanis trahens originem, cujus vita coram hominibus laudabilis floruit, & ſpecioſa, pretioſaque mors in conſpectu Domini ſignis atteſtantibus radiat, & miraculoſa refulget. qui ad partes Burdigalenſes accedens monaſterium Silvæ-majoris & à primo lapide fundavit, & regularibus diſciplinis reformavit; hoc anno à domino Papa Romæ debita Miſſarum ſollemnitate authenticatus, in catalogo ſanctorum meruit adſcribi. Qualiter autem per Dei gratiam in prædicto monaſterio ſuper communes regulas monachorum ordo vigeat & ferveat, præconio famæ fidelius & efficacius, quam ſtili officio veſtra magnitudo poterit edoceri. Eoſdem laudat Helias, qui tunc temporis Burdigalenſis erat Archiepiſcopus, quod ſpiritualibus ſemper eſſent intenti. Scimus, inquit in charta donationis eccleſiæ de Campanias, & ex converſatione frequenti, quam circa vos habuiſſe dignoſcimur, indubitanter agnoſcimus, vos tamquam ſpirituales viros quæ Jeſu-Chriſti ſunt amplecti ſemper & quærere, & in iis quæ ad opera caritatis reſpiciunt vos jugiter exerceri, &c. Idem ferme occurrit in variis chartis, quas non vacat ſingillatim laudare. Sed prætermittere non licuit inſignem locum inſtrumenti viſitationis à Simone Bituricenſi archiepiſcopo anno MCCLXXXIV. per provincias Bituricenſem & Burdigalenſem facta. Ibi enim refertur, quod cum Archiepiſcopus ad Silvam-majorem acceſſiſſet, coactus fuerit ſupra monaſterii januam comedere, quod intra loci ſepta carnibus veſci non liceret; immo, ut ibi additur, cum monachi reſciviſſent abbatem ſancti Sulpicii cum Archiepiſcopo ad menſam ſedere, & cum eo carnes comedere, hanc Regulæ infractionem ægre tulerunt. Venit, ut in ipſo inſtrumento legitur, dominus apud ſanctum Geraldum, abbatiam Silvæ-majoris, & fuit ibi multum honorifice & ſollemniter receptus. Sunt ibi monachi nigri, & eſt locus multum inſignis: & quia non comeduntur in corpore abbatiæ carnes, dominus cum ſuis ſociis comedit ſupra portam, & comedit ibi carnes. Et venerunt ad dominum quidam monachi inhibentes abbati ſancti Sulpicii, ne carnes comederet ibi, quia ipſe faceret contra conſtitutionem Ordinis ſui. Hic erat etiam extremis iſtis temporibus monachorum Silvenſium fervor. Porro monaſterium Silvæ-majoris etiamnunc celebre ſubſiſtit, noſtræ Congregationi ſancti Mauri unitum, ubi inter alia ſacra cimelia ſervatur corpus beati Geraldi, in veteri theca laminis æreis & ſtatuis deargentatis ornata incluſum. Sacrum vero illius caput à reliquo corpore ſejunctum in vas argenteum, ejus effigiem referens, ab aliquot annis illatum eſt.

Digitized by Google

ANN. CH. MXCV. APRILIS V.

1\. CHRISTIANÆ religionis habitum gerens, omnium Dei fidelium cupiens ſalutem, univerſæ Eccleſiæ ſalutem in Domino. Quoniam video multa præteritis acta temporibus chartulis commendata, ne oblivione deleantur, placuit quoque, ut quæ facta diebus noſtris ſunt, noſtri officio ingenioli ad poſteros tranſmittantur. Si enim illi patres noſtri, quæ ſolius jactantiæ cauſa fiebant, tanto ſudore nobis curavere notificare, quanto magis nos quæ Dei ſunt, ne ſilentio deprimantur debemus elaborare. Igitur eorum exempla in bonum nobis vertamus, & quod illi ad humanum favorem, nos ad gloriam faciamus divinam. Aggrediamur itaque quod incœpimus enarrare, & non nobis dulce ſit amplius accepto opere evagari. Primum quidem factorem omnium & Redemptorem deprecamur, ut nobis mare tantum ingredientibus manum dignetur porrigere, quatenus qualiter beatiſſimus GERALDUS Silvæ-majoris abbas primus in ejus vitæ exſilio vixerit, quantaſque tentationes ei antiquus hoſtis intulerit, quamque fortiter contra ejus tentamenta, auxilio munitus divino, pugnaverit, quantamque miſericordiam ei Dominus omnipotens contulerit, ſi non ut deceret, qualicumque ſaltem modo explanantes, caritatis carina ſubvecti, velificante fide, ſancti Spiritus gratia carbaſa noſtra perflante, per juſtitiæ ſemitam ad portum ſalutis valeamus pertingere. Proinde lector imitetur in Dei ſervo conſtantiam, in infirmo patientiam, in patiente longanimitatem, in longanimitate irremiſſum tenorem. nec præjudicet nimietatem in dictis, quia nec digiti ſcripto, nec lingua valet ut eſt exæquare verbis; maxime cum idem vix ea voluiſſet referre, ne utique ad laudem ſuam videretur proferre. Non ergo notetur in eo aliqua falſæ laudis opinio, quia non ad ſuam, ſed ad Dei gloriam facta eſt hæc deſcriptio: nemini autem grave videatur vel indignum, tantum Spiritus-ſancti habitaculum vocari ſanctum, quia ſi cognovit & fecit juſtitiam, & vidit mirabilia magna & exoravit Altiſſimum, ſine dubio inventus eſt in numero ſanctorum. Quicumque hæc legerit vel audierit, ignorantiæ ſcriptoris ignoſcat, & non quali ſtilo, ſed de quo; per quem factum ſit opus [attendat, &] artificem codicis non requirat. Nemo enim ſanum ſapiens phalerata verborum figmenta * debet attendere, ſed utrum Catholicum ſit, quod attendit mentis intuitu ſubtiliter perſpicere. Iſtius vero veritatis Deum imprecando teſtem, veniamus ad narrationem.

Auctoris ætas.

* al. concinentiæ.

2\. Geraldus igitur Corbeïæ parentibus non ignotis oriundus, in ipſo Corbeïæ cœnobio ad Deo ſerviendum à parentibus eſt traditus, ubi ſic in ſancta converſatione pueritiæ ſuæ annos exercuit, ut ab hujuſmodi delectationibus quas amplecti ſolent pueri omnino alienus videretur, & ab omnibus qui in hoc eodem cœnobio erant amplius quam coëtanei ſui diligeretur. Hunc amabant pueri, quia pueros ad omne bonum invitabat: hunc juvenes diligebant, quia in eo totius probitatis & patientiæ exempla capiebant: illum ſenes mirabantur, quia eum ultra ſuæ ætatis vires eniti ſpeculabantur. Quid ultra? Ita ab omnibus qui in cœnobio erant tam monachis quam laïcis diligebatur, ut Deus in eo omnipotens & mirabilis prædicaretur. Nec mirum, quia quem Deus gratia perfuderat, neceſſe erat ut ab omnibus amaretur. In humilitate quippe perſiſtens, quæ cuſtos materque virtutum eſſe probatur, obedientiæ ſcilicet armis munitus, illum ſequi ſtudebat, qui uſque ad mortem crucis Patri obediens in hujus vitæ exſilio deſcenderat. Vere puer Altiſſimi effectus, in quantum poterat, Jeſum in ſe mirabilem oſtendebat. Quis umquam Dei mirabilia ſatis poterit admirari? Nihil enim eſt Deo difficile, vel in paucis, vel in majoribus ſicut placuerit operari; quia ſive puer, ſive in quacumque ætate, neceſſe eſt omnes, ſi voluerit & juverit, ei omnino famulari. Audivi-

Geraldus Corbeïæ natus.

Ibi in monaſterio educatur.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXCV. Aprilis v.

S. Nicolao ſimilis.

mus ſanctum Nicolaum ad matris adhuc ubera pendentem, quarta & ſexta feria ſemel in die mammas bibere, & hac vice contentum tota die perſeverare, & Dei opera conſiderantes non poſſumus conticere: hunc vero puerum noſtris temporibus adeo benedictum talem ſe omnibus exhibere, ut ab omnibus amaretur audientes, non auſi ſumus Dei mirabilia non prædicare. Laudemus Dominum in ſanctiſſimo Nicolao, magnificemus etiam eum in hoc puero, tam mirabiliter ſancti Spiritus gratia repleto: non autem illum ſancto Nicolao audemus æquiparare, ſed in utroque Dei mirabilia volumus prædicare. Mirabilis enim Deus in ſanctis ſuis, & nunc & ſemper, & per infinita ſæculorum ſæcula.

Fulconi abbati carus. a

3. Temporibus autem illis, legibus mortis invidentibus, abbatem Richardum [a] Fulco ejuſdem ſedis & honoris ſortitus eſt heredium. Poſtquam vero prædictus puer adoleſcentiæ annos ingreſſus eſt, non oblitus quæ in pueritia geſſerat, ad altiora ſe extendit; & de virtute in virtutem Dei auxilio conſcendens, omnibus bonis ſe formam & ſpeculum exhibuit. Juſtificationes Domini adoleſcentulus non obliviſcens, ab ipſo, ut viveret, intellectum expetebat, qui cum toto mentis affectu quærentibus dat affluenter, & non improperat. Vere quidem unus ex Agricolis, quibus vineæ commiſſa cura Dominicæ, qui fructum Domino ſuo congruo reportavit in tempore, talenti etiam commiſſi die noctuque inceſſanter meditans lucrum; & illius inertis ſervi, qui Domini ſui pecuniam abſcondit, metuens vehementer elogium, felix non deſiſtebat exercere negotium: quatenus Domino ſuo, dum veniret, multiplicatum reportare poſſet talentum. Cum autem Abbas ſub quo degebat, videret eum ita ut diximus ab omnibus admirari, ſecum cœpit ut ſapiens meditari, quia in eo ſi viveret, boni aliquid excuſaret; & Deum, cujus videbat quod erat donum, devote deprecari, ut conſervaretur & in melius proficeret. Denique eum ad ſe adſciſcens, famulatuique ſuo ut monachum addicens, cœpit ut ſolitus erat quocumque pro eccleſiæ ſuæ reſponſis neceſſarium habebat percurrere, eum ſibi adjutorem, & in quibus poterat providum conſiliatorem, deducere. Bonæ indolis adoleſcens corporaliter clauſtro egreſſus, & ad publicum productus, multis exemplum probitatis futurus, cuſtodiam ſibi Spiritum-ſanctum conſtituit, qui eum ab omni concupiſcentia ſæculari immunem extorremque cuſtodivit. Nam quocumque ſe verteret, ut in monaſterio ſolitus erat, jejuniis & orationibus, ut tempus & hora patiebatur, intentus, omne pſalmodiæ penſum, ne aliquando quod Deo promiſerat deficeret, reddere conabatur; cum vero ad matris gremium expleto diligenter reſponſo remeabat, parvipendens quæ foris viderat, vigiliis & orationibus & jejuniis carnem fortiter affligebat.

Exterioribus præficitur.

4. Mirandis miranda ſuccedunt. ſic ſæcularibus negotiis inerat, ut cuſtodiam mentis non amitteret: ſicque jejuniis & orationibus invigilabat, ut tamen eccleſiæ utilitatibus uſquequaque diſcurreret. Si dictis evangelicis attendimus, non eſt mirandum. promiſit enim Deus omnibus in eum credituris, ſe præſto affuturum, dicit enim in Evangelio: Nolite timere, vobiſcum enim ſum omnibus diebus vitæ veſtræ uſque ad conſummationem ſæculi. Et alibi: Confidite, ego vici mundum. Et iterum: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos; & diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris. Jugum enim meum ſuave eſt & onus meum leve. Quas voces Dominicas adoleſcens ſupradictus intelligens, devotus acquievit, & ad eum ut ea pro-

Matth. 28.

Johan. 10.

Matth. 11.

a Richardum *beatæ*, alias *felicis memoriæ*, abbatem appellat ipſe Geraldus in lib. 1. Mirac. S. Adalhardi, ubi plura de eo habentur, ſupra Sæc. 4. parte 1. pag. 361. & ſeqq. Fulco ei ſucceſſit anno 1048. rebus præclare geſtis celeberrimus. anno ſequenti concilio Remenſi ſub Leone IX. interfuit. Eum multi ad annum 1097. perveniſſe putarunt. At Evrardus ejus ſucceſſor concilio Compendienſi interfuit anno 1085.

miſſa compleret gaudenter accurrit. Superbiam & pompam ſæculi omnino derelinquens, ejus ſe totum præcepto humiliavit, & ut ovis manſuetus, Domini inſtitutionibus nihil hæſitans mancipavit; cujus tanta fuit erga Abbatem ſubjectio, ut omnes præcelleret erga eum Abbatis dilectio: ſicque licet impar, honor par tamen onus * erat, dum uſquequaque præſens eſſet, ſicut ſe habet illud miniſterii genus. Ann. Chr. MXCV. Aprilis V. *Boll. oneri.

5. Et quia locus erat aliquantulum deſtitutus, penuria temporum [a] & tempeſtate bellorum, cœpit Abbas omnibus horis omni ingenio inſtare ad relevandum. Non nox, aut æſtus diei, aut hora edendi aut bibendi remorabatur eos ab utilitate loci. mutata eſt omnis priſtina conſuetudo, aliquando horam præveniendo, aliquando jejunium protelando, aliquando plus ſolito, aliquando minus ſumendo, & inſuper naturam dormiendi inæqualiter tranſgrediendo: quod nequaquam fieri potuit ſine gravi periculo. Hac ergo mutatione uterque magnam infirmitatem incurrere; ſed majorem juvenis, quia immaturior erat moribus & ætate. Talem enim & tantam infirmitatem incurrit, qualem & quantam nullus hominum explicare poſſit, non lingua, non ſcripto, non alicujus tractitationis * modo. Modus enim non erat aliquis infirmitatis, quem ferre nequiret, niſi Dei clementia [ſuſtentus] mortalium aliquis. Habebatur autem in capite, qui locus quantæ gravitatis ſit, in hoc apparet quod ea pars corporis cetera membra ſolet dirigere; nec eſt aliqua hujus infirmitatis comparatio, ubi videlicet, ſi fieri poſſet, decapitatio unica videretur doloris remiſſio. A mento denique uſque ad verticem non ferri, ſed quæ gravior erat, infirmitatis ligatus vallagia, nuſquam caput niſi cum totius corporis circumferre valebat machina. Omnes adamantinæ venæ capitis torquebant juvenem ſine intermiſſione, nulla doloris requies, omnes horæ diei inæquales; omne tempus importunum, omnis locus auctor dolorum. Si enim exiret ad ſolem, videbatur ſibi videre totum mundum vertentem; ſi reſpiceret cælum ſuperius, videbatur ſibi ruere ſuper caput inferius; ſi equitaret, videbatur ſibi ſuſpectus ne in præceps caderet; ſi ſederet in tecto aut in monaſterio *, videbatur ſibi quaſi totam molem ædificii ſuſtinere capite ſuo. Exiſtimabat autem hanc ſe infirmitatem incurriſſe, inſueta videlicet cibi potuſque & ſomni mutatione; ſed, ſicut monſtrabitur in ſequentibus, revera fiebat ſummi Judicis præjudiciali voluntate, quamquam hæc omnia peccatis ſuis ſtuderet imputare: & quoquo modo fieret, nemo erat conſcius quanta anguſtia laboraret, excepto uno ſervitore ſuo æquivoco ſuo, quem ea adſciverat ſibi familiaritate, ut ſibi ſuccurreret in hoc præjudicio. Remanſerat ſiquidem in juvene quidam pudoris reſpectus, cum cetera omnia laterent, præter quæ portendebat ſuffuſio oculorum, & mæror languentis vultus. Omnibus enim devitabat conſcientiam ſuam inſinuare, ne mollior * fieret ipſa infirmitatis devotione. Quid ergo faceret, quo ſe verteret? erat miſeriam & dolorem videre, florem ſcilicet primæ juventutis non ſine gravi damno marceſſere. Si quis enim videret oculos lacrymis ſuffuſos *, & vultum dolentis mutantem colores varios, non illi dubium eſſet, quanta anguſtia & triſtitia eum interius turbaret. Nimium fatigatus. Capitis dolorem incurrit. *Boll. tractationis. *al. domicilio. *al. melior, ſeu, vilior. *Cod. 1. ſuffoſos.

6. Tandem non valens amplius ferre, cœpit ſententiam medicorum inquirere; & quia quot homines tot ſententiæ, unus aſſerit eum curandum venæ frontalis inciſione, [alius] adhibendo potiones & totius ſpecies medicinæ. Quæ omnia ille ferebat patienti animo. Si enim vivus arderet, haberet quaſi pro remedio, cum omne ingenium & induſtria medicorum cederet è contrario. Quid enim illi proficerent hominum medicinæ, quem Deus ſancti Adalhardi curandum reſervabat magnificentiæ *? Multa itaque ſine utilitate ſui medicis expendendo, cœpit excogitare, quia non Ad medicos fruſtra recurrit. *Infr. n. 14.

[a] De his ipſe Geraldus lib. 1. de Miraculis S. Adalhardi cap. 3. qui liber editus eſt Sæc. 4. parte 1. pag. 358.

Digitized by Google

Ann. Ch. MXCV. Aprilis v.

A Deo medelam exſpectat.

eſt Deus ut homo; &, quicumque ſit medicus, Domini eſt ſalus; quamobrem creſcente infirmitate in deterius, ſpem ſuam omnem tollit ab homine, & Deum quærit medicum infirmitatis ſuæ. Denique præfato ſervitore ſuo tantum conſcio, ubicumque valet, & quæcúmque valet ſubtrahit ori ſuo, & in pauperibus miniſtrat Chriſto. Occaſione medicorum ab amicis quæque valet accipit; & exinde tres pauperes ad imitationem Dominicæ cœnæ ſibi conſtituens, pedes eorum quotidie abluit, lacrymis rigat, capillis & camiſia tergit, menſam & cibos apponit: deinde projiciens ſe in eodem loco ante pedes eorum ad orationem, quaſi ibi præſentialiter videret
» ſanctam Trinitatem: Sancta Trinitas, clamabat cum lacrymis, aufer à
» me hanc quam ferre nequeo infirmitatem. Ubi eſt, Deus, promiſſum
» tuum? Quacumque hora me invocaveritis, dicam, Ecce adſum. Ubi ſunt
» tot miſericordiæ, tot miſerationes, tot clementiæ tuæ? Sed ſuffers, quia
» pia intentione differs.

Abbatem Romam euntem comitatur.

7. Adhuc ergo recenti inciſione plagarum & graviſſima incenſione arteriarum, abbas Fulco ſtatuens ire Romam eccleſiaſticæ utilitatis & gratia orationum, prædictum juvenem ſecum monet ire ut fidelem amicum. At ille libenter obediens paratum ſe reſpondet, & ſi corpore, ſed non bona voluntate deficiens. Sed cum Abbati ab exteriora videntibus ſuggeſtum fuiſſet, quod juveni itineratio tanta periculoſa foret, iterum ut quieſcat amabiliter monet. Ille vero humiliter totus obſiſtit, ea tantum intentione, ut ſi humanis decederet, Deus miſereretur ejus animæ. Si autem Dei clementia Romam perveniret, à ſancto Petro, cujus erat ſervus, miſericordiam ſanitatis imploraret. Quid ergo? vicit humilitas in iſto, amicitia in illo; prædatur amicos, diripit ab eis diligenter nummos, de quibus per viam relevet aporiatos. Ita viam ingreditur, & quod ſaniſſimus quiſpiam vix valeret, infirmus aggreditur, laborat dolore plagarum, & nimietate infirmitatum. Semper ſolus retrorſum equitabat, quia quæ levamen eſſe deberet, etiam loquela ſociorum ſibi gravis erat; utpote qui, niſi Dei ſe clementia detineret, pæne extra ſe aliquando fiebat. Cumque tamen obviaret pauperibus, virtute qua poterat, deſcendens de equo nummos & ſeminummos clam claudebat in eorum manibus; & dulciter exoſculans, quaſi ad præſentem Deum *, ut veraciter erat, cum gemitibus & lacrymis clamans aïebat: Domine Deus, ſuccurre mihi in cunctis tuis miſerationibus. Et ſic aſſcenſo equo ſtupefactus ibat, menteque, quæ ſana tantum remanſerat, ſemper hærens Deo.

* *al.* Dominum.

8. Pervenitur ubi dicuntur ſancti Dionyſii hoſpitia, adhuc celebrata ex nomine ejus, ibique ſervitor cui deputatum erat, reſpectis ut ſolebat inciſionibus: Heu, domine, ait, res tua quotidie cedit in deterius. Non poteritis viam perficere; neceſſe eſt vos cum ſeniore noſtro conſilium habere. Deinde Abbati ſuggeſſit. Abbas triſtis fratrem accerſivit, ut ibi remaneat, aut electis quos malit hominibus redeat retro, omnino monet, precatur & conſulit. Hoc autem dicebat, cum adhuc interiorem infirmitatem neſciens, tantum exteriorem videbat, celaverat enim ſicut & reliquos rem ſuam Abbatem ſuum, ea videlicet cauſa, ne impediret iter cœptum. Cujus monitioni humiliter obſiſtens omnimodis precibus: Non, ait, domine, cauſa retrogradiendi, ſed cauſa proficiſcendi, ſi Deus & vos permiſeritis, ſum hoc iter aggreſſus. Veni juſſioni veſtræ obediendo, præter eam etiam alia reſtat neceſſitas in ſupplendo. Quapropter precor in Dei amore veſtram paternitatem, ne reditu eam imponatis mihi, cui contradicere non valeam, juſſionem. Ad hæc videns Abbas perſeverantiam juvenis, annuit ejus voluntati & deſiderio bonæ intentionis. Cum autem ad montem Jovis * perveniſſent, aſſcendit montem non tantum Jovis ſed etiam Bardonis, nec equo ſed pede; nec animæ tantum cauſa, quantum flectendæ

* *Mont-Joux.*

Alpes conſcendit.

Ann. Chr. MXCV. Aprilis v.

flectendæ pietatis Dei in recuperanda ſalute. Tanta erat vis doloris, tantus amor adipiſcendæ ſanitatis, in cujus comparatione viluerant omnia, quæ creaverat Conditor orbis. Ubi vero aſcendit Gaudii montem, nudis pedibus & cuculato capite incedens, lacrymis & ſingultibus occulte paſcebat dolorem.

Romam pervenit.

9. Pervenit Romam, cujus ardens deſiderio, quot paſſibus, tot anguſtiis quæſierat eam. quæritur hoſpitium, itur oratum. Quis poſſet referre quantas lacrymas ibi fudit ante Dominum ſuum? Non eget referre, ſi quis amorem & dolorem, deſiderium & infirmitatem velit conferre. Manſerunt ibi diebus octo, ubi juvenis ſatisfacere putavit lacrymis ſuis & voto; ſed quomodo ſatisfaceret, quamdiu eum tanta anguſtia premeret? Veniebat quotidie ad eccleſiam, & quaſi ore ad os deberet colloqui ſancto Petro, lumbo tenus intrabat ſanctuarii arcam [a], ubi pulſans fidei pietate, non ſolum affectu cordis, verum etiam motu corporis, patefactis memoriæ oſtiolis, Deo & ſancto Petro ſolis teſtibus, omnia illic lavit, rigavit lacrymis & fletibus. aliis dormientibus ipſe vigilabat, & clam ſurgens, locatis [b] cuſtodibus, ſanctum Petrum reviſebat. Erat aut hæc ſumma petitionis ſuæ, ut ſi non mereretur adipiſci ſalutem, impedientibus peccatis ſuis; vel hanc ſibi Petrus impetraret veniam apud clementiam ſummi Judicis, nec illam quæ adhuc erat ſcintillulam amitteret ſanæ mentis. O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! quam inſcrutabilia ſunt judicia tua, Domine! Non vis dare Petro Romæ, quod reſervabas ſancto Adalhardo Corbeiæ.

In Apuliæ itinere.

10. Expletis itaque octo diebus, gratia eccleſiaſticæ utilitatis tendit abbas ulterius ſanctum Leonem papam, qui tunc erat verſus montem Garganum, ſecutus. Illuc etiam, licet deficiat corpus, juveni tamen amplior creſcit animus ſequendi, non amittendo infirmitatem, ſed admittendo in deterius: unde ſi prius graves, poſtmodum ſuſtinuit anguſtias graviores. Quia enim inter Romanos & Apuliones inhorruerat ſolito ſuperius * tempeſtas bellorum, cum maximo periculo, equitantes quotidie exſpectabant fortunæ eventum. Nec defuit fortunæ ſtropha, incidentes quippe in latrones omnia ſua perdidere. Abbas projectus de equo, nuſquam terrarum non fuiſſe voluiſſet tunc libentius quam illo. Geraldus quoque, ſicut ſemper ſolebat, retrorſum ſolus & pendulus equitabat, aurum etiam & argentum abbatis ſecum habebat; ſed quid faceret? quomodo evaderet? Invaditur, de equo projicitur, diſtrahitur, impellitur, ſpoliatur; & ad augmentum infirmitatis, etiam graviter flagellatur. Sui quippe, ut melius quiſque poterat, fugiebant; nihil putantes perdidiſſe ex eo quod adhuc vivebant. Recuperatis vero equis per quemdam militem, pervenerunt ad montem Caſinum, ubi juvenis iterum pedes cum lacrymis requiſivit ſanctum Benedictum, cumque ibi morarentur biduo, abbati ipſius loci infirmitatem ſuam intimavit ex conſilio. Cui ille cum lacrymis & ſuſpiriis condolendo: Heu! frater, ait, ſub quanto laboras periculo! eamdem, quam & tu pateris infirmitatem, quidam ex fratribus noſtris incurrit, quam tanta afflictione & tanta paſſione miſer ſuſtinuit diutius, donec modo ad ultimum omnis ſenſus & omnis humana intentio ſibi non ſine maximo damno decurrit. Ad hæc ille ſtupefactus, à quo ſperavit diſcedere conſultus, receſſit deſperatior factus.

* Boll. aſperius.

A latronibus invaditur.

Caſinum inviſit.

Montem Garganum.

11. Pervenitur ad montem Garganum, ut devotius potuit, oravit Michaëlem archangelum; ſtilla guttantis aquæ multoties reſperſit caput ſuum. Sed quid plura? Occulta ſunt judicia Dei: non ſanctus Michaël in ſuo Gargano, non ſanctus Benedictus in ſuo Caſino, non ſanctus Petrus in ſua Roma; quod ſanctus Adalardus promeruit de hac re in ſua Corbeïa. Invento itaque

[a] Per feneſtram quæ ibi habebatur. V. S. Gregor. Turon. lib. 1. de Gloria Mart. cap. 20.

[b] Id eſt pretio ſibi conciliatis. nec eſt neceſſaria, uti cenſuit Papebrochius, hujus vocis mutatio in *lucratis*.

ANN. CH. MXCV. APRILIS V. papa Leone, omnimodis ſatagebat, quatenus apud eum ſarcinam peccatorum ſuorum poſſet exonerare: ſed cum non eſſet accedendi locus, nec commorandi ſpeciale tempus, cœpit contriſtari & æſtuare, ſi quo modo ad exitum rei poſſet pervenire. Interea videt quemdam pontificem, nomine HUBERTUM [a], cui omnem ſuam conſcientiam patefecit, infirmitatem qua laborabat aperit; & quomodo relicta medicina, omnem ſpem ſuam commiſiſſet cuſtodiæ ſpirituali. At ille temperans modum pœnitentiæ pro modo infirmitatis, laudat propoſitum juvenis, hortatur inſiſtere cœptis, imperat ne amplius quid faciat ſine licentia Abbatis. Ita confecto negotio, utriſque à Papa etiam Sacerdotibus effectis, ſe cum Abbate ſuo, reditur Corbeïam non ſine magno vitæ ſuæ periculo. Jamque de corporis ſanitate deſperatus, animæ quærebat ſalutem attentius; eleemoſynis inſtare, pauperibus deſervire, eccleſiis inhærere, miſſas, quia noviter ordinatus fuerat, frequenter celebrare; quarum etiam Euchariſtiæ dum adſtaret, ita præ anguſtia infirmitatis ſtupefactus reddebatur, ut niſi Dei clementia, quem inter manus tenebat, teneretur *, totus extra ſe fieret.

Fit ſacerdos.

Corbeïam redit.

* al. tuetetur.

12. Taliter expleto anno poſtquam à Roma rediit, cuſtos eccleſiæ, qui tunc erat, humanis deceſſit, cui Geraldus in obedientia ſucceſſit. Succeſſit obedienter, licet ab ipſa impediretur infirmitate, non aliqua, utpote qui ſeipſum non habebat, illectus cupiditate; ſed ut tali obedientia promereretur à Deo gratiam ſalutis recuperandæ. Nec deerat tantæ voluntatis occaſio, obſiſtentibus temporibus priorum propoſito. Templum quippe noviter fundatum ex toto deſertum erat [b], ovibus & porcis & pecoribus patebat, quaſi platea aquis pluvialibus ita plenum erat, ut anſeres & anates natarent per illud; pro pavimento habens unius cubiti ſterquilinium, omnibus erat faſtidio, omnes tranſeuntes movebant caput ſuper eo. Huic operi juvenis cœpit inſtare, ſi quo modo divinum reſpectum ad ſuam miſerationem poſſet inclinare; & licet impediretur penuria temporum, tamen ſibi providente Deo, purgavit templum, compoſuit ſedilibus, & ornavit deſuper columnulis cum baſibus chorum, purgavit cryptam & deambulatoria, aptavit in ſuis locis decenter altaria. Quid amplius moror? Monaſterium quod jam diu ab omnibus dimiſſum erat, infra tempus ſat modicum ita coaptavit, ut ad Deo ſerviendum videretur idoneum, & tantæ Congregationi valde neceſſarium. Quadam vero die fratres, qui majoris in cœnobio conſilii erant, videntes monaſterium, ut diximus, optime apparatum, Abbatem adeunt, ad videndum quæ viderant adducunt; conſilium tribuunt, ut corpora ſanctorum qui in monaſterio vetuſto erant tollerentur; & in loco, quem Geraldus ſat convenienter mundari fecerat, cum ſumma veneratione collocarentur. Conſilium datum eſt & probatum, & quæcumque deerant ad hoc inquiruntur, & omnia, ut diximus, cum gaudio & Epiſcoporum vicinorum confirmatione & populi firma atteſtatione adimplentur; ſicque juvenis magis ac magis in opere ſuſcepto deſudans, omnibus neceſſariis adornavit, illo ſubminiſtrante, cujus hæc agebat deſiderio & amore.

Fit ſacriſta.

Eccleſiam exornat.

13. Proficiebat quidem in voto, ſed nullo adhuc infirmitatis levabatur remedio; non ideo tamen deſiſtebat, & ſummæ ſacrarium pietatis pulſans, regno Dei vim faciebat. Opportunitas quoque eccleſiæ & orationum præſto eum aſſidue habebat & intentum, nulla exſiſtente menſura veniarum; in tantum ut digitalibus juncturis nodi inſurgerent, & petra durius callum. Quæ enim eſſet menſura ad Deum clamandi, cujus * nulla erat infirmandi? Videns denique preces ſuas nihil adhuc proficere, & omnes la-

* Ed. cui.

a Sic Corb. Silv. 1. *Robertum*, alii *Vbertum*, Menardus *Gubertum*. quem Papebrochius ſuſpicatur fuiſſe archiepiſcopum Sipontinum.

b Eccleſia Corbeiæ principalis igne ſuccenſa fuerat tempore Richardi abbatis, ut ipſe Geraldus narrat lib. 1. Mirac. S. Adalhardi ſupra laudato in notis ad num. 5.

Digitized by Google

ANN. CH. MXCV. APRILIS V.

S. Adalhardi implorat opem.

bores ſuos, quantum ad hominem, incaſſum ire, divina animatus inſpiratione ſanctum Adalhardum præter omnes & ſuper omnes omnimoda aggreditur petitione; cujus aſſiſtens altari, uſque ad deſperationem jam confuſus, miſerabili compunctionis humilitate in omnes preces redditur diffuſus. Verum, illo deſuper miſerante, qui appropinquat contribulatis corde, pervenit ad hoc, quod ſi prius feciſſet, Dei clementia jam liberatus fuiſſet. Sancto enim Adalhardo vovet laudabile votum, ſe ſcilicet pro poſſe ſemper & ubique magnificare nomen ejus glorioſum, ſi ſibi impenderet dignationis ſuæ auxilium. quo ſe ubi voto ligavit, paulliſper ſolutionem infirmitatis ſentire cœpit. Sicque divina clementia ad petitionem quotidie magis ac magis animatus, aliquando poſt completam [a] coram altari ſe effundens in omnium orationum affectus, uſque ad ſingultus verba interrumpentes, pæne liqueſcebat in currentes lacrymarum fluctus; tandem laxata vox invenit iter, gemituſque ſoluti in hæc verba prorumpunt. Sancte Adalharde Chriſti amice, ſuſcipe me miſerum ante omnes & poſt omnes confugientem ad te.

14. Ubi ergo ſatis eſt viſus ſibi idoneum inſtruxiſſe ſanctum Adalhardum apud judicem Chriſtum, ſurrexit, faciem terſit, & gemebundus rediit ad lectum ſuum; cumque ibi ſederet, adhuc ſingultiens & amens, ex parte altaris ſpecie fulgurea advolavit ſpendoris globus, qui reverberatis ejus oculis, illuſtravit totum corpus ejus. At ille ſtupefactus hæſit, cum ſubito ruptis infirmitatum nodis, inter cutem, & quaſi quibuſdam chordulis, caput ipſum ingens crepuit: & non ferens dolorem, Sancte Adalharde ſuccurre, miſerabili voce clamavit; moxque ſub ſilentio ſe repreſſit, quia cum ipſo dolore virtutem in ſe factam ſenſit. Sicque liberatus ab ipſa infirmitate, cujus liberationis deſiderio tanto erat fatigatus tempore, laudavit liberatorem libera voce; nec defuit voto, quod paullo ante voverat ſancto: ubicumque enim potuit, gloriam ejus exaltavit, exaltando etiam taliter magnificavit. Vitam ipſius apoſtrophis elegiacis & ſuperfluitate ſui offendentem animos legentium, exſtirpari fecit ex ipſis ſentibus ſuperfluitatum, & plane reductam ad florem hiſtoriæ myſtice hexametro decoravit [b]. Feſtivitatis ipſius parum quid fiebat memoriæ, ſed compoſitis antiphonis & reſponſoriis, alta & digna fecit venerari celebritate: nec abſque plurimorum invidia, quos tamen agente Deo & ſancto mirabilis redarguit victoria. Multis ſignis illuſtraverat oculos adhuc viventium [ſanctus Adalhardus] quæ omnia tradiderat oblivioni negligentia eorum. quæ etiam juvenis diligenter ab eis qui viderant & in quibus facta fuerant exquiſivit [Geraldus,] exquiſita poſtea litteravit.

Qui eum ſanat.

Ejus laudes Geraldus celebrat.

15. Vir itaque Domini, ut recedente claritate cognovit ſe ab infirmitate liberatum, & gratia divina, ut diximus, tam mirabiliter viſitatum, memor Evangelici eloquii, Qui perſeveraverit uſque in finem hic ſalvus erit, ſe indefeſſum in Dei ſervitio exhibuit, & ante ſancti Adalhardi & alia eccleſiæ altaria, amplius quam antea fecerat, ſe mactare cœpit. O virum laude dignum, quem nec infirmitas aliquantiſper à Dei ſervitio retardavit, nec ſanitas tam mirabiliter recuperata extra ſe elevavit! O Domini & Salvatoris noſtri clementia uſquequaque prædicanda! quæ in infirmitate ſuſtinuit ſervum ſuum, ne deficeret; & ſanitati reſtitutum, miſericorditer conſervavit ne ſuperbiret. Prædictus autem vir de beneficio ſibi à Deo collato ſe non extollens, ſed ſemper fragilitatem ſuam recognoſcendo in humilitate perſiſtens, è recto non deviavit itinere; ſed ad anteriora progrediens, animo & converſatione in monte Domini conſtitutus, ad cæli palatia capeſcenda ſe om-

Matth. 24.

[a] Id eſt poſt Completorium, niſi fallor. Alterius tamen vitæ auctor, qui nullam S. Adalhardi mentionem facit, id poſt celebratam à Geraldo miſſam contigiſſe ſcribit.

[b] Vitam S. Adalhardi primo ſcripſit S. Paſchaſius-Radbertus abbas Corbeïæ celebris, quam ſicut & illam quæ à Geraldo ſcripta eſt, ſimul cum ejuſdem Sancti duobus miraculorum libris, quorum primi auctor eſt idem Geraldus, edidimus Sæc. IV. parte I. ad annum 826.

Ann. Ch. MXCV. Aprilis V. Luc. II.

nino animavit. Legerat enim Dominum in Evangelio dicentem: Petite & accipietis, quærite & invenietis, pulſate & aperietur vobis. Hac voce Dominica confiſus Dei ſervus, non ceſſabat petere ut acciperet, ſatagebat quærere ut inveniret, nitebaturque pulſare, ut ei Dominus dignaretur aperire. Quod & factum eſt. Infirmabatur enim, ut diximus, infirmitate graviſſima, & ad petitionem ſuam liberavit eum mirabiliter miſericordia divina; quæſivit ut eum viſitare dignaretur gratia ſancti Spiritus, & invenit eam in conſpectu oculorum Altiſſimi; aures ejus precibus & lacrymis non ceſſabat pulſare, & ipſe miſericordiæ ſuæ viſcera dignatus eſt aperire.

Viſione divina recreatur.

16. Quodam autem tempore videbatur ei per ſomnium, quod ipſe ante oratorium ſancti Michaëlis, quod in ipſo monaſterio eſt, conſiſteret, & Dominus Jeſus-Chriſtus, interius cum Angelorum & Archangelorum multitudine infinita & omnium Sanctorum, ſe ad Miſſæ celebranda myſteria præpararet. Aſſiſtebant angeli, miniſtrabant Archangeli, & ea quæ tanto myſterio erant neceſſaria præparabant: cumque omnia miniſtraſſent, & ex utraque parte in modum Cantorum in choro conſiſtentium Sancti, qui cum eo erant collocati eſſent, ipſe Dominus Jeſus cœpit inquirere, utrum omnes conveniſſent, qui debebant convenire. Illis autem reſpondentibus & dicentibus Domino: Adſumus; dixit, Non, quia frater ille nondum ingreſſus eſt, qui ſtat juxta oſtium exterius. ſicque eo præcipiente eſt adductus, & in medio collocatus, & tunc procedente Domino ad Miſſæ celebranda myſteria, incœptum eſt officium: *Gaudeamus omnes in Domino*, & ſic ad finem perductum. ſicque viſio illa evanuit; & frater evigilans quæ viderat ſecum pertractare cœpit. Cognovit ſatis evidenter, quia Deo in actibus ſuis placeret; & ſi prius in ejus ſervitio ſe devotum tenuerat, poſtea ſeverius corporis & animi motus cohibere cœpit.

Alia viſio.

17. Alio quoque tempore erat, ſicut ſibi videbatur, in ſancti Petri monaſterio Corbeiæ, & ante crucem, quæ in medio eccleſiæ eſt, conſiſtebat; & multitudo virorum & mulierum tanta convenerat, quod, ſibi ſicut viſum fuerat, totam eccleſiam compleverat; & ita eo ante crucem conſiſtente, omnique populo verſus crucem aſpiciente, imago Domini, quæ in cruce erat, deſcendit de cruce, & ad eum qui in medio populi erat appropiavit; eumque blande ac leniter convocans ſuo nomine, caput ſuum manu ſua demulcere cœpit, dicens: Confortare, fili, in Domino & in potentia virtutis ejus: & ſic diſcedens ab eo, videntibus omnibus, ſicut primum fuerat crucem aſcendit. Quo facto frater evigilavit, & multum anxius pro hoc quod viderat, Deum, ut ſibi viſionem proſperam faceret, obnixe deprecari cœpit. Venit autem ſibi in animo, quia loca Sanctorum, qui ultra mare requieſcunt, vellet viſitare, & ad ſepulcrum Domini eum in Jeruſalem adorare. Cumque hoc qualiter adimpleri poſſet in animo volveretur, audivit quia in eadem qua ipſe manebat villa, quidam viri fideles iter ſuum appararent, quatenus ad ſepulcrum Domini adorare potuiſſent. Quo cognito, lætus vehementer effectus, omnipotenti Deo gratias reddidit, qui conſilium ad hoc quod volebat neceſſarium miniſtravit; ſed quia ſub Abbate & Regula in monaſterio degebat, valde ſibi incommodum videbatur, ſi ſine ejus conſilio & licentia faceret quod facere nitebatur. Adiit ergo Abbatem, voluntatem ſuam aperuit, poſtulans & multum rogans, ut ei licentiam daret. Abbas autem videns intentionem fratris, & metuens ne alicubi in itinere vel incluſus vel eremita remaneret, abnegavit, & eum ab intentione hujuſmodi ſi poſſet revocare tentavit. Sed quia plantatio quam plantat Deus nequit eradicari, vir ſæpe nominatus ab intentione ſuâ non receſſit; & quod per ſe non poterat, poſtea multorum ſanctorum virorum precibus impetravit. Tandem Abbas annuit, ſed ea conditione, ut ſi Deus poſſe concederet, ad eum ſine dubio repedaret. Vir

Jeroſolymam ire diſponit.

ANN. CH. MXCV. APRILIS V. Quod exſequitur.

autem venerabilis accepta licentia obedientiam ſuſcepit, iter ſuum apparavit, Dei gratia loca ſanctorum multorum viſitavit, ad ſepulcrum Dominicum, quod ſuper omnia cupiebat, adoravit; ad propria, ſicut Abbati ſuo promiſerat, repedavit. Quanta in itinere pœnarum cruciamenta ſuſtinuit, non eſt noſtrum exponere; quia ad ea quæ inter nos Deus per eum operari dignatus eſt, vix ſufficit lingua balbutire. Ingreſſus itaque monaſterii clauſtrum, cœpit in Dei ſervitio ſe exercere, & quæ de ejus mirabilibus audierat & viderat, ad memoriam revocare.

Reverſus fit abbas. a

18. Interea quodam fratre ſuo carnali [a] de hac vita egreſſo, qui curam fratrum in monaſterio ſancti Vincentii apud Montem Laudunum ſuſceperat, ad abbatiam provectus eſt. quod invitus diuque renitens ſuſcepit; & quamvis non eſſe parum fratribus præeſſe cognoſceret, vellet tamen, nollet, obedivit. Collo autem oneri tam gravi ſuperpoſito, non ſe oblivioni tradidit, ſed in quantum poterat, ſe formam & ſpeculum diſcipulis ſuis exhibuit. Fratres vero, qui ſub eo erant, plus terrenis commodis quam cæleſtibus intenti, moribus ejus non bene conveniebant; ſed ſicut legitur de ſancto Benedicto *, ſanctis ejus monitis contraria ſentiebant. Cumque conſpiceret eos ut volebat ſine peculiaribus eſſe nolle acquieſcere, ad ſanctiſſimi patris noſtri Benedicti exemplum cogitavit eos dimittere, & ſecum habitare. In monaſterio autem ſuo erat vir ſanctiſſimus incluſus [b], à quo conſilium, quomodo quos ad regendum ſuſceperat dimittere poſſet, requiſivit: qui ſatis idoneum & ſibi valde neceſſarium dedit. Milites vero ſecundum ſæculum non ignobiles ad eumdem incluſum venerant, de peccatis ſuis, apud eum conquerentes quia ſæculo amplius ſervire nolebant, confeſſi fuerant, & ab eo quomodo id facerent conſilium popoſcerant. Sanctus autem vir & Abbatis ſupradicti animum cognoſcens, & deſiderium militum cognoſcens & intelligens, in unum omnes congregavit, conſilium utrorumque aperuit, & laïcos quaſi fidei rudimenta ſuſcipientes, ſanctiſſimi Abbatis providentiæ commendavit. O Chriſti pietas inenarrabilis! ô Salvatoris clementia incomparabilis! Famulis ſuis ſe toto corde quærentibus, ad ſæculi blandimenta ſuperanda magiſtrum, qui eos præcederet miniſtravit; ſervoque ſuo, ut ſibi devotius deſerviret ſocios & diſcipulos aggregavit. Talibus vero conjunctis in Domino, Abbas non immemor fratrum quos ad regendum ſuſceperat, Epiſcopum * à quo abbatiæ onus habebat adiit, eique quale conſilium quæſiviſſet aperuit, onus regiminis, quod ab eo habebat, ejus providentiæ dereliquit.

* S. Greg. l. 2. Dial. c. 3.

b

* Helinardum.

Abbatiam dimittit.

19. Taliter vero Chriſti tirones Abbati ſanctiſſimo ſubjiciuntur, & ſancti patriarchæ noſtri Abrahæ exemplo de terra & cognatione ſua egrediuntur. Fit conjunctio lætabunda, fit exſultatio jocunda; exſultant de magiſtro diſcipuli, gaudet magiſter ſuper diſcipulos: exſultat Abbas ſuper ſocietatem à Deo ſibi tam mirabiliter prævisam, lætantur tirones Chriſti; quia vident & cognoſcunt non ab homine, ſed à Deo quæ deſiderabant omnia ſibi provenire juxta voluntatem ſuam. Sæculi itaque honore depoſito, viam qua Chriſtum ſequantur ingrediuntur, & uſque ad beati Dionyſii domum, quem locum ſibi delegerant, undequaque conveniunt. Adorata igitur ad ſanctorum Martyrum ſepulcrum Salvatoris clementia, eorumque Martyrum & aliorum Sanctorum patrocinia ſuo auxilio convocant, Chriſti duce providentia, Aurelianis ut ibidem ad ſanctæ Crucis adorent, eccleſiam [c] dirigunt veſtigia. Cumque & inde diſceſſiſſent, & Turonis, ubi

Varia loca SS. viſitat. c

a Is erat Reginerus. Abbatia S. Vincentii in altero montis Laudunenſis brachio ſita, hodieque ſubſiſtit Congreg. S. Mauri aggregata.

b Hunc Bollandus ſuſpicatur fuiſſe S. Arnulfum poſtea epiſc. Sueſſionenſem, ſed fallitur. Nam incluſus hîc memoratus in monaſterio S. Vincentii degebat, ut legenti patet, quod de S. Arnulfo dici non poteſt. Hunc potius crediderim fuiſſe Ebroïnum, de quo infra num. 22.

c Ea eſt eccleſia cathedralis, hodieque ſub hoc nomine celebris, quæ à Calviniaɴis diruta tandem priſtinum in ſplendorem reſtituta eſt paucis abhinc annis.

ANN. CH. MXCV. APRILIS V.

ſanctiſſimi confeſſoris Martini corpus requieſcit, appropinquaſſent, peregrinos qui à ſancto Petro Romæ remeabant invenerunt; qui ab eis unde eſſent, aut quo irent, vel quid in animo verſabant per omnia ſcrutati ſunt. Patefacto igitur eorum deſiderio, adeunt Abbatem, rogantes ut ad eorum fines iter ſuum dirigeret; quatenus de ſubſtantiis ſuis in alodiis, quæ Deo diſponebant dare ad Deo ſerviendum, eccleſiam conſtrueret. quod & factum fuiſſet, niſi Deus eorum habitationem alias diſpoſuiſſet: & quia Deus voluit, peregrini in viam ſuam abierunt; Abbas vero & ſocii ſui Pictavium Deo ducente pervenerunt.

Pictavum advenit.

20. Ingreſſis autem illis civitatem, ecce comes Pictavium, VVIDO [a] venerabilis, Dei proviſione ex altera parte advenit. quod cum Abbas cognoviſſet, ſperans ſibi non abſurdum, ſi cum eo loqueretur, venit ad eum, monens ſocios ut ſe ſequerentur. Cum autem eos Comes conſpiceret, reſalutavit; & unde veniſſent, aut quo ire vellent diligenter inquiſivit. Cui Abbas omnia quæ in animo habebat aperuit, & quod de terris ſuis & cognationibus ſuis egreſſi Dominum ſequebantur adjecit. Cognita autem Comes eorum voluntate, & divina in hoc proviſione, Abbatem & ſuos cœpit rogare, ut pro Chriſto, pro cujus cœperant hæc amore, quocumque in ſua terra vellent remanerent; ipſe vero conſilium & auxilium ſuum ſibi in omnibus curaret impendere. Dum vero de his ad invicem ſermocinarentur, ecce quidam Burdegalæ præpoſitus, nomine RADULFUS [b], à Deo miſſus venit, & Comiti, ſi vellet, quod ad id idoneum locum eos deduceret, invitavit. unde Comes lætus vehementer effectus, Abbatem & ſuos ejuſdem Præpoſiti cuſtodiæ mancipavit, ut eos quaſi ſe cuſtodiret; & quemcumque locum in tota ſua terra ſibi deligerent, ſine aliqua controverſia nihil dubitans ſuo imperio concederet. Quid multa? Præpoſitus Radulfus ſuſcepit eos gaudens, & ad locum, qui Silva-major inter duo maria nuncupatur, adduxit; & eccleſiam parvulam, non ex lapidibus, ſed de terra conſtructam oſtendit. Silva autem in circuitu tam denſa vepribus & ſentibus creverat, quod nullus ad eccleſiam appropinquare poterat, niſi gladio, aut alio aliquo ferramento prius iter feciſſet. Ad hanc quidem eccleſiam dum Abbas & ſui veniſſent, tantus eidem Abbati amor ibidem remanendi occurrit, quod ſe non alias iturum amplius Deo, ſi ſibi propitiaretur, promiſit.

Excipitur à Comite Guidone.

A quo commendatur Radulfo.

Silvam-majorem adit.

Quam à dominis obtinet.

21. Tunc temporis autem terræ illius & dominus ſilvæ & poſſeſſor erat quidam miles AUGERIUS [c] de Riontio, & cum eo alii quamplurimi, quorum nomina ipſe cognoſcit qui creavit. Cum omnibus vero ſic Abbas egit, ut omnes locum Deo & ſanctæ ejus matri Mariæ condonarent, & ab omni ſervitio ſolutum in perpetuum facerent; & ita ſanctus pater Geraldus exhilaratus, ad eccleſiolam rediit, & deinceps conſtruere habitaculum ſibi & ſuis fecit. Quadam ſiquidem nocte cœpit Deum obnixe deprecari, quatenus ſi eorum ibidem ſtatio ſibi placeret, oſtenderet; & omnes actus eorum ſecundum bonitatis ſuæ divitias in bonum dirigeret. Cumque orando defeſſus obdormiret, ſibi videbatur, quia de parte Orientis currus, quem duo boves ducerent, veniret; poſt vero aliquantum tempus, duo boves mutabantur in equum unum, & equus eumdem tramitem quem boves gradiebatur: tamdem equus converſus in Dei Filio, ita ſuſpenſo ut pro nobis

Viſione animatur.

a Guido agnomine Gofridus, Guillelmi V. Aquitaniæ ducis filius, fratribus ſuis Guillelmo VI. Craſſo, & Guillelmo VII. Acri in Aquitaniæ ducatu ſucceſſit ſub Guillelmi VIII. nomine. Obiit anno 1086. ſepultus eſt in Monaſterio-novo Pictavenſi, quod à fundamentis reſtauraverat.

b Hunc virum fuiſſe eccleſiaſticum cenſuit Papebrochius; at ex altera vita, ubi dicitur *miniſterialis*, certum eſt eum fuiſſe Burdigalæ à duce præpoſitum juri dicendo.

c Johannes Guiſius *Ogerium* ſcribit. Riontium vicus erat tempore S. Gregorii Turon. cujus meminit in lib. de gloria Conf. cap. 48. poſtea in opidum crevit, quod hodieque celebre eſt vulgo *Rions* dictum ad Garumnam, quatuor circiter leucis ſupra Burdigalam, ſeptem vero à Silva-majori diſſitum.

Digitized by Google

Ann. Chr. MXCV. Aprilis V.

prius fuerat in crucis patibulo; inferior crucis pars tangebat terram, ſuperior vero uſque ad cælum erigebatur [a]. Cumque ſanctiſſimus vir talia reſpiceret, à loco in quo erat ſurrexit, & Chriſtum ſicut in cruce pendebat adoravit. Tanta autem & tam mirabili viſione animatus Dei ſervus evigilavit, evigilans vero, & diu ſecum quæ viderat pertractans, quia Dei viſio erat cognovit; & quia ubi fixum erat ſanctæ crucis ſignum ibidem eccleſiam fundare debebat intellexit. Cognovit quoniam Deo iter ſuum & actio placeret, cujus dono & gratia fuerat quod eum taliter adoraſſet. His igitur peractis, milites qui cum Abbate venerant, adhuc laïcali habitu induti, quia devoverant iter ad ſanctum Jacobum, ingreſſi ſunt, & tamen licentia ac benedictione Abbatis, ſine cujus præcepto nihil facere promiſerunt.

Ejus ſociorum nomina.

22. Tandem ſua peregrinatione peracta, ad eum regreſſi ſunt, & ſancti Benedicti habitum devoti, ac Deo ſe ex toto committentes, ſuſceperunt. Si quis autem nomina eorum, qui cum Abbate primitus venerunt, cognoſcere voluerit, ſine dubio cognoſcere poterit quicumque ſubſcriptam paginam intelligens legerit. Geraldus abbas, & monachi tres, qui de monaſterio, quod prius rexerat ipſius amore cum eo venerunt; unus MARTINUS [b], qui poſtea eccleſiam ſancti Dionyſii de Monte rexit, alius vero EBROINUS, qui de militari habitu egrediens, Dei amore incluſus [c] uſque ad mortem fortiter pugnavit: tertius quidem ALERANNUS [d], ipſius abbatis nepos. Iſti tres monachi jam facti venerunt, & in loco eodem ſicut Regula ſancti Benedicti præcipit profeſſi ſunt. Venerunt & alii quinque, qui adhuc laïcali habitu induti, eum ut magiſtrum & patrem pro Dei amore ſecuti ſunt. Ex quibus unus fuit BERLEGIUS [e] nomine, vir bene morigeratus, in conſilio providus, in ſermone præclarus, armorum probitate ſtrenuus, bonis omnibus in amicitia junctus, caritate fervidus, divitiis ſæcularibus & dignitate ad plenum munitus: fuit enim Francigena, ex regiis militibus non infimus, ex Noviomo * civitate Franciæ oriundus, Caſtellani ipſius civitatis Germanus; hic autem quamdiu ſæcularibus negotiis interfuit, omnibus qui cum eo erant ubicumque amabilis ſuper omnes ſemper fuit, divitiis nimirum abundavit, & eas liberaliter, non ut earum ſervus ſed ut Dominus, tractavit. In pueritia litterarum ſtudiis datus à parentibus fuit, ſed poſtquam adoleſcentiæ annos ingreſſus eſt, dimiſſo litterarum ſtudio, militiæ inhæſit, nimirum quia nobilis & nobili genere ortus, animum ſuum non poterat ab hujuſmodi exercitiis refrenare, præſertim cum videret æquævos ſuos talibus negotiis inclinari. Quid multa? militiam amplexus & armis militaribus ſuppoſitus, ſatis longo tempore ſe in militia exercuit, donec dextera Dei tactus, ſe non bene agere cognovit; arma deſeruit, & iterum undis lacrymarum & confeſſione pura baptizatus, abbatem Geraldum in Silvam-majorem ſecutus, ſicut evangelicus ſermo monet & imperat, omnibus quæ poſſidebat, renuntiavit.

* Noïon.

23. Alius autem VVIDO de Monte Lauduno [f] civitate Franciæ, ita enim vocatur, oriundus, miles epiſcopalis, divitiis refertus, & nobilitate ſæculi ſatis decoratus: vir iſte virtutis erat conſiliarius, animi ſui rector

a Alterius vitæ auctor: *Non tamen materialiter illa crux videbatur, ſed erat quadam claritas formata in modum crucis, qua totum locum miri ſplendoris magnitudine illuſtrabat.*

b Memoratur in Necrologio Silvæ-majoris die XVI. Kalend. Julii.

c Idem, ut videtur, qui in monaſterio S. Vincentii incluſus erat ſub noſtro Geraldo, de quo ſupra num. 18. Memoratur in Necrologio Silvenſi VIII. Idus Julii cum hoc elogio: *Obiit Ebroinus bona memoria ſocius B. Geraldi.*

d Hic fuit tertius Silvæ-majoris abbas, laudatur in Necrologio his verbis: XIV. *Kal. Aprilis obiit domnus Alerannus, vir vita venerabilis, nepos beati Geraldi, hujus eccleſia tertius abbas, jacet in capitulo ubi accipiunt abbates veſtes.*

e Menardo *Herlegius*. Deſunt hîc nonnulla apud Bollandum vitio ſcriptoris.

f Ipſa eſt urbs Laudunum, in montis vertice ſita. Eſt tamen in agro Laudunenſi opidulum Mõns in Laudunenſi pago dictum, vulgo *Mons en Laônois*. Sed hujus Vitæ auctor ſupra num. 18. Montis-Landuni nomine aperte ipſam urbem Laudunum, cui adjacet monaſterium S. Vincentii, deſignat.

Digitized by Google

ANN. CH. MXCV. APRILIS V.

ſtrenuus & in omni probitate elegantiſſimus. TESZO tertius, juvenis quidem, ſed animo fortis; & quamdiu in ſæculo converſatus eſt numquam arma ſua alteri deſeruit, nec timore militis unius umquam mutavit, ſed ſemper ubicumque eſſet, victoriam & palmam acquirere ſuper omnes ſocios elaboravit. Hic [a] autem Teſzo, de quodam Galliæ caſtello, *Cuci* nomine, oriundus, bonæ indolis adoleſcens & nobilitatis fuit. Quartus autem VVALTERUS, ſimiliter de civitate Monte-Lauduno, vir militaris & probus, in opere & ſermone diſcretus, conſilio pollens, non aliquo ſuperfluus, & in omni opere ſuo temperatus. Quintus vero LITHERIUS [b] Laudunenſis, ſimiliter homo honeſtus & largus, in armis ſatis valens, omnibus ſerviens, omnes diligens; inter ceteros milites probitate inferior eſſe deſpiciens, ſemper ad majora militiæ exercitia ſe erigens; & quæ probo homini cognoſcebat convenientia, omnibus modis ut poterat opere & animo capeſcens. Hii omnes digito divinæ miſerationis compuncti, renuntiantes omnibus quæ poſſidebant, & de terris & de cognationibus ſuis egreſſi, Chriſtum ſecuti ſunt: & qui prius in veſtibus pretioſis fulgebant, poſtea ſordebant induti veſtibus viliſſimis: fiunt nemorum & ſilvarum fortiſſimi exſtirpatores, qui prius fuerant ſtrenuiſſimi bellatores. In his ergo adimpletus eſt ſermo propheticus, qui dicit: Et conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces. Hi numquam Scripturas legerant, ſed tamen quæ Scriptura præcipit impleverunt; & quia prius illicita multotiens egerant, poſtea à licitis, ultra quam credibile ſit abſtinebant. Ab ipſo etiam pane jejunabant multotiens in die; nec aquam aliquando ſumere volebant, ut magis ac magis in ſe corporis voluptates refrenare potuiſſent.

Iſai. 2. 3.

Monaſt. Silvæ-majoris conſtruitur.

24. Igitur poſtquam beatus Geraldus in loco eodem, ut ſupradictum eſt, ubi Dominum Jeſum in cruce viderat in viſione, & adoraverat, monaſterium fundavit, de die in diem ipſum cœpit opus ſuccreſcere ac melius proficere, nec mirum. nam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, & omnis plantatio quam plantat cæleſtis Pater non eradicatur, ſed ſemper proſperat. O quanta reverentia ille venerandus eſt dies ab hujus patriæ incolis, quo beatus vir à Deo miſſus de longinquis terræ partibus huc advenit! Anno ſiquidem ab Incarnatione Domini milleſimo ſeptuageſimonono [c] cum ſociis ſuis venit dominus Geraldus in Silvam-majorem in feſtivitate, ut fertur, apoſtolorum Simonis & Judæ. In ſecundo [d] anno inceptum eſt monaſterium, v. ſcilicet Idus Maii, in honore Domini & beatæ Mariæ virginis & ſanctorum apoſtolorum Simonis & Judæ [e]. Fama itaque tanti viri per diverſas regiones ſe velocius extendit, populique in unum conglobati ad eum confluere cœperunt catervatim, ut illius fruerentur aſpectu, & ejus prædicationis vomere dura eorum corda divinis gratiæ ſeminibus aptarentur. Erat enim aſpectu angelicus, corpore caſtus, mente devotus, ſermone facundus, diverſis virtutum floribus adornatus, in oratione aſſiduus, ſigniſque in vita ſua plurimis decoratus. Ante adventum namque illius accolæ hujus patriæ rudes & quaſi agreſtes erant; & quid ſanctitatis religioniſque bonum eſſet minus agnoſcebant; ſed efferos eorum animos ſervus Dei electus, tam exemplis quam prædicationibus mul-

a Quæ ſequuntur uſque ad *Quartus.* deſunt in edit. Caſtellum hîc laudatum ſitum eſt inter urbes Laudunum & Sueſſionas, iſti vicinius, ſed in Laudunenſi diœceſi, poſitum eſt in ipſo vertice montis, ad cujus radices exſtat abbatia Novigenti. Dicitur Codiciacum, ſeu Coceïum, vulgo *Coucy*, quod potentiſſimos dominos Ingelramnos habuit, in hiſtoria celebres.

b Menardo *Lucherius.* Johanni Guiſio *Entherius.*

c Biennio citius Geraldum adveniſſe dicitur in chronico Malleacenſi, ubi legitur: *Anno* 1077. *Giraudus cœpit ædificare cœnobium S. Mariæ Silvæ-majoris.* Vide notam ſequentem.

d Ideſt altero poſt ejus adventum, ſcilicet 1080. ſic enim legitur in veteri Martyrologio Silvæ majoris. v. *Idus Maii. Inchoatio monaſterii S. Mariæ & SS. Apoſtolorum Simonis & Judæ in Silva-majore, anno ab Incarnatione* MLXXX.

e Inter ſacras reliquias, quæ in Silva-majori ſervantur, ex præcipuis ſunt media fere pars cranii S. Simonis, & pars capitis S. Judæ, & cuſpis lanceæ, qua Chriſti latus perforatum fuiſſe creditur.

toties

Digitized by Google

Ann. Chr. MXCV. Aprilis v.

toties mitigabat & eorum plurimos ad pœnitentiam confeſſionemque provocabat. Nam cum maxima multitudo ad eum, ut ſua confiterentur crimina, ſæpe veniſſent, hanc omnibus in commune pœnitentiam in remiſſionem peccatorum ſuorum injungebat, ut ſexta quidem feria jejunarent, ſabbato vero à carne abſtinerent.

Miraculis claret.

25. Divulgata igitur ſancti viri opinione per diverſas regiones, quidam de epiſcopio Lemovicenſi oriundus, ipſum cum fletu pro parvulo exorabat filio, qui tortos ac multum deformes à nativitate habebat pedes, dicens: O ſancte Geralde, ſi ea quæ dicuntur de te ſunt vera, aufer opprobrium domus meæ. Talia genitore proſequente, meritis ſervi Dei puer integerrimam adeptus eſt ſanitatem. Pater itaque pro tantæ rei miraculo ſtupens, ac vehementer congaudens, puerum ipſum ad præſentiam hominis deducit, & cum multa devotione pro accepto beneficio gratias egit. Nec illud reticendum, quod plerique morbidi aut febricitantes, ſi forte ſanctificatum ab eo comederent panem, necnon qui de lapide trito, quem fratres paraverant ejus ſepulturæ, bibiſſent, incolumes, ac Deo gratias ſanctoque Geraldo referentes, ad propria læti revertebantur.

Monachum à naufragio ſalvat.

26. Cum vero per diverſas Galliæ nationes prædicti viri Dei ſe fama diffuderat, quidam ſancti Petri Carnotenſis monachus, audiens illius præclara geſta, in ſuis precibus frequenter obnixe poſtulaverat, ut non ante videret mortem, quam hominis Dei frueretur viſione & alloquio. Sed cum forte Anglicum mare diſpoſuiſſet tranſmeare, ingreſſus navem, procelloſis inſurgentibus undis, naufragium pertulit. In mediis itaque fluctibus, ſubmerſis ſociis, nave quaſſata & amiſſa, monachus involvitur, diemque cum ſequenti nocte in tanto duxit diſcrimine. Cum vero huc illucque intumeſcentibus raperetur undis, nihilque aliud niſi mortem exſpectaret imminentem, recordatus eſt inter ipſas pelagi anguſtias illius, quem angelicam in terris audierat ducere vitam, tantumque deſideraverat intueri; imoque à pectore trahens ſuſpiria: O ſancte, inquit, Geralde, Dei ſummi ſerve, quem tantopere concupivi cernere, ſi quid potes in præſentia Dei, adjuva me, miſertus mei. Talia illo frequenter ingeminante, ſtatim navis volucri curſu adveniens, meritis viri Dei, de confinio mortis illum excepit. Hæc quoque retulerunt, qui monachum ſancto Geraldo poſtea non ſine magno fletu talia narrantem viderunt.

Moritur. a

27. His igitur & hujuſmodi virtutibus in vita vir Domini feliciter pollens, poſtquam multas de ore cruenti leonis & quærentis quas devoret, abſtraxit animas, & tamquam lucerna ſupra candelabrum poſita, quamplurimos ignorantiæ tenebris ſubmerſos, ad fidei religioniſque lumen reduxit, annis maturus meritiſque fœlix, Nonas Aprilis migravit ad Dominum [a], ſepultuſque eſt in eccleſia, quam ipſe fundaverat, ad dexteram partem altaris beatæ Mariæ. In ejus tranſitu non minima multitudo virorum nobilium, clericorum & laïcorum, agricolarumque ac mulierum congregata eſt, qui ex opidis ac villis, & etiam ex Burdegala urbe, illius audito receſſu, confluxerant. Hi ergo in cælum clamore ſublato, laceratis genis, cum ingenti fletu piiſſimum patrem & recti itineris doctorem ſe amiſiſſe dolebant, lumenque totius patriæ intimo ex corde exſtinctum fore amare deflebant. Itaque longum eſt, immo impoſſibile, explanare quanta per eum Dominus bona operari dignatus eſt, quanta mirabilia in vita ſua oſtendere, quanti de tenebris ad veram lucem, ſcilicet Chriſtum, ſubtracti ſunt. Pauca de plurimis ſignorum ejus * virtutibus, quæ poſt obitum geſſit, ne omnino tacere videamur, ſuccincte diſſeramus. Nam ea quæ in vita ſigna fecit, per negligentiam maxima ex parte oblivioni tradita ſunt [b]. Do-

* Bolland. ſignis &c.

b

a Fuſius ejus mortem deſcribit alterius Vitæ auctor, quem videſis apud Bolland.
b Idem teſtatur alterius Vitæ auctor.

Digitized by Google

ANN. CH. MXCV. APRILIS V.

mino itaque annuente; ipſiuſque ſanctis meritis intervenientibus, ſermo noſter quem in honore ejuſdem ſcribere aggredimur, bonum principium finemque accipiat.

Ejus miracula poſt mortem.

28. Tempore illo, quo beatus Geraldus adhuc vitales carpebat auras, quidam ab eo in monachum receptus eſt, PETRUS [a] nomine. Hic fuit ipſius diebus plurimis Capellanus, & ipſe illius clauſit oculos, ac ſepulturæ cum aliis fratribus honorifice tradidit: hic jam grandævus, electione fratrum ſeptimus ei ſucceſſit in Abbatis dignitatem, multaque de ejus mirabilibus referens in diebus illis ſuis, tale perhibebat miraculum fuiſſe patratum. Conſilium aliquando fratrum fuit, ut de ſepulcro, in quo humatus primum vir Dei fuerat, transferretur. Congregato ergo Epiſcoporum, Abbatum, Clericorum & nobilium laïcorum non minimo cœtu, levaverunt, ut decebat, viri timorati ſancti viri oſſa. Multa nobilium turba præſens ibi tunc aderat, & quidam ex populo vir fidelis inter ceteros quoque adſtabat, magnopere procurans, ſi quomodo ex reliquiis aliquid accipere valeret. Tandem cum ſancti caput oſtenderetur populo, prædictus vir deſubtus extendit veſtem, unuſque in ipſa veſte ex dentibus caſu cecidit. Quod videns homo, ad ſe veſtem traxit, dentem abſcondit, ac ſe bene remuneratum credens fore, receſſit inde. Sed cum villam egreſſus paullum proceſſiſſet, nutu divino obſtupefactus, huc atque illuc oberrabat, rectam non prævalens gradi viam. Intellexit denique meritis ſancti, cujus ferebat reliquias, iter ſuum præpediri; reverſuſque, licet invitus, ad monaſterium, rem Abbati, fratribuſque retulit, reliquiaſque protulit; ſicque lætus diſceſſit.

Ejus elevatio.

Dens ablatus reſtituitur.

* *al.* aliud.

Milites mire ſervati.

29. Adhuc * quoque miraculi genus præfatus abbas Petrus narrabat. Quædam, inquit, nobilis mulier duos habens filios milites, beatum Geraldum quam maxime venerabatur, ac ſæpe ad illius eccleſiam veniens, tam ſe quam filios attentius commendabat. Accidit vero quadam die, ut ipſius filii cum aliis militibus in exercitu procedere vellent; ſed cum non eos mater eorum de exercitu retinere quiviſſet, illis jam ad proficiſcendum paratis, poſitis in terram genibus, talia fertur filiis cum gemitu dixiſſe: O filii, Deo vos commendo & ſanctæ Mariæ; & ſancti Geraldi Silvæ-majoris cuſtodiæ, cujus ſum ancilla, omnino commendo. In procinctu itaque cum eſſent poſiti, quidam ex adverſariis unum ex his lancea appetiit, & in corpore armis nudo hunc valide percuſſit: ſed virtute Dei, meritiſque ſancti viri, cui mater illos commendaverat, nihil feriendo nocere potuit. Ferrum etenim lanceæ, licet multo conatu percuſſor in corpore ejus infixerit, ac ſi mollis cera eſſet, replicatum eſt; ut acumen ferri, quod prius rectum fuerat, poſt verſus haſtam retorqueretur. Audiens itaque mater tam admirabile factum, filiumque obtentu beati viri à morte ereptum, ad ipſius ſepulcrum gratias oblatura cum filiis advenit; ferrum lanceæ ſecum detulit, multiſque diebus ſupra ſepulcrum ſancti ipſum ferrum in teſtimonium virtutis pependit.

Hydropicus ſanatur.

30. In cœnobio Silvæ-majoris quidam ex fratribus corporis moleſtia tactus [b], ægritudine gravi laborabat: nam ad inſtar utris inflata cute totus vehementer intumuerat, nihilque aliud niſi mortem ſolam exſpectabat. Sed cum nocte quadam anxius ſe ſopori dediſſet, ad beati viri ſepulcrum ſe conſpexit in viſione aſſiſtere, tumuloque illius, ut ſibi videbatur, patefacto, ſuam infirmitatem cum uno ex dentibus ſancti frequenter ſignare. Evigilans autem, & quæ viderat ſecum pertractans, facto mane, quamvis

[a] In catalogis abbatum dicitur Petrus de Ambaſia. Fuit ſeptimus Silvæ-majoris abbas, cujus epiſtolam Ludovico Francorum regi ſcriptam pro priore Servuli, qui locus eſt in ſuburbio Aurelianenſi, refert Cheſnius tomo 4. Hiſtoric. Franc. num. 344. De eodem in Necrologio Silvenſi hæc habentur. XIV. *Kal. Maii. Obiit dom. Petrus ejus eccleſia VII. abbas, & S. Gerardi diſcipulus & capellanus.*

[b] Et iſtud miraculum à Petro abbate ad poſteros tranſmiſſum fuiſſe teſtatur alterius vitæ auctor. immo & *iſtud inter cetera*, ut ipſe loquitur, *etiam ſcripto tradidit* Petrus, *& [illegible] ſuo teſtimonio confirmavit.*

gravi pondere fatigaretur ægritudinis, ad tumulum tamen viri Dei acceſſit; magnopere implorans, ut ſuis meritis ſibi gratiam ſanitatis à Domino impetraret. Tali modo ſanus effectus hoc nobis fideliter retulit.

31. Alio quoque tempore, frater quidam ejuſdem monaſterii [a] uſque ad mortem infirmatus eſt. Nam ſine voce fere triduo permanens, omnes nos, qui eum intuebamur [b], de ſanitate ſua deſperare fecerat. Sed cum ad hoc veniſſet, ut de lecto eum miniſtri abſtrahere uſque ad terram in cilicio, ut eſt conſuetudo morientium, deponere feſtinarent, triſtis admodum factus ſe vertit ad parietem, Dominum ut ſibi miſereretur orare, ſanctumque Geraldum prout poterat invocare cœpit in auxilium: & , ſicut ipſe perhibebat, cum oculos quaſi obdormiens clauſiſſet, ecce ſubito quidam ſenex, veneranda canicie ac decorus aſſpectu adſtitit ei; videbatur autem ſibi, quod non alius niſi vir ſanctus eſſet, quem paullo ante invocaverat. Cumque idem ſenex infirmum tetigiſſet, & aliam in partem vertiſſet, extemplo ægritudine recedente, ſanguinis copia ex illius emanavit naribus: ſicque ſe à periculo mortis obtentu beati viri liberatum eſſe proteſtabatur. *Moribundus convaleſcit.*

32. Aliud quoque miraculum, nimium quidem ſed pietate conditum, idem ſanctus operatus eſt. Cum mulier quædam ex longinquis partibus, conſumtis omnibus quæ habebat, veniſſet ad monaſterium illius, nomen ejus frequenter inclamabat; atque veluti vivens ipſe in corpore præſens adeſſet, alimoniam ſedulo ab eo petebat: cumque jam ad monaſterii portam egreſſura propinquaret, duodecim nummos in terram jacentes reperit, quos accipiens cum gratiarum actione gaudens diſceſſit. *Pauper nummos invenit.*

33. Nec diſſimile huic fuit, quod cum unus ex cuſtodibus monaſterii clavem modicam amiſiſſet, & diu multum quæſiviſſet circumquaque, nec inveniſſet; tandem ad ſepulcrum beati viri acceſſit, ut in hac neceſſitate ſubveniret ſibi exorans; ſtatimque ut à ſepulcro ſurrexit, clavem ante altare invenit, ſatiſque admiratus gratias egit. *Alius perditam clavem.*

34. Quidam miles forte captus ab inimicis, Oliverius nomine, filius videlicet illius Augerii de Riontio, qui Silvæ-majoris locum ſancto Geraldo prius dederat *, ductuſque eſt apud caſtrum, quod Mons-Revellus [c] dicitur, & ibi magno ferri pondere oneratus, nuduſque ad ſolem lacte perunctus, ut à muſcis avidius impeteretur, poſitus eſt. Sed accepti beneficii beatus Geraldus non immemor, huic in tali confuſione conſtituto, non nocte ſed die, viſibiliter apparens dixit: Quomodo tibi eſt, frater? At ille reſpondit: Male. Surge, inquit Sanctus, ſurge. Et qualiter, domine, [ait miles] poſſum ſurgere, tanto catenarum depreſſus gravamine. Surge, inquit [Sanctus,] quantocius, ne timeas. Cumque tentaſſet aſſurgere, ilico omnia in terram corruerunt vincula. At ille obſtupefactus: Quis es, inquit, domine? Ne cures, ait, homo, ſcire qui ſum ego; ſed compedes accipiens ad ſanctæ Mariæ Silvæ-majoris cœnobium concitus perge; Deoque ibi gratias age. Videns itaque homo cuſtodes non longe abeſſe, necnon in platea quamplurimos deambulantes, formidabat abire. Videns ſanctus dixit rurſus ad eum: Ne paveas: quia nullus mortalium uſque ad locum quem prædixi, obeſſe tibi prævalebit. Obſecro, inquit, domine, ut mihi nomen tuum digneris intimare. Et ille, Scito me Geraldum Silvæ-majoris abbatem eſſe. quo dicto ab oculis aſſpicientis ilico evanuit. Animatus tandem ſponſionibus tanti viri, ex opido, nemine prohibente, aſſumtis ſecum compedibus, ut juſſus fuerat, exiit; ſicque lætus & alacer ad cœnobium ſanctæ Mariæ Silvæ-majoris venit, Deo gratias & ſancto Ge-

** Sup. n. 21. Captivus mire liberatur.*

a In altera vita dicitur *monaſterii cuſtos*.

b Sic codex Corbeienſis. Alii mſſ. *nos, qui intuebantur*. hinc Bollandiani *eos, qui, &c.*

c Hunc locum Papebrochius putavit eſſe opidum hujus nominis ſatis notum in provincia Breſſienſi, vulgo *Mont-revel*. At hîc deſignatur opidulum Petrocoriorum, vulgo *Mont-ravel* dictum, ad Dordonam ſitum haud procul à Vaſatenſi pago. quod ſeptem leucis à Silva majori, duabus vero à Caſtellione opido diſtat.

Digitized by Google

ANN. CH. MXCV. APRILIS V.

raldo reddidit; miraculum fratribus ibidem ſervientibus ſeriatim retulit. Illi autem confeſtim ſumma cum lætitia pulſatis ſignis, Te Deum laudamus ſollemniter decantaverunt. Hæc vero, & alia quæ narramus ſigna, non ab aliis, niſi ab his qui hæc certiſſime viderunt & audierunt, vel quibus collata ſunt, accepimus.

Auctoris fides.

Miracula ad ejus ſepulcrum.

35. De manifeſtis etiam ſignis [a], ad illius tumulum frequentius patratis, ſilendum non eſt [b]. Nam viri quamplures, necnon mulieres, amiſſo ſenſu, cum ad illius adducti fuiſſent tumulum à parentibus vel amicis, vigiliis trium aut quatuor noctium celebratis, priſtinæ ſanitati reſtituebantur, annuumque monaſterio cenſum reportabant. Tantamque ei Dominus gratiam largiri dignatus eſt, ut abſque numero captivos ferro, vinculis, compedibuſque ab inimicis vehementer adſtrictos, non tantum de vicinis ſed etiam de longinquis mundi finibus, liberos abire incunctanter præceperit; ita ut etiam de Normannicis regionibus nonnulli ad monaſterium ipſius cum catenis & compedibus, & aliis tormentorum generibus, gratias oblaturi advenerint captivi; illum ſe facie ad faciem vidiſſe, illiuſque nutu ac meritis ſe ſolutos eſſe à vinculis fideliter profitentes; compedibuſque ſupra ipſius ſepulcrum appenſis, annuoque cenſu indicto, ſuam cum gaudio redierunt in patriam. Multi quoque ex accolis patriæ, aliquo tacti dolore capitis, oculorum, manuum, pedum vel aliorum membrorum, invocato ipſius nomine, cereas ſæpe exprimunt ſimilitudines, quas illius tumulo ſuperpendentes, ſoſpitatem priſtinam ſe meritis ejuſdem recepiſſe fideliter confitentur. Navem etiam à quodam naufrago ex cera compoſitam, ſepulcro appenſam multoties vidimus, qui ſe in magno maris diſcrimine poſitum, invocatione ſola nominis ſancti Geraldi, à morte liberatum mirabiliter fore perhibebat.

Auctor ſcribit in Silva-majori.

36. Ut quid nos autem de ejus loquimur mirabilibus? cum hoc ſolum ad illius declaranda ſufficiat merita, quod tantum religionis exemplum in hac effulſit patria per eum, quod abſque numero peccatores ſæculo relicto mortem evaſerunt, quod in cœnobio ab eo conſtructo juvenes & virgines [c], ſenes cum junioribus laudant nomen Domini. Nam locus, qui quondam ſpelunca latronum, latibulum luporum & ferarum exſtiterat, viro Dei adveniente, domus orationis, locus ſanctificationis & religionis pacis effectus eſt. Quis tandem ipſe, vel quantæ ſanctitatis, aut cujus vitæ fuerit, multo melius opera quam dicta elucidant; exitus autem acta probat. Ne igitur verborum prolixitas legentibus tædium inferat, ſcribendi finem faciamus, Deum ſuper omnia & in omnibus glorificantes, qui tam egregium doctorem, beatiſſimum Geraldum, de longinquis finibus ad illuminationem regionis iſtius mirabiliter deſtinavit; cui eſt honor & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

a Nonnulla addit alterius Vitæ auctor, quæ apud Bolland. habentur.

b Menardus addit hic. *Nam qui de lapide ſepulcri ejus contuſo aqua permixto bibebant, ſanabantur.*

c Id de ſanctimonialibus etiam in Silva-majori degentibus interpretatur Papebrochius, ubi parthenonis rudera hodieque videri obſervat. Certe in pleriſque Ordinis noſtri monaſteriis moniales aliquot in vicinis domibus haud procul ab eccleſia habitabant. *Oregundis S. converſationis habitum à S. Geraldo* ſuſcepiſſe dicitur in veteri inſtrumento. Aliæ paſſim memorantur. Inter alia monaſterii Silvæ-majoris loca, quæ in bulla Cæleſtini III. memorantur, occurrit parthenon Pomareti in diœceſi Caturcenſi, cum ſuis prioratibus, &c. Erat alius Gavareti in Occitania, Silvæ-majori ſubjectus.

Digitized by Google

DE V. GISELA UXORE S. STEPHANI Hungarorum regis, tum abbatiſſa.

1. RES eſt apud omnes auctores explorata, Giſelam Stephano ſanctiſſimo regi nuptam, & in propaganda ſtabiliendaque apud Hungaros religione Chriſtiana adjutricem fuiſſe, ac tandem viro mortuo in Germaniam ſeceſſiſſe, ubi in monaſterio Ordinis noſtri ſanctiſſime vitam finivit. ſed eam alii Henrici auguſti ſororem cum Chartuitio; alii vero filiam fuiſſe tradiderunt. At priorem ſententiam alteri præferendam eſſe vel ex eo ſolo evincitur, quod Henricus ob virginitatis florem uſque ad extremum vitæ halitum ſervatum à vulgatis auctoribus paſſim laudetur. Nonnihil etiam inter ſe diſſident auctores circa tempus, quo Giſela Stephano nupſerit. communior eſt recentiorum ſententia, eam beato Regi, jam ad fidem catholicam converſo, copulatam conjugio fuiſſe. At iis adverſantur duo vetuſtiores Hiſtorici, auctor ſcilicet vitæ ſancti Henrici capite 27. & Sigebertus in Chronico ad annum MX. ubi ſic habet. Gens Ungarorum hactenus idololatriæ dedita hoc tempore ad fidem Chriſti convertitur per Giſlam ſororem imperatoris, quæ nupta Ungarorum regi, ad hoc ſua inſtantia regem adduxit, ut ſe & totam Ungarorum gentem baptizari expeteret. qui in baptiſmo STEPHANUS eſt vocatus, cujus merita per Ungariam multa miraculorum gloria commendat. *Giſela S. Stephano nupta.*

2. Hoc connubio pax inter Germanos & Hungaros omnino firmata fuit, nec deinceps aliquid antiquius habuere Henricus & Stephanus, quam ut Religionem uterque in ſuo imperio & ampliarent, & firmarent; Stephano autem non defuit, quod ab uxore ſperaverat, in tantis negotiis auxilium. Certatim, inquit Bonfinius, utrimque ſanctiſſima facta manabant, divina caritate neuter æquo animo ſuperari patiebatur, & in Chriſto conjuncti conjugalem amorem redintegrabant. De percelebri monaſterio ſancti Martini à beato Rege conſtructo alias egimus, nec fuſius hic de ejus præclaris in noſtrum Ordinem beneficiis diſſeremus, ſed iis quæ ad Giſelam attinent paullo amplius immorandum eſt. Multa paucis verbis ea de re comprehendit Cartuitius in vita ſancti Stephani cap. 9. Giſela, inquit, chriſmate uncta, & corona regia inſignita, qualem ſe præbuerit erga Dei cultum ornandum, quam frequens, benigna, ac liberalis erga Chriſto ſervientium congregationes fuerit, multarum eccleſiarum cruces, vaſa ſacra & utenſilia, miro opere contexta vel effecta, in hunc uſque diem teſtantur. præcipue tamen eccleſia Veſprinienſis, quam illa à fundamentis conſtructam, rebus omnibus, quæ ad Dei miniſterium ſufficiant, in auro, argento, multigeniſque veſtibus præclare ornavit. Albenſem eccleſiam, quam beatus Stephanus à fundamentis erexit, aureis crucibus, fuſoriis, tabulis, calicibus gemmis variiſque ejuſmodi ornamentis à Regina ditatam fuiſſe teſtis eſt Johannes de Thvvrocz in Hungarorum Chronico cap. 30. ad annum MII. Hæc quippe erat præcipua Regis & Reginæ, eorumque filii beati Emerici cura, ut in unaquaque regni ſui civitate aliquod eſſet inſigne eorum pietatis monumentum. Hinc, ut narrat idem auctor capite ſequenti, cum aliquando veniſſent in civitatem, quæ Vetus-Buda appellabatur, nec ibi reperiretur aliquod opus pium in Chriſto, in quo poſſet laudari Creator omnium, juſſit ſtatim Stephanus fundamenta jactari in ipſo civitatis meditullio præclariſſimi cœnobii in honorem beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, quod multis prædiis ditatum Romanæ eccleſiæ privilegio muniri curavit. Quin & aliquamdiu Rex ſimul & Regina ratione devotionis ibidem morati ſunt, *Simul piis operibus inſiſtunt.*

Digitized by Google

ANN. CH. MXCV. MAII VII.

conductis è Græcia lapicidis, ut opus iſtud diligentius promoveretur. quod tamen nonniſi ſub Ladiſlao regnante perfectum eſt, quamvis Regina cruces, tabulas *&* *varia* ornamenta ei procuraſſet. *Conſuetudo erat pio Regi, ut teſtatur idem Thuvroczius*, omnes eccleſias quas ipſe fundaverat, in quolibet anno ad minus tribus vicibus viſitandi. Dum vero ad ipſas eccleſias deveniſſet, primo ad omnia altaria pergebat, & ſingulis ſingulas preces effundebat, tandem exeundo totam eccleſiam circuibat, & fracturas ſive ſciſſuras parietum ac tectorum perſpicacibus oculis & moroſe inſpiciebat; & ſtatim remeliorari procurabat: nec à loco illius civitatis aut villæ recedebat, niſi prius vidiſſet renovari. *Pii conjugis exemplum ſtudioſe imitabatur Giſela cum filio eorum Emerico, qui ipſe proprias etiam veſtes purpureas ante altaria deponere ſolebat, ad illa decentius contegenda. Ipſa autem Regina, ſimul atque ad aliquam eccleſiam acceſſerat, ſtatim omnes ſacras veſtes, univerſamque ſupellectilem, & alia ornamenta ſibi ipſi afferri jubebat, ut quæ reſarcienda eſſent reſarciret, quæ renovanda, vetuſtis omnino abjectis, renovaret. Hæc obſervant paſſim Hungaricæ Hiſtoriæ ſcriptores, ex quibus multa alia conjicere poſſumus, quæ ſcriptorum ejus ævi negligentia exciderunt. Mirum eſt beatæ Reginæ genus ita illis auctoribus ignotum fuiſſe, ut eam Vuillelmi cujuſdam filiam eſſe putaverit Thuvroczius, quem Ranzanus ſecutus eſt; alii vero eamdem beati Henrici, ut jam diximus, filiam fuiſſe ſcripſerunt. Hinc Bonfinius duas beatum Stephanum uxores habuiſſe ſuſpicatus eſt, quarum altera fuit Keiſla à Thuvoczio aliiſque memorata, quæ Vaſulem à beato Stephano in regem deſignatum occidi juſſit; altera vero Geiſila beati Henrici ſoror, quæ piis operibus adeo enituit. Sed his refragantur auctores à nobis laudati, qui non aliam à Keiſla Stephani uxorem agnoſcunt piis operibus inſudantem, ac beati Emerici aliorumque multorum liberorum matrem, quod de noſtra Giſela certum eſt.*

Fit monialis.

3. *Poſt beati Stephani obitum, turbatis in Hungaria rebus, Giſela in Germaniam receſſit, atque ibi in monaſterio Niderburgenſi apud Patavium Bavariæ urbem ſanctimonialis facta, atque ut nonnullis placet, aliquot poſt annos in abbatiſſam aſſumta, tandem annis & meritis plena in pace obiit Nonis Maii, anno* MXCV. *ibidem ſepulta. Hundius tomo 2. Metropolis Saliſburgenſis, ubi de prædicto monaſterio agit, inſcriptionem ſepulcro ipſius appoſitam hæc omnia indicantem exhibet, quam tamen Gervvoldus in annotationibus Hundio adjectis fatetur ſibi videri incertam; ſed laudat Aventini locum, ubi ille auctor ſic de noſtra Giſela loquitur ad annum* MXLV. Cæſar (Henricus III.) ex Hungaria reverſus ſecum Giſalam reginam, uxorem divi Stephani abducit, Bathaviæ *, ubi in templo ſacrarum feminarum ejus mauſoleum oſtenditur, ab Ungris venerabundis aditur, collocavit. *Monaſterii Nideburgenſis abbatiſſarum catalogum refert item Gervvoldus, de quo etiam nonnulla habet noſter Bucelinus in Germania ſacra parte ſecunda.*

* Patavii.

4. *Giſelam varii variis titulis donarunt.* Sanctam *appellant Ferrarius in Catalogo generali ſanctorum, qui in Romano Martyrologio deſiderantur, & Arturus du Mouſtier in Gyneceo ſacro*, beatam *Dorganius & Bucelinus. Ceteris vero pleriſque viſum eſt ſatis cum Menardo eam* venerabilem *nuncupare. Memoratur item à Radero in Bavaria Pia, à Bucelino in Menologio Benedictino, ab Arnoldo Vvione in Ligno vitæ, à Bollandianis inter prætermiſſos die* VII. *Maii, & ab aliis paſſim auctoribus, quorum nomina fuſius recenſere inutile foret. Illud unum certum eſt, nullum ei ab Eccleſia publicum cultum decretum fuiſſe, quamvis ex Aventini loco ſupra laudato pateat ejus ſepulcrum pietatis cauſa à fidelibus eſſe frequentatum.*

Digitized by Google

Circa Ann. Ch. MXCVII. Jan. XXX.

VITA S. ADELELMI ſeu ELESMI,

CASÆ-DEI IN ARVERNIA TERTII ABBATIS,

Et primi Prioris ſancti Johannis Burgenſis in Hiſpania.

Auctore RODULFO monacho Caſæ-Dei, coæquali.

Ex Martyrologio Hiſpanico Johannis Tamayi.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *AD hujus undecimi ſæculi finem pertinet ſanctus* ADELELMUS, *qui ſtrictioris obſervantiæ inſtitutum Benedictinum in Hiſpanias propagavit, quod in percelebri monaſterio Caſæ-Dei, ſub beati Roberti magiſterio didicerat. Hunc Hiſpani Eleſmum, vulgo* ſan-Eleſmes *appellant. unde factum eſt ut cum alio ejuſdem nominis ſancto, qui ſæculo duodecimo floruit, noſter Adelelmus, à nonnullis auctoribus confunderetur. Præter nominis affinitatem, alia quoque erroris occaſio fuit, quod nempe uterque vir ſanctus eodem die, quamvis non eodem anno, in Burgenſi civitate mortuus fuerit, ibique ſepultus. Sed ex utriuſque actis ſatis ſuperque conſtat, unum ab alio omnino diverſum fuiſſe. Hic nempe, de quo agimus, natione Gallus fuit, monachus & abbas Caſæ-Dei, qui poſtea in Hiſpaniam accerſitus, percelebris monaſterii ſancti Johannis in Burgenſis civitatis ſuburbio fundamenta jecit, ibique exeunte ſæculo undecimo miraculis clarus, vitæ finem accepit: alter vero Hiſpanus genere, beati Juliani Conchenſis epiſcopi primum domeſticus, ſeu, ut aliis placet, Presbyter fuit, qui poſt ſui Antiſtitis mortem Burgos ſe recepit, ubi anno* MCXC. *obiiſſe dicitur, ac in eccleſia ejuſdem urbis cathedrali ſepultus. De his apud viros eruditos nullum eſt dubium.* Duo Eleſmi.

2. *De Adelelmi rebus geſtis ſcripſere complures recentiores auctores Hiſpani: ſed nihil habent præter ea quæ à Rodulfo monacho Caſæ-Dei ſcripta ſunt paullo poſt Adelelmi obitum. Hic nempe Rodulfus in prologo innuit ſe eſſe primum ſancti Adelelmi vitæ ſcriptorem; & quamvis ætatem ſuam aperte non prodat, certum eſt tamen eum, aut ſimul cum Adelelmo, aut ſaltem paullo poſt ejus in Hiſpanias profectionem in monaſterio Caſæ-Dei vixiſſe. Certe Yepeſius affirmat haberi in monaſterio ſancti Johannis Burgenſis unum vitæ Adelelmi exemplar, quod illuc Aymericus Caſæ Dei abbas paullo poſt illius obitum tranſmiſit. At Aymerius, teſte Hugone Flaviniacenſi in Chronico Virdunenſi, factus eſt Caſæ-Dei abbas anno* MCII. *Pontio abbate in cathedram Anicienſem aſſumto, cui loco præfuit ad annum circiter* MCXXVIII. *quo factus eſt Claromontanus Antiſtes. Hanc vitam à Martino Riaño monacho Benedictino acceptam primus vulgavit Johannes Tamayus Salazar in Martyrologio Hiſpanico, ex quo eam mutuati ſumus, additis nonnullis ex Johannis Mariettæ Hiſtoria miraculis, quæ ad beati Adelelmi ſepulcrum facta ſunt.* Adelelmi vitæ auctor.

3. *Adelelmum Caſæ-Dei abbatibus annumerandum eſſe conſentiunt omnes, quamvis in vulgatis ejuſdem monaſterii abbatum catalogis nomen ejus deſideretur. quod, ut quidem nobis videtur, vix uno aut altero menſe dignitatem hanc obtinuerit. In Hiſpanias, hortante Conſtantia Alfonſi regis uxore, profectus, ibi percelebris monaſterii ſancti Johannis in ſuburbio Burgorum *, quæ urbs veteris Caſtellæ in Hiſpania recens metropolis eſt, inſtituendi occaſionem præbuit, eo in loco, ubi jam Alfonſus rex xenodochium cum oratorio in honorem ſancti Johannis Evangeliſtæ ad peregrinorum ſuſceptionem conſtruxerat. Novum monaſterium ſancto Johanni Baptiſtæ dicatum eſt, hinc à variis auctoribus ſub alterutrius ſancti nomine paſſim deſignatur. Aliquot ejuſdem loci chartas refert Yepeſius in appendice tomi* VI. *chronicorum. Ex his una eſt Alfonſi regis, qua* ſancto Rotberto de Caſa Dei & domino Adelelmo *donat* capellam, *quam ædificarat* in honorem ſancti Johannis Evangeliſtæ, ut pauperes & peregrini ibi ſepelirentur, circa monaſterium ſancti Johannis. *In altera vero iiſdem ſanctis viris tradit ipſum monaſterium ſancti Johannis. quæ duæ chartæ datæ ſunt* æra MCXXIX. *id eſt anno* MXCI. die II. feria III. Novembris. *Eadem* capella *poſtea in eccleſiam parochialem monaſterio ſancti Johannis ſubjectam converſa fuit; ipſum vero monaſterium, quod vulgo ſancti Johannis* de la voga *dicitur, à monachis* Adelelmus abbas Caſæ-Dei. Prior S. Johannis Burgenſis.

* Burgos.

Digitized by Google

CIRCA ANN. CH. MXCVII. JAN. XXX.

Caſæ-Dei poſſeſſum eſt, ad annum MCCCCXXXVI. *quo auctoritate Eugenii* IV. *unitum eſt Congregationi ſancti Benedicti Valliſoletanæ, hodieque ſupereſt, & locum habet inter præcipua iſtius congregationis Benedictinæ, immo totius Hiſpaniæ, monaſteria. Ejus loci Prior poſtea ex indulto eidem congregationi Privilegio, abbatis titulo donatus eſt, cujus Hiſtoriam, prærogativas, & juriſdictionem fuſe exponit Tepeſius tomo* VI. *Chronicorum Benedictinorum.*

Cultus & ſepulcrum.

4. *Celebris eſt apud Hiſpanos, potiſſimum apud Burgenſes, ſancti Adelelmi memoria, qui eum uti ſpecialem ſuum patronum ac tutelarem venerantur. Ejus quoque feſtum complures Hiſpaniarum eccleſiæ, & monachi Caſæ-Dei celebrant die* XXX. *Januarii quo obiit. Memoratur in Martyrologiis Gallicano, Hiſpanico, Benedictino, ut & apud Ferrarium in Catalogo generali. Ejus vero elogium ex lectionibus Breviarii Caſæ-Dei contexuit Hugo Menardus in obſervationibus ad Martyrologium Benedictinum; at fuſius ejuſdem acta referunt Benedictus Gononus, Marietta, Maldonatus, Alfonſus Venerus, Villegas, & alii auctores Hiſpani, qui de ſuæ gentis viris illuſtribus ſcripſere. Sepultus fuit in ſacello ſancti Johannis Evangeliſtæ, ubi jacuit uſque ad annum* MCCCCLXXX. *quo ſacrum ejus corpus tranſlatum eſt in novam eccleſiam, quam extra urbis muros, incolæ ſuis ſumtibus magnificentiſſimam ſub ejus nomine conſtruxerunt. hodie parochialis eccleſia eſt, ut ſupra diximus. Ejus ſepulcri magnificum ornatum deſcribit Tepeſius, quem ſi vacat, conſule. ſed omittere non licet id, quod ab eodem auctore poſt Alphonſum Cartagenam aliosque refertur, nempe inveniri aliquot Alfonſi VII. numiſmata, in quibus ipſe cum ſua uxore & ſancto Adelelmo repræſentatur.*

Annus mortis.

5. *Supereſt tandem, ut aliquid de anno quo beatus vir è vivis exceſſit, dicamus. Res ſane difficilis eſt; immo niſi aliqua de novo eruantur antiquitatis monumenta, impoſſibilis, cum ſilento ea de re Rodulfo, primario vitæ ſcriptore, ceteri qui recentiores ſunt in varias abſque ullo certo fundamento ſententias abierint. Johannes Marietta eum obiiſſe dicit anno circiter* MLXX. *At ex dictis in vita ſancti Roberti, conſtat eum anno* MLXXVII. *in Caſæ-Dei abbatem electum fuiſſe. Id nempe contigit poſt Durandi aſſumtionem in Claromontenſem epiſcopatum, decennio ſcilicet poſt beati Rotberti obitum. Julianus-Petri anno* MCXXX. *ejus mortem conſignavit, Bollandus anno circiter* MC. *Verum Tepeſius ex chartis nonnullis duos ſibi terminos præſcribit, intra quos beati Adelelmi obitum contigiſſe fatendum eſt. Eum nempe ſuperſtitem adhuc fuiſſe anno* MXCI. *probat ex duabus chartis Alfonſi VI. quas ſupra num. 3. laudavimus. Eum vero obiiſſe ante finem anni* MXCVII. *ex archivis monaſterii ſancti Johannis contendit, in quibus eo anno memoratur Stephanus Adelelmi ſucceſſor, qui ex Caſæ-Dei monaſterio ad hujus loci regimen aſſumtus eſt. cui anno* MCIII. *jam Conſtantinus ſucceſſerat, ut ex Alfonſi regis diplomate colligimus. Hinc Adhelelmi obitum anno circiter* MXCVII. *conſignari poſſe viſum eſt, donec certiora proferantur argumenta, quæ aliud evincant.*

PRÆFATIO.

1. RES geſtas beati patris noſtri ADELELMI in Gallia & Hiſpania, in vita & in morte, in ſæculo & in monachatu deſcribere compellor, cum ob Dei & noſtræ Religionis honorem, tum ob aliorum monachorum, & ſæcularium exemplum, & ne temporum oblivio tanti abbatis monumenta conſumat. Et quamvis penitus illiteratus agnoſcar, cum in manu Dei ſint dona ſapientiæ & ſcientiæ, quæ largitur omnibus affluenter; & piis auſibus quotidie ſuum ſancti Spiritus ignitum immittere calculum non dedignatur. His auxiliis & meditatione, licet indignus, ſuffultus, opus commiſſum aggrediar. Ideo omnipotens & miſericors Dei pietas, à te peto, ut penurioſam mei operis humilitatem invidiæ flamma non fulminet, & mei libelli depreſſam pauperiem detractionis flatus non deprimat. A pœna liber exſtitit, qui rogatus accedit; prorſus imputabitur nulla culpa ei, qui compulſo majora aggreditur calamo, quam ingenio poteſt. Sed quamvis artificii enormitas imperitiam accuſet actoris, opus tamen pium ſui veniam deprecatur erroris, ſciens quod humani ingenii ſcintilla paſſim ignorantiæ evaneſcat in nebulas. Quare ad hoc opus, non nauſeantis animi faſtidio ductus, non indignationis tumore percuſſus; ſed delectatione novitatis illectus, comprehenſione imitationis protractus, lector accedat; ut quamvis liber vernantis eloquii purpuramento non floreat, aut fulgurantis ſententiæ ſydere non clareſcat, tamen in actibus tanti patris, hiſtorica narratione, multa ad ſpiritum imitanda cognoſcet, in fragilis calami tenuitate forte mellis ſuavitatem inveniet, & in areſcentis rivuli modicitate ſitis ariditas temperabitur.

2. Beatus

Digitized by Google

Circa Ann. Ch. MXCVII. Jan. xxx.

Incipit vita. Adelelmi patria, genus.

2. Beatus ergo Adelelmus ingenuitate conſpicuus, de caſtro quodam, Luſduno [a] nomine, quod ſitum eſt in confinio, quo limitatur Pictavienſis, necnon Andegavenſis pagus, ex nobilibus, & chriſtianiſſimis parentibus oriundus fuit. Parentes autem ejus, cum ſecundum ſæculi pomposam gloriam illuſtres fuiſſent, & puerum Adelelmum religioſiſſimum viderent, tali conditione litterarum ſtudiis mancipandum tradiderunt, ut ſi aliquo ſæcularis militiæ ineptus appareret officio, ad eccleſiaſticum ſtatum fieret accommodus. Hic utrumque tenuit, Eccleſiæ videlicet ſpiritum, & militiæ quoque ſæcularis habitum; ut in altero, Deo jubente, parentibus obediret, in altero eccleſiaſtica ſic complens mandata, ut in nullo, in quantum humana ſuggerit conditio, Dominum offenderet. Ideo etiam, quamvis coactus, ſæcularem ſuſcepit militiam, ut donata patrimonii ſui portione pauperibus, viduis & egenis diſtribueret, & ſicut legitur in Pſalmo: *Diſperſit dedit pauperibus, juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi.* Poſt patris matriſque mortem, terribilem ſententiam, qua dicitur: Qui erit amicus hujus ſæculi, inimicus conſtituetur Dei, nimium expavens, dum de ſua ſubſtantia quid faceret, & ſe mundo qualiter ſubtraheret ſollicitus cogitabat, illa Evangelica ſententia occurrit ei, in qua ſcriptum eſt: *Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus: & veni, ſequere me.* Tunc quaſi reperto theſauro, factus alacer, primum timens, an ſe levi famine vanæ gloriæ, quæ ſæpe veram atterit juſtitiam, temperari poſſet, dum ſua diſtrahebat, neminem præter Dominum, conſcium habere volebat. Sic unus omnibus famelicis devote ſerviebat, ut pupillos quaſi pater nutriret, peregrinos hoſpitio ſuſciperet, infirmos viſitaret, nudos veſtiret, mortuos ſepeliret, lapſos recrearet, eſurientes paſceret, ſitientes potaret, & in quantum poterat, omni laboranti pie ſubveniret, O laudabilem militem! cui ſacerdotes Epiſcopi æquiparari non poſſunt. In beneficio erat largifluus, in conſilio providus, in omni honeſtate conſpicuus, in judicio juſtus, & in caritate præcipuus. Juſtos admonebat, ut ſemper in melius proficerent; injuſtos vero, ut pro cæleſti remuneratione peccatum relinquerent. Sed ne per generales hujus ſancti viri virtutum regulas divagemur, ad individua facinorum deveniamus opera inſignium.

a Virtutes.

Pſal. 111. 9.

Luc. 18. 22.

Omnibus dimiſſis Romam pergit.

3. Accepto per patres, ut diximus, conſilio circa ſtatum adoleſcentis, cum jam per litterarum cucurriſſet exordia, baltheum militare ſuadentibus cognatis, ipſo vero reluctante, præcinxit, in cujus ſtatus exercitamentis, nonnullos ſago miles, corde monachus tranſegit annos, donec defunctis parentibus, ad altiora ſpiritus munia animum erexit. In patriam redux omnia, quæ ibidem ex patrimonio ſuppetierant bona, prorſus vendidit, quorum pretia in pecuniam redacta, protinus inter pauperes diſtribuens, ne ab amicis detineretur, intempeſta nocte, cum armigero quodam ſuo, quem ſibi comitem adſciverat, clam ex natali ſolo peregrinaturus diſceſſit. Aliquantulum vero progreſſus, permutatis cum comite veſtibus ſuis pretioſis, penula viliore indutus illum repedare coëgit, ſoluſque Romam verſus iter intendit. Sic quippe unus, mendicus, & nudis pedibus iter arripiens, apud Arvernos in quoddam Benedictinæ familiæ cœnobium, quod Iſſiodorenſe * nominatur, pervenit: quo venerabilem patrem noſtrum Rotbertum Caſæ-Dei meritiſſimum abbatem invenit, à quo benigne ſuſceptus, ſalutari animæ & corpori accommodo paſtus epulo, lotus & fotus, omnia ſui cordis ſecreta ſancto patefecit Abbati. Qui Adelelmum, licet primo detinere decreverat, poſtmodum ſolvit, ut votum de viſitandis Romanæ urbis ſanctorum tumulis à peregrinante milite emiſſum, perſol-

* Iſſoire.

a Nominis affinitate decepti plerique Adelelmum ex Lugdunenſi percelebri civitate ortum putarunt. At tum ex hac vita, tum ex aliis monumentis ipſum Loſduni natum fuiſſe certum eſt. Eſt autem Loſdunum ſeu Lauſdunum, vulgo *Loudun*, opidum Pictonum, quod aliquot recentiores *Juliodunum* appellare amant.

Circa Ann. Ch. mxcvii. Jan. xxx.

veretur; hac conditione pactata, ut quantocius poſt peregrinationem, Adelelmus in Caſæ-Dei cœnobium repedare curaſſet, quo religionis monaſticæ habitum, ut illius expetebat devotio, quieta voluntate reciperet. His ſic diſpoſitis, ſanctus vir Romam iter aggreſſus, ab omni vacuus penu, ut evangelicæ vocis adimpleret oraculum dicentis: Nil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque pecuniam; quam ſic rigide obſervavit, ut cuidam viro probo ſummam pecuniarum eleemoſynæ nomine offerenti, illam vir Dei humiliter recuſavit, cui gratias agens, pro ejus ſalute, & incolumitate, flexis genibus Deum peroravit aſſidue. Demum cum Romam perveniſſet, pia illa, qua præditus erat humilitate & devotione, ſanctorum Apoſtolorum, & aliorum Martyrum reliquias viſitavit, in quorum liminibus tanto terebat ſtudio diem, ut nullum abſque iſtius pii officii ſolutione intermitteret. Ab hinc alias orbis partes, nudis pedibus, corporis maceratione languidus, jejuniis continuis, in pane & aqua quotidie, exceptis Dominicis diebus, exilis, peregrinus, & incognitus inviſit; in quo per biennium occupatus, tandem ad noſtros repedare propoſuit.

A S. Rotberto veſte monaſtica donatur.

4. Ad cœnobium reverſus, ita apparuit ſqualidus, tantaque macie confectus, ut penitus non cognoſceretur à quopiam, demto patre noſtro Rotberto, à quo multis amplexibus, aſſiduiſque oſculis exceptus, ejus curam fratribus commendavit. Quod ut factum eſt, continuo religioſum, ut jam pridem fuerat pollicitus Adelelmus, invicta animi demiſſione induit cucullum. Novo ſane vitæ inſtituto, novam cœpit attexere vitam, & ideo aſperam ad virtutes conſequendas ſemitam adinvenit; nam licet illa exſtiterit aliis communis, in ipſius curſu fuit abundanti propenſione ſublimior. Per monachorum exercitia percurramus. Quis in inediæ aſſiduitate conſtantior, in carnis maceratione prolixior, in humilitatis continuatione depreſſior, in obedientiæ pernicitate promtior, in orationis firmitate magis continuus, in ſilentii obſervatione cunctantior, in divinis colloquiis aſſiduus, in patrum antiquorum imitatione ſimillimus, in actionibus ſanctorum, quorum vitas in oculis, & illorum in promtu ſemper acta trahebat, diſquirendis, avidior? Nemo, inquam, nemo: quia una quævis hujuſmodi virtutum libamina in illo ſic perfecte dignoſcebantur completa, ut prorſus ad ſingula natum patrem Adelelmum profiterentur coevi. quibus virtutum ſpeciminibus conſpectis, ad novitiorum magiſterium eligitur. quo munere, oratione & exemplo, innumeros ad religionis monaſticæ progreſſum diffidentes compeſcuit, pigros excitavit, debiles fovit, & pæne jam lapſos erexit; ita ut ejus directionis aculeo, vix ullus inveniretur in ordine devius, aut in inſtituti norma confractus.

Fit Magiſter novitiorum.

Miraculis claret.

5. Tot & tanta operationum inſignia Deus, ut aſſolet, in hac vita remunerari conſtituit, & ideo beati Petri dona curationum per ſuam eſt elargitus miſerationem. Nam quemdam juvenem, febri continua laborantem, ſaluti reſtituere ſola Adelelmi benedictione Domini providentia permiſit, ut inde quanta ſit, & quam admirabilis in ſanctis ſuis, cæca mortalium ignorantia dignoſceret. Buterlionem Caſæ-Dei perexiguum, Abbate jubente, domicilium adivit, tempore quo cujuſdam divitis de Monte-Gaſconis in Gallia coquum graviſſimo lepræ morbo invenit affectum: quem pane à ſe benedicto recreavit, & ut ſpem in Domino poneret, in quo eſt vera ſalus, pio ſolamine commendavit. Aſt ille inedia morbi ſollicitus, & fœtore ulcerum anxius, cum deſperata ſalute, in aquarum ſe vorticem deturbaſſet, inclamato Adelelmo, & à fluctibus ereptum, & à lepra curatum, protinus eſt omnis illius regionis accolarum demirata caterva. Poſtmodum cum quidam ruſticus in prato ſoporatus, aperto ore colubrum excepiſſet, ab incolis ad ſanctum virum deductus eſt: cujus miſeratus miſeriam, præſto aquam benedicens, partem illius bibendam ruſtico præbuit; qua epota, ſtatim anguem moribundum evomuit. Feminam nobilem, cu-

Leproſum curat.

Et ruſticum à colubro invaſum.

Digitized by Google

jus ubera ſic doloribus lacerata tumuere, & apoſtematis hiatibus elanguere, ut vix jam ſufficerent nec facultates ad medelam, nec ſpiritus ad alia in poſterum ſufferenda remedia, aqua benedicta vino immixta, precibus ad Deum fuſis, ſtupentibus omnibus liberavit. Apud Arvernos quidam adoleſcens natus eſt mutus, cujus parentes infortunium intuentes, & dolentes, illum ad Dei famulum perduxerunt; quos videns Adelelmus tres panis micas in aquam à ſe benedictam immiſit, quarum unam in ore adoleſcentis porrexit. qui illam deglutiens, jubente viro Dei, Benedictus Dominus in cælo & in terra, clara voce protinus explicavit; eadem cum qualibet comeſta mica proferens, qui loquelam in poſterum abſque hæſitationis veſtigio divinitus conſervavit.

CIRCA ANN. CHR. MXCVII. JAN. XXX. *Mulierem ab uberum dolore.*

6. Jam omnia hæc per univerſam regionem agnoſcebantur inſignia, & nondum ſanctus monachus aliquos ſuſceperat ordines; quibus initiari coactus, demum ad ſacerdotii munus acceſſit. At epiſcopo, à quo illo fungi facultatem acceperat, in crimine ſimoniæ dilapſo, & ab Apoſtolico propter illud damnato [a], illius licentiam reſpuens, alium in ſimoniaci locum ſubrogatum exſpectavit Epiſcopum, à quo iterum miniſtrandi permiſſionem accepit. poſt quæ Arvernia [b] in cœnobium noctu repedare coactus eſt: nam interdiu, ob frequentiam illorum qui ad eum concurrebant, exire in publicum non audebat. Aſt iter aggreſſus, modicum quod beati Adelelmi puer præferebat lumen, procacibus ventis, qui vehementer in hyeme undequaque perflabant, minime impedientibus, toto noctis compendio, inexſtinctum non ſolum perduravit, ſed lucidius oriente ſole perviſum eſt. Hic non eſt ſilentio prætermittendum miraculum, quod apud Arvernos evenit, dum illic exſpectaret Epiſcopum, omnibus demirantibus inſigne. Erat quippe quidam ſacerdos in urbe, qui virtutes ſancti viri parvipendebat, & quos ad illum accedere pietatis ergo notabat, riſu, & cachinno illorum ignorantias, ut ipſe dicebat, deſpiciebat. Inſurgit divina vindicta, & ſannionem illum ſic perculit podagra moleſta, ut brevi dolores ejus compaginem corporis deformarent. Ilico miſer cauſam ægritudinis cognovit in corde, & viſcerum commotione contritus, ad Dei famulum, ſe ſuorum humeris deportari præcepit: ante cujus conſpectum lacrymarum imbre perfuſus, ſuum ex animo propalavit errorem, à quo viri ſancti miſeratione abſolutus, & ejus precibus alleviatus, à podagra liberum præambula exhortatione dimiſit.

Ordines ſuſcipit.

Sacerdos eum deſpiciens punitur.

7. In cœnobium igitur redux, novo munere conſecratus, puriora vitæ ſtamina, ut ſacerdotii dignitas expoſcebat, attexere ſanctus ſacerdos conſtituit. Hinc altiora contemplationis munia demirareris, humilitatis compendia cognoſceres; ſilentii facinora contuereris, & alia, quæ ſancto Dei famulo communia erant, prodigia perpenderes. Aſt cum Pater noſter DURANTUS II. Caſæ-Dei abbas, ad epiſcopalem Arvernorum cathedram fuiſſet adſcitus [c], repente de eligendo ſucceſſore noſtrorum ſollicitudo corda prorſus & mentes invaſit; quam facile Dei providentia ſedavit. nam omnium fratrum ſuffragiis Adelelmus electus, Deus omnium ſpectationes complevit & vota. Cujus muneris onus primo reſiſtens vir Dei, demum obedientia compulſus, manum ad aratrum applicuit regiminis oſcitanter. Miniſteriis creſcebat virtutum ſtimulus, & ideo qua poterat ſalva muneris ratione, exercitia creſcebant, ſed valde impedimento erant illi abbatiatus ambages, ſedulæ pro monaſterii œconomia diſtractiones, & aſſi-

Fit Caſæ-Dei abbas.

[a] Quiſnam fuerit ille epiſcopus Arvernenſis, qui ob Simoniam à ſummo Pontifice è ſede deturbatus fuit, non apparet. Inter Renconem & Durandum Stephanus ſolum invenitur in catalogis vulgatis, ſed qui Simoniæ labe non laboravit.

[b] Legendum eſt, ut puto, *Arvernis*, quo nomine deſignari ſolet urbs ipſa, quam hodie vulgo Clarummontem dicimus.

[c] Anno ſcilicet 1077. nam decennio Caſæ-Dei monaſterium rexiſſe dicitur; ſucceſſit autem S. Rotberto, quem anno 1067. obiiſſe probavimus. De Durando plura obſervavimus in notis ad Vitam S. Roberti.

Circa Ann. Ch. MXCVII. Jan. XXX.

Abdicat. duæ pro diſponendo regimine curæ. ideo tanto onere fatigatus, licet reluctantibus fratribus, ab abbatiatus officio ſe abdicare conſtituit; & licet animos noſtrorum averſos ad iſta cognoſceret, attamen intentum, Deo permittente, poſt varios contradictionum anfractus viriliter eſt aſſecutus.

Alia miracula. 8. Per hæc tempora, cum plurima Deus precibus ſancti Abbatis impartiretur miracula, in dies ejus creſcebat opinio, ita ut cœnobium paſſim ſcateret ægrotis, & urbium legationibus, ac totius orbis peregrinis abundaret. Duo nobis ad manum ſe offerunt exempla. aliud de quodam divite opulento, à quo ſanctus Pater pretio ſolvendo domunculam cœnobio conjunctam, ut illius officinis adderet, flagitabat: renuit dives, & Adelelmi virtutem & humilitatem irriſit. Media nocte vindex Dei manus tetigit divitem; ilico dolores irruunt, clamores audiuntur, ſurgit è lectulis confuſa familia, diverſorium heri, quo voces dimanabant, adeunt, illum moribundum conſpiciunt, frigido ſudore coopertum intuentur. Ab eo cauſam expetunt turbulentiæ. Ab Adelelmo propter ludibrium ſe ſauciatum fatetur, illum ut convocent imperat. Accurrit Abbas, divitis oblationem, & confeſſionem amplectitur; & illum aqua conſpergens benedicta, à dolorum pondere liberum, Deo opitulante, reliquit. Aliud de Regina [a] Angliæ, quæ intellectis ſancti Abbatis inſignibus, cum ſe & totam inſulam lethargi epidemia laborantem conſpiceret, dimiſſis aliquot ſenioribus Caſam-Dei, ut ab Dei famulo remedium tantis calamitatibus impetrarent; evenit ut his in cœnobium aggreſſis, ab Adelelmo panem integrum benedictum acciperent. quo Regina & univerſi, qui panis etiam minimam comederunt micam, protinus à ſerpentis ægritudinis contagio liberi viſi ſunt.

In Hiſpanias venit. 9. Cum ergo jam ſancti Abbatis virtutum Galliæ, & Britanniæ terminos adimpleret opinio, ad occiduos Hiſpaniæ fines, quibus Constantia [b] Alfonsi VI. ſecunda uxor, ſceptrum Regina tenebat, devenit: ex quo pia femina, cum primum iſta cognovit, Alfonſum conjugem de ſancti viri perfectione, & miraculorum erudivit patratione; ab eo efflagitans, ut tantum monachum ad Hiſpanias perducere procuraret, futurum fore, ut ejus exemplis, & doctrina, ſuæ ditionis dominia perfectiorem in moribus & ſucceſſibus eventum conſecutura. Annuit piiſſimus Rex piiſſimis uxoris precibus, & per proceres & epiſtolas aſſidue ſanctum Dei famulum, ut Hiſpanias accederet interpellavit, quibus efficaci propenſione Conſtantia conſtanter crebras peraddebat inſtantias, donec Adelelmus tantis piis precibus Regum convictus, Hiſpanias adire decrevit. qui regionem & aulam ingreſſus, à Rege & Regina lætis conſpectibus, & regia veneratione ſuſceptus eſt: ubi apud ipſos demoratus diutius, glorioſis facinoribus aulam & urbes illuſtrabat. Iſta numero creſcebant ubique, ita ut Rex veritus penes ſe tantum, tam ſanctum, tamque divinum hominem habere, deſtinaverit ei ſacellum, quod ipſe Johannis Evangeliſtæ nomine ſubſtruxerat, ſecundum portas civitatis Burgenſis in peregrinorum ad ſancti Jacobi limina pereuntium ſepulturam, & xenodochium, in quod vir Dei haud exiguis ab Rege donatus fundis, redditibuſque ſe reciperet. Tunc vir Dei Adelelmus ad ſibi datam cellulam venit, ubi per eum innumerabilia completa ſunt miracula, ſuper nudum ſolum tamdiu orabat, donec cogente natura, vim ſomnus inferret, ibique cum paullulum obdormiſceret, ſtatim evigilans ab oratione non ceſſabat. In cella ſua, quam

Burgis moratur.

[a] Hanc Reginam Bollandus putat fuiſſe vel Edgitham S. Eduardi relictam, quæ anno 1074. aut ſequenti obiit, vel Mathildem Guilielmi Conqueſtoris uxorem, quæ anno 1083. obiiſſe dicitur.

[b] Hanc Ludovici VI. Francorum Regis filiam putavit Marietta, ſed perperam; Glaber Rodulfus eam Rotberti Burgundionum Ducis filiam fuiſſe aſſerit; proindeque Henrici Francorum regis ex fratre neptem.

ei dederat Rex, quotidie poſt matutinos Miſſas celebrabat; quibus peractis, cum panum cophinis quibus poterat, ad oſtium cellulæ, ubi pauperum tranſitus erat, quotidie ſedens, quæcumque habebat neceſſitatem patientibus largiebatur. Cujus caritatis ſuffragium ſic peregrinantium numerum auxit, nec annonæ eleemoſynariæ ſtipem diminuit, ut venientibus innumeris ſatis eſſet, & granaria penitus inexſtincta conſpiceret. Horreum enim Dei quando deficit bene & præcordialiter miniſtranti? CIRCA ANN. CH. MXCVII. JAN. XXX.

10. Præterea cum Hiſpaniarum rex Alfonſus cum exercitu ſuo prope Toletum, cogente neceſſitate, Tagum fluvium exundantem minimeque tranabilem vix ſine vitæ diſcrimine, & acrioribus equis trajeciſſet [a]; virum Dei Adelelmum, humili aſello inſidentem, ſignum Crucis prætendentem, & humili voce intonantem: Hi in curribus & in equis, nos autem in nomine Domini noſtri ſperavimus; flumen ingredientem, aſelli crura, res mira! non plus genibus aqua adobruente, nihil madefactum tranſeuntem inſpectavit tota militum phalanx. Quo miraculo Rex ſtupefactus, ad famuli Dei pedes provolutus, ejus manus deoſculabatur aſſidue; & ut ad deſtinatam cellulam reverteretur, promittens ſe & ſua illi commendans, majora pro fabrica xenodochii eſt impartitus donaria & poſſeſſiones, inter Arlanzonem & Venam fluvios, in quorum medio ſancti Johannis capella conſpicitur. Reverſus denique Adelelmus Burgenſem urbem, protinus ad ſua diverſatus caritatis & devotionis officia, peregrinis cœpit continuo miniſtrare, nudos veſtire, famelicos ſaturare, infirmos curare, devios reducere, & alia innumera miſericordiæ exercitia peragere, quæ ſi omnia deſcriberentur, longiſſimam aggrederemur provinciam. Illud celebre fuit de quadam muliere, quæ furore ſic dignoſcebatur affecta, ut quoſcumque obvios morſibus laceraret, quam ad ſancti viri conſpectum funibus ligatam viri pii trahere propoſuerunt: quæ cum ab Adelelmo fuerit contacta, ſciſſis veſtibus, à dæmonum vexatione protinus exſtitit liberata. Altera item femina, cum in agro ſine cura ore aperto dormiret, in ejus fauces anguis ingreſſus, miſeræ mulieri mortem contuſis ſpiritibus afficiebat. Malo occurrêre & Dei benignitas, & ſancti viri Adelelmi preces; quibus poſt benedictionem ſuſceptam, protinus colubrum mulier exſpuens, gratias Deo & ſancto Abbati peregit æternas. Sacerdos quidam, & alii innumeri quartana febri laborantes (erat enim huic malo ſanctus vir inſignis, & cæleſtis medela) ad ejus tugurium accedentes catervatim, ſilentioſis obmurmurationibus quotidie ab illo medicinam expetebant contriti: quorum turbas, quia ſingillatim contingere non poterat, aquam benedicebat in pelvi, ut hyſſopo ægrotantes aſpergens, quos gutta quælibet licet minima pertingebat, penitus ſanitati reſtitutos, ad propria actis gratiis reducebat affectus.

Pſalm. 19.

11. Poſt hæc & hujus generis innumera alia pietatis, & inſignium opera, cum tempus accederet, quo beata illa anima à nexu carnis libera, ad gloriam properaret æternam, incœpit febricitare, viribus deſtitui, & ægritudinis gravedine debilitari: quæ omnia cum jam mortis imminentis præciſa eſſe indicia conſpiceret, evocato PETRO [b] Pampilonenſi epiſcopo, omnium ſuorum peccaminum confeſſionem exegit, ceteriſque aliis ſanctæ Eccleſiæ ſacramentis vallatus, ad illius temporis neceſſitudinem ſpectantibus, ad oratorium ſancti Johannis ſe deportari præcepit, in cujus ingreſſu, hæc dixiſſe verba didicimus: Deus in nomine tuo ſalvum me fac, & in virtute tua judica me. Poſt vili ad corpus exomide cinctus, & in cinerem provolutus, deoſculata cruce, pro omnibus orans: In manus tuas, di- In morbum incidit.

[a] Hoc miraculum accidiſſe videtur anno 1085. quo Alfonſus Toletum 25. die menſis Maii in ſuam ditionem accepit.

[b] Is è monacho S. Pontii Tomeriarum in Gallia Garſiæ ſucceſſit circa an. 1084. Interfuit celebri concilio Claromontano, cui præerat Urbanus II. anno 1095. Vide Tamaium ad diem 7. Aprilis

Circa Ann. Ch. mxcvii. Jan. xxx.

xit, Domine, commendo ſpiritum meum, & obdormivit in Domino. Mox omnis civitas, & clerus ad oratorium confluentes ejus patrocinium implorabant, & ut exſequiæ celebriter peragerentur, contendebant. Per triduum in ipſo ſacelli angulo corpus abſque corruptione permanſit. quo tempore, plura Deus contactu ſancti viri cadaveris patravit inſignia [a]; inter quæ puer paralyticus, qui in cellula famuli Dei perſtiterat ſanitatis conſequendæ ſuffragio, ſpectans * ſuorum laborum requiem, cum primum mortem ſui benefactoris agnovit, ad oratorium accerſitus, & ad pedes ſancti viri provolutus, ipſo quo corpus tetigit momento, ſanus & integer reſurrexit, præſtante Domino noſtro Jeſu-Chriſto, qui cum Patre & Spiritu-ſancto, vivit in ſæcula ſæculorum. Amen.

* *Id eſt*, exſpectans.

a Nonnulla ex his narrat Johannes Marietta, quæ videſis apud Bolland. 30. Januarii.

Ann. Ch. mxcix. Jul. xxix.

DE B. URBANO II. PAPA.

1. *URBANUM ſecundum Pontificem maximum, de Eccleſia catholica & Ordine Benedictino optime meritum, ſanctitate & rebus præclare geſtis illuſtrem prætermittere in Actis noſtris Sanctorum Benedictinorum religio fuerit: ſed multa de eo dicere, & quantum poſtulabat tanti viri memoria, prohibuit hujus voluminis, multo quam par fuerat jam provecti, moles. Satis igitur ſit hic breve ejus elogium contexere, donec aliqua ſeſe offerat oportuna occaſio de eo & ejus operibus plura dicendi.*

Urbani patria.

2. *Hic ante adeptum pontificatum eccleſiæ Romanæ Odo ſeu Oddo, ſive, ut alii ſcribunt, Otho vel Otto, appellabatur, quem natione Gallum in provincia Remenſi natum fuiſſe omnes conſentiunt. At de loco, in quo primum lucem aſpexit, non adeo concors eſt ſcriptorum ſententia. Alii quippe eum apud Caſtellionem, quod opidum eſt ad Maternam Campaniæ fluvium, à Remorum urbe quatuor circiter leucis diſſitum, natum volunt; alii id in Lageriaco vico urbi viciniori contigiſſe ſentiunt; alii tandem in ipſa metropoli. Id vero omnes certum eſſe affirmant, Odonem in eccleſia Remenſi educatum fuiſſe ſub diſciplina Brunonis tunc temporis celeberrimi, qui paullo poſt Cartuſiani Ordinis primus parens ac inſtitutor fuit. Creverunt in Odone ſub tanto magiſtro ſimul cum ætate morum gravitas & vitæ ſanctimonia, adeo ut brevi inter celebris hujus eccleſiæ canonicos cooptatus fuerit, in qua etiam eum archidiaconatus munere functum fuiſſe nonnulli ſcriptis prodiderunt; at cum ad majores dignitates aditus ei patere videretur, ipſe cæleſtibus animo intentus, exemplo magiſtri ſui, ſeceſſum in aliquam ſolitudinem meditabatur.*

Remis educatur.

Fit monachus Cluniaci.

3. *Celebris tunc erat Cluniacenſium monachorum ſanctitatis fama, qui ſub beati Hugonis abbatis diſciplina Regulæ Benedictinæ leges accurate ſervabant. quare ſub tanto inſtitutore erudiri cupiens Odo, abjectis ſæculi curis, Cluniacum ſeceſſit: ubi ab ipſo Hugone monaſtica veſte donatus, nihil aliud animo verſabat, quam ut abjectum in domo Domini ſibi eſſe ac permanere liceret. Verum diu latere non potuit ſub modio tanta lucerna, quam Deus ſupra Eccleſiæ candelabrum imponi volebat, ut luceret omnibus qui in domo Dei eſſent. quare cum jam talis eſſet ejus converſatio, ut ceteris etiam perfectioribus viris in exemplum deberet proponi; Prior monaſterii Cluniacenſis à beato Hugone inſtitutus eſt; atque paullo poſt à Gregorio VII. pontifice accerſitus Romam; Oſtienſis epiſcopus creatus; moxque ab eodem ſedis Apoſtolicæ legatus in Germaniam miſſus, qua in regione quanta dexteritate & prudentia Eccleſiæ negotia difficillimis illis temporibus procuraverit, quantaſque injurias & calamitates à ſchiſmaticis pro Eccleſia & ſanctæ ſedis defenſione devoraverit, vix ſermone explicari poteſt.*

Tum prior.

Epiſcop. Oſtiæ.

Legatus apoſt.

Digitized by Google

ANN. CH: MXCIX. JUL. XXIX.

4. *Gregorius interea ad extrema perductus, interrogatus quem ſibi ſucceſſorem fore dignum judicaret, Odonem ſimul cum aliis duobus, Hugone ſcilicet Lugdunenſi epiſcopo, & Deſiderio abbate Caſinenſi deſignavit, ſuadens tamen ut Deſiderius ceteris præferretur; quod alii duo abſentes eſſent, nec dilationem pati poſſet urgentiſſima Eccleſiæ negotiorum neceſſitas. Defuncto Gregorio ſubſtitutus ſtatim eſt Deſiderius; verum ille pontificatum ſuſcipere renuebat, ſicque anno integro vacavit ſedes Apoſtolica, donec tandem jam reverſo in Italiam Odone, vellet nollet, Deſiderius ab omnibus Pontifex ſub Victoris III. nomine acclamatus, ab Odone, utpote qui erat Oſtienſis epiſcopus, aſſiſtentibus ſibi ceteris epiſcopis & eccleſiæ Romanæ Cardinalibus, conſecratus eſt. Sed quam adeo ægre ſuſceperat dignitatem Victor, brevi retinuit, morte interceptus anno* MLXXXVII. *in cujus locum anni ſequentis initio Odo omnium conſenſu ſub nomine Urbani II. ſuffectus eſt Terracinæ in Campania Romana.*

Ad Papatum deſignatus.

5. *Urbanus ſtatim atque Eccleſiæ regimen accepit, epiſtolas per totum orbem Chriſtianum encyclicas miſit, inquit Bertholdus, ut non ſolum omnes Chriſti fideles de ſua promotione certiores faceret, ſed etiam univerſo orbi declararet, ſe in omnibus Gregorii aliorumque prædeceſſorum ſuorum veſtigiis religioſe inhæſurum. Et quidem nihil omiſit Pontifex, quo tot ſanctorum virorum qui eum præceſſerant, exemplo boni paſtoris munia exſequeretur; quod ei ita omnium animos conciliavit, ut ipſum etiam Guibertum, quem Henricus imperator antipapam Gregorii VII. tempore promoverat, tæderet cum tanto viro de pontificatu decertare. Solus Henricus Guiberto adhærebat, ceteri vero omnes Urbanum ſuum paſtorem agnoſcebant, quos viciſſim Urbanus ut ſuas, immo vere Chriſti Domini, cujus vices agebat, oves paſcere ſatagebat. quare coactis frequentibus ſynodis, omnibus Eccleſiæ neceſſitatibus providere, immo & eas prævenire conabatur. Hæc per ſe ipſum, quantum fas erat exſequebatur, per Legatos vero in diſſitis provinciis, in quibus eos conſtituerat, ut qui præ itinerum longinquitate, aut periculis viarum, quas ſchiſmatici obſidebant, ad ſedem Apoſtolicam accedere non poſſent, ad eos ſedis Apoſtolicæ vicarios confugium præſens haberent. Ipſe vero pontifex plus amari ab omnibus, etiam à ſchiſmaticis, quam timeri volebat. Unde cum Guibertinæ factionis fautores ex Urbe armis exturbare ſæpe ſæpius facile potuiſſet, maluit tamen eos tolerare, quam vel unius civium ſanguinis effuſione ſedem ſuam adipiſci. quin etiam, ut Bertholdus Hermanni continuator paſſim obſervavit, elegit pontifex per aliquot annos habitare in Urbis angulo, aut etiam extra Urbem ipſam in vicinis regionibus diverſari, quam Romæ per bellicos tumultus, qui numquam abſque confuſione & cædibus contingunt, dominari.*

Victori III. ſuccedit.

Præclare geſta.

6. *Inter multa autem concilia, quæ ab eo Pontifice variis in locis coacta fuerunt, nullum celebrius eo fuit, quod apud Clarummontem Galliæ urbem habuit, ubi ipſe anno* MXCV. *cum magna Epiſcoporum multitudine convenit, ac ſynodo præfuit. Ibi decreta & promulgata primum fuit expeditio ſacra adverſus infideles, qui cum jam multis ab hinc annis Terram-ſanctam invaſiſſent, ceteris etiam Orientalis imperii provinciis tunc temporis infeſti erant. Conſcriptus eſt ea de re trecentorum millium hominum exercitus, qui ob crucem ſuis veſtibus aſſutam* Cruciati *dicebantur, & expeditio* Cruciata *appellata. Illi poſt varias fortunas, multaſque captas urbes ac provincias, occupata tandem ipſa ſacra Urbe, quæ Chriſti Domini vita ac morte conſecrata eſt, novo Jeroſolymitano regno, viciniſque Chriſtianorum toparcharum principatibus in Oriente initium præbuerunt.*

Concilia cogit. Cruciatæ.

7. *Multa pietatis exercitia inſtituit Urbanus, quæ hodieque apud fideles in uſu habentur. ex his eſt celebritas beatæ Mariæ ſingulis ſabbatis obſervata. Eo etiam auctore horariæ preces, quæ officium parvum beatæ Mariæ appellari ſolent, non ſolum à clericis ſed etiam à laicis frequentari cœperunt, ad opem adverſus infideles impetrandam; idque potiſſimum ab his qui expeditionibus ſacris nomen non dederant, ut qui armis dimicare non poterant, dimicantibus ſaltem ejuſmodi precum recitatione ſubſidio eſſent. Ejus tempore novis monachorum ordinibus aucta eſt Eccleſia, inter quos celebres fuere Cartuſiani & Ciſtercienſes. Illius in Ordinem*

Pia inſtituta.

ANN. CH. MXCIX. JUL. XXIX.

noſtrum animi propenſionem probant varia diplomata, quæ pro aſſerendis monaſteriorum bonis & privilegiis paſſim ab eo data hodieque ſuperſunt. Idem evincunt eccleſiæ, quas in variis regionibus, potiſſimum in itinere Gallicano dedicavit.

Pie obit.

8. *Poſt tot tantoſque labores, rebus feliciter peractis, paceque Eccleſiæ relicta, meritis multo magis quam annis onuſtus, obiit pius Pontifex Romæ anno* MXCIX. *die* IV. *Kal. Auguſti, ſepultus in baſilica Vaticana, poſtquam Apoſtolicæ ſedi annos* XI. *menſes* IV. *dies* XVIII. *præfuiſſet. Memoria ejus in Urbe, ſicut & in toto orbe Chriſtiano ſemper in benedictione fuit; nullo tamen umquam cultu publico honoratus fuiſſe videtur, tametſi nomen ejus in nonnullis martyrologiis & ſacris faſtis cum* beati *titulo occurrat. Satis ſit huc proferre unum pro omnibus Martyrologium Benedictinum, in quo de Urbano hæc leguntur die 29. Julii.* Romæ depoſitio beati Urbani papæ ſecundi, quondam monachi Cluniacenſis, Cruciatæ ad recuperationem Terræ-ſanctæ auctoris, libertatiſque eccleſiaſticæ defenſoris acerrimi: qui poſt multas ab Henrico imperatore quarto acceptas injurias, poſt exſilium & pravas ærumnas, aliaque id genus, tandem ſanctitate clarus confeſſor occubuit. *Hæc de tanto viro in præſenti ſufficiant, cujus vitam & epiſtolas pro opportuna occaſione, ſi aliquando liceat, illuſtrare conabimur.*

Memoria.

ANN. CH. MXCIX. SEPT. XIV.

VITA B. LEOTHERICI

MONACHI CORMARICENSIS.

IN monaſterio Cormaricenſi, ad Angerem fluvium apud Turones ſito, celebris eſt memoria Leotherici monachi, qui ſæculo XI. *labente ibi floruiſſe dicitur. Ejus vitæ compendium à Joachimo Perionio celebri ejuſdem loci monacho ex antiquiori vita excerptum invenimus in ſchedis Cormaricenſibus, quod huc proferre viſum eſt, deficiente nobis alia vita, quæ ab auctore ſynchrono monacho Cormaricenſi ſcripta dicitur. Ceterum Leothericus nullo publico cultu celebratur, frequentatur tamen à populis circumſtantibus vetus tumba ejus lapidea, quæ in navi eccleſiæ Cormaricenſis pæne exeſa etiamnunc viſitur.*

Leotherici patria, parentes, &c.

LEOTHERICUS nobilibus parentibus ortus eſt, patre Mainardo, matre Anſeïſa, in vico Sanceïaco, qui ſitus eſt in agro Senonico, ejuſque patris hereditario jure venerat. Bis Romam profectus eſt religionis amoriſque ſui in beatorum Apoſtolorum memoriam gratia: ſemel cum primum ad vitæ genus, quod milites ſequuntur ac nobiles, deſeruit; iterum poſteaquam dolis, inſidiiſque diaboli impulſus, ſolitudinem quam in Galliæ parte, quæ hodie Lotharingia dicitur, duobus Comitibus adjunctis delegiſſet, reliquit. Taceo hoc loco ejus parſimoniam tenuitatemque in victu, ſive quamdiu vaſtas illas ſolitudines incoluit, ſive in eis, quas eum ſuſcepiſſe dixi, peregrinationibus. Hoc dico cum in altera profectione ac peregrinatione cuperet Hieroſolyma videndi ſepulcri Chriſti cauſa proficiſci, imo vero jam nave conſcenſa eo contenderet, maximo vitæ diſcrimine prohibitum, conſilium coactum eſſe mutare. Itaque cum reverti in patriam vellet, adeo inops rerum omnium, ut ea quæ ad victum pertinent ab aliis petere cogeretur, tandem multis confectis itineribus, nutu divino Cormaricum venit. Forte ita accidit, ut eo ipſo quo veniſſet die, id ſacrum ſollemne; quo Chriſti exemplo pauperibus tribus manus & pedes abluuntur, ageretur, & in iis Leothericus eſſet. Chriſtianus erat unus ex iis tribus, qui illis tribus inopibus manus abluerunt. Is Leothericum, quem longe aliter veſtitum in domo paterna aliquando vidiſſet,

In ſolitudine degit.

Venit Cormaricum.

vidiſſet, diligenter intueri cœpit, cumque ab eo nomen didiciſſet, vix multis precibus impetrare potuit, ut genus exponeret. Certior factus, geſtiens lætitia ad GUIDONEM abbatem currit, eique nunciat Leothericum Mainardi filium ſtare præ foribus. Eum ille introduci jubet, introductum rogat, unde tum veniret, quæque illum cauſa adduxiſſet. Cumque ille Guidoni omnia ex ordine narraſſet, hortari eum multis verbis Abbas cœpit, ut ibi ſacris beati Benedicti ſe initiaret: eſſe enim eum portum ſalutis, in quo ipſe & ſibi conſulere & alios ſuo exemplo provocare poſſet. Ne ſim longior, ſe facturum pollicetur, ſi modo ante parentes, quos jampridem non vidiſſet, viſeret. Inviſit eos, iis fere invitis, certe mærentibus revertitur, inſtitutum beati Benedicti deligit ac profitetur. In cœnobio Eleemoſynarius primum inſtitutus eſt, id eſt pater pauperum: deinde cum totum ſe contemplationi dedere ſtuderet, Anchiacum vicum, qui viginti fere millibus Cormarico abeſt, eſtque juris cœnobii, ſe recepit. Hîc dici non poteſt quam parce, ſobrieque vixerit. Nam cum ſenſui omnia ſubtraheret, quæ ad victum pertinent, tandem nihil ſibi reliqui fecit præter fructus crudaſque herbas & aquam. Jejunium autem ſibi perpetuum indixerat, corpori ſemper cilicium adhærebat; in lecto ejus nihil præter ſagum & cilicium adhibebat, non culcitram, non pulvinum. Eum talem virum ibi Deus latere noluit: miris enim, inuſitatiſque eum operibus in profligandis, curandiſque morbis ægrorum, illuſtrem, clarumque omnibus reddidit, paralyticorum membra confirmavit, cæcis aſpectum, ſurdis auditum reſtituit, denique mortuum ab inferis excitavit. Veduntam inde villam rogatu Guidonis abbatis venit, in qua templum eſt beato Petro dicatum. Eo ad illum omnium ordinum homines, ſanctiſſimæ vitæ quam gereret, opinione atque fama ducti confluebant, Pontifices, Abbates, atque etiam Cardinales, diſſimulata interdum dignitate. Exceſſit è vita in villa Vedunta *XVIII. Kal. Octobris, prima luce, anno poſt Chriſtum natum MXCIX. Cujus funeri interfuerunt Canonici fere omnes Turonenſes, Pontifex Turonum, Abbateſque permulti, aliique viri & feminæ omnium ordinum innumerabiles. Humatus eſt in cœnobio Cormariceno in ſacello beati Nicolai. Ejus ſepulcro arcus additus eſt, iſque uſque ad annum MDXLV. manſit. Multis autem poſt mortem miraculis claruit: quod etiam tumulus exeſus deraſuſque declarat.

ANN. CH. MXCIX. SEPT. XIV.

Ejus victûs ratio.

Obitus.

* Ventes.

VITA S. JOHANNIS EPISCOPI MONTIS-MARRANI IN ITALIA.

ANN. CH. M.... AUG. XVII.

Ex Ughello Italiæ ſacræ tomo 8.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

TOTAM hujus beati viri quam habemus notitiam debemus Ferdinando Ughello; qui in catalogo epiſcoporum Montis-Marrani, ſanctum Johannem ex Benedictino monacho ad hanc ſedem juſſu Gregorii ſeptimi pontificis maximi aſſumtum primum ordine recenſet, quamvis alios in hac ſede præceſſiſſe fateatur, ſed quorum nomina ſunt incomperta. Hujus beati viri Vitam olim exſtitiſſe integram obſervat idem auctor, quæ in codice hœdino *ſcripta cum aliis eccleſiæ Maranenſis cimeliis, in incendio periit, exceptis duobus foliis, quæ fragmentum infra à nobis exhibendum continebant, non ſine miraculo ſervatis. Mirum eſt Johannis noſtri nomen in Martyrologiis, quæ quidem videre nobis licuit, deſiderari, cum*

Digitized by Google

ANN. CH. M . . . . AUG. XVII. *civitatis & diœceſis Maranenſis præcipuus patronus habeatur, quo titulo ejus feſtum die 17. Auguſti in ea eccleſia colitur. Sacra ejus reliquiæ in cathedrali eccleſia, præterquam nullus eſt in urbe parochialis titulus, aſſervantur. Quo anno Johannes obierit incertum eſt. De ejus enim ætate nihil aliud reſcire licuit, niſi quod curante Gregorio VII. factus fuerit epiſcopus, cujus ideo mortem ad hujus ſæculi undecimi finem revocare viſum eſt.*

Johannes petitur in epiſc. Maranenſem.

1. CONTIGIT autem ut his temporibus Maranenſis eccleſia proprio careret paſtore, & cum fama tanti viri creviſſet, placuit Maranenſi clero, populo & domino, ut tantus ac talis vir ad eorum eccleſiam regendam paſtor eis daretur. Accepto autem conſilio à papa GREGORIO, qui tunc Salerni aderat, ad talem ſibi paſtorem perquirendum, honorifice legatos miſerunt. quos prædictus Papa benigne ſuſcipiens, præcepit, ut ibidem manerent, donec de perſona repetita inquireret, ſi ad tantum culmen conſcendendum honeſta eſſet. Sed benignus monachus columbina ſimplicitate, ut ſolitus erat, pedes apoſtolicos deoſculans, ne tantum onus ſibi imponeret, indeſinenter deprecabatur. Cui Apoſtolicus blande reſpondens, ait: Oportet nos, fili, pro fratribus noſtris multa pati, & ſicut Dominus noſter proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis præcepit & voluit immolari, ita & de hoc à nobis non eſt tibi parcendum: quia melius eſt ut lampadi aſſimileris, ut tibi amore divino ardeas, & aliis luceas; quam ut carboni aſſimileris, qui ſibi ardet, & aliis non lucet. Reminiſci etiam debes, quid beato Petro Dominus ipſe dixerit: Si diligis me, paſce oves meas. Hoc præceptum, frater, noſtrum eſt; ſi Dominum diligimus paſcamus ejus oves: quod ſi non facimus, videmur Dominum non diligere. Unde ex parte Domini tibi præcipio, ut jugum ejus diligentiſſime ſuſcipias. Videns autem JOHANNES ſe humiliter concluſum, & tanto præcepto contradicere non poſſe, omni ſuæ caritati ſe commendavit. Tunc Papa lætus effectus Beneventano archiepiſcopo miſit quemdam Cardinalium, ut præfatum Johannem pro Maranenſi eccleſia epiſcopum conſecraret, rogans atque præcipiens, ut eum benigne coleret, & ſuis amicis copularet. quod Archiepiſcopus hilari animo adimplevit. Prænominatum Johannem honorifice ſuſceptum, & voluntate & requiſitione totius populi Maranenſis eum elegit & conſecravit. Tunc Montis-Marani epiſcopus factus ſanctus Johannes, venit catervis clericorum & laïcorum ſtipatus, ſed uterque populus virorum ac mulierum catervatim fluunt, tantum Patrem ad ſuſcipiendum.

Conſecratur.

Presbyterum malum.

2. Eodem anno quamdam eccleſiam, vocabulo ſancti Laurentii, quæ intus eamdem civitatem ſita eſt, prædictus vir Dei deprecatu dominorum præfatæ civitatis dedicavit, in qua ſacerdotem quem ipſi expetierant, ejuſdem eccleſiæ in obſequium conſtituit. Sed invidus bonorum diabolus, qui ſemper ſanctæ Eccleſiæ obeſt, prædictum ſacerdotem ſuo amore exarſit in tantum, quod ſuper ipſam eccleſiam, id eſt in camera eccleſiæ, quadam cum ganea concubuit. Mirum in modum & ultra modum mirabile! confeſtim tota eccleſia illa vermibus ita plena erat, ut non valeret aliquis per eamdem eccleſiam incedere, niſi ſuper vermes. quod incolæ loci illius domino epiſcopo Johanni ſtuduerunt enarrare. Tandem dominus Epiſcopus ibidem venit, & factum quod vidit ingemuit, ſed converſus ante crucem prolixius oravit. poſtquam orationem complevit, converſus ad clerum & ad populum circumſtantem dixit: Omnes vos Domini miſericordiam implorate una nobiſcum, quatenus ſua clementia, ad quod hoc ſignum mirabile factum eſt, nobis ſuis famulis oſtendere dignetur de ejus miſericordia, propter quod ſignum iſtud oſtenſum eſt. Cujus prece divinitus exaudita, perpetratum crimen citius manifeſtatum eſt, & confeſtim devenit presbyter ille, & à ſancto Præſule perquiſitus quod fecerat, nequivit celare crimen; ſed coram omnibus confeſſus eſt quid & qualiter evenerat.

Digitized by Google

Unde nimium Præſul mæſtus de tanto crimine tam verecundanter facto Preſbyteri, illum à ſacerdotio ſuſpendit, præcipiens ei jejunia cum injuncta eleemoſyna. ANN. CH. M..... AUG. XVII. Suſpendit.

3. Tempore quo vir Dei præſul Johannes Maranenſem gubernavit eccleſiam, non ſolum de cæleſtibus, verum etiam de terrenis ad eccleſiæ incrementum pertinentibus indeſinenter ac ſtudioſe curam gerebat. Quadam die pro ejuſdem eccleſiæ opere juxta flumen Caloris cum plurimos ſecum haberet viros, de quibus alios ad incidendum ligna, alios ad evellendum cæſpites conſtituit. Erat autem nemoris denſitas, ubi hæc agebantur, non longe à ſancti Potiti, quam funditus extirpare cupiebat, ut ager ibi efficeretur, unde compendium habere poſſet, de quo pauperibus erogaret. Contigit autem eo die, ut plurimi ex caſtello Baïani illuc advenirent, qui ad peragendum illud opus eum adjuvarent. Et cum plures ibidem devenirent, videntes Dei famulum propriis manibus laborem alacriter gerere, protinus incipiebant cum eo in opere viriliter agere, & condenſa fruteta ac ſcabioſas radigines radicitus evellere. Et cum multi ad laborandum cum eo ibi adeſſent, accidit, ut eo die ei vinum deficeret. Erat autem tunc temporis in patria illa magna inopia vini, ſed quoniam laborantium membra naturaliter oporteret refocillari, cum jam hora iterum aſſumendi appropinquaret, affuit miniſter ejus, dicens: Domine, omnino vino caremus. Tunc ſanctus quemdam ſuum miniſtrum, Euſtachium nomine, accerſiri fecit, quem Montem-Maranum celeriter ire juſſit, & caſalia petere, ut ſi ad emendum, vel quomodo vinum invenire potuiſſet, quam citius veniret, & ſecum deferret. Qui cum pergeret, & quod quæſierat minime inveniret, tandem ſine vino miniſter ad virum Dei reverſus, qualiter quæſierat, & invenire nequierat, coram omnibus ei denuntiavit. Tunc ſanctus gratia Dei, ut erat repletus, ait ad eos: Etſi viteus humor nobis non eſt, adſit nobis Spiritus-ſancti gratia, qui corda ſuorum famulantium ſuo ſemper amore irrigat, & affluenter lætificat. Potens eſt enim ipſe ſuis famulis in ejus mandatis & opere conſiſtentibus gratiam & lætitiam concedere. Tunc juxta fluminis ripam præcipit homines diſcumbere, & mox hilari ut erat aſpectu, ac ſimplici corde, ſpem habens in Deum, cuidam ſuo miniſtro præcepit, dicens: Affer nobis languellam aquæ fluminis, ut operariis eccleſiæ ad potandum diſtribuamus. Confeſtim miniſter cunctis videntibus hauſta aqua fluminis, duxit eam viro Dei. Sed omnipotens Deus, qui ubique præſens eſt, & ſuos ſemper exaudit, qui Moyſen in eremo, cum populus perſtreperet, non clamantem ſed ſilentem exaudivit; ipſe vota famuli ſui prænoſcens, ac volens eum hominibus in mundo innoteſcere quanti meriti ſit potens apud Deum, ea quæ non voce ſed corde & mente poſcebat, non diu differre diſtulit, ſed citius ei conceſſit. non enim verba ſed deſideria puri cordis faciunt voces apud piiſſimas ac ſacratiſſimas aures Dei. Hinc eſt quod vir Dei præſul Johannes ſperans in Domino, hoc quod puro corde & humili mente, non loquendo ſed tacendo poſtulabat, meruit ilico divinitus obtinere. cum aqua ducta fuiſſet, mox ut eam ſanctus benedixit, & ad potandum diſcumbentibus tribuit, aqua ipſa mirifice in vinum mutata eſt. Continuo autem dum non aquæ ſed vini ſaporem guſtare cœpiſſent, inter ſe hoc valde mirantes, ac de tanto miraculo nimis ſtupefacti, præ nimio gaudio ſurgentes à menſa, proſtraverunt ſe ad pedes ſancti, cum lacrymis dicentes: Sancte vir Dei ora pro nobis. Videmus enim atque cognovimus magnum mirabile hodie, quod tuis ſanctis meritis penitus factum eſſe credimus. Quod cum ſanctus cur hoc facerent didiciſſet, ait ad eos: Viri fratres & filii, oportet nos Deum laudare, & noſtris pro delictis digna ſatisfactione miſericordiam & indulgentiam ab eo poſtulare, qui nobis hodie tanta beneficia dignatus eſt impendere. Aquam in vinum convertit.

Digitized by Google

ANN. CH. M..... AUG. XVII. *Johan.* 15.

Credo equidem in vobis ipſum manere, qui olim ſuis diſcipulis dixit: Ego ſum vitis vera & vos palmites, qui manet in me & ego in eo. Ipſe autem Omnipotens videns caritatem veſtram, & opera & fidem, & quomodo ad honorem ſui & matris Eccleſiæ commodum fideliter operati eſtis, noluit vos ſui amoris gratia inanes effici, ſed repleri. Unde hoc quod inter vos cernitis factum, non meis meritis, ſed pro vobis ideo credite factum, ut amodo & ſemper in ejus mandatis firmiter atque ſecurius permaneatis. Rogo autem vos atque præcipio, ut uſque dum hac vita fruor, hoc quod pro veſtris beneficiis vobis Deus præſtitit, ne cuiquam pandere curetis. Qui ejus monitis ac precibus conſentientes, donec vixit nemini dixerunt.

Obit. 4. Prædictus autem vir Dei præſul Johannes vitæ hujus curſum feliciter decurrens, quemadmodum ſubſequens ſermo declarabit, non multo poſt debitum carnis perſolvens, à præſente ſæculo migravit ad Dominum. Viri itaque illi poſt ejus obitum, quod geſtum eſt fideliter enarrare ſtuduerunt. Nos vero ad laudem æterni ac Salvatoris noſtri Dei, qui ſancti hujus Præſulis meritis, ejus temporibus talia dignatus eſt operari, & ad roborandum fidelium mentes, hoc quod à fidelibus nobis relatum eſt dignum ſcribere duximus. Nunc autem Sancti hujus imploremus clementiam, ut pro noſtrorum delictorum remiſſione non differat nobis conferre ſubſidium apud eum, & cui eſt honor gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

ADDENDA ET EMENDENDA.

P*Ag.* 3. *lin. antepen.* diem, *lege* annum. *pag.* 34. *lin.* 5. *ante ult. lege* XLVI. *pag.* 49. *lin. ult. lege* Lateranenſi. *pag.* 64. *nota* b. *lin.* 3. *poſt* ſorore, *adde* filius. *pag.* 67. *marg. lege* quem .... indutum. *pag.* 88. *lin.* 9. *lege* ligamina. *pag.* 104. *n.* 2. *lin.* 5. *poſt* Baptiſta, *dele comma. pag.* 136. *n.* 1. *lin.* 3. *lege* unico. *pag.* 156. *marge lege* Julii XV. *pag.* 197. *in titulo libri* 2. *lege* SEGUINO. *pag.* 248. *not.* b. *lege*, ſongia ungimen deſignat, ut videre eſt apud Cangium in Gloſſario. *Pag.* 266. *ad num.* 1. *Obſervat. in vitam S. Johannis Gualberti hac adde.* Librum de geſtis ſancti Johannis Gualberti abbatis primi Vallumbroſani monaſterii, auctore Attone ejuſdem loci abbate quarto, dein epiſcopo, ſuperius à pag. 266. edidimus, nondum accepta priori Vita, quæ ab Andrea Januenſi, ipſius Johannis diſcipulo, ſcripta dicitur apud Ughellum, qui & illius vitæ fragmentum refert tomo 4. col. 94. Poſtmodum è Vallumbroſano monaſterio accepimus librum de vita ipſius ſancti Johannis Gualberti, Andreæ Januenſi adſcriptum, ſed (ut legitur in titulo codicis, cujus copiam domnus Johannes Aurelius Caſari nobis fecit) variis centonibus contextum, qui liber non viſus eſt imprimendus: quippe qui eadem omnino, iiſdemque verbis contineat, quæ Attonis liber; nec fragmentum habet Andreæ Januenſi ab Ughello tributum. *Pag.* 286. *lin.* 7. *lege* adoratur, nulla. *p.* 345. *marg.* Roberto duci, *lege* Giſleberto comiti. *p.* 349. *marge dele* Lanfrancus. *p.* 370. *& ſeqq. lege ſemper* Criſpeienſis. *p.* 378. *lin.* 45. *lege* ſtratum. *p.* 393. *lin.* 50. *lege* Æthiopibus. *p.* 558. *n.* 2. *lin.* 29. Martio, *lege* Aprili. *p.* 449. *nota a. dele hac verba*, cujus vitam dabimus, &c. *p.* 615. *lin.* 43. Capuanam, *lege* Beneventanam. *p.* 625. *lin.* 10. 4. Februarii, *lege* 24. Martii. *p.* 666. *lin. penult. lege* petitionis. *p.* 697. *n.* 2. *poſt hac verba*, monachorum perſuaſionem. *adde*: Id habet diſerte Innocentius III. in Bulla ad Cluſinos, data anno 1216. in qua ejuſdem monaſterii eccleſiæ & poſſeſſiones fuſius recenſentur, apud Ughell. tomo 4. Ital. ſacr. col. 1435.

INDEX

Digitized by Google

INDEX HISTORICUS

PARTIS SECUNDÆ

SÆCULI SEXTI BENEDICTINI.

Littera (a) *initium paginæ uſque ad medium ;* (m) *medium uſque ad finem ;* (n) *notulas marginis inferioris deſignat.*

* *Monaſteriorum nomina & ſeries habentur ſub voce* Monaſteria.
* *Topographica vocabula Italicis typis diſtinguuntur.*

A

ABBAS puerum è S. fonte ſuſcipit. 128, a
In Abbatibus, veſtes pretioſæ damnatæ 733, a. ſint humiles. 733
Abellinus epiſc. ſuffraganeus. 31, a
Abrincenſis epiſc. Johannes. 225, &c.
Abula urbs Hiſpaniæ. 507, a
Acheruntiæ archiep. Arnaldus. 601, m
Acridæ epiſc. 76, a
Adalais marchioniſſa. 440, m. n. 146, &c.
Adalardus abbas Corbeïæ. 879, 881, 883
Adalardus abbas S. Huberti. 568, m. 569
Adalardus abbas Lobienſis. 567, m
Adalardus abbas S. Trudonis. 87, a
Adalbero epiſc. Wirzburgenſis. 428, a. 453, m. Ejus Vita, 661, & ſeqq. 722, a
Adalbero epiſc. Mettenſis. 55, a. 68, m. pater monachorum. 87, a
Adalbero II. epiſc. Mettenſis. 87, a. n
Adalbero prior Wilheimenſis. 721, m
Adam abbas Tremitenſis. 598, a
Adam diſcipulus S. Petri Damiani. 147, a
Adela comitiſſa Flandriæ. 509, a. n
Adelbertus Bremæ epiſcopus. 155, n
Adelbertus epiſc. Ratiſponæ. 740, n
Adelbertus epiſc. Wormaciæ. 450, m
Adelbertus prior Hirſaugiæ. 723, m
Adelbertus comes Calbæ. 231, & ſeqq. 717. fit monachus. 236, m. 723
Ademarus epiſc. Encoliſmæ. 868, m
Adenolfus archiep. Capuæ. 626, n
Adheleis abbatiſſa Nivellæ. 676, a
Adheleis abbatiſſa Vilecenſis. 689, m
Adheleis marchiſia in Italia. 711, 712, a
Adhelelmus abbas Caſæ-Dei, tum Burgenſis. 187, a. 218, n. Ejus Vita. 895, &c.
Adriani abbatis tranſlatio. 744. ad 769
Adventus dicitur Quadrageſima. 150, a
Aduræ epiſc. Petrus. 868, 870
Æduæ epiſc. Walterius. 35, a
Ægidii reliquiæ. 574
Ælfſtanus abbas Cantuariæ. 754, 765
Ælfvvinus abbas Rameſenſis. 755, a
Æthelberti Angliæ regis tranſlatio 757, 762. geſta. 763
Africana expeditio ſub Victore III. 615, a
Agenni epiſc. Audebertus 216, a. Donaldus. 868, m
Agnes imperatrix 428, m. 783, m. Caſini verſatur 414, m. 603, m. Papam inter & Henricum componit 429, 459, 475. Ejus nuptiæ & unctio. 2
Agoaldus abbas. 663, a
Aguirii cardinalis mors. 766, a
Ailvvius abbas Eveshamenſis. 849, a
Aimericus abbas Caſæ-Dei, tum Arvernenſis epiſcopus. 220, a. 895
Ainhardus epiſc. Wirceburgenſis. 690, n
Airaldus abbas Bremetenſis. 699, m
Alamannus monachus Caſin. 624, a
Alanus comes fundator Kemperlegii. 107
Alavenſ. epiſc. Garſias 674. Munio. ibid. n
Albæ eccleſiæ fundatio, &c. 893, m
Albanenſis epiſc. 477, m. 614, a. Petrus. 267, &c.
Albericus cardinalis, Caſinas. 625, a
Albertus epiſc. Bovianenſis. 601, m
Albertus abbas Bononienſis. 268, a
Albertus abbas Caſæ-Dei. 186, m
Albertus abbas Majoris-monaſterii. 384, m
Albertus œconomus Vallis-umbroſæ 267, m. 272, a
Albinus abbas Cantuariæ. 757, m. 758
Aldemarius abbas S. Laurentii Romæ. 597, m
Aldemarii abbatis vita. 625, & ſeqq.
Aldredus archiepiſc. Eboraci 837, 847, m. 848, 489, 853, a. Epiſc. Wigorniæ 846. Herefordiæ, 846
Alerannus abbas Silvæ-majoris. 887, a. n
Alexander II. olim Lanfranci diſcipulus 650, m. Inutilia ſcribi ſibi vetat 152, a. Dedicat eccleſiam Caſini 601. Laterani ſepultus. 414, a
Alexii exemplum laudatur. 377, m
Alexius imp. Caſino beneficus. 618, a.
Alfanus archiep. Salerni 589, m. 591, a. 624, m. Antea abbas. 590, m. 601, m
Alferius abbas Cavæ. 366
Alfonſi regis præclare geſta. 671, 901
Algelrannus epiſc. Lauduni. 534, n
Aligernus abbas Caſini. 616, m
Alinardus V. Halinardus.
Altaria lignea 860. Denudata in mœroris ſignum. 425, a
Altmannus epiſc. Pataviensſis 428, a. 449, a. 457, a. 664, m. 666, m. ad 669.
Altonus archiep. Mediolani. 430, m, a
Albricus abbas. 663, a
Amalfitani epiſc. Petrus 76, m. Archiepiſcop. 601, m
Amatus epiſcopus. 625, a
Amatus legatus ſedis Apoſt. 867. Cardinalis. 868
Ambiani epiſcopus 830, m. Alii, Guido 325. Fulco 330, m. Angelranus. 552, a
Ambroſiana eccleſia. 259, a

Ambroſianus cantus. 584, m
Ambroſius epiſc. Terracinæ. 597, m. 601, m
Anagniæ epiſc. Petrus. 601, m
Anaſtaſii monachi Vita. 487, & ſeqq.
Anaſtaſius monachus Taurinenſis. 139, m
Anatolii confeſſ. corpus. 40, a
Andreæ apoſtoli Acta martyrii. 682, m
Andreas abbas de Strumis. 268, a
Andreas abbas ſcriptor vitæ S. Johannis Gualberti. 266, m. 908.
Angelus de Nuce abbas Caſini, archiep. Roſſanenſis. 617, m.
Angelus epiſc. Aquinenſis. 594, a
Angelranus epiſc. Ambiani. 552, a
Angelrannus abbas Centulæ. 320
Angilbertus abbas Centulæ. 333, a
Angliæ regni viciſſitudines 325, 326. turbæ. 851
Angliæ epiſcoporum ſeſſionum ordo. 654, m
Angliæ regum ſepulcra. 757, & ſeqq.
Anglicanæ eccleſiæ laudes. 255
Anglicanæ cathedrales monachis firmatæ. 631, m
Angli nummos annuos ſolvunt Papæ. 848
Anglorum Orientalium epiſc. Felix 751, a. S. Mellitus. 763, a
Aniciensis eccleſia 191, a. n. Epiſcopi, Johannes 185. Pontius. 219, &c.
Anima Cara-gratia abbatiſſa Bertingæ. 752, a
Anonymi monachi Caſin. geſta. 624, a
Anno Colonienſis Archiepiſcopus 4, 457, m. 574, m. 676, a. 680, m. 683, 684.
Anſelmus epiſc. Lucæ (Alexander II.) 620, a
Anſelmus fit monachus 228, a. Prior Becci 354, 364, a. abbas Becci 340, m. 343, a. 364, 383, a. 657, 658. archiepiſc. Cantuariæ 351, a. 363, a. 630, m. 633, 634, 646, m. 657. a. 658, 659, 743, a. 753, 773, m. 819, a. Ejus cum Hirſaugienſibus neceſſitudo 723, m. An ſcripſit Vitam S. Berengarii. 775
Anſelmus epiſc. Lucæ 454, 466, m. 468, m. 611. Ejus Vita. 469, & ſeqq.
Anſelmus Leodienſis. 567, m. 568
Anſfridus abbas Pratellenſis. 133, m. 228, a
Anſo eremita. 142, m
Anſoaldis ſoror B. Theoderici. 562, m
Anſuerus & alii monachi martyres. 154
Antonius tentatur. 789, a
Antonius abbas Hirachenſis. 766, m
Anuccus Taurini epiſc. 697, m
Aphrondiſius martyr. 805, 806
Apollinaris epiſc. à S. Petro ordinatus. 260, m
Apoſtoli, qui, & quare dicti columnæ. 297, m
Apulia à Normannis vexata. 70, m. 73, 77
Aquæ benedictio. 804, m. &c.
Aquini epiſc. Angelus, Martinus 594, &c. Leo. 608, a
Arauſiacus epiſcopus. 715, m
Arbertus epiſcopus Tripolitanus. 116, a
Arbertus abbas. 192, m. 193, m
Archambaldus abbas Fuldæ 5. tum archiepiſc. Moguntiæ. 6, n
Archidiaconi plures in una eccleſia. 649, a
Ardagni abbatis Trenorchii geſta. 102
Arduinus epiſc. Lingonenſis. 39, a
Argentorati epiſc. Wernherus. 738, a
Argyrius dux Græcus. 77, m
Arianenſis epiſc. Maynardus. 601, m
Aribo archiep. Mogontiæ. 2, a. 11, m
Aribertus epiſc. Regienſis. 483, m
Armandus epiſc. Vapinci. 238, a
Armerus abbas Cantuariæ, tum epiſc. Schireburniæ. 754, a.
Arnaldus archiep. Acheruntinus. 601, m
Arnaldus epiſc. Cenomann. 387, m
Arnoldi Wionis fortuna. 504, m
Arnolfus abbas Herfeld. 137, a
Arnulfus archiepiſc. & martyr. 372, a. Turonenſis 237, a.
Arnulfus epiſc. Mettenſis. 545, a
Arnulfus epiſc. Sueſſionenſis. 885, n. Vita 502, & ſeqq.
Arnulfus epiſc. Vapincenſis. vita. 237, & ſeqq.
Arnulfus abbas Aldeborgi. 549, m. 553
Arnulfus abbas Latiniaci 805. & ſeqq. An etiam S. Columbæ abbas. 158, a. 175, & ſeqq.
Aſſiſii epiſc. Hugo. 68, n
Athala Comitiſſa. 125, m. n
Atrebatum Epiſc. Robertus. 552, a
Atto epiſc. Piſtorienſis vitæ S. Johannis Gualberti ſcriptor. 266, m. 267, m
Avarorum familia clariſſima. 140, a
Audebertus archiepiſc. Bituricenſis. 377, a
Audebertus epiſc. Agenni. 216, a
Aucenſis epiſc. Scemenius. 312, &c.
Avellinenſis epiſcopus. 601, m
Avenionenſes epiſc. Valens, Johannes 494, a. Roſtagnus. 499, m
Averſæ epiſc. Chriſtianus 442, m. Guitmundus 442, n. 633, n. Goffridus. 601, m
Auginſe opidum. 331, m
Auguſtæ epiſc. Odalricus 443, a. ſeu S. Udalricus 739, a. Wicterpus. 456, a
Auguſtinus Cantuariæ archiep. 643, a. 652, m. Ejus Tranſlatio. 742, & ſeqq.
Auguſtinus diſcipulus S. Benedicti. 618, m
Aurelianenſ. epiſc. Henricus. 552, a
Aurelianus archiep. Lugduni. 805, a
Aurelii martyris corpus. 231, a
Auriſcandus epiſc. Coriſopit. 109, a
Auſtraſiæ regnum. 65, a
Auxitanus archiepiſc. Willelmus. 868, &c.
Azelinus abbas Benedictburenſis. 722, m
Azo abbas S. Reparatæ. 276, a
Azo marchio. 173, m. & ſeqq.

B

B. ſcriptor vitæ S. Anſelmi Luc. 469, m
Baculus paſtoralis S. Roberti. 242, a
Bajoariæ epiſcopus. 134, a, m
Bajocenſis epiſc. Odo. 225, a, &c.
Baldramnus abbas Autrenſis. 52, a
Balduinus epiſc. Melfitenſis. 601, a
Baldricus abbas Burgulii. 866, 874
Balduinus abbas Caſinenſis. 608, m
Balduinus tutor Philippi regis. 325, a
Balgerus monachus Bergenſis. 114, a, &c.
Balvenſis epiſcopus 601. m. Tranſmundus. 598, m
Bambergæ epiſcopi, Suitgerus 2, m. Hermannus. 422, m.
Baptiſmus à monachis collatus. 846
Bardonis archiepiſcopi Moguntini Vita 1. & ſeqq. Chryſoſtomus dicitur. 2, m
Bardo abbas S. Albani. 32, m, n
Barenſis archiepiſcopus. 862, m
Bareſo Sardiniæ rex. 596, m. 597
Bartholomæus epiſc. Lauduni. 552, a
Bartholomæi abbatis geſta. 384. & ſeqq.
Baſilea civitas populoſa 803, a. Epiſc. Burchardus. 796, a.
Baſilius pſeudo-abbas Caſini. 620, m, 621, a
Baſſiniacenſis comitatus. 41, a
Batenſis epiſc. Giſo. 654, &c.
Beatrix Mathildis mater. 428, a. 430, a. 460, & ſeqq.
Becemannus abbas Lambaci. 667
Beda Anglorum doctor, 652, m. Ei eccleſia dicata. 850, a.
Belgotus epiſc. Sueſſion. 548, n
Bella pia ſanctimonialis. 243, a. 244
Bella-inſula Britanniæ. 107, ad 109
Bellimontis comitatus. 831, m
Bellogradenſis epiſc. Stanco. 573, m
Bellovaci epiſc. Fulco 633, m. Petrus. 552, a
Benedictus pſeudo-pontifex. 411, a
Benedictus epiſc. Mutinenſis. 483, m
Benedictus Terracinæ epiſc. 618, m
Benedicti epiſc. in Sardinia geſta. 623, m

Digitized by Google

Benedictus pater monachorum. 585, m. Sanat S. Leonem IX. 56, m
Benedict abbatis Cluſenſis vita. 697, & ſeqq.
Benedictius alter abbas Cluſenſis. 697, a. 698, a
Benedictus abbas Kemperlegii 108, m. epiſc. Namnetenſis. 109, m
Benedictus abbas S. Mariæ de Ripolis. 268, a
Benedictus monachus pius Caſin. 623, a
Benedictus eremita Vallis-umbroſæ. 267, m
Benedictus-Guaiferius monachus Caſin. 624, m
Beneventi celebris eſt Leo IX. 84, archiep. Vodelricus. 589, m
Benignus abbas Vallis-umbroſæ. 267, m
Berengarius epiſc. Venuſinus. 119, m
Berengarii monachi vita. 773, & ſeqq.
Berengarii errores. 442, m. 639, m. damnati 126, m. Eum refutavit B. Vvolphelmus 675, m. 681, & S. Lanfrancus. 632, 633. a. Concilia contra illum. 640
Bergenſis pagus. 125, m
Beringerus abbas S. Laurentii Leodii. 580
Berizo abbas S. Salvii. 275, a
Bernardus epiſc. Oſnabrugenſis. 452, a. n
Bernardus abbas & epiſc. S. Papuli. 774, a
Bernardus epiſc. Parmæ. 267, m
Bernardus abbas Majoris-monaſterii. 384, m
Bernardus abbas Maſſiliæ 428, a. 442, m. 448, m. 719, m. 720. Ejus libri de conſuetudinibus Cluniac. 780, a
Bernardus abbas S. Maximini Trevir. 679, a. 680, a
Bernardus ſcriptor vitæ S. Roberti, 183. m. 221, m Exſtat hæc vita. 208. item ſcriptor vitæ Stephani. 219, m
Bernerius abbas Trenorchii. 101, m
Berno abbas Vindocinenſis. 238, a
Berrenna abbatiſſa Portus-ſuavis. 63, m
Berta regina Angliæ. 762, m. 764, 765
Berta regina Galliæ exſul obit. 518, m
Berta abbatiſſa Vallis-umbroſ. 268, a
Berta ſcripſit vitam S. Adhelcidis. 689, m
Bertoldi Tull. epiſc. laudes. 54, m. 57, a.
Bertoldus dux Carentanus. 420, a
Bertolfus dux Sueviæ. 802, a
Bertrandus abbas S. Michaëlis de Galliaco. 186, m
Bertrandus abbas S. Juniani. 869
Bertrandus Vitæ S. Roberti ſcriptor. 184, a
Beſtiæ loquentes. 70, m. 71, a
Bibliorum verſio. 293, m
Bibliotheca Caſinenſis, 610. m. Centulenſis 332. Uticenſis. 129
Bigorræ epiſc. Hugo. 868, m
Bilibium urbs alia à *Bilbili*. 671
Biſantius archiep. Tranenſis. 601, m
Biſuntinus archiep. Hugo. 38, &c.
Bituric. archiep. Audebertus 377, m. Simon. 876, m
Blaſius martyr Leonem IX. ſanat. 65. m
Blaſius abbas in Boëmia. 46, a
Blaſius abbas S. Emiliani. 670, & ſeqq.
Bleſmot Burgundiæ caſtrum. 806, 807, a. 810, a
Bobbo abbas Fuldæ. 7, a. n
Bolonia comitatus ad Pontivos tranſit. 324, a
Bonifacius marchio in Italia. 223, 224
Bonizo epiſc. Placentiæ. 267, a
Bonizo epiſc. Sutrii. 483, m
Boſo epiſc. Santonenſis. 317, m. 868, m
Boſo abbas Becci. 343, a
Bovian epiſc. Albertus. 602, a
Boro epiſc. ex Oriente. 119, a
Brabanth pagus. 94, m. 95, m. 97. &c.
Brandricus epiſc. Dolenſis. 39, a
Branto, ſeu Bratohus, aut Brantholius Fuldæ abbas, 7. a. n.
Branlio epiſc. Cæſar-auguſtæ. 670, a. 798
Bremæ epiſc. Adelbertus. 155, m
Bretiſlai ducis pietas. 43, m. 44, 48, m
Brionenſis comes. 343, m. 355, a
Brithegus epiſc. Vvigorniæ. 844, 846, a. 855, m
Britvvaldus archiep. Cantuariæ. 761, m
Brivatenſis eccleſia. 189, 214, a
Brixiæ epiſc. Hermannus. 417, a
Brugenſis urbis origo. 504, a
Bruningus abbas. 663, a
Bruno epiſc. Herbipolis. 665, a
Bruno epiſc. Lingonenſis. 35, a
Bruno epiſc. Tulli. *Vide* Leo IX.
Bruno Cartuſianorum pater. 902, m
Bulla litteræ ſignatæ. 418, a
Bulla Lucii III. pro Caſæ-Dei abbatibus 187, m. Cæleſtini III. pro canonizatione S. Geraldi, 874. Alexandri III. canonizationis S. Theobaldi, 182. Clementis VI. de cultu S. Roberti, 183. m. V. Epiſtolæ.
Burchardus epiſc. Baſileæ. 796, a
Burchardus epiſc. Cameraci. 552, a
Burchardi epiſc. Halberſtad. conſecratio 2, m. martyrium. 457
Burchardus epiſc. Halberſtatenſis 137, m. mors ejus terribilis. 138
Burchardus epiſc. Lauſannæ. 793, m
Burchardus abbas Erphordienſis. 721, m
Burgenſis epiſcopus. 106, a
Burgundia Jurenſis, 65. a. ut ad Imp. pervenit. 37, m
Burnevilla vicus Becci. 345, m. 357. m

C

CÆSARAUGUSTÆ epiſc. Braulio. 298. a. &c.
Cæſaria recluſa Avenione. 494, a
Cadalous Parmæ epiſcop. 429, a. antipapa 423, m. 477. ejus electio. 429, a
Cajetæ epiſc. Leo 501, m. Rainaldus. 618, m
Calagurris urbis reſtitutio 301. Epiſc. Munio. 766, m
Calbæ comites advocati Hirſaugiæ. 231, & ſeqq.
Caleni epiſc. Johannes. 601, &ca
Calogienſis provincia. 127, m
Camaldulenſibus unitur congregatio Fontis-Avellanæ. 245.
Cameraci epiſc. Borgardus 552, a. Gerardus. 563, &c.
Campaniæ comites. 160, a
Campo epiſc. Draconarienſis. 601, m
Candela ad menſuram ægri. 96, a. 103, m
Cannenſis epiſc. Johannes. 602, a
Canonicorum vita communis 209, m. n. Eorum profeſſio 470, m. A Petro Damiani reformati. 259, a
Cantuarienſis eccleſia poſſeſſa à monachis 763. Archiepiſcopi, S. Auguſtinus 742, &c. Laurentius, Mellitus, Juſtus, Honorius, Deuſdedit 744, &c. Nothelmus 749, &c. Theodorus 751, &c. Lambertus, Brithvvaldus 761, &c. S. Elfegus 658, a. Willelmus, Rodulfus 659, a. Lanfrancus 351, &c. Anſelmus 351, &c. Stigandus 643, a. Tatuvinus 761, m. Stephanus 768. Thomas 769. Eorum privilegium. 755, m
Cantuaria, ibi ſedes epiſcopi S. Martini 656, a. ſeu chorepiſcopi. *ibid.* n
Cantuvallonus abbas Rotonenſis. 108, a. m. 109
Canuſinæ eccleſiæ privilegium. 464, a
Cappæ & cucullæ diſtinctæ. 233, m
Capuæ archiepiſcopus 608, m. Hildebrandus 597, &c. Adenolfus. 626, n
Cara-gratia abbatiſſa Berkingæ. 752, a
Carnoti epiſc. Joffredus 552. Ivo. 633, m
Carolomannus monachus Caſini. 622, a
Caſſiani collationes 702, m. & Inſtituta. 710
Caſtellanus epiſc. Theobaldus. 602, a
Caſtitatis profitendæ formula. 837, m
Catalauni epiſcopus 874, m. Willelmus. 552
Caydoci corporis tranſlatio. 334, a
Cencius Romæ perturbator. Ejus turris deſtructa. 423
Cenomanni epiſc. Ernaldus Wlgrinus. 387, m
Cera S. Reſurrectionis, reliquiæ. 321, m
Cereæ figuræ SS. oblatæ, appenſæ. 100, m
Cereus paſchalis. 712, m
Ceſtrenſis epiſc. Petrus. 655, &c.
Charta B. Adalberonis de fundatione monaſt. Lambacenſis 667. Plures S. Geraldi 867, 868, 870, 872,

Digitized by Google

873. Gervaſii de monaſterio Caſtri-Ledi 388, m. B. Gervini de villa Norguerias 324. V. Goderanni abbatis Malleacenſis 317, a. Guillelmi archiep. Rotomag. de S. Galterio 813, a. Hildeburgis, *&c.* pro monaſt Pontiſarenſi 835. Hugonis archiep. Rotomag pro elevatione S. Galterii 812. Petri vicecomitis Gavarrenſis 870. Richildis comitiſſæ pro S. Dionyſio Montenſi 871. Duæ Sancii regis Aragonum 872, a. Simonis comitis pro monaſterio Criſpeienſi 371, m. Altera qua idem monaſterium ſubjicit Cluniaco 372. S. Wlſtani 839. S. Wilhelmi abb. Hirſaugiæ de monaſt. Richenbach. 720, m
Chorepiſcopus Cantuariæ. 656, n
Chryſopolis V. Biſuntium, Veſontio.
Chriſtianus epiſc Averſæ. 442, m
Chunibertus epiſc. Taurini. 699, 700, 701, 708, 709, 710, 711.
Ciceſtrenſis epiſc. Stigandus. 655, *&c.*
Cinthius Urbis præfectus 423, m. Miraculis clarus. 443, m.
Ciſæ epiſcopus Hugo. 68, m
Civitatenſis epiſcop. Rogerius 601, m. Clarembaldus epiſc. Silvanecti. 552, a
Claromontenſis eccleſiæ ſocietas cum Caſa-Dei 209, a. Epiſc. Renco 186, m. Durandus 218, *&c.* Aimericus 220, a. *&c.* Unus Simoniacus. 899
Claudiopolis epiſc. Johannes. 601, a
Clemens II. papa. 38, m
Clemens VI. monachus Caſæ-Dei. 187, m
Clemens antipapa V. Guibertus.
Codiciaci domini 423, 524. caſtrum. 888, n
Colemannus ſcriptor 840, *&c.* Prior Vveſtbiri. 858, m.
Colonienſis eccleſiæ altaris privilegium 71, m. Archiep. Anno 4, *&c.* S. Heribertus 677, *&c.* Herimannus 679, *&c.* Pelegrinus 680, m. Hildolfus 683, *&c.* Seguinus. 586
Commendatio animæ moribundi. 364, m
Compendium, ibi Chriſti ſudarium. 380, a
Compromiſſum inter Henricum & Rodulfum reges. 449.
Concilium in Anglia 649, m. Ibidem 852, m. apud Pedridam 853, a. Item aliud de primatu 651. In Wentana urbe 652. Bellovacenſe 552. Beneventi 615. Burdigalæ 867, 868. Capuæ 613, m. S. Geneſii 473, m. Lexovienſe 224. Londonienſe 654. Lugduni 410, a. Mantuæ 75, a. Meldenſe 528, m. Melfitanum 593, m. Mogontiæ ſub Leone IX. 3, m. 72, m. Pariſiis contra Greg. VIII. 818. Remis ſub Leone IX. 3. m. 39, a. 72, a. 755, a. Ibidem ſub Calixto II. 547. Aliud ſub Rainaldo 633, m. Romæ ſub Clemente 38. ſub Leone IX. 39, a. m. 71, m. 640, a. 755, a. ſub Alexandro II. 283, a. 598. ſub Nicolao II. 151, m. ſub Gregorio VII. 417, 422, 432, 446, 449, 450, 475. Rotomagi 225, a. Alterum *ibid.* m. Siponti 73, m. Turon. contra Berengarium 640, a. Vercellis 107, m. 640, a. Weſtmonaſterienſe 838, a. Wigorniæ 837, m. Windreford in Anglia 643, a. 651, n. Wintonienſe 643, n. 837, m. Wormaciæ 68, a. Concilium pro electione S. Bardonis. 11. *ad* 13
Concio poſt Evangelium. 14, m. 15, a
Concubinarii clerici proſcripti 417, m. 418. *ad* 422. damnati 859, m. V. Nicolaïtæ.
Concubinæ ſacerdotum à Leone IX. punitæ. 49, m
Confeſſarius Cluniaci. 788, a
Confeſſiones, *&c.* 83, 857. *& paſſim.* Eas excipere quis poſſit 330, a. moribundorum 83, *& paſſim.*
Confeſſionis virtus. 495, m, 496, a
Conon legatus Apoſt. ſedis. 552, m
Conradi imp. pietas, ſimoniæ odium 60, m. Comitas 9, m. Sollicitudo in electionibus epiſcoporum. 11, m
Conradus abbas Hirſaugiæ. 231, m
Conradus abbas Hagheſofenſis. 722, m
Conradus ſcriptor. 675, a. 676, m
Conſtans epiſc. Venuſii. 602, a
Conſtantia Alfonſi regis uxor. 889, 900
Conſtantiæ Gallicæ epiſc. Goiffredus 654, m. ſeu Gaufridus. 225
Conſtantiæ Germ. epiſc. Gebhardus 723, *&c.* S. Conradus 739, *&c.* Otto. 417, *&c.*
Conſtantinop. epiſc. Michaël. 76, a
Conſtantinus Monomachus imp. 76, a
Conſtantinus abbas Caſin. 622, a
Conſtantinus-Africanus, Caſinas. 625, a
Conventus Auguſtæ indictus 439. non fit 441, m. Brixanenſii, ubi electus Wibertus 477, a. Cadomenſis 225, m. Forecheim. 442, 443, m. In Germania 431, a. Papiæ 431, a. Juliobonæ 226, m. Ulmæ 442, a. Wormaciæ. 68, a. 475
Converſi fratres laici 274, a. Sunt monachi 719, m. Eorum inſtitutio. 735
Corentini corpus. 399, a
Coriſopitenſis epiſc. Orſcandus, ſeu Auriſcandus 107, *& ſeqq.*
Corrinus abbas Taurini. 140, n
Cruciatæ initia. 903
Crucis cultus augetur. 258, m. 263, a
Cucullæ à cappis diſtinctæ. 233, a
Cumanus epiſc. 475, a. Rainaldus. 414, a
Cuno prior Montis-Rotgeri. 791, 792, 793, 803, m. 804.
Cyrillus Boëmiam illuſtrat. 47, m.

D

DALMATICÆ litteræ. 42, a
Dambertus archiep. Senonenſis. 552
Damianus epiſcopus. 182
Damianus Cardinalis abbas Nonantul. 483, m
Danamarchiæ rex. 71, a
Danorum adventus, falſus rumor. 521, m
Daſburgum caſtrum. 52, a
Dato epiſcopus. 663, a
Dato epiſc. Oſtunenſis ſeu Stunenſis. 602, a
Decimæ, jurgia earum occaſione. 137, m
Decretum electionis Gregorii VII. 413, m. Decretum ejus pro cauſa inter Henricum & Rodulfum reges 446, m. Ejuſdem pro Rodulfo adverſus Henricum 451, 452. Aliud in Henricum IV. 434. Concilii Anglicani de primatu Cantuarienſi, &c. 651
Dedicatio eccleſiæ Rotomagenſis 225, 226, Gemeticenſis. 226
Deonotus ſanctus. 748
Deſiderius abbas Caſini 264, 414, 453, a. *V.* Victor III.
Deus-dedit archiepiſc. Cantuar. tranſlatio, 744, *& ſeqq.*
Dienſis epiſc. Hugo. 470, &c.
Dietpoldus abbas Scafuſæ. 338, m
Dietricus abbas Petroburgi. 722, a
Diſciplinæ uſus 143, *& ſeqq.* 153, 253. a. 262, a. 263. a, 392, a. 397, m. Caſini introductus. 596
Dolenſes epiſc. Brandricus, Hugo. 391, a
Dominici Exilienſis vita. 293, *&c.*
Dominicus abbas Onniæ. 106, a
Dominicus abbas S. Salvii. 281, m
Dominicus abbas (Soræ) 608, m. 609, a
Dominicus Loricatus 246, a. Ejus vita &c. 142, *& ſeqq.*
Dominicus Prædicatorum inſtitutor. 294, a
Domnizonis verſus. 459
Donaldus epiſc. Aginni. 868, m
Dorceſtriæ ſedes Lincolniam tranſlata 767. *& ſeqq.* 371, epiſc. Remigius. 649, *&c.*
Doroberaia *V.* Cantuaria.
Dovere portus Angliæ. 114, m
Draconarienſis epiſc. Campo. 601, m
Drogo epiſc. Tarentinus. 602, a
Drogo Morinorum epiſcopus 112, a. 119, m
Drogo abbas Malleacenſis. 317, m. 867, 868
Drogo auctor Hiſtoriæ Tranſl. S. Leuvinæ. 112
Dudeco epiſc. Sumerſatenſis. 755, a
Dunſtannus archiep. Cantuar. 852, m

Durandus

Durandus abbas Caſæ-Dei, 208, n. 218, a. epiſc. Claromontenſis. 218, m. 896, a
Durannus abbas Ibriacenſis. 835, m

E

EBERARDUS epiſc. Parmæ. 467, m. 468, a
Eberhardi ex comite monachi geſta. 337, &c.
Eboracenſis archiep. cum Cantuarienſi diſſidia 650. *ad* 655. Archiepiſc. Vvlſtanus 837, &c. Aldredus 837, &c. Thomas 838, &c. Oſvvaldus 839, &c. Kynegiſus 847, m. Thomas. 633, &c.
Ebrardus comes Britolii tum monachus. 157, m
Ebreduni epiſc. Petrus, Lantelmus. 207, n. 213, m.
Ebroïcenſes epiſc. Gaufridus 341, m. Giſlebertus 355, &c. Guillelmus. 225, a
Ebroinus abbas. 663, a
Egberdus abbas Fuldæ. 31, a
Egbertus abbas Schvvarzachenſis. 662, m. 663, a
Egelſinus abbas Cantuar. 756, m
Eggehardus abbas Augiæ divitis. 338, a
Eginiskeim nobile caſtrum. 54, a
Ekkebertus abbas Lambaci. 663, a. 667
Einhardus epiſc. Spiræ. 231, m
Einhardus epiſc. Vvirceburgenſis. 662, m. 690, m
Bleſmi abbatis Vita. 895, & *ſeqq.*
Elfegi archiep. martyrium firmatur. 658, a
Elinandus epiſç. Lauduni. 572, m
Ello abbas Brunvvillerenſis. 676, a
Emerici principis pietas. 893, 894
Emilianus cucullatus 670, 671, 674, n. Ejus vita laudatur. 298
Eneconis abbatis geſta. 104, & *ſeqq.*
Engoliſmæ epiſc. Ademarus. 868, m
Epiſcopus Suffraganeus. 31, a
Epiſcopi è proprio gremio aſſumendi 58, m. Pius docto præferendus 734, m. ſit humilis. 860
Epiſtola Gregorii VII. Bertoldo & Rodulfo ducibus 420. Adalberto & uxori, omnibus Teutonicis 421. De ſua electione. Deſiderio abbati 414. Gotifredo Duci *ibid.* Ottoni epiſc. Conſtantiæ 417. Eidem 418. Conſtantienſibus 419. Adv. Henricum ad omnes 435. Ducibus, &c. Teutonicis 436. Archiepiſcopis, Ducibus, &c. de conventu Auguſtæ 439. Iiſdem 440. De cauſa Henrici & Bertoldi ad Archiepiſcopos, &c. Teutonicos 447. Alia ad Udonem archiepiſc. Trevirenſem 448. Ad Archiepiſcopos, &c. Teutonicos 450. Ejuſdem Hildebrandi ad Lanfrancum 654, a. S. Adalberonis epiſc. Herbipolis ad Altmannum Pataviensem 667, m. S. Altmanni reſponſio 668. Bartolomæi abbatis Majorismonaſterii 387. Florentinorum de convictione ſimoniacorum per ignem 283. Guillelmi abbatis Papienſis 186, m. Hariulfi ad Lambertum epiſc. 505. alia ad Liſiardum 506. alia ad Radulfum Archiepiſc. Remenſem 507. S. Hugonis abb. Cluniaci 491, m. Johannis epiſc. Abrincenſis de divinis officiis 227. S. Johannis Gualberti ad ſuos 288, m. Lanfranci ad Alexandrum II. 652. Ejuſdem ad Alexandrum II. 644, m. alia ad Stigandum epiſc. Ciceſtrenſem 649. alia Hildebrando archidiacono 654, a. Duæ Ottonis Aquitaniæ ducis 875. Sancii regis ad S. Geraldum 872. S. Vvlſtani 839, a. B. Vvolphelmi contra errores Berengarii. 681
Epitaphium S. Geraldi abbatis Silvæ-majoris 874, a. Simonis comitis. 370
Eraſmus epiſc. Segninus. 601, m. 602, m
Erchinboldus abbas Yſnenſis. 722, m
Erenfridus comes, ejus filiæ ſex abbatiſſæ. 676, a
Erizo decanus Vallis-umbroſæ. 267, m. 271, m
Erlafridus fundator Hirſaugiæ. 231, m
Ermenfredus epiſc. Seduni. 642, m. 643, 645
Ermengaudus abbas Cluſæ. 698, m
Ermengerus abbas S. Vvinoci. 112, n
Erminoldus abbas Lauriſſenſis, tum Pruveningenſis. 723, m.
Ernaldus epiſc. Cenomann. 387, m
Eſſo abbas Beinvillarenſis. 722, m
Etheldreta abbatiſſa Eligenſis. 758, a 763
Ethelvvius abbas Eveshamenſis. 849, a. n
Euchariſtiæ fides aſſeritur 681. Profeſſio fidei Normanniæ Epiſcoporum ea de re 226, m. Probatio per illam 72, m. Eam moribundus ſub utraque ſpecie ſumit die paraſceves. 823
Eucherii epiſc. Aurelian. reliquiæ, &c. 92, a. n
Everhardus archiepiſc. Trevirenſis. 68, m
Everardus Brunvvillerenſis abbas. 675, a. 676, m
Eugubii epiſc. Lodulfus 245, m. Julianus, Theobaldus, Mainardus, Johannes 246, a. Rodulfus 151, &c.
Excommunicationes caute ferendæ. 405, a. 453, m
Excommunicari anno integro beneficiis & prædiis excidunt apud Teutonicos. 441, a
Ezonii epiſc. Oſbernus. 654, m
Extrema unctio ante viaticum. 714, 715, 735, 822, & *paſſim.*
Ezzo V. Erenfridus.

F

FALCO Chronographus Trenorchii. 101, a
Fames valida in Burgundia. 102, m
Felix epiſc. Anglorum Oriental. 751, a
Felicis confeſſ. translatio. 670, & *ſeqq.*
Ferdinandus rex Hiſpaniæ. 303, 304
Ferdinandus Furſtembergius epiſc. Paderbornæ. 110, m.
Fermentaceorum hæreſis 75, m. ſcripta & graves ea de re controverſiæ. 76
Ferrutius abbas S. Emiliani. 302, n
Flandriæ turbæ. 535
Florentiæ acta in Simoniacos. 283
Florentiæ epiſc. Petrus 282, &c. Gerhardus 411, a. Robertus. 601, m
Florentini reliquiæ 179, a. Tranſlatio. 805, & *ſeqq.*
Fontis-Avellanæ Congregatio Camaldulenſi unita 245, viri ejus illuſtres. 246
Fortunius abbas Exilienſis. 294, a. 314, m
Franciſcus Harlæus archiep. Rotomagi. 813
Franco epiſc. Bellogradenſis. 573, m
Frequentinus epiſc. Marcianus. 83, m
Fridericus monachus 590, m. Cancellarius 589, m. abbas Caſini. 584, 591. V. Stephanus IX.
Fridericus abbas Hirſaugiæ 717, 718. Ejus elogium. 231, & *ſeqq.*
Friſingæ epiſc. Nizo ſeu Nicerus 74, a. n. Nilonitgerus. 783, m
Fromundus abbas Vindocini. 238, a
Frumoldus ſanctus. 689, m. 690
Fulchradius abbas Blaviæ. 869, a
Fulco epiſc. Ambianenſis. 330, m
Fulco epiſc. Bellovaci. 633, m
Fulco abbas Corbeïæ. 878, *ad* 884
Furnenſe territorium. 121, a
Furſei reliquiæ & fons Latiniaci. 179, a

G

G*Abareti* domini. 869, 870
Galardonis caſtri domini. 833, a
Galienus epiſcopus ſanctus ignotus. 65, a
Gallus abbas. 737, m
Galterii abbatis Pontiſaræ Vita. 811, & *ſeqq.*
Galterius Montacutius abbas Pontiſaræ. 813
Gandulfus epiſc. Regienſis. 467, n. 468, a
Garnerius abbas Majoris-monaſterii. 394, 402, m
Garſias rex Navarræ. 301, m
Garſias Alavenſis epiſcopus. 674, a
Garzias abbas Arlanzæ. 307, a
Garſias abbas Onniæ. 104, m. 105, a
Gaudentius abbas in Carinthia. 721, m
Gaufridus epiſc. Conſtantiæ. 225, a. 855, m
Gaufridus abbas Becci, epiſc. Ebroïcenſis. 341, m
Gaufridus epiſc. Pariſienſis. 810, m

Gaufridus abbas Silvæ-majoris. 869, a
Gaufridus Comes Vindocini monaſterii conditor. 238, m.
Gebchardus archiep. Saliſburg. 664, m
Gebchardus epiſc. Conſtantiæ 453, m. 723, a. 736, n. 801, m
Gebhardus abbas Hirſaugiæ 675, m. 717, m. 721, m. 722, 723, a. 729, n. 739.
Gebizo monachus Caſini 909, m. Ejus geſta. 622, 623
Geilo abbas Trenorchii. 102, a
Georgius de Lucerna abbas Taurini. 139, m. 140, m. n
Geraldus archiep. Sipontinus. 597, 601, m
Geraldus epiſc. Oſtiæ 262, n. 427, m. 436, m. 459. Geſta. 786, 787
Geraldus abbas S. Medardi 518, 519. Silvæ-majoris. 519, m. Ejus Vita. 866, *& ſeqq.*
Geraldus abbas Theokeſberiæ. 863, a
Geraldus Auriliacenſis. 188, m
Geraldus Cambrenſis, ſcriptor. 768, a
Geraldus de Venna ſcriptor Vitæ S. Roberti. 183, 210, m. 214, a.
Gerardus epiſc. Cameraci 563, a. 871, m. ſanctiſſimus 564, 565. m.
Gerardus epiſc. Tullenſis 55, m. Ejus canonizatio, tranſlatio, Vita. 73, m
Gerardus abbas Caſinenſis. 609, a
Gerbertus abbas S. Vvandregeſili. 223, 224, a
Gerhardus epiſc. Florentiæ, tum papa. 411, a
Germanus abbas. 45, a
Germanus epiſc. Antiſiodori 335, a. Ejus vita citatur 819, m.
Germanus eremita. 209, n
Geroïenſium familia 131, a. Uticenſis monaſt. patroni 132, 133.
Gervini abbatis Centulæ vita. 318, *& ſeqq.*
Gervinus II. abbas Centulæ. 334, m
Gervaſius archiepiſc. Remenſis. 389, a. 572, m
Gervaſius Rhedonenſis. 637, n
Gervaſius dapifer. 528, 532, a
Geſtelelenſis pagus. 537, m
Gezo epiſc. Taurinenſis. 139, a
Girbertus epiſc. Pariſienſis. 552, a
Giſelæ reginæ geſta. 893, 894
Giſelbertus abbas Erphordiæ, & Reinharzbronn. 721, m. 723, a. Haſungæ. 722, m
Giſlebertus epiſc. Ebroïcenſis. 355, a. 364, m
Giſlebertus-Criſpinus abbas Vveſtmonaſterii 340, 635, a. 646, m.
Giſo epiſc. Vellenſis 649, m. ſeu Batenſis. 654, m
Giſulfi Salernitani ducis captivitas. 367
Gocelinus monachus ſcriptor. 742, *&c.*
Godefridus epiſc. Magalonæ. 483, m
Godefridus abbas Vindocinenſis. 237, m. 238
Godefridus dux in Italia. 283, a
Godefridus dux. 414, m
Godelendis abbatiſſa Bertoldicurtis. 831, m
Goderanni epiſc. Santon. geſta. 315, *&c.*
Goffridus epiſc. Averſæ. 601, m
Goffridus epiſc. Peruſinus. 602, a
Gofridus Barbatus Majus-monaſterium vexat. 386
Goisfredus epiſc. Conſtantiæ. 654, m
Gemetius epiſcopus Burgenſis. 369, m
Gonzo abbas Florinenſis. 569
Goſcelinus archiep. Burdigalæ. 868, m
Goſlini abbatis Vita & inventio. 139, *& ſeqq.*
Gotefridus archiep. Mediolani. 430, m. n
Goteſcalcus dux, martyr. 154, m. 155, m
Gotfridus abbas Zvvifallenſis. 723, m
Gozelo dux Lotharingiæ. 65, a
Gratianopol. epiſc. Hugo. 187, a
Gregorii M. corpus Sueſſione 518, a. Ejus Paſtorale 8, a.
Gregorius major & minor, papæ. 655, a
Gregorius VI. papa 37, m. n. deponitur. 38, m
Gregorius VII. papa 481, a. 818. canonum ſuſcitator, *&c.* 706, m. Improbat quod Hugo dux fiat monachus 373. Ejus electionis decretum 413, m. Mors 611. Vita. 403, *& ſeqq.*
Gregorius abbas S. Sophiæ Beneventi. 588, m
Gregorius monachus Caſini. 609, m
Gregorius alius monachus Caſin. 624, a
Greutemaiſnilii familia. 133, a
Grimoldus ſcriptor. 670, a
Guardienſis epiſc. Petrus. 601, m
Guarinus abbas S. Arnulfi Mettenſis. 72, m
Gubertus epiſcopus. 882, n
Guchiernus abbas Kemperlegienſis. 107, a
Guedel inſula Britanniæ. 108, m
Guediani reliquiæ. 107, m
Guemnoloëi reliquiæ. 107, m
Guenhaëli reliquiæ. 107, m
Guibertus antipapa 424, a. 452, m. 463, *& ſeqq.* 474, 706, m. ejus Electio 476. hæreſiarcha. 614
Guibertus epiſc. Rubeſſanus. 602, a
Guido cardinalis. 46, m
Guido epiſc. Ambiani. 325, m
Guido abbas S. Auguſtini Cantuariæ. 742, 743, 753, m
Guido abbas Cormarici. 905
Guido abbas Pultarienſis. 807, *ad* 810
Guido comes Matiſcon. fit monachus. 374, a. 378, m
Guido comes Pontivorum 337, a. V. Wido.
Guidricus abbas S. Apri. 62, m. 63, m
Guillelmus Bona anima archiepiſc. Rotomagi. 134, a
Guillelmus Flavacurius archiep. Rotomagi. 813, a
Guillelmus epiſc. Ebroicenſis. 225, a
Guillelmus epiſc. Larinenſis. 601, m
Guillelmus epiſc. Rubeſſanus. 602, a
Guillelmus epiſc. Teanenſis. 601, m
Guillelmus abbas S. Albani. 840, m
Guillelmus abbas S. Apri. 63, m. n
Guillelmus abbas Divionenſis. 34, a. 36, a. 135, m
Guillelmus de Combornio abbas Majoris-monaſterii. 401, n.
Guillelmus Nanticenſis abbas Majoris-monaſterii. 384, m.
Guillelmus abbas Cormelienſis. 637, m. 638, a. 646, m
Guillelmus abbas S. Marini Papiæ. 186, m
Guillelmus abbas Pontiſaræ. 812, m
Guillelmus abbas Trenorchii. 102, a
Guillelmus Longa-ſpata dux Normanniæ, vult monachus fieri. 226
Guillelmus Baſtardus, *&c.* 631, *&c.* dux Normanniæ 224. Angliam obtinet. 852, a
Guillelmus-Guido dux Aquitaniæ favet Silvæ-majoris fundationi 867, *& ſeqq.* 886. V. Willelmus.
Guinizo monachus Caſini 609, m. Ejus geſta 620, *& ſeqq.*
Guitmundus epiſc. Averſæ. 442, m. 633, m
Gundiſalvus de Berſeo poëta Hiſpanus. 293, a
Gundulfus epiſc. Roffenſis 351, a. 632, a. 633, m. 646, n. 647, a. 656, 744, m. 753, m. 838, m.
Gunnildis filia regis Haroldi, monialis. 854, a
Guntherus abbas Campergenſis. 722, a
Guntramnus abbas S. Trudonis. 85, 86, a. 92, a
Gurcenſis epiſcopatus erectio. 664, n
Gurherdenus ſcripſit Hiſtoriam Kemperlegienſem. 107, m.
Gurloëſii abbatis Kemperlegienſis geſta. 107, *& ſeqq.*
Guthiernus abbas Kemperlegienſis. 107, a

H

HADRIANI papæ corpus. 408, m
Halberſtad. epiſcopi Burchardus 2. &c. Alter Burchardus 457. Haymo. 718, a
Halinardi archiepiſcopi Lugduni Vita. 34, *& ſeqq.*
Hammaburgi epiſc. Adalbertus. 3, m
Hariulſus abbas Aldemburgi 503, a. 552, 553, 554, an ſcripſit Vitam S. Arnulfi 502, *&c.* 866, 867, Chronographus Centulenſis. 318
Haroldus rex Angliæ. 846
Hartmannus abbas Tuitienſis. 686, a
Haſbania, regio. 98, a. m. *&c.*
Haymo epiſc. Halberſtat. 718, a

Digitized by Google

Haymo auctor eccleſiaſticus. 717, 718
Heilevveig abbatiſſa Nuſſiæ. 676, a
Heilevvidis matris Leonis IX. pia mors. 66, m
Helias archiep. Burdigalæ. 876, m
Helenæ imperatr. feſtum. 315, a
Helinandus epiſc. Lauduni. 885, m
Helmeanenſis epiſc. Herfaſtus. 649, m
Hemmingus ſcriptor. 837, a. 839, 843, m
Henricus archiep. Ravennæ. 264, n
Henricus epiſc. Aurelianenſis. 552, a
Henricus epiſc. Leodii. 573, m. 576, 582
Henricus epiſc. Spiræ. 234, m. 439, a. n
Henricus abbas de Bello. 351, a
Henricus abbas S. Georgii. 721, a
Henricus abbas S. Pantaleonis. 680
Henricus decanus Cantuariæ. 646, m
Henrici III. Cæſaris pietas. 38, a. m
Henrici IV. imp. cum Gregorio diſcidia. 408, & *ſeqq.* Initia, mores &c. 428, m. 474, & *ſeqq.* Deponitur 434, reconciliatur 441, 476. deponitur 452. Roma pellitur. 478, a
Henricus I. rex concedit erectionem Caſæ-Dei in abbatiam. 186, a. 196, a
Herbertus epiſc. Lexovienſis. 347, a
Herbipolenſis epiſcopus, dux eſt 665, a. Epiſc. Adalbero 661, &c. Meinhardus, Einhardus 662, &c. Bruno. 665, a
Herebertus Mutinæ epiſc. 166, &c.
Herefordiæ epiſc. Aldredus 846, n. Robertus, 863, a. Vvalterius. 654
Heremannus epiſc. Sariſberiæ. 755, a
Herfaſtus epiſc. Helmeanenſis ſeu Thesfordenſis 649, m. ſeu Norvvincenſis. 654, m
Heribertus archiep. Coloniæ. 677, m. 691, 695, a
Heribrandus abbas Leodienſis. 557
Herimannus cardinalis. 714, a. n
Herimannus Coloniæ archiepiſcopus. 71, m. 679, m. 680, m. 695, a.
Herimarus abbas S. Remigii. 72, a. 73, a
Herlucæ viſio. 455, m. 456, 458, n
Herluinus abbas Becci. 127, a. 631, 635, *ad* 648. Ejus vita. 340, & *ſeqq.*
Hermannus epiſc. Bambergæ. 422, m
Hermannus epiſc. Brixienſis. 417, a
Hermannus epiſc. Mettenſis. 422, m. 428, a. 453, m. 575, m.
Hermannus epiſc. Schireburn. 649, m. 654, m. 655, a
Hermannus epiſc. Tullenſis. 53, a. 57, a. m. 58. a
Hermannus abbas S. Pantaleonis. 675, a. 676, m. 695, a.
Hermannus-Contractus. 443, a
Hermannus marchio, tum monachus. 720, m
Hernoſtus epiſc. Roffenſis. 351, a. 633, m. 647, a. 656, m.
Herveldenſis abbas S. Bardo 1, & *ſeqq.* 10, m. Arnoldus, Rudolfus. 2, a
Herveus abbas Rotonenſis. 109, a
Heſſo Gruningæ fundator. 794, m
Heymeradus presbyter ſanctus. 722, m
Hezelinus epiſc. Scarnenſis. 693, a
Hibernia ex primatu Cantuariæ. 652, m
Hidrunti archiep. Ugo. 601, m
Hidulfus archiepiſc. Trevir. 64, a
Hieronymus lucerna mundi 97, a. tentatur. 789. a. punitur lectis profanis. 847, m
Hieronymus eremita Vallis umbroſæ. 267, m
Hilario tentatur. 789, a
Hilarius martyr. 805, 806
Hildebertus abbas Nantulliaci. 869, a
Hildeboldus abbas S. Johan. Magdeburgi. 722, m
Hildebrandus Capuæ archiep. 597, 598, m. 601, m
Hildebrandus archidiaconus R. E. 150, m. Ejus amor in monachos 285, a. affectus in Caſinates 597, 609. V. Gregorius VII.
Hildeburgis viduæ vita. 832, &c.
Hildesheim epiſcopi, Thietmarus 2, m. Godehardus, 2, m.
Hildolfus archiep. Coloniæ. 683, *ad* 686
Hilgotus epiſc. Sueſſionenſis. 505, a. 548, n. Abbas Majoris-monaſterii. 384, m
Hiſernienſ. epiſc. Petrus. 594, m
Hiſtriones puniti. 2, m.
Honeſtus epiſc. Berulanus. 601, m
Honorii archiep. Cantuar. tranſlatio. 744. & *ſeqq.*
Hoſtia in Euchariſtia. 354, m
Hoyenſe caſtrum. 576, a
Hubaldus, V. Ubaldus.
Hubertus Cardinalis legatus 645, ſubdiaconus. 652, a
Hubertus epiſc. Leodii 568, m. Ejus tranſlatio. 573, m
Hubertus epiſcopus (Sipontinus.) 882, n
Hubertus epiſc. S. Rufinæ. 274, a
Hubertus abbas S. Miniatis Simoniacus. 270, m
Hubertus epiſc Præneſt. V. Humbertus.
Hugo archiepiſc. Biſuntinus 38, a. m. 40, a. m. Chryſopolitanus. 72, a 73, a
Hugo archiep. Hidruntinus. 601, m
Hugo epiſc. Dienſis 376, m. 470, a. 528, m. 531, a. 556, a. Ejus electio miraculo comprobata 428, a. Legatus Apoſt. 868, m. Archiepiſc. Lugduni 453, 505, a. 611. m. 615, a.
Hugo archiep. Rotomag. 812, 813, a
Hugo-Blancus cardinalis. 431, m. n. 460, m, 477, a
Hugo epiſc. Bigorrenſis. 868, m
Hugo epiſcopus Ciſæ 68, m. An Piſæ, aut Aſſiſii. 68, n.
Hugo epiſc. Dolenſis. 391, a
Hugo epiſc. Gratianopolis. 187, a
Hugo epiſc. Lexovienſis 128, a. 133, m. 134, a. 225, a. 228, a.
Hugo epiſc. Lingonenſis. 39, 72, a. n
Hugones duo epiſc. Lincolniæ. 769
Hugo abbas Cluniaci 371, 373, 376, m. 380, a. 386, m. 410, m. 440, m. 428, a. 440, m. 457, n. 462, 489, m. 490, 519, m. 531, m. 585, m. 609, m. 617, m. 710, m. 720, 736, 737, a. 779, 780, 787, 790, m. 791, 803, m. 902. Ejus epiſtola 491. Elogium 532, a
Hugo abbas Lobii. 564, n. 565, 567, a. 567. m
Hugo ſcripſit miracula S. Anſelmi Luc. 486
Hugonis Burgundiæ Ducis, tum monachi geſta. 273, a, 378, m.
Hugo fundator monaſt. Cluſini. 697, 701, a
Hugo Leonis IX. frater. 69, m
Humbertus Præneſt. epiſc. 428, a. 436, m. 459, 475, a
Humbertus monachus poſtea Cardinalis 64, n. epiſc. Silvæ-candidæ 76, a. 583, m. 584, 589, m. Ejus de ordinationibus opinio 246, m. epiſc. S. Rufinæ 592, m
Humbertus abbas Malleacenſis. 316, m
Humbertus abbas Vindocini. 238, a
Humilitas abbatiſſa Vallis-umbroſ. 268, a
Hungari Imp. rebelles. 74, m
Hyems aſperrima. 576, m

I

Jacobea peregrinatio. 161, a. 214
Jambertus archiep. Cantuariæ. 761, n
Januarii monachi Caſin. geſta. 620, & *ſeqq.*
Jarento abbas Divionenſis. 187, a
Ibreenſis caſtri domini. 833
Ida abbatiſſa S. Mariæ Coloniæ. 676. a
Idalbergæ virginis tranſlatio. 114, n
Idinaeli reliquiæ. 107, m
Jejunium ante Natale Domini. 150, a. n.
Jeroſolymæ patriarcha. 862, m
Ignis ſabbato S. mire accenſus. 602, m
Imaginum cultus. 412, 413
Imperii turbæ. 666
Indulgentiarum conceſſio. 601, m. 812. m
Ingelardus abbas Centulæ. 323, m
Ingomarus abbas Kemperlegii. 110, a
Innacius epiſc. Monorbinenſis. 602, a
Innocentium reliquiæ Latiniaci. 179, a
Inſtrumentum examinis miraculorum S. Goſlini. 142
Inſula opidum Flandriæ. 535, m

Digitized by Google

Job abbas. 663, a
Joffredus epiſc. Carnotenus. 552
Johannis Evangeliſtæ laudes. 15
Johannes archiep. Neapolit. 601, m
Johannes archiep. (Ravennæ) eremita. 697, m
Johannes Abrincenſis epiſc. 225, a. Ejus epiſtola de divinis officiis 227. tum archiep. Rotomagi. 642, m. 815, m.
Johannis archiep. Surrentinus. 601, m
Johannes epiſc. Calenus. 601, m. 602, a
Johannes epiſc. Cannenſis. 602, a
Johannes epiſc. Claudiopolis. 602, a
Johannes epiſc. Eugubii. 246, a
Johannes epiſc. Juvenazenſis. 602, a
Johannes epiſc. Laudenſis 245, & ſeqq. Ejus vitæ ſcriptor. 246, a
Johannes epiſc. Megalopolis martyr. 155, a
Johannis epiſc. Montis-Marani vita. 905
Johannes Morinorum epiſc. 552, a
Johannes epiſc. Picenus. 602, a
Johannes epiſc. Portuenſis. 432, m. 601, m
Johannes epiſc. Soranus. 607, m. 608, a
Johannes epiſc. Spiræ. 725, m. 735, m. 736, n
Johannes de Compeſio epiſc. Taurini, &c. 141, m. n. 142.
Johannes epiſc Tranenſis. 76, a
Johannes epiſc. Tuſculi. 601, m. 602, m
Johannes epiſc. Vigilienſis. 602, a
Johannes abbas Cantuariæ. 757
Johannes Candoratus abbas Caſæ-Dei, tum epiſcop. Anicienſis. 185, m
Johannes abbas Fiſcamni. 223, a. 224, a
Johannis Gualberti vita. 266, & ſeqq. 908
Johannes abbas Kemperlegii. 110, a
Johannes abbas Lambacenſis. 661
Johannes à Guiſia abbas Lauduni. 866, m
Johannis abbatis Lucæ geſta. 619
Johannes de Monte-feretri 143, m. Abbas eremi. *ibid.* Prior. 144, a
Johannes abbas Onniæ. 105, m. 106, m
Johannes abbas S. Vincent. Wlturni. 610, m
Johannes monachus Caſinas pius. 583, m
Johannes eremita Vallis-umbroſæ. 267, m
Johannes Dameus ſcripſit miracula S. Eneconis. 106, m.
Jordanis abbas Caſæ-Dei. 217, m. n
Joviniacum Burgundiæ caſtrum. 178, a
Ippo preſbyter martyr. 114, m
Iſembertus epiſc. Pictavenſis. 384, m
Itta abbatiſſa S. Hillari. 266, m. 272, a. m. 273
Judex ſacri Palatii Stephanus. 149, m
Judicium divinum, ad illud provocatio. 137, m. 138
Judith comitiſſa Cornubiæ. 107, m. 108
Juliacum urbs Belgii. 574, m. n
Julianus epiſc. Eugubinus. 246, a
Ivo Carnoti epiſc. 633, m
Ivo Sagii epiſcopus. 131, m. 132, 225, a
Ivo epiſc. Silvanecti. 372, m
Juſjurandum Henrici imp. Gregorio papæ. 440, m
Juſti archiep. Cantuar. tranſlatio. 744, & ſeqq. 763
Juvarenſis archiep. V. Saltzburg.
Juvenazenſis epiſc. Johannes. 602, a

K

Kilinus Sutrii epiſcopus. 71, m. n
Kynegiſus archiep. Eboraci. 847, m

L

Lachryma Chriſti Vindocini ſervata. 239, a
Lætus abbas Paſſiniani. 272, m. 288, m
Lambertus archiep. Cantuariæ. 761, m
Lambertus epiſc. Lingonenſis. 35, m
Lambertus epiſc. Tornaci 505, m. 551, n. 552. & Noviomi. 506, m. 547
Lambertus Schafnaburgenſis fit monachus &c. 136, m. Jeroſolymam ivit. 137
Landulſus epiſc. Taurini. 139, a
Lanfrancus Becci monachus 349, a. 360, Prior Becci 133, m. 228, a. 361. Cadomi abbas 341, a. 362, a. archiepiſc. Cantuariæ 340, 765, m. 767, m. 370, a. 838, 852, 853, 861, Becci eccleſiam dedicat 352. Ejus vita. 630. & ſeqq.
Lantelmus abbas Caſæ-Dei. 187, m
Larinenſis epiſc. Guillelmus. 601, m
Latiniacum opidum. 179, a
Laudenſis epiſc. Johannes. 245, &c.
Lauduni epiſc. Bartholomæus 552, a. Elinandus. 572, m. ſeu Helinandus. 885, m
Laurentii archiep. Cantuar. tranſlatio. 744, & ſeqq.
Lauriacenſis ſeu Patavii epiſc. Altmannus 428, a. Udalricus. 457, m
Lauſannæ epiſc. Burchardus. 793, m
Lauſdunum opidum. 897, a. n
Leo IX. papa 404, m. monachus fuit 82, m. monaſt. Hirſaugienſis reſtaurationem curat 231, a. S. Bardonem inviſit 28, m. & laudat 29, m. ejus electio 39, a, confirmat erectionem Caſæ-Dei 196, a. Ejus elogium 331, a. vita &c. 49. & ſeqq.
Leo epiſc. Acridanus. 76, a
Leo epiſc. Aquinenſis. 608, a
Leo Cajetæ epiſc. 601, n
Leo Oſtienſis 624, m. à Deſiderio educatus, &c. 586.
Leonis abbatis Cavæ vita. 866, & ſeqq.
Leonis monachi viſio. 263
Leodegarius epiſc. Viennæ. 210, a. n
Leodii epiſc. Henricus. 573, m. Notgerus 558, &c. Reginaldus 564, &c. Theoduinus 567, &c. S. Hubertus 568, &c. Walcandus. 573
Leontia urbs. 154, m
Leotherici monachi Vita. 904
Leproſorum hoſpitale. 771, m
Letardi epiſc. tranſlatio. 762, m. geſta. 764, 765
Letardus abbas Becci. 341, m
Leuvinæ virg. & mart. Tranſlatio. 112, & ſeqq. 119, m. Vitæ compendium. 120
Lexovienſes epiſc. Herbertus. 347, a. Hugo 225, &c.
Libellus Rudolfi, &c. adverſus Henricum. 450
Lichefeldenſis eccleſia an Angliæ metropolis. 761, m
Liciferdenſis epiſc. Petrus. 654, m. Sedes ejus Ceſtrum tranſlata. 650, m. 655. a
Liebertus monachus Trudonianus doctus. 85, a
Lincolniæ epiſc. Remigius. 767, &c. Hugones duo. 769, a.
Lingonenſes epiſc. Bruno. 35, a. Lambertus 35, m. Arduinus 39, a. Hugo 39, &c. Robertus. 373, a
Liſiardus epiſc. Sueſſionenſis. 503, a. 506, 552, 866, 867. An ſcripſit Vitam S. Arnulfi 502, &c. ſcripſit Miracula, &c. 547
Litaniæ Gregorianæ. 485, a
Lintichericus epiſc. Vicentinus. 165, m
Lodulfus epiſc. Eugubii fundator Fontis-Avellanæ. 245, m.
Londonienſis eccleſiæ privilegium. 653, m. epiſc. Vvillelmus 649, &c. Mellitus. 747, &c.
Los, comitatus. 93, m
Lotharingia regnum. 65, a
Lotharii regis Angliæ tranſlatio. 758
Lucæ epiſc. Anſelmus. 454, &c. Rangerius 468, &c. Petrus. 474
Lucerinus epiſcopus. 601, m
Ludovici VI. regis ortus præſcitus, &c. 525, 530, 531, a. 556, a.
Lugdunum prima ſedes Galliarum. 410, a. qui Burgundiæ attributum 38, a. Archiep. Aurelianus 805, a. Halinardus 34, &c. Odelricus 37, a. Hugo 453, &c.
Luitolfus ex Comite monachus. 721, m
Luitpoldus archiep. Moguntiæ. 2, a. 3, a
Lupus abbas. 663, a

Digitized by Google

M

MAGALONÆ epiſc. Godefridus. 483, m
Magdeburgi archiepiſcopi Engelnhardus 3, m. Vverinhartus. 450, &c.
Mainardus epiſcopus. 182
Mainardus epiſc. Arianenſis. 601, m
Mainardus epiſc. Eugubii. 246, a
Mainardus epiſc. Silvæ candidæ. 591, m. 592, m
Maïolus abbas Cluniaci. 384, a. 404, m. 407. a
Malcolmus Scotiæ rex. 861, m
Malgerius archiepiſc. Rotomagi depoſitus. 224, a
Manegoldus comes 442, ejus elogium. 443
Mangoldus abbas Steinenſis. 339, a
Mannius abbas Evelham. n
Manſionaria anus. 88, a
Mantuæ epiſc. Ubaldus. 417
Maraldus epiſc. Poſtanus. 601, m
Marbodus epiſc. Redonenſis. 183, & ſeqq. 213
Marcianus epiſc. Frequentinus. 83, m
Marci Evang. reliquiæ Venetiis. 163, m. 168, a. 171, m
Marcus epiſc. Lucernenſis. 83, m. n
Marcus poëta. 601, a
Margaritæ ſanctitas. 802, m
Margarita regina Scotiæ. 747, a. 862, m
Margarita monialis Vallis-umbroſ. 168, a
Maria mediatrix, ſecundas ei reconciliationis partes Deus delegavit. 202, m. Ejus Sabbati, parvum officium 258, m. 903. Mariæ majoris eccleſia Romæ. 424, m.
Mariani-Scoti locus reſtitutus. 110, m
Marſicanus epiſc. Pandulfus. 601, m
Martinus Turon. epiſcopus. 384, *ad* 402
S. Martini epiſcopus Cantuariæ. 656, a
Martinus epiſc. Aquinenſis. 594, a. 601, m
Martinus abbas S. Dionyſii Montenſis. 887, a
Martinus abbas Gemeticenſis. 226, a
Martyrium in quo conſiſtit. 658, a
Martyrius monachus. 78, m
Maſualenſis pagus. 88, a
Mathildis abbatiſſa Didinkiricæ ac Wilicæ. 676, a
Mathildis comitiſſa. 428, 430, a. 440, m. 459, & ſeqq. 473, & ſeqq. 611. Vallumbroſanos tuetur. 267
Matthæi apoſtoli inventio. 454, a
Maurilius archiep. Rotomagi. 132, m. 133, m. 642, m. geſta. 222, & ſeqq.
Mediolanum rebellat Conrado. 57, n. Ejus eccleſiæ privilegia. 259, m. Archiepiſc. Gotefridus, Attonus. 430, m, n
Megalopolitanus epiſc. Johannes. 155
Megia poëta Hiſpanus. 293, a
Meginardus epiſc. S. Rufinæ. 471, m
Meginhardus abbas Gladbaci. 681, a
Meginhardi abbatis Hersfeld. elogium. 136
Meginheri abbatis Hersfeld. elogium. 136
Meinvvercus epiſc. Paderbornæ. 137, a
Melfitanus epiſcopus. 601, m
Melfitenſis epiſc. Balduinus. 602, a
Melliti epiſc. Londinii, & archiep. Cantuar. tranſlatio. 744, & ſeqq. 760, 763.
Meinardus epiſc. Vvirceburgenſis. 662, m
Melior eremita Vallis-umbroſæ. 267, m
Meridiana quies. 147, m
Mettenſes epiſc. Adalbero. 87, &c. Adalbero junior. 87, a. Theodericus 62, a. Theodericus 11, 91, m. n. S. Arnulfus 545, a. 547. Diodericus 14, m. ſeu Theodericus 38, a. Hermannus 422, &c. Theogerus. 721 &c.
Michaël Cerularius epiſc. CP. 76, a. m
Michaël eremita Vallis-umbroſæ. 267, m
Michaël diſcipulus S. Petri-Damiani. 148, m
Michaël imp. CP. Caſino beneficus. 608, m
Mildrethæ virg. tranſlatio. 744, & ſeqq. 755
Militia monaſteriis impoſita. 770, m
Milo epiſc. Sueſſanus. 597, m
Milo-Criſpinus ſcriptor. 630, m
Miracula ne fierent in monaſteriis à ſanctis viris petitur. 85, m. 214
Miſſa publica. 596, a
Miſſæ canon. 73, a
Mitræ uſus abbati Caſæ-Dei datus. 187, m. Regi Bohemiæ datur. 405, m
Modoëtia ubi coronantur reges Italiæ. 441, m. n
Moguntiæ eccleſiæ metropolitanæ tranſlatio. 3, a. Archiepiſc. Aribo 2, &c. Bardo 1, & ſeqq. Johannes 5, m. Archambaldus 7, a. Alii plures 12, n. Luitpoldus 2, &c. Sigefridus 431, &c. Wetzilo 732, n. Alternatim ex Fuldenſibus. 12, a
Monachi ſpreti ab aulicis. 14, m. clericalia exercent munia 846, n. in eccleſiis cathedralibus 839, &c. in Anglia 631, m. Ad epiſcopatum promoti abſtinentiam carnis ſervabant. 28, m. Monachus militum decurio. 770, m
Monaſteria, mulieres ab eccleſia arcentur. 691, m

MONASTERIA.

Abbendonia abbas, Speraver. 765, a
Abdingovenſe V. Paderborna.
Acereienſe. 254, a. 255, a
Admontenſe. 664, m. n
S. Ægidii. 573, m. n
Alanchia. 214, a. n
Albaneta. 608, m
S. Albani Abbates, Bardo 3, n. &c. Guillelmus 840, m
S. Albani in Anglia 348, n. abbas Paulus. 632, &c.
Aldemburgum 503, a. 504, 539, *ad* 557, abbates, Hariulfus 502, &c. Arnulfus 549, m. Alii abbates & illuſtres viri. 504
Almaniſcenſe. 132, a
Altorfienſe 51, m. 52, a. 54, a. 64, n. abbas Vvelicho. 722, m
Altumvillare. 315, m
Andaginenſe V. S. Huberti.
Andaonenſe V. Avinionenſe.
Andelaenſe. 51, a
S. Andreæ in Anglia, (id eſt eccleſia) 115, & ſeqq.
Angeriacum S. Johannis, abbas Odo. 868
Antuerpiæ S. Salvatoris. 742, m
Aprimons. 236, a
Arlanza S. Petri abbas, Garzias. 307, a
Aſynda, abbatiſſa Theophanu. 676, a
Athanacum. 805, a
Avenionenſe S. Andreæ abbates, Pontius 493, &c. Petrus. 494
Avenionenſe ſub Caſa Dei. 211, m. n. 219, m
Avellana S. Petri. 608, m
Augienſe 72, m, n. 231, m. abbas Berno, an S. Bardo? 2, a
Bardeneienſe. 767, m
Barralbulenſe ſub Jurenſi. 372, m
Baſileenſe S. Albani. 796, n
Beccenſe. 127, a. 340, & ſeqq. 631, & ſeqq. 833, m. 834, a. abbates Herluinus 340, &c. Letardus, Gaufridus, 341, m. Vvillelmus Boſo, Anſelmus. 343, &c.
Beinvvillarenſe, abbas Eſſo 712, m
Bella-vallis in diœceſi Sueſſion. 871, a
Bellum in Anglia 388, a. abbates, Henricus 351, a. Radulfus. 641, m
Benedictburenſe, abbas Azelinus. 722, m
Beneventanum. 622, a
Beneventanum S. Petri. 243, 244
Beneventanum S. Sophiæ 588, 589, 624, abbas Gregorius. 588, m
Bergenſe S. Vvinoci 112, & ſeqq. abbates, Rumoldus 112, &c. Ermengerus. 112, n
Bernriedenſe. 403, a
Bertingenſe 752, ſeu Berkingenſe *ibid.* r. abbatiſſa, Anima Cara-gratia. 753, a
S. Bertini. 112, n. 742, a
Bertoldi curtis 811, 831, abbatiſſa Godelendis. 831
Beſua, abbas Stephanus. 373, a. m
Bilbitanum S. Benedicti. 106, m

S. Blaſii in Silva-nigra. 723, a
Blavienſe S. Salvatoris, abbas Fulchradius. 869, a
Boccanicum. 628, a
Boleſvviler. 796, m
Bona vallis. 805, a
Bononienſe Vallis-umbroſ. 268, a
Bremetenſe, abbas Airaldus. 699, m
Breunoviæ in Boëmia. 42, a. 48
Brunvvillerenſe 676, *& ſeqq.* 681, *& ſeqq.* abbates, Everardus 675, *&c.* Ello. 676, a
Budilio. 214, a, n
Burenſe. 722, m
Burgenſe in Anglia. 837, 842
Burgenſe S. Johannis *de la Voga.* 895, *& ſeqq.* 900, *& ſeqq.*
Burgulium, abbas, Baldricus. 866, *&c.*
Cabilonenſe S. Marcelli. 373, m
Cadomenſe. 132, a. S. Stephani 341, a. 351, a. 631, 640, m. abbates Lanfrancus 631, *&c.* Willelmus. 641, *&c.*
Cadomenſe SS. Trinitatis. 631, 640, m
Calcimontis. 197, n
Calvus-mons Præmonſtratenſ. 534, n
Camaldulenſe. 271, m
Camerinenſe. 254, a
Cambergenſe S. Nicolai. 669, n. 724, m. 734, a. abbas Guntherus. 722, a
Cannienſe S. Mariæ. 299
Cantuariæ cathedrale S. Salvatoris. 632, a
Cantuarienſe S. Auguſtini. 742, *& ſeqq.* 752, 763. Abbates Guido, Hugo *ibid.* *&c.* Scollandus 743, *&c.* Armerus, Ælſtanus, Wlfricus 754, *&c.* Egelſinus 756. Adrianus 757, *&c.* Albinus, Johannes 757. Lambertus. 761, m
Capiſprinæ S. Martini. 189, n
Caprilia S. Mariæ. 268, a
Capuanum. 597, m. Caſinenſium 623, a. S. Benedicti 591, a. 610, m. Abbas Deſiderius. 590, m
Capuanum S. Laurentii. 625, a. 626. m. n. Abbas Aldemarius. *ibid.*
Caradignenſe. 370. Abbates Siſebutus 369. Stephanus. 370, a
Carennacum. 219, a. n
Carnotenſe S. Petri. 227, m. 834, a. 889, a
Caſa-Dei. 183, *& ſeqq.* 377, a. 896, *& ſeqq.* Ejus ſocietas cum eccleſia Clarom. 209, a. Ejus initia, caput eſt Ordinis. 186. Abbates S. Robertus, Seguinus, Stephanus 183, *&c.* Johannes 185, m. Albertus 186, m. Lantelmus 187, m. S. Adelelmus ſeu Eleſmus 895, *&c.* Aymericus 895. Pontius 895. Durandus 896. Jordanus. 217
Caſinenſe. 264, 583, *& ſeqq.* 590, 711, 881. Ibi uſus diſciplinæ 263, a. Abbates, Deſiderius 583, *&c.* Richerius 583. Petrus 583, *&c.* Fridericus 584, *&c.* S. P. Benedictus Petronax, Aligernus 585. Oderiſius 585, *&c.* Baldoinus 608. Conſtantinus, Simplicius, Simplicius Caffarellus 622, a. Girardus 609, a. Aligernus 616, m. Angelus de Nuce 617, m. Theobaldus 620, m. Baſilius. 620, *&c.*
Caſtri-Ledi S. Vvingaloei. 388, m
Cava. 366, *& ſeqq.* 588, m. abb. Leo, Petrus, Alferius *ibid.*
Carcaſſonenſe S. Hilarii. 699, a
Cella S. Meginradi. 232, m
Cella in Silva-nigra. 780, *& ſeqq.* 796
Cellæ S. Salvatoris abbas Sigefridus. 417, a
Centula 318, *& ſeqq.* 867, abbates Gervinus 320, *&c.* Angelramnus 320, Ingelardus 324, m. S. Richarius 327, m. Angilbertus 333, Nithardus 333, a. Ribbodo 333, m. Gervinus II. 334, m
Ceraſiacum. 322, m. 323
Cluniacenſe 132, a. 371, m. 373. a. 386, m. 404, a. 457. 531, m. 719, m. 779, 815, m. Ejus conſuetudines 798. Inſtituta in Hiſpaniam propagata 104. Societas cum Caſa Dei 609, m. Abbates, S. Maïolus 384, m. S. Odo 737, a. S. Hugo 316, *&c.*
Cluſenſe 697, *& ſeqq.* Abbates Benedicti duo, Arveus, 697, &c. Ermengaudus. 698
Colonienſe S. Mariæ, abbatiſſa Ida. 676, a
Colonienſe S. Pantaleonis, abbates Hermannus 675, *&c.* Henricus. 680
Columbenſe S. Mariæ. 834, a
Comburnium. 390, m
Coneum Vallis-umbroſ. 290, m
Confinium. 372, m
Conjunctulum. 150, a
Corbeïa 867, 877, *& ſeqq. ad* 885, abbates Fulco, Richardus 878, *&c.* Adalhardus 879, Odelricus, 882, *&c.* 331, m.
Corbeïa Saxon. abbas Ruthardus. 138, m
Cordanum inſula, abbas Stephanus. 870, a
Cormaricenſe 904, abbas Guido. 905, a
Cormelienſe, abbas Vvillelmus 351, *&c.* ſeu Guillelmus. 638, *&c.*
Cremmimſter. 665, n
Criſpeïenſe S. Arnulfi. 371, *ad* 374
S. Crucis Avantot 108, m. V. Kemperlegium.
Didinkirica, abbatiſſa Mathildis. 676, a
S. Deſiderii. 210, m. n
S. Dionyſii (in Francia) 885, m
S. Dionyſii prope Montes. 871. Abbas Martinus. 887
Divenſe. 227, m
Divionenſe S. Benigni 373, m. Reſtauratur 34. Abbates Guillelmus 34, *&c.* Halinardus 34. Jarento, 187, a.
Dolenſe, abbas, Audebertus. 377, n
Dovera. 758, a
Duncheriacum. 516, n
Duplicis-Aquæ. V. Zvvifalt.
Ebernſberg S. Michaëlis. 235, a. 236, a
Eboracenſe SS. Trinitatis. 388, m
Ebroïcenſe S. Salvatoris. 227, m
Ebroicenſe S. Taurini. 834, a
S. Ebrulfi. V. Uticenſe.
Einſidlenſe. 231, m. 232
S. Elenæ in Anglia. 837, m
Elienſe. 763. 837, a. Abbatiſſæ Sexburga, Etheldreta. 758.
Emiliani Cucullati 297, m. 298, *ad* 304, 670, *& ſeqq.* Abbates, Blaſius *ibid.* Ferrutius. 302, n
Erphordienſe S. Petri 734, a. Abbates Giſelbertus 721, *&c.* Burchardus. 721, m
Everneicurt S. Huberti. 572, m
Eveshamenſe 842, a. 850, m. Abbates, Ailvvius, ſeu Ethelvvius 849, a. Mannias. *ibid.* n
S. Eufemiæ, abbas Aldemarius. 628, a. n
Exaquium 354, n. Abbas Rogerus. 354, *&c.*
Exilienſe 304, *&c.* Abbates, S. Dominicus 293. Fortunius. 294, *&c.*
Farfenſe S. Mariæ. 75, n. 593, m
Faventinum S. Mariæ Foris-porta. 265. m
Ficiclum, abbas Petrus. 272, m. 287, m
Firmitatis ad Albam. 372, m
Fiſcamnenſe 370, a. oblat. Johannes. 223, a
Florentinum S. Johan. Evang. 268, a
Florentinum S. Mariæ 270, m. n. Abbas B. Maurilius 223, n. 224, m.
Florentinum S. Miniatis 269, *& ſeqq.* 290. Abbas Ubertus. 270, m
Florentinum S. Salvii 274, m. n. 276, 282, 283, 291, m. Abbates, Berizo 275, a. Dominicus. 282, m
Florentinum SS. Trinitatis. 269, n
Florinenſe, abbas Ganzo. 569, a
Fontis-Avellanæ. 245, *& ſeqq.*
Fon-Reinhardi. V. Reinharzbronna.
Fons-Taouls Vallis-umbroſ. 290, m
Fontanella. V. S. Wandregeſili.
Formenſe S. Angeli. 608, m
Forniolæ. 210, m. n
Fuldenſe 568, a. 569, a. Ejus privilegium in epiſcopatum Moguntinum 12, a. 13, m. Ibi plura monaſteria 9, a. n. Abbates Archambaldus 6, *&c.* Bobbo, ſeu Poppo 7, a. n. Branto, ſeu Brantholius 7, a. n

Digitized by Google

Richardus & alii 2, a. Rohingus 10, &c. An S. Bardo 2, &c. Alter Bardo, Sigibertus, Roſingus, Egbertus, Siffridus, Lulpodus, item Bardo. 2, a
Gabaretenſe S. Sepulcri 869, m. Aliud ibidem, 870, 891, n.
S. Michaëlis de Galliaco abbas Bertrandus. 186, m
Gamonienſe 254, ſeu Gamugni eremitarum. 148. m
Gandersheim abbatiſſa Sophia. 676, a
Gemeticenſe 127, 128. Dedicatio 216, abbates Theodericus Rotbertus 128, 129, Martinus. 226
S. Gemmæ apud Santones 183, m. 208, a. n. 222, a
S. Gemmæ Maj-monaſt. 400, m
S. Georgii in Silva-nigra, 724, m. 734, a. 741, abbates Henricus, Theogerus. 721, a
S. Germanæ. 372, m
S. Germani in eremo. 209, m. n
Gladbacenſe 680, abbates, B. Vvolphelmus 676, a. 680, Meginhardus. 681, a
Glavornienſe, abbas Vvlſtanus. 837, a
Gloceſtrenſe 837, a. abbas, Serlo. 854, &c.
Gorzienſe 333, a. abbas Sigifricus. 72, m
Gotvvicenſe. 665, a. n. 669
S. Gregorii in Silva-nigra. 724, 732, a. 734, a. 741
Gruninga. 780, 794, a
Gundelfingenſe. 231, m. 722, m
Gurcenſe. 664, n
Hanceniæ S. Medardi. 515, m
Haſungæ 732, a. abbas Giſelbertus. 722, &c.
Herbipolenſe S. Stephani, abbas Rupertus. 662, m
Herſfeldenſe 3, a. 136, 137, abbates Meginhardus ſeu Meginherus 136, &c. Rudolfus 137, Ruthardus. 138.
Heſſa. 51, m. 54, a
S. Hillari 266, 272, abbatiſſa Itta. 266, m. &c.
Hirachenſe, abbates Veremundus, Munio, Antonius. 766
Hirſaugienſe 717, & ſeqq. 801, m. reſtauratur 231, abbates Conradus, 231, Fridericus. 231, & ſeqq. Vvillelmus, Gebhardus. 675, &c.
Hoemburgenſe. 64, n
S. Huberti Andaginenſe 557, 569, & ſeqq. Privilegium 575, abbates Theodericus *ibid.* &c. Adelardus 567, &c. Theodericus junior. 573, m
Hugheſofenſe, abbas Conradus. 722, m
Ibriacenſe 834, abbas Durannus. 835, m
Inſulæ-Balvenſis S. Clementis, abbas Tranſmundus. 598, m.
S. Johan. Baptiſtæ in Boëmia. 42, a. 43, m. 44, 48
Iſſiodorum. 897, m
S. Juliani Caſtellion. 41, a
Junciredium. 516, m
Jurenſe 370, & ſeqq. abbas Odo. 371, m. 378
Kemperlegienſe, abbates, Gurloëſius, Guthiernus 107. Benedictus 109. Johannes, Vitalis, Vingomarus. 110, a.
Lambacenſe 661, &c. fundatio 665, a. 667. abbates, Johannes 661. Ekkebertus. 663, &c.
Latiniacenſe 158, 178, & ſeqq. 805, 810. abbas Arnulfus. 157, &c.
Laudunenſe S. Vincentii, abbates, Reginerus 885, n. S. Geraldus 885, &c. Johannes à Guiſia 866, m. S. Geraldus. 867, 868
Lavenſe in Carinthia 734, a. abbas Wezilo. 721, m
Laurishemenſe 235, a. 236, a. abbates, Poppo 7, a. Erminoldus. 723, m
S. Leodegarii. 372, m
S. Leodegarii in ſilva Leſgua. 871, a
Leodienſe S. Laurentii in Publico-monte, abbas Stephanus 569, a. Beringerus 580. Heribrandus 557, m.
S. Liberatæ. 216, a
S. Liberatoris Majell. 624, a. 627, m
Lobium 504, 557, 563, & ſeqq. abbates Urſmarus 504, &c. Richardus 563, m. Hugo 565, &c. Adelardus. 567, m
Loci-Deleti. 221, m. n
Lucenſe Caſinenſium. 597, a. 619, 620
Luceolis eremitarum. 143, m
Lutrenſe. 51, n. 52, a. 54, a
Luziacum. 210, m. n
Magdeburgenſe S. Johannis, abbas Hildeboldus. 722, m.
Majella eremitarum. 589, a
Majus-monaſterium. V. Turonenſe.
Malbodium 562, m. reformatur. 563
Malleacenſe, abbates, Goderannus 315, &c. Humbertus 316. Drogo. 317, &c.
Malvernum. 853, m
Marciniacum. 790, m
S. Mariæ. 628, m
S. Mariæ in Calena. 594, a
S. Mariæ locus. 767, m
S. Martini in Bavaria. 721, a. 734, a
S. Martini in Hungaria. 893, a
Maſſilienſe, abbas Bernhardus. 428, a. &c.
S. Maurini. 873, m
Medianenſe. 51, m. 62, m. n. 63, m
Meſcinenſe. 125, n. 509, m
Mettenſe S. Arnulfi, abbas Guarinus. 72, m
S. Michaëlis in Periculo-maris 235, a. 236, a. 489. an abbas Fulco 487. V. Mons.
S. Michaëlis in Theoraſcia, abbas Fulco. 487
Mirvvolt S. Michaëlis. 578, m
Moguntinus S. Mariæ, abbatiſſa Sophia. 676, a
Monaſterium-novum S. Andreæ prope Fuldam. 9, a
Mons-Albanus in epiſcopatum erectum. 187, a
Mons-armatus. 290, m
Mons-Peluſii in epiſcopatum erectus. 187, a
Mons S. Petri. 721, m. 734, a
Mons-Planus. 267, m
Montis Pregii. 254, a
Mons-Rotgeri, ſeu Lotgeri. 780, a. 791
Mons-ſpecioſus S. Jacobi prope Moguntiam, initia, &c. 3, a.
Moriſſortum. 811, m
Moſomenſe, abbas Rodulfus. 567, a
Motenſe. 372, m
Marciacenſe. 222, a. n. 254, a
Muſcetanum S. Petri 274, m. 277, a. abbas Rodulfus. 272, m
Nantulliacum, abbas Hildebertus. 869, a
Nerana, S. Mariæ. 290, m
Neronis-villa. 870, m
S. Nicolai in Cypro. 134, m
Nideburgenſe, abbatiſſa V. Geſila. 894
Nivellæ abbatiſſa Adheleis. 676, a
Nobiliacum S. Juniani, abbas Bertrandus. 869, a
Nonantulæ, 408, m. abbas Damianus Cardinalis. 483, m.
Noveium. 871, m
Nucertenſe, numquam extitit. 127, a
Nuſſiæ abbatiſſa Heſlevvig. 676, a
S. Odiliæ Hoëmburgenſe. 64, n
Offonis-villa S. Leodegarii. 40, m
Onnienſe 104, *ad* 107, abbates Eneco 104, *ad* 107. Garſias 104, 105, Johannes 105, 106, Ovidius 105, m. Dominicus. 106, a
S. Onufrii. 609, a
Oſellæ Vallis-umbroſ. 290, m
Ottenburenſe, abbas Vvilhelmus. 722, m
Paderbornenſe. 110, m. 111. a
Padolironenſe. 483, a
Palladium S. Mariæ. 608, m
Palma S. Nicolai. 368, a
Papienſe S. Martini, abbas Guilelmus. 186, m
S. Papuli 374, abbas Raymundus; ſimul & epiſc. Bernardus. 374, a
Parmenſe S. Pauli. 486, m
Paſſinianum 272, m. 274, m. 288, abbates Lætus 272, &c. Rodulfus. 281, a. 287, m. 291, m
Patavienſe S. Nicolai. 665, n
Patavienſe V. Nideburgenſe.
Paterniacum. 793, m
S. Pauli de Nemore. 871, m

Pennatenſis abbas Paternus 104, m. 105, a. Prior Eneco. 106, a
Perſcorenſe, abbas Brithegus. 844, n
Petershuſen 724, m. 734, a. *V.* Petroburgenſe.
Petra-pertuſa S. Vincentii. 246, a. 252, m. 253, m
Petroburgi abbas Theodericus. 722, a. *&c.*
Petroburgenſe in Anglia V. Burgenſe.
S. Petri prioratus in Anglia. 132, a
S. Petri de Generoſo. 873, m
Pica, S. Nicolai. 609, a. 615, a
Pictavenſe S. Cypriani, abbas Raynaldus. 869, a
Pirenſe S. Huberti. 572, 577, m. 578, m
Piſenſe S. Pauli. 290, m
Piſtoria S. Angeli. 290, m. 292, m
Pomaretum ſub Silva-majori. 892, n
Pompoſianum. 253, n
S. Pontii Tomeriarum. 901, m
Pontiſarenſe S. Martini 811, *&c. ad* 835. Abbates Galterius, Theobaldus 811, *&c.* Guillelmus 812, m. Montacutius. 813, a
Portus Dei. 211, a. n
Portus-ſuavis, ibi abbatiſſa Berrenna. 65, m
Pratellenſis abbas 133, m. Ausfridus. 218, a
Pratum-Cardoſum. 609, a
S. Privati. 220, m. n
Privazacenſe. 216, a
S. Procopii in Boëmia. 41, m. 48
Prureningenſe, abbas Erminoldus. 723, m
Pulchrada. 34, m
Pultariæ 810, a. abbates Guido 807, *&c.* Humbertus, Hilgaudus. 807, n
Raculfenſe. 758, a
Ramesenſe 752, m. 753. abbas Ælfruinus 754, 755, a
Rateborch S. Georgii. 155, a
Ratiſponenſe S. Emmerammi 235, m. 718, m. 725, m. 740, m.
Ratiſponenſe virginum. 786
Razolenſe S. Pauli 274, m. 279, 280, 291, a. abbas Teuzo. 274, a. *&c.*
Regula. 317, m
Reinharzbronnenſe, abbas Giſelbertus. 721, m. 723, a
Remenſe S. Remigii 316, 331, a. 334, m. 370, m. 371, a. 372, m. 755, a Ejus eccleſiæ dedicatio 72, a. abbas Herimarus. 72, *&c.*
S. Reparatæ in Romania 274, m. abbas Azo. 276, a
Reſbacum. 814
Reygradenſe in Boëmia. 42, a
S. Richarii. V. Centula.
Richenbach 720, m. abbas Giſelbertus. 723, a
Ripolenſe S. Mariæ. 268, a
Roboreta. 372, m
Rocha-Paula. 219, n
Romanum S. Laurentii Foras-muros, abbas Aldemarius. 597, m
Romanum in monte Aventino. 408, m
Romanum S. Pauli 404, m. abbas Hildebrandus. 409
Romanum S. Priſcæ. 237, 238, 240, 404, m
Romanum Saxonanum. 51, a
Roſta in Aragonia. 872, a
Rothenſe. 721, a
Rotomagenſe de Bono-nuntio. 341
Rotonenſe S. Salvatoris 108, 759, m. n. abbates Cantuvallonus 108, *&c.* Herveus. 109, a
Rozacenſe, abbas Sigevvinus. 721, *&c.*
Rugianenſe S. Nicolai. 870, a
Sagienſe S. Martini. 131, m. 132, a. 133, 134, a
Salernitanum S. Benedicti 594, a. abbas Alfanus 590, m. Petrus. 597, m
Salernitanum S. Laurentii. 594, a
S. Salvatoris in comitatu Aretino. 287, a
In Sardinia duo excitantur. 597
Sarmaſienſe. 372, m
Saxo-fontana. 34, m
Schaffuſenſe 231, m. 337, 457, n. 723, a. 724, m. 734, a. Abbates, Sigefridus 722, *&c.* Dietpoldus. 338, m.
Schaffuſenſe virginum S. Agnetis. 339, m
Scalarii-montis S. Caſſiani. 274, m. 280, m. 281
Scapeia in Anglia. 758, a
Schonreinſe. 721, a
Schuvabenheim. 338, a
Schvvartzachianum. 422, n
Schvvarzachenſia tria 662, m. abbas Egbertus. *ibid.*
Sedes-meri ſub Silva-majori. 870, m
Senonenſe S. Columbæ. 157, m. 805, m. 807, m
Septimenſe 276, a. 283, a. S. Salvatoris 284, m. 285
Servium ſub Silva-majori. 890, n
Sigeburgenſe, abbates B. Wolphelmus 676, a. 680, m. Reginhardus. 695, a
Silenſe. V. Exilienſe.
Silva major 519, a. 866, *& ſeqq.* Ejus exemtio 869. Initia 886, *& ſeqq.* Abbates, S. Geraldus, Petrus, 866, *&c.* Alerannus. 887, n
Silva-major virginum. 892, n
Silva-rubra. 372, m
S. Silvani. 213, a. n
Silviniacum. 374, a
Sophena S. Salvatoris. 290, m
Stabulenſis, abbas S. Poppo. 676, a. *&c.*
Steinenſe S. Georgii, abbas Mangoldus 339, a
Stouv in Anglia. 767, m
Strumenſe S. Fidelis. 268, a. 290, m
Studium C P. 76, m
Suavicini montis Eremitarum. 147, a
Sueſſionenſe S. Medardi 502, *ad* 557, elogium 513, a. Abbates, Arnulfus 502, *&c.* Renaldus 511, *&c.* 513, m. Pontius 513, *&c.* Geraldus. 518, *&c.*
Svvarzaha, abbates recenſentur. 663, a
Taveſtozenſe, abbas Aldredus. 846, n
Taurinenſe S. Andreæ ſeu B. Mariæ de Conſolatione, 139, m.
Taurinenſe S. Solutoris fundatio *&c.* abbates, Romanus, Goſlinus 139, Georgius de Lucerna 139, *&c.* Corrinus. 140, n
Terræ-majoris. 598, a
Theatinæ provinciæ multa. 628
Theokesberia, abbas Geraldus. 863
Trajectum in Aquitania. 869, n
Tremitenſe 589, a. abbates Adam, Tranſmundus. 598
Trenorchii abbas S. Ardagnus 102, Geilo, Guillelmus 102, a. Bernerius. 102, m
Trevirenſe S. Maximini abbates Bernardus. 679, a
Troarnenſe. 132, a
S. Trudonis 87, a. abbates, Rodulfus, Guntrannus 85, *& ſeqq.* Rejinerus 87, a. Adalardus. 87, a
Tuitium, 692, a. abbas Hartmannus. 686, a
Tullenſe S. Apri 57, a. abbates Guidricus, 63, *&c.* Guillelmus. 63, m
Tullenſe S. Manſueti. 62, 63, m
Turonenſe Majus-monaſterium 75, m. 384, 816, a. laudes 391. abbates Bartholomæus 384, *& ſeqq.* Albertus, Bernardus, Hilgotus & Guillelmus 384, m. Galbertus 385, m. Garnerius 394, *&c.* Guillelmus 401, m. Odo. 402, m
Vaïanum Vallis umbroſæ. 290, m
Vallis de Lacu S. Petri. 609, a
Vallis-lucis Caſin. 584, a
Vallis-umbroſa 266, *& ſeqq.* Abbates & viri illuſtres. 267, 272.
Vangadicia 157, a. 172, Abbas Petrus. 156, *&c*
Veneris S. Johannis. 591, m
Venuſinum SS. Trinitatis, abbas Berengarius. 129, m
Veronenſe S. Salvatoris. 171, a
Veſullum S. Georgii. 40, m
Veteris-Budæ fundatio. 893, m
Vicentinum SS. Felicis & Fortunati. 157, a
Vicentinum S. Petri. 164, n
Villingæ S. Georgii. 721, a
Vindocinenſe 237, *& ſeqq.* 404, m. Ejus abbas eſt Cardinalis 237, abbates Odericus, Godefridus 237. *&c.* Berno, Fromundus, Humbertus. 238, a
Virdunenſe S. Vitoni 320, abbas Richardus 320, *&c.* Vvaleſannus. 567, a
Vironium. 387

Vizeliacum,

Vizeliacum, abbas Pontius. 697, m
Ulterior-portus S. Michaëlis. 227, m
Uſerceenſe. 873, m
Winoci *V.* Bergenſe.
Uticenſe S. Ebrulfi 341, a. Reſtauratio *&c.* 127, *& ſeqq.* Ibi viri illuſtres 128, m. 129, a. Ejus bibliotheca 129, abbates, Theodericus 128, *&c.* Robertus 134, Osbernus. 225, *&c.*
S. Wandregeſili abbas Gerbertus. 223
Wangionum-rivi S Stephani. 40, m
Weſtbiri, prior Colemannus. 858, m
Weſtmonaſterium 837, a. 838, a. Dedicatio. 747, a. abbas Giſlebertus-Chriſpinus. 340, *&c.*
Wigornienſe cathedrale. 837, m. 839
Wilheim. 721, m. 734, m
Wilicæ abbatiſſa Mathildis 676, a. Adheleis. 689, m
Wlturni S. Vincentii abbas Johannes. 620, m.
Woſenheim S. Crucis 51, m. 52, a. 54, a. abbatiſſa Regelvvidis. 66, a
Yſnenſe, abbas Erchinboldus. 722, m
Zvvifaltenſe, 724, m. 734, a. abbas Notgerus 721, *&c.* Gotfridus. 723, m
Monaſterium in prædio B. Rodulfi. 152, a
Moniales è clauſtro exeunt. 382, a
Monopolitani epiſc. Petrus. 602, a
Monorbinenſes epiſc. Innacius. 602, a
Montis Buxerii domini. 697, m
Mons-Deſiderii oppidum. 375, n
Montis-Gomerici domini. 131, a
Montis-Marrani epiſc. S. Johannes. 905
Morinorum epiſc. Johannes. 552, a
Moribundo veſtis monaſtica data. 395, m
Mortuorum peregrinationes 75, m. Unius mira reſurrectio. 228, m
Moſellacenſis provincia. 87, a
Mulieribus interdicta eccleſia S. Laurentii 747, a. & Monaſteriorum. 691, m
Munio Alabenſis epiſcopus. 674, n
Munio epiſc. Calagurri. 766, m
Munio abbas Exilienſis. 304, n
Munio abbas Hirachenſis. 766, a
Muſica recreatur S. Auguſtinus. 71, a
Muſivorum ars inſtaurata. 600
Mutinæ epiſc. Benedictus 483, m. Herebertus. 166, a. n. 214. n.

N

N*Amen*. 97, a
Namurcenſis comitatus. 95, m
Nannetenſis epiſc. Benedictus. 109, m
Narniacus pagus. 95, a
Neapolis Archiep. Johannes. 601, m
Nicetas Pectoratus monachus CP. 76, a
Nicolai pueruli jejunium 878, a. tranſlatio. 614, a
Nicolaus II. papa. 259, m
Nicolaus epiſc. Termulenſis. 601, m
Nicolaus prior Vvigorniæ 858, *& ſeqq.* Elogium. 861
Nicolaitæ invaleſcunt Mediolani 259. In Tuſcia 268, 270. V. Concubinarii.
Nilo epiſc. Friſingæ. 783, m
Nitgerus epiſc. Friſingæ. 783, *ad* 785
Nithardus abbas Centulæ & comes. 333, a
Nizo ſeu Nicerus epiſc. Friſingæ. 74, a. n
Nolanus epiſcopus. 601, m
Normanniæ duces. 343, m
Normanni primum litteris vacant 633, a. Apuliam perturbant. 73. Eorum crudelitas, *&c.* 77
Noreganorum rex Haraldus. 851, a
Norvvincenſis epiſc. Herfaſtus. 654, *&c.*
Notgeri epiſcopi Leodii obitus. 558, 561, a
Notgerus abbas Zvvifaltenſis. 721, m. 723, m, 736, n
Nothelmus archiep. Cantuariæ. 749, m. 761
Noviomi epiſc. Lambertus. 506, *&c.*

O

OBLATÆ miſſales in ferro coctæ. 11, m
Oblati in monaſteriis. 719, m
Odalricus epiſc. Patav. V. Udalricus.
Odelricus archiepiſc. Lugduni. 37, a
Odericus abbas Vindocinenſis. 237. *& ſeqq.* 317, a. 404, m.
Oderiſius cardinalis 594, a. abbas Caſini 585, m. 591, a. 616, a. 624, a. Ejus geſta. 618
Odilo abbas Cluniaci. 67, a. 104, a. 105, a
Odo epiſc. Bajocenſis. 225, a. 632, m. 648, m. 649, a. 759, a. 852, m.
Odo epiſc. Oſtiæ. V. Urbanus II.
Odo epiſc. Tulli. 74, n
Odo abbas Cluniaci. 737, a
Odo abbas S. Johannis Angeriaci. 868, m
Odo Caſtellioneus abbas Latiniaci. 805, m
Odo abbas Majoris-monaſterii. 402, m
Odo comes Campaniæ. 64, m. n. 65, a
Odo S. Theobaldi ſocius. 165, 169, *& ſeqq.*
Offæ abbatiſſæ geſta. 243, *& ſeqq.*
Oiretanus, an Oriſtanenſis, archiepiſcopus. 601, m
Oratio Gregorii VII. ad ſynodum. 433
Orba mediolanenſe opidum. 61, a n
Orcadum inſulis datus epiſcopus 655, m. Radulfus 838, m.
Ordinandorum caſtitatis promittendæ formula 837, m
Orlandus converſus Vallis umbroſæ. 267, m
Oſbernus epiſc. Exonienſis. 654, m
Orſcandus epiſcopus Coriſopitenſis. 107, 108, 109
Oſnabrug. epiſc. Bernardus. 452, a. n
Oſtiæ epiſc. Geraldus 427, *&c.* Otto ſeu Odo 453. *&c.* Leo Marſicanus 583, *&c.* Petrus-Damiani. 257, *&c.*
Oſtunenſis epiſc. Dato. 602, a
Oſvvaldus archiepiſc. Eboraci. 839, 845, a. 852, a. 859, a.
Oſvvaldi regis tranſlatio. 114, n
Oſvvenda ſancta. 689, m. 690
Otto epiſc. Conſtantienſis. 417, 418, 419
Otto epiſc. Oſtienſis. 453, 611, m. 613, a. 614, a. 616, a V. Urbanus II.
Ottonis Aquitaniæ ducis epiſtolæ. 875
Ovidius abbas Onniæ. 105, m

P

PADERBORNÆ urbis incendium 110, m. 111, a. Epiſc. S. Meinvvercus 137, a. Rodulfus *ibid.* &c. Ferdinandus Furſtembergius. 110, m
Paduanus epiſc. 477, m
Pallia duo Lanfranco conceſſa. 650, m
Palumbus epiſc. Soranus. 601. m
Pampilonæ epiſc. Petrus. 901, m
Pandulfus epiſc. Marſicanus. 601, m
Papæ licentia ad confeſſiones audiendas 330, a. Ejus defuncti ſupellex diripitur. 81, a
Papienſis conventus. 431, m
Pariſiis ſtudia florent. 664, m
Pariſienſes epiſc. Girbertus 552, a. Gaufridus, Guillelmus 810, Theobaldus. 812, *&c.*
Parmæ epiſc. Bernardus 267, m. Eberardus 467, *&c.* Cadalous. 429, *&c.*
Patavii epiſc. Altmannus 428, *&c.* Udalricus 457, m
Paternus abbas Pennatenſis. 104, m. 105, a
Paternus recluſus Paderbornæ. 109, *&c.*
Paulennani reliquiæ. 107, m
Paulinus diſcipulus S. Benedicti. 618, m
Paulus abbas S. Albani. 632, a. 656, m
Paulus Bernriedenſis ſcriptor. 403, a
Penna ad ſcribendum. 382, m
Pennenſis epiſcopus. 601, m
Peregrinationes mortuorum. 75, m
Peruſini epiſc. Goffridus. 602, a
Peſtani epiſc. Maraldus. 601, n
Petracoric. epiſc. Vvillelmus. 868, m
Petronax abbas Caſini. 585, m
Petri & Pauli reliquiæ. 736, 737
Petrus archiep. Amalfitanus. 76, m
Petrus epiſc. Adurenſis. 868, *&c.*

Digitized by Google

Petrus Ignitus epiſcopus Albanenſis. 267, m. 272, m. 291, a. 428, a. 449, a. 473, m. Ignis probatione mire Simoniacos convincit 285, 286. Fit abbas, tum epiſcopus. 287
Petrus epiſc. Anagninus. 601, m
Petrus epiſc. Belvacenſis. 552, a
Petrus epiſc. Benefranus & Hiſerniensis. 594, m. 602, a
Petrus epiſc. Burgenſis. 106, a
Petrus Ceſtrenſis epiſcopus. 838, m
Petrus epiſc. Florentiæ 271, n. Violentia ejus in Vallumbroſanos 282. Simoniæ convincitur 283. deponitur. 287, m
Petrus epiſc. Guardienſis. 601, m
Petrus Liciferdenſis epiſc. 654, m. Ceſtrenſis 655, a. 656, a.
Petrus invaſor eccleſiæ Lucenſis. 474
Petrus Monopolitanus epiſc. 602, a.
Petrus-Damiani 596, a. 610, a. Epiſc. Oſtiæ 602, a. Ejus epiſtola de Vita BB. Rodulfi & Petri 152. ſcribit geſta B. Dominici Loricati 142. Ejus Vita 245, *& ſeqq.*
Petrus epiſc. Pampilonæ. 901, m
Petrus epiſc. Piſtorienſis. 267, m
Petrus epiſc. Tuſculi. 592, m
Petrus abbas Avinionenſis. 494, a
Petrus abbas Cantuariæ. 763, m
Petrus abbas Caſini 590. geſta. 583, 584, 620, m
Petrus abbas Cavæ. 366, a. 368, n
Petrus abbas Salerni Cardinalis. 597, m
Petrus abbas Silvæ-majoris. 866, 874, 875, 890
Petrus Vangadiciæ abbas 156, m. 166, a. 169, *& ſeqq.* auctor Vitæ S. Theobaldi. 169, a
Petri eremitæ geſta. 151, 152, *&c.*
Petrus de Monte plano Vallis-umbroſæ. 267, m
Petri monachi viſio. 264, a
Petrus Diaconus Chronicum Caſinenſe proſequitur. 608.
Petrus Bringerius ſcriptor de rebus Caſæ-Dei. 184, a
Petrus-Palagii comes Galiciæ. 311, a
Philippus rex Francorum. 817
Philippus Bonæ-ſpei abbas. 660, m
Picenus epiſc. Johannes. 602, a
Pictavenſis epiſc. Iſembertus. 384, m
Piſæ epiſc. An Hugo. 68, n
Piſtorienſes epiſcopi, Atto 266, m. Petrus. 267, m
Placentiæ epiſc. Bonizo. 267, n
Pœnitens catenis conſtrictus. 47, a. 167, m
Pœnitentiæ imponendæ ritus. 376, a
Pœnitentiæ diſciplinis redemtæ. 145
Pœnitentiarius eccleſiæ Lucenſis. 469, m
Polunniatenſis vicecomes. 216, m. 217, n
Pontivi comitum origo & ſeries. 323, 324, a
Pontii abbatis Avenionenſis vita. 493, *& ſeqq.*
Pontius abbas Caſæ-Dei 219, m. 895, m. Tum Epiſc. Anicienſis. 219, n. 220
Pontius pſeudo abbas S. Medardi. 513, m. 518
Pontius abbas Vizeliaci. 697, m
Pontum caſtellum. 810, m
Poppo Archiep. Trevirenſis. 63, a
Poppo abbas Fuldæ 7, a. ex Lauriſhamenſi. *ibid.* n
Poppo abbas Stabulenſis. 565, 566, 676, a
Porcenſis comes Rogerus. 534, m
Portuenſis epiſcopus. 614, a. Johannes. 432, *&c.*
Præneſtini epiſc. Humbertus 436, *&c.* ſeu Ubertus. 459.
Pragæ epiſc. Severus. 41, m
Primi & Feliciani mart. reliquiæ. 169, a
Probationum uſus 784, a. reliquiarum igne 323, a. Simoniæ 282. per corpus Chriſti 72, m. per aquam 501, m. per ignem 801, m. rejecta. 283, a. m
Proceſſiones poſt Chriſti Aſſcenſionem. 43, m
Procopi abbatis in Boëmia Vita, *&c.* 41, *& ſeqq.*
Profeſſio Thoma Eborac. eccleſiæ Cantuariæ. 651
Pruvinum caſtrum. 160, a. 178, m
Pſalmus catholicæ fidei. 147, m
Pſalterium defunctorum. 147, m
Pſeudunum caſtrum. 805, a. 807, a
Pueri in monaſteriis educati. 132, m
Putina urbs famoſa. 664, a

Q

QUADRAGESIMÆ tempore arma non ferebantur. 446, a
Quadrageſima ante Natale Domini. 150, a
Quadrata religio. 456, m
Quinizo monachus. 622, m

R

RABODUS epiſc. Sagienſis. 641, n
Rabodus epiſc. Tornaci. 504, m. 539, 556, m
Raciſburgi martyres monachi. 154, 155
Radulfus-Viridis archiep. Remenſis. 534, m. 507, a. 547, m. 552, m.
Radulfus Orcadum epiſc. 838, m
Radulfus abbas de Bello. 641, m
Radulfus Geroi filius monachus 384, m. V. Rodulfus.
Raimundus epiſc. Vaſatenſis 868, m. Raimundus comes Toloſæ. 215, m. n
Rainaldus Cajetæ epiſc. 618, m
Rainaldus epiſc. Cumæ. 414, a
Rainaldus abbas S. Cypriani Pictav. 869, a
Rainaldus abbas Vindocinenſis. 238, n
Rainaldus abbas *V.* Renaldus.
Randiſcius monachus Caſini. 609, m
Rangerius epiſc. Lucæ. 468, m. 469, m. 470, m
Ratiſponæ epiſc. Adelbertus &c. 740, n
Ravennæ archiepiſcopi contumacia. 74, a
Ravennæ archiep. Henricus 264, n. Johannes 697, m. Guibertus. 424, *&c.*
Redigaſt idolum. 155, a
Redonenſis epiſc. Marbodus. 183, *&c.*
Regelvvidis abbatiſſa Vvoſenheim. 66, m
Regienſes epiſc. Aribertus 483, n. Gandulfus. 467, *&c.*
Reginaldus epiſc. Leodii. 564, m
Reginhardus abbas Sigebergenſis. 695, a
Rejinerus abbas S. Trudonis. 87, a
Religionis quadratæ inſtitutio. 456, m
Reliquiæ pulvis Sepulcri SS. 549, Lateres &c. 752, *&c.* Cera S. reſurrectionis. 321, m
Reliquiæ ſanctorum ad Concilium advectæ. 225, m
Remenſis eccleſia Galliæ Hierarcha, ejus laudes 319, a. 506. a. 507. a. Dejectio 541. a. Ibi educatus Urbanus II. 902
Remenſis curialitas 511, m. primatus. 507, m
Remenſes archiep. S. Remigius, 39, *&c.* Gervaſius 572, *&c.* Radulfus 507, *&c.* Samſon. 812, m
Remigii miraculum 72, m. Tranſlatio 39, a. ſuburbium Remenſe, 160, m
Remigius epiſc. Lincolnii, ſeu Dorceſtr. 649, m. 654, m. 854. a. Ejus vita. 767, *& ſeqq.*
Renaldus abbas S. Medardi. 511, m. 513, m. 555. m
Renco epiſc. Claromontanus. 186, m. 196, a. 209, a
Ribbodo abbas Centulæ. 333, m
Richardis elevatio. 51, a
Richardus epiſc. Virduni. 38, a
Richardus abbas Corbeïæ. 878, a, n. 882, n
Richardus abbas Fuldæ 8, *& ſeqq.* ejus modeſtia. 12
Richardus abbas Maſſiliæ. 615, a
Richardus abbas S. Vitoni 735, m. 319, m. 320, 563, m. *ad* 569, Lobii. 563, m. 564
Richarius abbas Centulæ. 327, m
Richerius Senonum archiepiſcopus. 178, a. 870, m
Richerius abbas Caſinenſis. 585, a. 593, a. 606, m. 618, a.
Richeza Poloniæ regina. 676, a. 683
Riontii domini. 867, 869, 886, 891
Robertus archiepiſc. Rotomagi. 225, a. m
Robertus epiſcopus. 882, n
Robertus epiſc. Atrebat. 551, a

Robertus epiſc. Florentiæ. 601, m

Robertus epiſcopus Herefordiæ. 859, a. 863, a. 864

Robertus epiſc. Lingonenſis monachus. 373, a

Robertus abbas. 129, m

Robertus abbas Caſæ-Dei 895, 897, 898. Ejus vita. 183, *& ſeqq.*

Robertus abbas Gemetici. 128, a. 129

Robertus abbas Uticenſis. 134, a. 135. m

Robertus monachus S. Michaëlis multa ſcripſit. 489, n.

Robertus Apuliæ dux. 478, a

Robertus-Viſcardus, bonus princeps. 592, m

Robertus comes Aucenſis. 227, m

Robertus comes Arvernorum. 218, a

Robertus Flandriæ comes. 535

Rodulfus archiep. Cantuariæ. 659, a

Rodulfus archiep. Turonenſis. 390, a. 868, m

Rodulfus epiſc. Eugubii. 143, a. 246, a. Ejus Vita &c. 151, *& ſeqq.*

Rodulfus abbas Herſfeldenſis, tum epiſc. Paderbornæ. 137, a. 268, m.

Rodulfus epiſc. Tuderti. 288, a

Rodulfus abbas Moſomi. 567, a

Rodulfus abbas Paſſiniani. 281, a

Rodulfus abbas S. Trudonis. 85, a

Rodulfus abbas ord. Vallis-umbroſ. 267, m. 272, m. 277, a.

Rodulfus abbas Vallis umbroſæ. 289, m. 290

Rodulfus ſcriptor. 895

Rodulfus rex Jurenſis Burgundiæ. 65, a

Rodulfus dux Sueviæ 420, a. Fit Rex 444, m. 451, m. 476, m. à Papa confirmatur 452. V. Radulfus.

Roffenſes epiſc. Gundulfus 632, *&c.* Hernoſtus 633, *&c.* Sivvardus 649, m. Juſtus. 750, *&c.*

Rogerius epiſc. Civitatenſis. 601, m

Rogerus abbas Exaquenſis. 354, a. 364

Rohingus abbas Fuldæ. 11, m. 28, a

Rollo dux Normanniæ. 226, a

Romana lingua alia à Latina. 95, a

Romanæ eccleſiæ primatus propugnatur 259, m. 260, a

Romani Pont. Gregorius VII. 403, *&c.* Victor III. 583. Stephanus IX. 584, *&c.* Urbanus II. 902

Romani epiſcopi, id eſt Cardinales-epiſcopi. 601, a. 612, a.

Romanus abbas S. Solutoris Taurini. 139, a

Romualdus Camald parens. 254, a

Roſcelinus hæreticus. 633, m

Roſellanus epiſcopus. 601, m. 609, a

Roſſanenſis archiepiſc. Angelus de Nuce. 617, m

Roſtagnus epiſc. Avenionenſis. 499, m

Rotomagenſis eccleſiæ dedicatio. 225, 226, a. Ritus Lincolniæ 772, a. Archiepiſcopus 874, m. Alii Hugo 812, *&c.* Guillelmus Flavacurius, Franciſcus Harlæus 813. B. Maurilius 222, *&c.* Malavrius 224, a. Robertus 225. Vvillelmus Bona-anima 134, a. Vvillelmus 641, *&c.* Johannes. 642, *&c.*

Rubeſſan epiſc. Guillelmus ſeu Guibertus. 602, a

S. Rufinæ epiſc. Humbertus 592, m. ſeu Ubertus 274, a. Meginardus. 471, m

Rufinianus in Angliam miſſus. 748, m

Rumoldus abbas Bergenſis S. Vvinoci. 112, 119, a. m. 121, a.

Rupertus abbas S. Stephani Vvirzburgenſis. 662, m

Ruſticus prior Vallis-umbroſæ. 267, m. 272, m. 290, m. 291, a.

Ruthardus abbas Corbeiæ, tum Herſeld. ſcribit contra Berengarium. 138, m

S

SABINENSES epiſcopi 611, m. Ubaldus 601, *&c.*

Sagii epiſc. Ivo 131, *&c.* Rabodus. 641, n

Salernum ob medicinam celebre 589, m. Archiep. Alfanus. 589, m. *&c.*

Saliſburgi archiep. Gebhardus 664, *&c.* Theodomarus. 457, m

Saliſburg. archiep. S. Thiemo. 723, *&c.*

Sallaniga Italiæ vicus. 162, m. 169

Salpitanus epiſcopus. 602, a

Samſon archiep. Remorum. 812, m

Sancius Major rex Hiſpaniæ monaſteria reſtaurat 104, Pennalenſe, Onnienſe. 104, 105

Sandaliorum uſus abbati datus. 330, m

Santonum epiſc. Goderannus 315, *&c.* Boſo. 317, *&c.*

Saraceni profligati. 615, a

Sardiniæ rex Bareſo 596, *&c.* Torchitorius. 597

Sariſberiæ epiſc. Heremannus. 755

Saxones ab Henrico deficiunt. 430, 436, m

Scarnenſis epiſc. Hezelinus. 693, a

Scemenius epiſc. Aucenſis. 312, m. 314, a

Schafuſa urbis origo. 339, m

Schireburn. epiſc. Armerus. 754, a. Hermannus 649, *&c.*

Sclavonia ad fidem converſa. 154, m

Scollandus abbas S. Auguſtini Cantuariæ. 743, m. 756, 757, 761, 764, 765.

Scribendi ars monachis familiaris. 233, a. in monaſterio 129, 719. a. Ejus laudes & utilitas. 130

Sebaſtiani reliquiæ Sueſſione. 515, a. 518, a

Seduni epiſc. Ermenfredus. 642, *&c.*

Seguinus archiep. Coloniæ. 686, m

Seguinus abbas Caſæ-Dei. 183, m. 187, a. 218, m. 219, 197, m.

Selengenſis ſeu Seleſienſis epiſc. Stigandus. 649, *&c.*

Senatus-Bravonius ſcriptor. 836

Senonum archiep. Richerius. 178, *&c.* Delbertus. 552

Serlo abbas Gloceſtriæ. 854, m. 863

Sernienſis epiſcopus. 601, m

Severus epiſc. Pragæ. 41, m

Sevord portus Angliæ, id eſt, maris vadum. 114, m

Sexburga regina, abbatiſſa Elienſis. 758, a

Sibicho epiſc. Spiræ. 3, m. 72, m

Sifredus archiep. Moguntiæ. 722, m

Sigebaudus Spiræ epiſcopus. 38, a

Sigefridus archiep. Moguntiæ. 431, n. 444, m. 446, a. 460, m.

Sigifridus Gorziæ abbas. 72, m

Sigefridus abbas S. Salvatoris de cella. 457, a

Sigefridus abbas Schafuſæ. 338, m. 722, a

Sigevvinus abbas Rozacenſis. 721, m. 722

Signinus epiſc. Eraſmus. 601, *&c.*

Silvanecti epiſc. Letardus. 762, *&c.* Theobaldus 812, m. Clarembaldus 552, a. Yvo. 372, m

Silvæ-Candidæ epiſc. Humbertus. 589, *&c.* Mainardus. 591, m

Silveſtri papæ corpus. 408, m

Simeon monachus Treviris. 4, a

Simeon monachus Vallis-umbroſæ. 268, a

Simon archiep. Bituricenſis. 876, n

Simonis comitis converſio & obitus. 523. Vita. 370, *& ſeqq.*

Simoniaci, ut vitandi 712, a. proſcripti 417, m. 418, 419, 420, 421, 422. à Leone IX. 49. per diſpenſationem reconciliati 260, n. probatione ignis convicti 283. Invaleſcunt Mediolani 259. In Tuſcia, &c. 268, 270.

Simplicius abbas Caſin. 622, a

Simplicius Caffarellus abbas Caſini. 622, a

Sipontini archiepiſc. Geraldus. 597, *&c.* Hubertus. 882, n.

Sirabornenſis epiſc. V. Schireburn. quo tranſlata eſt ſedes. 655, a

Siſebuti abbatis geſta. 369, 370

Sivvardus epiſc. Roffenſis. 649, m

Sophia abbatiſſa S. Mariæ Moguntiæ, & Gandersheim. 676, a

Sorani epiſc. Palumbus. 601, m. Johannes. 607, *&c.*

Speraver abbas Abbendoniæ. 765, a

Spiræ epiſc. Einhardus. 231, m. Gebhardus 723, *&c.* Johannes 725, m. Henricus 439, *&c.* Sigebaudus 38, a. Sibicho 72, m. ſeu Sigebotho. 3, m

Spitigneus dux Boëmiæ. 44, 45

Digitized by Google

Spoletina monarchia. 148, m
Stella urbis origo. 766, m
Stepelinus ſcriptor, monachus S. Trudonis. 85, a
Stephanus IX. 76, a. 80, m. 257, m. Ejus geſta 584, 591, 592. V. Fridericus.
Stephani regis Hungarorum pia geſta. 893, 894
Stephanus Cardinalis. 591, 592, m
Stephanus archiep. Cantuariæ. 768, a
Stephanus epiſc. Tornaci. 866, a. 876, a
Stephanus epiſc. Trojæ. 601, m
Stephanus abbas & alii martyres. 370, a
Stephanus abbas Beſuæ. 373, a
Stephanus abbas Caſæ Dei. 183, m. 220
Stephanus abbas de Cordano inſula. 870, a
Stephanus abbas Publici-montis Leodii. 569
Stephanus monachus Caſæ-Dei, ejus vita. 208, a. 219, m.
Stephanus judex ſacri palatii. 149, m
Stephanus Urbis præfectus. 423, a
Stigandus Cantuariæ archiep. 643, a. 849, a
Stigandus epiſc. Selengenſis ſeu Seleſienſis. 649, 654, m. ſedes tranſlata Ciceſtrum. 655, a
Studia in monaſteriis. 253, m
Stunenſis epiſc. Dato. 602, a
Subdiaconis interdicta Connubia. 419, m. *&c.*
Sudarium Chriſti compendii. 380, a
Sueſſæ epiſc. Milo. 597, m
Sueſſionenſes epiſc. S. Arnulfus 502, *& ſeqq.* Liſiardus 502, *&c.* Hilgotus 505, *&c.* Theobaldus 514, *&c.* Urſio 528, *&c.* Belgotus. 548, m
Suffraganeus epiſcopus. 31, a
Suitgeri epiſc. Bamberg. conſecratio. 2, m
Sumerſat epiſc. Dudeco. 755
Surrenti archiep. Johannes. 601, m
Sutriæ epiſc. Bonizo. 483, m. Kilinus. 71, m. n
Symphoriani reliquiæ. 107, n
Synodi annualiter congregatæ. 154, a

T

TALAVACIORUM familia. 131, a
Tarenti epiſc. Drogo. 602, a
Tatvvinus archiep. Cantuariæ. 761, m
Taurini epiſc. Anuccus 697, m. Chunibertus 700, Vvitelmus 711, m. Gezo, Landulfus 139, Johannes de Compeſio. 140, m. n
Teanenſis epiſc. Guillelmus. 601, m
Tenennani reliquiæ. 107, m
Tenora fluvius Belgii. 92, a
Termulenſis epiſc. Nicolaus. 601, m
Tero fluvius. 69, a
Terracinæ epiſc. Ambroſius 597, *&c.* epiſc. Benedictus. 618, m
Teuzo abbas de Razolo. 274, 275, 291, a.
Teuzo monachus Vallis-umbroſæ. 267, m. 272, a
Teuzo eremita. 270, m. n. 273, m. 274, a. 276, m
Teuzo monachus ſuperbus. 144, m
Texandrenſis pagus. 88, m. 95, m. 96, *&c.*
Theobaldus Viennæ epiſcopus. 159, m. 160, n
Theobaldus epiſc. Caſtellanus. 602, a
Theobaldus epiſc. Eugubii. 246, a
Theobaldus epiſc. Pariſienſis. 812, m
Theobaldus epiſc. Silvanecti. 812, m
Theobaldus epiſc. Sueſſionenſis. 514, 521, m. 522, 525, m. 528.
Theobaldus abbas Caſini. 620, m
Theobaldus abbas Pontiſaræ. 811, 830, m. 832, m. 835. a.
Theobaldus 805, m. convertitur 513, a. Ejus vita 156, *&c.* Tranſlatio Vangadiciam 168, In Galliam. 175.
Theodemarius monachus Caſin. 624, a
Theodemarus archiep. Saltzburg. 457, m
Theodericus epiſc. Mettenſis. 14, n. 38, a. 62, m
Theodericus II. Mettenſis epiſc. 91, m
Theodericus epiſc. Virduni. 68, m. 452, a. n. 572, m
Theodericus abbas Gemeticenſis. 128, a. 129, 135
Theoderici abbatis S. Huberti Vita. 557, *& ſeqq.*
Theodericus II. abbas S. Huberti. 573, m
Theodericus abbas Petroburgi. 722, a. 723, m
Theodericus abbas Uticenſis. 127, *& ſeqq.* 228, a
Theodorus archiepiſc. Cantuariæ 119. m. n. 750, a. Transfertur. 761, 762,
Theoduinus epiſc. Leodii. 567, m. 575, m. 576
Theogerus abbas S. Georgii, tum epiſc. Mettenſis. 721, a. 724, a. 736. n.
Theophana abbatiſſa Aſyndæ. 676, a
Thesfordenſis epiſc. Herfaſtus. 649, m
Thiemo archiep. Saltzburg. 457, n. 723, a
Thietmari epiſc. Hildesheim conſecratio. 2, m
Thiulfus epiſc. Vvigorniæ. 861, a
Thomas Cantuariæ archiep. 769, n. 773, a
Thomas archiepiſc. Eboraci. 633, a. 649, m. 650. *ad* 656. 838, m. 852, 855, a.
Thomas prior Vvigorniæ. 863
Todinus Caſinas, Cardinalis. 597, m
Toletanæ eccleſiæ reſtitutio. 672
Torchitorius rex Sardiniæ. 597, n
Torellus eremita Vallis-umbroſæ. 267, m
Tornaci epiſc. Rabodo 504, *&c.* Lambertus 505, *&c*, Stephanus. 866, *&c.*
Tranenſes archiep. Biſantius 601, m. Johannes. 76, a.
Tranſmundus abbas Tremitenſis, &c. Balvenſis epiſcopus. 598
Trevia Dei in Normannia. 225, m
Trevirenſes archiep. Eberhardus 3, m. ſeu Everardus 68, m. Poppo 63, a. S. Hidulfus 64. a. n. Udo. 428, *&c.*
Tripolitanus epiſc. Albertus. 216, a
Trithemii Chronici Hirſaugiæ altera editio emendatior. 2, a
Trojæ epiſc. Stephanus. 601, m
Trudonis miracula. 85, *& ſeqq.*
Tuderti epiſc. Rodulfus. 288, a
Tullenſes epiſc. Bruno, qui & Leo IX. 330, *&c.* V. Leo IX. Hermannus 53, a. 54. S. Gerardus 55, *&c.* Bertoldus 54. Udo ſeu Odo. 74, m. n
Turonenſes archiepiſc. S. Martinus 384, m. Rodulfus. 390, *&c.*
Turris domini. 867, m
Tuſculi epiſcopus. 614, a. Johannes. 601, *&c.* Petrus. 592, m.

V

VALENS epiſc. Avenionenſis. 494, a
Vapinci epiſc. Arnulfus 237, *&c.* Ripertus 237, *&c.* 240, m. Armandus. 238, a
Vaſatenſes epiſc. Raimundus. 868, m
Ubaldus epiſc. Mantuæ. 417, a. 454, a. 483, m. 486.
Ubaldus epiſc. Savinenſis. 601, m. 602, m
Ubertus. V. Hubertus.
Udalricus epiſc. Auguſtæ. 445, a. 739, a
Udalricus epiſc. Lauriac. ſeu Patavii. 457, m. 458
Udalricus abbas Laurishemenſis. 235, a
Udalricus monachus Cluniaci. 719, m. Prior 457, a. n. Ejus Vita. 779, *& ſeqq.*
Udo Trevirenſis archiepiſc. 428, a. 448, a
Udo epiſc. Tulli. 74, m
Verafrani epiſc. Petrus. 594, m, *&c.*
Venuſini epiſc. Berengarius. 129, m. Conſtans. 602, a
Vercellenſis epiſcopus ſchiſmaticus. 711, m
Verdiana monialis Vallumbroſ. 268, a
Veremundi abbatis geſta. 766
Verulanus epiſc. Honeſtus. 601, m
Veſontionenſis epiſc. Hugo. 72, *&c.* 73, a
Veſprinienſis eccleſiæ fundatio. 893, m
Ugo. V. Hugo.
Viaticum quotidie poſt extremam unctionem. 863
Vicentiæ epiſc. Liutichericus. 165, m
Victor III. papa 80, m. 467. Ejus geſta 583, *& ſeqq.* V. Deſiderius.

Digitized by Google

Viennæ archiepiſc. Leodegarius. 210, a. n. Theobaldus. 159, &c.
Vigilienſis epiſc. Johannes. 602, a
Vigoris Bajocenſis epiſc. reliquiæ. 322, m. 323
Vincentii, Sabinæ & Chriſtetæ tranſlatio. 307, a
Vingomarus ſeu Vingonianus, abbas Kemperlegii. 110, a.
Virduni epiſc. Ricardus. 38, a. Theodericus. 68, &c.
Virtutes Campaniæ caſtellum. 529, a
Viſſegradi ſtudia florent. 42, a
Vitalis & Agricola patroni Caſæ-Dei. 194, &c.
Vitalis abbas Kemperlegii. 110, a
Vitus abbas in Boëmia. 45
Vlciacum caſtellum Sueſſionum. 532, m. 556, m
Ulricus. V. Udalricus.
Ultrajecti epiſc. Vvillelmus. 438
Vodelricus archiep. Beneventi. 589, m
Uratiſlaus dux Boëmiæ. 45, a
Urbanus II. 467, a. Simonis epitaphium edit 383, a. Ejus geſta. 902
Urſio epiſc. Sueſſionenſis. 528, m. 532, 556, a
Urſmarus epiſcopus & abbas Lobii. 504, a. 539
Walavia. 97, m. &c.
Walcandus epiſc. Leodii. 573, m
Walchelinus epiſc. Vvintoniæ 631, m. 649, m. 654, m. 853, a. ſeu Vvalkelinus. 228, a
Walera inſula. 123, m
Waleramnus abbas S. Vitoni. 567
Walterius epiſc. Eduenſis. 35, a
Walterius epiſc. Herefordiæ. 654, m. V. Galterius.
Walto abbas. 663, a
Welicho abbas Altorfenſis. 722, m
Wellenſ. epiſc. Giſo. 649, &c.
Werinharius archiep. Magdeburgi. 444; m. 450, m. 457, a.
Wernerus epiſc. Argentoratenſ. 738, n
Wertinenſis abbas S. Bardo. 2, a. 10, a
Wetzilo archiep. Moguntiæ. 732, n
Wezilo abbas Lavenſis. 721, m
Wicterpus epiſc. Auguſtæ. 456, a
Wido abbas Pomposiæ 253, m V. Guido.
Wigorniæ epiſc. Brithegus 844, &c. Aldredus 846, &c. Thiulſus 861, a. Vvlſtanus 836, &c. Item Vvlſtanus. 837, a
Willa S. Theobaldi mater. 158, ad 178
Willelmus archiep. Auxienſis. 868, m. 870, a
Willelmus archiep. Cantuariæ. 659, a
Willelmus archiep. Rotomagi 637, n. abbas Cadomi. 641, m.
Willelmus epiſc. Catalauni columna doctorum. 551
Willelmus epiſc. Londonii. 649. m. 654, m
Willelmus epiſc. Petracorii. 868, m
Willelmus epiſc. Ultrajecti. 438, m
Willelmus abbas Becci. 343, a. 361, a
Willelmus abbas Cormelienſis. 351, a. 361, a
Willelmus abbas Hirſaugiæ 235, m. 236, 455, m. 457, a. 675, m. 779, m. 798, a. Ejus vita. 717, &c.
Wilhelmus abbas Ottenburenſis. 722, m
Willelmus Malmeſbur. ſcripſit vitam S. Vvlſtani. 836
Vvillelmus monachus Cluſæ ſcriptor. 697
Vvillelmi comitis obitus 40, m. V. Guillelmus.
Vvilſſtanus epiſc. Vvireceſtrenſis. 654, m
Vvintoniæ epiſc. Vvalkelinus 228, a. ſeu Vvalchelinus 631, &c.
Vvireceſtrenſ. epiſc. Vvilſſtanus. 654, m
Vvirſburg. V. Herbipolis.
Vvitelmus epiſc. Taurini. 711, n
Vvlfricus abbas Cantuariæ. 754, m. 755, 756, 752, m. 765.
Vvlgrinus epiſc. Cenomann. 387, m
Vvlſius incluſus. 849, n
Vvlſtanus epiſc. Vvigorniæ & Eboraci. 857, a
Wlſtanus epiſc. Vvigorniæ 656, a. Ejus vita. &c. 836, & ſeqq.
Wiſtanus abbas Glavorniæ. 837, a
Wolphelmi abbatis vita. 675, & ſeqq.
Wormaciæ epiſc. Adelbertus. 450, m

INDEX MORALIS
PARTIS SECUNDÆ
SÆCULI SEXTI BENEDICTINI.

A

ABBATI in capitulo aſſiſtit Chriſtus. 457, a
Abſtinentiam carnium ſervant monachi. 28, m.
Activa vita contemplativæ miſcenda. 200
Adulatores damnandi. 817, a
Ambitionis vitium. 233, m.
Avaritia & tenacitas monaſteria deſtruit. 212, a

B & C

BONA opera, ubi Deus manet. 120, a
Cælestia qui appetunt, ſtultum eſt ut pro terrenis triſtentur. 496, a
Caritatis commendatio. 212, a. encomia. 289, a
Caritatis fraternæ neceſſitas. 199, m
Caro ſuperanda ad animi libertatem. 689, m. Ejus maceratio martyrium eſt. 295, m. afflictio eſt animæ refectio. 263, 264
Carnis abſtinentia in extremis. 715, a
Caſtitatis exemplum. 789
Chriſtianus perfectus gaudere cum ſæculo & in altero mundo nequit. 496, m
Chriſti ſupra ſanctos prærogativæ. 18, & ſeqq.
Compunctio ob leve delictum amiſſa. 416, a
Confeſſio peccatorum. 230, a Ejus virtus. 393, a. 657, a. 712, m. &c.
Confeſſariorum officium. 857, m. labores & laudes. 113, m.
Conſuetudo mala cum ætate creſcens vix corrigitur. 570, a.
Contemplationi vacantes digni ſunt ut eos Angeli viſitent. 28, a

D & E

DEFUNCTIS caritas exhibenda. 392, 397. Quibuſlibet humanitatis officia præſtanda ſunt. 299, m

Digitized by Google

Delictum leve compunctionem exſtinguit. 416, m
Detractiones in monaſteriis vitandæ. 10, m
Diſciplinarum uſus. 143, ad 148, 153, & paſſim.
Diſcretio ſervanda in maceratione corporis. 253, 261, m. 273, a.
Eccleſiis debitus honor. 850, 856, 859. Inde profana abigenda. 411, a
Eccleſiæ everſio ad præſtantiorem ſtruendam, punita. 755, m.
Eleemoſynæ virtus. 500, a
Epiſcopi è proprio gremio aſſumendi. 58, m
Epiſcopus pius docto præferendus. 734, m. Humilitati ſtudere debent. 860
Exemplorum utilitas. 841, a. & paſſim.
Exempla ſancta miraculis utiliora. 148, n

F & H

FALSA ſcribere de ſanctis quàm malum. 143, a
Falſus rumor cito opprimitur. 412, a
Furti exigui gravis punitio. 712, m
Hebdomadæ ſanctæ pia exercitia. 498, m
Hoſpitalitatis commendatio. 705, 706
Humilitas mira. 636. Ejus commendatio. 688. encomium. 821, m. Epiſcopos decet. 860

I & L

INUTILIA in epiſtolis non ſcribenda. 152, a
Itinerantium pia officia. 850, 857
Juſtorum vita malorum eſt detrimentum. 224, a
Lectio utilis. 513, a. 686, 687. neceſſaria. 275, m. delectus faciendus. 480, a. malorum librorum periculoſa. 319. a. profanorum, ut utilis reddenda. 36, m
Lex Dei propter quemquam non tranſgredienda. 415, a
Libris legendis, ſcribendis, dictandis vacare utile. 513, 657, 703.
Lingua mordax cito opprimitur. 412, a
Ludi exitus triſtis. 511, a

M

MARIA, ejus imagines, erga eam devotio. 412. Officia in ejus honorem. 903
Martyrii prærogativæ. 120, m
Miraculis bona vita præſtat. 708
Miracula ad SS. tumulos facta regulari vitæ obſunt. Eorum ceſſatio petitur. 85. à S. Roberto impetratur. 214, m
Miſericordia ſacrificiis præſtat. 732, a
Miſſæ ſacrificii dignitas. 704, m. quotidie celebrata. 482, a. 501, a. Ab ejus oblatione arcendi preſbyteri flagitioſi. 455. & Nicolaïtæ. 456. Eam non celebrat S. Dominicus ob ſimoniacam ordinationem. 143, a.
Monachorum obligatio. 261. Otium fugiant. 130. ſcribendis libris occupati. 129, 130. Principum aulas vitent. 246, m. Soleant canones negligere. 455, m. in prioratibus ad majora monaſt. interdum accedant. 707. Illis abundantia & deliciæ exitio ſunt. 305. occaſione miraculorum à regula deviant. 85, m. Eorum abſtinentia à carnibus. 275. etiam Epiſcopi à carnibus abſtinebant. 28, m. ſuperbus verbere frangitur. 144, a
Monaſteria, ſimplicitas in eis ſervanda. 277
Monaſtica cuculla infantiam Chriſti ſignat. 7, a. ſcapulare, perfecta opera. ibid.
Monaſticarum veſtium ſignificatio. 679, m. n
Monaſticus ſtatus ordinum eccleſiaſticorum perfectiſſimus. 104, a
Moribundis ſollicite ſuccurrendum. 392, 400
Mors non eſt mala, quam vita bona præceſſit. 658, m.
Mortem malam vita bona non præcedit. 658, m
Mors juſtorum, tranſitus. 736, m
Mori in cinere & cilicio decet Chriſti ſervum. 579, m
Mulieres quantum à ſacerdotibus fugiendæ. 416, a
Mundanæ gloriæ vilitas. 82
Muneribus non cedendum. 479, a

N & O

NOBILIUM converſio clarior. 294, m
Obedientia accurata. 253, m. fundamentum eſt omnium bonorum. 198, m. ſumma vitæ monaſticæ. 29, a. quando Prælatis deneganda. 419, m. debetur Chriſto plus quam Donato. 636, a. opera præſcripta præſtant ſpontaneis. 253, a
Obedientia prælaturæ præmittenda. 57, a
Officii divini recitandi ſedulitas. 852, m. 856. Etiam moribundi recitant. 354, a. 364, a
Ordinibus ſacris honor debitus. 274, a
Otioſi ſermones vitandi. 295, a
Otii fuga. 130

P

PASTORALIS cura, ut ſuſcipienda, ut dimittenda. 228, m
Patientia ſalvat animas. 381, a
Pauperum cura habenda. 250. erga eos compaſſio. 732. a. Caritas. 870, m. debita ab eccleſiaſticis. 371. Illis honor exhibitus. 799, m. 858. Ipſis munera ſibi oblata dat S. Leo IX. 71, a
Paupertas via cælorum. 626, m. Ejus amor. 277, 281, m. in monachis. 251, a. 252, a. 305. Eſt dilectorum Chriſti probatio. 727, a
Perjuri terribilis punitio. 99, m
Perſeverantia, non boni initium, laudari debet. 191, m
Pœnitentiæ anni diſciplinâ redemti. 145, a
Poëtarum lectio periculoſa. 319, a
Prælati, antea obedire debuerunt. 57, a
Profanorum lectiones, ut utiles reddendæ. 36, m
Propoſitum, ab eo excidere peſſimum; non proponere tolerabile. 191, m
Proprietariorum monachorum punitio. 655, a

R & S

RECLUSUS eligit mori potius quam è cella exire. 110, m.
Rectitudo pro favore humano non linquenda. 415, a
Religionis ſacer habitus. 298, a. ſacræ veſtes. 395, m. 397, m.
Reliquiis ſanctorum honor debitus. 243, m
Regum officia. 817
Sacrilegii variæ ſpecies. 806, a
Sancti, ut cum Chriſto comparandi. 16, & ſeqq.
Scripturis ſacris diſcendis profana inſerviunt. 360, m
Sepulturæ violationis punitio. 606, a
Silentii nocturni religio. 282
Simoniæ mala. 817. averſio. 143, a. triplex vitanda. 60 a
Simoniaci à ſacris arcendi. 455
Simplices viri ſunt lampades. 774, m
Studium profanorum utile. 360, m
Superbiæ dæmon à monacho verberibus pulſus. 144, a
Superioris boni dotes. 688, 689
Superſtitionum punitio. 520, a

T, V & Z

TEMPLUM eſt ubi fidelis anima. 329, a
Tentationes otioſum vexant. 130, m
Veniales culpæ ut defunctis dimiſſæ. 230, a
Veracitas in verbis. 150, a
Veritas tutior eſt in verbis ſimplicibus. 559, a
Virginitatis laudes. 114, a
Viſiones in SS. Auguſtini & Gregorii ſcriptis. 740, a
Vitam bonam agens non poteſt male mori. 658, m. Vita bona mortem bonam præcedit. 658, m. Miraculis præferenda. 148, m
Vitas ſanctorum ſcribendi utilitas. 342, m. Earum lectio utilis. 677, a. 770, a. 841, 857. Eas referre, Dei laus eſt. 813, m. ſcriptæ ſunt ad exemplum. 188, a. Ita & legendæ. 768
Zelus animarum præſtat ſacrificiis. 732, a

INDEX ONOMASTICUS
VOCUM BARBARARUM ET EXOTICARUM
PARTIS SECUNDÆ
SÆCULI SEXTI BENEDICTINI.

A & B

ADYTUS, *ſacrarium.* 599
Agape, *eleemoſyna.* 379, m
Altare capitaneum. 100, m
Ana, *aque.* 604, m
Angaria. 89, a
Barones. 132, m
Biblea cratis. 262, a
Biſanteum artificium. 606, m
Bonum-malannum, morbus. 748, m
Bruſtum. 603, m
Bullæ. 418, a
Buttis, *dolium.* 255, a. n

C

CANON clauſtralis, *officium monaſticum.* 328
Canon Miſſæ. 73, a. 415, a
Canonica, *collegium canonicorum.* 254, m. n.
Cantales panis. 262, a
Capitolium, *capitulum.* 868, *&c.*
Caſati, *feudatarii.* 514, a. 528,
Carabibazon. 24, m. n
Catholicum, *rectum.* 809, m
Cera S. Reſurrectionis, *reliquia.* 321, m. n
Ceraptata. 64, m
Cetrina planeta. 616, m
Clinica, quid. 73, m. n. *&c.*
Clocca, campana. 87, a
Communio, *Euchariſtia.* 66, m. 67. m
Concambium, *mutatio.* 326, a
Conſenſus, *inſtrumentum electionis.* 321, a
Cophiæ, *copula.* 264, a. n
Croceæ, *ſuſtentacula.* 89, a
Cuba, *dolium.* 8, m
Cymbalum, *campana.* 83, a

D

DECANTARE, *recitare.* 116, a
Diacitrina tunica. 595
Diapiſtis tunica. 595, 616, m
Diarodanum pluviale. 595, 616, m
Diaſpera planeta. 603, m. 616
Diœceſis Lateranenſis. 415, a
Ducicula. 86, m
Domus, *eccleſia cathedralis.* 684, m. n

E, F, H & I

EPITHEMIUM. 438, a. n
Exameta planeta. 595, 616, m
Feſtivitas in cappis. 759, m
Honor, *eccleſia alteri ſubjecta.* 495, a. 496, m
Infuſidarium. 261, m. n

K, L & M

KLIOTETRA, *cathedra.* 9, m
Lex ignea. 276, a. n. 283, a
Mandare, *mittere.* 274, a. 288, m
Mazeris, *ſcyphus.* 73, a. n
Miſſa Catechumenorum, ſacramentorum. 455, m
Metanææ, *proſtrationes* &c. 145, m. n. 253, a
Monaſterium, *epiſcopi domus* 110, m. *eccleſia cathedralis* 111, a. *ſimplex eccleſia* 115, *& ſeqq. monaſterii eccleſia.* 882, *ad* 888

N, O & P

NONNA 468, a. *religioſa.* 765
Oamma. 152, a
Obedientia ultima, *mors.* 779, m
Obedientiarius. 728, m
Oblatæ Miſſales, *panes ad Miſſam.* 11, m
Odæ, *cantica.* 92, m. 97, m
Oroma, *viſio.* 125, m
Palmatæ. 253, a
Paradiſus, *atrum.* 600, a
Patriarcha, *archiepiſcopus.* 749, m
Percantare, *recitare.* 116, a
Petalæ, *lamina.* 604, m
Phylacteria ad capiendas reliquias. 808, m
Pitatium, *ſchedula.* 809, a
Præſidia, *bona mobilia.* 427, m
Propter, *prope.* 117, a
Pſalmi pœnitentiales. 161, m
Puer, *miniſter.* 150, a

Q, R & S

QUADRUVIUM, quid? 726, n
Regularis habitus. 252, m
Ridiculoſe, *jocoſe.* 8, a
Sabbatum-ſanctum. 211, m
Sagmarius. 143, m
Sanctuaria, *reliquiarum theca.* 485, n
Sarcilæ, quid? 11, m. n
Scapularis. 252
Scaramangæ. 617, a
Secretarium. 599. m
Senuum, *vacuum.* 255, m. n
Silicernius. 174, a
Soma, *corpus.* 87, a
Songia, *curatio* 248, m. n. *potius eſt ungimen,*

Digitized by Google

Sonnæ, *impedimenta.* 449, n
Summus pontifex, *archiepiſcopus.* 648, m. n
Summi-pontifices, *epiſcopi.* 344, m

T & V

TARTAVELLA. 209, a. n
Terellus, *obturaculum.* 255, m. n
Theoderici nominis interpretatio. 561, a
Tonna, *dolium.* 86, m
Triblati panni ſerici. 595, m
Trivium, quid? 726, n
Tulta, *ſublata.* 325, a
Tyro, *novus miles.* 536, m
Veniæ. 379, a. 480, a
Veſtigia, *pedes.* 64, a
Vicaria, *exactio.* 388, m

FINIS.

SUMMA PRIVILEGII.

CHRISTIANISSIMI Francorum Regis LUDOVICI XIV. Privilegio VIII. menſis Martii anni MDCIC. conceſſo, & XIX. menſis Aprilis anni MDCC. in Typographiæ Pariſienſis Codicem relato, cautum eſt, ut Congregationis S. Mauri R. P. Superior Generalis Libros ab ejuſdem Congregationis Monachis compoſitos, per quem maluerit Typographum, neve alius citra ejus conſenſum, edat. uti uberius Diploma ipſum explicat.

Idem R. P. Superior Generalis facultatem dedit CAROLO ROBUSTEL, *Bibliopolæ Pariſienſi*, *imprimendi* Sæculum ſextum Actorum Ordinis S. Benedicti.

Digitized by Google

Google

Digitized by Google

E E A P

P L

Digitized by Google